Digitized by Google


BIB. DOM.
LAVAL. S. J.



Digitized by Google

H.377/12

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibliotheca Cysoniensis.

GALLIA CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM

REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA complectebatur, ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Operâ & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti.

TOMUS DUODECIMUS:

Ubi de Provinciis SENONENSI *&* TARENTASIENSI *agitur.*

Bibliotheca Cysoniensis 1771





PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCLXX.

Digitized by Google

HOC IN TOMO CONTINENTUR,

ABBATIÆ, PRIORATUS, &c.

CUM VIRORUM TUM FEMINARUM IN PROVINCIIS SENONENSI ET TARENTASIENSI.

ordine alphabetico digesta.

Digitized by Google

N

P

R

S

V



Digitized by Google

INDEX VETERUM MONASTERIORUM

AD HAS PROVINCIAS SPECTANTIUM.



Digitized by Google

EMENDANDA.

Col. 4. *A. lin.* 10. gemnis *lege* gemmis.
Col. 43. *E. lin.* 12. fiardus *lege* Lisiardus.
Col. 49. *D. lin.* 4. consilio *lege* concilio.
Col. 51. *A. lin.* 13. ad *lege* ab.
Col. 52. *C. lin.* 11. Germano *lege* germano.
Col. 59, *D. lin.* 8. *post* Nivernensi *addendum est* institutis.
Col. 62. *A. lin.* 7. provinciæ *lege* Provinciæ.
Col. 65. *C. lin.* 6. vice comitum *lege* vicecomitum.
Col. 93. *A. lin.* 11. coaptatur *lege* cooptatur.
Col. 94. *E. lin.* 8. comodum *lege* commodum.
Col. 96. *A. lin.* 10. Burdigalensem *lege* Bituricensem.
Col. 143. *B. lin.* 9. Guillelmo *lege* Ludovico.
Col. 148. *B. lin.* 7. Guelphoni, Germano *lege* Guelphoni germano.
Col. 159. *B. lin.* 9. cansensus *lege* consensus.
Col. 163. *D. lin.* 5. qui cum *lege* quicum.
Col. 168. *D. lin.* 8. introdutus *lege* introductus.
Col. 182. *C. lin.* 2. *post* Gregorii XI *dele* punctum.
Col. 184. *A. lin.* 10. *post* 1749 *dele* virgulam.
Col. 215. *C. lin.* 11. *post* 1133 *adde* virgulam.
Col 229. *B. lin.* 4. Proteæ *lege* Prateæ.
Col. 242. *B. lin.* 8 *post* locum *dele* punctum.
Col. 258. *D. lin.* 9. post modum *lege* postmodum.
Col. 281. *A. lin.* 5. *post* distinctum *adde* virgulam.
Col. 286. *D. lin.* 10. consilio *lege* concilio.
Col. 287. *B. lin.* 12. Germanæ *lege* germanæ.
Col 307. *C. lin.* 6. renumeratus *lege* remuneratus.
Col. 325. *A. lin.* 6. Ludovici *lege* Dionysii.
Col. 330. *D. lin.* 3. præsulem *lege* præsidem.
Col. 349. *D. lin.* 13. *dele* virgulam *post* improbante.
Col. 401. *A. lin* 3. consilii *lege* consiliis.
Col. 435. *E. lin.* 10. Innocenti *lege* Innocentii.
Col. 451. *E. lin.* 2. *post* tenuit *dele* punctum.
Col. 456. *E. lin.* 6. charlario *lege* chartario.
Col. 479. *A. lin.* 9. Abiensis *lege* Albiensis.
Col. 481. *A. lin.* 11. Guillelmus *lege* Guido.
Col. 512. *A. lin.* 9. consilio *lege* concilio.
Col. 524. *A. lin.* 7 & 8. renatæ *lege* Renatæ.
Col. 529. *B. lin.* 10. abbate *lege* abbati.
Col. 545. *E. lin.* 4. *post* Trecensis *pone* virgulam.
Col. 550. *E. lin.* 8. stirpes *lege* stipes.
Col. 567. *C. lin.* 2 nunciam *lege* nuncium.
Col. 571. *E. lin.* 8. Noctortense *lege* Noefortense.
Col. 593. *D. lin.* 2. succipit *lege* suscipit.
Col. 610. *B. lin.* 4. tutius *lege* tuitus.
Col. 643. *B. lin.* 10. *dele* X & *lege* III,
Col. 656. *E. lin.* 2. de Passu *lege* de Passy prope Parisios.
Col. 663. *D. lin.* 1. Parisiensis *lege* Nivernensis.
Col. 668. *E. lin.* 10. Demuri *lege* de muri.
Col. 689. *E. lin.* 7. monasterio *lege* monastico.
Col. 722. *A. lin.* 11. monasterio *lege* Musterio.
Col. 805. *lin.* 12. arca *lege* area.
Instr. col. 126. *B. lin.* 2. non *lege* nos.
Instr. col. 267. *C. lin.* 12. d *lege* ad.
Instr. col. 312. *C. lin* 14. contructa *lege* constructa.
Instr. col. 404. *B. lin.* 7. munerata *lege* numerata.
Instr. col. 424. *C. lin.* 13. contruxisse *lege* construxisse.
Instr. col. 447. *D. lin.* 14. concanicorum *lege* concanonicorum.
Instr. col. 458. *A. lin.* 10. impetatoris *lege* imperatoris.
Instr. col. 462. *B. lin.* 8. consiliique *lege* conciliique.
Instr. col. 466. *D. lin.* 3. Karognia *lege* Raronia.



Digitized by Google

Digitized by Google

GALLIÆ CHRISTIANÆ PROVINCIA ECCLESIASTICA SENONENSIS

Continens Diœceses

Trecensem Autiſſiodorensem et Nivernensem.

Scala Leucarum

Leucæ Maiores Gallicæ

1 2 3 4 5 6

Leucæ Communes

1 2 3 4 5 6 7

Leucæ Minores

1 2 3 4 5 6 7 8

PROVINCIA

Alpium Graiarum et Penninarum

in qua Civitas Centronum Tarentasia Archiepiscopatus

Genevensis Ducatus

Sedunum

VALESIA

Augusta Prætoria

Civitas Centronum

Tarentasia

Milliaria Italica

DIŒCESIS TRECENSIS

Sezanna

Trecæ

Ripatorium

Bullencuria O.C.

Bellus Locus O.Pr.

Pietas Dei



Digitized by Google



GALLIA CHRISTIANA

IN PROVINCIAS

DISTRIBUTA.

PROVINCIA SENONENSIS

SEU LUGDUNENSIS QUARTA,

CUJUS METROPOLIS SENONES,

AGEDINCUM SEU AGENDICUM.



BELGIS finitimos Senones, quos Carnutibus & Parisiis ob situm conjungit Cæsar, longe ante Christum floruisse antiquorum asserit fides historicorum. Quidquid sit quod aliqui ex posterioribus eorum originem a Japeti filiis deducunt, certum est ex Floro Gallos Senones Græcis Asiæ & maxime Romanis Brenno duce fortissimo sævum bellum intulisse, quorum fuso exercitu, Roma capta, cæde, direptione, incendio vastata obsessoque per septem menses pertinaciter capitolio universam rempublicam Romanam funditus everterunt ab urbe condita circa annum 364. *Gens natura ferox*, inquit epitomes rerum Romanarum, lib. 1, *moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole perinde armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit, ut plane nata ad hominum interitum, urbium stragem videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris & cingente omnia oceano ingenti agmine profecti cum jam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti per Italiam vagabantur.* Senas ab eis nomen accepisse innuit Polybius, lib. 11, quam urbem Polycarpus in chronicis vult ædificatam ante Christum 382, ut ibi veteranos milites bello fatiscentes reficerent. Senogalliam in Urbini ducatu a Senonibus dictam multi putant. Ticinum quoque, Mediolanum, Pergamum, Brexiamque construentes Cisalpinæ Galliæ regioni nomen dedisse auctor est Paulus diaconus, lib. 11, cap. 23. Tempore Cæsaris magnæ auctoritatis erant Senones, qui duce Alcone fortissime ei restiterunt: Cæsar vero Cavarinum apud eos regem constituit, cujus majores regnum obtinuerunt, sexque legiones in Senonum finibus in Hibernis collocavit. Horum enim in Galliis caput Agedincum; ut scribit Cæsar, non Agendicum, non solum propter magnitudinem munitionesque urbis, sed etiam propter opportunitatem loci ad Icaunam inter duo maxima flumina Ligerim & Sequanam positi valde Romanis arrisit, ac pro armamentario proque castris nonnunquam habitum est. Ibi etiam amphitheatrum fuisse docet passio S. Columbæ martyris Aureliani principatu, adeo ut nihil eorum quæ vetustiores nobilitant populos Senonibus defuerit.

Agedincum postea proprio deposito nomine gentis cujus erat caput appellationem suscepit multarum Galliæ urbium more. Neque enim audiendi qui Agedincum pro Pruvino haberi volunt, ut pote quos stultitiæ arguit Scaliger. Ab Ammiano Marcellino, lib. xv, vocatur Senones, ac in Lugdunensi prima ponitur quo nimirum tempore duæ tantum Lugdunenses erant. At Senones nomen dedere Lugdunensi IV, cujus metropolis & caput est civitas Senonum, quæ in notitia imperii & in vetustissima notitia provinciarum Galliæ, nunc provincia Lugdunensis Senonia,

Digitized by Google

nunc Senonia Lugdunensis, interdum provincia Lugdunensis Senonica a Senonibus totius provinciæ clarissima gente dicitur, quam regionem Chora & Icauna flumina a provincia Lugdunensi prima dividunt. Iidem Senones nomen etiam dederunt pago Senonico, id est agro illi suburbano Senonibus subjecto ac circumfuso. In Burgundiæ finibus sita urbs Senonum de nobilibus illius provinciæ nobilis dicitur in chronico Centulensi, quæ in Autissiodorensi Galliæ urbs præ ceteris insignis tam affluentia opum quam confluentia populorum, nunc vero ampla satis civitas decoratur aquis per plateas artificio fluentibus & vias mundantibus à Lamboya qui in Vennam decidit derivatis per aquæ ductus in urbem extra quam antiqua supersunt ædificiorum vestigia.

Ut a Romanis paganis victi debellatique fuerant Senones ethnici, sic ab iisdem factis Christianis ad Christi fidem traducti sunt, veræ Religionis præconibus & apostolis a Romana sede missis Saviniano & Potentiano qui ecclesiam Senonensem suo dicarunt sanguine. Hi ab idolis quibus polluebatur, quorumque immundissimis immolationibus fœdabatur mundatam in honorem S. Salvatoris primam consecrarunt Christianorum basilicam: horum successores civitatum metropoleon privilegiis gavisi sunt totiusque provinciæ metropolitani ad hunc usque diem fuerunt. Sed & Ansegisus metropolitanus gratia Caroli Calvi imperatoris totius Galliæ & Germaniæ primatum cum honore vicariatus sedis apostolicæ à Johanne VIII papa impetravit. Huic quidem privilegio, soli quippe personæ indulto, non vero ecclesiæ Senonensi irrogato in concilio Pontigonensi obstitere episcopi Gallicani: attamen per universam Galliam ducentis annis, nemine contradicente, eo potitus est Senonensis metropolitanus. Leothericum quoque a pontifice Romano primatus confirmationem obtinuisse legitur apud chronographum Autissiodorensem Sevinumque in synodo Remensi præfuisse clare testatur Gerbertus, ex quibus constat exarchica auctoritate in Galliam Senonenses metropolitanos usos fuisse. At Gebuinus Lugdunensis archiepiscopus ægre ferens metropolim civitatem Senonum caput provinciæ Lugdunensis IV decorari primatus dignitate præ Lugduno capite provinciæ Lugdunensis primæ, cui potiori jure debitam existimabat, hancque impense ambiens prærogativam, a Gregorio VII papa obtinuit, qui Lugdunensem primatum duabus bullis confirmavit. Novæ huic promulgationi diu reclamavit privilegii sui antiquitatem obtendens Senonensis ecclesia, qua de controversia plures epistolas scripsit Ivo Carnotensis, qui primo quidem in Lugdunensem quam in Senonensem archiepiscopum propensior ob graves cum Richerio Senonensi inimicitias, eo defuncto sententiam mutavit & primatus Lugdunensis jugum in detrimentum Senonensis, cujus suffraganeus erat, molestissime tulit: cumque utrimque literis de privilegio esset disceptatum, Daimberius tandem consensum dare cogitur. Qui vero post hæc successere antistites aliquatenus refragati sunt, donec Carolus cardinalis Borbonius Lugdunensis archiepiscopus in senatu Paris. cum Ludovico *de Melun* Senonensi hac pro controversia litem repetens, eodem Senonensi mollius causam agente, primatus, teste Tavello, attribuitur Lugdunensi anno 1457. Ab hoc tempore in hunc usque diem possessione, nemine reluctante, gaudet Lugdunensis archiepiscopus; cujus antiquæ dignitatis nomina quædam Senonensi primati tantum supersunt. Eruditissime porro de hoc Senonensi primatu disseruere J. Baptista *Driot* canonicus Senonensis, Johannes Morinus congregationis Oratorii presbyter exercitationum ecclesiast. lib. I, cap. 31, & Petrus de Marca.

Chart. x, col. 11.

Metropolis Senonensis ad seculum XVII septem habuit suffraganeas sedes, scilicet, Carnotensem, Autissiodorensem, Trecensem, Aurelianensem, Parisiensem, Meldensem & Nivernensem, ex quibus cum Parisiensis à Senonensi distracta fuisset & ad metropolim evecta, in compensationem damni illati abbatia Montis S. Martini in Atrebatibus unita est archiepiscopo Senonensi, cui metropolitana jurisdictio relicta in Trecensem, Autissiodorensem & Nivernensem ecclesias manet. Capitulum Senonense quinque constat dignitatibus, scilicet, archidiacono Senonensi seu majore, thesaurario, decano, præcentore & cellerario. Archidiaconus major primus sedet in choro. Hujus muneris est non tantum archiepiscopum, sed & suffraganeos in sedibus constituere, idque juris tam a summo pontifice Gregorio XII die 25 Octobris 1373, quam a Senatu Parisiensi assertum est annis 1524 & 1569. Decanus ubique præsidet & in capitulo aliis dignitatibus & 40 canonicis præest. Sunt alii quatuor archidiaconi, Melodunensis nempe, Pruvinensis, Wastinensis & Stampensis; sed hi personatus tantum sunt, non dignitates, nec vocem habent in capitulo nisi sint canonici, sed sedent ante canonicos in comitiis & conventibus publicis. Basilica S. Stephano sacra nulli nequidem Parisiensi structura cedit; hanc præter numerantur in tota diœcesi 674 parochiæ, 15 collegia canonicorum, B. Mariæ apud Brajacum, S. Trinitatis apud Traisnettum, S. Lupi apud Brinonam, S. Petri apud S. Julianum de Saltu, S. Laurentii apud *Villefolle*, apud Monasteriolum, apud Pruvinum S. Quiriaci, B. Mariæ de Valle, & S. Nicolai 1218, apud Melodunum B. Mariæ, B. Mariæ Magdalenæ de Courpaleyo 1213, B. Mariæ de Milliaco 1330, S. Petri de Castellione super Lupam 1209, B. Mariæ Stampensis, & S. Crucis ibidem 1183; 4 gymnasia pro instituenda juventute, Senonis 1537, Montis-Argivi 1620, Stampis 1629. & Pruvini 1669; orphanotrophium ibidem pro puellis 1695; 7 nosocomia, Pruvini 1050, Senonis 1221, Meloduni, Juviniaci 1313, apud Anonem 1666, & duo apud Stampas; conventus Cisterciensium apud Brajacum 1630, Cartusianorum apud Vallem profundam 1212, Grandimontensium de Veteriputeo 1172, Cœlestinorum Senonis 1336, Carmelitarum Meloduni 1494 & apud Anonem, Dominicanorum Senonis 1336, Fratrum Minorum Senonis 1231, quibus per bella destructis permisit Johannes rex anno 1362, sub quibusdam conditionibus, ut ecclesiam & domum in ipsa

Ch. CXV. col. 90.

Digitized by Google

urbe Senonensi ædificarent; Pruvini 1237, Stampis 1240, apud Malasherbas 1496, & Bellamgardam 1658, Recollectorum Montis-Argivi 1599, Meloduni 1606, Monasterioli 1617 & Nemosii 1635, Capucinorum Meloduni 1606, Senonis 1620, apud S. Florentinum 1622, Juviniaci, Pruvini & apud S. Jacobum de Spata 1580; Augustinianorum B. Mariæ de Buxeria 1640, Minimorum juxta Pruvinum, de Mercede Captivorum in loco dicto *Chenoise* 1615; Maturinorum apud Fontembellaqueum 1259, & Stampis, tertii ordinis S. Francisci apud *Breau* 1609, Senonis 1617, Custraci 1626: parthenones Benedictinarum Giaci 1575, Montis-Argivi 1630, Moreti 1639, apud Villam-novam-regis 1647, & apud Castellionem super Lupam; Carmelitanarum Senonis 1626, Hospitalariarum apud Domnam-Mariam; Dominicanarum Montis-Argivi, Ursulinarum Senonis 1643, & Montis-Argivi 1695; Annunciatarum Senonis, virginum de Congregatione Juviniaci 1630, Nemosii 1641, & Montis-Argivi, de Visitatione Meloduni 1640, & Montis-Argivi 1695; de abbatiis vero tam destructis quam superstitibus fusius & seorsim post decanos pro more nostro differemus. Interim antistitum qui huic præfuerunt Metropoli plurimi res gestas scripsere, duo soli publici juris fecerunt: Gaufredus de Collone monachus S. Petri vivi, Petrus *Bureteau* monachus Cœlestinus, Petrus Coquinus pastor Salignii, Urbanus *Reversey* canonicus & præcentor Senonensis, doctor theologus; Nicolaus *Milachon* parochus de Fucheriis Archiepiscoporum Senonensium vitas & gesta tractarunt quæ MSS. exstant in bibliotheca regia & apud Senonas. Carolus-Mauricius *Fenel* decanus tribus voluminibus monumenta collegit quæ fratris filio edenda legavit. Primus Jacobus Tavellus Senonensis in lucem emisit archiepiscoporum Senonensium vitas an. 1608. Hunc superare aggressus D. Hugo *Mathoud* presbiter & monachus Congregationis S. Mauri catalogum eorumdem ad fontes historiæ accurare sibi visus est, & edidit an. 1688. Nos vero sequentem seriem tam ex editis quam ex MSS. codicibus variisque ecclesiarum diœcesis tabulis aliisque documentis auctiorem multo & emendatiorem ut potuimus conflavimus.

ARCHIEPISCOPI SENONENSES,

Qui & Metropolitani & aliquando Primates.

ANNI CHRISTI

I. S. SAVINIANUS.

SENONENSES quoque ut singulas fere Galliarum ecclesias cæcus incessit antiquitatis amor, Petrique principatus studium. Hoc elati inferioris ætatis scriptores qui ecclesiæ Senonensis primas origines scripto retulerunt, tradunt SS. Savinianum, Potentianum, Altinum e 70 discipulorum numero à S. Petro missos Senonas venisse, horumque prædicatione primis fidei documentis urbem hanc imbutam, complures quidem cives, sed Victorinum imprimis, Serotinum & Eoaldum repudiata idolorum impietate fidem amplexos; crescente postea credentium numero S. Savinianum basilicas dedicasse, alteram in honorem Christi Salvatoris, alteram in honorem BB. Apostolorum, quæ usque in hodiernum diem dicitur S. Petri vivi ecclesia, eo quod ipso fuerit vivente constructa; cumque res christianæ his in locis succederent, alias civitates Christi imperio adjicere instituisse, Altinum cum Eoaldo profectum Aurelianos, Potentianum vero cum Serotino Trecas, magnam porro hominum multitudinem illectam eorum sermonibus qui Aurelianos venerant Christo credidisse. Hos deinde Carnutum fines ingressos, sed orta persecutione adiisse Lutetiam Parisiorum & inde venisse Christolium qui vicus Parisiorum est, ibi Agoardum Aglibertumque viros magnæ inter suos auctoritatis, relictis idolis christianæ militiæ nomen dedisse: demum & illos omnes grassante Neroniana persecutione vario mortis genere fidem quam docuerant testatos esse. Hæc & alia ejusmodi de primordiis ecclesiæ Senonensis

A referuntur a Mombricio, a Petro de Natalibus, a chronographo Autissiodorensi, necnon & ab Adone, quibus quænam adhibenda sit fides videat antiquitatis christianæ studiosus lector & judicet. *Ego vero*, inquit Bosquetus ecclesiæ Gallicanæ historiarum, lib. 1, c. 22, *hæc omnia adeo ab historica veritate aliena mihi persuadere non possum.* 1. Enim recentiores multo sunt scriptores illi martyrologiis IX seculi, in quibus Sabinianus & Potentianus, non a S. Petro, sed a pontifice Romano ad prædicandum directi Senonum metropolim martyrii confessione illustrem fecisse leguntur. 2. Si Savinianus basilicas dedicaverit, ut volunt, non ergo primo, non secundo seculis, cum ecclesiæ tertio tantum ædificari cœptæ. 3. Præcipui Senonensis provinciæ populi, puta Autissiodorenses, Tricasses, Aurelianenses, Carnutes & Meldi, quibus socios

B S. Saviniani prima fidei documenta tradidisse fama est, non ante Decii imperium cœperunt habere primos episcopos, ut ex ipsa serie episcoporum qui in tabulariis harum ecclesiarum leguntur cuivis æquo rerum æstimatori notum est. 4. Episcoporum summa brevis ad Severinum indubitanter notum, tempus nos vetat producere longius. Satius ergo, donec clarior lux illucescat Usuardo standum scribenti Savinianum & Potentianum Senonas ad prædicandum missos, martyrio illustrasse: nisi quis maluerit Saviniani missionem ad Sixtum II referre, a quo missus quoque Peregrinus primus Autissiodori episcopus fuit; quæ satis congruere videntur, cum sit Autissiodorum post Agedincum caput alterum Senonum. Martyrio coronatus Savinianus 31

ANNI CHRISTI

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Dec. qua die in ecclesia Senonensi colitur, in ecclesia S. Salvatoris sepultus est, unde anno 847 a Wenilone archiepiscopo translatum corpus cum aliis VIII cal. Sept. in ecclesiam S. Petri: illa ducentis post annis Guillelmus archiepiscopus ob timorem Normannorum in antris abscondidit, quæ per notitiam cujusdam veterani comperta Leothericus levavit & in plumbeis locellis recondidit, & postea Robertus rex auro, argentoque & gemnis insigniter adornavit anno 1030.

II. S. POTENTIUS.

S. Saviniano S. Potentium seu Potentianum successisse unoque tantum anno Saviniani cædem superasse consentiunt omnes quotquot de rebus Senonicis scripsere. Senonis quoque, Trecis, Parisiis, Carnuti, Aurelianis & alibi celebris ejus memoria est pridie calendas Januarii. Si qui existimaverint S. Potentianum fuisse presbyterum eoque solo nomine donari in antiquis martyrologiis, hos confutat pervetustus hagiologus Senonensis a quo episcopus nuncupatur & Odorannus in chronico seculi XI, ubi dicitur socius sancti Saviniani in itineris labore, successor in honore & collega martyrii apud Chesnium, tom. II, p. 641.

S. Potentiani corpus cum corporibus S. Saviniani & sociorum ejus in vicinam S. Petri vivi basilicam transtulit idem Wenilo an. 847, cujus translationis festus dies assignatur in breviario anni 1641. Quo tempore aliquot ejus reliquias Hermentrudi abbatissæ Jotrensi suæ affini concessit Wenilo, quarum ab adventu ita relevatum fuisse dicitur monasterium, ut nullam deinceps inopiam aut tempestatis procellam sustinuerit. Robertus rex anno 1030 contulit 33 solidos meri argenti ad præparandum scrinium S. Potentiano, cum ab eo avulsus est S. Savinianus. Denique monialibus Jotrensibus integrum sibi S. Potentiani corpus vindicantibus silentium & dicam erroris imposuit Petrus de Corbolio in concilio Senonensi an. 1218.

Annal. Benedict. T. II, p. 751.

Charta LXXXIII, col. 64.

III. LEONTIUS.

Leontius sequitur in catalogo Fontanellensi.

IV. SEVERINUS.

Concilio Agrippinensi adfuit Severinus an.
346. 346, qui concilium Sardicense an. 347 suo
347. approbavit chirographo.

V. AUDACTUS.

VI. ERACLIANUS.

VII. LUNARIUS.

VIII. SIMPLICIUS.

Hujus & decessorum præsulum nomina enunciantur in charta fundationis S. Petri vivi, sicut in catalogo Fontanellensi, sepultusque cum iis traditur in cryptis ejus arenariis & inde translatus.

IX. S. URSICINUS.

Si Senonicis scriptoribus fides, Ursicinus cum A Hilario Pictaviensi aliisque Galliarum episcopis a conventu Biterrensi in Phrygiam actus Jerosolymam invisit, cujus ab antistite novem SS. Innocentium corpuscula accepit, & ossa quædam S. Mamantis martyris, a S. Basilio Cæsareæ episcopo quæ partim in Basilica S. Stephani, partim in monasterio SS. Gervasii & Protasii a se ædificato & ad sepulturam electo honorifice collocavit Senonis, ubi ab exsilio revocatus S. Hilarium reducem quoque invisit & excepit; hæc Senonenses, quæ antiquitatum ecclesiasticarum indagator sagacissimus Tillemontius, tom. X, p. 460, nullibi reperisse se fatetur præter ædi- B ficatam SS. Gervasii & Protasii ecclesiam. Quæ tamen, si vera sint, Ursicinus sedem non tenuit ab anno 310 ad 356, ut volunt, sed in exsilium actus an. 356 cum Hilario & post tres annos reversus an. 360, monasterium SS. Gervasii & Protasii construxit post annum 386 quo sacris eorum repertis corporibus, per universam ecclesiam tum primum propagatus est cultus. Defunctum 24 Julii, qua die colitur in ecclesia Senonensi, & inibi sepultum volunt Ursicinum, quem cum Leone, Agricio & Ambrosio, necnon & reliquiis SS. Innocentium in basilicam S. Petri vivi an. 876 transtulit Ansegisus Se- C nonum antistes.

ANNI CHRISTI

X. S. THEODORUS.

S. Martini Turonensis episcopi defuncti an. 397 Synchronus Theodorus, ut volunt, sepultus est in æde Gervasiana. Natalem ejus assignat MS. Florarium idibus Januarii.

XI. S. SICLINUS.

Siclinus, qui & Sindinus & Sidinius sepulturam quoque nactus est in ecclesia S. Gervasii.

XII. S. AMBROSIUS.

D Vitæ sanctimonia & publica Senonum religione clarus die 3 Sept. ei sacra S. Ambrosius S. Germani Autissiodorensis & S. Lupi Trecensis contemporaneus fuit. Una cum S. Theodoro & S. Siclino humatus est in monasterio S. Gervasii, ubi miraculis coruscavit; inde cum SS. Ursicino, Agricio & Leone in monasterium S. Petri translatus est.

XIII. S. AGRICIUS.

Unus e metropolitanis est Agricius, quos deficientibus coepiscopis ad electionem Simplicii Bituricensis episcopi invitavit anno circiter 472. E Sidonius Apollinaris episcopus Arvernensis, cujus hæc sunt verba epist. V, lib. VII. « Quæso ut officii mei novitatem, pudorem, necessitatem « spectatissimi adventus tui omnes contubernio, « tuteris auxilio. Nec te quamquam Senoniæ « caput es, inter hæc dubia subtraxeris intentio- « nibus medendis Aquitanorum, quia minimum « refert quod nobis est in habitatione divisa pro- « vincia, quando in religione causa conjungitur. « His accedit quod de urbibus Aquitaniæ primæ « solum oppidum Arvernorum, Romanis reli- « quum partibus bella fecerunt. Quapropter in «

Digitized by Google

constituendo præfatæ civitatis antistite provincialium collegarum deficimur numero, nisi metropolitanorum reficiamur assensu. De cetero quod ad honoris vestri spectat prærogativam, nullus a me hactenus nominatus, nullus adhibitus, nullus electus est: omnia censuræ tuæ salva, illibata, solida servantur. » Ex quibus compertum est metropolitanum Senonensem Agricium tunc temporis inter Gallicanos præsules dignitate & anctoritate præcelluisse. Post quam pluribus annis (32) hanc rexisset ecclesiam, ad Dominum migravit (anno 487 ex Ghinio in natalibus canonicorum) annuaque festivitate cultus die 13 Junii, sepelitur in æde S. Gervasii, unde ab Ansegiso transfertur in ecclesiam S. Petri. Cave, quæso, Agricium Senonensem, seu cum Antipolitano, seu cum Massiliensi confundas.

XIV. S. Heraclius.

S. Remigii coætaneus Heraclius, Remis adfuit dum Clodovæus lustralibus baptismatis aquis
496. ablutus est an. 496. Ipse forte est Heraclius, non Parisiensis, ut diximus, unus e tribus episcopis a quibus S. Remigius, circa an. 512, irrisum se conqueritur, quod fonti presbytero injunxisset pœnitentiam, quem deponere debuisset. Subscripsit testamento Theodechildis reginæ insigne monasterium in vico cui Vivus nomen in honorem S. Petri regali munificentia condentis. Erexit ipse prope metas hujus asceterii parthenonem S. Johannis Evangelistæ, ubi sepulturæ mandatus fuit. Inde corpus ejus plurimis nobilitatum miraculis cum reliquiis S. Pauli ejus germani in majorem S. Stephani basilicam translatum est, ubi in argentea capsa retro majus altare fidelium devotioni objicitur. Utriusque festum celebratur in ecclesia Senonensi VII id. Julii.

XV. S. Paulus.

Heraclii germanus Paulus, pari vitæ merito & signorum gloria Senonis inclaruit. Defunctus an. 14 Childeberti filii Clodovæi magni, ut volunt, hic est annus 525; cum eo apud S. Johannem sepultus est, & inde translatus in eadem cum fratre capsa quiescit, commemoratus uterque die 9 Julii.

XVI. S. Leo.

E tribus episcopis quibus inscribitur epistola S. Remigii de qua supra, Senonensis à nonnullis creditur Leo: sed quare ab æquo rerum æstimatore Heraclio Parisiensi, ut volunt, postpositus fuisset, suffraganeo metropolitanus? Et certe Orbatus presbyter Leonis vice primus inter procuratores subscripsit synodo Aurelianensi II,
533. an. 533, ipse vero præsens fuit III, an. 538.
538. Cum Childebertus rex Meleduni episcopalem
Chart. 1, col. 1. sedem instituere vellet, sive ob senectutem & infirmitatem Leonis, sive quod interclusis itineribus nec visitatorem mittere, nec ad Melodunenses accedere poterat Leo, miratus is quod absque jussu Theodeberti ejus ex fratre nepotis cui subjectus erat Leo, id tentaret Childebertus,

A ipsum deprecatus est ne hanc canonibus & ipsi faceret injuriam. Post mortem sepultus fuit Leo ad muros urbis in ecclesia SS. Gervasii & Protasii, in qua tot signis refulsit, ut antiquata priori nuncupatione in parochialem ecclesiam desiens, S. Leonis dicta sit. Verum exciso propter viciniam urbis monasterio Ansegisus in basilicam S. Petri corpus S. Leonis transtulit, ubi asservatur & colitur in diœcesi 22 Aprilis.

XVII. Constitutus.

Synodo Aurelianensi V anno 549 adfuit 549.
B Constitutus, & Parisiensi II an. 555, & IV 555.
an. 573, ubi cum aliis præsulibus enunciatur 573.
in ordinatione synodica ad Egidium Remensem qui temere Promotum ordinarat episcopum in castro Dunensi.

XVIII. S. Artemius.

Genere nobilis Artemius Eulosiam Deo sacratam virginem filiam habuit nondum episcopus, cujus ordinatio recolitur IX cal. Maii, facta vero fuit an. 579, currente litera dominicali A, inquit Cointius. Chirographo firmavit suo canones conciliorum Matisconensium I & II,
C annis 583 & 585, citaturque cap. 73 con- 583.
cilii Meldensis an. 845. Interfecto Prætextato 585.
Rotomagensi, a Guntranno rege delegatus est Artemius cum Verano Cabilonensi & Agrecio
Tricassino episcopis anno 586 ad Clotarium, 586.
ut cædis vindictam expeterent, auctore Gregorio Turonensi, hist. lib. VIII, cap. 31. Baldum publice pœnitentem benigne suscepit, sicque per injunctam pœnitentiam purgavit, ut ad sanctitatem mirabilem brevi eum perduxerit. Memoratur adhuc Artemius in chronico MS. ad annum 609, inquiunt Sammarthani. Corpus ejus in basilica S. Petri sepultum est, cujus festum sanctorum fastis adscribitur 23 Aprilis, & celebratur
D 28 mensis ejusdem qua die obitus ejus notatur in vetusto necrologio.

XIX. S. Lupus I.

SS. Aunacharii Autissiodorensis & Austremii Aurelianensis episcoporum ex sorore nepos Lupus, nobili sanguine editus parentibus Bettone & Austregildi al. Aiga vel Agia quam in ecclesia S. Aniani Aurelianensis coli testis est Helgaudus, in urbe Aurelianensi a teneris summo studio educatus, avunculorum cura inter clericos cooptatur; unde vivis exempto Artemio postulatur
E episcopus. Post mortem Theoderici regis, an.
613, a partibus Sigeberti filii strenue laudabi- 613.
literque stetit adversus Blidebodem qui Clotarianis copiis præerat. Clotarius autem obtento Burgundiæ regno, Farulfum ducem ad pagum Senonensem aliasque ordinandas provincias a latere suo direxit. Is ubi Senonas advenit, indigne tulit quod Lupus episcopus ipsi cum muneribus non occurrisset. Reponente episcopo sacerdotis esse alios regere & proceres ad episcopum accedere debere divinis ab eo præceptis instruendos, amplius inde exacerbatus Farulfus

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

sanctum antistitem fictis apud regem criminationibus insimulat, adjuncto sibi Madegisilo suburbani S. Remigii monasterii abbate qui pii episcopi sedem occupare moliebatur. Utriusque machinationibus commotus Clotarius sanctum antistitem in Vinemacum Neustriæ pagum relegari jussit sub custodia Bosonis Landegisili ducis pagani, qui cum in vico Andesagina sito ad flumen Aucium seu Augum, in actis S. Walarici Auvam, quod modo Breslam appellant, veteri nomine in oppidum Augum translato, stricte observari curavit. Erant adhuc eo in loco profana delubra quæ a decurionibus colebantur, haud dubie ipsius Bosonis jussu quem vir sanctus reddita cæco homini luce a paganismi tenebris ad veram Christi lucem adduxit & cum multis aliis baptizavit. Interea Senonenses gravate ferentes pastoris sui absentiam in basilica S. Remigii Madegisilum abbatem tanti facinoris reum trucidant. Florebat tunc temporis apud Tricasses Winebaudus basilicæ S. Lupi ejusdem urbis quondam episcopi abbas, quem ob eximiam sanctitatem apud Clotarium regem plurimum valiturum Senonenses non dubitabant. Hunc eorum impulsu & propria sponte adiit Ragnesilus Senonensis ecclesiæ archidiaconus, rogavitque suo & Senonensium civium nomine ut insontem episcopum Chlotario reconciliaret. Fecit vir sanctus quod rogatus erat. Regem adiit in villa regali Alento non longe ab urbe Rotomagensi. Rex facile a sancto abbate exorari se passus est, sanctumque antistitem ecclesiæ suæ restitui jussit
614. an. 614, data etiam ad Winebaudi preces reis cædis Madegisili abbatis, qui in carceribus tenebantur, libertate. Sic revocatus in sedem Lupus Senonas populo acclamante regreditur, ubi postquam pluribus præfuisset annis obdormivit in Domino calendis Septembris anni circiter 623 apud villam paternam Brienonem quam cum aliis prædiis ecclesiæ Senonensi legavit. Sepultus est uti ipse jusserat in stillicidio ecclesiæ S. Columbæ, ad pedes B. martyris, cujus virginis memoriam vivus piissime coluerat. Multum celebritatis loco accessit a tumulo & reliquiis S. Lupi, cujus die festo, id est calendis Sept. liberalitatis ejus memores canonici Senonenses in sacram ædem B. Columbæ quotannis conveniunt & singuli cereum ponderis unius libræ offerunt. Utriusque S. Lupi & S. Columbæ corpora e tumulis in quibus primum sepulta fuerant Venilo archiepiscopus postridie dedicationis S. Columbæ levavit x cal. Augusti 853; sed postea paganorum metu occultata in crypta ipsius basilicæ, per notitiam cujusdam veterani monachi detecta ab Archembaldo archiepiscopo iterum sunt levata an. 960. Hæc autem fere omnia desumta sunt e vita S. Lupi quam habes apud Bollandistas, t. II Sept. p. 248. Specialis est patronus caduco morbo laborantibus, inquit monachus Autissiodorensis in chronico.

XX. Mederius.

Post Lupum Senecio dant locum Sammarthani ex fide quarumdam schedarum quas nullis authenticis testimoniis subnixas fatentur; nos vero catalogo Fontanellensi inhærentes, Mederium substituimus, nec alium putamus à Richerio qui interfuit concilio Remensi sub Sonnatio archiepiscopo an. 625, teste Flodoardo, 625.
lib. II, hist. Remensis, cap. 5, tanta est in manuscriptis diversitas, tam varia legendi ratio. Cœnobium puellare S. Symphoriani in suburbano prædio condidisse fertur Mederius, ubi & sepultus est.

XXI. Hildegarius.

Subscripsit Hildegarius literis S. Eligii de fundatione cœnobii Solenniacensis datis x cal. Dec. anno 10 Dagoberti regis qui adscribi solet anno Christi 631. Ipse est haud dubie Ghil- 631.
degarius Senonicæ urbis episcopus qui legitur in subscriptionibus cujusdam privilegii indulti ad preces S. Faronis cœnobio S. Crucis circa 639; hujus instrumenti fragmentum tantum asservatur in bibliotheca S. Genovefæ, quod edidit Mabillonius, tom. IV, Annal. p. 752.

XXII. Annobertus.

Adfuit Annobertus, qui in catalogo Fontanellensi Aumbertus, Chlodovæo II donanti, anno regni 3, S. Baboleno abbati Fossatensi fiscum Brictonicum. Subscripsit anno eodem 640.
640 cum aliis episcopis donationi factæ eidem cœnobio a Blidegisillo diacono.

XXIII. Armentarius.

Synodo Cabilonensi circa annum 650 sub- 650.
scripsit Armentarius, qui 653 subscripsit privi- 653.
legio Chlodovæi II, & chartæ S. Landerici Parisiensis episcopi pro monasterio S. Dionysii. Sepultus est apud S. Remigium.

XXIV. Arnulfus.

Armentarium sequitur Arnulfus in catalogo Fontanellensi, quem præcedit apud chronographos. Ædificasse fertur Senonis ad radices montis Paronii seu S. Baldi juxta fluminis alveum puellare S. Medardi cœnobium, in quo sepeliri voluit.

Forte Annobertus & Arnulfus alii non sunt ab Honoberto & Honnulfo, filio & patre, de quibus legitur in pervetusto hagiologio Senonensis ecclesiæ: *Nonis Januarii Senonis depositio episcoporum Honoberti & Honnulfi ejusdem civitatis. Fuerunt autem pater & filius, Honobertus pater & Honulfus filius, & filius primum episcopus fuit. Requiescunt autem in ecclesia S. Desiderii, quæ est in suburbio Senonensi.* Uterque pater & filius colitur sub ritu duplici in hac ecclesia 28 Sept. assignatus in breviario anni 1702, nec tamen ullus utrique in episcoporum serie adscriptus est locus in catalogo Fontanellensi, nec adscribi posse videtur.

XXV. S. Emmo.

Suburbanis S. Petri & S. Columbæ monasteriis privilegia concessit Emmo seu Emmus anno 3 Chlotarii regis, hic est 658. Subscripsit 658.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

privilegio Bertefridi Ambianensis episcopi pro monasterio Corbeiensi an. 663. Senonis excepit
663. & fovit Hadrianum comitem Theodori Cantuariensis episcopi nominati Roma in Angliam
668. missum an. 668. Memoratur in chartis Fonta-
671. nellensibus ad annum 671. Vixit ad 675 &
675. sepultus est in monasterio S. Petri vivi in oratorio SS. Stephani & Benedicti.

Ac proinde exsulant omissi in catalogo Fontanellensi tum Gundelbertus qui Senoniense in Vosago monasterium Childerico rege construxit, tum Amatus quem Sedunensium non Senonensium episcopum fuisse ait Hucbaldus monachus, in libro de vita S. Rictrudis. Amatus tamen colitur sub ritu duplici in ecclesia Senonensi die 13 Sept. cujus os insigne illuc Duaco, anno 1687, transmissum est.

XXVI. Landeberchtus.

Conventui episcoporum in palatio Marlaci habito adstitit Landeberchtus, in quo Chramlinus Ebredunensis antistes sede sua dejectus fuit mense Sept. anno 5 Theoderici regis, Christi
678. 678. Sepultum volunt ad S. Petrum, & coenobium monialium Benedictinæ regulæ construxisse sub invocatione S. Mauricii ad pontem Icaunæ qui urbi adjacet.

Diplomat. l. VI, n. 10.

XXVII. S. Wlframnus.

Wlberti viri nobilis filius Wlframnus in vico pagi Wastinensis * Mauriliaco, agro paterno natus est, quem Fontanellæ monasterio postea donavit. Clericus primum in aula Chlotarii ac Theoderici, curam ecclesiastici ordinis egisse traditur, tum ad episcopatum Senonensem promotus Landeberchto successit. Adfuisse creditur placito Chlodovæi III pro Baldana curte in agro
693. Bellovacensi anno 693. Privilegium ab Emmone decessore monasterio S. Columbæ concessum, cum aliis episcopis confirmavit an. 1
695. Childeberti regis, 695. Post aliquot regiminis annos, Pipini principis temporibus, dimisso episcopatu Fontanellam accessit ibique monasticas vestes suscepit, Goerico in locum suum suffecto. Dein comitibus ab Hildeberto abbate acceptis in Frisiam profectus est, ubi multos tum liberos, tum etiam nobiles a cultu simulacrorum ad christianam fidem adduxit & baptizavit, in primis Rodbodi Frisiorum ducis filium & Ovonem postea Fontanellensem monachum & egregium scriptorem, quo narrante Wlframni vitam scripsit Jonas monachus & ipse Fontanellensis. E Frisia Fontanellam reversus, monasticam professionem firmavit, tumque patenam e pelago eductam una cum suo calice aliisque instrumentis sacris Fontanellensi ecclesiæ largitus est. Frisiam enim repetiit non semel, ex qua tandem senio confectus ultimo Fontanellam se recepit post obitum Radbodi, hoc est 719, ibique permansit usque ad mortem quæ contigit XIII cal. Aprilis 720. Unum obest chronologiæ nostræ chronicon Fontanellense, in quo S. Wlframnus e basilica S. Pauli, ubi 11 annis jacuerat in ecclesiam S. Petri translatus legitur cum

** Milly.* *Ibid. p. 475.*

A SS. Vandregisilo & Ansberto anno 704 XIII cal. Aprilis. « Verum, inquit Mabillonius, errat passim annorum & temporum in rebus Fontanellensibus calculus, quem ad rectam computandi rationem reducere vix quisquam possit. » Deinde anno 704, quo translatio hæc facta est, mortuus nondum erat Wlframnus, qui defuncto anno 719, Radbodo supervixit, oculato teste Ovone. Præterea translationem S. Wlframni non solum ut seorsim factam a translatione SS. Wandregisili & Ansberti, sed etiam alio die ac mense, nempe idibus Octobris confirmant varia marty-
B rologia ab Henschenio citata. Denique auctoritatibus opponi possunt auctoritates, chronico Fontanellensi vita S. Wlframni a Jona conscripta, auctores auctoribus Cointio nempe & Pagio Mabillonius & Johannes Stiltingus.

a Annal. t. I, p. 579. *Act. SS. Bened. S. III, P. I, p. 357 & 363.* *Bolland. Mart. t. III, p. 144.* *Iidem Aug. t. VI, p. 95.*

Sepultus primo sanctus Wlframnus in ecclesia S. Pauli, a dextris S. Vandregisili, inde translatus est in basilicam S. Petri an. 728, ubi integerrimum a Gerardo abbate inventum corpus, in ligneo primum locello super altare reconditum, tum ab Imma nobili matrona argentea theca inclusum solemniter in basilica S. Vandregisili repositum est anno 1027: unde sæviente lue
C anno 1053 Rotomagum delatum fuit. Variæ subinde leguntur sancti corporis delationes seculo XIII atque etiam XV, quæ stare vix possunt aut conciliari cum authenticis instrumentis apud Abbatis villam superstitibus. Inibi enim Richardus Ambianensis episcopus corpus S. Wlframni archiepiscopi & confessoris temporibus Willelmi comitis Pontivi in eadem capsa argentea reposuit an. 1205 in ecclesia ejusdem fundata ineunte seculo XII, in eaque invenit ejusdem sancti vitam a Jona conscriptam. Hanc quoque anno 1662 21 Maii aperuit Franciscus *Faure* Ambianensis episcopus & deprehendit schedulas tum Richardi
D episcopi, tum Willelmi comitis, suo utramque munitam sigillo integro, unaque cum circumstantibus vidit omnia ossa corporis humani eaque solida & integra, qualia fere a Gerardo abbate collocata primum fuerant. Jam tum an. 1635 brachii ossis particulæ Ludovico XIII Francorum regi & Senonensi capitulo donatæ fuerant, huicque ultimo vertebra anno 1641. S. Wlframni festum sub ritu duplici celebratur 16 Octobr. in ecclesia Senonensi, cujus honori proprios cantus forte ad preces Abbavillensium aptavit Ingelramnus abbas Centulensis, defunctus an. 1045.

E XXVIII. Goericus.

Goericus qui in catalogo Fontanellensi Giricus, passimque Gericus & Guericus, Tornodori nobili stirpe natus, S. Ebbonis successoris avunculus, cedente Wlframno, ab eodem cathedram adipiscitur. Subscripsit privilegio quod Agirardus Carnotensis episcopus concessit monasterio S. Mariæ ad Ligerim anno 696, ex quo innotescit S. Wlframni ætas & Goerici, qui defunctus, regnante adhuc Childeberto III, jacet ad S. Petrum vivum cum S. Ebbone. Commemoratur in pluribus martyrologiis ad

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

diem 20 Martii, qui 29 ejusdem sanctus appellatur in MS. Florario.

XXIX. S. Ebbo.

Tornodori Burgundiæ castro oriundus Ebbo, non minus virtutibus quam parentum nobilitate clarus extitit. Egressus ex ephebis, post navatam literis operam, Tornodorensis pagi administrationem quasi hereditario jure sibi debitam coactus populi interpellatione cepit. Sed superatis his impedimentis, monasterium S. Petri ingreditur. Admissus in monasterio novus tiro, brevi perfectissimi monachi numeros sic implevit, ut decedenti abbati Viraiboldo universorum calculis B suffectus sit. Non diu talem ac tantum rectorem apud se retinere potuerunt ejus loci monachi, nam paulo post cum Senonensis sedes morte Goerici episcopi vacua erat, ejus locum abbas religiosissimus subire coactus est regnante Childeberto III, ut probant literæ Ingoaræ ejus sororis pro monasterio S. Petri, quibus Ebbo jam episcopus subscribit anno 1 Dagoberti regis ipsius Childeberti filii ac proximi successoris. Paternum Sessiaci monachum a latronibus interfectum in loco Serginiæ proximo honorifice sepelivit. Interfuit conventui Tulpiacensi, an.
722. 722, cum Sarraceni post vastatam maximam C partem Galliarum urbem Senonum obsiderent
725. anno 725, aut, ut Mabillonio placet, an. 732,
732. Ebbo decrevit animam suam solus dare pro ovibus suis. Igitur accedit ad hostes, qui versi in fugam mutuo sese interfecerunt & ab irruentibus Christianis oppressi sunt. Pace reddita, Ebbo in solitudinis portum se recipere cupiens, ubi soli Deo animæque suæ saluti totus intentus ad imminentem exitum se accingeret, in villam quæ Arcea dicitur, sexdecim ab urbe Senonum millibus passuum distantem, duabusque ecclesiis nempe S. Mariæ & S. Michaelis illustrem secessit, ubi orationi & abstinentiæ deditus, ita D carnem spiritui subjecit, ut jam cœlestem in terra vitam agere videretur. Attamen quamvis sic speculationi deserviret, ne plebs sibi commissa famem verbi sentiret, semper dominicis diebus ad sedem revertebatur, ut & officium altari debitum celebraret, & populum cœlesti dogmate illustraret, & sacris benedictionibus confirmaret. Hactenus in colle Arceæ proximo visitur vestigium speluncæ, in qua vir sanctus delituisse traditur, ad cujus radicem aquæ vena fluit a febricitantibus celebrata. Ex hoc loco in cœlum abiit Ebbo VI cal. Sept. anno 750, ex chronico S. Petri vivi, & ex scriptore ejus vitæ apud E Mabillonium, attamen anno incerto ex ipso Mabillonio in Annalibus, & ex aliis duabus vitis apud Bollandistas. Sacrum ejus corpus delatum est in monasterium S. Petri, ubi monasticen professus fuerat, sepultumque in oratorio beatæ Mariæ juxta duas ipsius sorores Ingoaram & Leoteriam. Demum post ducentos & amplius annos e tumulo levatum fuit a Sevino archiepiscopo tempore Reinardi abbatis ejus nepotis, inventaque integra est infula seu casula sacerdotalis, qua corpus ejus obvolutum erat, hactenus

Act. SS. Bened. sec. III, P. I, p. 652. August. t. VI, p. 95.

A in eodem monasterio asservata cum ejus corpore, excepto capite quod possident Cœlestini Meduntenses. S. Ebbonis festum sub ritu duplici celebratur in ecclesia Senonensi 27 Augusti.

XXX. Merulfus.

Ebbonem in catalogo Fontanellensi sequitur Merulfus, qui ad aliam statim translatus fuisse dicitur ecclesiam.

XXXI. Arthbertus.

Arthbertus seu Ardobertus à S. Bonifacio Moguntinensi archiepiscopo per Senonensem B metropolim constitutus & ordinatus, in concilio Liptinensi an. 743, a Zacharia papa confirmatus est, eodemque anno ad eum missus ut 743.
tam Bonifacii quam Carolomanni & Pippini scripta deferret, quibus summum pontificem rogabant ut tria pallia tribus metropolitanis, Rotomagensi, Remensi & Senonensi dirigeret, *quod & largiti sumus*, inquit Zacharias. Verum Bonifacius qui primum pro tribus metropolitanis pallia tria postulaverat, alteris paulo post mense Augusto anni ejusdem datis literis, pro solo Rotomagensi postulavit, quia, ut vult Pagius, ad hunc annum n. IX, nec Abel in urbe Re- C mensi, nec Arthbertus in Senonensi admissi fuerant, eosque idcirco pallio insigniri abs re fore existimavit. Quare Pippinus anno sequenti 744 in concilio Suessionensi canone tertio, rursus constituit ut uterque in possessionem induceretur episcoposque in utraque diœcesi instituit, quibus injunctum ut suis metropolitanis subjecti essent, cum Zacharias papa jam illis pallia misisset, & metropolitanam auctoritatem concilium Suessionense firmatam vellet. *Verum frustra*, pergit Pagius, *neuter enim unquam admissus fuit.* At de Abele verum quidem illud sit, per nos licet; non ita de Artberto: quas enim adversus eum D affert rationes, pro eo militant, quippe qui in catalogo Fontanellensi inter Merulfum & Lupum reponitur, suumque in omnibus catalogis locum habet.

XXXII. Lupus II.

Placito Attiniacensi anno 765 adfuit. 765.

XXXIII. Wilharius.

Wilcharius episcopus cum Dodone & Wichardo a Pippino rege ad Paulum summum pontificem missi sunt sub initium anni 767 767.
oratores ut ex eo rescirent sibine a rege Lon- E gobardorum Desiderio satisfactum fuisset. Wilcharius autem idem est Cointio ac Wilharius. Certe tunc temporis plures erant ejus fere nominis episcopi. At Wilharius Senonensis metropolita cum aliis undecim Franciæ episcopis missus est ad concilium Romanum an. 769 a Ste- 769.
phano III in basilica Lateranensi celebratum. Roma rediens obtinuit ab abbate S. Mauricii Agaunensis corpus S. Victoris martyris, quod post varias sedes Sevinus tandem restituit majori basilicæ Senonensi. Idem conventui Carbonacensi adstitit an. 771 ex Cointio, & Roma 771.
reversus

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

reversus orator regis Caroli an. 777, adstitit A
concilio Patris-Brunnæ anno 9 Caroli, in quo
777. confirmatum initum inter Angelramnum episcopum Mettensem, Wilharium archiepiscopum
Senonensem & Fulradum abbatem S. Dionysii
pactum de rebus suis propriis in loco qui dicitur
Salona. Denique ipse est Wicharius archiepiscopus provinciæ Galliarum, cui Adrianus I
dedit facultatem examinandi Egilam, & si idoneum reperiret, consecrandi episcopum Illiberitanum, ut docet ejusdem pontificis epistola inscripta omnibus orthodoxis episcopis per Spaniam,
quæ est in codice Carolino 97. Ejusdem Wi-
Ferreras 780. charii archiepiscopi provinciæ Galliarum & li- B
Longueval 775. centiæ ipsi datæ de qua supra, meminit Adrianus
in epist. 96 Carolini codicis. Funeratus est Wilharius in S. Petro.

XXXIV. Godescalcus.

Jacet in monasterio S. Petri in capella quæ
nunc S. Remigii dicitur.

XXXV. S. Guntbertus.

Dignissimæ vitæ vir Guntbertus & clarus
miraculis, in MS. S. Petri obiisse dicitur anno
sui pontificatus septimo & in monasterio S. Petri
sepultus. Cum autem ab omnibus & MSS. & C
editis auctoribus hoc ordine reponatur, diversus
proinde est a S. Gundelberto episcopo qui seculo
septimo medio monasterium Senoniense in Vosago ædificavit. Et certe nulla fit ejus in eremum
secessus mentio nec in antiquioribus chronicis,
nec apud Democharem & Chenutium. Deinde
tam in præcepto Childerici regis an. 661 quam
in privilegio Ottonis 949 pro monasterio Senoniensi dicitur simpliciter Gundelbertus episcopus, in ultimo vero *quidam Gundelbertus*
episcopus monasterium in loco Senonico construxisse. Nec ausus est Mabillonius ipse asserere
Gundelbertum Senonum fuisse antistitem, sed D
Annal. t. I, p. 462. *ut perhibent*, inquit, *& si vere Senonum episcopus
& non potius chorepiscopus fuit.* Celebratur in
florario sanctorum calendis Martii.

XXXVI. Petrus I.

Nec nos definire audemus epistolam 76 codicis Carolini intelligendam de Petro Senonensi,
qui a Carolo rege missus ad Adrianum, ab ipso
ordinatus fuerit, in qua rogat Carolum Adrianus
ut amplius eum exltare dignetur. *Sic enim decet*,
inquit, *ut qui ab apostolica sede ordinatus fuerit*,
omnibus in honore catholicæ institutionis, sicuti mos E
antiquitus fuit, partibus illis præcellat. Defunctus
787. Petrus anno 787, ut volunt, sepelitur apud
S. Petrum.

XXXVII. Willebaldus.

Ab Adriano quoque consecratum fuisse Willebaldum tradunt Sammarthani; nec mirum,
tanta Carolum inter & Adrianum intercedebat
792. necessitudo. Defunctum dicunt 792. Tumulatus
est ad S. Petrum, commune tunc temporis præsulum Senonensium sepulcrum.

ANNI CHRISTI

XXXVIII. Berradus.

Berradus, qui Berardus, Beraldus, Berneradus
& Beornredus archiepiscopus Senonensis, creatus
an. 792 ex chronicis Senonensibus, & rector Ampliss. coll. t. I, col. 47.
monasterii Epternacensis, obtinuit a Carolo
magno confirmationem donationis factæ huic
monasterio a Carolomanno. Huic vitam sancti
Willibrordi Trajectensis episcopi & fundatoris
monasterii Epternacensis, cujus e stirpe descendebat uterque, ejusque jussu conscriptam nuncupavit Alcuinus. Berneradus autem Senonensis
archiepiscopus, postquam 20 annis Epternacum
rexisset, 27 anno magni Caroli regis, Incarnationis vero Domini 797, indict. v. Adonem 797.
abbatem reliquit sibi successorem. Ita legitur in Ibid. tom. IV, col. 505.
brevi chronico Epternacensi apud Martenium.
Depositum volunt in basilica S. Petri vivi.

XXXIX. Ragembertus.

Ragembertus, Rainbertus & Rambertus prosapia inclytus anno 3 Leonis III papæ consecratus
fuit, hic est Incarnationis 798. Frodobertum 798.
successorem Berthemari abbatis S. Petri confirmavit. Ejus tempore Aspasia nobilis matrona
duo puellarum cœnobia apud Senonas condidit
unum intra muros S. Maximino Trevirensi
episcopo sacrum, ubi per longa tempora sanctitas
& religio viguisse dicitur, alterum extra muros
sub titulo sancti Hilarii Pictaviensis episcopi:
utrumque lapsu temporis in Paræcialem ecclesiam
conversum. Humatur Raimbertus apud sanctum
Petrum in capella S. Remigii.

XL. Magnus.

Dum Romæ in comitatu Caroli magni degeret Magnus, a Leone III consecratus fuit an.
801. Senonas reversus, in monasterium sancti 801.
Petri divertit, unde in crastino usque ad templum
majus B. Stephani cum hymnis & canticis a
populo & clero deportatus fuit, qui mos in
hodiernum usque diem Senonis observatur: ita
codex 105 Thuaneus. A Carolo imperatore
cum Godefrido comite Missus Dominicus est
ad Aurelianos, Trecas, Lingonas, Vesontionem
& Augustodunum an. 802. In probationibus 802.
tomi II edidimus, col. 2, literas formatas Ebroini
Bituricensis archiepiscopi ad Magnonem Senonensem archiepiscopum pro Dadoberto presbytero datas an. 810. Caroli magni literis pulsatus 810.
Theodulfum Aurelianensem antistitem impulit
ad scribendum librum de ordine baptismi, quem
Theodulfus Magno dicavit, & Magnus Carolo
an. 812. Huic etiam dicavit quas in juris scientia 812.
peritissimus notas collegerat: vicissimque Carolus
imperator Magni in gratiam basilicæ S. Stephani
villas, prædia, ornamenta varia pretiosissimasque
Sanctorum reliquias donavit. Caroli filius Ludovicus Pius Magno direxit an. 817 exemplar 817.
regulæ canonicorum ex synodi Aquisgranensis
consulto, præcipiens eam in provincia sua observari. Magni adhuc jussu vita S. Severini abbatis
Agaunensis, a Fausto ejus discipulo scripta, ab
anonymo correcta fuit. Mortuus est anno 818,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

sepultusque in ecclesia quam in honorem Salvatoris ædificaverat in vineis pro canonicorum sepultura. Hæc ecclesia canonicis regularibus S. Augustini procedente seculo duodecimo concessa est.

XLI. Hieremias.

Referendarius seu cancellarius erat Hieremias anno 13 imperii Caroli magni, ex Corbeiensi diplomate. Inde monachus & thesaurarius Centulensis S. Richarii monasterii, timore Normannorum qui in Pontivensi pago tunc temporis grassabantur, reliquias a Carolo magno Centulæ donatas secum asportavit & Senonas ad monasterium S. Columbæ detulit, cui cum Centulensi a tempore Guelfonis abbatis inerat societas. Dum ibi moraretur, Magno an. 818 defuncto, homo nobilis, nec solum claustrali sed etiam seculari præditus prudentia, valde eloquens & in omni philosophia studiosus Hieremias a clero & plebe universa electus est archiepiscopus. Ordinatus autem in ecclesiam S. Stephani translulit reliquias quas de S. Richario detulerat. Cum autem valde familiaris esset regi, obtinuit ab eo ut abbatia S. Columbæ, quam antecessores sui nuper perdiderant, esset sub tuitione archiepiscopi Senonensis, unde suspicamur ab Hariulfo dictum ejusdem loci abbatem, de quo ne hilum quidem apud Clarium, nisi forte rector fuerit sub Jacobo abbate canonico. A Frodoberto S. Petri abbate requisitus cellam apud Arvernos in honorem S. Petri ædificavit an. circiter 822, in proprio ejusdem cœnobii fundo, quem Theodechildis ejus conditrix & Basolus Arvernorum comes ad stipendia monachorum ei contulerant. Locus Mauriacus dictus, ab Hieremia Noviacus, priscum hactenus vocabulum retinet. Illic monachi regulares ex abbatia S. Petri instituti sub custodia Frodoberti abbatis ejusque successorum, qui villas & ecclesias eidem abbatiæ in Aquitaniæ pagis Arvernico & Lemovicensi subjectas administrarent. Hieremias quoque & cum eo Frodobertus abbas privilegium a Ludovico Augusto impetrarunt de eadem cella omnibusque appendiciis S. Petri. Imperator idem Hieremiæ ad preces archiepiscopi Senonensis auctoritatem confirmavit in monasteria diœcesis xv calendas
822. Junii 822. Eodem anno cum Donato comite a Ludovico Augusto Senonas est Missus Dominicus, & triennio post cum Jona Aurelianensi Romam delegatus est ad Eugenium II papam, ut ad eum deferrent collationes ex libris SS. Patrum de cultu imaginum, quas in conventu Parisiis
825. habito, cui adfuerant an. 825, ipsi consarcinarant. Extant tom. VI Bouquetii, p. 341 & seq. commonitorium Ludovici Pii ad eos ea de re & epistola quam ipse scripsit ad Eugenium II. Memoratur in diplomate Ludovici & Lotharii imperatorum pro monasterio Miciacensi anno 825. Privilegia adhuc obtinuit a Ludovico Pio
827. VII idus Maii & x cal. Junii, imperii XIII vel XIV, pro ecclesia Senonensi & monasteriis ejusdem adversus judiciarias potestates, inter quæ illud eminet maxime venerandæ antiquitatis

Spicil. t. IV, p. 519.

Ibid. t. II, p. 709.

Charta II, col. 2.

A monumentum autographum in archivis ecclesiæ Senonensis asservatum, quod inter ejusdem ecclesiæ instrumenta non potuimus edere, quia ipsius copia nobis nondum fuerat facta, factam autem postea eo loci inserimus in gratiam studiosorum & cupidorum hujusmodi tabularum, & quod in aliis scriptoribus desideretur, qui Ludovici pii diplomata vulgaverunt.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hludovicus divin . . . .
. . . . .
nostre munere loca Deo dicata venerabiliter . . . .
B *& a secularium tumultibus negotiorum immunia & quieta reddere . . . .*
qui in eisdem locis adunati ob servitutis ejus . . . .
. . . . . degere noscuntur, eisque ad famulandum superna pietati opor . . . . a justo judice & retributore omnium Domino qui redditurus est singulis secundum opera sua. & bona temporalia conservari & multiplicari & repositam nobis coronam . . . . præmia rependi fideliter indubitanti mente confidimus. Igitur noverit omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum benivolentia, quia vir venerabilis Hieremias sanctæ ecclesiæ urbis Senonicæ archiepiscopus, quæ est
C *constructa in honore beatæ & gloriosæ semper virginis Mariæ genetricis Dei & Domini nostri Jesu Christi, necnon & beati Stephani protomartyris & beati Johannis-Baptistæ, obtulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis nostræ quam ante paucos annos tempore antecessoris ipsius Magni archiepiscopi eidem ecclesiæ tuitionis causa præcepimus fieri, necnon etiam immunitatem domni & genitoris nostri Karoli piissimi Augusti atque prædecessorum nostrorum regum videlicet Francorum, in quibus continebatur insertum, quia eandem sanctam ecclesiam a longinquis & antiquis temporibus sub defensionis tutela cum omnibus rebus ad se pertinentibus, cum*
D *monasteriis & cellis tam virorum quam feminarum, cumque agris & villis & reliquis possessionibus, cum familiis omnibus vel ingenuis hominibus super terram ejusdem episcopii commanentibus consistere fecissent, sed pro rei firmitate postulavit serenitatem nostram memoratus Hieremias archiepiscopus, ut præfatas auctoritates tempore ipsius hujusmodi nostra præceptione ob amorem Dei & reverentiam Sanctorum in quorum honore eadem sancta fundata constat ecclesia, & nostræ mercedis augmentum confirmaremus. Cujus petitionibus libenter assensum præbuimus & hoc nostræ tuitionis atque immunitatis preceptum erga eandem ecclesiam pro divini cultus*
E *amore & animæ nostræ remedio fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut memorata sancta Senonica ecclesia sub defensionis & immunitatis nostræ tutela pleniter consistens cum monasteriis & cellis tam virorum quam feminarum, idem monasterio monachi beatæ & sanctæ virginis Columbæ, quod eidem episcopio per auctoritatis nostræ confirmationem nuper addidimus, & cum cæteris cellis in quibus monachorum turbæ supernæ pietati famulantur, id est cella sancti Petri, cella sancti Johannis, cella sancti Eracli, cella sancti Remigii, & ultra Ligerim in pago Arvernico cellam in honore sancti*

ANNI CHRISTI

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

*Petri quam idem episcopus ædificare cœpit in loco cujus vocabulum est Noviacus. Cellis etiam feminarum in eadem urbe constitutis, id est * cella sancti Maximini, & cella sancti Hilarii, vel loca quæ sunt sanctæ Mariæ Virginis in territorio Wastinense constituta, & in eodem pago castro Nantoni cella sancti Severini, similiter & in pago Milidunense loco Miliduno ecclesiæ beatæ Mariæ semper virginis & beati Stephani protomartyris, cum cellis, vicis, agris, & aliis quibuslibet locis ad eandem ecclesiam aspicientibus, similiter in cæteris pagis & territoriis tam intra Ligerim quam ultra Ligerim. In Aquitania res omnes ad memoratum episcopium pertinentes, in quibuscunque regnis aut provinciis vel pagis nostri ditioni imperii nobis a Deo conlati subjectis conjacentes, ut præmissum est, jubemus atque statuimus ut sub integra immunitatis defensione per hujus nostræ imperialis auctoritatis confirmationem ab omni strepitu & judiciariæ potestatis impulsione adeo libera & secura esse decernimus & præcipimus ut nullus judex publicus, vel quislibet judiciariæ potestatis auctoritate suffultus, in ecclesias, aut loca, vel agros seu reliquas possessiones quas moderno præsentive tempore in quibuslibet pagis vel territoriis intra ditionem imperii nostri juste & legaliter prafata tenet ecclesia vel possidet, vel in ea quæ deinceps ipsius ecclesiæ dominio divina pietas augeri voluerit ad causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, aut fidejussores, aut homines ipsius ecclesiæ tam ingenuos quam servos super ejusdem terram commanentes sua temeritate distringendos, nec ullas redibitiones, aut inlicitas occasiones requirendas, nec teloneos, nec bannos, nec rotaticos, sive portaticos, aut ripaticos tollendos nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat: sed omnia quicquid de prædictæ rebus ecclesiæ * jussisti exigere poterat ad integrum eidem concedimus scilicet matri ecclesiæ ut perpetuo tempore ad peragendum Dei servicium ipsi augmentum & supplementum fiat. Et liceat memorato præsuli suisque successoribus res prædictæ ecclesiæ cum supra memoratis monasteriis vel cellis sibi subjectis, & rebus omnibus vel hominibus ad se aspicientibus vel pertinentibus sub tuitionis atque immunitatis nostræ plenissima defensione remota totius judiciariæ potestatis inquietudine quieto ordine possidere & nostro fideliter parere imperio atque pro incolumitate nostra conjugis ac prolis seu etiam totius imperii a Deo nobis concessi, & ejus clementissima miseratione per immensam annorum seriem conservandi una cum clero & populo sibi subjecto divinam clementiam exorare, cujus temeratorem si repertus fuerit contra hanc a nobis constitutionem ob amorem Dei & supernæ patriæ desiderium plenissime confirmatam ausu nefario perrupisse, & ea quæ a nobis piissime decreta vel roborata sunt violasse, sexcentorum solidorum auri cocti pœna percellat, ut illius exemplo malignorum omnium compressa temeritas discat inviolabiliter conservare quicquid a nobis pietatis studio constat statutum. Continebatur etiam in eisdem præceptionibus qualiter per negligentiam & invidiam rectorum & ministrorum ejusdem Senonicæ ecclesiæ*

* Vel idem pro item.

* Hic & quibusdam aliis in locis videtur lapsus amanuensis.

A *strumenta cartarum deperissent, & quia dominus & genitor noster Karolus-Augustus ad petitionem Gunberti episcopi eandem relevasset jacturam. Nam pietatis opus etiam nos ut dignum est in omnibus amplectentes benigno animo jamdudum ad petitionem Magni archiepiscopi firmavimus; ita videlicet ut rectores ipsius ecclesiæ sive res & mancipia quæ in eisdem cartarum strumentis perierant, sive quæ postea eidem conlatæ fuerant ecclesiæ in jure & potestate ipsius omni tempore firmiter consisterent. Ob firmitatem tamen rei postulavit Hieremias venerabilis archiepiscopus mansuetudinem & clementiam nostram ut easdem auctoritates propter amorem Dei & nostræ* B *mercedis augmentum nova iterum confirmatione roboraffemus. Cujus precibus benigne adquievimus, & hac nostra auctoritate jubente statuimus ut si forte super eisdem rebus appellatis jam sæpe dictæ ecclesiæ moderno tempore jure possessis, vel antequam prædicta strumenta cartarum deperissent, questio orta fuerit, ut legaliter in foro disceptari necesse sit. Ita per hanc nostram auctoritatem eædem res & mancipia ipsarum ecclesiarum defendantur, sicut per eadem strumenta si perdita non fuissent defendi poterant. Hanc quippe auctoritatem ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & cunctis in futurum temporibus ab omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus* C *& nostris inviolabiliter conservetur manu propria subter firmavimus, & anuli nostri impressione sigillari jussimus.*

Data VII idus Maii anno Christo propitio XIII, imperii domni Hludovici piissimi Augusti indictione IIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Hieremiam accuratissimum rhetorem vatemque in nostra Jerusalem appellat Amalarius, postulans ab eo rationem cur scribatur Jhesus per aspirationem. Mortuus est Hieremias VII id. Dec. ex chronicis, ac proinde anno 827 *, nam D anno sequenti 828 mense Februario habitus est Aquisgrani conventus, in quo imperatores ad placandum contra se suosque subditos Domini furorem, in quatuor imperii locis conventus fieri decernentes, de Parisiensi sic loquuntur: *Secundo quoque in Parisiorum urbe, ubi futurus antistes Senonicus & Ebbo, &c. conveniant.* Vacabat ergo sedes Senonensis, defuncto scilicet Jeremia, qui sepultus est in monasterio sanctæ Columbæ.

Spicil. tom. VII. p. 164.

XLII. S. Aldricus.

Hieremiæ defuncti in locum Senonenses cle- E rici obtenta ad preces Hilduini abbatis ab imperatore eligendi licentia suffecerunt ex suis unum qui ab imperatore pleniter receptus non est. Itaque cum Hilduino deprecante alterius eligendi facultatem impetrassent, elegerunt hominem ex suis a puero sibi bene notum, genere & moribus non infamem, docilem ætate, huic officio congruum, literarum non usquequaque ignarum, divinæ scientiæ non penitus expertem, aliisque etiam artibus leviter tinctum, quem

* 820 Heremias Senonicæ ecclesiæ archiepiscopus diem obiit septimo idus Decembres. *Chronic. Lemov. MS. Labb. t. I, p. 333.*

ANNI CHRISTI

ANNI CHRISTI

cum Missis Dominicis obtulissent, plena cum benevolentia non receperunt, qua de re conquesti, tres ad Judithum imperatricem Hilduinum & Eginhardum abbates epistolas dedit ecclesia Senonensis, ut ipsis liceret electum suum ad imperatorem deducere. Verum probatus fuisse non videtur imperatori electus a Senonensibus, nutu enim divino, inquit Clarius, seu jussu Cæsaris Ludovici juxta Lupum, Aldricus ex abbate Ferrariensi factus archiepiscopus Senonensis in concilio Parisiensi an. 829 VIII id.
829. Junii ordinatus est. Statim de sua electione Frothario Tullensi episcopo scripsit ad præsidium precum ipsius & amicorum implorandum. Circa id tempus Heribaldi Autissiodorensis episcopi electionem procuravit. Parisiensi autem in concilio cum mandatum fuisset Aldrico & aliis, ut de primaria monasterii S. Dionysii in Francia vivendi ratione diligenter inquirerent, id fecit Aldricus, eaque de re imperiale dedit præceptum
832. Ludovicus VII° cal. Sept. 832; subscripsit partitioni bonorum monachis S. Dionysii ab Hilduino abbate factæ XI cal. Febr. 832. Circa id tempus cum pro magnis negotiis ad urbem Parisiorum venisset, Fossatensis monasterii ecclesiam novam in honorem B. Mariæ dedicavit VII id. Dec. ad preces abbatis Benedicti, qui eam construxerat. Ad propria reversus Aldricus, dum pro foribus cathedralis ecclesiæ subsisteret, Marrymundum civitatis custodem superbos spiritus præ se ferentem repressit monachûmque fieri persuasit. Monasterium S. Remigii in suburbio civitatis constructum, ubi propter importunitatem loci regulam S. Benedicti observare minus poterant monachi, ad Vallilias transtulit de consilio multorum episcoporum & abbatum a se congregatorum apud Senonas tempore exauctorationis Ludovici pii, qui restitutus hanc ratam
835. habuit translationem an. 835: hoc autem anno adfuit concilio Theodonis villæ pro causa Ebbonis Remensis archiepiscopi. Ecclesiam sancti Florentini in castro cognomine ad Armentionem fluvium dedicavit die Dominica nonis Maii
836. 836. Ludovico Augusto addictissimus semper ac acceptissimus fuit Aldricus, qui præceptorem Palatinum eum instituerat, ut vitæ imperialis aulæ & majora negotia suæ discretionis arbitrio definirentur. Hunc quoque miserat cum aliis ad evitandas abbatem inter & monachos Flaviniacenses de bonis cœnobii discordias. Metuens autem Aldricus ne secularium negotiorum turbis religionis suæ meritum imminueretur, pastoralis sollicitudinis curam abjicere decrevit & ad pristinæ contemplationis quietem ac portum reverti. Verum lethali morbo correptus, quem sibi supremum fore intellexit, quod unum sibi reliquum erat, corpus suum ad cœnobium Ferrariense deferri præcepit, ibique in stillicidio ecclesiæ humari, quod post ejus obitum factum est, qui contigit VI id. Oct. 836 *, ut constat

Chart. III, col. 3.

* Erravimus ergo in assignanda Fossatensis ecclesiæ dedicatione an. 839, tom. VII, col. 282, quæ Benedicto, non Ingelberto abbate facta est; sicut in memorando concilio Senonensi an. 840. tom. VIII, col. 1543, quod aliud non est ab eo in quo translati monachi S. Remigii ad Vallilias.

A tum ex ejus actis, in quibus anno 775 natus esse dicitur, & decessisse anno ætatis 61; tum ex epistolis 6 & 41 Lupi Ferrariensis, qui ex academia Fuldensi regressus defunctum Aldricum reperit, eodemque anno in præsentiam Imperatoris adductus, & sequenti, hoc est X cal. Octob. indictione prima, quæ anno 837 respondet, ad palatium regina evocante accessit. Defunctus autem Aldricus statim ferrariis in stillicidio juxta oratorium beati Andreæ in lapideo tumulo quem sibi vivus paraverat honorifice sepultus est, dum sacrum ejus corpus miraculis ad ejus tumulum factis in interiorem S. Petri
B basilicam illatum est, & in exedra sublimiori collocatum, ut tradit anonymus scriptor non spernendæ auctoritatis. Sanctus prædicatur ab Odoranno & Clario ante annos sexcentos, coliturque in ecclesia Senonensi die sexta Junii, quæ dies ordinationis ejus videtur esse; at decima Octobris in monasterio Ferrariensi, ubi sacræ ejus reliquiæ anno 1569 a furentibus Calvinistis præter pauculas dissipatæ sunt, pretiosa theca expilata quam Ludovicus *de Blanchefort* abbas Ferrariensis anno 1487 expensis ad hoc opus argenteis nummis 40000 fabricari curaverat.

C

XLIII. Wenilo.

Pastore vacabat Senonum metropolis, cum pars regni in qua sita est a Ludovico Augusto patre tradita est an. 837 Carolo Calvo filio. Hanc igitur juxta consuetudinem decessorum suorum regum Weniloni clerico suo in capella sua sibi servienti, qui more liberi clerici se ipsi commendaverat & fidelitatem sacramento promiserat, consensu episcoporum metropolis ad gubernandam commisit Carolus & ab episcopis ut eum archiepiscopum ordinarent obtinuit an.
837. In concilio Senonensi anni circiter 840 837.
D cum coepiscopis confirmavit privilegium quod 840.
Aldricus ejus antecessor monasterio S. Remigii Vallilias translato indulserat. Hoc autem privilegium eodem tempore conditum videtur quo Valliliensis S. Remigii basilica a Wenilone perfecta dedicataque fuit, calendis nempe Novemb. qua die corpus S. Valeriani martyris illuc transtulit nunc in ecclesia parochiali S. Columbæ hospitantis. Regni divisione inter Lotharium imperatorem, Ludovicum Germaniæ & Carolum Calvum Francorum reges peracta, Wenilo Carolo fidem juravit, quem 843 6 Junii in basilica 843.
S. Crucis Aurelianensis regem consecravit ac
E diademate coronavit. Eodem anno suis annitentibus suffraganeis Agium Aurelianensem episcopum inunxit, concilio Germiniacensi adfuit & subscripsit privilegio pro monasterio Corbiniacensi. Concilio Vernoliensi adstitit an. 844. Circa 844.
id tempus cum Gerardo comite ad Amulum Lugdunensem metropolitam scripsit ut Bernum Caroli regis propinquum, cui rex episcopatum Augustodunensem dederat, episcopali caractere insigniret. Adstitit an. 845 Caroli regis 5 indict. 845.
VIII nonis Martii tumulationi S. Cassiani apud urbem S. Quintini. Concilio Bellovacensi præfuit

ANNI CHRISTI

Vid. Bouq. tom. VI.

Carol. Cal. in lib. Procla. cap. 1.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

anno eodem, ubi Hincmari Remorum archiepiscopi electioni annuit. Hac in synodo de Wenilonis aliorumque episcoporum manu Carolus rex conservanda suscepit capitula inter ipsum ac episcopos regni sui collata eaque sub fidei suæ adstipulatione servaturum se promisit erga omnes ecclesias & episcopos regni sui. Concilio Meldensi adfuit anno eodem cum archiepiscopis Remensi & Bituricensi & suffraganeis.
846. Astitit Sparnacensi an. 846, ubi relecta in aliis synodis collecta ab episcopis capitula. Interfuit
847. concilio Parisiensi anno 847, ubi sententia in Ebbonem confirmata & ordinatio Hincmari probata est, privilegiumque Corbeiæ concessum. Eodem anno corpora SS. Saviniani, Potentiani sociorumque martyrum qui in contigua sancti Salvatoris ecclesia sepulti fuerant in basilicam S. Petri transtulit VIII cal. Septemb. & Hermantrudi Jotri abbatissæ reliquias sancti Potentiani concessit. A Carolo rege renovari fecit 22 Februar. 847 præceptum a patre suo Ludovico Hieremiæ archiepiscopo concessum de cellis monachorum quorum substantia valde imminuta fuerat. Synodo Carisiacensi in causa Gothes-
849. calci habitæ 849 adfuit & Parisiensi nonis Novembris, ubi subscripsit literis episcoporum ad Nomenoium Britanniæ ducem. Adstitit sy-
850. nodo apud Murittum an. 850, & Suessionensi
853. 853. In hac autem synodo injunctum Weniloni ut adjunctis sibi aliquot episcopis ad oppidum Nivernense accederet, & omnia ibi negotia ecclesiastica sapienter componeret, ipsum vero coepiscopum suum Herimannum apud urbem Senonum secum haberet, donec æstivum tempus quod valde contrarium infirmitati illius ferebatur pertransiret & sic Domino annuente abstinentia competenti assuetum, episcopali gravitate instructum, apostolicis moribus informatum clerus & populus eum ad sedem propriam utiliter favente Dei gratia revocaret. Ipsi quoque ut metropolitano datum ut de Burchardi Carnutensis consanguinei sui electione cognosceret, missique illuc qui ipsius mores ac vitam inquirerent. Hunc vero episcopum consecravit mense Junio. Adstitit Augusto synodo Vermeriensi in quo restitutus Herimannus. Ecclesiam S. Columbæ XI cal. Aug. in honorem S. Crucis dedicavit & postridie corpora S. Columbæ & S. Lupi levavit e tumulis in quibus sepulta primum fuerant. A Carolo rege mense Nov. in Silvatico cum Odone & Donato constitutus est Missus Dominicus in pagis Senonico, Trecassino, &c. Corpus beati Germani incorruptum de terra levavit, & in theca reposuit anno 12 Lotharii imperatoris, ex chronico Turonensi. Cum episcopis Meldensi & Aurelianensi ad monasterium Floria-

Amplis. Collect. t. V. col. 967.

855. cense missus est a rege an. 855 ut prædia quæ abbates secularibus attribuerant, monachis restitui curarent. Ferrariensibus monachis Romam anno eodem proficiscentibus literas dedit ad omnes Italiæ & Franciæ episcopos. Synodo apud Bonoi-
856. lum interfuit anno 856, & subscripsit literis episcoporum pro sancto Carilefo. Huic adstitit quoque Erchanradus Parisiensis episcopus, cujus

A defuncti in locum suffectus est Aeneas de quo ad Wenilonem & suffraganeos scripsit totus clerus Parisiensis per abbatem Lupum, qui Clero respondit nomine Wenilonis & episcoporum, quibus convocatis Aeneam consecravit Wenilo an. 857. In concilio Lingonensi an. 859 pro- 857.
clamatio a Carolo rege facta iterata est in Tul- 859.
lensi anni ejusdem mense Junio, prolatusque est in Wenilonem a Carolo libellus XVIII calend. Julii coram electis judicibus Remigio Lugdunensium, Herardo Turonum, Wenilone Rotomagensium & Rodulfo Biturigum archiepiscopis, in quo post commemorata sua in Weni-
B lonem beneficia, variisque sacramentis obstrictam illius fidem, Carolus illum accusat quod ad Ludovici regis colloquium, dum Carolus in Normannos apud Oscellum dimicaret, absque ipsius Caroli voluntate aut permissu solus ex episcopis regni sui venisset, quod ipsi Ludovico adhæsisset missasque publicas coram eo in palatio Attiniaco celebrasset, consiliisque publicis & privatis Ludovici interfuisset, quibus ei regni partem parabat subripere episcoposque ejus ad dominationem suam pertrahere. Imputat quoque quod monasterium S. Columbæ a Ludovico impetrasset, saxaque muri Meledunensis castelli, nec-
C non & vacantem sedem Bajocacensium pro Tortoldo propinquo suo. Denique quod cum ipse ad recuperandum regnum suum perrexisset, nullum nec a Wenilone nec a militibus ecclesiæ ejus adjutorium habuisset. Lecto libello, scripta est a patribus epistola ad Wenilonem absentem querelarum capita continens, eique injunctum ut post diem tricesimum ad locum quo evocandus esset se sisteret de objectis responsurus. Dein ab eisdem demandata est Herardo Turonensi archiepiscopo provincia adeundi Wenilonem atque ad eum referendi mandata synodi. At morbo intercedente Herardus Robertum
D Cenomannensem episcopum vice sua misit ad Wenilonem, ut patet ex ipsius Herardi ad eum commonitorio. Tandem, ut Carolus placabilis erat, Wenilo absque episcoporum audientia reconciliatus perhibetur in annalibus Bertinianis. Attamen Wenilonis seu Galenonis nomen infame factum est in Galliis ob proditionem ejus adversus Carolum Calvum. In eadem synodo definitum fuerat ut Wenilo adjunctis sibi tribus aliis episcopis Tortoldum ejus diaconum, qui episcopalem potestatem in urbe Bajocacensium occupaverat, evocatum audiret & secundum auctoritatem canonicam de eo definiret. Accusatio-
E nem a Carolo rege in concilio prolatam Lupo Ferrariensi abbati attribuit Wenilo, referente forsan Herardo Turonensi, qui mandata synodi ad Wenilonem perferenda habebat, quasi Lupus in eum excanduisset in synodo coram rege ut archiepiscopi sui exauctorationem præcipitaret & in ejus locum ipse promoveretur. Hanc criminationem graviter accepit Lupus, statimque se purgare apud eum tentavit scripta ad eum epistola 124. Alia Lupi cum Wenilone controversia orta est ex duobus titularibus presbyteris ecclesiarum Ferrariensibus subjectarum qua re-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI linquere titulos & ad monasticam professionem A
Ferrarias convolare volebant, quibus hanc co-
piam eis negaturum se respondit Wenilo, nisi
Lupus hoc sine vitio fieri posse auctoritate com-
probaret, quod abunde præstitit Lupus. In con-
860. cilio Tusiacensi anni 860 Wenilo subscripsit
diplomati pro S. Martino Turonensi. In Sues-
862. sionensi vero an. 862 subscripsit primum per
advocatum suum Balmundum archidiaconum,
dein per se ipse literis pro S. Dionysio. Eodem
anno Nicolaus papa rescripsit ad Wenilonem &
coepiscopos pro Herimanno Nivernensi epis-
copo, de quo summo pontifici eorum nomine
scripserat Lupus. In concilio Vermeriensi cui B
863. adstitit an. 863 Wenilo Senonensis interrogatus
Collect. Regum. t. VII, p. 298. est a Carolo rege, ut *qui temporibus piissimi im-
peratoris Hludovici fuerat*, de modo quo Haldricus
Cenomannensis episcopus cœnobium S. Carilefi
tenuerat. Concilio Pistensi adfuit an. 864, &
subscripsit literis episcoporum pro S. Germano
Autissiodorensi. Insequenti anno obiit Wenilo
v nonas Maii 865, sepultusque est in monas-
terio S. Remigii in crypta S. Anastasiæ. Frequens
in conciliis & in aula Wenilo, ne gregi suo
noceret absentia sua Autradum medicum habuit
corepiscopum vices suas agentem, qui suo mu-
nere dignissime functus uno aut circiter anno C
ejus fata prævenit & in æde parochiali sancti
Desiderii ad muros urbis sepelitur. Ceterum
Wenilo in chronico S. Petri vivi dicitur nobi-
Chesn. t. III, p. 350. litate præcipuus & ingenio acutus Ludovicum
Pii Cæsaris filium non Burgundiæ, sed Bavariæ
regem inunxisse, ecclesiam vero S. Stephani, quæ
erat vetustissima, renovasse pristinoque decori
reformasse, quam IV id. Dec. consecravit.

XLIV. S. Egil.

De quo jam diximus, tom. III, col. 967 &
IV, col. 457, Egil, seu Eigil, aut Hagilo ex
abbate Flaviniacensi Caroli regis gratia consen- D
tiente clero & populo ad pontificatûs culmen
ascendit an. 865, cui licet ex monasterio & non
ex ecclesia Senonensi assumto Nicolaus I epistolis
ad Egilonem & Carolum regem pallium con-
cessit, hortatus quidem regem ut ecclesiæ Se-
nonensi ablata restituerentur, Egilonem vero,
qui diu in monasterio versatus fuerat, ne a pris-
tino voto diverteret. In concilio Vermeriensi
866. anni 866 subscripsit privilegio monasterii Atre-
batensis, & in Suessionensi anni ejusdem privi-
legio Solenniacensis cœnobii. Concilii hujus
literas ad Nicolaum papam laturus a patribus
destinatur XV cal. Sept. Discessuro varia com- E
misere negotia Carolus rex & Hincmarus Re-
mensis archiepiscopus, tum de iis quæ in synodo
in causa Wlfadi Bituricensis gesta fuerant, tum
de iis quæ Gothescalcum hactenus in ergastulo
detentum spectabant. In hac autem epistola sua
Hincmarus Egilonem docet quomodo in urbe
gerere se debeat, ex qua liquet quanta esset inter
utrumque necessitudo: his enim ad Egilonem
utitur verbis Hincmarus: *Non aliter in mente
mea vos teneo quam me alterum*. Reversus in
Gallias Egilo Carolum regem Metas pergentem
obvium habuit XIII cal. Junii 867 in palatio
Salmuntiaco, ad quem Nicolai I literas pro causa ANNI CHRISTI
Wlfadi retulit, sicut ad Hincmarum aliosque 867.
episcopos. Concilio Trecensi adfuit VIII calend.
Novemb. anni ejusdem synodicisque subscripsit
literis pro restaurandis ecclesiis parochiæ Niver-
nensis. Anno 868 fame & mortalitate per totum 868.
fere regnum grassantibus apud Senonas una die
56 homines mortui inventi sunt; sed lues ipso
cessavit anno, quo Egilo cum Fulcrico coadju-
tore & coepiscopo suo adfuit conventui epis-
coporum provinciæ Remensis apud Britenna-
cum pro examinatione Willeberti designati &
sacrati nonis Decembris. Insequenti anno Ber-
tulfi Trevirensis archiepiscopi a Carolo rege
designati partes, datis una cum aliis archiepiscopis
ad Ludovicum regem literis, suscepit. Sedit an.
869 in concilio Vermeriensi & pridie calendas 869.
Maii subscriptione sua consensit confirmationi
privilegiorum seu præceptorum regiorum pro
Carrofensibus. Mense Augusto subsequente a
patribus synodi Pistensis obtinuit ut villa Se-
vriaci in comitatu Senonensi cum ecclesia sancti
Petri sita in vico Alsonis monasterio S. Petri
restitueretur. In vita S. Frodberti abbatis Cel-
lensis fit mentio cujusdam Ratberti nefarii ho-
minis in pago Ledunensi, qui matrem dire per-
cusserat, pro quo scelere ab Egilone carceri per
triennium mancipatus est. Denique defunctus
est Egilo an. 870, cujus obitus ita notatur in 870.
necrologio Flaviniacensi: *IV cal. Julii* S. Egilis
Senonensis archiepiscopi, primum Prumiensis,
dein Flaviniacensis abbatis qui multis claruit
miraculis. Sepultus est in monasterio S. Petri
& quidem in oratorio S. Stephani ad lævam
majoris altaris. De eo sic Odorannus: Anno
870 obiit Egil archiepiscopus, qui privilegium
S. Petro fecit de altari Alsonis villæ. Hic Lo-
thario juniore concedente, & Trajectensium
episcopo jubente, ex ipsius diœcesi, & monas-
terio Promia assumptus, a Carolo rege in mo-
nasterio Flaviniensi abbas est constitutus, postea
Senonum archiepiscopus ob sua merita factus.
Nullo publico cultu honoratur in ecclesia Seno-
nensi, bene tamen VI cal. Maii in ecclesia sancti
Petri, ubi corpus adhuc in sepulcro latet, cujus
elevationem meditabatur Ludovicus-Henricus
de Gondrin cum excessit 19 Sept. 1675. Egilis
hoc legitur epitaphium in MS. Vaticani, quod
olim fuit monasterii Floriacensis.

Artus Almiflui conduntur hic tumulati
Præsulis Egilis, quem capit aula poli.

XLV. Ansegisus.

Ardradi & Witelæ filius Ansegisus, germanus
Walæ Autissiodorensis episcopi presbyter Re-
mensis diœcesis, abbas S. Michaëlis Bellova-
censis, ut creditur, Romam a Carolo rege missus
est legatus an. 870. Summis ingenii ornamentis
cumulatus ad pontificatum Senonensem post
unius anni vacationem evehitur. Ex propria enim Chart. IX, col. 11.
ecclesia deficiente electione cum suffraganeorum

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

licentia & Caroli regis permissu a Clero & populo Senonensi electus est, qui datis v cal. Julii
871. 871 literis suffraganeos rogarunt episcopos ut electum consecrarent. Concilio Duziacensi adstitit sequenti Augusto mense & Hincmarum Laudunensem condemnavit. Nomen ejus legitur in subscriptionibus privilegii monasterio Trenorchiensi concessi in conventu Cabilonensi
875. anno 875. Eodem post mortem Ludovici imperatoris a Carolo Calvo Romam missus, ut ipsi imperium a Johanne VIII & Italiæ primoribus deferretur effecit, & cum Jaiderico Veliternensi, Formoso Portuensi & Johanne Aretino episcopis & legatis apostolicis a summo pontifice remissus Carolum ad limina apostolorum invitavit, ubi diademate imperiali coronatus Carolus die natali Domini Ansegiso hac potissimum functione bene merito parem gratiam referre aggressus, primatum per Gallias & Germaniam pro eo impetravit. Itaque a Johanne VIII Ansegisus designatus est apostolicæ
Ch. xx, col. 12.
876. sedis vicarius 2 Januarii 876; sed ne careret effectu ista concessio quam ab episcopis Gallicanis confirmari optabat Ansegisus, a Carolo apud S. Dionysium, ubi Carolus pascha celebraverat accersitus est cum legatis apostolicis illorumque consilio ad diem xi cal. Julii generalis apud Pontigonem indicta est synodus, cui adesse voluit Carolus imperator; adstitit quoque celebris antistitum conventus, interfuere & apostolici legati, quibus præsentibus recitatæ sunt Johannis papæ literæ quibus Ansegiso vices suas ita committebat, ut is primatum obtineret per universas Gallias & Germaniam. Huic autem repente constitutioni refragati pene omnes episcopi, Hincmarus in primis hæc contra privilegia & canones in Gallia receptos fieri contendentes. Rex urgere nihilominus episcopos non destitit variis jussionibus ut mandatis apostolicis consentirent: sed cum novo primati adversarentur, nec ejus decreto obedirent, « motus, ut legitur in » Annalibus Bertinianis, imperator dixit quod » dominus apostolicus ei vices suas commisit in » synodo, & quod isdem præcepit, ille exsequi » studeret, & accepit ipsam epistolam involutam » una cum Johanne Tuscanensi & Johanne Aretino, & dedit illam Ansegiso, jussitque sellam » plectilem poni ante omnes episcopos Cisalpini » regni sui juxta Johannem Tuscanensem qui ad » dexteram illius sedebat & præcepit Ansegiso ut » supergrederetur ante se ordinatos ac sederet in » eadem sella, Remorum archiepiscopo reclamante » audientibus omnibus hoc factum sacris regulis obviare. » Soluta est xvii cal. Augusti. synodus qua die tantum in novissima quantum & in prima die synodi de primatu Ansegisus obtinuit, inquit Annalista Bertinianus, ejus tamen actis Ansegisus Senonum metropolis episcopus, sanctæ & apostolicæ sedis per dominum Johannem summum pontificem papam vicarius subscripsit primus ex Gallicanis episcopis, sed Hincmarus qui post eum nomen apposuit suum & qui consensum non dederat, præsulibus provinciæ suæ mandavit illa quæ promulgata fuerant decreta

A synodi Pontigonensis non debere servari eo quod reclamassent episcopi. Acta ne illa sunt, in quibus cap. 7 Ansegiso confirmatur primatus, quæ ab Odoranno & Clario facta dicuntur a Leone apocrisiario in Pontigone, & quibus resistere voluit Hincmarus episcopus, inquit Clarius in chronico, sed minime potuit convictus apostolica auctoritate? Post synodum a Cæsare Romam cum legatis apostolicis muneratis & Adalgario Augustodunensi episcopo remissus est Ansegisus. Ex hoc autem itinere rediit Johanni papæ suspectus, quasi faveret Lantberto duci Spoletano S. Sedis hosti uti Johannes significavit datis B Carolo literis xvi cal. Dec. indict. x. Roma Reversus Ansegisus concilio Trecensi adstitit an. 878. Insequenti unxit in reges Ludovicum & Carolomannum filios Ludovici Balbi, & nepotes Caroli Calvi in monasterio Ferrariensi.

Eccardus comes testamento legavit gesta Longobardorum & libros duos chronici Gregorii Turonensis Ansegiso, qui a Johanne summo pontifice impetravit caput Gregorii magni & brachium Leonis I, quas in basilica sancti Petri deposuit reliquias, Illuc quoque transtulit corpora SS. pontificum Senonensium Leonis, Ursicini, Agræcii & Ambrosii, necnon & corpus sancti C Sanctiani martyris e villa Sanceia cum corporibus S. Augustini martyris & beatæ sororis sancti Sanctiani. Impetravit etiam ab Hugone abbate S. Germani Autissiodorensis corpus S. Romani quod transtulit in ecclesiam sancti Remigii. Ad Ansegisum misit Johannes VIII exemplar testamenti Gerardi comitis & Berthæ conjugis in gratiam monasterii Pultariensis. Ansegisus vero Judæos certa de causa & moniales ab urbe Senonica expulit, & ne ulterius in ea habitaculum manendi haberent sub anathematis vinculo interdixit. His clarus gestis Ansegisus obdormivit in Domino vii cal. Dec. 879 ex Clario, 882
D ex Mabillonio, melius 883 ex epitaphio & 883.
Odoranno. Sepultus est in monasterio S. Petri in oratorio S. Bartholomæi, cum hoc epitaphio:

Antistes Senonum, reverentia magna potentum
Ansegisus in hoc conditus est tumulo.
Ut primas fieret Gallorum papa Johannes
Instituit, meritis hoc tribuendo suis.
Karli Romana cinxit caput iste corona,
Et dedit in multos imperium populos
Gregorii papæ secum caput abstulit inde.
Hic locus ossa fovet, spiritus astra tenet.

E Idem aliis verbis in codice Floriacensi apud Vaticanum legitur epitaphium, cui subjungitur: *Anno ab Incarnatione Christi 883, obiit Ansegisus archiepiscopus totius Galliæ & Germaniæ Secundus papa fæliciter VII cal. Decembris.*

XLVI. Evrardus.

Ex monacho & præposito sanctæ Columbæ Evrardus doctrina & virtutibus mirabilis Ansegiso successit nutu divino ordinatus iv calend.
Maii 884. Huic Marinus summus pontifex 884.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI defunctus non mense Januario, non Februario, A sed Maio, ut recte annotavit Franciscus Pagi Breviarii Romanorum pontificum, tom. II, p. 160, scripsit pro monasterio a Rampone in parochia Senonensi constructo, quod pervadebat Ermintridus, qui Ramponis mortui conjugem sibi copulaverat. Evrardi ordinationis anno, non quinto, ut ait Clarius, sed tertio, quippe In-
886. carnationis 886 pridie calend. Dec. Normanni Senonas venientes vastarunt omnia, castra subverterunt, desolarunt urbes, ecclesias destruxere, monasteria succenderunt; sed Evrardus archiepiscopus pacto pretio civitatem obsidione liberavit. Languore paulo post correptus obiit cal. B
887. Februarii anni ineuntis 887, sepultusque est in basilica S. Columbæ in oratorio S. Martini. De Evrardo sic canit Abbo monachus S. Germani, lib. II de obsidione Parisiaca:

Tempestate sub hac Hugo princeps obiit abba.
Evrardo Senones viduantur præsule docto.

XLVII. Walterius I.

Walterii Aurelianensis episcopi nepos Walterius, canonicus majoris ecclesiæ, scientia & nobilitate clarissimus successit Evrardo mense Martio, ordinatus IV non. Aprilis 887. Heri- C fredum Autissiodorensem episcopum consecravit in Nigello cœnobio parochiæ Trecensis 29 Augusti, & in sede ejus collocavit 8 Septemb. ejusdem anni. Insequenti cum Francis, Burgundis & Aquitanis convenit de eligendo Francorum rege Odone filio Roberti fortis & Ade-
888. laïdis, quem unxit mense Januario 888. In
891. synodo Magduni ad Ligerim habita an. 891, Walterio hortante, sancitum ut nullus deinceps ordinaretur vel constitueretur pater seu rector monasterii S. Petri, nisi quem monachi sua dispositione & libitu voluntatis ex seipsis eligerent.
Concil. t. IX, col. 377. Recentiorum vero sunt temporum constitutiones D Walterio adscriptæ, in quibus prioratus conventuales, canonici regulares, moniales nigræ, vocabula insolita erant seculo nono. In placito
892. regio apud Vermeriam an. 892 cum aliis judicibus pagi Atoariensis cellam Alsa monasterio Adremarensi adversus Agnium monachum adjudicavit. Circa id tempus cum Fulcone Remensi
Flodoard. lib. XIV, cap. 6. archiepiscopo quædam placita pro causa Hildegardis abbatissæ suæ diœcesanæ constituit, quæ cum exsequi non potuisset Walterius, ea quantocius executioni demandari præcepit Fulco, Walterium rogans ut ad condictum eidemque prædictam abbatissam sistere se curaret; sin minus E ipse pro sua auctoritate, quod hactenus ob suam in eumdem Walterium caritatem facere distulerat,
896. id perfecturus esset. Anno 896 Senonæ obsidione cinctæ sunt & captæ a Richardo Burgundiæ duce contra Walterium archiepiscopum & Garnerium comitem, testibus Odoranno & Flodoardo, Walterius autem præsul propter contentiones quasdam quas inter se habebant nono ordinationis suæ anno VI idus Junii a Richardo captus est & positus in custodia novem mensibus, vivente adhuc Odone rege; post novem autem menses reversus est de custodia Senonas cum pace VIII cal. Martii, datis sub titulo sacramenti obsidibus Richardo duci, inquit Clarius. Hic autem exinde Senonensis urbis dominium tenuit, cui defuncto successit Rodulfus filius ejus, quem electum regem unxit Walterius in monasterio S. Medardi Suessionensis III idus Julii 923, 923.
eodemque defunctus est anno XIII cal. Decemb. & sepultus in basilica sancti Petri, in capella S. Petronillæ.

XLVIII. Walterius II.

Walterii I nepos Walterius II, vir nobilis genere moribus versutus & ingenio callidus, ex canonico majoris ecclesiæ patruo successit. Hujus temporibus facto bello inter Christianos & Paganos in monte Chalo VIII id. Decemb. interfectus est Warnerius Vicecomes Senonensis, quem forte cum Walterio confundentes Sammarthani, hunc a Paganis interfectum scripsere, licet ex chronicis Walterius laudabilis & honestus pacifice rexerit ecclesiam, plenusque pace & bonis operibus obierit 927 pridie nonas Julii, sepultus 927.
in ecclesia S. Petri juxta patruum.

XLIX. Adaldus.

Venerandæ memoriæ dictus Adaldus, aliter Eldaldus, renovavit ecclesiam B. Mariæ sitam juxta ecclesiam S. Stephani, & concessit ad stipendia canonicorum villam *Evrolles*, quæ decano tandem obtigit. Completis in episcopatu annis quinque migravit VII cal. Octob. 932, cujus 932.
sepulturæ locum sibi vindicant, tum canonici sancti Stephani, cum monachi sancti Petri & S. Columbæ.

L. Guillelmus I.

Adaldo successit Guillelmus monachus, forte S. Petri vivi. Quarto ordinationis suæ an. 936 936.
post obitum Radulfi regis ab Hugone magno missus ad reducendum Ludovicum Caroli Simplicis filium quem Otgiva ejus parens Ethelstani regis soror ad avunculum salutis causa post mortem patris detulerat; datis Otgivæ matri sub sacramenti titulo obsidibus, reduxit Ludovicum in Franciam. Arigaudum abbatem S. Petri vivi monitu S. Odonis abbatis Cluniacensis constituit post Sansonem abbatem. Obiit XIX cal. Sept. 938, jacetque in monasterio S. Petri. 938.

LI. Gerlannus.

Parentum prosapia mediocris Gerlannus, sed philosophia & moribus maximus ex monacho S. Germani Autissiodorensis, postulantibus canonicis factus est archiepiscopus. Huic & aliis episcopis gravissimam inscripsit epistolam Leo VII in gratiam monachorum Rivipullensium calendis Februarii pontificatus IV 939. Urbe sua depulsus 939.
fuit an. 941, culpatus quod Waloni homini 941.
Heriberti comitis faveret contra Frotmundum quem Hugo albus eidem civitati præfecerat. Ædificavit in monasterio S. Petri turrim affabre conditam. Longo confectus senio migravit ad astra

Digitized by Google

ANNI CHRISTI astra nonis Augusti 954, sepultus in basilica S. Germani Autissiodorensis.

954.

LII. Hildemannus.

Chron. MS. Ex Monacho S. Dionysii ad preces Ludovici regis & postulationem canonicorum suffectus est Hildemannus pridie idus Sept. ex Clario, anno 954, quo subscripsit chartæ Ragenfredi episcopi Carnotensis pro restitutione sancti Petri in eadem urbe monasterii. In commonitorio episcoporum Burgundiæ aut partium Burgundiæ finitimarum apud Labbeum, Concil. tom. IX, p. 639, legitur Hermannus Senonensis ecclesiæ archiepiscopus, qui alius certe non est ab Hildemanno. Hoc autem commonitorium scriptum creditur circa annum 955. Hildemanno postulante Lotharius rex confirmavit monasterium fundatum a Burchardo milite apud Brajacum
958. ad Sequanam 10 Decembr. 958, regni 5. Post regimen annorum 4, mensium 10, cum dimidio & dierum 4, obiit Hildemannus nonis
959. Aug. an. 959, sepultusque est in basilica sancti Petri. Hoc ejus legitur epitaphium in codice Vaticano de quo supra.

Formosi cœtus pastor formosus & ipse
Heldemannus in hoc ecce jacet tumulo.
Martyris egregii pridem monachus Dionysi,
Post urbis præsul eximius Senonum.
Solamen tribuit miseris prius sua vita,
Idcirco astrigero nunc fruitur solio.
Decidit Augusti nonas, ora, rogo, lector,
Cœlitus ut vivat cum domino jugiter.

LIII. Archembaldus.

Parentum potius & pecuniarum gratia quam Dei probatus examine successit Archembaldus v calend. Julii, inquit Clarius, cujus non satis sibi constat chronologia. Regia ortus prosapia, parentibus nempe Roberto Trecensi comite e linea Veromanduensi & Aleide Burgunda cognomento Werra, Rainaldi vetuli comitis ejusque consanguinei suffragio factus potentior, minime vero canonica electione nominatus, consecrationis munus excepit a Johanne XII anno circiter 959. At in deliciis enutritus & profanæ vitæ sectator sacra neglexit. Saxonibus mense Octobri Trecas obsidentibus, unde Ansegisus episcopus a patre suo Roberto comite ejectus fuerat, occurrit cum Rainaldo vetulo comite & maximo Senonensium exercitu, eosque in loco Villari debellavit cum duce suo Elpone archiepiscopi & comitis consanguineo. Adstitit elevationi corporum S. Columbæ & S. Lupi xi cal. Augusti. In concilio Meldensi præsedit
962. an. 962, ubi Odalricus Remorum antistes ordinatus fuit. Præcedenti elatus triumpho nihilo secius ad episcopales functiones animum appulit, sed vitæ solutæ deditus abbatiam S. Petri penitus absorbuit. Nam relicta domo archiepiscopali cum infami comitatu cœpit habitare in claustro monachorum, ubi tantum quindecim monachi

A supererant, ex quibus duodecim una nocte interiere, alii tres eodem anno defuncti sunt. Ornamentum quod reliquum erat & chartas monasterii Frodoni thesaurario donavit, ipse vero canes suos & accipitres etiam in claustrum sancti Petri duxit, quibus crastina die mortuis, cum id factum dixissent familiares, quod injuste claustrum & possessiones monachorum retineret, velut aniles ille fabellas deridebat. Quin etiam quidam canonicus S. Stephani nomine Condacher, ostenso ei Theodechildis loci conditricis epitaphio quod Fortunatus ediderat, perspice, inquit, & intellige quod non ad usus canum sed B servorum Christi cœnobium hoc conditum est. Verum cum ille ad tot admonitiones obsurdesceret, anno ordinationis ejus nono mense Junio morte correptus est Rainaldus regis Lotharii consiliarius, cujus consilio archiepiscopus is factus fuerat, tum Julio insequente incensæ sunt ecclesiæ S. Stephani & S. Mariæ, sanctique Johannis-Baptistæ, cum claustro canonicorum, quo incendio periit librarium seu bibliotheca sancti Stephani, cum ornamentis ecclesiæ & reliquiis pretiosissimis, ac demum mense Augusto decessit Rotbertus pater ipsius vir nobilis & dives valde, ipseque Archembaldus adhuc juvenis a sancto C Saviniano martyre percussus, mortuus in refectorio inventus est iv calend. Septemb. 968, 968.
expletis in episcopatu annis 9, duobus mensibus & die uno, ita Clarius; sepultusque est in basilica S. Petri in capella S. Remigii, hac una re laude dignus, quod decem ante obitum diebus renovare cœperat presbyterium S. Stephani, cryptasque omnino perfecerat.

LIV. Anastasius.

Anastasius, al. Anstasius patrem habuit Augeriaci dominum apud Pruvinum. Acclamante clero & populo assumtus Lotharii regis an. 15, D ex ipsius præcepto consecratus est in Apuniaco villa xviii calend. Januarii 968 a suffraganeis, & die non secunda, ut male lectum fuit apud Clarium, sed iv, ut videtur, dominica adventus Domini susceptus est in sede propria. Vir fuit miræ sanctitatis & abstinentiæ, carne quippe nunquam usus, pro lino vero cilicio induebatur. Vigiliarum amator, nutritor & doctor clericorum, amator monachorum, mærentium consolator, pauperum, orphanorum & viduarum pater & utilis procurator, toto tamen quo episcopatum tenuit tempore multas a Rainardo comite perpessus est injurias. Ecclesiam S. Petri ab ejus E decessore fœde violatam instaurare cœpit, monachos illuc revocavit, prædia distracta pretio redemit, ædificavit ecclesiam in honorem beatæ Mariæ in villa quæ Aguriacus vocatur hæreditatis suæ, illucque asportavit de villa S. Stephani Bruorea corpus S. Victoris martyris: perfecit cancellos & medietatem ecclesiæ S. Stephani: basilicas B. Mariæ & S. Johannis restauravit, & dedit ad stipendia canonicorum villas & ecclesias quas hereditario jure possidebat. Cœlo maturus transiit ad Christum media nocte dominicæ diei, vi id. Januarii 977, sepultusque est 977.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Chronicon S. Columbæ.

in ecclesia S. Petri, secundum ejus præceptum. Ejus obitum Angelico monitu didicit ejus germana soror sanctimonialis S. Faræ, cujus relatu expergefactæ aliæ sanctimoniales officium pro eo sicut de uno confessore persolverunt. Quod autem a Clario vixisse scribitur in episcopatu annis XI mense uno & diebus 13, conciliari nequit nec cum antecedentibus, nec cum subsequentibus. Ast hoc ejus legitur epitaphium in codice Vaticani,

Pastor ovile Dei servans Anstasius olim
Pneuma locat superis & recubat cinis hic.
Extitit ipse pius, fortis, pugnator & almi
Colloquio verbi fultus, amore Dei
Quidquid amat mundus sprevit virtute benigna
Daviticus vates adfuit ore pio
Dum sexto bifrons idus Januarius egit
Decidit, unde precor, parce Deus famulo.

LV. SEWINUS.

Rainardi I comitis Senonensis sororis filius Sewinus seu Seguinus, Rainardi abbatis S. Petri avunculus, avum habuit Fromundum Vicecomitem, fratrem vero Isembardum militem. Claritudine itaque generis, necnon egregia virtute insignis canonicorum votis eligitur antistes biduo post obitum Anastasii IV id. Januarii 977, resistente Rainardo comite, qui eum ingressu civitatis prohibuit. Quare ordinatus est Sewinus die dominica IV id. Junii in basilica S. Stephani Autissiodorensis, ordinatusque Rainardum qui introitum civitatis ei negabat, excommunicavit totamque provinciam interdicto supposuit a calendis Octobris anni ejusdem ad caput jejunii

Spicileg. X, 635.

978. 978. Quo tempore magna mortalium strages ex populari morbo accidit, quo paulo post Isembardus frater ipsius archiepiscopi defunctus est. Mortis forte imminentis metu perterritus comes, qui dominium civitatis admisso archiepiscopo amittere timebat, a proposito tandem destitit & Sewinum nepotem suum in ecclesiæ Senonensis possessionem venire permisit, qui in capite jejunii in propria sede receptus est. Mox de ordinanda ecclesia cogitare cœpit pius antistes, tum restituendo ecclesiasticam disciplinam, tum reparando ædificia ecclesiarum & monasteriorum. Prima ejus cura fuit de monasterio S. Petri quod Anastasius ejus decessor instaurare cœperat: quod opus Sewinus ut absolveret, eidem loco Rainardum suum ex sorore nepotem monachum S. Columbæ abbatem præposuit, ipsius abbatiæ mediam partem ei restituens, altera in proprios usus retenta, non ex cupiditate, sed ex necessitate, propterea quod Archembaldus ejus ante Anastasium antecessor possessiones Senonensis ecclesiæ in militum suorum dispendia distraxerat. Renovatis S. Petri ædificiis, monachos regulares ex cœnobiis sancti Benedicti Floriacensis & S. Petri Cluniacensis adduxit, quorum exemplo Rainardus in melius proficeret. Cum eo corpus S. Ebbonis archiepiscopi, quod in oratorio beatæ Mariæ ad id tempus jacuerat, e tumulo honorifice levavit

A an. 980. Dein matrem ecclesiam S. Stephani quæ igne cremata fuerat, ab epistyliis erigens & ex integro perficiens, signis & ornamentis 980.
ecclesiasticis decoravit, eamque cum Milone Trecensi, Heriberto Autissiodorensi & Rocleno Nivernensi episcopis III nonas Octobris ordi- 982.
nationis suæ anno sexto dedicavit, eademque die ad stipendia clericorum tria altaria sub privilegii testamento delegavit. Præterea brachium sancti Leonis papæ cum digitis S. Ebbonis a Rainardo abbate & monachis S. Petri obtinens, auro & gemmis ornatum ecclesiæ majori contulit: pro quibus vicissim cum episcoporum consensu qua-
B tuor altaria sancto Petro confirmavit, unum in pago Senonico apud Alsonum villam in honore sancti Petri, quod Egil archiepiscopus monachis donaverat, alterum apud Sanceias in honorem S. Sanctiani martyris consecratum, tertium sancti Saviniani, quod a crypta monasterii 50 pedes distat, quartum S. Lupi in villa Naudo pagi Pruvinensis. Decrevit etiam ut abbas ejusdem monasterii in conventu abbatum vel clericorum primus post episcopum sederet, & inter cæteros hujus diœcesis abbates primatum teneret. Tabulam quoque ex auro & argento ante altare S. Stephani construxit, de qua postmodum ante
C monasterium facta est turris. Pallium archiepiscopale, inquit Odorannus, quo antecessores ejus infulati sunt Romæ ab ipso Johanne papa & primatum Galliæ suscepit. Porro ab ipso die quo sacerdotio insignitus est usque ad finem vitæ nec carnes comedit, nec lino indutus fuit. Cum vero refectorium S. Petri monachorum, quod Archembaldus in proprios usus converterat, adhuc retineret, admonitu S. Saviniani illud restituit cum tota terra quæ monasterio circumjacet. His actis rediit in civitatem nihil reliqui sibi reservans unde posset vivere, qua de re conquerentibus familiaribus suis respondisse fertur justo
D nunquam defore unde vivat, cæterum se posse sustentari proprio patrimonio, dum S. Stephani possessiones restituerentur, quod brevi postea factum est, mortuis omnibus quibus eas Archembaldus in beneficium tradiderat, & quamdiu vixit multa bona clericis & monachis dedit.

Literis Natranni Nivernensis episcopi canonicis suis altaria concedentis an. 986 subscripsit 986.
Sewinus. Hugoni novo regi non statim favisse videtur, quem ex persona Hugonis regis, inscripta Seguino archiepiscopo Senonensi monuit Gerbertus epistola 107, ut ante calendas Novembris eam ipsi præstaret fidem quam cæteri
E firmaverant: sin minus sententiam domini papæ & comprovincialium episcoporum duriorem minatur. Gerberti monitis paulo post obsecutus Sewinus Robertum Hugonis filium Aurelianis regem inauguravit calendis Januarii 988, & 988.
subscripsit literis regum Hugonis & Roberti pro monachis Corbeiensibus. Circa id tempus gravem habuit simultatem cum Heldrico abbate S. Germani Autissiodorensis pro duobus molendinis super Ermantionem fluvium constructis, quæ cum eo devenisset ut partes confligentes pactis sacramentis duellum facere pararent,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

mediantibus bonis viris molendina inter utramque ecclesiam communia remanserunt, deditque Sewinus monachis quatuor ecclesias in pago Senonico, ut fieret particeps bonorum monasterii cujus fratres ei dederant reliquias S. Stephani. Concilio apud S. Basolum præsedit mense Junio
991. 991, ibique solus depositioni Arnulfi Remensis archiepiscopi & ordinationi Gerberti restitit, qua de re regem acriter redarguit, unde odium ejus in se concitavit. Anno eodem obtentis ab
Charta XI, col. 12. Hugone & Roberto regibus ecclesiis S. Petri & S. Stephani in castro Milidunensi monasterium S. Petri ædificavit, illudque Walterio re-
995. gendum commisit. Anno 995 Johannes XV summus pontifex Leonem SS. Alexii & Bonifacii abbatem ad Sewinum misit, ut vice sua synodum congregaret in urbe Remensi cum mandato Arnulfum revocandi & Gerbertum ejiciendi. Habitæ quidem sunt hoc anno synodi Mosomi & Remis, sed utrum his adfuerit Sewinus ignoramus. Vocatus ad ordinandum Guidonem Autissiodorensem episcopum cum a Roberto rege non a clericis electum comperisset ad propria rediit, sed Johannem ab ipsis de-
996. signatum inunxit 12 Aprilis 996. Præfuit sy-
997. nodo apud S. Dionysium habitæ an. 997, in qua cum monachorum causam, quibus decimas detrahere volebant episcopi, defenderet Abbo Floriacensis abbas, tantum in tumultum proruperunt animi, ut episcopi in fugam se dederint præcipites. Hanc qui præsidebat primus quoque arripuit Sewinus, sed ætate gravis cum lentius fugitaret, securi inter scapulas ictus, lutoque ac sordibus a seditiosis conspurcatus, prope exanimis vix tandem evasit. Denique corpus sancti Aigulfi monachi & martyris e Floriacensi monasterio ad Pruvinense transtulit. Obiit Sewinus
999. anno 999 XVI cal. Nov. sacerdotii anno 22, indict. XIII, sepultusque est, juxta præceptum suum, in capitulo S. Petri, inde translatus in majorem basilicam in sacello beatæ Mariæ anno 1278. Hoc ei exaratum est epitaphium.

Hic humilis tumulus merito cunctis venerandus
Sevini membra continet egregia,
Angelicam cujus felix animam paradisus
Pastorum sancto possidet in numero.
Qui mitis sanctæ pro Religionis honore
Hac in sede sedens multa tulit patiens,
Jamque senex factus migravit in astra locandus
Cui parcat, petimus, cunctipotens Dominus.

LVI. LEOTHERICUS.

Nobilis genere sed mente nobilior Leothericus ex archidiacono acclamatus est archiepiscopus totius cleri & populi consensu non quidem una-
1000. nimi anno ineunte 1000, cujus electioni cum obstitissent clerici nonnulli, qui eamdem dignitatem ambibant, Romam adiit ad Gerbertum seu Silvestrum II papam, cujus in Remensibus scholis discipulus fuerat, a quo gratanter acceptus benedictione totiusque Galliæ primatu donatus fuisse a Clario dicitur. Roma reversum clerus &

A populus honorifice exceperunt; at volentes eum throno pontificali imponere, prohibuit Frotmundus comes qui filium suum Brunonem clericum promovere moliebatur. Leothericus itaque excommunicato Frotmundo, papam denuo convenit qui scriptis ad suffraganeos ecclesiæ Senonensis episcopos literis præcepit ut eum ordinarent. Pontificiis hi jussis obtemperantes, Leothericum in monasterio S. Faræ consecrarunt
anno 1001. Canonicis ecclesiæ Parisiensis qua- 1001.
tuor altaria de Celcis, de Vernoilo, in Stervilla & in Machello donavit ad preces Reginaldi
episcopi anno Roberti regis nono 1004. Re- 1004.
B liquias SS. Saviniani & Potentiani quæ ob timorem Paganorum in antris a tempore Wilelmi I archiepiscopi abscondita fuerant, e terra levavit, & in locellis plumbeis condidit anno
1006 ex chronico. Anno eodem retro altare 1006.
S. Stephani reperit reliquias quas Hieremias archiepiscopus e monasterio Centulensi asportaverat. Dedit monasterio sancti Petri terram de Tillido & de Gerillias, & silvam de Arcea. Fulbertum Carnotensem episcopum consecravit
an. 1007; synodo Calensi adstitit an. 1008, 1007.
& subscripsit diplomati Roberti regis pro sancto 1008.
Dionysio. Concilium habuit ante annum 1009,
C in quo pontificium pro Floriaco diploma igni tantum non traditum est, unde iratus summus pontifex Leothericum Romam facinoris sui rationem redditurum in proximum pascha appellavit. Gilberto Meldensi animam exhalanti ad-
stitit anno 1009. Abbatiam S. Mariæ extra 1009.
muros civitatis Rainaldo clerico Frotmundi comitis filio post mortem Grimerii abbatis dedit in beneficium ante annum 1012, quo obiit Frotmundus & post Rainaldum Leotherico præ-
centori, qui eam instauravit. Anno 1015 Leo- 1015.
thericus indigna passus a Rainardo comite qui ab archiepiscopo divinis in mysteriis vultum
D avertebat, in faciem ejus spuebat, homines ejus interficiebat, multisque eum injuriis afficiebat, coactus est consilio papæ, abbatis Cluniacensis, suffraganeorum suorum, maxime episcopi Paris. & optimatum urbem reddere Roberto regi. Hic autem coactis copiis urbem occupavit X calend. Maii, comite fuga se subducente qui castrum Monsteriolum quod e beneficio S. Stephani erat, Odoni comiti dedit, & sumtis viribus obsedit, Senonas & omnia in vicinia vastavit per triduum. Postea tamen regi & archiepiscopo reconciliatus, in dominium pacto fœdere resti-
E tuitur, sed antistiti semper infestus, eum ad ultimum usque diem insectatus est. Theodericum Aurelianensem episcopum ordinavit Leothericus
anno 1016 absque consilio Fulberti episcopi 1016.
qui hac de re queritur epistola 28. Anno 1017 1017.
subscripsit instrumento libertatis Fructuariensis
monasterii. Subscripsit 1019 regiis pro restau- 1019.
rando Latiniaco literis ecclesiamque dedicavit 1 Junii. In conventu episcoporum habito in villa pagi Autissiodorensis Airiaca præsedit an.
1020. Biennio post præfuit concilio Aurelia- 1020.
nensi 1022, in quo damnati fuere quidam hæ- 1022.
retici, de quibus diximus in Odolrico Aurelia-

ANNI CHRISTI

nensi episcopo, ibidemque subscripsit præcepto A Roberti regis pro cœnobio Miciacensi. Locellum S. Saviniani e plumbo in aurum argentum & gemmas, rege id exsequente & suppetias ad id
1028. opus conferente transmutavit anno 1028. Defuncto Fulberto Carnotensi episcopo Leothericus qui A. electo primum faverat, mutata sententia ut regi ac reginæ gratificaretur, Theodericum
1029. præferendum censuit anno 1029, de quo conquesti ad ipsum canonici Carnotenses epistola inter Fulbertinas 131. Adstitit anno eodem dedicationi S. Aniani Aurelianensis. Circa id tempus adfuit placito regis apud Silvanectum, & subscripsit ejus diplomati pro Gemeticensibus. B Odonem abbatem S. Germani Autissiodorensis
1032. electum confirmavit anno 1032. Eodem plenus operibus bonis obiit VI calend. Julii, tumulatus post majus altare, ex Sammarthanis, aliter ad S. Petrum. Culpatus est aliquando Leothericus a Roberto rege quod probationem corporis & sanguinis Domini in servos Dei adhiberet, quod meritum in communicantibus pro accipiendo eodem SS. corpore exigeret, quod divinitati attribueret ærumnas corporis & infirmum doloris humani divinæ commutaret naturæ: qua de re Robertus rex graviter eum arguit, eumque ad corrigendum factum adduxit. At quod de C sacramento Eucharistiæ perperam senserit, commentum est & Baronii & Claudii ministri. Et certe Fulbertus ejus suffraganeus qui in epistolis conqueritur de ordinationibus a Leotherico factis, qui virum plus æquo secularibus negotiis implicitum damnat, nec moribus parcit animum non ita sincerum præferentibus, de Eucharistico dogmate, aut pravæ fidei rumoribus ne ullum quidem facit verbum: quinimmo plures ad eum dedit literas variis plenas affectibus, prout rerum status & viri indoles calamum agebant. Eum epistola 7 vocat *angelum magni consilii*, alibi primatem suum nuncupat, nec cæteris parcit D laudibus quibus egregias Leotherici dotes extollit. Utriusque gravissima est epistola 34 inter Fulbertinas de causis discordiarum inter episcopum & Lisiardum archidiaconum Parisienses.

LVII. GELDUINUS.

Post obitum Leotherici gravis de successore exorta est contentio inter Henricum regem & Odonem Campaniæ comitem qui Senonicam urbem Roberto rege mortuo invaserat, sed tandem rex victus muneribus & nobilis Gelduini generis violentia hunc in illam sedem induxit contra cleri & populi voluntatem, qui Mainar- E dum ejusdem ecclesiæ thesaurarium præferebant: sicque Gelduinus filius Godefridi comitis *de Joigny* & Adelaïdis Parisiis consecratus fuit XV cal. Nov. 1032; sed Senonas nullatenus intrare potuit obsistentibus Odone comite, Daimberto vicecomite cæterisque proceribus. Rex itaque qui Gelduino favebat inde iratus urbem Senonum obsidione cinxit, unde multa mala & incommoda urbi & ecclesiæ illata. Anno autem
1034. 1034 cum Odo comes urbis medietatem regi restituisset, Gelduinus quoque in sede metropolitana receptus est. Insequenti synodum habuit mense Novembri, in qua Floriacensi monasterio altaria confirmavit. Subscripsit an. 1043 chartæ 1035.
Gaufridi Nivernensis comitis pro sancto Juliano 1043.
Autissiodorensi. Præter jam memoratum tribus subscriptus conciliis legitur, primo apud Stampas, altero apud Silvanectas anno 1048, eodemque 1048.
apud Senonas pro erigenda cella S. Aigulfi Pruvinensis. Quin Gelduinus omnia mala monachis S. Petri fecerit ornamentaque ecclesiæ invaserit, dubitare non sinunt unanimes chronographi, sed defuncto Ermenaldo abbate, quem injuriis omnimodis lacessiverat, successori ejus Gerberto restituit caput S. Quiriaci, quod e basilica sanctæ Mariæ in ecclesiam matrem S. Stephani transtulerat. In concilio Remensi an. 1049 Gel- 1049.
duinus simoniæ postulatus, quia ad synodum invitatus non venerat, nec aliquod excusationis scriptum miserat de pontificatu post annos 18 projectus est a Leone papa IX, & ab Henrico rege gaudentibus clericis & lætante populo, ejusque in locum substitutus Mainardus Trecensis episcopus. Postea Gelduino reclamante se injuste depositum & Mainardum inthronizatum, auctoritate papæ Leonis convocatus uterque & in concilio Romano dijudicatus, amisit donum curæ pastoralis: at propter utilitatem tam ecclesiæ Senonensis quam totius patriæ circumjacentis, totius concilii concordante consensu, Mainardus est restitutus. Gelduinus vero pro sua miserabili vita dejectus, omni honore est privatus. Qui Roma reversus Rodulphum comitem adiit, eique castella quæ sibi ex paterno jure contingebant, ut se ad recuperandam dignitatem amissam adjuvaret dedit; cumque nec sic quidquam profecisset omni se honore privavit, deincepsque ut scurra vagus & profugus super terram degens obiit, sepultus in claustro S. Petri.

LVIII. MAINARDUS.

Vir nobilissimus Mainardus, Odonis Campaniæ comitis consanguineus, patrem habuit Mainardum & fratrem Daimbertum vicecomitem. Clericus prudentissimus, Senonensis ecclesiæ thesaurarius, in eademque urbe clericus major & primus, ab universo clero & populo post Leothericum electus quidem est archiepiscopus, sed biennio post vicit potentia regis. Mainardus tamen archiepiscopus subscripsit diplomati Henrici regis pro Fossatensi monasterio an. 1043. Triennio post Frotmundo Trecensis episcopus successit anno 1046. Deposito autem an. 1049 Gelduino, in concilio Remensi successit Mainardus, exeunte Novembri, quem cum injuste inthronizatum, seque injuste depositum reclamasset Gelduinus, uterque auctoritate Leonis papæ convocatus, & in concilio Romano anni 1050 dijudicatus donum curæ pastoralis 1050.
amisit: verum tam ob utilitatem ecclesiæ Senonensis quam totius patriæ circumjacentis, universi concilii concordante consensu Mainardus est restitutus, Romaque reversus populum propter se lætum invenit, & in pace rexit. Memoratur in charta Brunonis abbatis Dervensis pro mo-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI nasterio S. Germani Autissiodorensis an. 1051,
eodemque subscripsit fundationi abbatiæ Casæ-
Dei in Arvernia, & instrumentis pro monas-
teriis S. Remigii & S. Petri Milidunensis, &
1058. pro Hasnoniensi an. 1058. Adfuit consecra-
1059. tioni Philippi regis apud Remos anno 1059.
Regiis pro instauratione S. Martini Parisiensis
1060. literis subscripsit an. 1060, & sequenti chartæ
1061. Gauzberti militis pro monasterio Floriacensi.
« Ipse, inquit Clarius, oblationes ecclesiarum
» reddidit canonicis, quas præpositi abstulerant
» illis, abbatiam S. Petri, abbatem & monachos,
» quippe quia inter eos ab infantia fuit nutritus
» & literis edoctus, valde dilexit, consuetudines
» pravas, injustas & malas quas Gelduinus in ea
» miserat, & Rainardo comiti sua inertia mittere
» siverat, omnes ad nihilum magna vi & potentia
» redegit, & plus omnibus suis antecessoribus eam
» sublimavit. Hoc unum obfuit quod parum su-
» perfuit. » Denique ex eodem, anno ineunte
1062. 1062, IV nempe idus Martii obiit Mainardus
archiepiscopus peractis in episcopatu annis 12
& mensibus tribus & octo diebus, & juxta
patrem suum Mainardum & Daimbertum vice-
comitem fratrem suum sepultus est in capitulo
S. Petri cum hoc epitaphio :

Carus amor regum, patriæ decus, arma parentum,
Præsul Mainardus hic jacet eximius.
Effecit celebrem Trecis se præsule sedem,
Post Senonis sanctæ præfuit ecclesiæ.
Martius hoc sidus quarto substraxit in idus,
Ora, qui superes, sit Deus huic requies.

LIX. Richerius.

Ex archidiacono archiepiscopus ab omni clero
& populo electus Richerius, Parisiis in die sancto
Paschæ 1062 a Gaufrido episcopo ordinatus
est coram rege & principibus, octavaque post
die rediens Senonas in propria sede omnium
votis receptus est. Subscripsit chartæ Hugonis
episcopi Nivernensis pro instauratione monasterii
1063. S. Stephani III nonas Martii 1063. Gerberto
abbati S. Petri concessit ecclesiam de Ciconiis
mense Aprili Philippi regis 3. Principis hujusce
diplomatibus in gratiam S. Dionysii & S. Mar-
1067. tini a Campis subscripsit 1067. Nominatur
1068. an. 1068 in fundatione ecclesiæ de Castello-
forti : circa id tempus parochiam sancti Aigulfi
cellæ apud Pruvinum cognomini dedit. Ricardum
Bituricensem archiepiscopum Senonis consecravit
1071. die Paschæ 1071. Subscripsit eodem anno re-
giis literis pro cella Trecensi in concilio Seno-
nensi, & præcepto Burcardi Corboilensis pro
abbatia Corboilensi. Gerberto abbati S. Petri
largitus est ecclesiam S. Martini de Vimbredio
Philippi regis 12. Subscripsit diplomati Philippi
regis pro confirmatione prioratus de Monte-
1072. forti an. 1072. Circa id tempus datam Clunia-
censibus ab Arraldo Carnotensi episcopo præ-
bendam in ecclesia sua approbavit. In concilio
1075. Senonensi an. 1075 duo altaria Floriaco data
ab Hugone Trecensi episcopo confirmavit, sicut
& donum ab eodem factum de abbatia SS. Vin-

A centii & Agricolæ VIII id. Aprilis in crastino ANNI CHRISTI
Paschæ. In concilio Aurelianensi an. 1077 1077.
S. Symphoriani Æduensis ecclesiam Floriaco
datam comprobavit, subscripsit literis Philippi
regis ecclesiam de Cantoilo donantis canonicis
S. Gervasii prope Aurelianos. Richerio scripsit
anno eodem Gregorius VII, ut Robertum &
Hugonem fratres commoneret ecclesiæ Carno-
tensi ablata restituere, nec in eam deinceps se
immiscere. Scripsit quoque ei & Richardo Bi-
turicensi ut in communi concilio Rainerium
Aurelianensem damnarent. In concilio August-
todunensi hujus anni ab Hugone Diensi inter-
B dictus est, quod ad synodum non venisset, cum
aliis quinque episcopis summum adiit pontificem
a quo benigne exceptus est & ab interdicto ab-
solutus in concilio Romano 1078, pollicitus 1078.
expositurum se causam absentiæ suæ coram Le-
gato, qui de eo conquestus fuerat, eumque in
negotiis legationis ejus adjuturum. Arnulfo La-
tiniacensi abbati ex Italia cum reliquiis redeunti
an. 1078 obviam ivit Richerius, eumque ad
majorem ecclesiam cum clero & populo per-
duxit. Misit anno eodem monachos de Caritate
in ecclesiam B. Mariæ extra portam. Ecclesiam Ch. XIII, col. 14.
de Stabulis Guidoni abbati Cormaricensi a
C Pontio Pontis castri domino donatam concessit
mense Junio Philippi 19. Datam monachis
Molismensibus ab Humberto ecclesiam Flaciaci
approbavit an. 1079; subscripsit anno 1080 1079.
literis Gaufridi Mauritaniæ comitis monasterium 1080.
S. Dionysii de Nogiomo Cluniaco donantis,
alterique donationi eodem Cluniaco factæ ab
Harderico & Isembardo. Concilio Exoldunensi
interfuit an. 1081. Eodem in Senonensi mense 1081.
Octobri suburbano S. Remigii monasterio con- Ch. XIV, col. 14.
cessit ecclesiam S. Baldi (indict. IV). Excom-
municavit an. 1082 Robertum abbatem Res- 1082.
bacensem, quem in concilio Meldensi episcopum
D ordinaverat Hugo Diensis episcopus absque ejus
præsentia & assensu. Subscripsit judicio a Phi-
lippo rege in gratiam S. Germani a Pratis lato
adversus Hugonem Stavellum 6 Januar. 1082.
Circa id tempus Parisiis habuit concilium, in
quo monachis Burguliensibus invitatis, & adesse
renuentibus, ablata quam invaserant in suburbio
Aurelianensi ecclesia sancti Marcelli & Micia-
censibus restituta. Eo quoque tempore assensit
erectæ in ecclesia S. Petri Neronis-villæ cellæ
silvæ majoris. Walterium Meldensem episcopum
ordinavit IV non. Nov. 1085. Cellam beatæ 1085.
Mariæ de Carnerio dedit monachis de Caritate
E 1088. Electo in locum Gaufridi, cui favebat, 1088.
Ivoni Carnotensi episcopo, petentibus licet cle-
ricis anno 1090, nullum ad consecrationem 1090.
præfigere voluit diem, quem a se consecratum,
ut benigne complecteretur, ad Richerium scripsit
Urbanus II Papa VII cal. Dec. hujus anni, eique
ut ad ecclesiæ ipsius regimen auxilium suum
largiretur. Richerius tamen an. 1091 Stampis 1091.
cum Parisiensi, Meldensi & Tricassino episcopis
concilium habuit, in quo Ivonem accusavit quod
accepta a summo pontifice consecratione in re-
gem offendisset, conatusque est & Gaufridum

ANNI CHRISTI restituere & Ivonem deponere. Verum cum A apostolicam sedem appellasset Ivo, archiepiscopum & episcopos continuit. Ecclesiam beatæ Mariæ, & S. Eugenii in suburbio Senonensi, quæ postea Præmonstratensibus de Dilo cessit,
1092. dedicavit Richerius an. 1092. Invitatus magnis
1094. precibus an. 1094 a Philippo rege ut Remos ad concilium ire non dedignaretur, Remos perrexit & susceptus est cum maximo honore a Rainaldo Remensi archiepiscopo, seditque in concilio in nullo inferior Remensi archiepiscopo, sed penitus par & æqualis. Ab eodem rege obtinuit anno eodem diploma pro monasterio sancti Petri Melodunensis. Richerio jubente factus est B
1095. an. 1095 in monasterio S. Petri vivi solennis conventus in quo caput beati Gregorii cum osse S. Benedicti palam omnibus ostensum est. Apud Montem S. Mariæ in diœcesi Suessionensi cum Philippo rege & proceribus convenit anno eodem. Scripsit ei Urbanus II ut Guarnerium Pontionis filium commoneret libertati restituere Atrebatensem episcopum, quem ad concilium Claro-montense properantem ceperat. Cum eo Clarum-montem ingressus est XV cal. Decemb. hujus anni, ubi ab Hugone archiepiscopo Lugdunensi de primatu quem sibi concesserat Gregorius VII in jus vocatus Senonensis antistes, C cum judicium variis dilationibus & induciis eludere tentasset, a synodo die tertia se subtraxit, sexta vero ex totius synodi favore & judicio sancitum est Senonensem archiepiscopum Lugdunensi tanquam primati subjectionem obedientiamque debere: cui sententiæ se humiliter obedituros Senonensis ecclesiæ suffraganei propria quisque voce professi sunt. Nec sic acquiescenti Richerio, licet ab Aganone Augustodunensi & Lamberto Atrebatensi episcopis ab Hugone missis admonitus fuisset, Urbanus die synodi octava toto consentiente concilio pallii usum & suffraganeorum obedientiam, donec ipse obediret, D interdixit. Repetita fuit & iterum confirmata sententia in Turonensi & Nemausensi synodis anno sequenti, sed nec sic vinci potuit Richerii pervicacia, quamvis Ivo Carnotensis epistola 50 ipsi auctor fuisset, ut sententiæ synodicæ ac pontificiæ pareret, donec documentis authenticis ecclesiæ suæ libertatem vindicare posset. Et certe idem Ivo paulo post Richerio apud Montempessulanum a summo pontifice obtinuit usum pallii pro ordinatione & consecratione Willelmi
1096. Parisiensis recens electi 1096 ante festum sancti Remigii peragendis. Quinimmo a Richerio admonitus ut Sanctionem Aurelianensem electum E apud castrum Nantonis consecraret, recusavit Ivo propter primatum ecclesiæ Lugdunensis, *quem irrationabiliter refutat illa sedes* (Senonensis) inquit, & interdictum sedis apostolicæ. Nihil his commotus Richerius maluit interdictus obire, quam ecclesiæ suæ dignitati tantisper derogare. Antequam vero moreretur, procuravit electionem abbatis S. Petri, cui ipse multis præsentibus quis esset intimavit, inquit Clarius, quemque sic volebat vivere ut dignus esset regere commissos, de quibus ipse unus volebat esse & corpus suum eidem in eadem abbatia concessit Humandum. Quod aliter evenit quam ipse jussit prævalente invidia æmulorum ecclesiæ S. Petri. Ipse tamen omnia quæ habebat dans ecclesiis, clericis & monachis atque pauperibus, peractis in archiepiscopio 35 annis exceptis tribus mensibus & septem diebus, nudus omnibus rebus temporalibus diem clausit extremum VI calend. Januarii in die festo S. Johannis Evangelistæ anni 1096, & quia de ejus sepultura lis timebatur, sepultus est in ecclesia S. Stephani in oratorio S. Laurentii martyris. Memoratur cal. Januarii in necrologiis Parisiensi & Divionensi; cæterum basilicam S. Mariæ destructam renovasse dicitur, ejusque tempore templum sancti Saviniani restauratum fuisse. Ecclesiam de Cona monachis S. Martini a Campis largitus est. Plurimæ ad Richerium exstant epistolæ, Alexandri II 21.ª quæ aliis simul inscripta est archiepiscopis. Gregorii VII, lib. II, ep. 5, Remensi quoque & Bituricensi archiepiscopis inscripta ac episcopo Carnotensi, ubi sævit in Philippum Francorum regem, & 20.ª epist. 16, lib. III, qua queritur de episcopi Aurelianensis tum inobedientia erga S. Sedem tum simonia, lib. IV, epist. 9 & 15, lib. V, epist. VIII qua Richerium constituit judicem Rainerii Aurelianensis cum Richardo Bituricensi eorumque suffraganeis. Sunt etiam Urbani II duæ ad Richerium epistolæ 9 & 20.

LX. Daimbertus.

Exemto e vivis Richerio Daimbertus ipsius ecclesiæ vicedominus, an idem ac præpositus & archiclavis seu thesaurarius, an. 1084, nobilis & clarus ab omni clero & populo electus mense Januario 1097 benedictione pastorali caruit 1097.
anno uno & duobus mensibus: Ivo enim Carnotensis a congregatione S. Stephani invitatus electum ut in festo Purificationis presbyterum & sequenti Dominica antistitem consecraret, recusavit vigore canonum qui tumultuariam illam Epist. 58.
ordinationem extra tempora, prætermisso etiam coepiscoporum examine & consensu prohibebant, & Hugonem Lugdunensem interrogavit quomodo in ordinatione Daimberti se gereret: Epist. 59.
Commendant enim eum, inquit, *satis accurate electores ejus & generis nobilitate & morum honestate & publicarum actionum strenuitate*. Hugo autem occasionem nactus Senonensibus suffraganeis interdixit ne electo manus imponerent donec obedientiam debitamque subjectionem ipsi promisisset, ac primatum ecclesiæ Lugdunensis re- Epist. 60.
cognovisset. De quo indignatus Ivo Carnotensis omnium suffraganeorum nomine ep. 60 rescripsit rem insolitam, & nullo jure nullaque consuetudine fultam ab ipso postulari, quæ ipsi minime debebatur nec ratione primatus, nec ratione legationis apostolicæ qua fungebatur, pollicetur tamen se Daimberto auctorem futurum ut post consecrationem primatum Lugdunensem agnosceret. Eadem de re scripsit ad Epist. 65.
Urbanum papam. Primatus ecclesiæ suæ jus defendit Hugo epistola quam edidit Baluzius

Digitized by Google

ANNI CHRISTI Miscellan. t. VI, pag. 426. Urbanus autem in A Ivonem commotus fuit ab Hugone quasi male
Epist. 67. de primatu locutus fuisset. Itaque cum nil pro-
Gall. Christ. tom. IV, instr. col. 12. ficeret Daimbertus, Romam profectus, *sub eadem querela* ab Urbano II mense Martio 1098 or-
1098. dinatus est & cum apostolica benedictione & pallii decore rediit in sedem a monasterio sancti Petri collocatus XIV cal. Maii, lætante clero &
1099. bona devotione populi. Insequenti anno Romam iterum profectus, tum pro causæ primatus actione, tum pro communi synodica vocatione concilii Romani præsentibus Hugonis legatis Ismione Diensi episcopo, Girino decano, &c. sedis apostolicæ cogente judicio, omni demum B tergiversatione posita in manibus Urbani professus est VIII calendas Maii se & Lugdunensis ecclesiæ primatum agnoscere, & Hugoni ejusque successoribus tanquam primatibus obsecuturum, pollicitus etiam statuto a pontifice tempore ad festum S. Dionysii 1099 se Lugdunum iturum & in conspectu Lugdunensis ecclesiæ id ipsum ore proprio professurum. Suis stetit promissis Daimbertus, Lugdunum accessit, pacem cum archiepiscopo fecit, omnemque illi obedientiam tanquam suo primati promisit, cujus amicitiam & familiaritatem recuperavit, quique gratulanter eum vidit, exultanter recepit & quanta potuit C affectione honoravit, eodemque anno eum ad concilium apud Petram incisam invitavit. Eodem Daimbertus ipse cum suffraganeis concilium Stampis habuit. Triennio post Daimberto scripsit
Spicileg. tom. III, p. 126. Paschalis II consecratum a se Parisiensem episcopum salvo in omnibus Senonensis ecclesiæ jure & personæ ipsius reverentia. Manassem epis-
1103. copum Meldensem consecravit anno 1103. Eodem anno mense Septembri capellanis Stampensibus remisit adventum synodorum in urbe
1104. Senonensi. Insequenti cum pluribus pro querimoniis abbatum Senonensis diœcesis ab Hugone
Baluz. Miscell. tom. VI, p. 429. datis literis nullum dedisset responsum Daim- D bertus, altera eum commonuit epistola Hugo legatus, ut in concilio quod secunda post octavas Pentecostes feria Trecis celebraturus erat, de suis pariter & abbatis S. Petri vivi querimoniis justitiam acciperet & exhiberet. Eodem anno concilio Trecensi adfuit, & subscripsit chartæ Hugonis Campaniæ comitis pro monachis Molismensibus. Adstitit mense Julio conventui apud Balgentiacum, habito, ut discimus ex epist. 144 Ivonis, qui circa id tempus ad Daimbertum scripsit epist. 146, ut Galonem e Bellovacensi ad Parisiensem ecclesiam transferendum a summo pontifice postularet. Hoc adhuc anno adfuit sy- E nodo Parisiis mense Decembri habitæ pro absolutione & reconciliatione Philippi regis Francorum. Jam ad Daimbertum aliosque antistites scripserat Paschalis pro gratia reconciliationis suo nomine regi impertienda, qui epistola 36 dirimendam ei commisit duorum abbatum Vizeliacensis & Floriacensis causam. Transtulit anno
1106. 1106 die festo SS. Simonis & Judæ corpus S. Lupi in ecclesiam S. Columbæ. Consecravit
1107. an. 1107 ecclesiam SS. Saviniani & Potentiani in pago Milduino paterno solo in villa dicta

Rampellunnus. Ludovicum VI regem Aurelianis III non. Augusti 1108 inunxit, coronavitque ANNI CHRISTI 1108.
cum Ivone Carnotensi & Johanne Aurelianensi episcopis contra prærogativam Remensis ecclesiæ ad quam tum ob civiles principum dissensiones liber ac facilis accessus non erat. Ea de re nihilominus conquesti sunt Remenses clerici, quibus pro Daimberto respondit Ivo ep. 189 id potuisse fieri absque præjudicio Remensis ecclesiæ antecessorum regum exemplo quos in aliis ecclesiis quam Remensi inauguratos fuisse demonstravit; qua de re etiam disserit Sugerius in vita ejusdem Ludovici cap. 12. Ecclesiam *d'Aussonville* Guillelmo abbati sancti Germani a Pratis
an. 1109 concessit Daimbertus. Concilio Flo- 1109.
riacensi adstitit anno 1110, cui præfuit Ri- 1110.
chardus Albanensis episcopus sedis apostolicæ legatus. Canonicos regulares e sancto Quintino Ch. XVIII,
Bellovacensi ad ecclesiam S. Johannis evocavit col. 18.
anno 1111 archiepiscopatus 14. Eodem sub- 1111.
scripsit diplomati Ludovici regis pro canonicis S. Genovefæ Paris. Hoc adhuc circiter anno concilium habuit Senonis adversus investiturarum
privilegium. Ecclesiam de veteribus Stampis Ch. XX,
perpetuo confirmavit monachis Maurigniacen- col. 20.
sibus mense Januario 1112, & subscripsit di- 1112.
plomati Ludovici regis pro monachis Floriacensibus in conventu Belnensi, & abbati S. Dionysii sub censu tradidit altare de Belna in pago Wastinensi mense Septembri. Invitatus anno eodem a Joceranno Lugdunensi primate ad concilium Anlanum pro damnandis investituris beneficiorum ecclesiasticorum quas vi coactus Paschalis II imperatori permiserat, adesse recusavit scripta per Ivonem suffraganeorum nomine epistola 226, qua contra consuetudinem Patrum extra provinciam ire renuunt. Reponit Jocerannus epist. 227 secundam vel tertiam Lugdunensem provinciam, alienam non esse provinciam a prima idemque jus esse primatibus ac metropolitis. Memoratur in charta fundationis
abbatiæ S. Victoris Parisiensis an. 1113. Pri- 1113.
vilegia ab Ivone episcopo totoque Carnotensi capitulo monachis Tironensibus concessa confirmavit pridie nonas Februarii. Concilio Bello-
vacensi adstitit an. 1114, & ecclesiam S. Eonii 1114.
Adamo abbati S. Dionysii donavit. Concilio
Remensi adfuit an. 1115, & duo altaria apud 1115.
Fontanas & Ulmetum capitulo Aurelianensi dedit. Forte sub id tempus Paschalis II ad Daimbertum direxit epistolam de qua supra ipsum ad vigilantiam hortaturus, monensque appropinquare ipsius finem. Numeratur Daimbertus inter præcipuos præsules qui in concilio Remensi sub
Callixto II sederunt mense Octobri 1119. 1119.
Concessit eodem canonicis S. Lisardi Magdunensis ut ecclesia de Paniceriis a persona vicarii & pastu libera omnino foret & immunis. Ecclesiam S. Lupi remota quoque vicarii persona sub annuo censu donavit Adamo abbati S. Dionysii
an. 1120. Ad concilium Bellovacense habitum 1120.
XV cal. anni ejusdem molestia corporis detentus venire non potuit, inquit Clarius, & tamen Lisiardus Suessionum præsul qui & ipse concilio

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1121. *Spicileg. tom. 3. p. 147.*

interfuit, Daimbertum inter ejus patres numerat. Anno 1121 Callixtus II Humbaldo archiepiscopo Lugdunensi primatum confirmavit, de quo cum Ludovicus VI Francorum rex qui moleste ferebat provinciam & metropolim Senonensem Gregorii VII decreto Lugdunensi subjectam, forte conquestus esset, pontifex sententiam in metropolitanum Senonensem relaxavit ad tempus. Ludovicus vero cui non sufficiebat temporaria illa relaxatio, gravissimam ad Callixtum misit epistolam anno 1121, in qua de injuria sibi & ecclesiæ Senonensi illata graviter conqueritur, cui se nunquam assensurum asserit. *Facta est enim ut dicitur latenter & quasi furtive subjectio ista, nesciente scilicet clero Senonensi inconsultis etiam episcopis illius diœcesis, ignorante etiam rege, in quibus omnibus dignitas pendet ecclesiæ, & subjectio taliter facta respicere potius videtur ad ignominiam accipientis quam ad commodum ecclesiæ nescientis. Res enim communis communi tractanda est consilio, non latenti & privato terminanda colloquio. Cum igitur dignitas sit ecclesiæ non personæ, si Senonensis archiepiscopus iste & quidem solus, de non sua fecit quod non opportuit, si promisit quod non debuit, ecclesia tamen Senonensis quod suum est non amisit, nec privatam libertatem quam ex antiquitate habuit, nec cogenda est ad subjectionem quam nunquam exhibuit.* Daimbertus ecclesiam de Cona monachis S. Martini a Campis confirmavit, altare de Seuga monachis Fossatensibus permisit, & a Philippo rege obtinuit ut claustrum canonicorum vallo muniretur. Anno autem ordinationis suæ non. 27 ut Clarius, sed 25 pene transacto
1122. defunctus IV cal. Dec. 1122, sepultus est in capitulo S. Petri, cui abbatiæ plurimum faverat. Nonnullæ ad eum extant Ivonis epistolæ, ejusque ad Ivonem. Baluzius Miscell. tom. V, p. 344, edidit epistolam Lamberti Atrebatensis episcopi ad Daimbertum mittentis chirotecas auro frixo adornatas & manutergium.

SANGLIER.

LXI. HENRICUS I.

Genere nobilis Henricus Aper dictus, cujus cognominis antiqua familia dominorum *de Boisfrogues* floruit olim in Lodunensi pago, ex canonico ad preces regis electus est archiepiscopus an. 1122, & in ecclesia sua consecratus. Fossatensibus monachis confirmavit mense Febr.
1125. 1125, indict. 3, quod eis concesserat Daimbertus ut altare de Seuga vicario liberaretur, dummodo annuum 20 solidorum censum ei persolverent, quem eis remisit calendis Maii anni ejusdem. Subscripsit diplomati regis pro canonicis S. Victoris Paris. anno eodem dona-
1126. tionesque ipsis confirmavit. Insequenti altaria Ethmanni & S. Germani monachis Pratensibus sub annuo censu vicariis remotis concessit mense Martio, Ludovici regis anno 17, indictione 4. Decimas omnes quas in diœcesi Senonensi habebant, monachis Pontiniacensibus concessit 1126 mense Julio, episcopatus 5. Circa id tempus cum aulicæ vitæ moribus prius assuetus, consiliis Gaufridi Carnotensis & Burchardi Meldensis episcoporum vitam in melius commutasset, a

ANNI CHRISTI

A Ludovico rege persecutionem passus est, ita ut ipse & Stephanus Parisiensis ad Cisterciense capitulum quod tunc celebrabatur convenientes, fraternitatis jure qua tum ipsi tum etiam rex Cisterciensibus sociati erant, litteras ad flectendum regis animum a patribus impetraverint, quas cum Bernardus regi obtulisset repulsam passus est. Ejus quoque in gratiam Bernardus idem scripsit epistolam 49 Honorio summo pontifici. Ad eumdem etiam hoc tempore S. Bernardus direxit epistolam 42 inter tractatus editam, ubi agit de moribus & officio episcoporum. Non tamen ita mores suos composuit
B Henricus ut in Bernardi exprobrationem non incurrerit ob iniquam vexationem cujusdam archidiaconi ecclesiæ suæ, quem non modo judicio non convictum, sed nec verbo conventum dignitate privavit, teste Bernardo epistola 182 ad eumdem. Anno 1127 cum Stephano Parisiensi, 1127.
Attone Trecensi & Burchardo Meldensi synodum habuit. Trecensi adfuit an. 1128 & Stam- 1128.
pensi 1130, ubi pro legitimo pontifice agnitus 1130.
est Innocentius II qui in monasterio Maurigniacensi altare quod est ante crucifixum in honorem S. Laurentii & SS. martyrum consecravit XIII
C cal. Februarii 1131, qua in solemnitate Henricus 1131.
capellani functus est officio. Bona data a Daimberto ecclesiæ S. Johannis confirmavit an. 1132, 1132.
indict. 10, pontificatus 10, eidemque donavit ipse ecclesias de Sosiaco, de Carris & de Nibella. Subscripsit eodem anno diplomati Ludovici Crassi Ch. XXIX, col. 31.
pro fundatione Dei-loci, quem canonicis regularibus liberum concessit X cal. Augusti 1133, Ch. XXX, col. 31.
pontificatus 11, sede Aurelianensi vacante anno 1132. Archembaldus S. Crucis subdecanus querelas ad eum detulit adversus Johannem archidiaconum & fautores qui damna & dedecus ei intulerat, a quo anno sequenti occisus est.
D Hanc in rem Henrico quoque scripsit Gaufridus Carnotensis. Aliæ sunt in tomo III Spicilegii literæ Henrici ad Stephanum Paris. episcopum, & Stephani ad Henricum ejusdem ferme anni. Circa id tempus ecclesias de Mererivilla & de Ch. XXXI, col. 31.
Lorreio Ernaldo abbati Bonævallis concessit. Ecclesiam de Branlis Henrico Ferrariensi abbati concessit 1133. Eodem controversiam inter 1133.
canonicos de Firmitate Galcheri & monachos de Domo-Dei arbiter diremit mense Decemb. indictione II, episcopatus 11. Eodem canonicis S. Johannis dedit prioratum Castri-Rainardi. Eodem scripsit ei & archiepiscopo Remensi Pisis
E Innocentius II 21 Dec. ut in parricidas Thomæ prioris S. Victoris citius animadverterent, qua de re concilio apud Jotrum a Gaufrido Carnotensi episcopo sedis apostolicæ legato invitatus adstitit, & tanti facinoris auctores cum aliis excommunicavit. Concilio Pisano interfuit anno 1134, & in reditu suis pene omnibus amissis 1134.
cum Bituricensi archiepiscopo vix ad Pontem tremulum in Liguria tremulus & anhelus pervenit, ubi cum aliis & episcopis & abbatibus secundo carceri conclusus est a prædonibus per Italiam grassantibus qui Conradi partes sectabantur. Dedit an. 1135 canonicis S. Johannis 1135.
ecclesiam

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ecclesiam S. Magdalenæ de Monte-Argiso. Donum ab Aganone de Malicorna factum ecclesiæ de Fonte Johannis confirmavit an. 1136. Conventum habuit Pitiveris anno eodem pro causa matrimonii inter Archembaldum de Soliaco & Mathildem filiam Rodulfi de Balgenciaco quibus opponebatur parentelæ titulus, ibique cum, nonobstante Archembaldi ad sedem apostolicam appellatione, testium de parentela juramenta suscepisset, ab officio episcopali suspensus est ab Innocentio II literis datis Pisis XVIII cal. Febr. 1137, qui componitur cum anno ejus episcopatus 14 in charta pro monasterio S. Petri Autissiodorensis. Rissendi abbatissæ Farensi concessit capellam apud villam de Valaorio anno eodem. Circa id tempus Ascelino abbati Fossatensi dedit ecclesias de Acheriis & de Calliaco. Confirmavit anno 1138 donum ecclesiæ de Lorriaco factum Floriacensibus monachis a Ludovico rege. Unus fuit ex arbitris notæ discretionis inter Joslenum Suessionensem & Attonem Trecensem episcopos anno eodem, quo S. Florentini ecclesiam ab Henrico monachis S. Germani Autissiodorensis concessam confirmavit Innocentius II. Concilio Lateranensi adfuit an. 1139, & suspendit Thomam abbatem Mauriniacensem quod ei non interfuisset, quamvis rex Ludovicus excusatorias archiepiscopo pro eo literas scripsisset. Thomas autem licet paulo post ab Henrico restitutus, pastoralem curam inconsulto archiepiscopo abjecit. Inde iratus Henricus novam monachis electionem interdixit, nec electo benedictionem impertiri voluit, prius quam Thomas per baculum non per librum curæ pastoralis ministerium ei reddidisset. Datam monialibus de Hedera decimam *d'Amerbois* confirmavit 1139, & monachis Pontiniacensibus usum in nemoribus suis per Otam concessit. Insequenti Abelardus spe S. Bernardi sophisticis philosophiæ captionibus revincendi illectus, apud Henricum satis egit ut disputationem publicam inter eum & S. Bernardum indiceret. Celebratur itaque synodus apud Senonas in octavis Pentecostes, cui præter suffraganeos interfuere *Sanson* Remensis, Joslenus Suessionnensis & Gaufridus Catalaunensis episcopi. Ad eam literis invitatus abnuit ad disputandum adesse Bernardus, quod de recenter damnatis erroribus quæstio renovaretur, cum tamen proclamatus fuisset disputationis dies & undique ad eam viri concurrissent, ne insultaret hæreticus, conventui rex Ludovicus interesse voluit, ubi productis in præsentia omnium ex libris Abelardi capitulis, nihil prorsus respondere valens ad sedem apostolicam appellavit Abelardus. Nihilominus vero antistites Gallicani eum damnarunt, scripseruntque ad Innocentium papam epistolam inter Bernardinas 337, qui judicium eorum confirmavit rescripta ad Henricum cæterosque epistola Laterani XVII cal. Augusti ibid. 194. Hoc autem in conventu Ludovicus rex devotione motus sacra reliquiarum ecclesiæ Senonensis pignora invisit, Bernardo demonstrante. Hoc quoque anno Henricus Gilduino

Margin: 1136. Ch. XXXIII, col. 33. 1137. 1138. 1139. 1140.

A abbati S. Victoris Parisiensis ecclesiam B. Mariæ Floriaci possidendam tradidit, majoremque ecclesiam renovare cœpit. Insequenti rogatus a Garino de Venisiaco donum ejus factum Pontiniaco confirmavit an. 1141, indictione IV, epacta XI, nonis Augusti. Mortuus vero est tempore quo ecclesia Bituricensis pastore suo orbata schismatis morbo laborabat, nempe an. 1142, & quidem IV idus Januarii, vocesque auditæ sunt media nocte primum in burgo sancti Petri, postea in civitate, ex Clario. Et certe licet increpitus a S. Bernardo fuisset epistola 182, quod archidiaconum non recte deposuisset, benedictus ab ipso B laudatur in epistola 202 ad clerum Senonensem, quem monet electionem novi præsulis non esse inconsulte & præcipitanter instituendam. Sepultus primo Henricus in capitulo S. Petri, alio translatus est dum fundamenta novi ædificii jacta sunt.

ANNI CHRISTI. Chesnius tom. IV, p. 386. 1142.

LXII. HUGO I.

DE TOUCY.

Defuncto Henrico, S. Bernardus Senonenses canonicos epistola 202 hortatus est, ut *quemadmodum*, ait, *grandis res erat nobili Senonensi ecclesiæ instaurare pastorem, sic de substituendo antistite sedulo satagerent.* Bernardi votis obtemperans clerus Hugonem præcentorem concorditer paulo C post elegit, qui vir quantus fuerit, declarat ejusdem cleri epistola de ejus electione scripta episcopo Carnotensi, ad quem interim consilium Senonensis ecclesiæ specialiter pertinebat, ut benedictionis munus ei impenderet, seu, ut legitur in Sammarthanis, ut benedictionis munus ei imponeret. Hugo autem filius erat Girardi de Narbonne & Agnetis, & germanus Guillelmi archidiaconi, tum præpositi Senonensis & postea episcopi Autissiodorensis, ac Hervæi Senonensis præpositi. Annum autem quo electus est indicat consolatoria quam ipse juvenis statim de morte Parisiensis episcopi ad clerum illius ecclesiæ di- D rexit epistola, quem portionem animæ, baculum juventutis consolatorem & eruditorem vitæ suæ, ordinatorem & doctorem suum plangit amissum. Hugo itaque jam erat archiepiscopus an. 1142, quo defunctum diximus Stephanum Parisiensem episcopum. Occurit anno eodem in tabulario Barbelli, & an. 1143 in charta Pontiniacensi. 1143.
Huic mandavit Cœlestinus II XIII cal. Martii 1144, ut Amedeum Lugdunensem archiepiscopum primatem suum agnosceret eique obediret. 1144.
Eodem anno Hugo, non Werdo aut Wido, altare S. Eadmundi regis in dedicatione basilicæ S. Dionysii consecravit; ecclesiam quoque Vallis- E Lucentis solenniter dedicavit in festo S. Dionysii. Circa id tempus dissidium inter monachos sanctæ Columbæ & moniales Paracliti super decima territorii Pomerii composuit. Convenit anno 1145 cum Hugone abbate S. Germani a Pratis pro capella S. Laurentii *de Laval.* Dedit anno eodem Rainardo abbati S. Johannis ecclesiam *de Noem*, & Dei-loco factas donationes confirmavit. Facta est a rege Ludovico anno 1146 in civitate Senonis communia quæ ab eodem & Eugenio papa destructa est anno 1149. Hugone archiepiscopo, habitus Stampis magnus

Margin: 1145. Ch. XXXVI, col. 34. 1146. Ch. XXXIV, col. 33.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

epiſcoporum & procerum regni conventus menſe Februario 1147, ubi actum de Jeroſolymitano
1147. regis itinere & adminiſtratione regni. Eodem
Charta XXXVII, col. 35. anno memoratur Hugo in diplomate Ludovici regis pro Barbello; eodem archiepiſcopatus
Charta XXXVIII, col. 36. quinto donationi factæ Eſcarliis ſubſcripſit. Annus 1148 dicitur Hugonis 6, 1151 & 1152
1148. annus 9 in chartis Dei-loci. Girardi abbatis S. Columbæ ad preces, quoniam ambiguum erat utrum corpus S. Lupi in eccleſia S. Columbæ cum capite quieſceret, capſam ſancti aperuit anno circiter 1148 aut ſequenti, in qua invenit in-
Charta XL, col. 37. tegrum corpus cum capite. Circa id tempus abbatiam de Noereia paupertate fatiſcentem Garnerio primo abbati Caſtri-Nantonis conceſſit.
Ch. XXXIX, col. 37. Cum Odone decano reperitur Hugo in chartis
1151. Pontiniaci 1151, quo anno eccleſiam de Fontanis monachis S. Martini a campis largitus eſt. Circa id tempus chartam dedit de conditione
Ch. XLII, col. 38. parthenonis Pomerii. Concilio Balgenciaci præ-
1152. fuit an. 1152, ubi prolata eſt ſententia divortii inter Ludovicum VII Francorum regem & Alienoram quæſita ex cognatione cauſa. Eodem epiſcopatus nono pacis compoſitionem inter
Ch. XLIII, col. 39. monachos Scarleiarum & Siguinum infantem confirmavit. Eodem civitas Senonenſis incenſa
1153. fuit. Adſtitit an. 1153 judicio lato a Ludovico rege inter Godefridum Lingonenſem epiſcopum & Odonem Burgundiæ ducem. Conſtantiam ſecundam Ludovici regis uxorem reginam inunxit
1154. Aurelianis an. 1154 qui dicitur annus ejus 11 in chartis Ferrarienſibus. Collata a deceſſoribus
Ch. XLV, col. 41. Richerio, Daimberto & Henrico Moliſmenſibus monachis in eccleſia Senonenſi confirmavit eodem anno, quo reperitur adhuc in charta compoſitionis inter canonicos Caſtri-Rainardi & monachos de Caritate, præſentibus Hervæo præpoſito, Odone decano, Willelmo archidiacono, Simone theſaurario, Simone cellerario, &c. Annus 1155 dicitur præſulatus ejus XIII in chartis Vallis-Lucentis. Primam Barbelli eccle-
1156. ſiam in honorem S. Juliani dedicavit an. 1156. Eodem adſtitit detectioni & expoſitioni tunicæ Chriſti Domini quæ in Argentolienſi monaſterio reperta eſt. Eodem Ludovicus rex Senonenſem eccleſiam liberavit a malis & peſſimis exactionibus, quibus decedente archiepiſcopo fatigari ſolebat, & opprimi cum bona defuncti ſub
1158. manu regia detinebantur. Annus 1158 convenit cum Hugonis anno 12, forte 14, in charta
Charta II, col. 359. caſtri Nantonis. Bona S. Remigii confirmavit
1159. anno 1159. Eodem moniales e conventu Julia-
Ch. XLVII, col. 42. cenſi in diœceſi Lingonenſi juſſu Guilenci abbatis Moliſmenſis ad locum dictum Frigidum-mantellum advenientes excepit, cœmeterium earum benedixit, altare conſecravit, bona confirmavit, locumque Liberam-vallem appellari
Ch. XLVIII, col. 43. voluit. Cum Theobaldo * Pariſienſi & Manaſſe Aurelianenſi epiſcopis delegatus ab Adriano papa anno 1159 pro controverſia inter canonicos regulares & ſeculares dirimenda de poſſeſſione eccleſiæ S. Quiriaci Pruvinenſis, habito tandem

* Non ergo mortuus eſt Theobaldus anno 1157, ut diximus tom. VII, col. 67, melius vero 1159.

canonicorum regularium conſenſu de tranſlatione ipſorum ab eccleſia S. Quiriaci ad eccleſiam S. Jacobi chartas confecit, teſtibus illius con- Ch. XLIX, col. 44.
ventionis, Matthæo S. Quiriaci decano & Re- Charta L, col. 44.
naudo S. Jacobi abbate an. 1160, pontificatus Charta LII, col. 46.
18. Eodem Pariſiis filiam Theobaudi comitis 1160.
Campaniæ Adelam tertiam uxorem Ludovici regis in eccleſia B. Mariæ reginam unxit, ipſamque cum Ludovico rege præſentibus tribus cardinalibus Ottone videlicet, Willelmo Papienſi & Henrico Piſano coronavit in feſto ſancti Bricii miſſæque officium ſolenniter celebravit. Invenit anno eodem corpora SS. martyrum Potentiani & Altini ſub majori altari S. Petri, & ibi repoſuit. Anno eodem de mandato Adriani IV, ab Odone abbate S. Columbæ obtento, Hugo pro removenda ambiguitate de corpore S. Lupi in eccleſia Charta LI, col. 45.
S. Columbæ, in loco ſpatioſo palam oſtendit populo frequenti caput & oſſa S. Lupi VIII cal. Julii, archiepiſcopum comitantibus Manaſſe Aurelianenſi & Alano Autiſſiodorenſi epiſcopis. Lis ab aliquanto tempore inter monachos S. Columbæ & parochianos S. Lupi de Naudo orta fuerat quibus portionem reliquiarum quas a monachis acceperat tempore Theobaldi abbatis conceſſiſſe fertur Hugo: neque ſic tamen finita eſt ante annum 1212, quo Innocentio III jubente poſſeſſio corporis & capitis S. Lupi monachis S. Columbæ adjudicata eſt ab apoſtolicis delegatis. Memoratur adhuc Hugo in donatione facta Moliſmenſi monaſterio anno 1160 a Fromundo de Joviniaco, & Heliſſende uxore. Confirmavit an. 1161, pontificatus 19, Landrico 1161.
abbati Mauriniacenſi eccleſias ſuæ diœceſis omnes in quibus jus præſentationis habebant monachi. Eodem anno cum rumor increbuiſſet caput S. Genovefæ a furibus ſublatum fuiſſe, de mandato regis capſam aperuit Hugo die 10 Januarii cum Alano Autiſſiodorenſi & Manaſſe Aurelianenſi epiſcopis, falſumque rumorem regi comprobavit. Compoſuit an. 1162, epiſcopatus 20, cum Do- 1162.
done Ferrarienſi abbate de eccleſiis quas reclamabant monachi. Concilio Monſpelienſi adfuit anno eodem in feſto Aſcenſionis, ubi Alexander III diris devovit Octavianum antipapam. Clementiæ abbatiſſæ Ederenſi dedit minutam decimam de Barberunvillis an. 1163, pontificatus 1163.
(23). Adſtitit concilio Turonenſi anno eodem, unde reducem Alexandrum III ſummum pontificem Senonis pridie cal. Octobris cum multis epiſcopis, abbatibus & omnibus vicinarum eccleſiarum conventibus in eccleſia S. Stephani perhonorifice excepit. Hac autem in urbe per annum & dimidium commoratus in ſede archiepiſcopali Alexander ad preces Hugonis conſecravit XIII cal. Maii 1164 altare in honorem SS. apoſto- 1164.
lorum Petri & Pauli in eccleſia nova, & VII calendas ejuſdem menſis eccleſiam S. Columbæ. Circa id tempus prioratum B. Mariæ de Calvimonte ſuper Icaunam a vicecomite Senonenſi fundatum ad preces Alexandri III cœnobio ſancti Johannis confirmavit, & annuale unius præbendæ Ch. LIV, col. 43.
in eccleſia S. Stephani an. 1164. Eodem, epiſcopatus (24) præſens fuit ſacramento quod epiſ-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI copo Meldensi Stephano præstitit Bricius abbas A Resbacensis. Delegatus a summo Pontifice excommunicavit Vizeliacensibus infestos comitem
1165. Nivernensem & matrem ejus mense Nov. 1165, hancque sententiam significavit Henrico Augustodunensi, Galtero Lingonensi, Alano Autissiodorensi & Bernardo Nivernensi episcopis. Anno
1166. 1166 S. Thomam Cantuariensem apud Senonas honorifice excepit, qui in monasterio S. Columbæ per annos quatuor mansit. Anno eodem Hugo concilio Bellovacensi interfuit, & signum crucis Guillelmo comiti Nivernensi ob Jerosolymitanam profectionem dedit apud Caritatem.
1167. In chartis Pontiniaci anni 1166 & 1167 dicuntur Hugonis 25 & 26. Pro ecclesia majori B S. Stephani quam Henricus inceperat, multum laboravit, & eam fere perfecit. De quercu firmissimo stallos in choro fieri procuravit & ornamenta multa dedit, reliquias visitavit & honestissime collocavit. Vallis quoque Lucentis incremento plurimum studuit, cui varias militum donationes corroboravit & dissidia amice composuit. Extremum diem obiit III non. Februarii
1168. 1168 ex martyrologio S. Petri quem necrologium S. Stephani defunctum prodit v cal. Aprilis, forte sepultum. In ecclesia S. Petri sepultus est C in medio chori sub lapideo sepulcro cum hoc qualicumque carmine:

Præsulis hic Senonis corpus requiescit Hugonis,
Sit comes ipse bonis regno superæ regionis.
Juris pacificus moderator, pacis amicus,
Verus catholicus qui nulli vixit iniquus:
Cultor erat fidei, det ei sedem requiei
Filius ille Dei, qui lux est vera diei.

Plurima Alexandri III ad Hugonem leguntur rescripta cap. 8 *si vero* de jurejurando, & cap. 2 *sicut Roma* de rescriptis, cap. 1 de renunciatione, D collect. 1. Extant quoque epistolæ mutuæ Eugenii III, Sugerii abbatis S. Dionysii & Hugonis tom. IV Chesnii & tom. X conciliorum Labbei.

DE CHAMPAGNE.

LXIII. GUILLELMUS III.

De Guillelmo jam diximus tomis VIII & IX, electus enim erat Carnotensis, cum Sabbato ante Natale Domini 1165 ad diaconatus ordinem promotus est apud Senonas ab Hugone archiepiscopo, cujus defuncti successor dictus Guillelmus a Mauricio Paris. episcopo consecratus est
1169. XI cal. Januarii 1168. Et certe annus 1169 dicitur archiepiscopatus ejus I in charta Scarleia- E rum. Hoc quoque primo anno legitur sedis apostolicæ legatus in tabulis Barbelli. Eodem anno privilegia monasterii comprobavit III idus Maii. Ecclesiam collegiatam B. Mariæ de Braio fundatam ab Henrico comite Campaniæ dedicavit 31 Augusti. Anno eodem Viviano & Gratiano qui legati a summo pontifice pro concordia Henrici regis & Thomæ Cantuariensis archiepiscopi Bajocas in Normannia convenerant, scripsit ut reconciliationem Henrici respuerent, nisi esset
Ch. LVI, col. 49. ingenua. Eodem anno in diœcesi apud Fontembleaudi constructa fuit a Ludovico rege & dotata ecclesia in honorem Dei, B. Mariæ & sancti ANNI CHRISTI
Saturnini martyris. Anno 1170 mediator fuit 1170.
pacis inter S. Thomam Cantuariensem archiepiscopum & Henricum Angliæ regem, quæ facta est mense Julio. Delegatus a summo pontifice ut ortam inter Mauricium Parisiensem episcopum & capitulum super reditibus vacantis decanatus querelam terminaret, literis hoc anno datis significat canonicos arbitrio episcopi se commisisse. Ludovicus rex anno eodem Nemosii collocavit partem calvitii S. Johannis B. quam Sebastensis Ch. LVIII, col. 50.
episcopus Rodulphus ipsi tradiderat, ac missis illinc ad se monachis seu canonicis ipsam commisit, quibus & ecclesiam construxit sub illius patrocinio, certos reditus eisdem consignans. Guillelmus autem quasdam ecclesias eisdem attribuit eodem anno, atque ab illo tempore tanta loco celebritas accessit ob mirabiles eorum qui comitiali morbo corripiebantur sanationes ut nosocomium etiam atque diversoria complura ibidem ædificata sint, e quibus oppidum Nemosium sensim conflatum est. Pactum inter canonicos Aurelianenses & monachos Bonævallis confirmavit Guillelmus an. 1171, donumque 1171.
ab Hugone decessore B. Mariæ de Campis confirmavit. Circa id tempus ab Alexandro III delegatus est ut visitaret monasterium S. Victoris Paris. & inquireret de vita & moribus abbatis, quo anno 1172 abdicante, Guillelmo Theode- 1172.
ricus & Alexander cardinales scripsere ut Ervisio quondam abbati locum ad quem missus fuerat retinere conanti resisteret, & Mauricius episcopus Paris. ut ad S. Victorem accedens ecclesiæ thesaurum quem Ervisius retinere conabatur Guarino restitueret. De mandato Alexandri III cismarinam regis Angliæ terram interdicto subjecit, quod approbavit summus pontifex bulla data Tusculi pridie idus Maii. Canonicis S. Johannis concessit an. 1172 prioratus B. Mariæ de Bosco communi, sancti Martini *de Montebarres*, de Molendino leonis, de Villanova archiepiscopi, de Vallemauri & de Sorbona. Ecclesiam de Columeriis ad preces Archembaldi de Karisino monachis Vindocinensibus assignavit anno eodem apud S. Launomarum. Confirmavit anno eodem bona ecclesiæ de Corra, quæ a Roscelino milite Cluniacensibus data fuerant de consensu Richarii & Daimberti decessorum. Hoc autem anno in diœcesi prope S. Mauricium fundata domus ordinis Grandimontensis a Drocone de Melloto domino Locharum & S. Mauricii, quæ vulgo Vetus pediculus appellatur. Decimam loci dicti *Meun* in parochia Acheriarum concessit monachis Fossatensibus, in capella reginæ commorantibus anno 1173. Eodem annualia ecclesiæ 1173.
S. Mauricii monachis Josaphatensibus largitus est. Reperitur an. 1174 in chartis ejusdem mo- 1174.
nasterii, quibus significat Isabellam *Dordan* dedisse monachis terram *de Boschat* juxta Dordanum. Eodem conciliavit abbatem S. Remigii cum Angalone de Silleniaco disceptantem pro hominibus de Chaniaco. Concessis quibusdam ecclesiis quatuor præbendas instituit in Senonensi ad altare S. Johannis an. 1175. Eodem præ- 1175.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

sentationem ecclesiæ S. Mauricii Arnulfo priori S. Arnulfi de Evelina adjudicavit. Eodem do-
1176. num Pontiniaco factum approbavit. Anno 1176 præpositi dignitatem quæ prima post archiepiscopum erat, abrogavit, statuitque ut decanus locum illius obtineret, cui fructus ecclesiarum S. Flo-
Charta LXI, col. 53. rentini & Campi laïci perpetuo univit. Eodem anno præcentori concessit ut nulli absque ejus licentia liceret ludum literarium aperire in urbe aut vicis intra decem castra vicina. Eodem decimas novalium Villænovæ comitis sibi a fratre
Charta LX, col. 52. suo Trecensi comite relictas legavit monasterio S. Columbæ. Eodem bona S. Remigii confirmavit. Eodem ecclesias de Bussiaco & de Pareto Præmonstratensibus Dei-loci concessit. Eodem
Charta LIX, col. 51. secularibus canonicis ad S. Quiriacum Pruvini reversis privilegia concessit & donavit ecclesias de Pareto & de Villænis. Eodem canonicos regulares ab ecclesia S. Quiriaci ad ecclesiam sancti Jacobi Pruvinensis translatos confirmavit. Eodem ecclesiam de Grandicampo a Radulfo abbate Cluniacensi ejus consanguineo ecclesiæ de Nantolio concessam approbavit. Eodem significavit Simonem de Nealfa pro anima Simonis *de Malrepast* quem interfecerat ecclesiæ de Basino dedisse quidquid in ea possidebat. Eodem disceptantes conciliavit canonicos Carnotenses cum monachis S. Martini de Valle, canonicos S. Marcelli Parisiensis cum monachis Majoris monasterii super terra *de Auvilers*, & Hugonem abbatem S. Germani a Pratis cum Reginaldo de Pagiaco domino Mareolarum. Eodem denique anno traductus est ad Remensem metropolim. Quo autem tempore Senonis sedebat plurima a rege obtinuit pro ecclesia sua beneficia, in primis exemtionem hospitii in villa S. Juliani de Saltu, & ab Henrico comite Germano aliquot reditus in teloneis Pruvinensibus quos ecclesiæ suæ attribuit, pro cujus augmento jurisdictionem in villa *de Rousson* archiepiscopo acquisivit. Guillelmo adhuc Senonensi Petrus Comestor dicavit historiam scholasticam & librum de theologicis sententiis. Duæ quoque extant Guillelmi Senonensis ad Alexandrum III epistolæ de morte S. Thomæ Cantuariensis, pro quo strenue se gessit, necnon & pro Hugone Suessionensi episcopo cancellario qui a gratia regis exciderat. Literarum ejus meminit Alexander epist. 36, in cujus inscriptione Guillelmus appellatur apostolicæ sedis legatus. Ex hac intelligitur quanto studio causæ Thomæ Cantuariensis archiepiscopi adversus Henricum regem patrocinaretur Guillelmus. Epistola 39 ei & archiepiscopo Rotomagensi præcipit summus pontifex in virtute obedientiæ ut Anglorum regem adeant, eumque cogant ad pacem Thomæ concedendam omniaque ablata restituenda. Porro qualis & quantus vir jam fuerit Guillelmus archiepiscopus Senonensis, indicat epistola Rotrodi Rotomagensis ejusdem implorantis opem, ut nobilis villæ Andeliacensis exitium ex bello Francorum adversus Anglos impendens amoliretur : « Vos estis, in-
» quit, in cujus consiliis & auxilio potissimum suæ
» salutis anchoram navicula B. Petri constituit,

A cum inter schismaticæ persecutionis fluctus periculosius æstuaret. Vobis contulit Deus in pueritia,
« super senes intelligere & futuram naturæ canitiem maturiore morum senio prævenire. Fluxos
« adolescentiæ motus in vobis ratio magistra cohibuit, ut omni lasciviæ libertate præcisa, nec
« forma, nec nobilitas, nec opum exuberantia,
« nec potestas, nec cætera quibus pudicitia expugnatur propositum interverterent castitatis, sed
« modesta in omnibus conversatio plus angeli quam
« hominis exhiberet. Cæteras virtutes quibus miraculose fulgetis, sub silentio prætterimus. Nec enim
« nostra præconia mendicatis, cujus honestatem
B & prudentiam fama celebris latissime promulgavit...... Hinc cum de discretione & consilio
« vestro dispositio regni Francorum tota pendeat,
« cum in manu vestra corda sint regum, & ad vestræ
« ordinationis arbitrium populi inclinentur, vobis
« incumbit quæ ad pacem sunt quærere, &c. »

LXIV. GUIDO I.

DE NOYERS.

Milone domino de Nuceriis in Burgundia parente satus Guido, matrem habuit Mariam de Castellione ad Matronam ex Sammarthanis, nepotes vero Hugonem episcopum Autissiodorens. & Angalonem dominum de Silliniaco. Optimis
C studiis præclare instructus, ac rerum tam secularium quam ecclesiasticarum peritia clarus, ex præposito Antuerpiensi & Autissiodorensi, nec non Senonensi archidiacono, archiepiscopatum regendum suscepit an. 1176, ab Alexandro III confirmatus, & pallii honore decoratus, a Mauricio vero Parisiensi episcopo Senonis unctus. Quædam statuit hoc anno pro monachis sancti Martini de Valle. Insequenti, pontificatus 1, mo- 1177.
nialibus de Edera quæ Hugo decessor confirmaverat, & ipse confirmavit. Memoratur præsens in charta Manassis Aurelianensis episcopi in collegiatam erigentis ecclesiam firmitatis Abreni
D an. 1177. Ecclesiæ Autissiodorensi quæ eum in sinu suo nutriverat cujusque largitionibus parentes ejus perfruebantur, 50 solidos Autissiodor. monetæ annui reditus in ecclesia de Aigleneio Ch. LXIV, col. 55.
concessit 1178. Ecclesiam Sacri-portus dedi- 1178.
cavit mense Martio. Concilio Lateranensi adfuit
1179, & sacro Philippi Augusti in basilica 1179.
Remensi. Hoc eodem anno a Ludovico rege obtinuit ne tallia quæ sede vacante regio juri competebat summam 60 librarum excederet. Burchardum de Magduno a se excommunicatum quod firmitatis Abreni prædia abstulisset, facti pœnitentem absolvit. Unus e tribus est cui
E Alexander III scripsit circa id tempus ut recognoscerent testes in controversia Dolensem inter & Turonensem ecclesias agitata. Anno adhuc
1179 Henricus Trecensis comes Pruvini, in Ch. LXVI, col. 56.
palatio suo capellam instituit, & canonicos in ea dotavit. Isabellam filiam Balduini comitis Hanoniæ quam nuper uxorem duxerat Philippus rex, reginam coronavit die festo Ascensionis
1180 in basilica S. Dionysii, ubi etiam iterato 1180.
coronari rex voluit, quod ægre admodum tulit Guillelmus archiepiscopus Remensis. Jura Floriacensium monachorum in ecclesias quas tenebant

Digitized by Google

ANNI CHRISTI in sua diœcesi confirmavit anno eodem. Philippo rege Natale Domini Senonis celebrante orta est inter eum & archiepiscopum gravis discordia, dum archiepiscopus decretum concilii Lateranensis quo Judæi christiana mancipia tenere prohibebantur infractum nollet, ad hoc vero minime se teneri rex vellet, secularíumque rerum causas non nisi in curia sua definiri, servatis archiepiscopo iis quæ ad proprium jus pertinebant, contenderet. Quibus molitionibus cum viriliter resisteret archiepiscopus, adeo ira regis excanduit ut ipsum jusserit, aut sedem relinquere, aut jussis suis obedire. Archiepiscopus interim consulto Alexandro papa, a quo litteras acceperat ut adversus appellationem pro Judæis fortiter staret, maluit exilium subire quam contra justitiam regium implere præceptum. At paulo post saniore consilio, Philippus rex pœnitentia ductus exulem revocat, & ut prius ei suum jus in omnibus reformat.
1181. Memoratur Guido anno 1181 in tabulis monasteriorum Joyaci & Villarii. Ecclesias a Daimberto & Guillelmo decessoribus Guillelmo abbati S. Dionysii in sua diœcesi concessas confirmavit
1182. an. 1182. Eodem delegatus a summo pontifice Andreæ abbati S. Maximini adjudicavit integræ S. Aniani præbendæ possessionem adversus canonicos ejusdem. Eodem cum Galeranno vicecomite Senonensi transegit de molendinis vicecomitatus. Presbyterum de Tumba ad præsentationem Lucianæ abbatissæ Faremonasterii inves-
1183. tivit an. 1183; eidemque anno sequenti præsentationem ecclesiarum de Gii & de Tumba confirmavit. Seguinum de Capis & ordinem ejus sub sua protectione suscepit anno 1183. Datum monialibus de hospitio Aurelianensi ordinis Fontis-Ebraldi monasterium *de Montgozun*
1184. confirmavit anno 1184. Hoc autem anno in vigilia S. Johannis-Baptistæ civitas Senonensis gravi incendio vastata fuit cum principe ecclesia aliisque pluribus. Donationes & eleemosynas factas leprosis de Grandiputeo confirmavit anno
1185. 1185. Giaco pertransiens mitigavit anno eodem sententiam Hugonis nepotis Autissiodorensis contra fœderatos sub titulo & imagine B. Mariæ
1186. de Podio. Dedit 1186. canonicis S. Johannis prioratus de Doleto & de Valesiaco, probavitque fundationem ecclesiæ de Limoreto sub obedientia abbatis S. Jacobi Pruvinensis. Delegatus a summo pontifice conciliavit anno eodem monachos Arremarenses & Hugonem presbyterum de Capis. Præbendam quam parvam vocant in ecclesia Senonensi erexit, & de fructibus ecclesiarum *d'Aillant* & *de Chancueil* dotavit anno
1187. 1187. Eodem ejus auctoritate canonici Senonenses exceperunt canonicos ad altare B. Mariæ ad fructuum communionem. Ecclesias capitulo a decessoribus collatas & ab ipso concessas, confirmavit anno eodem, quas de consensu Petri successoris approbavit Innocentius III bulla data S. decano & capitulo an. 1208. Confirmavit (Charta VI, col. 362.)
1188. anno 1188 monachis S. Dionysii ecclesiam S. Blasii de Grandiputeo, & monachis Scarleiarum donationem Petri comitis Nivernensis. Quatuor canonicos ad altare S. Petri in ecclesia Senonensi instituit 1189, quibus ut in partitionibus participarent, concessit capitulo ecclesiam de Bosco regis. Eodem anno communia cum majore & scabinis a Philippo rege in urbe constituta est. Querelam habuit Guido cum Fulcone abbate S. Germani a Pratis de procurationibus ecclesiarum S. Germani in diœcesi sitarum quæ sopita est anno 1191. Laudavit anno eodem donum Aveliinæ uxoris Philippi fratris Stephani Noviomensis episcopi factum monasterio Barbelli. Conciliavit eodem Gaufridum presbyterum *de Villaboun* & Adamum filium Roscelini *de Buigmen* de decimis disceptantes. Præmonstratensibus Dei-loci dedit ecclesiam S. Pauli de Vanna 1192. Confirmavit eodem compositionem factam inter monachos Arremarenses & presbyteros *de Corsans* & de Monte-folii. Anno 1193 ratam habuit initam compositionem inter R. episcopum & capitulum Carnotense super justitiis quatuor præposíturarum quas Guillelmus tunc Remensis archiepiscopus, cum esset Senonensis & curam gereret ecclesiæ Carnotensis, capitulo concesserat. Eodem confirmavit fundationem parthenonis B. Mariæ de Campo-benedicto. Defunctus XII cal. Januarii anni ejusdem, sepultus est in majori ecclesia pone majus altare.

ANNI CHRISTI 1189. 1191. (Ch. LXXIII, col. 60.) 1192. 1193. (Ch. LXXIV, col. 61.)

Ad Guidonem scripsit Alexander III, cap. 29; *consuluit* de appellationibus, contra appellationem Philippi Augusti pro mancipiis christianis Judæorum. Scripsit Urbanus III cap. 12, de sententia excommunicationis. Scripsit Sthephanus Tornacensis epist. 70, contra Manerium sacerdotem abbatiæ S. Cyrici.

LXV. MICHAEL. DE CORBEIL.

Reginaldi Parisiensis episcopi propatruus, germanus autem Petri successoris & Mathildis abbatissæ Calensis Michaël, qui fuerat canonicus S. Gaugerici Cameracensis, archidiaconus Brucellensis & decanus Laudunensis, ex decano Parisiensi electus patriarcha Jerosolymitanus abnuit ex chronologio Autissiodorensi, at post 15 dies a clero Senonensi renunciatus archiepiscopus assensu regis Philippi & totius populi Senonensis VIII cal. Maii 1194 consecratus est. Eodem anno monialibus Benedictinis de Pruvino assignavit omnia bona Petri & Guillelmi *de Trevoie* militum. Canonicorum B. Mariæ *de Franchart* bona confirmavit, eosque a procurationibus tum archiepiscopi, tum archidiaconi absolvit eodem anno. Donum domui militiæ Templi factum a Gaufrido de Grenchiis laudavit mense Februario. Isembardo Fossatensi abbati restituit præsentationem ecclesiæ de Sauga (*Seaux*) mense Martio, quicum componit litem super præsentatione ecclesiæ de capella in Wastineto. Coram Michaële Aalix de Floriaco recognovit se dedisse ecclesiæ B. Mariæ de Floriaco quidquid juris habebat in terris Floriaci an. 1195. Michaëli scripsit Cœlestinus III Laterani III id. Martii 1196 ob dissolutum Philippi regis matrimonium cum Ingelburga judicio episcoporum Gallicanorum; hanc causam de majoribus unam ad sanctam sedem pertinere, eique mandat ut si Philippus

1194. 1195. 1196.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

rex repudiata Ingelburga, aliam superinducere A
voluerit, id ei inhibeat. Anno eodem prioratum
de Paciaco in abbatiam erexit, quæ post transla-
tionem de Jardo reginæ appellata est. Eodem
Ch. LXXVI, col. 62. approbavit fundatam a Gauchero de Joviniaco
domum *Dullot*, in qua quotidie de defunctis
missa celebraretur. Eodem composuit mense
Januario cum Helia abbate S. Columbæ eique
patronatum decem ecclesiarum confirmavit.
Eodem 1196 præbendam a Willelmo decessore
pro archiepiscopis erectam capitulo reddidit.
Pactum Adeliciæ comitissæ Blesensis inter cano-
nicos S. Johannis & Robertum a Veteri-ponte
1197. dominum de Curvavilla laudavit 1197. Non- B
nulla monialibus de Edera confirmavit hoc anno
quo adstitit capitulo Carnotensi mense Januario.
Hugonem Aurelianensem episcopum consecravit
1198. an. 1198. Monasterio Farensi jus nominationis
presbyteri in ecclesia de Giiaco confirmavit, &
monachis S. Columbæ duas partes oblationum
in ecclesia de Beiaco in festis Assumptionis &
Omnium Sanctorum. Habitum hoc anno seu
sequenti apud Senonas concilium adversus hæ-
resim Poplicanam cujus accusabantur decanus
Nivernensis & abbas S. Martini, de quibus ad
Michaëlem scripsit Innocentius III tom. XI
concil. pag. 3. Eodem anno ecclesiam B. Mariæ C
de Meloduno dedicavit. Una cum Gaufrido
Campaniæ marescallo Theobaldum Campaniæ
comitem cum capitulo Trecensi conciliavit. Jus
cantoris S. Quiriaci in scholis Pruvinensibus
agnovit adversus cantorem B. Mariæ de Valle.
Confirmavit sententiam inter monachos sancti
Dionysii & Remboldum parochum S. Petri ab
arbitris latam. Præsentato a monachis Latinia-
censibus ecclesiam de Oignia adversus A. Mel-
densem episcopum adjudicavit mense Decembri
1198. Præbendam in ecclesia sua erexit, dotavit
1199. & a Philippo rege confirmari curavit an. 1199,
eodemque obiit IV cal. Decemb. tumulatus in D
metropolitana ecclesia post aram majorem ex
Tavello, quem Sammarthanis lubricum erroris
fecisse vult Hugo *Mathoud* qui S. Petro vivo
sepultum vindicat Michaëlem. De eo legitur in
necrologio ecclesiæ Paris. *VI cal. Decemb. obiit
Michaël archiepiscopus Senonensis, cujus anniversa-
rium fieri instituit Adam decanus Laudunensis nepos
ipsius concanonicus noster qui dedit nobis trecentas
libras ad emendos reditus.* De ejus obitu se dolere
ait Innocentius III cum ecclesia Senonensi vi-
duata pastore, qui etsi nobilis esset genere, nobi-
lior tamen fuerat sanctitate cap. *ad hæc* 1 de postu-
latione, in 3 compilatione ad decanum & capi- E
tulum, ubi ecclesia Senonensis Romanæ devota
dicitur. Ab eodem Innocentio lib. II, ep. 63,
unde sumtum cap. 10 *inter sollicitudines* de pur-
gatione canonica, nuncupatur vir providus &
discretus, veri pastoris adimplens officium &
super grege sibi commisso pure & plene solli-
citudinem pastoralem exercens, dum Christi
legem zelatur & hæreticorum impugnat errorem.
A Vincentio Bellovacensi lib. XXX, cap. 63,
vir bonus & Deo plenus appellatur, & a Rigordo
ob eleemosynarum largitionem commendatur.

LXVI. PETRUS II.

ANNI CHRISTI

DE CORBEIL.

Michaële defuncto, clerici Senonenses qui
facile in unum locum & propositum convenire
non valentes summum appellaverant pontificem,
tandem convenientes in unum postularunt Hu-
gonem episcopum Autissiodorensem antea Seno-
nensem thesaurarium, & Guidonis antecessoris
ex Milone fratre nepotem. Hugo autem quod
interdicti sententiam in regnum latam non ser-
vasset, a summo pontifice reprobatus est, red-
ditaque clericis eligendi licentia. Horum vero
plures cum Hugonem iterum eligere niterentur,
concessa ab Innocentio potestate privavit postu-
latoque a paucis Cameracensi episcopo aliis licet
invitis metropolim Senonensem contulit Octa-
vianus Ostiensis episcopus sedis apostolicæ le-
gatus eumque Innocentio approbavit. Famosus
ille erat theologiæ professor Petrus dictus de
Corbolio, seu a loco unde oriundus, seu a nata-
libus cum Michaële decessore & Reginaldo Paris.
episcopo communibus. Literaturæ sæcularis &
theologiæ prærogativa insignis in scholarum regi-
mine Parisiis diu claruerat, ubi inter alios dis-
cipulos habuit Innocentium III, qui summus
factus pontifex magistri sui memor quoscumque
honores & dignitates potuit illi contulit. Hunc
enim Lincolnensi episcopo adjutorem dedit,
præbenda & archidiaconatu Eboracensi donavit.
Petro eidem canonico Paris. & Odoni episcopo
causam Lingonensis capituli contra episcopum
& controversiam inter Bernardum de Insula &
Stephanum Tornacensem commisit. Quin ad
ejus preces Innocentius ab Hugone Aurelianensi
episcopo præbendam primam vacaturam pro N.
de Corbolio pauperi subdiacono petiit. Demum
Cameracensem eum episcopum creavit anno
1199, ubi post mortem Richardi I Angliæ
regis a Philippo rege in Flandria captus non
dimittitur, nisi per interdictum a Petro de Capua
legato apostolico latum. Igitur cum ibi perma-
nere non posset, inquit Albericus in chronico,
abiit ad papam qui fecit eum archiepiscopum
Senonensem anno 1200, eique pallii decora 1200.
concessit. Hoc autem anno statuta condidit Petrus
cum P. Mauriniacensi abbate observanda a priore
& presbytero in ecclesia Strichiacensi. Ab apos-
tolica sede delegatus statuit an. 1201 ut can- 1201.
cellarius Meldensis haberet personatum in ec-
clesia, stallum in choro & locum in capitulo.
Eodem anno cum abbate S. Columbæ definiit
ruralium decanorum dispositionem ad archi-
diaconum Meldensem pertinere. Eodem cum
Odone Paris. episcopo ex pluribus variisque
leprosorum domibus duas fecit alteram Meloduni
pro viris, alteram Corbolii pro fœminis. Inno-
centii III bullam confirmavit mense Januario
pro legitimis habendis filium & filiam quos
ex Agnete filia ducis Meraniæ genuerat Phi-
lippus Augustus, ac diris devovit eos qui ei non
obtemperarent. Translationi abbatiæ de Paciaco
ad locum de Jardo assensum præbuit anno cir- Ch. LXXIX, col. 63.
citer 1203. Concilio Meldis habito an. 1204 1204.
interfuit pro restituenda Franciæ inter & Angliæ

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

reges concordia, ibique cum episcopis sedem A
apostolicam appellavit ne legatus rem definiret,
Romam petiit & pacis inter reges sequester est
dictus. Canonicis S. Johannis de Jardo ecclesiam
de Samesio donavit an. 1204, & locum dictum
Kuablay. Eodem anno cum G. decano & H. ab-
bate S. Columbæ terminavit causam inter Petrum
abbatem Cellensem & Gilebertum de Nigella.
Compositionem inter priorem & presbyterum
de Conis approbavit mense Martio. Reperitur
1205. in pluribus chartulariis an. 1205. Willelmum
Autissiodorensem electum confirmavit fer. VI
post Purificationem 1207 & consecravit. Prio-
ratum *de Estreans* canonicis de Jardo concessit B
1207. anno 1207. Una cum Odone Parisiensi,
Manasse Aurelianensi & Willelmo Nivernensi
Floriacum accedens anno eodem in festo trans-
lationis S. Benedicti, reliquias ejusdem recog-
novit, & ex humili loco in theca pretiosa reposuit.
1208. Literis an. 1208 datis significat Milonem ces-
sisse decimam capitulo Parisiensi. Decimas no-
valium monachis S. Petri concessit mense Junio
1209. 1209. Eodem anno cruce signatus ad expedi-
tionem sanctam adversus Albigenses profectus
est. Eodem concilio Parisiis adversus hæresim
Almarici adfuit, in quo sectatores ejus igni tra-
diti sunt. Eodem statuta condidit pro institutione C
& ordinatione ecclesiæ Castellionis super Lupam,
quæ referuntur duabus chartis in historia Wasti-
1210. nensi. Ecclesiam Quidotensem ditavit an. 1210,
in qua sepulta fuerat virgo admirabilis Alpaidis
nomine. Petro & suffraganeis scripsit Philippus
1211. rex mense Martio ut summo pontifici adversus
Ch. LXXXI, col. 63. Othonem imperatorem auxilium omne præsta-
rent eosque ob id a servitio quod illi debebant
relaxavit. Scripsit quoque Petro Innocentius III,
pontificatus an. 14, ut induceret Philippum regem
ad restituenda episcoporum Aurelianensis & Au-
tissiodorensis bona, & sequenti ut relaxaret inter-
dicti sententiam quam in terram regis Franciæ D
protulerant dicti episcopi, quod minime factum
queritur Innocentius. Monasterio Barbelli factum
a Floria de Fontenellis donum testatus est anno
1212. 1211. Adfuit 1212 concilio Parisiis habito a
Roberto cardinali legato ad reformandam eccle-
siasticam disciplinam. Statuta abbatis S. Johannis
in Valleia confirmavit anno eodem. Synodum
1213. celebravit mense Junio 1213, in qua concordiam
inter priorem & capicerium veterum Stamparum
initam confirmavit. Nonnulla apud S. Julianum
acquisivit anno eodem suæ ecclesiæ a Petro filio
Guillelmi comitis Juniacensis. Ecclesiam de Villa-
beonis canonicis de Jardo contulit an. 1213. E
Petro & episcopo Nivernensi canonicum Lin-
gonensem de hæresi suspectum examinandum
commisit Innocentius III die IV id. Aprilis, pon-
tificatus 16. Th. comitem Campaniæ ad preces
1214. B. comitissæ in suum hominem recepit an. 1214
mense Octobri, & investivit eum de ipsius feodo
salvo dotalitio matris suæ. Cum Petro Parisiensi
1215. & G. Meldensi episcopis reperitur anno 1215
1216. mense Martio in tabulis Vallis-lucentis. Synodum
apud Melodunum congregavit anno 1216 ut
Innocentio III fieret satis, qui graves ad eum &
suffraganeos literas miserat quasi Philippus rex
pactis cum Anglo conditionibus non stetisset,
regemque fracti fœderis insontem pronuntiavit
cum ceteris patribus synodi, ibique barones regni
pronunciasse videntur de comitatu Campaniæ.
Eodem anno *al.* 1213, ad Courpaleium vicum,
non longe a Meloduno, collegium canonicorum
instituit & dotavit. Anno 1218 cum Willelmo 1218.
Autissiodorensi, Hervæo Trecensi, Willelmo
Meldensi & Willelmo Nivernensi episcopis, IV
cal. Augusti in ecclesia S. Petri vivi corpora SS. Charta LXXXIII, c. 64 & 65.
Potentiani & Altini in novam capsam argenteam
transtulit. Eodem anno decimas capitulo Pari-
siensi in terris ubi olim fuerant nemora ad præ-
posituram de Verno spectantia concessit mense
Decemb. Eodem anno canonicorum collegio in
ecclesia sancti Nicolai apud Pruvinum erigendo Charta LXXXIV, col. 65.
assensum præbuit, sicut & fundationi parthenonis
Villariensis mense Maio 1220. Pro ecclesiis de 1220.
Milleriaco & de Sixta dedit canonicis S. Jacobi
Pruvinensis ecclesiam de Surdolio 1219 mense
Junio ut in ea priorem instituerent. Sodalitatem
quam tredecim urbis & suburbiorum parochi ad Ch. VII; col. 363.
exsequiarum usus instituerant firmavit 1221. 1221.
Eodem benedixit ecclesiam de Limoreto. Eodem
publicum valetudinarium fundatum fuit extra
urbem, quod cum destructum fuisset in bello
Anglico 1358, fuit postea reædificatum intra
urbis mœnia, & a summo pontifice confirmatum
1595. Pauperibus canonicis de Jardo ecclesiam
de Boleyo concessit anno 1221. Eodem anno
Petrus relaxavit sententiam quam in abbatem &
monachos sancti Dionysii pronunciarat eo quod
ordinationi suæ nollent assentiri de vicesima redi-
tuum in sua diœcesi parte transmittenda ad sub-
veniendum exercitui contra Albigenses: promi-
serunt enim monachi mense Octobri soluturos
se bona fide salvis privilegiis suis vicesimam per
biennium de proventibus quos percipiebant in
provincia Senonensi. Philippum electum Aure-
lianensem confirmavit, consecravit & regi com-
mendavit mense Januario (1222); chartam 1222.
confecit eodem mense de venditione facta mo-
nasterio Barbelli a Milone de Savigniaco domi-
cello. Delegatus ab Honorio III anno 1222
cum Petro Senonensi canonico, canonicis ab
Hervæo comite Nivernensi in ecclesia S. Petri
Tornodorensis concessit ut in canonico habitu
licite possent celebrare mense Februario anni
ejusdem. Obiit Petrus 3 Junii 1222, ipsa die qua
celebrabatur synodus. In choro ecclesiæ metro-
politanæ sepultus est sub tumba cuprea ante sedem
præcentoris, sepulcroque apposita hæc carmina:

Flos & honor cleri Petrus, huic qui subjacet æri,
De Cameracensi datus est sedi Senonensi.
Moribus & vita vere fuit Israëlita,
Et pro more viæ sacra novit theologiæ.
Lux erat annalis synodi, cætus synodalis
Non sine lamento patris ossa dedit monumento.
Doctoris fidei, sic cognitio speciei
Quodque spei certæ suberat, modo cernit aperte.

Memoratur Petrus IV non. Junii in necrologio

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Parif. cujus capitulum anniverfarium fieri decrevit ob plurima beneficia eidem ecclefiæ ab ipfo præftita. Ceterum eloquentiæ fummæ fuiffe perhibetur Petrus mirus in fœtibus eruditis & fapientiæ fale conditis, libros XIV in epiftolas S. Pauli & facræ bibliæ, necnon & conciones confcripfiffe paucis notas. Officia quoque Affumtionis beatæ Mariæ & Circumcifionis Domini ipfi tribuuntur. Denique legendus Thomas Cantipratenfis lib. II, cap. 51 & 75 ubi rarum difcretionis & moderationis de Petro narrat exemplum.

Cornut.

LXVII. Galterus III.

Natus in Bria Galterus in domo quæ villanova Cornutorum vocatur juxta capellam *de Rabelais*, germanus Alberici Carnotenfis epifcopi, filius Margaritæ dominæ Aubucionis-villæ, ex decano Parifienfi electus archiepifcopus Senonenfis, cum a partibus regis adverfus Honorium papam ftetiffet, dignitatis novæ vix obtinuit confirmationem. Romam itaque profectus, fummo pontifici reconciliatus eft, qui dixit ei : « Per
» nos ecclefiam B. Mariæ (Parif.) amififti, fed
» B. Stephanus te fufcepit, & nos te confirmamus,
1223. in officio viriliter age ». Reverfus anno 1223, concilio adverfus Albigenfes Parifiis habito interfuit menfe Julio, & exfequiis Philippi Augufti apud S. Dionyfium celebratis. Capellæ domus leproforum de Vernoto a Guidone deceffore fundatæ præfentationem canonicis Parifienfibus confirmavit menfe Octobri, literafque confecit de conventione facta inter abbatem Sacri portus & prefbyterum de Burrone. Ab Erardo *de Brene* & Philippa uxore emit hoc anno filvam dictam *Rajeufe* prope Brienonem, cujus tres partes archiepifcopis reliquit, & quartam canonicis in opus ecclefiæ. Querelam habuit cum monachis Floriacenfibus de jurifdictione metrapolitana in capellis oppidi Floriacenfis quam Bituricenfi archiepifcopo dirimendam commifit Honorius
1224. III an. 1223. Infequenti nominatur Galterus cum præfulibus qui apud Turones die S. Johannis B. regiis caftris fiftere fe tenebantur. Literis ad decanum Parifienfem datis confenfit ut capellanus de Vernoto a capitulo inftituendus fibi præfentaretur, & oblationes prefbytero integras redderet. Donum factum monachis S. Martini in Valle confirmavit menfe Junio. Canonicis beatæ Mariæ in valle Pruvini dat poteftatem eligendi decani menfe Nov. Monachos Mauriniacenfes abfolvit a petitionibus Galteri Carnotenfis epifcopi pro procurationibus menfe Decembri. Dedit
1225. chartam menfe Januario 1225 pro recognitione a Willelmo abbate fancti Johannis exhibita pro caftro *de Noolon*, & menfe Martio de donatione facta monafterio Barbelli a Regnaudo de Pempono milite. Subfcripfit anno eodem literis Ludovici regis ratam habentis venditionem Majoriæ de Grandi-puteo. Litem compofuit inter priorem & prefbyterum de capella fuper oblationibus menfe Maio. Eodem anno in octavis Omnium Sanctorum habitum Meloduni concilium a Ludovico rege indictum, ubi archiepif-

A copi & epifcopi enixe petierunt a rege & a baronibus jurifdictionem omnium hominum fuper mobilibus de quibus homines ecclefiarum in caufam traherent coram ipfis, fed rex id noluit concedere, quod videretur rationi diffonum. Ecclefiam Gaudii-vallis ab omni jure vifitationis
exemit an. 1226. Ceffit eodem ecclefiæ Turo- 1226.
nenfi quidquid exigebat in terra de Blandis pro 100 folidis perpetui reditus. Literis eodem anno datis fignificavit Ludovicum VIII apud Montempenferium ipfo præfente declaraffe velle fe defuncto filium fuum fub tutela matris effe donec ad legitimam ætatem perveniffet, eique juravit
B fidem. Regis ejufdem celebravit exfequias in bafilica S. Dionyfii, data prius fchedula qua profitebatur nihil fibi juris in hanc ecclefiam competere aut acquifitum effe die Dominica poft feftum S. Martini. Subfcripfit literis prælatorum & procerum quibus regem apud Remos ungendum Th. comiti Trecenfi indicant ad Dominicam primam ante feftum S. Andreæ. In membrana magni paftoralis Parif. fignificat Galterus ad Curiam progreffum fe Alberico Cornuto
fratri vices fuas commififfe an. 1227. Probavit 1227.
eodem venditionem factam Guillelmo de Brocia Domicello. Cum G. Carnotenfi epifcopo pro-
C mifit eodem menfe Augufto ecclefias provinciæ *Ampliss. collect. tom. I, col. 1212.*
Senonenfis foluturas regi per quadriennium 1500 libras Parifienfes in fubfidium pro negotio Albigenfium. Ratam habuit menfe Februario compofitionem inter Th. comitem Campaniæ & Renaldum perfonam S. Mauricii de Monf-
trolio. Confirmavit anno 1228 pactum mona- 1228.
chorum Floriacenfium pro novalibus *du Codroy*. Scripfit ad eum anno eodem Henricus Angliæ rex de treugis firmandis inter fe & regem Francorum, ut a Gregorio IX ipfi erat injunctum, eodemque anno Galterus fignificavit Ludovicum regem ad ejus preces eafdem conceffiffe. Obtinuit
D a Ludovico rege menfe Augufto 1229 licentiam 1229.
affignandi portiones quarumdam ecclefiarum *Ampliss. collect. tom. I, col. 1131.*
parochialium ad quatuor novas in ecclefia Senonenfi creandas præbendas. Adhibitus ad menfam regis anno eodem in cella Villæ-novæ fancti Georgii, declaravit non inde quidquam juris & poteftatis fibi fumturum. Concilium Senonis habuit anno eodem in quo academici Parif. qui Andecavos aut Aurelianos fecefferant, fructu beneficiorum per biennium privati funt, aliique qui non haberent, facerdotiis indigni reputati funt. Regem in Aremoricam cum epifcopis Galtero Carnotenfi & Guillelmo Parifienfi fecutus eft,
E ac in judicio ftetit ubi a præfulibus unanimis declaratum eft Petrum comitem Britanniæ a regimine excidiffe, ipfofque barones a fidelitate ei debita exfolvi confecto hac de re inftrumento
in caftris juxta Ancenifum * an. 1230, quod * *Ancenis.*
chyrographo fuo Galterus comprobavit. Infe- 1230.
quenti Dominicani & Francifcani Senonis reci- 1231.
piuntur, Galtero fundum eis liberaliter concedente, prædicatoribus quidem in veteri foro, Minoribus vero extra portam S. Hilarii. Nec minori munificentia ædes archiepifcopales adornavit & conftruxit. Donum factum monachis fancti

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

sancti Maglorii ab Odone *Goulars* de Villaribus approbavit an. 1232 apud Corbolium in vigilia
1232. Pentecostes. Nota fecit an. 1233 pacta quædam
1233. inter abbatem conventumque S. Dionysii inita & presbyterum de Ferricio. Cum Johanne de Nigella publicus orator missus ad Raimundum Berengarium provinciæ comitem pro nuptiis Margaritæ ejus filiæ cum Ludovico rege, hanc
1234. Senonis matrimonio conjunxit 27 Maii 1234, eique coronam imposuit die 28. Huic jam die 8 hujus mensis scripserat Henricus rex Angliæ de pace firmanda vel de treugis prorogandis cum Francia. Philippum Aurelianensem episcopum
1235. consecravit anno eodem. Confirmavit an. 1235 pacem initum inter regem Navarræ & reginam Cypri super comitatu Campaniæ & Briæ. Testis fuit anno eodem donationis factæ Monasterio
1236. Barbelli. Reperitur anno 1236 in chartulariis Meldensi & Villariensi. Capellam de Bellofonte construi permisit anno eodem. Fundationem parthenonis de Monte nostræ Dominæ approbavit mense Februario. Confirmavit translatos
Ch. XCI, col. 68. ab Hugone decessore canonicos regulares ab ecclesia S. Quiriaci ad ecclesiam S. Jacobi an.
1237. 1237 mense Februario Guillelmum Aurelia-
1238. nensem episcopum inunxit anno 1238. Cum ipso rege ejusque fratribus ac Bernardo episcopo Aniciensi ad Villam-novam-archiepiscopi in
1239. occursum spineæ coronæ properavit an. 1239, quæ Constantinopoli Venetis oppignerata tandemque pecunia restituta, rege tam pretiosum donum acceptante, redemta fuerat. Sacrum igitur diadema in monasterio S. Petri vivi depositum 10 Augusti postera die solenni populorum concursu in urbis ingressu a Ludovico rege & fratre Roberto comite Atrebatensi nudis pedibus ad sacram S. Stephani ædem deportatum est. Hinc die sequenti summo apparatu Luteciam itur, ubi ordinata supplicatione solenni Genovefanis qui capsam S. Genovefæ deferre renuebant, auctor fuit Galterus ut alias reliquias si quas haberent asportare non denegarent. Octavo igitur post die in capella regalis palatii sacrum onus deponitur, & ne rei gestæ memoria excideret, Galterus qui cæremoniæ præfuit jussu Ludovici IX historiam susceptionis sacræ coronæ latinam opusculo exaravit, quod ex vetusto chronico S. Petri vivi tom. V historiæ Francorum scriptorum typis mandavit Quercetanus. Galterus eodem anno chartam confecit de venditione facta monasterio Barbelli ab Adamo de Chailliaco Domicello. Circa id tempus, ut vult Martenius, concilium Senonis habuit in quo statuta condidit quæ habes tom. VII ampliss. collect. col. 137.
1240. Ratas habuit mense Julio 1240 compositionem inter Judæos & Gibaudum toparcham S. Verani, & donatam apud Stampas decimam a rege & regina monialibus prope Pontisaram. Eodem exeunte anno Pontiniacum accessit ut videret corpus S. Edmundi Cantuariensis archiepiscopi, quem vivum videre decreverat nec potuerat.
1241. Fato concessit XII cal. Maii 1241, quo anno mense Novembri sedes vacare dicitur in charta Castri-Nantonis. Jacet in choro metropolis, a

A parte dextra aquilæ, sub tumba cuprea, his insculpta carminibus :

Præsul Galterus jacet hic in pulvere, verus
Cultor justitiæ, cleri pater, arca sophiæ.
Non parcunt generi, nec honori fata, nec æri.
Traditur hic cineri fæx modo, præsul heri.
M scribis ad bis C quater X addens quoque scribe I,
In summa apposita sic finitur sacra vita.

Quibus subjunguntur duo sequentes versiculi :

B *Dum viguit tua, dum valuit Galtere potestas*
Fraus latuit, pax magna fuit, regnavit honestas.

In ecclesia Barbelli tumba est in qua repræsentatur effigies Galteri archiepiscopi Senonensis.

LXVIII. GILO I.

CORNUT.

Galteri superioris germanus Gilo, ex archidiacono Senonensis archiepiscopus canonicorum suffragiis electus, toto saltem triennio quibusdam contradicentibus vacuam sedem adipisci prohibetur, donec compositis dissidiis Lugduni mense Decembri 1244 ab Innocentio IV consecratur 1244.
& pallio cohonestatur, qui commendatitias regi
C literas dedit ut ei regalia concederet. Inde reversus a monasterio sancti Petri in majorem ecclesiam receptus est. Lugdunum rediit anno sequenti ab 1245.
eodem pontifice invitatus; concilio interfuit & pontificem Cluniacum mense Novembri comitatus est; crucem eodem anno assumsit adversus Saracenos cum episcopis & nobilibus Franciæ. Eodem IV id. Nov. Odo Tusculanus episcopus *Anecdot.*
sedis apostolicæ legatus, decreta condidit pro *tom. IV,*
ecclesia Senonensi, in quibus festum fatuorum *c. 1078.*
abolevit. Pactum inter Guillelmum abbatem & monachos Mauriniacenses approbavit Gilo an. 1246. Confirmavit die Mercurii post Pente- 1246.
D costen 1247 compositionem factam inter regem 1247.
Navarræ & presbyterum parochiæ de Musterolio super oblationibus capellæ regis. Guillelmus episcopus Paris. a summo pontifice delegatus est anno eodem ad citandum Gilonem Parisiis responsurum de consuetudine Pruvinensi, qua nullus laïcus extra castellum Pruvinense coram ecclesiastico judice trahi poterat in judicium. Concilium apud Stampas in crastino octavæ Assump- *Ampliss. col-*
tionis celebrandum indixit 3 Augusti; confir- *lect. t. VII,*
mavit mense eodem literas Hugonis decessoris *c. 138.*
pro monasterio Mauriniacensi. Concilium Parisiis *Ibid. 139.*
habuit anno 1248 in crastino octavæ omnium 1248.
E SS. & interfuit dedicationi S. capellæ Parisiensis. Fratribus domus leprosariæ *d'Ecrolebarbe* plateam sitam juxta domum suam dedit Sabbato post festum omnium SS. 1249. Eodem pignora SS. 1249.
Cantii, Cantiani & Cantianillæ, sancti Macarii abbatis & SS. Felicis & Felicissimi singulis thecis reponenda curavit apud Stampas. Memoratur anno 1250 in chartulariis Meldensi & Barbelli. 1250.
Concilium Pruvinense celebravit anno 1251, 1251.
die Mercurii post festum B. Magdalenæ, in quo *Ibid. 142.*
concilii Parisiensis statuta renovata & nova condita. Fratrum Prædicatorum ac Minorum in urbe

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

1252. ecclesias propriis regiisque expensis constructas dedicavit an. 1252. Eodem anno concilium Parisiis habuit, in quo die Veneris post festum sancti Martini hiemalis regem Navarræ rogarunt præsules ut bonis ecclesiasticis cederet quæ annis abhinc 40 occuparat. Concilium aliud ibidem
1253. celebravit anno 1253, ubi die Mercurii post
Amplis. collect. t. VII, col. 143. festum sancti Martini hiemalis decreta translatio capituli Carnotensis ad Meduntam. Defunctus
1254. vero Gilo an. 1254, depositus est in S. Stephano juxta decessorem a læva parte, tumulo item cupreo in cujus circuitu hæc legenda supersunt:

Præfuit ecclesiæ Senonis Gilo pietatis
Plenus, justitiæ cultor, vas sobrietatis,
Galteri frater, Henrici patruus iste
Constitit alme . . . .

CORNUT.

LXIX. Henricus II.

Galteri & Gilonis archiepiscoporum Senonensium, necnon Alberici Carnotensis episcopi nepos Henricus, germanus autem Galteri equestri officio ornati, Simonis canonici Laudunensis, Johannis canonici Senonensis, Petri Armigeri & Roberti Nivernensis episcopi, ex archidiacono non Carnotensi, sed Senonensi electus Niver-
Labb. Biblioth. tom. I, p. 564. nensis, si qua fides gestis abbatum S. Germani Autissiodorensis, & postea Senonensis Vicenas accessit die Martis in vigilia Annuntiationis Dominicæ 1254 regalia a consilio regis requisiturus, quæ, quod ipse, parentes & antecessores ejus a longo tempore in curia nutriti fuerant, familiaresque fuerant regum, reginarum & regni, per gratiam ei reddita sunt, ipseque regi fidei sacramentum præstitit. Electus adhuc cum Hugone S. Sabinæ cardinali auctoritate summi pontificis Martinum intrusum Jugi-Dei in diœcesi Lugdunensi destituit XVII cal. Junii, Innocentii IV anno XI, Christi 1254. Viterbii, inquiunt, ab Alexandro IV confirmatus, consecratus &
1255. honore pallii decoratus an. 1255 Senonas rediit, & a monasterio S. Petri ad majorem ecclesiam delatus est. Eodem anno cum Hervæo Trecensi episcopo aderat XV cal. Maii quando apertæ sunt capsæ apud S. Petrum; conventionem inter Nicolaum abbatem & monachos Mauriniacenses initam approbavit mense Julio. Cum aliis episcopis testatus est anno eodem Ludovicum regem
Tom. VIII Instr. c. 367. prohibuisse ne Petrus Catalaunensis episcopus vexaretur. Concilium habuit Parisiis mense Augusto contra homicidas cantoris Carnotensis. Hujus auctoritate concilii provincialis canonicis Carnotensibus a Medunta Carnotum reversis
1256. injunxit 25 Januarii 1256 ut ad locum Me-
Ibid. c. 368. duntæ cito redirent. Memoratur in diplomate dato apud Loretum in Boscagio mense Februario. Cum tribus aliis archiepiscopis pacem conciliavit I Martii inter Dominicanos & scholares Paris. Compositionem inter Guillelmum Molismensem & Johannem S. Johannis in Vineis abbates initam
Amplis. collect. t. VII, col. 146. approbavit mense Julio. Concilium congregavit Senonis die Lunæ in vigilia S. Petri ad vincula ubi decretum est de clericis bannitis & Jerosolymam missis propter necem cantoris Carno-

A tensis. Dedit die eadem cum episcopis suffraganeis academiæ Paris. literas quibus significant universitatem paratam obedire concilio Senonensi, secus vero Dominicanos cum universitate disceptantes. In alia synodo Senonis habita die Martis post festum S. Lucæ canonicis Carnotensibus mandavit ut infra octavas omnium SS. a Carnoto recedentes apud Stampas se transferrent. Castrum archiepiscopale *de Noolon*, non longe ab urbe Senonensi suis impensis pro successorum commodo & oblectamento acquisivit de quo hominium regi professus est an. 1257 mense Junio. Eodem anno concilium apud Melodunum indixit ad B Sabbatum post octavas omnium SS. Laudatur Henricus a munificentia in pauperes quos in sua diœcesi undecumque annonæ inopia indigentes aluit: at quia contra usurarios excommunicationis sententias promulgabat, fertur in chronico Senonensi a coquo nomine Frumentio veneno in avena cum amygdalis imposito extinctus XII calend. Nov. & quidem an. 1257, ut habet Nangius. Ante principem aram sancti Stephani terræ mandatur, sub hoc epitaphio:

ANNI CHRISTI

Tom. VIII Instr. c. 368.

Ch. XCVIII, col. 74.

1257.

Amplis. collect. t. VII, col. 147.

C

Hic jacet Henricus præsul Senonensis, amicus
Justitiæ, cultor sanctorum, criminis ultor,
Constans & lenis, verax & largus egenis,
Pauperis & cleri satagebat jura tueri.
Virginis eximiæ devotus prece Mariæ, &c.

LXX. Guillelmus III. DE BROSSE.

Quem Bernardo quarto vicecomite Brociæ ex nobilissima vice comitum Lemovicensium prosapia parente editum Sammarthani, de mediocri vero genere natum tradunt coætanei chronologi, Guillelmus cum esset propter eximias dotes laudatissimus, ex canonico officialis, cellerarii, præcentoris & decani muneribus functus, D postremo archiepiscopus ab Alexandro IV consecratus ecclesiam suam solenniter ingressus est cum Odone archiepiscopo Rotomagensi & episcopis Autissiodor. Meldensi, Nivern. Trecensi & Bethleemitano *; ac primo in monasterium S. Petri divertit IV nonas Augusti 1258, unde postera die ad majorem basilicam a baronibus deportatus fuit iisdem episcopis comitantibus. Assensum præbuit donatæ mense Julio 1259 1259.
fratribus ordinis SS. Trinitatis a Ludovico rege capellæ domus regiæ de Fontebleaudi quam Ludovicus VII fundarat an. 1159. Confirmavit privilegia villæ sancti Juliani mense Septembri. E Subscripsit anno eodem literis episcoporum S. Ludovico concedentium ut quæ ignotis bona restituere non poterat, pia in opera impenderet. Convenit mense Maio 1261 cum rege Na- 1261.
varræ comite Campaniæ super collatione præbendarum B. Mariæ in valle Pruvini, ea lege ut alternatim ad archiepiscopum & comitem pertineret. Longa jam ætate confectus, gravi insuper & incurabili languore detentus, imparemque se pontificio oneri ratus cedere intendit, quod cum audisset summus pontifex Clemens IV, S. legato suo cardinali S. Ceciliæ dedit in

* Ex regesto visitationum Odonis Rigaud.

Ch. XCIX, col. 74.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1266. mandatis IV nonas Nov. pontificatus 2, ut Guillelmo cedenti provisionem congruam assignaret, sin minus coadjutorem associaret. Idem eidem
Anecd. t. II, col. 424. mandavit IV id. Julii anno 3, Christi 1267,
1267. quo anno cessisse videtur Guillelmus qui secessit
Ibid. c. 504. apud Brienonem, ubi animam Deo reddidit mense Februario 1269. Tumulatus est ante majus altare S. Stephani ad latus evangelii, die 7 mensis ejusdem, ut constat ex epitaphio.

De Brocia natus est hic Guillelmus humatus.
Munere multiplici debet sua laus pia dici.
Sine sorde vili crescens, ex officiali
Fit cellerarius Senonis ille prius.
Paulo post idem datus est precentor ibidem,
Inde decanatum tenuit, post pontificatum.
M sexageno nono cum C bis in anno,
Tertia dum colitur Agathæ lux, hic sepelitur.

LXXI. PETRUS IV.

DE CHARNY.

Humili familia in vico Charniaco hujus diœcesis natus Petrus fortunæ suæ tenuitatem luculentis ingenii dotibus maxime illustravit. Nam ab Henrico *Cornut*, cujus fratrum erudiendæ pueritiæ admotus fuerat, præbenda & officialis munere donatus, post Guillelmum de Brocia decanus, necnon archidiaconus Senonensis & canonicus Parisiensis, ab Urbano IV papa camerarii officio, & post a Clemente IV insignitus, in curia Romana morabatur, cum cedente Guillelmo an. 1267 a capitulo electus est archiepiscopus. Electionis igitur libello per Gilonem *Cornut* summo pontifici præsentato, ab eodem
Chart. CI, col. 77. confirmatur, consecratur & honore pallii decoratur, qui commendatitias ad Ludovicum regem
1268. dedit ei literas V idus Martii an. IV, eidemque
Anecd. t. II, col. 580. eadem die scripsit ut regi significaret vacantem in curia per ejus promotionem archidiaconatum
Ibidem. Senonensem a papa conferendum esse. Petro
Ibid. c. 587. adhuc scripsit Clemens IV XVII cal. Maii anni ejusdem ut Egidiæ pauperi mulieri domum religiosam ædificare cupienti posset concedere. Admissus autem est Senonis hoc anno die Pentecostes cum gaudio maximo, honore & reverentia. Insequenti regem rogavit ut Johanni de Nantolio per obitum Nicolai Trecensi electo regalium copiam faceret. Memoratur anno eodem in charta magni pastoralis Parisf. pro Liricantu. Celebravit concilium Senonis Sabbato ante festum
1269. SS. Simonis & Judæ 1269, ubi promulgavit statuta Gilonis sedis apostolicæ legati adversus sacerdotes & clericos concubinarios, & alia condidit edita tom. XI concil. p. 1, col. 912.
1270. Regni administros rogavit anno 1270 ut electo Autissiodorensi quem confirmaverat Erardo re-
1271. galia concederent. Memoratur anno 1271 in tabulis Calensibus. Eodem anno interfuit solenni inhumationi corporis sancti Ludovici in basilica S. Dionysii, sed pontificalibus indumentis ipse & Parisiensis episcopus amicti procul facessere jussi sunt, ne contra regalis domus immunitates quidquam impune liceret, inquit *du Pleix* in
1272. Philippo III, p. 332. Insequenti anno Gregorius X archidiaconatum Senonensem qui per promotionem Petri vacaverat, Girardo de Rampellione archidiacono Meledunensi cui recusaverat Clemens IV, ad preces regis contulit V idus Julii, pontificatus 1. Turrim S. Stephani quæ in vigilia Paschæ an. 1267 corruerat a fundamentis erexit, necnon ædes archiepiscopales a Galtero conditas perfecit, & in ecclesiæ commodum plura acquisivit dominia. Testamenti autem codicillis cavit ut vicecomitatus Senonensis a Guillelmo & Guidone de Barris ex pecuniæ summa compararetur quam solvere tenebantur oppidani S. Juliani de saltu toparchiæ archiepiscopatus, quo item pretio a manu mortua ipso vivis exemto redemti sunt. Plura alia legata confecit, in his capitulo Parisiensi liquit 110 libras ad opus anniversarii. Cujus voluntati obtemperantes curatores testamenti successori Giloni vicecomitatum utendum, fruendum tradidere. Reversus an. 1274 a concilio Lugdunensi cui 1274.
adfuerat Petrus, animam exhalavit XVII calend. Sept. * funeratus est in ingressu chori majoris ecclesiæ cuprea tumba, cui hoc adscriptum epitaphium :

* VI idus Augusti in necrologio Parisf.

Petrus præsul Senonis, flos cleri, fons rationis,
Charniaci natus, hic subjacet intumulatus.
Dum vixit pavit inopes, lapsos relevavit,
Ædes quas stravit turris Senonis reparavit
Anno milleno bis centum septuageno
Cum quarto moritur, Deus illi propitietur.

LXXII. PETRUS V.

D'ANISY.

Ex mediocri genere ortus Petrus, sed scientia famosus & moribus plenus, canonicus Parisiensis & Autissiodorensis, necnon thesaurarius Senonensis, jam senex & debilis corpore, archiepiscopus eligitur unanimiter, inquit chronographus, sed per viam compromissi, ut volunt Sammarthani, qui addunt Petrum a Gregorio X consecratum, & in Galliam reversum celebrasse synodum provincialem, ejusque acta in MSS. schedis circumferri, ac expirasse VIII id. Dec. 1274, sepultum in cathedrali Autissiodorensi. Chronographus quidem scribit Petrum a Gregorio X confirmatum & consecratum, ac honore pallii decoratum, sed absque mentione synodi, in regressu a curia quæ tunc Lugduni morabatur mortuum, nec Senonis receptum, imo in ecclesia Autissiodorensi sepultum. At in obituario Parisf. hæc leguntur quæ difficultatem solvunt : *Nonis Dec. obiit Petrus de Anisiaco canonicus & sacerdos, thesaurarius quondam & electus confirmatus Senonensis, qui dedit terras & partem domus de Belloreditu.* Forte id ansam dedit Guillelmo Nangio in chronico scribendi Gilonem Petro de Charniaco successisse, quia nec consecratus Petrus de Anisiaco, nec Senonis receptus fuerat.

LXXIII. GILO II.

CORNUT.

Petita a capitulo post obitum Petri electi confirmati eligendi licentia Sabbato post festum S.
Prob. lib. eccles. Gall. p. 561. Luciæ 15 Dec. 1274, electus est Gilo Galteri &

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Gilonis archiepiscoporum nepos, juris pontificii A
doctor, Senonensis præcentor, ingenio, prudentia
& probitate conspicuus. In majori ecclesia tem-
pore suo quinque habuit fratres canonicos, ex
quibus tres fuerunt archidiaconi, quartus præ-
centor & quintus citius moritur. Ipse vero ex
præcentore factus archiepiscopus, a Gregorio X
confirmatus & pallio donatus est, qui regem
deprecatus est ut Giloni archiepiscopo Senonensi
regalia dimitteret. Gilo autem querelam habuit
cum Petro Remensi archiepiscopo, qui Mariam
1275. Franciæ reginam 24 Junii 1275 Paris. in sacra
capella coronaverat & unxerat, cui a rege res-
ponsum fuit capellam domus regis exemtam esse. B
Chart. CII, col. 78. Mense sequenti Gilo cum suffraganeis ad cardi-
nales S. R. E. scripsit pro canonisatione sancti
Ludovici regis. Eadem de re scripsit ad Inno-
1276. centium V mense quo obiit Junio 1276. In-
dulgentias accedentibus ad ecclesiam de Burgo-
medio in festo S. Coronæ concessit Blesis in
1277. crastino Epiphaniæ, die Jovis 1276 (1277).
1279. Regem rogavit an. 1279 ut abbati S. Severini
de Castro-Nantonis quem confirmaverat & bene-
dixerat, regaliorum copiam faceret. Coegit epis-
Tom. VIII, instr. c. 372. copum Carnotensem Simonem ad professionem
a singulis episcopis suffraganeis ecclesiæ Seno-
nensi debitam faciendam quam fecit XII calend. C
1280. Julii 1280, qua die celebrata fuit Senonis sy-
Amplis. Collect. t. VII, col. 276. nodus. Concilium habuit ibidem anno eodem
die Mercurii post festum S. Michaëlis. Martinus
IV ad supremum pontificatum assumtus Giloni
1281. scripsit 1281, ipsique & capitulo Senonensi
costam beatæ Magdalenæ a Vizeliacensi mo-
nasterio olim acceptam, pretiosa theca inclusam
per suum germanum Egidium misit, concedens
centum dierum indulgentiam iis qui die solem-
nitatis ipsius ad ecclesiam convenirent, epistola
* alias VIII. data apud Urbem veterem VII * calend. Octob.
an. I pontificatus. Regi significavit Gilo anno
1282. 1282 confirmatum a se abbatem S. Severini D
1283. Castri-Nantonis. Occurrit anno 1283 in char-
tulario Floriacensi. Hominium excepit a Philippo
1284. rege Navarræ an. 1284 ob ejus uxorem Cam-
paniæ comitissam, statuitque quid facto opus
futurum esset eo casu quo Philippus Philippo
1285. patri succederet. Confirmavit anno 1285 per-
mutationem factam inter fratres domus Dei Pru-
vinensis & Matthæum *de Melinges*. Memoratur
1290. adhuc anno 1290 in chartis Jardi. Fundavit
anniversarium in cathedrali cui æs sufficiens
inter canonicos distribuendum legavit. Defunctus
1292. 1292, XII cal. Junii; in choro majoris ecclesiæ
juxta Galterum patruum & decessorem sepelitur E
cum hoc epitaphio:

Corpus Gilonis jacet hic, quem plebs regionis
Hujus patronum plangit abesse bonum.
Cantus mensque pia, facundia, philosophia,
Normaque juris ei dona fuere Dei.
Conservare fidem satagebat firmiter idem,
Ut conservet eum, posco, rogate Deum.

BECARD.

LXXIV. STEPHANUS I.

Ex familia de Penulo oriundus Stephanus,
materno sanguine Cornutos archiepiscopos attin-
gebat. In jure canonico, cujus notitia tunc tem-
poris plurimum vigebat, egregie excelluit. Ex
decano ad pontificatus fastigium evehitur mense
Julio exeunte 1292 *. Inde Romam se contulit, * In excerptis tituli s Vallis-lucentis reperitur Stephanus an. 1291.
ubi per biennium vacante sede commoratus,
quo usque apostolicum culmen adeptus S. Cœ-
lestinus pontifex hujus nominis quintus eum
confirmavit consecravitque, & honore pallii de-
coravit. Mox in patriam reversus Stephanus im-
petravit die Martis post festum Assumtionis B.
Virginis 1294 regaliorum jura, quæ a die Veneris 1294.
ante Nativitatem sancti Johannis-Baptistæ 1292
vacaverant: cumque pernoctasset in monasterio
S. Petri ecclesiam suam ingressus est an. 1295 1295.
die Dominica post Epiphaniam, delatus a Guil-
lelmo de Joigniaco pro nepote comite Joig- Ch. CIII, col. 79.
niaci, a Stephano *de Galatas* milite pro domino
de Pissone, al. Pisonte, & de Curtenaio, a Petro
de S. Fidolo, a Guillelmo *de Tienges* domino de
Moroliis, ab Anselmo de Triangulo, a Johanne
& a Guillelmo de Barris consanguineis. Inter-
pellatus autem comes Campaniæ, respondit per
Hugonem de Bovilla ad hoc servitium minime
se teneri. Comitiis cleri Gallicani Parisiis habitis
1296 & 1297 mensibus Martio & Aprili 1296.
adstitit Stephanus, ubi concessa Philippo regi de- 1297.
cima pro subsidio defensionis intrinsecæ regni sui
adversus impugnationes hostium. Sacra mysteria
solenni ritu apud S. Dionysium celebravit die
Veneris in octavis Assumtionis B. Mariæ 1298, 1298.
dum beati Ludovici corpus e terra levaretur.
Eodem anno consecravit ecclesiam B. Mariæ
Meldensis. Concilium Meloduni celebravit XII
cal. Februarii anni 1300, cujus plures exstant 1300.
canones. Insequenti Isabella de Melloto quondam 1301.
comitissa Juviniaci, domina sancti Mauricii &
Montis-penserii, fundavit Cartusiam Vallis pro- Ch. CIV, col. 79.
fundæ pro 13 monachis, cujus ecclesiam dedi-
cavit Stephanus an. 1301. Parisiis interfuit jussu
Philippi regis 10 Aprilis 1303 celebri congre- 1303.
gationi regni procerum & prælatorum in causa
dissidii Bonifacium inter & Philippum. Eodem
anno ad concilium Romanum a Bonifacio ad-
versus Philippum invitatus est. Alterius testamenti
conditi mense Martio 1304 unus ex exsecuto-
ribus dictus est a Johanna regina Franciæ. Ordi-
nationem ad divini cultus augmentum a decano
& canonicis S. Germani Autissiodorensis apud
Parisios factam approbavit Dominica post festum
S. Matthæi 1304. Eodem anno concessit ibidem 1304.
consanguineo suo Johanni de Bovilla, domino
Milliaci, jus præsentationis capellaniæ B. Virginis
in domo sua de Fureschvilla diœcesis Senonensis.
Guillelmum Paris. episcopum consecravit die 17
Jan. 1305. Valli-scholarium cessit anno eodem 1305.
parochiam de Villebongi, ubi situs est prioratus
S. Georgii de Grangia ejusdem ordinis. Adfuit
anno 1306 translationi capitis S. Ludovici regis 1306.
ad sacram capellam Paris. & cum aliis præsulibus
iis qui ad eam convenerant solemnitatem con-
cessit anni unius & dierum 20 de injunctis sibi
pœnitentiis relaxationem, modo vere pœnitentes
& confessi fuissent. Excusavit se anno 1308 1308.
quod præ infirmitate causam episcopi Trecensis

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

prosequi non valeret. Multa sane & præclara in
ecclesiam suam munificentiæ reliquit monumenta,
quam ædificiis, dotationibus & duobus sacellis
in metropoli ædificatis decoravit. Ab Hugone
de Bovilla domino Milliaci multa dominia apud
Villam-novam emit, quæ supremis tabulis cum
domo ampla Luteciæ successoribus donavit, ea
lege ut vicariis ecclesiæ Senonensis libras aliquot
in augmentum victus & vestitus solverent. Legavit
cathedrali varia sacrarum vestium munera,
capitulo certam pecuniæ summam pro anniversario,
quæ amplissima legata ex ejus testamento
recitat Tavellus. Rebus humanis exemtus est 29
1309. Martii 1309 in vigilia Paschæ, qua die incœpit
regalia. Jacet ante majus altare cathedralis a parte
dextra, cujus cænotaphio affixa hæc epigraphe:

Hic jacet bonæ memoriæ Stephanus Becardi de Penulo, nobilis genere, doctor in decretis, juste philosophus, archiepiscopus Senonensis ecclesiæ, qui rexit eam annis 16, mensibus octo, diebus 3. Adquisivit eidem ecclesiæ multa bona ad perpetuitatem usque ad valorem quingentarum librarum Turonensium annui redditus, deditque ei vestimenta sua rubea cum pulpito & calice argenteis deauratis, ac mille libras pro vitrariis de navi faciendis cum aliis bonis. Obiit autem mense Martio IV calendas Aprilis, cujus anima requiescat in pace, amen. Orate pro eo.

DE MARIGNY.

LXXV. PHILIPPUS I.

Omissis Philippo *Beodi* & Philippo *Bequard*
qui nullo nituntur vade, nullo sponsore, post
obitum Stephani archiepiscopi eligendi facultatem
petiit capitulum Senonense, rex vero qui Clementem
V pontificem enixe rogaverat, ut Philippum
Cameracensem episcopum prima data
Baluz. vit. Pap. Aven. Coll. 142, 144, 145. occasione ad aliquam honorabilem archiepiscopalem
vel episcopalem regni sui ecclesiam transferret,
prioribus datis ei post mortem Stephani
literis scripsit ut de ecclesia Senonensi non disponeret,
donec plenius suam ei mentem aperuisset:
Clemens itaque sic vacantem ecclesiam
hujusque provisionem primo IX cal. Maii 1309,
iterumque post iteratas de Philippo regis literas
ægre licet sibi ipsi servavit pridie nonas Maii.
Qua de re gratias ei egit Philippus rex, rogans
ut cœptum consummaret opus: *Propter defectum enim archiepiscopi, inquit, retardatur concilium provinciale, in quo multa possent disponi honorem Dei tangentia, stabilitatem fidei & ecclesiæ sanctæ suæ, & alia multa bona.* Philippus itaque natione
Normannus, frater Engueranni comitis Longævillæ,
Johannis archiepiscopi Rotomagensis &
Philippi domini *d'Escouys*, Philippo regi ab epistolis
& intimis consiliis ex ecclesia Cameracensi
ad hanc metropolim traducitur a Clemente V
an. 1309; subscripsit eodem pactis matrimonialibus
Isabellæ filiæ Engueranni fratris sui cum
Guillelmo de Tancarvilla, die Veneris post festum
S. Lucæ 24 Octobr. Emtionem fecit mense
Decembri a Roberto de Becco in parochia de
Chart. CV, col. 84. Guenevilla. Insequenti possessionem ecclesiæ suæ
nactus est die Dominica ante Ramos Palmarum
1310. mense Aprili 1310, juramentumque solitum in

A basilica S. Petri præstitit. Eodem anno concilium
provinciæ suæ Parisiis habuit a die XI Octobr.
ad 26, in quo Templarii impœnitentes judicati,
curiæ seculari relicti sunt, ab eaque igni traditi.
Cameræ apostolicæ promisit 14 Maii 1311. 1311.
Eodem concilio Viennensi adstitit, ibique cum
Remensi & Rotomagensi archiepiscopis intercessit
ne audirentur Templarii. Anno eodem
mandavit abbati Castri-Nantonis ut interdictum
ibidem latum revocaret ob clericum ultimo
affectum supplicio. Ecclesiam Cartusianorum
Vallis-profundæ dedicavit anno 1312. Cameræ 1312.
apostolicæ solvit 14 Aprilis 1313, eodemque 1313.
B anno adfuit judicio contra Templarios lato die
Lunæ post festum B. Gregorii. Concilium celebravit
Parisiis an. 1314, die Martis ante trans- 1314.
lationem S. Nicolai, cujus exstant canones Ampliss.
Collect. tom. VII, col. 300. Circa id
tempus adstitit dedicationi ecclesiæ de Escoyaco
in diœcesi Rotomagensi. Luteciæ vitam finivit
sub finem anni 1316, depositusque est ibidem 1316.
in cœnobio Cartusianorum in sacello, unde perfecta
ecclesia decennio post translatus est in sanctuarium
ad lævam principis altaris prope cardinalem
Bellovacensem.

C

LXXVI. GUILLELMUS III.

DE MELUN.

Adamo IV vicecomite Meloduni & Johanna
de Soliaco Henrici Franciæ buticularii filia, stirpe
clarissima parentibus ortus Guillelmus, canonicus
Senonensis & subdiaconus, cui accedebat rara
morum cum pietate probitas conjuncta, eligitur
a canonicis archiepiscopus, qui tam de persona
electi quam de electione sua rationem reddituri Ch. CVII, col. 85.
ad summum pontificem qui postulaverat Johannem
XXII, direxerunt Dionysium decanum,
Johannem cellerarium & Andream de Florentia
26 Nov. 1316. Johannes vero Guillelmum a
capitulo electum & a se confirmatum ut post
D obitum Philippi archiepiscopus esset Senonensis
regi commendavit, & ut ei regalia restituerentur
pontificatus an. 1. Electus adhuc Guillelmus 10
Febr. 1317 cameræ apostolicæ promisit, sed 1317.
concilium provinciæ suæ Parisiis habuit die Lunæ
post Nativitatem B. Mariæ, huicque Philippus
rex concessit 19 Octobr. anni ejusdem, ut in Ch. CVIII, col. 85.
fide & hominio regis permaneret pro terris
S. Mauricii & aliis in castellania castri Rainardi
sitis, etiamsi hæc ultima terra alii assignaretur.
Et certe hanc fidem die eadem præstitit regi,
& excepit tanquam primogenitus a fratribus suis
E Johanne, Roberto & Ludovico. Rationes accepit
an. 1318 die Mercurii in vigilia sancti 1318.
Clementis apud Noailliacum domum suam a Ch. CIX, col. 86.
Guillelmo abbate de Jardo tam pecuniæ quam
acceperat & expenderat de redditibus archiepiscopatus,
necnon terris Guillelmi & fratrum ejus.
Testamenti sui exsecutor a Johanna regina dictus
est 20 Augusti 1319. Acquisivit anno eodem 1319.
a Johanna vidua Petri *du Chasnoy* octavam
partem molendinorum apud Villam-novam &
Maupas, cæteraque quæ ad Johannam pertinebant
mense Novembri. Concilium habuit anno
1320, in quo statuit ut quilibet episcopus in 1320.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

sua diœcesi plebem sibi commissam inducat ut A
quarta feria ante festum Corporis Christi ab esu
carnium abstineant omnes & jejunent. Arbitrali
1321. sententia compulsus est 12 Septemb. 1321 ad
solvendas 20 libras quas Stephanus *Becard* ejus
decessor vicariis ecclesiæ Senonensis legaverat
super domo archiepiscopi Senonensis Luteciæ sita.
Una cum legato apostolico & episcopis Meldensi
& Autissiodorensi visitavit reliquias in monas-
1322. terio S. Petri Melodunensis anno 1322, easque
e veteribus capsis in novam thecam argenteis
laminis obductam transtulit Dominica post festum
S. Matthæi. Eodem anno Perrinetum *Truelle* de
Pruvino liberum factum clero adscripsit, eique B
tonsuram contulit apud Neolonem domum suam
die Lunæ in festo S. Lucæ. Concilium celebravit
1323. Meloduni an. 1323, Sabbato post S. Matthiam,
& decretum in honorem SS. Sacramenti confir-
mavit. Mariam reginam uxorem Caroli regis
unxit & coronavit die festo Pentecostes Parisiis
in capella regis. Rationes accepit Guillelmi ab-
batis de Jardo quæstoris sui. Præsens fuit latæ a
delegatis pontificiis excommunicationis sententiæ
adversus Robertum comitem & Flandros fœde-
1325. rum violatores 12 Nov. 1325. Litem jam diu
motam inter Philippum decessorem & ecclesiam
Chart. cx. col. 86. Stampensem de jure visitationis & correctionis C
arbiter ab ipsis Stampensibus clericis electus de-
finiit in gratiam ecclesiæ Senonensis 8 Octobris
1327. 1327. Composuit cum J. abbate Majoris-mo-
nasterii & prioribus prioratuum ab eodem mo-
nasterio dependentium in diœcesi Senonensi pro
1328. jure procurationis & visitationis 1328 die Martis
in vigilia S. Andreæ. Defunctus in vigilia SS.
1329. Simonis & Judæ 27 Octobris 1329 in mo-
nasterio Jardi, ut vult Tavellus, sive apud Nal-
liacum, ut annotat calendarium Parisiense, se-
pultus est in majori ecclesia a latere evangelii
cum hoc epitaphio: *Hic jacet bonæ memoriæ vir
nobilis domnus Guillelmus de Meloduno quondam* D
*archiepiscopus Senonensis, qui obiit anno Domini
1329 in vigilia apostolorum Simonis & Judæ.*

LXXVII. Petrus VI.

ROGER.

Guillelmo successit ex continuatore Nangii
Petrus Rogerii, qui jam electus Atrebatensis
cameræ apostolicæ promiserat 24 Januarii 1329,
Hist. Card. Franc. tom. I. Prob. pag. 330. eidemque electus Senonensis promisit 12 Dec.
anni ejusdem. Quo nomine die Veneris 22 eo-
rumdem mensis & anni solemnem habuit ora-
tionem coram rege pro prælatis apud Vicennas,
ubi eadem de re ibidem peroravit 8 Januarii
1330. 1330 adversus Petrum de Cuneriis advocatum E
regium in senatu Parisiensi, & cum Petro Ber-
trandi episcopo Augustodunensi causam jurisdic-
tionis ecclesiasticæ fortiter tuitus est. Qui con-
ventui adstitit Philippus Valesius post orationes
utrimque habitas pronunciavit jura ecclesiæ Gal-
licanæ aucta se potius quam imminuta velle. Huic
erectum regi in antica parte basilicæ Senonensis
trophæum insigne præferens effigiem ejus eques-
trem cum hoc distycho.

Regnantis veri cupiens ego cultor haberi
Juro rem cleri libertatemque tueri.

Petrus autem jussus est a Philippo rege anno
eodem ut 6000 libras quas ille & Carcasso-
nensis episcopus filiabus Johannæ reginæ Franciæ
tradere tenebantur, annumerarent. Sacellum S.
Martialis in ecclesia Senonensi amplissimo do-
tavit censu, per antiquumque renovavit statutum,
ut suffraganei antequam in ecclesia sua recipe-
rentur, fidem subjectionis exhiberent metropo-
litano in æde S. Stephani. E Senonensi quam
vix per annum integrum tenuit ex continuatore
Nangii, ad Rotomagensem metropolim translatus
est Petrus 12 Dec. 1330. Vide Atrebatenses
& Rotomagenses.

LXXVIII. Guillelmus IV.

DE BROSSE.

Aniciensis & Meldensis successive episcopus
Guillelmus, dein archiepiscopus Bituricensis, ad
Senonensem metropolim transfertur an. 1330,
ex continuatore Nangii; & certe ejus successor
Fulcaudus electus Bituricensis cameræ apostolicæ
promisit 19 Januarii 1331. Guillelmus vero 1331.
dedicavit 12 Febr. hujus anni ecclesiam sancti
Ludovici de Pissiaco, præsentibus rege Philippo
VI & archiepiscopo Rotomagensi cum plurimis
episcopis. Eodem anno statuta condidit pro ca-
nonicis sanctæ Crucis Stampensis. Majus altare Ch. cxi, col. 87.
ecclesiæ Senonensis nondum consecratum con-
secravit 22 Oct. 1332, & indulgentias con- 1332.
cessit. Caput S. Gregorii papæ in monasterio
S. Petri vivi ad preces abbatis solenniter visitavit
8 Julii 1333. Cœlestini Senonas ingressi sunt 1333.
anno 1336 vocante Isabella vidua Johannis de 1336.
Maseriis Philippi Valesii consiliarii, ipsisque attri-
buta vetus capella quinque gladiorum B. Virginis
quam pro capellanis quatuor erexerat Guillelmus
propatruus Guillelmi. Missus est an. 1337 ad 1337.
sopiendum imminens Gallos inter & Anglos
bellum. Possessiones quasdam pecunia comparavit
apud villam S. Mauricii ab Ansello Trianguli
toparcha, quas successoribus præsulibus trans-
cripsit. Pontificatus anno octavo diem extremum
obiit apud Nalliacum castrum 13 Dec. 1338, 1338.
sepultusque est ante majus altare S. Stephani sub
tumba cuprea cum hoc epitaphio:

Sculpitur hic G. de Brucia quondam Senonensi
Prælatus sedi, qui mortis subditus ensi,
Carnis jus ædi persolvit Nailliacensi.
Stirpe nitens, pariter prudens, pius ad bona præsto,
M. C ter, X ter, semel V rapitur nece festo
Luciæ, per iter veniæ Deus huic pius esto.

LXXIX. Philippus II.

DE MELUN.

Guillelmi cognominis germanus Philippus,
ex episcopo Catalaunensi factus est archiepiscopus
Senonensis a Benedicto XII bulla data pontifi-
catus v, cum prius vacaret sedes die Martis se-
cunda post festum Epiphaniæ an. 1338, in-
dict. 7. Electus autem promisit cameræ aposto-
licæ 13 Martii 1339. Fidelibus omnibus in fide 1339.
& sinu ecclesiæ morientibus liberam fecit potes-
tatem eligendi sepulturam suam in cathedrali aut
in parochialibus urbis ecclesiis 29 Jan. 1341.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Ratam habuit anno eodem compositionem factam A inter capitulum & archidiaconum ecclesiæ Meldensis. Confirmavit mense Martio 1343 quædam pacta inita inter eleemosynarium S. Dionysii & presbyterum parochiæ de Grandiputeo. Occurrit IV id. Aprilis anno 2 Clementis VI in regestis Vaticani. Nullas sibi a monachis Vindocinensibus debitas procurationes agnovit 1 Junii 1344. Cessit ante mortem, nam testamento condito 28 Januarii 1344 (1345) memorat Guillelmum archiepiscopum Senonensem nepotem suum, quod testamentum a notariis recognitum fuit anno 1345 29 Martii. Scripsit de sepultura mortuorum librum quem ejus encomiastes dicit valde proficuum & utilem & eleganti sermone contextum. Supremis testamenti codicillis ecclesiæ legavit librariam suam supellectilem. Diem ultimum clausit 7 Apr. 1345, sepultusque est prope aram majorem cathedralis a latere sinistro juxta Guillelmum germanum suum in communi cœnotaphio cum hoc epitaphio: *Hic jacet bonæ memoriæ vir nobilis dominus Philippus de Meloduno quondam episcopus Catalaunensis, deinde archiepiscopus Senonensis, qui obiit anno Domini 1345, die 7 Aprilis.*

1343. 1344. Ch. CXII, col. 88.

Hos fratres genuit hæc mater origine claros,
Summo quos habuit patres in culmine charos.

DE MELUN.

LXXX. GUILLELMUS V.

Johannis vicecomitis Meloduni, Tancarvillæ in Normannia comitis, Franciæ ac Neustriæ cambellani, ex Johanna, al. Alixia, domina Tancarvillæ filius Guillelmus, ac Philippi decessoris nepos, inter stirpis Melodunensis decora meruit celebrari, nam custos ecclesiæ S. Quintini Veromanduensis & canonicus Parisiensis anno 1343 ob natalium non modo splendorem, sed & ingenii præstantiam archiepiscopatu Senonensi per D cessionem patrui condecoratur anno 1344, quo electus nonis Nov. an. 3 Clementis VI in regestis Vaticani, electus adhuc cameræ apostolicæ promisit 15 Dec. anni ejusdem, sed jam archiepiscopum testamenti sui exsecutorem conditi 28
1345. Januarii sequentis anni 1345 eum dicit Philippus. Prioratum B. Mariæ intra muros & fossata urbis Aurelianensis visitavit, duasque argenti marchas statuit pro jure visitationis archiepiscoporum Senonensium die Mercurii post ramos palmarum 1345. Cameræ apostolicæ solvit 15
1346. Aprilis & 29 Dec. 1346. Ad officium divinum celebrandum in basilica Ferrariensi eodem admissus anno, monasterii privilegiis cautum voluit. E Concilium provinciæ suæ Parisiis habuit 14
1347. Martii 1347, in quo constitutiones Guillelmi patrui sui & decessoris 13 articulis expressit.
1348. Agnovit an. 1348 domum S. Germani de Colliaco, nec pabulum, nec procurationem debere archiepisc. Senonensi. Cameræ apostolicæ solvit 22 Jan. 1349. Ecclesiam Stampensem visitavit
1349. die Jovis post festum Corporis Christi 1349, & statuta condidit. Ludovicum Carnotensem episcopum qui visitationem ejus admittere nolebat, procurationemque ipsi debitam denegabat,

Ch. CXIII, col. 89. Spicil. V, 138.

anathemate perculit 11 Februarii, qui tandem jus visitationis agnoscens Guillelmo reconciliatus est 6 Maii 1350. Una cum capitulo sex pueros 1350.
alba indutos instituit in ecclesia Senonensi 3 Junii. Eodem anno vice & loco Parisiensis episcopi absentis, Guillelmus delegatus ab ejus vicariis generalibus Johannem Francorum regem accedentem ad ecclesiam Parisiensem solenniter excepit 17 Octobr. ejusque juramentum seu promissionem recepit. Querelam habuit cum capitulo Parisiensi pro jure visitationis quam detrectabat capitulum, cujus arbitros dixit 17 Sept.
B 1352. Donum factum Cœlestinis a Marcello 1352.
cive Parisiensi cum Johanne episcopo confirmavit anno eodem. De consensu capituli sui fundavit & dotavit quatuor capellanos in sacello S. Sepulcri quod ædificaverat in ecclesia Senonensi 1354 mense Januario. Guillelmus autem 1354.
apud Johannem regem gratia plurimum & auctoritate valebat, qui arcanorum regni participem sanctiorisque consistorii consiliarium allegit eum annua pensitatione 2000 Francorum auri cum Johanne de Artesia Augensi & Johanne Boloniæ comitibus muneratum. Huic concessit an. 1356 1356.
ut in domo archiepiscopali illiusque ambitu sive C clausura omnem haberet jurisdictionem, & in carceribus quas Senonis habet archiepiscopus, omnes omnium suarum jurisdictionum sontes includeret, hicque per officiarios suos criminum institui accusationem & quæstionem definiri. Anno eodem in prælio prope Pictavos cum Anglis commisso 19 Sept. cum Johanne rege captus est, & ad redemptionem positus. Hinc forte literis ei a rege datis 18 Januarii 1357 1357.
regni moderator conservavit eum in consilio regis cum pensione 200 scutorum auri habenda quolibet mense, propter grata ejus servitia & deperditas magnas res & damna quas & quæ passus fuerat occasione belli. Una cum episcopis Autissiodorensi & Bellovacensi conciliavit an. 1358 1358.
regem Navarræ & ducem Normanniæ regni moderatorem. Eodem anno ob crebras Anglorum tum Franciæ regnum infestantium excursiones a Carolo Delfino jussa est urbs Senonensis fossis circumdari, ideoque ecclesiæ S. Remigii, B. Mariæ ad portam sancti Leonis, monasteria Dominicanorum & Franciscanorum quæ extra urbem exstructa erant cum xenodochio penitus subversa sunt. Guillelmus autem e custodia emissus omnem navavit operam ut Johannes rex pristinæ libertati redderetur. Sæpius cum conventu trium ordinum regni convocato egit tam Luteciæ quam in pluribus aliis locis ut quisque pro facultatibus suis in regis redemptionem conferret, quo in negotio vitæ discrimen sæpius adiit. In Angliam reversus cum cardinalibus Petragoricensi, Urgellensi & Rotomagensi ut pacem componerent inter Johannem regem captivum & Angliæ regem, illic permanserunt usque ad mensem Maium 1359, quo reversus Guillelmus attulit 1359.
conditiones pacis ineundæ. Monachis S. Petri monasterii quod ne occuparetur ab hostibus regni in damnum urbis Senonensis disjectum fuerat, permisit habitare in urbe ad annum unum ultima

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Februarii 1359. Instituit an. 1360 in ecclesia A
Senonensi festum S. Quintini martyris in vigilia
1360. omnium Sanctorum solemniter celebrandum,
domumque in urbe sitam ad erogandam canonicis
ea die sacram stipem concessit. Eodem anno ad
Britinniacum pagum prope Lutetiam de pace
& redemptione regis actitatum est, sacro a Guil-
lelmo celebrato, cujus in domo Carolus delfinus
hac die prandit. Præsens fuit hominio quod
Johanni episcopo Carnotensi præstitit Philippus
1361. de Navarra 8 Martii 1361. Emit eodem terram
Rymer. t. VI. p. 359 & 363. de Fontanis mense Octobri. Regi Angliæ 40000
scuta solvit 1 Apr. 1362 redemptionis pretium.
1362. Legatus est a rege anno eodem in Flandriam B
20 Julii cum honorario 450 florenorum auri.
Johannes rex confirmavit ei & asseruit 12 Au-
gusti omnimodam jurisdictionem intra clausuram
domus archiepiscopalis. Paulo post inchoatum
Urbani V pontificatum qui cœpit mense Octobri
1362, Guillelmum privatum fuisse archiepis-
copatu suo narrat vetus chronicon Normanniæ
MS. in codice olim 1424 bibliothecæ Colber-
tinæ in regia asservatæ, & factum ab Urbano
patriarcham Jerosolymitanum, sed postea rogante
Francorum rege Johanne ei redditam Senonen-
sem cathedram. Consonat id historiæ quam sic
narrant: « Cum Guillelmus Grimoardi tunc abbas C
» S. Germani Autissiodorensis liberius conquestus
» esset ob censum quemdam ab archiepiscopo in
» provincia sua exactum, archiepiscopus præ ira
» barbam abbatis arripuit, ex eaque avulsis multis
» pilis contestatus est se illo invito levaturum cen-
» sum. Tum etiam de vi sibi facta & contumelia
» exprobranti abbati & conquerenti per ludibrium
» respondisse: *Vindicabis te cum eris papa.* Itaque
» ad summum pontificatum promotus Guillelmus
» Grimoardi, memorque illatæ sibi olim injuriæ,
» accersivit archiepiscopum Avenionem cui ad
» memoriam revocavit rem olim gestam, eumque D
» privavit archiepiscopatu sub specie honoris, collata
videlicet dignitate patriarchæ Jerosolymitani ».
Verum egit rex Franciæ Johannes apud papam
ut pristinæ sedi restitueretur Guillelmus, quod
annuit. Executor testamenti Philippi decessoris
1363. sui legitur in instrumento curiæ Parif. an. 1363.
Eodem abbati & monachis de Jardo contulit &
univit parochiam S. Ambrosii de Melodnno cum
possessionibus, juribus & pertinentiis, eo quod
bona eorum temporalia pro majori parte in bello
devastata fuissent, & ut in posterum ingruente
bello in fortalitio ejusdem oppidi tuti esse possent
Ch. cxv. col. 90. die 13 Dec. Eodem anno Franciscani collabente E
veteri cœnobio translati sunt in urbem, iisque
concessum ut in ecclesia sua mortuorum cadavera
possent inhumare, cum prius præter archiepis-
copos & reges nemo sepultura donatus esset in
ipsa urbe. Carolus rex noviter in regem evectus,
1364. Guillelmo dedit 25 Aprilis 1364, 3300 libras
auri quas a generalibus regni thesaurariis acce-
perat mutuo promissione sua, pro qua promiserat
18000 scuta Philippi. Ecclesiis S. Quintini &
suæ plurima largitus est anno eodem. Dedit
Ch. cxvi. col. 91. quoque ecclesiæ Parisiensi, cujus canonicus fuerat
& præbendatus, singulos reditus, domos, molen-

dina, terras, prata, vineas, censivas, &c. quæ ANNI CHRISTI
habebat in villa & territorio de Verno, quorum
emolumenta vult distribui eis qui officio majoris
missæ principaliter interessent, ad quam paucis-
simos convenire viderat dum in dicta ecclesia
annos agebat juventutis, die 22 Martii 1364.
Missus est an. 1365 a Carolo rege cum Guil- 1365.
lelmo *de Dormans* Avenionem ad Urbanum
papam pro auxilio terræ sanctæ procurando.
Majus sacrum celebravit in basilica S. Dionysii
in exsequiis Johannis Franciæ regis 8 Maii.
Anno eodem Petrus *de Varennes* dominus Belli-
fontis Dominicanos in urbem induxit e suburbio
ubi primum collocati a S. Ludovico fuerant.
Eodem Parisiis domum archiepiscopalem juxta
cœnobium Clarissarum in commutationem al-
terius regiis impensis comparatæ pro augmento
palatii Turricularum successoribus acquisivit.
Dominia permutavit an. 1366 cum Margarita 1366.
domina *de Trainel* & *de Vauclere* & Johanne *de*
Chateauvillain ejus filio. Eodem admisit in urbe
1 Junii monachos Cœlestinos fundatos ab Isa- Ch. cxvii. col. 92.
bella *Bilouard* relicta Johannis de Maiseriis regis
consiliarii, eisque attribuit sacellum primitus a
dicto Johanne fundatum in honorem SS. Tri-
nitatis & B. Mariæ, eorumque ecclesiam dedicavit
7 Junii 1372. Carolus V rex Senonis trium
regni ordinum habuit conventum 1367 quem 1367.
Guillelmus summo apparatu excepit; Carolus
autem sacrum se vivente de *Spiritu sancto* & post
mortem de *defunctis* pro se celebrandum, pre-
cesque intra missæ majoris solennia singulis diebus
fundendas obtinuit. Anno 1368 Guillelmus 1368.
rogatus ab Urbano V transegit 7 Maii cum
Stephano de Chitriaco, cui dimisit servitia &
jus servitutis quod exigebat in locis *de Rouvray,*
Cigogne, Venousse, Montigny & *Blegny* ad abba-
tiam pertinentibus. Eodem anno synodum pro-
vinciæ suæ habuit ubi plurima decrevit eccle-
siarum decori conducibilia. Eodem solemni bap-
tismo Caroli Delfini Parisiis in ecclesia S. Pauli
interfuit 15 Sept. operante cardinali Bellovacensi,
cui pileum rubeum tradidit die Veneris 2 Febr.
festa Purificationis. Dedicavit 15 Sept. 1370 1370.
oratorium Cœlestinorum Parisiensium in hono-
rem B. Mariæ Virginis Annuntiatæ. Johannem
Nivernensem episcopum sacravit anno eodem.
Guillelmo & abbati Fiscannensi fecit potestatem
Gregorius XI bulla data idibus Martii anno 1 1371.
renunciandi constitutioni Bonifacii VIII *de duabus*
dietis, mutuoque 100000 francos auri sumendi.
Guillelmo quoque dedit rex ultima Augusti
1371, 400 libras auri pro expensis quas Ebroicis
fecerat cum ibi obses cum Johanne *de Melun*
domino Tancarvillæ esset mense Junio, donec
pacta inter reges Franciæ & Navarræ suum sor-
tita fuissent effectum. Querelam habuit cum
archidiacono Senonensi pro jurisdictione, huic-
que prohibitum a rege ne archidiaconum mo-
lestaret die Lunæ ultima Febr. 1372. Declaravit 1372.
an. 1373 abbatem, monachos & membra sancti
Germani a pratis a jurisdictione sua exemtos. 1373.
Unus inter alios designatus est a Carolo V ad
executionem edicti regii pro majoritate regum
anno

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

anno 1374, & ad exigenda subsidia clero imposita. Contulit anno 1375 Johanni *Tirechape*
1374. canonico ecclesiæ de Jardo ecclesiam S. Am-
1375. brosii de Meloduno. Graves cum oppidanis lites habuit qui ad Nailliacum venabantur, quibus senatus Parisiensis consulto ultima Augusti ejusdem anni assertum jus ibidem venandi, Guillelmus vero 2000 libras fisco pendere jussus ob crimina a famulis in cives commissa, nonnullarumque villarum emolumenta fisco adjudicata. Præterea moniales e villa Tomba ad Faræ monasterium ablegavit Guillelmus, earumque loco sacellanum instituit. Præter terram de Fontanis acquisivit etiam in successorum gratiam a priore B. Mariæ dominium clientelare & jus dominicum in villam *de Granchettes*. Imaginem lapideam B. Virginis dictam B. Mariæ de consolatione, parieti adhærentem, in ecclesia Senonensi jussit erigi, ad cujus imaginis pedes visuntur Guillelmi insignia.
1376. Denique testamentum condidit 19 Apr. 1376, cujus exsecutores nominavit Aimericum Paris. episcopum, Jacobum Divitis decanum Parisiensem, Johannem de Essartio abbatem S. Johannis Senonensis, Petrum *de Rouy* archidiaconum Parisiensem, Egidium *de Chaumont* archidiaconum Wastinensem in ecclesia Senonensi, & Petrum *d'Aumont*. Codicillos adjecit 23 mensis ejusdem, pro quorum exsecutione rex dedit literas mense Jan. 1377, cui incumbebant dicti exsecutores mense Sept. Defunctus autem 3 Maii 1376. Memoratur IV non. mensis ejusdem in martyrologio Parisiensi, cujus ecclesiæ legavit 30 libras. Sepultus est in tumulo lapideo ad latus aræ principis cum hac inscriptione :

Clauditur hic funus Guillelmi, quem Meledunus
Cognotat, huic munus veniæ det trinus & unus.
Archiepiscopus is Senonensis, conditionis
Nobilis, effusis fulsit sua dextera donis,
Ecclesiis & consociis fuit officiosus
Auxiliis & subsidiis, reprobisque perosus.
Finem sacra crucis inventio dat sibi lucis
M. C ter Vque tethra sex & L vivat in æthra.

ROBERT.

LXXXI. ADEMARUS.

De Ademaro jam diximus in Atrebatensibus, Morinensibus & Lexoviensibus, filius Bertrandi militis domicelli S. Galli, Ademari autem cardinalis nepos e Morinensi ecclesia ad Senonensem metropolim translatus, cameræ apostolicæ promisisse & pro ecclesia Morinensi unde transibat, recognovisse legitur 6 Junii 1375 in regestis Vaticani, quia forte uno cesserat ante obitum anno Guillelmus. Jurium episcopii sui tutandorum studiosus clerici a præpositis Moreti ad furcas suspensi ut cadaver e patibulo deponeretur & archiepiscopo traderetur, a Senatu Parisiensi obtinuit.
1377. Carolus V rex anno 1377 ecclesiæ Senonensi terram *de Sommesontaine* quam ab exsecutoribus testamenti Guillelmi decessoris emerat pro fundatione anniversarii per singulos menses dono concessit. Litem habuit Ademarus cum capitulo Parisiensi de juribus archiepiscopi, quæ judicum

A arbitrio dimissa est 15 Junii 1379. Cameræ 1379.
apostolicæ solvit 13 Martii 1381. Memoratur 1381.
1382 in chartis. Plurimi nobiles ecclesiæ officiis 1382.
insigniti claruerunt Ademaro sedente, qui defunctus jacet ad lævum cornu majoris altaris S. Stephani sepulcro marmoreo, in quo legitur: *Hic jacet bonæ memoriæ reverendissimus in Christo pater dominus Ademarus Roberti Lemovicensis diœcesis, utriusque juris professor, olim episcopus Lexoviensis, Atrebatensis, Morinensis & ultimo archiepiscopus Senonensis, qui obiit die conversionis S. Pauli anno Domini M. CCC LXXXIV. Orate pro eo.* 1385.

LXXXII. GONTHERIUS. DE BAIGNAUX

B Vivis exemto Ademaro, Nicolaus *de Veres* ex archidiacono Senonensi ab anno 1373 episcopus Cabilonensis, a Senonensibus canonicis postulatus, repulsam passus est ab Urbano VI, qui sedis hujus provisionem sibi servarat, quam contulit Gontherio Cenomannensi episcopo. Is autem ab eodem pontifice sic electus, & pallio decoratus, cameræ apostolicæ promisit & recognovit pro Ademaro decessore 25 Febr. 1385. Possessionem iniit 14 Maii Dominica post Ascensionem, & obiit ante 20 Julii anni ejusdem, sepultus ante majus altare ecclesiæ Senonensis.

C Justis Gontherio persolutis, iterum ad Urbanum pro Nicolao perhonorifice scripsit capitulum, eum scilicet virum inculpatæ vitæ, egregium jurium ecclesiæ defensorem, & jampridem in archiepiscopum votis omnium fuisse expetitum, sed ob discordias Urbani cum Clemente, effectu adhuc caruit altera postulatio.

LXXXIII. GUIDO II. DE ROYE.

Inter ecclesias quas episcopus tenuit Guido, Senonensis quinta est ad quam promotus recognovit pro Gontherio & Ademaro 16 Augusti 1385. Dedit aquilam chori & bis mille libras
D ad emendos reditus legavit ecclesiæ Senonensi, jam translatus ad Remensem anno 1390, ubi 1390.
vide quæ de eo diximus. Ejus quidem in locum substitutus est Simon *de Cramaud* episcopus Pictaviensis anno eodem, sed qui reluctantibus canonicis cedere cogitur. Superiori anno a Clemente VII bulla data calendis Julii 1389, ablata archiepiscopo in canonicos quævis jurisdictio clerusque metropolitanus ab ea fuerat exemptus.

LXXXIV. GUILLELMUS VI. DE DORMANS.

E Meldensi ecclesia ad Senonum metropolim translatus Guillelmus posteriori electione quam
E summus pontifex ratam habuit 17 Oct. 1390, promisit cameræ apostolicæ, & recognovit pro Guidone die ultima mensis ejusdem ex regestis Vaticani, ubi tempus ad solvendum ei prorogatur 28 Septembris 1391. Toparcha erat *de* 1391.
Dormans de Monceaux, de Lisy-sur-Ourc & de Goussainville, regi a consiliis, quo nomine mille libris auri donatum se 8 Martii 1390 (1391) pro officiis regi præstitis testatur apocha 17 Dec. 1391. Carolum Delfinum natum Parisiis die
Martis 6 Febr. 1392 lustralibus undis abluit. 1392.
Translationi reliquiarum S Ludovici factæ in

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

monasterio S. Dionysii eodem interfuit anno. Confirmavit 17 Septembris capitulo B. Mariæ Pruvinensis jus eligendi decani. Ecclesiam suam
1393. ingressus est die XI Aprilis 1393. Cum suffraganeis adstitit cœtui a Carolo VI habito die
1394. Purificationis beatæ Mariæ 1394 ad sedandum schisma. Litem habuit pro expensis jucundi adventus cum Roberto abbate S. Petri quæ de
1395. partium consensu sopita est 26 Dec. 1395, sic ut archiepiscopus præter 50 libras nihil exigere posset. Comitiis Parisiensibus in palatio regio
1398. habitis 23 Januarii 1398 super schismate inter Bonifacium IX & Benedictum XIII adstitit. A domino Castellano Briennonis capellanias duas S. Lupi in sacello S. Lupi in palatio Briennonis, & alteram B. Mariæ in sacello eodem fundatas
1399. univit 30 Julii 1399 ecclesiæ collegiatæ SS. Martini & Lupi Briennonis. Assensum præbuit tributo imposito a duce Aurelianensi regni, rege infirmo, moderatore circa annum 1402. Domum a capite nigro acquisivit Dominica 4 Decemb.
1401. 1401, quam cum capitulo Meldensi permutavit
1404. 2 Nov. 1404. Concilio Parisiensi adfuit 21 Octobr. anni ejusdem, in quo conditi articuli pro monachis exemtis. Consensit 14 Decemb. ut abbas S. Columbæ in quocumque diœcesis loco posset altare erigere, missamque celebrare aut celebrari facere. Testamentum condidit Parisiis penultima Martii 1404, in quo sepulturam elegit in sacello collegii de Dormanis Luteciæ, cui terras *du Plessier l'Évesque* & *de Damery* cum bibliotheca legavit. Donavit vero nepti Mariæ *de Paillard* uxori Amalrici *d'Orgemont* dynastias *de Lisy* & *de Grisolles*, Johannæ sorori dominia *de Passy*, hospitium *de Monceaux*, Catharinæ item nepti sponsæ Philippi Pictaviensis equitis terram suam de Dormanis, quibus procurandis legatis commisit Petrum *d'Orgemont* Parisiensem, Johannem *de Montaigu* Carnotensem & Johannem *de Poitiers* Valentinensem episcopos, aliisque codicillis ejusdem anni 4 Maii nominavit Stephanum de Givriaco Trecensem præsulem, ut constat originalibus tabulis. Guillelmum filium nothum reliquit legitimatum Trecis anno 1440.
1405. Exspiravit 2 Octob. 1405, & in sacello collegii Bellovacensis Luteciæ quiescit cum hoc epitaphio: *Hic jacent domini Milo de Dormano episcopus quondam Andegavensis, post Bajocensis & demum Bellovacensis, cancellarius Franciæ qui obiit 17 Augusti anno 1387, & Guillelmus de Dormano ejus germanus, episcopus quondam Meldensis, post archiepiscopus Senonensis, regius consiliarius, qui obiit anno 1405, 2 die Octobris. Doctores legum, nepotes domini Johannis cardinalis de Dormano, & filii nobilis viri domini Guillelmi de Dormano fratrum & Franciæ cancellariorum, hujus collegii fundatorum, quorum corpora sunt apud Carthusienses prope Parisios. Orate pro eis omnibus.*

Post obitum Guillelmi Hugo *Blanchet* libellorum supplicum in regia magister, archidiaconus Senonensis, e Senonum urbe oriundus & sacræ capellæ Parisiensis thesaurarius, a majore canonicorum numero archiepiscopus eligitur, rege interea contradicente qui Johannem de Monte-

A acuto ad metropolim provehi mandaverat: quam controversiam cum dirimere summus pontifex procrastinat, Hugo nondum sedem adeptus interiit 24 Aprilis 1406, ut diximus tom. VII, col. 244.

LXXXV. JOHANNES I.

DE MONTACU

Episcopus Carnotensis ab anno 1390 Johannes, cancellarius autem Franciæ ab anno 1405, morte Hugonis archiepiscopatu potitus est pro cujus bonis temporalibus clientelæ fidem juravit 26 Julii 1406, eodem anno inter consistorii 1406.
senatores assumtus. Ecclesiam suam nullo apparatu ingressus est die Paschatis 1407. Insequenti 1407.
B donec patriarcha Alexandrinus de legatione rediisset, præfuit electus concilio ecclesiæ Gallicanæ Parisiis in sacra capella palatii regalis habito a die 11 Augusti ad 5 Nov. 1408, super modo 1408.
regiminis ecclesiæ Gallicanæ, durante neutralitate. Destinatus est 6 Nov. ad concilium Pisanum. Dedicavit anno eodem ecclesiam Cœlestinorum Marcouciaci a Germano fundatorum. Anno 1409 præses erat in camera computorum, ut 1409.
probat ejusdem chyrographum, quo de sale ad suæ domus necessaria dato ex horreo salario Parisiensi fidem facit die 30 Sept. Eodem anno
C delegatus a rege ad audiendas regis Anglorum expostulationes Ambianum, cum comperisset incarceratum fratrem, antequam res innotesceret Ambiano excessit, cumque Clarum-montem urbem in Bellovacis advenisset, obviam habuit regium apparitorem a quo prehensus est, & in carcerem venire jussus. Archiepiscopus autem vir sagaci ingenio & fratris periculo prudens factus apparitorem verbis delinivit & finxit se cum comitatu sequi. Quum vero ad Isaram fluvium perventum est, quem navibus transcendere necesse erat, comitatus partem una cum apparitore in alteram fluminis ripam transire permisit,
D subsecuturum mox se pollicitus, vereri se dicens ne si omnes simul transmitterent, navis nimio onere deprimeretur. Nave ad alteram ripam appellente, Johannes archiepiscopus celerrimum conscendens equum, apparitori inclamavit se affuturum cum rex melioribus consiliis uteretur, nunc vero non licere cum omnia vi & terrore plena essent, inde ad exercitum ducis Aurelianensis profectus est. Audita ejus profectione, trino nundino proclamatus, exsilio perpetuo damnatus est. Quamdiu in exercitu fuit militis egregii functus est officio, nunc incursiones in hostes faciendo, nunc hostes repellendo & alia militaria
E munera obeundo. Monstreletus qui tum vivebat, tradit Johannem archiepiscopum visum multoties pro mitra galeam, pro dalmatica loricam induisse, & loco pedi pastoralis securim gestasse: quare decreto capituli Senonensis non solum Johannes jam non infulatus, sed galeatus & secularis militiæ cingulo præcinctus, exauctoratus, sed etiam destituti & facessere jussi ejus vicarius generalis & officialis leguntur in archivis ecclesiæ Senonensis. Cum autem Burgundiæ dux Aurelianum ducem & socios ecclesiastica censura a prælatis suæ factionis curasset perstringendos, Johannes pontifi-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

calibus indutus vestibus cum Aurelianensi, Car-
notensi & aliis episcopis sententiam excommu-
nicationis adversus Burgundum solenniter apud
1411. Aurelianos promulgavit anno 1411. Eodem
dedita duci Aurelianensi urbs S. Dionysii, ab
ipso concredita est Johanni, in quam cum 400
militibus ingressus est. Quin & propositi ita tenax
fuit ut pacis conventiones Atrebati initas inter
regem, Aurelianum & Burgundum principes
an. 1414 noluerit sacramento firmare, etiamsi
jussio Caroli delfini præcessisset; nec nisi 13
Martii anni sequentis, jussuque regis & procerum,
has se observaturum juravit. Ecclesiam suam so-
lemniter ingressus est die festo S. Catharinæ
1414. 25 Nov. 1414 comitantibus Parisiensi episcopo,
abbatibus S. Petri, S. Columbæ & S. Johannis,
aliisque nobilibus viris. Insequenti delegatus est
mense Maio cum aliis ad comites Armeniæ &
Fuxi, sed non profectus est. Eodem generalis
commissarius instituitur pro subsidio a clero Gal-
licano regi concesso. Eodem delegavit Parisiensem
episcopum & abbatem Belli-loci qui electionem
episcopi Carnotensis expenderent. Eodem in
cruentissima illa clade qua ab Anglis Galli victi
1415. sunt apud Azincurtum 25 Oct. 1415, armis
militaribus utens cum aliis principibus ac proce-
ribus occubuit. Cadaver sepeliendum defertur in
ecclesiam Senonensem. Sub ejus regimine Jacobus
Borbonius e stirpe regia, dominus *de Thury*, erat
archidiaconus Senonensis, qui hanc dignitatem
in gratiam Caroli fratris ejuravit.

DE SAVOISY.

LXXXVI. Henricus III.

Sede per obitum Johannis vacante, de suc-
cessore substituendo anxii fuere canonici: dux
enim Burgundus qui tum omnia permiscebat
aliquem e suis archiepiscopum eligi cupiebat,
maximeque Henricum *de Savoisy* filium Odonis
equitis canonicum Parisiensem & Senonensem,
ecclesiæ Lingonensis decanum, prius consiliarium
parlamenti, tum libellorum supplicum magistrum
ac præsidem curiæ vectigalium, ejusque in gra-
tiam canonicos Senonenses sollicitabat. Rex vero
Johannem *de Norrys* libellorum supplicum ma-
gistrum, Cameracensis ecclesiæ thesaurarium &
in Senonensi ad altare B. Mariæ canonicum
postulabat, ejusque in favorem commendatitias
capitulo scripserat literas. Diversa in studia scissi
canonici alii Johannem, Henricum alii elegere,
cujus promotionem cum rex omni conatu im-
pedire vellet, maximæ occasionem controversiæ
præbuit, pro qua definienda delegatus a summo
pontifice Johannes patriarcha Constantinopoli-
tanus Tivanensem episcopum Petrum commisit
qui de causa cognosceret. Petrus autem rejecta
Henrici postulatione, electionem Johannis con-
firmavit, eique de archiepiscopatu providit.
Johannes itaque se pro archiepiscopo electo &
confirmato gerens episcopalia officia implevit,
eoque nomine fidelitatis sacramentum emisit pro
1417. temporali dominio cathedræ 11 Nov. 1417,
occurritque in charta authentica & in apocha
1419 ultima Januarii & 6 Februarii. Quin &
ab Henrico V Angliæ rege potestatem impetravit

ANNI CHRISTI

A an. 5 commeandi in villam regiam *de Louviers*,
illincque Rotomagum. Henricus interea de sen-
tentia Petri sedem apostolicam appellavit, de
eoque in regestis Vaticani legitur: Henricus
canonicus ecclesiæ Senonensis electus a capitulo
servatis servandis confirmatur a Martino V per
obitum Johannis datum Constantiæ VII calend.
Febr. an. 1, 1418; & quamvis rex ipse, del- 1418.
finus ceterique proceres canonicis interdixissent
ne bullis promotionis Henrici obtemperarent,
sed eas in manibus Senonensis baillivi aut præ-
positi traderent, adnitente Burgundo, archiepis-
copatu potitus est. Henricus enim Burgundi
B partibus semper favit, hocque ipso anno pro
ineunda pace ducis nomine misso Henrico assig-
natæ sunt octo libræ pro singulis itineris diebus.
Insequenti cum Atrebatensi & Lingonensi epis- 1419.
copis eadem de re apud Tumbam prope Mo-
nasteriolum ad Icaunam oppidum delegatus fuit,
quo tempore & loco Burgundus cum delfino
colloquens occisus est. Philippus ejus filius pa-
ternæ necis vindictam anhelans regem reginam-
que & Catharinam eorum filiam, in manibus
Henrici Anglorum regis tradidit. Henricum V
Anglorum regem cum Catharina Caroli VI filia
Trecis solemni celebritate in ecclesia S. Johannis
C matrimonio junxit Henricus archiepiscopus 2
Junii 1420, cui vicissim Henricus rex Angliæ 1420.
novem post diebus restituit archiepiscopatum,
ubi die XI ejusdem mensis festivo applausu ex-
ceptus est, adstantibus rege Carolo, Angliæ rege,
duce Burgundiæ aliisque proceribus. A senatu
Parisiensi delegatus est 15 Febr. 1421 ut sacros 1421.
ordines Parisiis conferret. Decessit apud Seigne-
leyum castrum paternum die 13 Martii 1422, 1422.
& 18 ejusdem mensis in ecclesia S. Stephani
ante majus altare humandus deportatus est sub
monumento cui recens insculpta sunt hæc verba:

D. O. M.

D *Et memoriæ Henrici* de Savoisy *quondam eruditione
clari.*

*Hic anno salutis M. CCCCXV ex decano Lin-
gonensis ecclesiæ ad archiepiscopatum Senonensem
assumtus, sedem hanc tenuit annos circiter septem.
De Gallicana ecclesia bene meruit: clerum enim
iniquissimis temporibus partem sumtuum belli suppe-
ditare coactum non mediocriter sublevavit, & a
quæstorum vexationibus summa cura & industria
vindicavit. Obiit anno salutis M. CCCCXXI, ejusque
corpus sine monumento hic conditum latuit ad annum
M. DCXLVI, quo ab operariis qui condendo corpori
E illustrissimi D.D.* Octavii de Bellegarde *alterius
patrimonii ecclesiastici vindicis subterraneum fornicem
ædificabant inter effodiendum repertum est*. Cui
ecclesia Senonensis in rei & viri memoriam hunc
titulum incidi curavit.*

Ejusdem nobilis Savoisiorum sanguinis fuere
Petrus Bellovacensis episcopus, Maria abbatissa
Hederacensis, & Carolus Franciæ cambellanus
conditor castri de Seigneleyo tribus ab Autis-
siodoro leucis.

* Nimirum inclusum in corio cervi, ex quo eductum deponitur in capsam postea reconditam in tumulo Octavii *de Bellegarde* archiepiscopi, cum tabula ænea & inscriptione.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

DE NANTON.

LXXXVII JOHANNES II.

Nobilis Burgundus Johannes juris utriusque doctor eruditus, ex abbate S. Germani Autissiodorensis, post obitum Henrici a decem canonicis qui ceteris ob urbem ab Anglis occupatam absentibus remanserant, electus archiepiscopus an. 1422 sedem obtinuit. Prius quam vero suffragiis crearetur ipsum sacramento adegerunt canonici, ut si forte promovendus esset decreta pro constitutionibus ecclesiasticis capitulique ordinationibus quæ prolixe describit Tavellus pag. 131, inviolabiliter servanda juraret. Quamobrem scrutinio canonicorum designatus a Martino V, confir-
1423. matus est VII cal. Julii 1423. Concilium habuit suæ provinciæ Parisiis 1 Martii 1429, non in
1429. ecclesia cathedrali, ut indicaverat, quippe cujus canonici exemtos se causati sunt, sed in collegio S. Bernardi. Hujus decreta publica iterum voluit D. *de Gondrin*, & clericis suis familiaria. In sedem suam receptus non est Johannes ante 21 Junii 1429, neque ex monasterio S. Petri deductus, ut moris erat, sed ex ecclesia S. Petri de Donjone propter imminentes tum belli procellas. Quamquam autem Burgundiæ duci faveret, nihilominus ab ejus sectariis Anglisque multas perpessus est calamitates, quod a malevolis in suspicionem adduceretur obsequiis regis Francorum favisse. Quapropter ab iis captus, in prioratu B. Mariæ apud Juniacum ad Icaunam sub custodia diu detinetur. Tum multo ære redemtus rediit Senonas. Verum pacis ac libertatis otia vix amplexus, pridianis ærumnis quam annis gravior, Juniacum redux ut primarium B. Mariæ templum sacraret
1432. ibidem mortuus est 30 Junii 1432, ubi in medio chori sub tumba lapidea requiescit cum hac inscriptione:

Qui monumenta vides, cupiens cognoscere cujus,
Siste gradum, legito quæ brevis urna capit.
Nomina clara mihi sunt de Namhone Johannes,
Sanguine præclarus, plus probitate potens,
Excelsaque fui Burgundus origine præstans.
Canonici juris ipse peritus eram
Auxerat excelsos Senonis mihi clara triumphos,
Almifici donans præsulis officio.
Mille quater centum junctis triginta duobus
Des annos, fortis hic mihi meta fuit.
Junius atque diem ter denam volverat in se,
Cum mea fata secat atropos illa furens.
Putridus hic jaceo, mortalibus inde refundens
Horrida monstra, feris vermibus esca patens,
Sic me præcipiti sorbsit mors turbida fato,
Et tulit in cineres, qui tamen ante potens,
Hæc quicumque Deo cernis perfunde precatus
Ut mihi det celsi gaudia summa poli.

DE MELUN.

LXXXVIII. LUDOVICUS I.

Johanne domino *de la Borde-le-vicomte* & Elisabetha *de Savoisy* sorore Henrici archiepiscopi parentibus natus Ludovicus, canonicus & custos S. Quintini Veromanduensis an. 1415, canonicus Parisiensis an. 1420 & archidiaconus Senonensis, defuncto Johanne a majore capituli parte postulatus, literis Caroli VII commendatur,

A ut pote majoribus oriundus qui tum generis nobilitate, tum erga regem funestissimis temporibus fidissimi claruerant. Itaque ab Eugenio IV
confirmatus 16 Januarii 1433, urbem solemniter ingreditur 4 Julii, debitumque sacramenti 1433.
hominium regi exhibet 24 eorumdem mensis & anni. In Parisiensem ecclesiam qua metropolitanus receptus est die Mercurii 9 Maii 1436. 1436.
Insequenti Carolo VII eamdem ecclesiam ingredienti præsens fuit. Ibidem de assensu capituli 1437.
missam in pontificalibus celebravit in festis Ascensionis & Pentecostes 1439. Eodem anno 1439.
visitavit 1 Nov. capsam in qua reconditum caput
B S. Gregorii papæ, quod reperit cum reliquiis & schedulis quæ inventæ fuerant an. 1333 a Guillelmo *de Brosse* decessore, eamque propter prædonum incursus ad ecclesiam S. Petri de Donjone
deportari jussit, ubi 27 Februarii 1440 dictum 1440.
caput invisit. Ossa SS. Honoberti filii & Honulfi patris, partem reliquiarum S. Stephani & capitis S. Victoris & fragmentum ossium Isaiæ prophetæ
in nova capsa reposuit mense Novembri 1441, 1441.
ut circumquaque per provincias gestarentur ad colligendas fidelium eleemosynas pro restauranda
ecclesia S. Stephani devastata. Festum seu potius Ch. CXIX, col. 95.
superstitionem fatuorum abolevit 24 Nov. 1445,
C sicut jam fecerat Odo apostolicæ sedis legatus 1445.
anno 1245. Caput sancti Sebastiani martyris in prioratu cognomine, *al.* S. Martini de Montibus, a monasterio S. Petri Melodunensis dependente,
visitavit an. 1446. Transtulit anno eodem caput 1446.
S. Romani in aliam capsam, reliquias SS. Potentiani & Altini 28 Oct. 1449, SS. Sanctiani 1449.
& Beatæ 19 Sept. anni ejusdem, SS. Leonis & Ambrosii præsulum Senonensium, & sancti
Augustini martyris 30 Julii 1450, & SS. Fortis, 1450.
Guinefortis & Avelinæ 26 Februarii 1453. Stephano *Galle* canonico de Jardo contulit pa-
D rochiam de Boukeyo 1453. Confratribus socie- 1453.
tatis S. Læti martyris in domo Dei Pruvinensi
40 dies de pœnitentiis indulsit anno 1455. 1455.
Ratam habuit 1456 unionem 16 beneficiorum 1456.
S. Michaëlis & S. Johannis factam anno superiore a Petro Autissiodorensi episcopo mensæ capituli Autissiodorensis. Totus in illis piis operibus Ludovicus, vir sacrarum literarum studio deditus, insuper in pauperes liberalis & mansuetus, sed in tuendis ecclesiæ prærogativis parum vigi-
lans, primatus ecclesiæ suæ causa cecidit 1457: 1457.
etenim Carolus Borbonius cardinalis archiepiscopus Lugdunensis, qui ob præreptum sibi in
E ecclesia sancti Stephani archidiaconatus officium gravi discordia cum eo contendebat, querelam de primatu sedis ad ultimum movit in senatu Paris. a quo, cum vadimonio non comparuisset Ludovicus, vindiciæ Carolo Lugdunensi attributæ sunt die XI Martii, nec amplius hac de re quærimoniam obtulit Ludovicus; sed transtulit
die 20 Martii 1459 caput S. Gregorii in capsam 1459.
novam. Concilium suæ provinciæ Senonis cele-
bravit an. 1460, cujus decreta in alio 1485 1460.
confirmata sunt. Electum a monachis S. Maglorii abbatem prohibitus a papa confirmare noluit an.
1462. De consensu abbatis S. Remigii univit 1462.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 5 Maii 1468 ecclesiam S. Symphoriani cum A ecclesia S. Romani in urbe. Occurrit 1470 in
1468. tabulis S. Martini a Campis, & 1472 in regesto
1470. Sixti IV. Annexuit 5 Junii 1473 præbendam
1472. officio præcentoris. Jam donaverat 12 Martii
1473. 1467 capitulo Senonensi præsentationem 13 semipræbendarum in ecclesia, scilicet 4 ad altare B. Virginis, 4 ad altare sancti Johannis, 4 ad altare S. Petri, & unius ad altare B. Magdalenæ, servato sibi collationis jure, ea lege ut hæ donarentur semipræbendæ iis qui perpetuo ecclesiæ deservirent, quod a Sixto IV confirmatum est. Dedit & eidem ecclesiæ crucem ex argento deauratam, gemmis ornatam, in qua sacræ continentur reliquiæ: dedit & aulæa. Gravi senio confectus Ludovicus, nec jam pontificalibus muniis aptus quippe qui obsurduerat, ultro se
1474. onere simul & honore abdicavit anno 1474. Sed aventi nepotem suum Ludovicum filium Philippi, non Johannis *de Melun*, & Johannæ, non Nicolaæ *de Nantouillet*, ut diximus tom. VIII, cui jam majorem archidiaconatum contulerat anno 1464, archiepiscopum sibi substitui, non indulsit Ludovicus XI in Tristandum propensior, quo sedi metropolitanæ præfecto mense Septembri, Ludovicus Meldis installatur eodem anno. Biennio post Ludovicus archiepiscopus post 42 annos administrationis obiit 9 Septemb. 1476, & prope majus altare primarii templi sepultus est cum hoc epitaphio:

Præsulis ossa cubant hac sub tumba Lodoici
Ex Meledunensi claro cognomine quarti.
Hic quadragenis ac binis præfuit annis,
Mitis, pacificus, largus, pius atque benignus.
Sexageno anno Christi sexto quoque deno
Adjunctis mille quadringentis, simul ille
Septembris nono mundo migravit ab isto.
Perpetis ad domum vitæ veniat duce Christo.

LXXXIX. TRISTANDUS.

DE SALAZAR.

Parentibus natus quos diximus tom. VIII, col. 1641, Tristandus an. 1441 in oppido S. Mauricii *de Thiroaille* in valle *d'Aillant*, tractui Wastinensi contigua, in castro S. Justi, electus Meldensis bullis donatur 25 Junii 1473, unde translatus Senonas, alias obtinuit bullas 26 Sept. 1474. Cameræ apostolicæ promisit 10 Octob. regique fidem dixit Blesis 13 Nov. Possessionem
1475. iniit die Veneris 17 Februarii 1475 per procuratorem Ludovicum *de Melun* electum confirmatum Meldensem, quem episcopum consecravit 5 Aprilis. Ipse vero solemni ritu in ecclesia S. Stephani exceptus est Dominica post Nativitatem B. Mariæ 10 Sept. Clero Gallicano in concilium a Ludovico XI Aurelianis convocato anno
1478. 1478 ut pragmatica sanctio in usum induceretur & pecunia in posterum Romam non deferretur pro expeditione bullarum, Tristandus archiepiscopus solenniter ut metropolita ecclesiæ Aurelianensis exceptus est. Defuncto Johanni
1480. *Leonard* abbati S. Johannis Senonensis successit 1480. Ecclesiam Paris. solenniter ingressus est

23 Junii 1484. Concilium suæ provinciæ habuit ANNI CHRISTI
an. 1485 mense Augusto in ecclesia Senonensi 1484.
ad preces regis & academiæ Parisiensis, ut in eo 1485.
præter omnibus ecclesiis consueta tria hæc universitatis postulata expenderentur; 1. Ut tertia pars beneficiorum vacantium per ordinarios collatores studentibus graduatis & ab universitate nominatis conferretur, sufficeretque nominatis probare duo beneficia de tribus arbitrio ordinarii fuisse collata. Si vero dicta tertia pars ad studentes pertinens secus per ordinarios foret collata, ut collatio ipsa sit inanis & irrita. 2. Ut in omnibus ecclesiis cathedralibus una conferretur alicui graduato in theologia qui legeret & populo prædicaret. B 3. Ut omnia beneficia quibus imminet animarum cura intra villas mœnibus clausas consistentia conferrentur per ordinarios studentibus literatis & graduatis. Hoc quoque in concilio renovatæ constitutiones alterius concilii Senonensis habiti an. 1460. Ab hoc autem concilio cum se absentasset Ludovicus Parisf. episcopus, pro contumace reputatus est excommunicatus & suspensus a Tristando qui eum tamen ad cautelam absolvit 13 Decemb. 1485 jussus jam a senatu Parisiensi 30 Decembr. 1484. Tota vita sub Ludovico XI, Carolo VIII & Ludovico XII C maximis regni negotiis tractandis exercitatus est. Ad Henricum VIII Angliæ regem delegatus
fuit anno 1488 pro negotio provinciæ Aremoricæ quam Carolus VII armis subegerat. Caput S. Saviniani a corpore separavit, & in theca 1488.
argentea reposuit anno 1490. Johannem Pari- 1490.
siensem episcopum consecravit an. 1494. Cum 1494.
Arausicano principe ad regem Romanorum
missus est anno 1495 pro negotiis regiis sub 1495.
honorario 3000 scutorum. Fidelibus qui ecclesiam Alborum mantellorum Parisiis visitarent, & de bonis suis pro hujus reparatione darent,
D 40 dies de injunctis pœnitentiis relaxavit 1497. 1497.
Ecclesiam parochialem S. Basilii apud Stampas consecravit Dominica *Reminiscere*. Interfuit judicio lato a delegatis apostolicis de vitio matrimonii Ludovici regis cum Johanna de Francia
17 Dec. 1498. Ad Helvetios missus regno 1498.
Gallicano post devictum Burgundum inhiantes, ea solertia apud bellicosos populos egit ut non solum eorum nomine Basileæ paci inter eos & Maximilianum imperatorem initæ subscripserit
8 Sept. 1499, sed etiam 16 Martii sequentis 1499.
nomine Ludovici XII fœdus cum eis sanxerit quo & fœderati milites regis stipendiis suppeditare obligati fuere. Postulatus est abbas sancti E
Martini Augustodunensis an. 1501. Johannem 1501.
Meldensem electum confirmavit 3 Januarii. Adscitus in majus consilium consiliarius 13 Maii
1502, sacramentum fidei in manibus cancellarii 1502.
exhibuit 21 Junii. Reliquias S. Severini visitavit
1505, indulgentiasque eas visitantibus concessit. 1505.
Ecclesiæ suæ dono dedit aulæa sancti Stephani vitam & actus continentia ex multatitia pecunia qua canonici Parisienses qui illum in ecclesia Parisiensi jure metropolitano sacris operari volentem ejecerant & contumeliis affecerant, erga illum Parisiensis senatus consulto damnati fuerant

Digitized by Google

anno 1506. Cum Genuenses effrænata quadam A
populi licentia pulsis Gallis defecissent, Tristandus
regem cum aliis principibus in Italiam comitatur
1507. an. 1507, totusque armatus, ut narrat Johannes
d'Authon, generoso equo insidens, & manu dis-
trictum jaculum vibrans certamini interfuit cum
turma cataphractorum militum. Qua pugna cum
rebelles ad deditionem compulisset Ludovicus,
arcis regimini Galeatium Tristandi fratrem præ-
posuit, a quo acceptum S. Stephani Patroni
Senonensis pedem in suam ecclesiam exportavit
Tristandus; sed diu non licuit eo potiri pignore:
anno enim sequenti de tantæ rei jactura causatis
Genuensibus, rege id ita jubente pes restitutus. B
1510. Subscripsit 23 Julii 1510 obligationi 745000
coronatorum Ludovici regis erga regem Anglo-
rum. Ludovicum Meldensem episcopum conse-
1511. cravit anno 1511. Concilio Pisano adsuit anno
eodem, cujus synodicis ad universitatem Paris.
literis super libello Fr. Thomæ de Vio Cajetani
1512. subscripsit 10 Januarii 1512. Exsequias Annæ
1513. Britannicæ Francorum reginæ 1513 & Ludovici
1514. XII regis 1514 in basilica S. Dionysii cele-
bravit. Ceterum si aliquando culpatus fuerit quod
litium plus justo avidus fuerit, multitudinemque
beneficiorum amaverit, certe antecessorum nullus
magis unice ecclesiam & canonicos dilexit, plu- C
ribusque bonis ampliavit, nam auri summam non
mediocrem in opus fabricæ ecclesiæ, quæ tum
perficiebatur contulit marmoreo altari insignique
parentum cœnotaphio metropolitanam decoravit.
Præterea domum archiepiscopalem Luteciæ a
fundamentis construxit. Nec minori studio basi-
licam, cui dum in vivis esset tot beneficia con-
tulerat, moriens supremis tabulis novo censu
adauxit: itaque 100 aureos annui reditus in portu
Confluentis S. Honorinæ juxta Pontisaram capi-
tulo largitus est ea lege ut singulis diebus missæ
sacrificium in altari a se erecto & anniversarium
suum Johannisque parentis quotannis celebra- D
retur. Insuper eidem cathedrali dominia amplis-
sima, dona ex auro argentoque cœnobiis sancti
Remigii, sancti Johannis Senonensis, Calmensi
aliisque ecclesiis splendidissime erogavit quæ mag-
nificentiam ejus in rei sacræ procurandæ studio
satis abunde testantur. Tantorum quoque bene-
ficiorum memores canonici præter annuas ab ipso
statutas preces, alias primis quibusque mensium
diebus pro eo ordinaverunt. Vicarium ejus gene-
ralem agebat Johannes de Medina episcopus Si-
niensis 1518 29 Maii. Denique acris vir ingenii
Tristandus, ac jurium sui archiepiscopatus egre-
gius defensor, regiminis annum agens 45 vitam E
finivit in domo pontificia die Veneris XI Febr.
1519. 1519, corpus sepultum die Martis sequentis ad
dextram altaris S. Petri in ecclesia Senonensi sub
sepulcro marmoreo quod sibi vivus construxerat,
cor vero una cum Johanne & Marguarita paren-
tibus in prioratu *de Macheretz* ad Sequanam
Grandimontensis ordinis, diœcesis Trecensis
depositum. Prolixius ei epitaphium apposuit
Johannes *de Salazar* regi a consiliis, abbasque
S. Remigii, S. Columbæ & S. Martini Æduensis,
necnon archidiaconus Senonensis, qui post obi-
tum Stephani sequentis electus quidem fuit a
capitulo, sed non confirmatus.

XC. STEPHANUS II. DE PONCHER.

Post obitum Tristandi quominus eligerent
canonici a rege prohibiti, duos e suis ad Ste-
phanum Parisiensem episcopum deputarunt, qui
eum dehortarentur ne Senonensem metropolim
ambiret, quod cum frustra tentassent, hunc ele-
gerunt, sin minus postularunt archiepiscopum.
E Parisiensi igitur translatus ecclesia a Leone X
Stephanus forte 14 Martii 1519, regi fidem
juravit 25 ejusdem mensis, solenniterque eccle-
siam suam ingressus est Dominica ultima Julii
anni ejusdem. Ecclesiam S. Saviniani de Givrinis
contulit ad præsentationem abbatis Ferrariensis
anno 1520. In obeundis legationibus quæ sub 1520.
Ludovico & Francisco regibus ipsi injunctæ
fuerunt, non mediocrem sibi paravit laudem.
Ipsum tamen in his reipublicæ muneribus ec-
clesiæ suæ probe memorem fuisse testantur statuta
diœcesana quæ pro regimine cleri edenda curavit.
Multis quoque doctrinæ nominibus celebratur a
Jodoco Ascensio cum opera S. Basilii ei dicavit.
Eidem etiam & Francisco ipsius fratris filio epis-
copo Parisiensi Jacobus Merlinus doctor theo-
logus suam nuncupavit conciliorum editionem
quæ Parisiis primum prodiit 1524. Domum 1524.
archiepiscopalem Senonis a fundamentis egregio
opere construere incœpit, & sacrarium basilicæ
pretiosissimis ornamentis ditavit. Lugduni mor-
tuus est 24 Febr. 1525, ætatis 78, cujus cor 1525.
tumulatum in choro ecclesiæ Parisiensis; corpus
vero Senonas delatum in metropoli ante cathe-
dram episcopi inhumatur cum hoc epitaphio:

Stephanus Poncher *Turonensis, primum episcopus
Parisiensis, deinde archiepiscopus Senonensis, Me-
diolani cancellarius ac Franciæ intercancellarius sub
Ludovico XII, ordinis item regii cancellarius sub
Francisco I, quorum regum utrique ob multiplicem
doctrinam, maximamque probitatem, summam pru-
dentiam, rectissimum consilium, gratissimus fuit.
Tandem multis legationibus magno sui nominis
honore ac christianorum principum concordia functus,
Lugduni obiit annos natus LXXVIII, Christi anno
M. DXXIV, sexto calend. Martii.*

XCI. ANTONIUS. DU PRAT.

Antonio toparcha *de Veyrières* & Jaquelina
Bohyer parentibus apud Issiodorum in Arvernis
natus Antonius & humanioribus literis excultus,
juris studio se applicuit; inde post aliquot magis-
tratus laudabiliter obitos, cum in foro claruisset,
doctrina & rerum usu præditus, regis advocatus
Tolosæ deligitur anno 1495, tum libellorum
supplicum prætura ornatur 1503, quo nomine
præsedit comitiis Occitaniæ, quartus præses se-
natus Paris. 1506, sequenti supremam principis
ejusdem senatus præfecturam a Ludovico XII
obtinuit 1507. Ne quid vero deesset amplissimi
hujus hominis splendori ad cancellarii apices post
Johannis *Gannay* mortem vocatur a Francisco I

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1514. Eumdem in expeditionem Insubricam secutus an. 1515 Mediolanensis ducatus factus est cancellarius, & post Britanniæ. Iterum cum profectus fuisset Franciscus I, pugnaque Ticinensi in Hispaniam captivus abductus, sub Aloysia Sabauda matre regni gubernatrice, consiliorum ejus omnium moderator, difficiliora regni negotia tractavit. Defuncta interim anno 1507 Francisca *Veny d'Arbouze* e nobili stirpe Arverna, cujus ex connubio genuerat filios Antonium præfecturæ Parisiensi præpositum dominorum *de Nantouillet* progenitorem, ac Guillelmum episcopum Claromontensem, ordinibus sacris initiatur, & concordatorum virtute quæ inter pontificem & regem transacta fuerant, auctoritate regia promotus est ad archiepiscopatum Senonensem, confirmatusque 26 Martii 1525, frustra reclamante Johanne *Salazar* Tristandi nepote, archidiacono capituli suffragiis designato qui etsi in magno regis consilio senator foret, unica victus est contumacia, & nihilominus archiepiscopum sese electum quoad vixit nuncupavit. Possessionem arripuit Antonius per procuratorem qui a plebe Tristandi memori multis conviciis exagitatus est. Fidei sacramentum reginæ regni moderatrici præstitit 14 Junii ejusdem anni, a qua & commenda Floriacensi donatus est anno
1526. eodem. Delegatus 3 Januarii 1526 a Johanne cardinale SS. Cosmæ & Damiani legato a latere Clementis VII, concessit Henrico *d'Albret* regi Navarræ facultatem uxorem ducendi Margaritam *d'Orléans* ducissam Bituricensem & Alenconiensem consanguineam ejus a tertio ad quartum gradum. Purpura cum titulo S. Anastasiæ suis meritis & Francisci regis commendatione a Clemente VII decoratus fuit Antonius VII non.
1527. Maii 1527, pileumque per procuratorem missum Parisiis recepit in ecclesia Augustinianorum apud quos ut hæreticorum errores repullulantes exstirparet, concilium provinciæ suæ congregavit
1528. mense Februario 1528, vocatis suffraganeis præsulibus Ludovico Carnotensi, Francisco Parisiensi, Guillelmo Meldensi, Francisco Autissiodorensi, Guillelmo Trecensi, Jacobo Nivernensi & vicario Aurelianensi qui synodo interfuerunt, cujus acta præclara vir eruditus Judocus Clictovæus Carnotensis canonicus in lucem emisit; exstantque in tomis conciliorum ac separatim
Tom. I, p. 1, col. 38. edita. Albiensibus diximus a canonicis postulatum episcopum factumque Antonium 19 Oct. 1528. Sacramentum fidei qua archiepiscopus Senonensis
1529. regi præstitit 24 Januarii 1529. Legatus a latere a Clemente VII destinatus in Gallias bulla ejusdem anni Julii 4 quatuor decimas clero Gallicano imposuit pro liberandis Franciæ liberis qui in Hispania obsides erant. Regi pollicitus est 17 Decembr. munere legati se functurum quamdiu ei placeret, quod biduo post rex ratum habuit,
1530. & senatus Paris. 4 Januarii 1530, quo anno solenni apparatu Luteciam ingressus est Antonius die Martis 20 Decemb. Eleonoram Austriacam secundam Francisci I uxorem reginam apud S.
1531. Dionysium inunxit 5 Martii 1531. Carolo Matisconensi electo fecit facultatem visitandi

A libere per se vel alios ecclesias & personas suæ diœcesis XVI cal. Maii 1532. Ecclesiam parochialem S. Pauli Narbonensis mensæ capitulari ecclesiæ ejusdem univit pridie non. Aprilis. ANNI CHRISTI 1532.
Urbem Tolosam ingressus est ultima Julii 1533. 1533.
Meldensem adhuc ecclesiam regia nominatione consecutus est anno ineunte 1534. Verum tantæ 1534.
amplitudini visa est tandem aliquatenus fortuna iniquior, cum vacante sede apostolica eodem anno, pontificatum maximum ambire ratus regio intercedente favore, ut olim in magni momenti rebus fecerat, fructum ejus consilii carpere non valuit: nam repulsam passus, paulo post defecit
B in castro suæ ditionis *de Nantouillet* 9 Julii 1535. 1535.
Cor in cathedrali Meldensi, corpus vero celeberrima pompa elatum die 6 Augusti in suam metropolim quam nusquam ingressus fuerat archiepiscopus ad lævam altaris S. Petri sub tumulo marmoreo sepulturæ mandatur. Ingens pecunia ab Antonio præposito Parisiensi ejus filio canonicis persoluta est ut quotidie divinum sacrificium pro Antonio patre celebraretur, annuæque pro eo funderentur preces die 10 Julii. Longe post ejus obitum Antonius nepos eques auratus avo statuit ex ære sequentem inscriptionem Gallico idiomate:

C *A la perpétuelle mémoire de la vertu & heureuse fidélité de très-illustre & reverendissime monseigneur Antoine, par la permission divine cardinal du Prat, archevesque de Sens, legat en France pour le saint siége apostolique, chancelier de France, de Bretagne, de Milan & de l'ordre du roi, lequel ayant été donné en ses jeunes ans au bon roi Louis XII père de la patrie, parvint aux honneurs & dignites d'ambassadeur & de conseiller au privé conseil, & depuis regnant le magnanime & très-chrestien roi François I restaurateur des arts & sciences, fut ledit seigneur reverendissime chancelier de sa majesté & chef de son conseil, & finalement le premier de ce royaume,* D *non seulement en l'autorité de la justice, mais aussi en la suprême dignité du pontificat, du temps du pape Clement VII, & se trouvant âgé de LXXII ans, décéda en son château de Nantouillet le IX jour de juillet M. DXXXV,* &c.

Ejus erga pauperes munificentiam testantur ædificia aulæ ptochotrophii Parisiensis, quod reditibus dotavit. Inter alios laudatur pluribus epistolis doctissimi cardinalis Sadoleti libris VI, VII & VIII; hujus quoque meminere prolixius annales Francorum sui temporis, Ferronus, Auberius, Frisonus aliique passim scriptores.

E
XCII. Ludovicus II. DE BOURBON.

Hæc præter quæ de Ludovico abunde jam diximus in episcopis Lucionensibus & Laudunensibus, necnon in abbatibus S. Dionysii Paris. pauca nobis dicenda supersunt. Regio stemmate ortus apud Hamum Picardiæ oppidum 2 Jan. 1493 lucem primum aspexit. Susceptus vero est e Sacro-fonte a Ludovico Borbonio principe Rupis ad Ionam & Guillelmo *Marafin* episcopo Novionensi, cum generosus princeps ardenti animo ad literas capessendas vigeret, Luteciæ in

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

collegio Navarræo iis operam dedit. Ecclesiasticis disciplinis apprime instructus dignus judicatur adolescens pontificalibus infulis exornari. Ad Senonensem metropolim a Francisco I nominatus, confirmatur a summo pontifice 13 Aug. 1535. In ecclesiam suam excipitur 22 Januarii
1536. 1536. Continuo animum functionibus sacris exercendis applicuit, necnon in adornando palatio quod Stephanus *de Poncher* decessor inchoaverat. Apud Brinonem ac Villam-novam pontificiæ ditionis toparchias ædes magnifico sumtu construxit, & ecclesiæ gazophylacium pretiosa suppellectile decoravit. Auctor est solennis illius supplicationis quæ fit singulis annis in majori templo Senonensi in aurora diei Dominicæ Resurrectionis. Sed cum in eum confluerent majora regni negotia, quibus pene quotidianis premebatur, ne absens gregi noceret Andream *Richer* episcopum Calchedonensem in vices suas subrogavit cum facultate munia pontificalia per totam diœcesim exercendi, ex indulgentia Pauli III,
1541. bulla data v cal. Jan. 1541. Occurrit annis 1543
1543. & 1545 mense Februario in chartis authenticis
1545. D. *de Gaignières*. Ludovico sedente conventus episcoporum Galliæ apud Melodunum habitus
1548. est an. 1548. Episcopis Carnotensi & Trecensi
1550. significavit 7 Martii 1550 literas regis de residentia episcoporum. Per vicarios suos generales
1554. in synodo generali 1554 publicari curavit statuta eodem anno edita Senonis apud Franciscum *Giraud*. Denique pluribus aliis gestis clarissimus princeps quæ olim enarravimus ennarrabimusque adhuc in Cenomanensibus & Trecorensibus, catholicæ religionis ornamentum & decus in ædibus Borboniis obiit die Veneris 12 Martii
1557. 1557, natus annos 63. Sed quia sepultura in choro Sandionysiano, quam sibi jure natalium debitam causatus fuerat, ipsi fuerat denegata, corpus ejus delatum est, prout supremis indixerat tabulis, in chorum cathedralis Laudunensis. Ibi absque inscriptione tumulatur, cor autem & viscera in basilica S. Dionysii reconduntur. Janus Vitalis inter cæteros poëta Italus, de Borbonii laudibus hæc canit:

Sic Romanus habet merito, Ludovice senatus
Nestora, res magnas te suadente, suum.
Et quamvis virtute vales, & lumine claro
Sanguinis illustras nobilioris avos,
Relligio tamen insignes super addit honores
Teque vocat patrem Gallia tota suum.

Petrus Gemellius Ludovicum oratione funebri laudavit, Parisiis edita 1557. Vitam ejus prosecuti sunt Petramellarius, Ciaconius, Ughellus, P. *Hilarion de Coste* ordinis Minimorum in elogiis, Jacobus *Doublet* in historia S. Dionysii, Scævola & Ludovicus Sammarthani lib. XXV Hist. geanologicæ domus Franciæ.

BERTRANDI.

XCIII. JOHANNES III.

Forensi inter Tolosates familia genitus Johannes, patre Bernardo domino *de Villeles* in senatu

A Tolosano cognitore regio, matre Catharina *de la Roche*, in illo quoque jurisprudentiæ domicilio a juventute educatus, oppidanus primo consul fuit, eoque nomine Annæ duci Monmorencio equitum Franciæ magistro, provinciæ gubernatori gratissimus, ut qui erat omnibus integerrimi judicis præsidiis instructissimus, in majus consilium adscitus est an. 1532, inde allectus secundus 1533 tum primus præses Tolosanus 27 Nov. 1536, a Francisco I inter præsides Parisienses tertius coaptatur 12 Nov. 1538, a quo postea officio subvectus est ad supremi hujus tribunalis præfecturam 7 Julii 1550, Petro Lizeto abdi-
B cante. Insequenti Francisco Olivario aula pulso sive ætatis incommodo, sive ducissæ Valentinensis artibus quæ gratia & auctoritate apud regem multum poterat, Franciæ sigilli procurationem accepit Bertrandus codicillis 22 Maii 1551. Rege in Germaniam profecto 1552, Catharinæ reginæ regni moderatrici datus est qui consiliis præsideret. Mortua ejus uxore Johanna *de Barras* domina *de Mirebeau* & *de Villemor*, amplissimæ dignitati ecclesiasticum etiam ministerium commisit rex christianissimus: hunc enim ad Convenensem ecclesiam promoveri curavit anno 1555, quam ultro abdicavit
C in favorem Caroli cardinalis Caraffæ papæ nepotis in Franciam a patruo legati, qui factus administrator Convenarum per cessionem Johannis Bertrandi 6 Julii 1556, hanc tenuit ecclesiam usque ad privationem seu obitum qui contigit 5 Martii 1561. Johannis autem merita eum ad sacræ purpuræ fastigium evexere curante in primis Guisio duce, qui castris regiis in Italia præfectus pontifici maximo adversus Philippum Hispaniarum regem suppetias laturus Romam venerat. Renuntiatur ergo cardinalis pridie idus Martii 1557 a Paulo IV papa memori cessionis factæ anno superiori in favorem cardinalis Caraffæ a
D Johanne, qui anno eodem vacanti per obitum Ludovici *de Bourbon* metropoli Senonensi præfectus 5 Julii 1557 in regestis Vaticani, sacramentum fidei clientelaris regi professus est 23 Aug. possessionemque 8 Sept. iniit ecclesiæ, quam nunquam invisit, per procuratorem Jacobum *Spifame* episcopum Nivernensem. Permansit nihilominus Johannes in officio & munere procancellarii, quo nomine adstitit comitiis trium
Franciæ ordinum Parisiis habitis 5 Jan. 1558. 1558.
Ast defuncto Henrico II aulicis artibus ab ea dignitate expellitur Johannes, revocaturque in
aulam Olivarius 1559. Ut autem fortunæ casum 1559.
E aliquatenus solaretur, Romam profectus adfuit
electioni Pii IV mense Novemb. 1559, a quo
S. Priscæ titulo decoratus fuit. Defuncto interea 1560.
apud Ambasiam 30 Martii 1560 Olivario, successor designatus Michaël *de l'Hospital* oblatum munus acceptare noluit, quin eidem sibi debito cessisset Johannes, quod & præstitit. Cum vero inter purpuratos patres integritate esset conspicuus, a pontifice inter alios judex delegatur in causa cardinalis Caraffæ. Postea Franciam repetens Johannes, Venetiis decessit 4 Decembr. 1560, tumulaturque in ecclesia S. Stephani

ad

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ad Augustinianos sub organis pneumaticis cum A hoc epitaphio :

D. O. M.

Johanni Bertrando Tolosano Senonensi archiepiscopo, cardinali primario illis optimis & maximis duobus Galliæ regibus Francisco I & Henrico II carissimo magistratus & honores amplissimos quos soli excellentissimi jurisconsulti consequi possunt in patria, cunctaque Gallia honorifice adepto, in Germaniam legato, in Sabaudiam prorege misso, tandemque procancellario facto, cancellario etiam designato, cum Romani pontificis maximi eligendi causa profectus, in Galliam Pio IV pontifice creato rediret, senio jam confecto, Venetiis morbo pridie nonas Decembris oppresso, Jacobus Faber *Tolosanus Casæ-Dei abbas, libellorum supplicum regius magister summus amicus & Bosthedonius nepos M. PP. quousque hæredes pro tanti viri dignitate reficiendum curabunt. M. dictante E. Palmcho auditore suo anno* M. DLX.

DE LORRAINE.

XCIV. Ludovicus III.

Claudio primo duce Guisiæ comite Albæmarnæ & Ellebovii, equite torquato, Campaniæ, Briæ & Burgundiæ prorege & Antonia Bor- C bonia regiæ stirpis femina parentibus quartus nascitur filius 21 Octobris 1527 Ludovicus apud Jovisvillam ditionis Lotharenæ in Campania principatum. Rejecto marte inter sacras musas excultus cum Carolo fratre sanctiori militiæ nomen adscripsit. Ut primum episcopalibus muniis obeundis aptus fuit, ecclesiam Trecensem consecutus 1545, ad Albiensem transfertur 1550. Triennio post cum non pauca pietatis summæ & eruditionis specimina edidisset, rege Henrico postulante inter cardinales diaconus sine titulo promovetur a Julio III papa die XI cal. Jan. 1553, dictus cardinalis Guisius. Adstitit D anno 1555 comitiis pro electione Pauli IV, a quo donatus est titulo S. Thomæ in Parione. Suffragia quoque contulit an. 1559 in electione Pii IV. Factus Senonensis archiepiscopus a rege per obitum cardinalis Bertrandi 1560, & confirmatus a summo pontifice 9 Maii 1561; clien-
1561. telare obsequium pro temporalibus præstitit regi 20 Septembris anni ejusdem. Bellis autem undequaque tota Gallia grassantibus cum ecclesiam Senonensem adire non posset, cessit anno sequenti in gratiam Nicolai, servatis sibi Briennonii fundi fructibus loco pensionis. Pauco autem tempore quo hanc tenuit ecclesiam, querelam habuit E cum archidiacono Senonensi, qui unam auri duasque argenti marchas pro institutione archiepiscoporum exigebat fultus bulla Gregorii XI, data VII cal. Nov. pontificatus 3, a qua cum appellasset Ludovicus, causa cecidit senatus Paris. consulto 1 Febr. 1564. Quarto post anno factus est episcopus Metensis permutatione facta cum Francisco Belcario, cujus in comodum abdicavit commendas S. Germani Autissiodorensis, Rigniaci & Branæ, quas cum commendis S. Victoris, Moissiaci & Burgulii tenebat Ludovicus.

ANNI CHRISTI

DE PELLEVÉ.

XCV. Nicolaus.

Ex Ambianensi ecclesia ad hanc metropolim traductus Nicolaus spontanea cessione superioris Ludovici cardinalis, hæresis criminatione purgata, Romæ admissus est 16 Decemb. 1562 1562.
gratia cardinalis Lotharingi, quicum anno eodem Tridentinum ad concilium profectus fuerat. Favente Henrico rege in collegium cardinalium assumtus est a Pio V 17 Junii 1570 cum titulo 1570.
S. Praxedis. Reliquias SS. Romani & Liceriæ visitavit & probavit 20 Julii 1571, pontificatus 1571.
8. Romam profectus galero donatus est ab ipso B Gregorio XIII 20 Junii 1572, qui præsidem 1572.
congregationis episcoporum & protectorem regnorum Scotiæ & Hiberniæ, necnon clericorum S. Hieronymi eum instituit. Romæ diu commoratus strenuam ecclesiæ rebus operam navavit, nec putavit sibi culpæ fore, aut sua in ecclesiam vel patriam pietate indignum, si tum fœderatorum Galliæ causam promoveret. Hac mente delusus in consistorio intercessit nominationi beneficiorum in Aremorica sitorum, quam rex exsequebatur apud summum pontificem. Rex itaque manum suam in reditus cardinalis Pellævæi injecit mense Decembri 1586, quos tamen ad 1586.
C preces Sixti V anno sequenti ei restituit. Vacante Remensi metropoli capitulum literas Nicolao dedit an. 1590 ut archiepiscopum eis procu- 1590.
raret; ipsum vero ad hanc ecclesiam promovit summus pontifex anno 1592, ut diximus tom. 1592.
IX, col. 156. Eodem anno 1590, XVII Junii, scripsit epistolam ad cardinalem S. Severinæ ob interdicta sibi consistoria a papa quam legesis tom. I ampliss. collect. col. 1616. Quamdiu Senonas tenuit suffraganeo usus est Christophoro *de Chésontaine* ex fratrum Minorum generali archiepiscopo Cæsareensi. Post ejus autem translationem Remos nominatus est a senatu Parisiensi D decanus Trecensis, qui beneficia vacantia tempore interdicti in urbes regi rebelles sati in diœcesi Senonensi conferret, 5 Dec. 1592.

DE BEAUNE.

XCVI. Reginaldus.

Non est hujus loci recensere egregia Reginaldi facinora quibus de ecclesia, rege & nomine Gallico promeritus victuris ad omnem posteritatem monimentis perennem famam retulit. Jam tomo II in Bituricensibus diximus quibus ortus parentibus, quibus functus fuerit muniis, quid pro ecclesiæ disciplina in concilio provinciali egerit, quomodo in comitiis Blesensibus & quam E miro temperamento, comitate & prudentia in celebri illo colloquio inter regios & fœderatos pro regni pace apud Surisnas se gesserit, ubi vir magnus calamitosissimis hisce temporibus constantissime regias partes tutatus est; ob id aliasque animi dotes galero cardinalitio dignus judicatus, quem occultus malevolorum livor præsuli religionis sane studioso & ob hoc purpura semper excluso invidit. At post obitum cardinalis Pellevæi qui ab Henrico IV pro Remensi archiepiscopo habitus nusquam fuit, die eadem 26 Maii 1594 Reginaldus ab eodem e Bituricensi ad

Digitized by Google

ANNI CHRISTI Senonensem metropolim traductus est, eidemque licet non confirmato fructus hujus ecclesiæ concessit. Insequenti Reginaldus electus & nominatus Senonensis, reduxit ad 16, præter dignitates, canonicos ecclesiæ de valle Pruvinensi 12 Aug.
1595. 1595, sedesque vacasse legitur annis 1596,
1596. 1597, 1598, vacavitque ad annum 1602 aut
1597. 1603, quo Romæ a Clemente VIII admissus
1598. Reginaldus, possessionem arripuit ineunte Sep-
1602. tembri. Andream *Fremiot* archiepiscopum Burdigalensem successorem suum Parisiis inunxit in ecclesia S. Dionysii de passu, de licentia episcopi Paris. data 6 Decemb. 1603. Generalibus cleri Gallicani comitiis Luteciæ adstitit anno
1606. 1606, ubi cum Claudio *de Bellièvre* Lugdunensi archiepiscopo de primatu Galliarum contestatus est. Eodem anno felicissimus senex, ac pene octogenarius, ut de illo variis locis perhonorifice loquitur Thuanus, fatis concessit 27 Septemb. Luteciæ. Delatus ad cathedralem ecclesiam ubi fuerat canonicus olim, sepelitur in choro ante altare cum hac inscriptione:

D. O. M.

Et æternæ memoriæ viri immortalitate dignissimi Reginaldi de Beaune *qui sex christianissimis regibus Francisco I, Henrico II, Francisco II, Carolo IX, Henrico III & Henrico IV fidelem strenuamque navavit operam. Francisci Andium & Alenconii ducis cancellarius, in aula Palatinus, sanctiorisque consilii senator, in sacerdotum conventu ecclesiasticis officiis gloriose perfunctus, primum Mimatensis episcopus, deinde Bituricensis patriarcha archiepiscopus, Aquitaniæ primas, postea Senonum archiepiscopus, Galliæ & Germaniæ primas, magnusque Franciæ eleemosynarius, plenus honoribus & annis, animam scientiis omnibus & virtutibus decoratam Deo reddidit anno ætatis 79 reparatæ salutis M. DCVI. Karla &*
* filiæ. *Maria* de Beaune *e fratribus FF.* * *mærentes posuerunt DD.*

DAVI DU PERRON.

XCVII. JACOBUS.

Quæ fuerint initia Jacobi Perronii cardinalis abunde jam enarravimus in ecclesia Ebroicensi, ex qua translatus ad Senonensem per obitum Reginaldi, bullas accepit anno 1606 mense Oct. nominatus anno eodem major Franciæ eleemosynarius & ordinis S. Spiritus præceptor. Cum autem mota esset acris illa controversia pontificem inter & Venetos quos interdicto ligaverat, cardinali de Joyosa adscitus est Jacobus ut inter eos pacis fœdera componerent, quæ res singulari utriusque prudentia felicem exitum nacta est 21
1607. Aprilis 1607. Insequenti ecclesiam Senonensem
1608. solenni pompa ingressus est 26 Oct. 1608, ab
Chart. IX, col. 365. ecclesia S. Petri de Arce ob infirmam valetu-
1610. dinem progrediens. Mortuo 1610 Henrico IV rege, cujus obsequiis perpetuo fuerat addictus, cæteris cum Galliæ illustrioribus præsulibus & proceribus calculum adjecit ut Maria Medicæa imperii procuratrix renunciaretur, necnon cum pacis amantioribus expeditionem Juliacensem quam regem ante obitum decrevisse autumabant, impediit ut Galliæ tanti principis morte afflictæ

A bono consuleret. Nec minus interea musarum patronus auctor fuit an. 1610 ut regale gymnasium a Ludovico XIII institueretur, & in locum Cameracensis succederet. Biennio post synodum provincialem suffraganeorum Parisiis habuit 13 Martii 1612, ubi libellus anonymus *de ecclesiastica & politica potestate* ab Edmundo Richerio 1612.
doctore facultatis Paris. publicatus damnatur a Jacobo Senonensi, Henrico Parisiensi, Francisco Autissiodorensi, Johanne Meldensi, Gabriele Aurelianensi, Renato Trecensi, Eustachio Nivernensi & Philippo Carnotensi episcopis, qui omnes a rege ad senatum Paris. citati sunt diplomate B dato 29 eorumdem mensis & anni responsuri & condemnandi. In comitiis Luteciæ habitis anno 1614, insignem illam orationem pro suo ordine 1614.
pronunciavit, qua ecclesiæ & regni jura ita explicavit ut utriusque privilegia optime conciliaret: sed anno sequenti in iisdem comitiis doctrinam Ultramontanam de deponendis regibus ita defendit ut dixerit papam esse hæreticum si falsa esset doctrina. Contra Perronii opinionem insurrexit postmodum episcopus Tornacensis in comitiis anni 1682, & ab omnibus prælatis laudatus est. Henrici *de Gondy* Parisiensis episcopi obsequium debitum excepit 28 Martii 1616. Parisios anno 1616.
C 1614 & Rotomagum 1617 evocatus ad conventus publicos, magna industria omnium animos ad regis obsequium & publici boni amorem perduxit. Denique ut attentius literis invigilaret, & post multos labores senectæ tranquillitati consuleret, juxta Luteciam in Bagnoleti vicum suburbanum concessit, ubi cum responsionem ad Angliæ regem appararet, in morbum incidit quo acerbissima per 14 dies urinæ suppressione cruciatus, Lutetiæ exceptis ecclesiæ sacramentis, cum pro fide catholica zelum ingentem semper demonstrasset, extrema ipsi persolvente Philippo Cospeano episcopo tum Adurensi, animam de D grege suo bene meritam Deo reddidit die Mercurii 5 Sept. non die Lunæ 3 ejusdem mensis an. 1618, annos natus 63. Ejus viscera condita 1618.
sunt in ecclesia S. Ludovici patrum Societatis Jesu apud Parisios, reliquum corpus sepultum in basilica Senonensi, ut testamento caverat, in extrema parte chori superioris ad septentrionem cum hoc epitaphio:

Hc. Er. L. M. Ætn. PP.

Jacet hic quod claudi potuit Jacobi Davy Perronii, qui sanctæ Rom. eccl. tit. S. Agnetis in Agone presbyter cardinalis, annos quaterdenos archiepiscopus E *Senonum, Galliarum & Germaniæ primas, magnus Franciæ eleemosynarius duodenos, inter homines mortales ternos & sexagenos mortalis homo vixit: mortalis esse desiit nonis Septembris anno Christi M. DCXVIII. At vivet posthac, æternumque apud omnes gentes atque nationes gloria immortalis, quam ex hæresi toties reportatæ victoriæ, acta in Italia Franciaque constituendis ac confirmandis ecclesiæ mutantis rebus felicia justa & præclara, libri denique, quos plurimos atque divinissimos, incomparabilis ingenii clarissima monumenta reliquit, ei meritissimo pepererunt.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Hic & plura sita esse disce, qui hæc legis; nam Johannes frater itidem archiepiscopus Senonensis, & probissimus ac prudentissimus fraternæ virtutis hæres, quia dum viverent, ei hæsit in visceribus, sub hoc eodem marmore cum illius cineribus suos condi libens merito jussit, & abiit ad eum apud superos ætatis anno quinto & quinquagesimo, salutis reparatæ M. DCXXI, oct. kalend. Novemb. triennio ferme post fratris discessum.

Non cippus hic Perronios fratres capit,
Magnæ animæ Olimpum fama terra pervolat.
Non igitur illos lugeas hospes; dole
Superesse nullos Franciæ Perronios.

S. V. TL. H. NEP. F. E. M.

In choro Senonensi Jacobus Perronius Engolismensis episcopus, statuis ad perennem memoriam exstructis cenotaphium avunculorum honorifice exornavit, & a Nicolao Borbonio Græcæ linguæ professore regio, poëta eximio, erudite hoc etiam sepulcrali elogio parentari curavit:

DEO OPT. MAX.

Jacobus Davy Perronius primum Ebroicensis episcopus, inde S. R. E. presbyter cardinalis, nec dum sancito lege pontificia titulo, a se ipso eminentissimus, postremo Senonensis archiepiscopus, & magnus Franciæ eleemosynarius, sedem hanc suam mortali spolio decorat, cælum animo incolit, mundum famâ sui implet: sectariorum quibus a nativitate mersus fuerat erroribus, mature emersus, multis utriusque sexus regni magnatibus ut indidem enatarent, tum maxime Henrico IV secundum cælestis mentis instinctus, dux, incentor & adjutor præcipuus fuit, eumque persuasum ecclesiæ reconciliandum ac expiandum, suscepta a Clemente VIII Pont. Max. legatione extraordinaria curavit. Ad Fontem-Bellaqueum in oculis ejusdem regis & frequenti Principum & procerum corona, hæresim singulari certamine prostravit, quam alias sæpius qua voce & institutis publice disputationibus, tum Parisiis, tum in colloquio Meduntano, tum ad Sangermanum, qua eruditissimis & æternitati scriptis ingenii monimentis domuit, quibus pontificatui ecclesiæ serviens & Christo, visus est nihil ignorasse, tot vere miraculorum patrator, quot voluminum scriptor. Romæ denique reconciliationis Venetorum ad defectionem properantium cum sede apostolica instigator & author fuit: si vitam ex actis ejus prope infinitis computes, qui sexagenario paulo major denatus est, eum multorum sæculorum senem vixisse putes. Obiit Parisiis in palatio Senonensis ecclesiæ nonis Sept. æra Christianæ M. DCXVIII.

Sed ut de Perronio absolvamus quod in Ebroicensibus occœpimus, fuit hic cardinalis donis eximiis cumulatus, elegantis ingenii & peracuti, firmissimi judicii, memoriæ incredibilis, & ad arguendos & convincendos hæreticos indefessi studii & eruditionis, quam lectione & scriptione continua sibi paraverat. Multiplices vero posteris reliquit ingenii fœtus, in primis Responsionem ad Jacobum I Magnæ Britanniæ regem, Tractatum amplissimum de Eucharistia contra Mornæum Plessæum, plura opuscula adversus sec-

A tarios, epistolas ad diversos, orationes, aliaque opera tum prosa tum carmine, quæ illo vivente typis excusa, aut mortuo posthuma uno volumine prodierunt. Vide Arnaldum Card. Ossatum lib. 1, ep. 26 ad Henricum Magnum, & 28 ad Villaregium, lib. 11, ep. 41 & 43, inter cujus Perronii literas extat quoque epistola Guillelmi *du Vair* Franciæ procancellarii in ejusdem Jacobi laudem. Legendi etiam Fuligatus in vita cardinalis Bellarmini cap. 11, Thuanus, Spondanus, Scævola Sammarthanus lib. 11 Lyricorum in ode quam doctissimo præsuli dicavit, &c.

Sub hoc præsule nonnullæ fundationes factæ B sunt in diœcesi Senonensi, ut Franciscanorum tertii ordinis in loco dicto *Brean* anno 1609, inde ad suburbium B. Mariæ an. 1622 translatorum. Anno 1615. Stampis fundamenta ponuntur conventus Capucinorum, jam ibidem receptorum, Cæsare duce Vindocinensi primum lapidem statuente.

XCVIII. JOHANNES IV.

DAVY DU PERRON.

Jacobi cardinalis germanus Johannes, doctrina & pietate fere alter, a Ludovico XIII rege coadjutor Senonensis archiepiscopi nominatus, Romæ confirmatus est bullis ad S. Mariam C majorem datis XV calend. Januarii 1617, Pauli papæ V anno 13. Inde consecratur episcopus Heracleensis, possessionemque nanciscitur cum futura successione ad archiepiscopatum Senonensem per procuratorem die Veneris 13 Julii 1618; eodemque anno postridie obitus Jacobi 6 Septemb. sacramentum hominii Ludovico regi profitetur. Hujus nomine legationes obiit quibus perduelles & ab ecclesia devios intrepide domuit. Fratres Pœnitentes tertii ordinis S. Francisci ab ipso apud Senonas inducti sunt, quo sedente conventus Capucinorum in urbe stabilitus est 13 Aprilis 1620. Barnabitarum quoque colle- 1620.
D gium apud Montem-Argisi & conventus Stampis instituuntur. Cum vero muneribus politicis sua prudentia probe functus fuisset, ad alteram vitam migravit Dominica 24 Octobris 1621, ætatis 1621.
56, regi Ludovico Montem-Albanum cingenti proximus cum cæteris sanctioris consilii proceribus. Inde elatus Senonas amplissimo funere in sepulcro fratris quiescit, cujus viscera itidem jacent in templo S. Ludovici patrum Societatis Jesu Parisiis. Cernitur quoque in choro Senonensi alia epigraphe ejus memoriæ consecrata ab eodem Borbonio, qui librum S. Cyrilli Alexandriæ episcopi adversus Julianum cum interpretatione E Latina ipsi inscripsit.

D. O. M.

*Johannes Davy Perronius archiepiscopus Senonensis, Galliarum & Germaniæ primas, fratri cardinali vivo in præsulatum suffectus, paucos annos superstes, non fraternis tantum sed & suis coruscavit radiis; in consulendo prudens, in agendo efficax, Ludovico XIII regi reginæque matri ad Ceiospontes aulicorum tumultuum quarduumvir * pacificator, expeditionum ejusdem principis in Benearniam*

* Ita forte legendum cum Sammarth. nisi sit scriptum *quatuor vir.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI *& Languedociam adversus perduelles studio pro- A
movendæ religionis, quam & editis variis opusculis jam sibi devinxerat, comes assiduus & fidelissimus, in castris ad Montem-Albanum cum multis sanctioris consilii proceribus autumnali febre annum agens 56, sublatus 24 Octobr. anno M. DCXXI. Jacobus Perronius episcopus Engolismensis & serenissimæ Anglorum reginæ magnus eleemosynarius, avunculis suis posuit anno salutis 1636.

DE BELLEGARDE.

XCIX. Octavius.

Cæsaris *de S. Lary* Sanctonum & Pictavorum reguli, necnon magistri levioris equitatus Francisci Alenconii ducis filius natus est posthumus mense Februar. 1587 ex Johanna *du Lyon* vidua, cui de futuro conjugio fidem dederat Cæsar, unde Octavius pro legitimo filio est habitus etiam Burdegalensis senatus consulto. Nihilominus patruelis ejus Rogerius dux *de Bellegarde* bona patris ejus occupavit, eumque coëgit ad nomen dandum clericali militiæ. Juvenis liberalibus studiis Burdigalæ & Brouagii operam dedit, adolescens Tolosæ philosophiam didicit, Parisiisque theologiæ vacavit. Sacris literis non mediocriter instructus, opima sacerdotia ab Henrico IV obtinuit, S. Michaëlem Tornodorensem, Pultarias, Benedictionem Dei, tum S. Melanium Redonensem quem cum S. Germano Autissiodorensi permutavit anno 1607. Triennioque post juxta pontificium diploma benedictinam cucullam induit. Factus inde domnus Aubracensis & episcopus Conseranensis, quo tempore summus pontifex a legibus instituti Benedictini & ab obligatione nuncupandi voti Octavium solvit. Vacanti denuum Senonum metropoli præficitur Octavius 14 Nov. 1621, sed antequam in possessionem admissus fuisset, Parisiensis ecclesia Senonensis suffraganea in metropolitanam summi pontificis decreto ad preces regis
1622. erecta fuit anno 1622. Possessionem vero ob-
1623. tinuit Octavius anno tantum 1623, 22 Febr. per procuratorem, augustiori vero pompa ecclesiam sancti Stephani ingressus est sequenti festo Assumptionis Virginis. Patribus Societatis Jesu
Chart. x, col. 367. in urbem admissis 20 Septemb. ejusdem anni pecuniæ summam contulit tum ædificando collegio, cujus institutionem cardinalis Perronius a rege postulaverat, legatis pro ejus constructione 12000 libris, tum philosophiæ professorem annuis stipendiis dotavit. Hoc eodem anno 27 Maii ecclesiam de Valeriaco ab Henrico Borbonio principe Condæo loci toparcha instauratam dedicaverat. Cleri Gallicani comitiis Pari- E
1625. siensibus ac procerum cœtui adfuit an. 1625. S. Theresiæ virgines in urbe fundavit anno eodem, & Benedictinas apud Pruvinum, ubi reliquias S. Aigulfi in aliam capsam transtulit 26
1626. Augusti 1626. Generali cleri conventui præfuit
1627. Fontaneti in Pictonibus an. 1627. Hieronymum Spada nuncium apostolicum Senonis excepit 6
1628. Decemb. 1628 particulam capitis S. Gregorii papæ nomine Urbani VIII petentem quam ipsi donari procuravit. Congregationis S. Mauri mo-
1636. nachis ut S. Columbam reformarent an. 1636

A auxilio fuit; Bernardum S. Papuli episcopum Parisiis consecravit anno eodem 9 Nov. apud Carmelitanas virgines, Bartholomæum *Delbene* Aginnensem in ecclesia monialium Visitationis Dominica 8 Januarii 1637, & Petrum *Nivelle* 1637.
Lucionensem in æde sacra Cisterciensium Dominica 25 eorumdem mensis & anni. Monachos S. Petri vivi ad avitam religionem reduxit anno 1638, quibus mensam conventualem S. Remigii 1638.
uniri curavit 3 Apr. Cum aliis episcopis scripsit 9 Febr. 1639 de damnandis duobus volumi- 1639.
nibus, uno, *Traité des droits & libertés de l'église Gallicane*, altero, *Preuves des mêmes libertés.* Sub
B eodem archiepiscopo Moreti parthenon sub regula S. Benedicti conditus est anno eodem, ejusdem instituti virgines apud Villam-novam-regis & apud Montem-Argisi, moniales Cistercienses apud Braicum, congregationis B. Mariæ Joyaci 1630 Stampis & Nemorosii, S. Ursulæ Senonis, Meloduni & Monsterolii, Visitationis Meloduni, Capucini apud S. Florentinum 1622, Recollecti Nemorosii recipiuntur, & intra muros Montis-Argisi qui prius erant extra urbem Barnabitæ Stampensi simul Gymnasio præficiuntur. Octavius interea comitiis cleri Gallicani Meduntæ præfuit anno 1641, in quibus ut in aliis 1641.
C spectata semper fuit animi magnitudine & constantia præditus. Johannem-Antonium-Arnaldum *de Pardaillan* & Annam-Mariam *de S. Lary* matrimonio rite conjunxit Senonis 14 Octob. 1643. Eodem anno in abbatia S. Petri vivi 1643.
transtulit corpus S. Theodechildis virginis in interius basilicæ sacrarium. Doctrinæ S. Augustini maxime addictus, hujusce præcipua capita varios in titulos distributa typis mandari curavit, cui opusculo hunc præfixit titulum: *S. Augustinus per se ipsum docens Catholicos & vincens Pelagianos.* Addidit epistolam pastoralem qua commendat suæ diœcesis fidelibus, maxime clericis
D ut librum hunc enchiridii loco habeant & assidue legant. Denique conscripto jam 15 Januarii 1643 testamento ecclesiam suam juxta antiquum morem heredem ex asse scripsit, pauperes ex quadrante. Episcopalis auctoritatis acer defensor Octavius e vita migravit die 26 Julii 1646 1646.
in pago Monstrolii juxta Parisios prope castrum Vincennarum. Corpus, ut jusserat, in basilica metropolitana funeratur cum hac inscriptione:

Adsta Viator,

Et magni præsulis æternitatem lege: Hic situs jacet Octavius de Bellegarde, *illustrissimus Senonensium archiepiscopus, Galliarum & Germaniæ primas, cujus vita sæculi sui decus, cujus virtus posteritatis exemplum extitit, cujus vel ipsum nomen elogium est. Avum nactus est Rogerium* de Bellegarde, *Franciæ marescallum, summumque regiæ apud Insubres militiæ præfectum, patrem Cæsarem* de Bellegarde, *Santonum proregem, acceptis in Cutracensi prælio vulneribus gloriose extinctum juvenis amisit. Ipse inter exempla domestica ad summa quæque natus, sanctiori militiæ nomen dedit, generosissimum caput ecclesiæ parenti devovens, cujus futurus erat præsidium; theologicis institutus disciplinis au-*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

gustum concionatoris munus tanto fervoris indicio tanta eruditionis laude felicit. r obivit, ut non aliis gradibus episcopalem Conseranorum sedem conscenderit, quam quibus summæ virtutes ad sacra fastigia nituntur. Ex episcopo factus post annos septem Senonensium archiepiscopus, talem se reliquo vitæ decursu per lustra fere quinque præstitit, ut zelus cum annis cresceret, fama cum dignitate. Quid in hac diœcesi gesserit, immutata cleri facies, restituta disciplina, mores emendati, fixa altissimis radicibus pietas, omni præconio eloquentius proclamant; nec jam primum saxa eloquuntur. Novit clerus quam nullum regendis animabus præfecerit, quem non pietas & eruditio commendaret, quam nullum nisi his instructum dotibus ad ecclesiasticos ordines evexerit, quam denique providerit diligenter, ne deessent qui sacra munia sacrorum candidatos edocerent. Monasteriorum disciplinam sæculi vitio ubique collapsam invenit archiepiscopus. eamdem moriens reliquit pristinæ puritati ubique restitutam. Carmelitanas virgines munificus fundator advocavit Senonas. B. Benedicti regulam professas exstructo Villanovæ-Regis suis sumptibus conventu donavit. Christianæ fidei rudimenta creditis sibi populis exponi procuravit, assignata in eos usus oratorii D. Jesu presbyteris annua pecuniæ summa, ut iis in locis publicæ catecheses haberentur, quæ vel ipse, vel futuri ejus successores pastorali sollicitudine designarent. Publicis cleri comitiis ter interfuit archiepiscopus; Parisiensibus sic adfuit anno M. DCXXV. ut se ecclesiæ ministrum fidissimum, cleri amatorem ardentissimum, sanctæ sedis apostolicæ fortissimum vindicem demonstrarit. Cujus authoritatem famosis libellis impetitam, æquissima censura asserendam promovit. In Fontanensibus præfuit anno Domini M. DCXXVII, atque ut ex immensa pecuniæ summa, quæ in belli sumptus a clero exigebatur imminueretur quamplurimum, acerrimo studio effecit. In Meduntensibus quoque quibus postremum præfuit, quam episcopali vigore sacra ecclesiæ jura defenderit, quantaque pro tuenda ejus immunitate sit passus, nemo sic in rebus nostris hospes est, qui ignorare possit, nemo sic aversa a præclaris facinoribus mente, qui laudibus non vehat; scilicet hoc ejus præsulis virtuti servabatur, cujus fortitudini paulo ante clerus debuerat, quod ecclesiastici patrimonii tertia pars præda non iret publicanorum; cujus providentiæ servata veritas debet, quod sacrilegæ errorum pestes, justo anathemate statim ab ortu perculsæ sint, cujus in Deum pietatem, in illustrissima authoritate modestiam, paternæ in pauperes viscera charitatis, Gallia celebrat, clerus numerat in exemplis, ecclesia prædicat universa. Sic impleto ministerio ecclesiasticam infulam cum cælesti corona feliciter commutavit anno ætatis LIX, vitæ integerrimæ eam imponens coronidem, quæ quanto in Christi sponsam & membra semper exarserit affectu, insigni monimento posteritatem docet. Metropolitanam enim Senonensium ecclesiam quam vivus in sponsam acceperat, moriens in hæredem habere voluit ex asse, ejusdem urbis xenodochium, pauperes, regularium familias, & suam ex quadrante. Abi, viator, & persoluto christianæ pietatis vectigali, si dignos primates ecclesiæ exoptas, si primis sæculis non indignos pastores voves, Octavio nostro similes apprecare. Obiit VII cal. sextiles an. M. DCXLVI.

A Huic epitaphio additum est hujusmodi carmen:

Dat sua seque Deo præsul moriturus, at illi
Astris imposito, dat sua seque Deus.
Sic est heredis prudens Octavius heres,
Sic habet omne bonum, qui dedit omne suum.

Hoc amoris sui & observantiæ monimentum, huic monumento inscribi curavit Carolus de Rio presbyter, insignis hujus ecclesiæ canonicus.

Alia inscriptio apud Monstrolium.

Hic deposita sunt viscera reverendissimi in Christo B *patris Octavii* de Bellegarde *Senonensis archiepiscopi, viri genere, dignitate, virtutibus illustrissimi, qui post gubernatam summa cum vigilantia, & pietate annos XXV Senonensem ecclesiam, defensam prudenter æque ac fortiter cleri libertatem, restitutam quantum per hominum ac temporum iniquitatem licuit, disciplinam, decessit hîc quo recuperandæ sanitati secesserat, VII kal. sextileis, anno ætatis suæ LIX, salutis nostræ M. DCXLVI, cui ecclesia Senonensis testamento heres, ceu patri optimo & sponso charissimo hoc monumentum posuit.*

C. LUDOVICUS-HENRICUS. DE CONDRIN.

C Vetustissima nobilissimaque gente *de Pardaillan* in Armaniaco natus patre Antonio-Arnoldo marchione *de Montespan* & *d'Antin*, domino *de Gondrin* primo castrorum præfecto equite torquato Navarræ & Benearni principatus prorege, & matre Paula *de S. Lary de Bellegarde*, Rogerii ducis ac Cæsaris-Augusti marchionis *de Termes* Franciæ hipparchorum sorore parentibus editus Ludovicus-Henricus, cum bonis literis excolendis utilem navasset operam, reginæ matri ob ingenii felicitatem pergratus, coadjutor Octavii apud regem Ludovicum XIV expostulatur an. 1644, & Dominica 14 Maii 1645 D in abbatia monialium Lilii prope Melodunum consecratur Heracleensis archiepiscopus ab ipso Octavio consanguineo, assistentibus episcopis Francisco *Maher* Trecensi & Stephano *Puget* Massiliensi. Eodem anno delegatur a provincia Senonensi ad generalia cleri comitia Luteciæ, ubi jura episcoporum impigre tutatus est. Circa id tempus jam abbas sancti Orentii Ausciensis donatur a rege commendis S. Johannis & sancti Remigii Senonensis, ac S. Petri de Calamis. Defuncto Octavio, possessionem per procuratorem adeptus 16 Augusti 1646, ritu solemni in metropolim invehitur 18 Dec. sequentis, E die autem 23 mensis ejusdem in ecclesia sancti Stephani a Petro *de Broc* Autissiodorensi suffraganeo sedis apostolicæ delegato antistite pallium suscepit. Georgium *d'Aubusson* archiepiscopum Ebredunensem consecravit in sacello B. Mariæ in monasterio S. Germani Parisiensis 11 Sept. 1649, cooperantibus Ludovico Rejensi & Felice 1649.
Catalaunensi episcopis. Cum familiis religiosis suæ dioecesis, maxime cum Jesuitis & Capucinis multas habuit controversias, quod ab illis exigeret ut subirent examen antequam ad confessiones excipiendas prædicandumque evangelium admit-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

terentur. Hac occasione prodierunt varia ejus A
mandata mense Januario 1653 adversus fratres
1653. Eremitas S. Francisci, hoc est, Capucinos. Quin
etiam sententiam excommunicationis vibravit in
omnes suæ diœcesis fideles qui peccata sua confiterentur
iisdem Capucinis, promulgatam diebus
2 & 9 Martii 1653. Idem fulmen intentarat
in eos qui Jesuitas confessionis ergo adirent decreto
26 Januarii anni ejusdem. Seminarium
1654. apud Senonas instituit an. 1654. Eodem per
vicarium suum generalem duo ossa S. Paterni
& S. Salvatoris Brajacensis detraxit, quæ monialibus
Benedictinis Pruvini largitus est. Cardinalis
Pulli opera dicavit ei D. Hugo *Mathoud* pres- B
1655. byter congregationis sancti Mauri anno 1655.
1658. Synodum habuit 1658 in qua formulam subscriptionis
pro condemnatione quinque propositionum
ab Innocentio X & Alexandro VII
facta in comitiis cleri Gallicani promulgatam
subsignavit. Collationes ecclesiasticas in sua diœcesi
instituit, statutaque synodalia publicavit anno
eodem, & censuram casuistarum edidit approbatam
& confirmatam ab episcopis provinciæ in
1660. synodo an. 1660. Processionale Senonense ejus
1661. studio accuratum & typis excusum est an. 1661.
Vertebram S. Theodechildis ad monachos Mauriacenses
1663. transmittendam permisit anno 1663. C
Ecclesiam PP. Capucinorum in honorem sancti
Nicolai consecravit anno 1664, 15 Aprilis.
Generalibus cleri Gallicani comitiis præfuit an.
1665. 1665, in quibus coram edixit impugnaturum
se novam archiepiscopatus Parisiensis erectionem,
nisi ecclesiæ Senonensi uniretur mensa abbatialis
S. Martini in Monte a rege promissa an. 1664,
qua tandem potitus est bulla Clementis IX data
XVIII cal. Oct. 1668. Gabriëlem *de la Roquette*
episcopum Augustodunensem consecravit mense
1667. Aprili 1667 Parisiis in oratorio monialium a
sancta Cruce. Obstitit ne Jesuitæ collegium obtinerent
Pruvini, qua de causa scripsit literas D
comminatorias ad capitula, clerum & populum
1668. Pruvinensem anno 1668 sub titulo mandati,
collegiumque congregationi presbyterorum oratorii
commissum est. Sororem suam abbatissam
B. Mariæ de Pratis benedixit in ecclesia Seno-
1669. nensi mense Dec. 1669, adstantibus coadjutrice
B. Mariæ de Bosco & abbatissa B. Mariæ Senonensis.
Annunciationis moniales Senonis excepit.
Franciscani apud Bellamgardam accipiunt
domum beneficio Johannis *de Gondrin* ejusdem
loci ducis, monachi Cistercienses apud Braium
an. 1653, fratres sub titulo Caritatis apud *Anon* E
instituuntur an. 1666. His & majoribus curis
perfunctus Ludovicus-Henricus, sanctioribus
incubuit extremo vitæ septennio mundi speciosa
pertæsus, meritisque quam annis gravior obiit
1674. in abbatia de Calamis 19 Sept. 1674, ætatis
54, cum pridie mortis pauperes scripsisset heredes.
Viscera ejus in eadem ecclesia remansere
cum hoc epitaphio a Jacobo *Boileau* decano
exarato.

D. O. M.

*Hoc cippo includitur ardens charitate Christi cor
magni archiepiscopi Senonensis Ludovici-Henrici* de
Gondrin *hujus monasterii abbatis. Viscera ejus
misericordia in pauperes toties commota hic quoque
requiescunt. Ossa jacent in ecclesia metropolitana
Senonensi expectantia resurrectionem, donec sol convertatur
in tenebras & Luna in sanguinem, antequam
veniat dies Domini magnus & terribilis.
Obiit XII cal. Octobris M. DCLXXIV.*

Corpus vero jacet in ecclesia metropolitana
prope Octavium, altera ejusdem auctoris inscriptione
donatum.

D. O. M.

Ludovicus-Henricus de Gondrin *Senonensis
archiepiscopus quintus & centesimus Galliarum &
Germaniæ primas, celebrata per orbem magni nominis
fama, expletaque spiritu & consilii & fortitudinis
quatuor & quinquaginta annorum vita, hic dormiens
silet, somnoque suo requiescit cum regibus &
consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines. Rexit
ecclesiam Senonensem annos 29. Obiit XII calend.
Octob. M. DCLXXIV.*

CI. JOHANNES.

De Montpesat de Carbon.

E Bituricensi ad Tolosanam metropolim translatus
a rege mense Maio 1674 Johannes, defuncto
interea Ludovico-Henrico, regis ejusdem
nominatione transiit anno eodem ad Senonensem
cum hac tanti principis amoris tessera: « Mihi
quidem commodus erat tuus apud Tolosates «
pontificatus, sed magis ecclesiæ profuturus erit «
Senonensis ». Nondum pontificio diplomate munitus,
sed tantum regio in comitiis generalibus
cleri præses eligitur an. 1675, quibus finitis, 1675.
ecclesiæ suæ possessionem iniit 19 Octob. Sed Ch. CXX.
jam 22 Julii dum in comitiis immoraretur, col. 97.
patribus Societatis Jesu verbi Dei dispensationem
sacramentorumque administrationem in sua diœcesi
restituerat. Insequenti anno generalem coegit 1676.
synodum. Celeberrimam Senonis missionem
habuit anno 1677. Ludovicum XIV Senonas 1677.
venientem excepit, a quo gratulatorium hoc &
perhonorificum testimonium tulit, parem ibi suis
votis se præsulem invenisse. Seminarium a decessore
inchoatum perfecit, & sacerdotibus congregationis
S. Lazari regendum commisit. Ædes
archiepiscopi novis decoravit ædificiis. Generalibus
cleri Gallicani comitiis adstitit annis 1681 1681.
& 1685. Hoc ultimo morbis & ætate confectus, 1687.
mortalitatem exuit die 5 Novemb. cujus corpus
depositum 20 mensis ejusdem in ecclesia sanctæ
Columbæ, postridie in metropolitana prope cancellarium
du Prat humatum fuit pone majus altare,
sub tumba marmorea cum hac inscriptione:
*Hic jacet illustrissimus & reverendissimus D. D.
Johannes* de Montpesat de Carbon *archiepiscopus
Senonensis, Galliæ & Germaniæ primas. Obiit die
5 Novemb. an. 1685, ætatis suæ 80. Requiescat
in pace.*

CII. HARDUINUS.

Fortin de la Hoguette.

Patria Santonensis Harduinus, abbas Sambloncellarum,
e Pictaviensi ad Senonensem ecclesiam
translatus 13 Nov. 1685, Romæ non

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

statim admissus est, sed vicarius generalis a capitulo nominatus, diœcesim administravit, quo tempore virginum congregationis beatæ Mariæ Lauduno Pruvinum ab Octavio decessore advocatarum ecclesiam consecravit ultima Octob.
1688. 1688. Tandem in consistorio Romano proclamatus 11 Januarii
1692. 1692, possessionem per procuratorem iniit 23 Martii, ipse vero 20 Augusti. Synodum habuit 24 Sept. anni ejusdem, in qua statuta synodalia Ludovici-Henrici *de Gondrin* emendavit. Comitia provinciæ suæ habuit 1 Junii
1699. 1699 jussu regis, ad consensum præbendum constitutioni papæ damnantis librum archiepiscopi Cameracensis, cui titulus: *Maximes des Saints*, &c. Diu litigavit adversus D. Himbertum archidiaconum, qui pro suæ dignitatis juribus
1701. propugnandis contendebat an. 1701 ad se tanquam majorem archidiaconum pertinere installare tum archiepiscopum Senonensem, tum episcopos omnes provinciæ Senonensis ex bulla Gregorii XI, pro qua installatione certam pecuniæ summam debebat percipere. Diutinæ liti finem ut imponeret rex, archidiaconum Tornodorum in exsilium misit. Philippum-Carolum *de Pas de Feuquières* episcopum Agathensem

Ch. VIII, col. 364.

1702. Parisiis consecravit 15 Aprilis 1702. Harduinus vero nominatus aliquando a rege commendator seu præceptor ordinis S. Spiritus, laudabili pene incognito modestiæ exemplo honorem hunc deprecatus est, confessus regi deesse sibi nobilitatis gradus ad hanc dignitatem requisitos, quippe cujus avus ab Henrico IV nobilis titulo donatus fuerat. At mortuo J. B. *Bossuet* episcopo Meldensi qui erat comes consistorianus, rex ad locum ejus supplendum elegit archiepiscopum Senonen-
1704. sem 19 Aprilis 1704. Harduino archiepiscopo prodiere ecclesiæ Senonensis Rituale, Breviarium an. 1702, quod plurimi cæteris tunc & postea
1715. editis anteponunt, & Missale 1715. Hoc ultimo anno defunctus die Jovis 28 Nov. annos natus 72 & quinque menses, sepultus est in choro majoris ecclesiæ prope sanctuarium, a dextris Petri *de Corbeil*, cum hoc epitaphio quod ipse condiderat: *Hic jacet Harduinus pontifex, qui pacifice vixit cum tribus capitulis Briocensi, Pictaviensi & Senonensi. Ora, viator, ut Deum sibi pacificum pastor pacificus experiatur. Obiit 28 Novembris 1715, ætatis LXXII.*

CIII. DIONYSIUS-FRANCISCUS.

Bouthillier de Chavigny.

E Trecensi ad Senonensem ecclesiam translatus Dionysius-Franciscus ineunte Februario mense
1716. anni 1716, possessionem per procuratorem
1718. nactus est 24 Junii 1718, ipse autem 23

A Augusti anni ejusdem. Novum breviarium ex solis scripturæ sacræ verbis concinnari, in lucem edi & a clericis recitari procuravit mandato dato calendis Decembris an. 1725. Marciniaci commendatarius obiit Senonis feria v 9 Nov.
1730, sepultusque est in choro a sinistris Petri 1730.
de Corbeil cum hac inscriptione: *Hic jacet Dionysius-Franciscus* Bouthillier de Chavigny, *qui egregie administrata per 18 annos Trecensi ecclesia ad Senonensem vocatus, huic pari sollicitudine præfuit annis 14, cleri ac populi amor & deliciæ, in quorum animis sibi monimentum marmore hoc*
B *perennius, dum viveret erexit. Obiit 9 Novembris an. 1730, ætatis LXV.*

CIV. JOHANNES-JOSEPHUS.

LANGUET DE GERGY.

E Suessionensi quoque ad Senonensem ecclesiam traductus in Natali Domini 1730 Johannes-Josephus, Romæ proponitur 5 Martii 1731. 1731.
Regi fidem dixit 3 Maii anni ejusdem, possessionem per procuratorem iniit 9 Maii, ipse vero 12 Junii. Ecclesiæ suæ verum ac pium ut decet pontificem sollicitus, eam pluribus instruxit scriptis ad temporum necessitatem, ut sibi visum est, accommodatis, quæ omnium manibus teruntur. Propriam insuper diœcesim diurnali, appendice
C ad breviarium, officio mortuorum, processionali, graduali, pluribusque catechismis, instructionibus, mandatis & monitis refersit, quorum pars magna non arrisit universis diœceseos parochis. Domus Dei decorandæ cupidus, hanc variis ditavit ornamentis. Quadraginta viris academiæ Gallicanæ jam adscriptus ab anno 1721, factus est comes consistorianus 21 Dec. 1747, com- 1747.
mendatarius S. Justi & *de Coetmaloen*, nec non superior domus & collegii Navarræi Parisiis, obiit Senonis 11 Maii 1753, annum agens 76. 1753.

CV. PAULUS.

D'ALBERT DE LUYNES.

E Bajocensi ecclesia jamque primus Delphinæ
D eleemosynarius, ad metropolim Senonensem traductus a rege Paulus 18 Augusti 1753, Romæ proclamatus est 26 Sept. Regi fidem dixit 17 Dec. & die crastina pallium de manibus episcopi Meldensis accepit. Nominatus est a rege abbas S. Vincentii Laudunensis 17 Februarii 1754. 1754.
Anglorum regis Jacobi III Romæ commorantis gratia renunciatus est cardinalis a papa Benedicto XIV die 5 Aprilis 1756. Dimissa abbatia S. Vincentii Laudunensis in gratiam cardinalis *de Gesvres* episcopi Bellovacensis donatus est a rege 8 Augusti 1756 abbatia S. Petri Corbeiensis. Cætera quæ ad eum spectant, vide in episcopis Bajocensibus tom. XI, col. 398.

DECANI SENONENSES.

PRÆPOSITUS in ecclesia Senonensi principem locum antiquitus obtinuit. Ea inter canonicos auctoritate eminebat, sicuti docent vetera MSS. ut regimine totius cleri usque ad tempora Ludovici Pii potitus fuerit. Penes præpositum enim jus erat conferendi præbendas, quod ab
E Alexandro III confirmatum VII id. Aprilis 1165, ab Alexandro IV revocatum est 26 Nov. 1258. Quin & canonici regulares sancti Augustini apud abbatiam B. Johannis Senonensis a capitulo fundatore & superiore pendentem
Stephani præpositi totiusque congregationis vo-

Ch. XVIII, col. 18.

Digitized by Google

luntate inducuntur an. 1111, consilio tantum & assensu Daimberti archiepiscopi. Demum hæc dignitas abrogata, decanusque in locum præpositi substitutus fuit an. 1176 ab antistite Guillelmo sedis apostolicæ legato efflagitatu capituli. Hic enim excessibus præpositorum motus qui auctoritate sua abutebantur, Aribaldo in primis præposito, cujus cum Henrico Remensi archiepiscopo graves intercesserant inimicitiæ, Jacobi *d'Anceze* nobilis viri qui Henrico forte favebat suggestionibus trucidato, præpositum suppressit & decanum subrogavit, quod confirmavit Alexander papa. Decanus igitur in officium præpositi suffectus, paribus cohonestatur privilegiis, B prærogativa sessionis inter canonicos in capitulo cui præsidet & in synodis provincialibus ante abbates insignitus 4 Augusti 1321. Capituli primicerius renunciatur pro definiendis ac promulgandis conventuum ordinationibus. Ipsum quoque decanum fuisse judicem causarum ecclesiasticarum capituli liquet ex concordato inter ipsum & archiepiscopum. Præterea ecclesiasticis beneficiis præditos solus in possessionem inducit præsens decanus, quibus deinde locus in choro per præcentorem designatur. Solus curam habet animarum ecclesiæ cathedralis, solus in festis sacra peragit, necnon gaudet privilegio hebdomadario C item canonico communi reconciliandi ecclesiam vel absente vel renuente archiepiscopo, si forte polluta fuerit, quod peculiari bulla 28 Maii 1416 impetravit. Ut autem dignitatem suam decentius sustineret decanus, huic Guillelmus archiepiscopus univit ecclesiarum S. Florentini & Campiliaci proventus, jusque parochos nominandi cessit an. 1176. Petrus *de Charni* assignavit pensionem super ecclesiis *de Monte-Orbon*, *Grandcamps* & *Momigny-l'Encoup* 1274 juxta licentiam a Clemente IV datam 1268. Gilo *Cornut* idem concessit super ecclesia *de Triguière* 1275. Capitulum quoque duplicem decano D distributionem permisit confirmatam ab Alexandro IV 9 Junii 1258, Urbano IV 15 Maii 1262 & Clemente IV 5 Martii 1268. Hæc & alia privilegia notantur in chartophylacio decani ex quo aliisque monumentis desumta series quam mox daturi sumus.

PRÆPOSITI ALIQUOT.

I. BERNARDUS de quo legitur in pervetusto ecclesiæ Senonensis martyrologio: *Anno Incarnati Verbi 961, VII idus Januarii obiit Bernardus præpositus noster qui dedit ecclesiæ S. Sal-* E *vatoris quæ sita est in Campo-longo alodum in suburbio civitatis Senonensis, in loco qui dicitur fossa Paschasii arp. 1, & in alio loco non longe abhinc campum qui vocatur Campus-rotundus, & ad stipendia fratrum nostrorum fundum qui & jacet in Planciaco villa totum & ad integrum.*

II. Aglamundus de quo in eodem necrologio: *VII cal. Junii obitus Adalmanni sacerdotis & fratris Aglamundi præpositi nostri qui nobis in proprio fundo constructam dedit capellam, quando suscepit aggregationem præbendæ in villa quæ vocatur* A *Curtis-moruncuii* in honore S. Andreæ & S. Geuulfi dedicata.* * Cormoranche.

III. Stephanus præpositus cum capitulo canonicis regularibus S. Augustini ecclesiam sancti Johannis concessit anno 1111.

IV. Guillelmus 1163 in chartis Pruliaci, 1162 & 1164 in tabulis S. Johannis.

V. Aribaldus occisus est in Flandria anno 1176, præpositorum ultimus.

DECANORUM SERIES.

I. AIARDUS decanus & presbyter memoratur defunctus VII id. Januarii 950 in martyrologio de quo supra.

II. Atgisus, *al.* Ratgisus ibidem occurrit XII cal. Februarii 951.

III. Gaufridus anno 1035 subscripsit chartæ Gilduini archiepiscopi quædam altaria Floriacensibus monachis concedentis, ubi notandum in hoc instrumento nomen hujus decani legi post nomina & subscriptiones archidiaconi & archipresbyteri. Defunctus memoratur III id. Dec. in martyrologio Autissiodorensi. Ch. XVIII, col. 18. Chart. III, col. 160. Chart. IV, col. 361.

IV. Heribertus an. 1080 subscripsit transactioni factæ inter Drogonem filium Berengarii & Guillelmum abbatem S. Remigii.

V. Theobaldus regnante Ludovico VI erat decanus.

VI. Hatto antequam episcopus Trecensis fieret an. 1122 fuerat decanus & archidiaconus Senonensis, ut nos docet epistola Petri prioris sancti Johannis Senonensis congratulatoria ad eumdem Hattonem, in qua legitur: *Ad te carissime pater stylum verto, quem Senonensis ecclesia decanum & archidiaconum habuit, Tricassina sedes pontificem gloriosum obtinuit, Cluniacus civem sanctorum & domesticum fidei facit.*

VII. Rainardus decanus 1123, subscripsit donato prioratui S. Salvatoris canonicis sancti Johannis a capitulo mense Decemb. 1127, & chartæ Henrici archiepiscopi ecclesiam de Branlis monasterio Ferrariensi indulgentis pontificatus X, Christi 1132.

VIII. Constantinus decanum agebat temporibus Henrici archiepiscopi & Ascelini abbatis Fossatensis inter annos 1134 & 1142.

IX. Boso occurrit 1146 in permutatione inter capitulum & monachos Pontiniacenses.

X. Simon Bosonis nepos, cujus nomen consignatur in necrologio 1 Januarii.

XI. Odo decanus Senonensis & archidiaconus Trecensis testis legitur concessionis ab Ansello de Triangulo factæ ecclesiæ Pontiniaci Senonis an. 1151, præsente Ludovico rege, teste Simone thesaurario & Hugone archiepiscopo approbante, cujus in chartis occurrit 1159 pro monialibus Juliaci, 1160 pro S. Quiriaco Pruvinensi, 1161, 1162, 1163. Memoratur 1154 in charta Caritatis, 1164 & 1167 in chartis Pontiniaci. Migravit a seculo 29 Januarii, crediturque tumulatus in cœmeterio S. Salvatoris Senonensis sub tumba lapidea quæ in cathedralem invecta est cum hac inscriptione: *Hic Senonum clarus jacet optimus Odo decanus.*

XII.

Digitized by Google

XII. Johannes legitur 13 Maii 1169 in chartis monasterii Tironensis.

XIII. Odo II cantor de Brayo & decanus Senonensis ab anno 1170, approbavit 1171 transactionem inter archiepiscopum & Arraldum abbatem Floriacensem de ecclesia B. Mariæ de Loriaco. Testis legitur 1174 in literis Matthæi episcopi Trecensis pro canonicis sancti Martini. Memoratur 1175 & 1176 in chartis Prulliaci cum Hilderico thesaurario, Hugone archidiacono & Gaufrido præcentore. Hoc ultimo anno Guillelmus archiepiscopus extincta præpositorum dignitate, omnem eorum potestatem & prærogativas transfudit in decanos & eorum dignitati ecclesias S. Florentini & Campi-laici univit. Ratam adhuc habuit Odo pactionem initam inter archiepiscopum & Arraldum abbatem Floriacensem super præsentationem ad ecclesias in diœcesi sitas Escharleis anno 1180. Obiit 10 Octob. ex necrologio.

XIV. Salo memoratur 1187 in charta Guidonis archiepiscopi, & 1188 in tabulis Pontiniacensibus. Subscripsit transactioni inter Guidonem archiepiscopum & Fulconem abbatem S. Germani Paris. eamque ratam habuit 1191. Confirmavit Præmonstratensibus Dei-loci ecclesiam sancti Pauli de Vanna 1193. Defunctum dicunt 1196. Consignatur in necrologio 23 Septembris.

XV. Hugo primum archidiaconus Senonensis & decanus de Brayo, dein decanus Senonensis an. 1204 ex chartis archiepiscopatus, obiit hoc anno, sepultus in ecclesia S. Salvatoris.

XVI. Gaufridus ex præcentore decanus erat mense Octobri 1204, obiit 15 Febr. 1206, nunc 1207, sepultusque est in ecclesia S. Pauli.

XVII. Stephanus factus est decanus 1207. Hujus in gratiam Innocentius III, pontificatus anno decimo, pridie idus Januarii, archiepiscopum & capitulum rogavit ut triennium ei concederent in scholis Parisiensibus ad eas regendas, nec eum cogerent ad ordinem sacerdotalem interim recipiendum. Judex a sede apostolica delegatus est querelæ inter abbatem S. Maglorii & Adamum archidiaconum Paris. super procurationibus mense Maio 1213. Huic rex & capitulo concessit facultatem duo construendi molendina in fornicibus pontis super Ionam mense Martio (1214). Declaravit mense Decembri 1219 Adamum presbyterum *de Borrum* monachis Sacri-portus dedisse majorem decimam hujus villæ.

XVIII. Petrus I de Medunta 1216 in chartis Pruliaci. Occurrit anno 1219 in chartis Vallis-lucentis. Fundavit capellam sancti Vincentii in ecclesia Senonensi 1220, & presbytero proventus assignavit qui divina officia perageret. Hæc autem dotatio confirmata fuit anno sequenti. Sepultus jacet Petrus in ecclesia Salvatoris. Ejus obitus notatur in necrologio 14 Maii.

XIX. Philippus de Gravia 1220, obiit 13 Septembris.

XX. A. decanus cum M. officiali delegatus ab Honorio III, 20 clericis in capella Tornodorensi ab Hervæo comite Nivernensi institutis qui propter angustiam capellæ in vicina B. Petri parochia fixerant sedem, ne a comitissa relicta supprimerentur, indulsit ut in dicta capella in canonico habitu celebrarent & proprias haberent campanas mense Octobri 1222.

XXI. Robertus *de Prunay* 1223, notatur in necrologio 20 Martii. Sepultus est retro capellam S. Salvatoris.

XXII. Adamus *de Peviers* 1225 fer. 6 post Cineres, ex charta Sacri-portus. Occurrit adhuc 1226 & 1231. Jacet retro capellam S. Salvatoris, notatus in necrologio 8 Junii.

XXIII. Petrus II, dictus Judas, quondam decanus, memoratur in chartulario B. Mariæ de Valle, ubi quædam donasse legitur in instrumento anni 1237 mense Febr.

XXIV. Michaël præsens memoratur cum Galterius an. 1239 visitavit capsam S. Victoris, superstes 1253, cujus obitus in necrologio notatur 24 Dec.

XXV. Guillelmus *de Brosse* successive canonicus, officialis, cellerarius, præcentor, decanus & ex decano archiepiscopus Senonensis 1258.

XXVI. Petrus III *de Charny* Urbani IV & Clementis IV summorum pontificum camerarius, officialis, archidiaconus, decanus Senonensis electus 1258, archiepiscopus efficitur 1267.

XXVII. Michaël II obiit 1272, 23 Nov.

XXVIII. Girardus *de Montcorbon* 1273. Adfuit an. 1280 Simoni episcopo Carnotensi obedientiam archiepiscopo Senonensi promittenti. In necrologio notatur 20 Januarii.

XXIX. Stephanus *Becard* ex decano eligitur archiepiscopus an. 1292.

XXX. Petrus IV *le Riche* ab anno 1293 ad 1298 capitulo præfuit.

XXXI. Guillelmus *Cornut* reperitur annis 1300 & 1306 in regestis capituli.

XXXII. Dionysius *de Sens* Philippi pulchri capellanus, decanus erat an. 1310. Guillelmus *de Hangest* ballivus Senonensis huic & ecclesiæ metropolitanæ confirmavit quasdam possessiones 200 libris divenditas mense Julio 1311. Cum episcopo Suessionensi aliisque fidelibus viris a Philippo rege missus est 15 Augusti 1314 cum amplissima potestate contrahendi mutuum pro rege in senescalliis Tolosana, Ruthenensi & Petracoricensi pro expensis belli. Fuit alter executor testamenti regis ejusdem mense Decemb. ejusdem anni. Procurator quoque Philippi V ad terminandas controversias de hominiis Campaniæ cum Odone duce Burgundo mense Julio 1317. Decessit in vigilia S. Laurentii 1324, sepultusque est retro sacellum S. Salvatoris ad latus dextrum sacelli cum hoc epitaphio semeso: *Ecce Dionysius Senonis civis. . . . . decanus hujus. . . . . . juris utriusque . . . . . . Dei gratia parcat ei. Decessit in vigilia B. Laurentii anno M. CCCXXIV.*

XXXIII. Johannes *Deschamps* decanus nominatur mense Decembri 1321 in regestis capituli ante obitum sui decessoris. Eo titulo fruebatur annis 1325 & 1337, fundavit missam

antelucanam 7 Oct. 1340. Dedit ecclesiæ S. Frambaldi Silvanectensis fructus *grossos* præbendæ suæ anni 1343, cujus in necrologio notatur XVIII cal. Februarii.

XXXIV. Thierricus de Braia comitis Roberti delegatus ab archiepiscopo aperuit capsam S. Romani an. 1349. Jacet in metropolitana capella sancti Saviniani cum hoc epitaphio: *Ego Thierricus de Braia comitis Roberti Parisius diœcesis, quondam canonicus & decanus hujus ecclesiæ, sub hac tumba jaceo, & obii anno Domini M. CCCXLIX tertia die mensis Septembris, videlicet die Jovis post festum B. Lupi. Unde, carissimi, rogo vos ut oretis pro me, Pater noster.*

XXXV. Johannes *de la Chapelle* decanus ab anno 1350 tumulo conditur in capella sancti Saviniani juxta decessorem cum hoc epitaphio: *Hic jacet bonæ memoriæ dominus Johannes de Capella super Orosam Senonensis diœcesis, cujus anima requiescat in pace, qui obiit 19 mensis Augusti anno Domini M. CCCLIX, videlicet die Lunæ post festum Assumtionis B. Mariæ Virginis. Orate Deum pro eo ut misereatur ei.*

XXXVI. Franciscus *du Verger* decanus erat an. 1360. Romam profectus est pro negotiis capituli an. 1367. Præfuit capitulo generali 1373.

XXXVII. Petrus *Fort* doctor in decretis, decanus Senonensis anno 1375 reperitur in regestis. Transegit anno 1393 nomine capituli cum archiepiscopo Guillelmo pro exemtione ab ejusdem jurisdictione. Obiit mense Maio 1408, tumulatus ante portam thesauri S. Stephani, hoc lemmate, *M. P. Fort decanus.*

§ Guillelmus *la Chambre* electus 22 Aug. 1408, præ modestia electioni non assensit.

XXXVIII. Thomas *Richard* canonicus S. Capellæ Divionensis, ex canonico & pœnitentiario Senonensis ecclesiæ electus est decanus mense Maio 1408. Cum autem eruditione & rerum gerendarum peritia polleret, a Burgundiæ duce in secreti arcani consilium allectus est iis temporibus dum bellis civilibus arderet Gallia & cum Anglis ipsoque rege Carolo VII contenderet. Dignitati cessit 1427, ut docent acta capitularia. Jacet autem apud S. Stephanum ante horologium sub hoc epitaphio: *Hic jacet vir... or hujus ecclesiæ Senonensis magister Thomas Richardus de Auxona magister in artibus, in utroque jure licentiatus, illustrissimi principis domini ducis Burgundiæ consiliarius, canonicus & decanus ipsius ecclesiæ, qui obiit anno Domini M. CCCC ...... die ...... mensis .... Orate Deum, si placet, pro eis. Fit ejus anniversarium 21 Octobris in ecclesia sacræ Capellæ Divionensis, ubi sepultus ab aliis traditur prope altare S. Sebastiani.*

XXXIX. Petrus *de Perrières* superioris cessione decanatum obtinet 1 Decembr. 1427, cessit & ipse 1432.

XL. Johannes *de Perrières* Petri consanguineus, sedit anno circiter 1432. Facultatem obtinuit a summo pontifice non residendi per annos quindecim. Fato corripitur mense Aug. 1440.

XLI. Johannes *de Montigny* suffragiis canonicorum electus mense Augusto 1440, vir fuit

A summis rebus gerendis peridoneus, qui venerandæ circumspectionis & auctoritatis ac scientiæ dotibus commendatur in instrumento capituli 29 Aug. 1449 institutionis Petri *Bigot* abbatis sancti Johannis. Factus deinde canonicus & consiliarius Parif. cessit dignitati sublatus e vita 1451.

XLII. Stephanus *Collin* ex Trecensi canonico & officiali primatiæ electus est decanus anno 1451. Permutavit cum sequenti parocho in diœcesi Bituricensi an. 1470.

XLIII. Hervæus *Cadoët* possessionem iniit 22 Decemb. 1470. Permutavit cum sequenti 1476.

B XLIV. Johannes *Hue* canonicus Parisiensis & Remensis, præfuerat parochiæ S. Andreæ Parif. Senonensis decanatus possessionem adipiscitur mense Nov. 1476. Theologiæ professor Parisiis, Senonis non residebat, unde in juramentis decanorum insertum fuit decanum extra Senonas non professurum. Obiit mense Martio 1489. Sepultus jacet in ecclesia beatæ Mariæ Stampensis, cujus erat canonicus, ubi festum Visitationis B. Mariæ suumque fundavit anniversarium.

XLV. Guillelmus *Gennart* primum canonicus Meldensis, parochus, canonicus Senonensis &

C cellerarius, electus decanus admissus est mense Julio 1489. Vir summæ auctoritatis, & Tristando archiepiscopo acceptus deligitur magnus vicarius archiepiscopatus in spiritualibus, cui muneri exercendo intentus, non semel pro ecclesia utiliter in sedandis controversiis capituli cum eodem archipræsule inserviit. Ejus sollicitudine B. Stephani templum opere sumtuoso ac sedilibus capitulum decoratur. Mortalitatis debitum exsolvit 6 Octob. 1494, sepulturæ traditus in navi metropoleos ante altare S. Martini cum hoc epitaphio:

D
Guillelmus jacet hic Gennart, *quem villa Rosetum*
Meldensis genuit. Quid fuit an rogitas!
Canonicus Meldis fuit, ac curatus, & inde
Decanus Senonis, ac ibi vicarius
Hoc opus infectum exit late posthabitumque
Innodat & sedat jurgia pontificis.
Mille quadringentis annis nonaginta duobus
Hunc sexena dies Octobris eripuit.
O funesta dies! quæ tam doctum vigilemque
Occidit & campos misit ad Elysios.
Vos ergo ecclesiæ zelus, pax, dona, labores
In cælis animam sollicitate suam.

E
XLVI. Johannes *de Bray* electus mense Martio 1493, æmulum passus est Stephanum *de Villiers* canonicum ipsumque electum, nec pacifice potitus est ante mensem Martium 1499, quo Parif. senatus placito confirmatur Johannis electio. Postea hanc dignitatem cum sequenti pro archidiaconatu Stampensi permutavit anno 1504. Multis etiam muneribus ditavit ecclesiam metropolitanam, putà vitro exquisitæ fabricæ, vestibus sacris aliisque ornamentis, necnon & aulæis quæ choro inserviunt, quæ juncta cum

Digitized by Google

iis quæ eodem tempore Tristandus archiepiscopus, cujus etiam testamenti exsecutor nominatus est an. 1518, eidem ecclesiæ suæ donavit, pretiosissimam rerum sacrarum suppellectilem effecere. Defunctus insequenti 14 Aug. 1519, humatur ante parvum horologium cum hoc epitaphio: *Hic jacet venerabilis & discretus vir M. Johannes* de Bray *presbyter canonicus Senonensis & archidiaconus Stampensis in dicta ecclesia parochus capellæ super Averionem, qui obiit die 14 Augusti 1519.*

XLVII. Gabriel *Gouffier* gente nobili natus, protonotarius apostolicus, canonicus & archidiaconus Stampensis 22 Aprilis 1502, tum decanus 16 Dec. 1504, Romam profectus est an. 1506. Non mediocriter in dignitate decani se commendabilem præbuit, nam pietate & munificentia non solum xenodochium Senonense locupletavit, sed & S. Stephani basilicam suis impensis vitro quod portæ Abrahamiticæ supereminet & ab omnibus in pretio habetur, exornavit. Solertis quoque ingenii prudentia inclaruit, cum magni momenti rebus tractandis admotus, ecclesiæ jura adversus Tristandum archiepiscopum strenue tutatus est, magnoque in pretio habitus apud cardinalem de Prato, de cujus vita in actis capituli plura habentur. Vir autem de sua ecclesia optime meritus exeunte Sept. 1529 fatis concessit, ac sepelitur in navi S. Stephani ad latus sinistrum altaris S. Ludovici, sub tumba marmorea cui superscribitur: *Hic jacet nobilis ac scientificus vir magister Gabriel* Gouffier *nuper hujus Senonensis ecclesiæ decanus .... B. Mariæ de ..... ac usufructuarius ..... possessionis ...... anno M. DXXIX. Orate Deum pro eo.*

XLVIII. Jacobus *Chappelain* presbyter Turonensis, in utroque jure licentiatus, canonicus Senonensis electus decanus 7 Novemb. 1529, admittitur 13 Aprilis 1530. Obiit 17 Nov. 1537. Jacet ad latus sinistrum crucifixi in ecclesia S. Stephani cum epitaphio.

XLIX. Nicolaus *Marthre* vicarius generalis primusque a consiliis & epistolis scribendis Ludovici cardinalis Borbonii antistitis, canonicus Senonensis, archidiaconus Theorasciæ Laudunensis & Bajocensis canonicus, prior vicecomes *de Gisy* prope B. Mariam de Lætitia, ac pastor *de Montcorbon* in diœcesi Senonensi, delecto arbitro cardinali, assentiente capitulo, ab eodem nominatur decanus per viam compromissi, & excipitur mense Aprili 1538. Vitam cum morte commutavit 22 Julii 1554, terræ mandatus ante imaginem crucifixi cum epitaphio.

L. Franciscus *Maçon* ex canonico electus æmulos passus est Tussanum *du Mont*, postea præcentorem Senonensem & Egidium *Spifame*, dein episcopum Nivernensem, S. Pauli Nivernensis abbatem bullis apostolicis decanatu donatos. Causa in senatu Parisiensi victor Franciscus possessionem per procuratorem iniit 19 Julii 1555, morbo tunc detentus in loco *d'Ency* prope *Samoye* in diœcesi Senonensi, ubi obiit 31 ejusdem mensis.

LI. Matthæus de *Challemaison* nobili loco natus toparcha terrarum *de Gravon* & *de Balloy*, prope Senonas, vicarius generalis cardinalium *de Guise* & *de Pellevé* archiepiscoporum; ac Odeti *de Chastillon* in regimine abbatiarum, ex canonico decanus per compromissum renunciatus admittitur 15 Nov. 1555. Majorem cathedralis campanam 17 Oct. 1560 benedixit, ac computationem decimarum diœcesis ordinavit. Defunctus 17 Martii 1577, tumulatur in ecclesia gentilitia *de Balloy* ad latus dextrum altaris, lapidique superpositum epitaphium.

Clarissimi ac prudentissimi viri Matthæi Calladomi Senonensis archipresbyteri tumulus.

Illius hac tenui conduntur membra sub urna
Qui magnum nostrò nomen in orbe tulit,
Qui fuit eximia clarus virtute Matthæus,
Insignis Callæ gloria celsa domus,
Quem Graiæ æternum deflent Latiæque camenæ,
Phœbi delicias Aonidumque chori,
Spiritus humana carnis compage solutus.
Cœlesti felix pascitur Ambrosia.

Post obitum Matthæi suffragiis capituli decanus postulatus Olivarius *le Crec* canonicus Senonensis & Paris. necnon abbas Joyaci & Aquævivæ 27 Martii 1577, designatus quoque urbis præfectus, utrique electioni sponte nuncium remisit. Defunctus autem 28 Julii 1582, sepultus est in ecclesia parochiali S. Petri.

LII. Claudius *Arnoul* oppido Calvi-montis in Basiniaco natus, doctor sorbonicus & sacræ paginæ professor canonicus, theologus & archidiaconus Stampensis tum Senonensis, inde thesaurarius, Romam cardinalem Pellevæum, cujus vicarius generalis fuit sicut & Reginaldi Belnensis, euntem comitatur 1572 ubi per annos quatuor commoratus, concionibus tam Latinis quam Italis famosus, a Carolo IX ut erat eloquentia præstans, orator destinatur pro fausta gratulatione electionis Gregorii XIII ad apostolicam sedem. Reversus iterum vocatus est a cardinali Pellevæo & Romæ mansit 7 mensibus. Reversus denuo ad decanatus dignitatem vocatur ejurante Oliverio 19 Aprilis 1577, cum in superiori electione aliquorum suffragiis fuisset designatus; admittitur autem 20 Novemb. eaque laude & prudentia munus suum exercuit ut per excellentiam major decanus vocitetur. Obiit 2 Aprilis 1600 die Resurrectionis Dominicæ, humatusque est ante altare S. Ludovici cum epitaphio.

LIII. Johannes *Arnoul* Claudii nepos canonicus & archidiaconus Stampensis, electus 21 Aprilis 1600, in possessionem inducitur 4 Dec. confirmaturque Parisiensis senatus placito 29 Aprilis 1602 adversus syndicum qui electioni ejus intercesserat. Plurimas cum capitulo exercuit lites, quas dum in senatu Parisiensi prosequitur, Lutetiæ decessit 22 Februarii 1622, sepultus ibidem in ecclesia S. Stephani de Monte.

LIV. Hieronymus *Taveau* Senonensis Jacobi apud Senonas advocati, qui vitas archiepiscoporum Senonensium scripsit, filius, officialatus vices gerens, ex cellerario 1617 substituitur

Johanni 21 Martii 1622, admissusque est 30 Junii. Fundavit ultima die anni festivitatem annuam SS. Saviniani & Potentiani in ecclesiis S. Stephani & S. Romani tanquam de octava omnium sanctorum. Mortuus 27 Maii 1629, ætatis 53, sepelitur in medio navis ecclesiæ cum hoc epitaphio: *Hic jacet nobilis & scientificus vir magister Hieronymus* Taveau *decanus & canonicus ecclesiæ Senonensis, & locum tenens officialis Senonensis, qui digne his functus muniis obiit die Dominica 27 Maii 1629, annos natus 53. & fundavit in hac ecclesia festum S. Saviniani & S. Potentiani celebrandum ultima anni die in perpetuum, ut solet fieri octava omnium SS. processionaliter agere ante missam, cantare responsoria* O mirum & Athletam *in navi, cum* De profundis *& orationes consuetas. Orate pro eo.*

LV. Stephanus *Ferrand* in sede præsidiali Senonensi consiliarius & vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus Ludovici-Henrici *de Gondrin* archiepiscopi, per omnes ecclesiæ dignitates excepta thesauraria ad decanatum sibi gradum fecit, in quem, electus via Spiritus sancti 11 Junii 1629, inductus est 2 Septemb. 1630. Ecclesiam pretiosa vestium ornamentorum & vasorum suppellectile instruxit. Fundationem celebritatis Eucharistiæ, quam de calice nuncupant, a Johanne Ferrando majori archidiacono Stephani propatruo primum institutam 1552, & a Nicolao cellerario ejus patruo auctam munificentissime perfecit ac dotavit. Obiit prædives 23 Augusti 1661, sepultusque est cum eleganti pompa in sacello domus Dei juxta propatruum qui illud ædificaverat in memoriam Eucharistiæ quam inibi latrones occultaverant.

LVI. Carolus *Henniques de Benjamin* nobili loco natus canonicus & archidiaconus Stampensis, eligitur decanus 7 Oct. 1661, admissusque 10 Dec. sequentis. Possessionem adeptus est 4 Martii 1662, sequenti cessit 1671. Factus inde vicarius generalis archiepiscopi Parisiensis & officialis, parochus sancti Nicolai de Cardineto ac comes

A consistorianus. Obiit 29 Aprilis 1677.

LVII. Jacobus *Boileau* doctor sorbonicus, canonicus Senonensis, cedente Carolo decanus admissus est 19 Febr. 1671. Permutavit & ipse cum cellerario, factus postea canonicus sacræ capellæ Paris. Vide bibliothecam Eliæ *du Pin*, sæculo XVII, part. V, p. 184.

LVIII. Carolus-Nicolaus *Taffoureau de Fontaine* doctor sorbonicus, prior Auxonæ, primum capellanus S. Eutropii in ecclesia Senonensi, tum canonicus 1673, cellerarius 15 Martii 1690, officialis per cessionem Jacobi, & ex permutatione decanus possessionem adeptus est 15 Julii

B 1694, vicarius generalis archiepiscopi Senonensis, tandem episcopus Electensis designatur 1 Novembris 1698. Vide tom. VI.

LIX. Carolus-Henricus *Feuel* Caroli-Nicolai ex matre nepos, per cessionem Jacobi canonicus & avunculi decanus substitutus possessionem adeptus est 4 Septemb. 1700, annos natus 35. Ejus curis & studio plurimum debent nova breviarium & missale Senonensia. Multa quoque collegit ad historiam tum archiepiscoporum tum decanorum, quæ nepoti suo canonico Senonensi ordinanda & in lucem edenda reliquit. Ex his schedis D. *Maçon* canonici Senonensis hanc decanorum seriem conflavimus.

C LX. Michaël-Hieronymus *Bouvard de Fourqueux* Parisiis natus 10 Maii 1700, doctor sorbonicus 31 Julii 1730, officialis Senonensis & vicarius generalis archiepiscopi, designatus decanus, possessionem iniit 30 Octobris 1739. Nominatus est a rege commendatarius Hunnocurtis Cameracensis 24 Augusti 1741.

LXI. Carolus-Franciscus *d'Husselin de Hauteville* presbyter Suessionensis, licentiatus theologus in facultate Parisiensi, vicarius generalis archiepiscopi Senonensis, Clari Fageti Ambianensis commenda donatus est a rege 23 Junii 1745. Decanatus vero Senonensis possessionem nactus est 12 Nov. 1748.

DE MONASTERIIS ECCLESIÆ SENONENSIS.

PLURIMA olim exstabant in urbe tam virorum quam virginum monasteria, ab oriente Senonum ad urbis portam & latus viæ dextrum monasterium SS. Gervasii & Protasii, ad sinistrum B. Maria de Ostiario: deinde haud procul a primo S. Johannes Evangelista, & ad lævam S. Petrus vivus. Ad occidentem S. Symphorianus, S. Medardus, S. Maximinus & S. Mauricius: ad meridiem S. Remigius & S. Hilarius: ad septentrionem S. Columba. Ex his monasteriis alia cecidere de quibus aliisque in diœcesi exstinctis nunc sermo, alia quæ supersunt pro more nostro deinceps tractabimus.

Vetera diœcesis Senonensis monasteria quæ ad notitiam nostram pervenere, modoque exstincta sunt.

I. S. Gervais & S. Protais.

Omnibus Senonum monasteriis SS. Gervasii

D & Protasii martyrum cœnobium antiquitate longe præcellit, quippe quod S. Ursicinus a fundamentis exstruxit in honorem sanctorum martyrum, reliquiis Jerosolyma allatis donavit, ibique sepeliri voluit, ubi cum eo postea sepulti sunt successores ejus Theodorus, Siclinus, S. Ambrosius, S. Agræcius & S. Leo qui postremus tam claris effulsit miraculis ut basilica SS. Gervasii & Protasii S. Leonis assumserit nomen. *Fuit autem tunc temporis*, inquit chronographus S. Petri, *ipsa habitatio monachorum magna, sed exigentibus peccatis hominum destructa est, dum obsiderent pagani ipsam civitatem. Erat enim in ipsa basilica turris excelsa valde quam capientes pagani conspiciebant ex illa omnia quæ infra muros habebantur. Christiani vero qui infra muros civitatem habitabant, super hoc facto concilio accepto instruxerant machinas contra ipsam munitionem. Irruentes* Spicil. t. II, p. 716.

Digitized by Google

igitur quadam die ex civitate freti superno auxilio & precibus S. Leonis, cujus basilicam irreverenter pollucrant pagani, trucidavere plurimos in ore gladii & reliqui fugerunt. Postea vero ipsam basilicam cum turri subverterunt, ne alia vice similiter illis eveniret. Destructa basilica Ansegisus archiepiscopus transtulit an. 876 corpora SS. Leonis, Ursicini, Agraecii & Ambrosii in ecclesiam S. Petri ex ecclesia S. Leonis ubi fuerant primum tumulati, corpora vero Theodori & Sidini in aedem S. Stephani translata dicuntur. Ecclesia autem sancti Leonis sedatis bellorum procellis tandem instaurata, in parochialem ecclesiam S. Leonis nomine paucissimi gregis transiit, quae iterum a Normannis destructa & adhuc instaurata, tertiae subjacuit ruinae an. 1015. Denique cum structura, reditibus & populi multitudine caeteris minor esset, ab Octavio archiepiscopo circa annum 1644 parochiae S. Nicolai in eodem suburbio annexa fuit & unita.

II. S. Remy. Quod in honorem S. Mauricii prius ad meridionalem urbis plagam ipsiusque muris contiguum constructum volunt monasterium, aliquanto post S. Remigii Remorum archiepiscopi sumpsit nomen quod ad finem usque religiosissime servavit. Ut autem regum, archiepiscoporum, comitum aliorumque procerum donis impense locupletatum fuit, sic fortunae ludibriis toties oppetitum, ut tandem oppressum fuerit vixque ejus supersit memoria. Primo quidem quum ex substantia monasterii per divisionem olim factam imminuta totum quod poterant extorquerent archiepiscopi, monachi paupertate coacti, vitam quaeritando longe lateque vagari coeperunt, sicque perturbatus ordo disciplinaque regularis pessumdata. Huic ut mederetur incommodo Ludovicus Augustus dato an. 822 diplomate cavit ne ex rebus monachorum aliquid subtrahere praesumerent episcopi. Monachis in ordinem redactis, libram unam legavit Ansegisus abbas Fontanellensis testamento condito anno 831, & Rothlaus nobilis matrona vidua Meginarii villam Vallilias quae ab urbe octo passuum millibus distat super fluvium Vedennam largita est. Huc monachos tum ob prioris loci importunitatem, tum ob inopiam transtulit Aldricus archiepiscopus, translationemque regia roboravit auctoritate Ludovicus pius XVI cal. Dec. 835. Aldrici successor Wenilo chartam ejus confirmavit in concilio Senonensi an. 840, basilicam perfecit dedicavitque, ac corpus S. Valeriani martyris illuc transtulit, diplomaque Ludovici pii renovans privilegium a Carolo rege impetravit an. 848, aliudque pro translatione an. 853. Ansegisus quoque anno 876 ad Vallilias transtulit corpus S. Romani quod ab Hugone abbate S. Germani Autissiodorensis impetraverat. Verum Normanni ex urbe Parisiorum Senonas ascendentes pridie calendas Decembris an. 886, vastarunt omnia, ecclesias destruxerunt, monasteria succenderunt, interea coenobium S. Remigii ad Vallilias situm solo tenus diruerunt. Destructo monasterio Suavi successori Bovoni visum est ut illud tutiori loco restrueret, nempe apud Senonas in ipso suburbano praediolo, ubi positum primitus fuerat, qui locus & situs opportunitate & fluminis praeterfluentis amoenitate restituendo monasterio aptissimus videbatur. Tertium anno 1033 abbatia S. Remigii ab exercitu Henrici regis Senonas pro Gelduino archiepiscopo obsidentis direpta est & incensa. Cives ipsi Senonenses metu quorumdam regni perturbatorum qui, ut ait Ivo epist. 70, ad haec omni studio vigilabant ut aut regnum in aliam personam transferretur, aut non modice minueretur, ecclesiam noviter constructam demoliti sunt, polliciti eam se restituturos an. 1114, quod nusquam praestiterunt. Anno 1358 ob crebras Anglorum excursiones, jussa est a Carolo delfino, patre in Anglia captivo, urbs Senonum fossis circumdari, ideoque ecclesia S. Remigii cum aliis subversa penitus est. Denique ne civitati damno esset coenobium pro sexta vice desolatum fuit, funditusque ab ipsis incolis dirutum timentibus Calvinistarum furorem effraenatamque rabiem qui loca sanctissima praesertim juxta fluvios Ligerim, Sequanam & Icaunam vastabant & depraedabantur. Exinde solis remanentibus ruinis monachi in diversis Senonum ecclesiis divinum officium persolvere coacti sunt, donec anno 1638 portio conventualis S. Petri monachis, abbatialis vero clericis Missionariis apud Versalias parochorum officio fungentibus unitae fuerunt anno 1674. En aliquot abbates tot ex cladibus superstites.

Charta II, col. 2. — Chart. III, col. 3. — Ch. VIII, col. 10.

I. Madegisilus ut Lupi Senonensis episcopi sedem occuparet cum Farulfo duce consociatus, Chlotarium regem suis criminationibus ita commovit uterque ut Lupum in Vinemacum Neustriae pagum jusserit relegari, qua de re indignati Senonenses in basilica S. Remigii Madegisilum abbatem tanti facinoris reum trucidarunt.

II. Remedius.

III. Dagobertus.

IV. Decterius.

V. Alecon.

VI. Eremericus.

VII. Hircocontius.

VIII. Dacapertus I.

IX. Nicardus.

X. Adhebertus I.

XI. Dacapertus II.

XII. Dodonus.

XIII. Adhebertus II.

XIV. Badolenus.

XV. Artbertus ad quem Wenilonis archiepiscopi & Arduici ejus fratris amplissimum exstat diploma variarum donationum monasterio S. Remigii concessarum: alius forte non est ab Ayrico quem Artbertum inter & sequentem medium inseruit Buretellus.

XVI. Ravilandus vir nobilis, quo adhuc vivente Wenilo archiepiscopus basilicam sancti Remigii ad Vallilias ab ipso aedificatam dedicavit cal. Nov. 846, illucque detulit corpus sancti Valeriani martyris. Ibidem sepultus est XII cal. Januarii.

XVII. Radulfus, jubente Wenilone archiepis-

copo, Ravilando successit, de quo hæc scribit A auctor libri miraculorum S. Romani:

Erat tunc abbas sapiens,
Orator & rhetoricus,
Doctus & liberalibus
Disciplinis in omnibus
Rannulfus vir egregius
Qui sancti tunc Remigii
Regebat monasterium.

XVIII. Ermengil.

XIX. Suavus cujus tempore Normanni quod ad Vallilias Aldricus & Venilo construxerant B S. Remigii monasterium solo æquarunt anno 886, monachis cum corpore S. Romani Senonas confugientibus.

XX. Bovo Suavi successor destructo apud Vallilias monasterio in suburbano apud Vallilias prædiolo illud restituit, ubi olim positum fuerat, & corpus S. Romani illud transtulit circa 892.

XXI. Gualo.

XXII. Odelfredus.

XXIII. Natrannus anno 955 abbas Ferrariensis, S. Remigii, S. Petri & S. Eraclii, harum abbatiarum bona partim propinquis distribuit, partim divendidit, ut Nivernensem episcopatum C compararet.

XXIV. Joseph. Circa id tempus monasterium denuo eversum est ab Henrico Francorum rege Senonas obsidente anno 1033.

XXV. Winemannus anno 1058 Frotmundo comiti Senonensi & Gibertæ ejus uxori concessit medietatem villæ Burrosæ. Corpus S. Romani ad Pontum villam sitam ad Icaunæ fluvium ab iniquis pervasoribus vexatam deferri jussit.

XXVI. Frodo.

XXVII. Richerius vir Deo plenus & cunctis amabilis.

XXVIII. Odo privilegium ab Henrico rege D anno 1060 impetravit, cui subscripsere Anna regina, Philippus rex, Mainardus archiepiscopus, &c.

XXIX. Haymo.

XXX. Guillelmus I convenit cum Drogone Berengerii filio de justitiis villæ *Scabias* coram Richerio archiepiscopo, qui concessit ecclesiam Ch. XIV, col. 14. S. Baldi an. 1081. Obiit Willelmus XIV cal. Junii 1108, ex chronico S. Petri. Memoratur in rotulo Mathildis Cadomensis abbatissæ.

XXXI. Guillelmus II ex monacho S. Petri vivi fit abbas S. Remigii, expetitus a monachis, & a Daimberto episcopo concessus & ordinatus E idibus Junii 1108.

XXXII. Stephanus I de quo Buretellus: » Cœpit ædificare a fundamentis magnam ecclesiam S. Remigii ex lapidibus quadratis, & ad plenam perfectionem & consummationem deduxit anno 1114, posuitque ibidem in magna turri quæ erat ante porticum, campanas ad decorationem ecclesiæ & ad ædificationem populi. Igitur perfecta ecclesia, & campanis & ornamentis decorata, rumor bellorum supervenit subito in regno Franciæ & adeo excrevit, ut omnes formidine stupefacti adventum inimicorum formidarent. Proh dolor! nam cives civitatis ad prædictum abbatem & monachos adierunt, rogantes ut supradicta ecclesia demoliretur & ad nihilum deduceretur, ne supervenientibus hostibus hostiliter civitatem debellarent ac incenderent, promittentes sub jurejurando post ruinam se ipsos propriis expensis eam se esse facturos, & in prædictum statum reddituros. Sicque destructa fuit nobilis hæc ecclesia, & nusquam ab ipsis est reædificata ut promiserant cives: unde Stephanus abbas & rector præ nimio dolore animi diem clausit extremum, & sepelitur in parva ecclesia ante altare B. Mariæ Virginis, sub tumba lapidea, anno Domini M.CXXII, cum tali epitaphio »:

Hoc in sarcophago jacet abbas, cujus imago
Cernitur exterius, Stephanus ille pius,
Hic bonus, hic melior, hic optimus in bonitate,
Actor & ecclesiæ pater hujus, capsa sophiæ,
Hic jacet in petra, sed spiritus ejus in æthra
Conregnans in Christo, quia revixit in isto.

XXXIII. Guillelmus III memoratur in charta Gaufridi Barbelli pro Vallelucenti.

XXXIV. Gerardus I præerat annis 1135, 1139 & 1145, ex chartis Dei-loci. Prulliacensi monasterio quasdam decimas concessit an. 1140, ad preces Henrici archiepiscopi & Bernardi abbatis.

XXXV. Caddo obiisse dicitur anno 1151 in chirographis.

XXXVI. Stephanus II frater Gaufridi *Bulen* & Milonis abbatis S. Petri Melodunensis, testis fuit anno 1155 compositionis inter monachos Charitatis & Dei-locenses. Quasdam decimas sub annuo censu concessit anno eodem Prulliacensibus monachis, præsente Norpaudo Vallislucentis abbate. Huic anno 1159 Hugo archiepiscopus confirmavit omnes monasterii possessiones. Memoratur in chartis Prulliaci annis 1162, 1163, 1166, 1167, 1170, 1171. Adfuit Guillelmo Vizeliacensi abbati in conventu a Ludovico VII rege apud Moretum habito anno 1166. Guillelmus archiepiscopus confirmavit ei omnia monasterii bona anno 1176. Charta LX, col. 52. Legitur 1177 in literis Guidonis archiepiscopi pro Ripatorio, & 1182 pro S. Dionysio & Ludovici vicecomitis Melodunensis pro Deiloco. Reditus ad procurandos infirmos assignavit anno 1183.

XXXVII. Bartholomæus quondam abbas dicitur in charta sequentis.

XXXVIII. Milo I anno 1188 fundationem prioratus S. Leodegarii apud Vallilias, quam Bartholomæus quondam abbas inceperat, ad preces parentum ipsius Bartholomæi auxit. Occurrit 1191 in chartis S. Germani a Pratis. Arbiter fuit unus anno 1192 in causa inter Radulfum abbatem S. Columbæ, & Milonem de Montiniaco pro decimis de Villa-nova comitis. Ratam habuit compositionem quam Gerardus & Stephanus abbates ejus decessores cum monachis Prulliacensibus fecerant.

Digitized by Google

XXXIX. Laurentius.

XL. Guillelmus IV in quodam venditionis instrumento reperitur an. 1197.

XLI. Evrardus occurrit 1198 in charta Prulliaci.

XLII. Fulco monasterio S. Remigii præerat jam an. 1201. Reperitur 1204 in chartis Dei-loci & 1207 mense Martio in Prulliacensibus. Insequenti an. 1208 societatem iniit cum Guidone abbate sancti Remigii Remensis, a quo in signum mutuæ caritatis accepit reliquias de brachio S. Stephani, de capite S. Gibriani, digitum S. Remigii & digitum S. Hilarii, &c. Societatis literæ exstant in veteri codice MS. Senonensi S. Remigii, Fulconis ut videtur ætate conscripto, quarum authenticum in Remensi sancti Remigii monasterio se vidisse olim testatus est Marlotus. Fulco autem nonnulla emit 1212 mense Nov.

XLIII. Stephanus III annis 1214 & 1219, memoratur in chartis Prulliaci. Hoc ultimo cum Hugone abbate S. Petri convenit ad resistendum archidiacono qui eorum monasteria suæ jurisdictioni subjicere contendebat.

XLIV. Jacobus I vir genere nobilis, sapiens & castus, an. 1231 mense Martio invenitur. Galterio archiepiscopo obedientiam promisit. Obiit 1240 die 4 Julii, sepultus in parva ecclesia S. Remigii, juxta gradum majoris altaris, cum hoc epitaphio:

Hoc in sarcophago Jacobi requiescit imago
Abbatis cujus opus est fundaminis hujus.
Sobrius & sapiens fuit atque pudicus
Providus & sapiens, constans unicus amicus,
Lilia conveniunt sibi virginitatis honore,
Seque rosæ folio caro nam macerata labore:
Anno milleno ducento quadrageno
Quarta mensis Julii vincla subit * *populi.*
Qui legit hæc metra, rogitet Deum ut locet in astra,
Quem tegit hæc petra, ne sit caligine tetra.

* al. *solvit.*

XLV. Johannes I *de Cornaute* nobili prosapia ortus an. 1240 electus, a Gilone archiepiscopo benedictus est, cui promisit obedientiam.

XLVI. Guillelmus V 1255. obedientiam promisit Giloni archiepiscopo. Capsam S. Valeriani martyris anno 1256 aperuit. Reliquias S. Romani in pretiosiorem thecam anno 1262 transtulit, præsentibus Gaufrido S. Petri vivi, Guillelmo S. Johannis & Clemente S. Pauli abbatibus.

XLVII. Guido.

XLVIII. Johannes II *de Joigny* ex genere & familia comitum Joviniacensium 1278, adfuit solenni professioni Carnotensis episcopi in ecclesia Senonensi an. 1280.

XLIX. Theobaldus de Angelis, *al.* Bougetus, in capitulo anni 1293 commutavit reditus anniversarii Johannis *de Cornaute*. Exstat ejus sigillum in instrumentis annorum 1298 & 1299.

L. Guillelmus VI ex monacho S. Columbæ abbas S. Remigii 1299, transegit anno 1300 cum Gaufrido abbate Vallis-lucentis pro quibusdam juribus, quo anno Petrus *Remy* Franciæ thesaurarius reditus administrabat œconomus. Guillelmus anno 1306 pollicitus est Galterio famulo Stephani *Bequard* archiepiscopi portionem monachi quoad viveret, grati erga episcopum animi causa.

LI. Olivarius successit Guillelmo.

LII. Hycherus.

LIII. Stephanus IV papæ thesaurarius.

LIV. Gaufridus I de Cornella idem forte qui anno 1342 fundavit missam quolibet Sabbato in honorem beatæ Virginis. Defunctum dicunt 1303, sed perperam.

LV. Girardus II de Cuceyo ex monacho cellæ Trecensis abbas S. Remigii, post 20 regiminis annos obiit, inquiunt, die Martis 12 Oct. 1323, quod non quadrat, sepeliturque ante altare B. Mariæ sub tumba lapidea. Certe Girardus, an alius? Reperitur annis 1357 & 1360 in chartis domesticis, cumque forte incœpisset 1343, forsan obiit 1363. Destructa fuerat anno 1358 ecclesia ob incursiones Anglorum.

LVI. Thomas de Collatoriis ab anno 1363 ad 1364 præfuit. Adstitit translationi reliquiarum S. Lupi an. 1375 factæ a Johanne sancti Johannis abbate, a Guillelmo archiepiscopo specialiter deputato. Obiit 15 Oct. 1384, sepultus in medio chori, & sequenti decoratus epitaphio:

In hoc loco est humatus
Vir valens de nocte natus,
Ipse Thomas nominatus,
De Colors *cognominatus,*
Abbas fuit hic levatus,
Virtutibus decoratus,
Præfuit omnibus gratus
Annis viginti cum uno,
Post quos Christi millesimo
Una cum trecentesimo
Octuagesimo quarto
Octobris quinto decimo
Quievit in vero Deo,
Anima fruatur eo.

LVII. Guillelmus VII *Guillard,* al. *Gaillard,* regi a consiliis 1384. Plurima acquisivit mense Nov. 1387. Parisiis studebat an. 1401. Procuratorem instituit anno 1402, qui jura ipsius adversus archidiaconum defenderet. Litigabat cum monachis 1407. Præerat adhuc 1408.

LVIII. Guillelmus VIII *Copault.*

LIX. Gaufridus II de Brisselleo consensit an. 1426 ecclesiam S. Symphoriani uniri ecclesiæ S. Romani.

LX. Johannes III *le Prostat* Ludovico archiepiscopo obedientiam juravit. Obiit mense Septembri 1439.

LXI. Guerinus *de Ceaute* data a Ludovico archiepiscopo eligendi licentia 17 Oct. 1439,

Digitized by Google

communi fratrum voto electus, obedientiam promisit Ludovico archiepiscopo. Cum parocho de Echefiis transegit anno 1443. Caput S. Romani in pretiosiorem thecam a Ludovico archiepiscopo transferri curavit anno 1446, præsentibus Guidehardo S. Columbæ, Guillelmo S. Petri, Petro S. Johannis & Matthæo S. Pauli super Vedennam abbatibus. Transegit an. 1459 cum abbate S. Victoris Paris. Prata cessit monachis 1473, & ferrarias fabricas apud *Montalam* pro tribus anniversariis 1 Febr. 1474. Cum monachis an. 1478 constituit procuratores ad litem prosequendam occasione dictarum fabricarum. Obiit 1480 mense Augusto.

LXII. Guillelmus IX *Lourdelat* an. 1480 electus benedictionis munus obstante Tristando *de Salazard* archiepiscopo, qui nominatus a rege abbatia donatus fuerat a summo pontifice, obtinere nequivit; septimo suæ electionis anno peste interiit.

LXIII. Tristandus *de Salazard* archiepiscopus Senonensis, quem a rege nominatum & a summo pontifice confirmatum jam diximus an. 1481, post obitum Guillelmi abbatiam tenuit fere ad mortem quæ contigit 11 Februarii 1519. Abbas quoque S. Columbæ, S. Petri de Calmis, sancti Martini Æduensis, testamento 1517 condito nonnulla legavit S. Remigio pro anniversario.

LXIV. Johannes IV *de Salazard* Tristandi ex fratre nepos archidiaconus Senonensis, abbasque S. Martini Æduensis & S. Columbæ, necnon prior de Fonte in bosco, per cessionem patrui abbas successit III cal. Sept. 1518. Obiit VI cal. Dec. 1539. Jacet in ecclesia cathedrali.

LXV. Guillelmus X *de Mirемont* dominus *de Gucul*x sedis apostolicæ protonotarius & prior Senuci, præerat anno 1540; quatuor campanas conflari jussit anno 1551. Præerat adhuc anno 1564. Postea cessit in gratiam sequentis.

LXVI. Reginaldus *de Bezannes* ex sorore Guillelmi nepos, monachus S. Dionysii fit prior S. Baldi & avunculi negotiorum procurator, quo cedente locum ejus occupavit. Reginaldi tempore monasterium ab oppidanis solo æquatum 1567, fugati monachi & chartæ deperditæ Calvinistarum metu. Defunctus 1584 Reginaldus, jacet in ecclesia Laudunensi.

LXVII. Valentinus *Douglas* episcopus Laudunensis anno 1584 reformari per monachos congregationis Casalis-Benedicti monasterium S. Remigii curavit: sed rerum penuria reformationem illam diu stare non permisit. Permutavit anno 1594 pro præpositura *de Tremolle* diœcesis Laudunensis cum sequenti.

LXVIII. Michaël *de Chambellan* Laudunensis S. Vincentii monachus, nominatus quidem a rege fructus percepit ab anno 1595, sed cum propter inopiam bullas impetrare non posset, jus suum cessit cardinali Perronio an. 1605.

LXIX. Jacobus II *Davi du Perron* cardinalis & archiepiscopus Senonensis obiit 1618.

LXX. Johannes V *Davi du Perron* Jacobi germanus & archiepisc. Senonensis obiit 1621.

A LXXI. Milo II *de May* canonicus Senonensis & decessoribus ab eleemosynis, nominatus quidem est, sed bullas obtinere nequivit, & cum sequenti permutavit.

LXXII. Egidius *Boutault* anno 1625 fidelitatis sacramentum a feudatariis exegit. Postea factus episcopus Adurensis, cum sequenti permutavit anno 1633.

LXXIII. Victor *Bouthillier* anno 1633 fit abbas S. Remigii, postea episcopus Boloniensis, abbas S. Victoris Massiliensis, ac tandem archiepiscopus Turonensis. Cessit an. 1638.

LXXIV. Martinus *Meurisse* plebeiis in Pi-
B cardia parentibus natus, ex religioso S. Francisci fit episcopus Madaurensis & coadjutor Metensis, tum permutatione facta prioratus Bellimontis in Pertico commendatarius S. Remigii an. 1638. Reditus monachorum abbatiæ S. Remigii monachis S. Petri adjudicari, & abbatiam utramque a monachis S. Mauri reformari procuravit anno 1638, quod a rege 26 Januarii, & a senatu Parisiensi 4 Martii 1674 confirmatum est. Obiit Martinus an. 1644.

LXXV. Johannes VI *Aubert* presbyter, doctor sorbonicus, linguarum Græcæ & Latinæ regius interpres, necnon Laudunensis apud Pa-
C risios collegii præfectus, per cessionem Martini fit commendatarius an. 1644. Obiit 25 Jan. 1650.

LXXVI. Henricus *de Gondrin* archiepiscopus Senonensis, abbatum ultimus, abbatiæ S. Remigii reditus ecclesiæ parochiali de Versaliis uniri permisit an. 1662. Obiit 1674, quo anno Missionarii unionis diploma a rege die 6 Octobr. & bullam a summo pontifice IV non. Oct. 1676 obtinuere.

In agro Stampensi simplex est capella antiquæ fabricæ, ubi olim sanctimonialium abbatia fuit Brunechildi reginæ attributa, ubi quoque sub exi- III.
D guo fornice capsula anno 1648 reperta est, continens inter alia caput S. Juliani martyris, quod Severinus attulit de Antiochia civitate temporibus Brunechildis reginæ. Hanc Ermauricus Stampensis oppidanus contulit ecclesiam Mauriniacensibus monachis an. 1106.

Parthenonem S. Symphoriani sæculo septimo condidisse fertur Mederius archiepiscopus Senonensis in suburbano prædio, sub cura & regimine monachorum S. Remigii. Monialibus vero ab Ansegiso propter bellorum incursus ablegatis, illa cœnobialis ecclesia in parochialem transiit ab
E eodem Remigiano monasterio dependentem. IV. S. Symphorien.

Arnulfus archiepiscopus Senonensis ad radices Montis-Peronii seu sancti Baldi juxta fluminis alveum S. Medardi cœnobium pro monialibus ædificavit, in quo sepeliri voluit. Postea sævientibus Normannis, sacrisque virginibus alio migrare jussis, locus iste sensim periit, sola hactenus stante cruce lapidea, ad quam Senonenses canonici votivis honoribus & annua processione sistuntur, ubi trina Medardi nominis invocatione sancti præsulis merita recoluntur. V. S. Medard.

Monialium cœnobium sub invocatione sancti Mauricii & sociorum ad pontem Icaunæ qui VI. S. Maurice.
urbi

Digitized by Google

urbi adjacet construxerat Landebertus archiepiscopus. Hujus parthenonis abbatissa fuit S. Avelina quæ colitur in ecclesia parochiali quæ monasterio successit.

VII & VIII. S. Hilaire & S. Maximin. Raimberti archiepiscopi consilio ac precibus Aspasia nobilis matrona Senonensis, duo monialium fundavit monasteria seculo exeunte octavo, unum sub nomine S. Hilarii Pictaviensis episcopi extra muros, alterum in honorem S. Maximini Trevirensis infra muros civitatis, in quibus per longa tempora sanctitas & religio floruere, sed temporis lapsu ac bellorum supervenientium injuriis utrumque dirutum ac in ecclesias parochiales redactum est. Meminisse juvat moniales ab Ansegiso Normannorum metu anno 876 ex urbe ablegatas fuisse.

IX. Notre-Dame du Charnier. Ad sinistrum portæ orientalis Senonum latus e regione monasterii S. Leonis, solo itinere quod Trecas vergit intermedio, sanctimonialium cœnobium fundatum fuit sub nomine B. Mariæ de Ossuario dictum, vicinum quippe Pomærio in quo defunctorum corpora sepeliebantur. Hujus auctor creditur Carolus magnus qui caput beati Quiriaci martyris a Jerosolymis asportatum cum reliquiis B. Mariæ ibi recondidit. Commanebat autem in eodem parthenone maxima monialium multitudo, quas Ansegisus sacrilegas paganorum manus metuens ablegavit. Et certe paulo post irruentes Normanni multas in hac provincia ecclesias destruxerunt: in his basilica S. Mariæ ante civitatem mirifico opere constructa funditus eversa est. Destructæ vero ecclesiæ condolentes Hilduinus & Andreas duo presbyteri alteram in honorem ejusdem Virginis ædificaverunt in fundo ipsius basilicæ, ubi posuerunt reliquias cum S. Quiriaci capite, possessiones & chartas restaurarunt, eidemque loco omnia sua reliquerunt. Superstitibus illis magno honore floruit locus, sed post illorum decessum ad magnam ruinam devenit. Archiepiscopi namque maximam illius hereditatis partem ipsamque ecclesiam militibus tradiderunt, ex quibus Bernardus archiclavis eam quantum potuit adgravavit, dans terras & prædia suis militibus, quæ deperditis incuria sacerdotis qui illic deserviebat ecclesiæ chartis & testamentis oblivioni prorsus sunt tradita. Rainardus vetulus comes castrum Joviniacus dictum in illius possessione firmavit. Grimerio abbate hujus ecclesiæ & archiclavi S. Stephani qui Rainardo suffectus forte fuerat, defuncto, Leotericus archiepiscopus abbatiam Frotmundo comiti Rainaldi filio ad opus Rainaldi clerici filii ipsius in beneficium dedit. Is autem quidquid boni adhuc supererat militibus suis in beneficium tradidit, Bernardo tunc loci presbytero. Mortuo Frotmundo, filius Rainardus comes post civitatem ab archiepiscopo regi traditam an. 1015, vastans omnia per circuitum tribus diebus, inter alias basilicam S. Mariæ cum suburbiis incendit. Attamen defuncto paulo post fratre ejus Rainardo archidiacono, qui abbatiam tenebat in beneficio, ut diximus, dedit eam Leotericus archiepiscopus Leoterico præcentori, qui cœpit eam restaurare per manum Bernardi presbyteri, perfecit cancellos & sex clericos in

A ea instituit. Grimerius successit Leoterico ex Buretello, & Grimerio Gerbertus, qui ex monacho S. Petri factus abbas S. Mariæ foris muros anno 1034, inde translatus est ad S. Petrum an. 1046. Denique an. 1078 Richerius archiepiscopus monachos de Caritate collocavit in ecclesia S. Mariæ ante portam, sicque pro Cluniacensium more abbatia in prioratum evasit, in quo regularis disciplinæ observantia viguit ad annum 1180, quo in vigilia SS. martyrum Gervasii & Protasii gravi incendio crematum cœnobium absque monachis per multos remansit annos. Rodulfus tamen prior B. Mariæ legitur
B an. 1198 in chartis S. Columbæ, & Robertus 1284 in tabulis S. Johannis. At anno 1358 ob crebras Anglorum excursiones, una cum aliis monasteriis quæ extra urbem exstructa erant, quartùm penitus subversum est monasterium B. Mariæ, ne urbs inimicorum insidiis pateret. Biennio post Guillelmus archiepiscopus in successorum gratiam a priore B. Mariæ comparavit an. 1360 dominium clientelare & jus dominicum in villam *de Granchette*, monachosque vicissim a jure procurationis exemit. Quintam adhuc prioratus perpessus est, an. 1417, ruinam, succensus nempe a Burgundis, sextam denique
C a militibus Senonensis præsidii, qui ne Calvinistis præsidio forent, huic & vicinis domibus ignem admoverunt. Parva nunc superest & humilis ecclesia cujus reditus cesserunt commendatariis, quæ maximo fidelium concursu frequentatur tum ob singularem B. Virginis devotionem, tum etiam propter insignes reliquias quæ inibi asservantur.

In urbe Miliduno ad Sequanam collegium exstat canonicorum, ubi sanctimonialium habitationem fuisse tradit Galterius monachus in libro de miraculis S. Leonii confessoris. Hanc abbatiolam S. Mariæ sitam intra castrum Mildunum X.
D vocat Carolus simplex in diplomate, quo ad preces Adelaïdis genitricis suæ, & Erchengeri comitis, cuidam fideli suo Teudrico usufructuario vel beneficiario jure pro ejus vitæ tempore eam concessit XII cal. Sept. indict. IV, anno regni VIII, Christi 901. Monasterium illud cum alia ecclesia in Meloduno castro ædificatum fuisse a Roberto rege auctor est Helgaudus in vita ejusdem. Abhinc monialibus substituti canonici sub abbatibus secularibus conversabantur, quorum tres tantum recenset Rouillardus in historia Milidunensi, Gaufridum anno 1033, Stephanum 1181 & Simonem de S. Dionysio 1318.
E Reliqua quæ ad hanc pertinent ecclesiam videsis ibid. p. 278 & seq.

Radulfus rex ad preces Ansusi episcopi Trecensis & Gausfredi comitis, *caput abbatiolæ sancti Pauli Senonicæ civitati contiguæ* confirmat Adelardo fideli suo & uxori ejus Plectrudi & nepoti Gailoni V cal. Januarii, indict. VI, regni 8, apud Perardum p. 163, ubi loco 8 lege 11. XI. S. Paul.

Burchardus miles filius Alberici ducis cum consensu Hildegardis uxoris suæ & consilio Theobaldi domini de Centumliis fratris ejus, allato ex Anglia de dono Ædredi regis S. Pavacii con- XII. Bray-sur-Seine.

fessoris corpore, cœnobium monachorum Perforæ quos secum adduxerat, cum basilica Salvatori sacra prope Brajacum super Sequanam fluvium construxit, eoque reliquias SS. Paterni martyris & Pavacii transtulit temporibus Hildemanni Senonensis archiepiscopi, cujus ad preces Lotharius rex 10 Decemb. regni anno 5, regia totum auctoritate confirmavit. Ast interjectis annis aliquot cum miles quidam Boso nomine, vivente adhuc Hildegarde Burchardi uxore munitionem vi cœpisset, & vicina deprædatus fuisset loca, inde offensus Rainardus comes, ipsam munitionem incendit cum basilica Salvatoris, captoque Bosone reliquias SS. Paterni & Pavacii Senonas retulit, quas postea tamen proprio restituit loco rogatu Theobaldi comitis, in cujus ditione locus iste consistebat. Clarissimus alter ac pius comes Odo nomine, de restauranda Bonavalle Castridunensi sollicitus monachis ad victus supplementum inter alia Brajacum dedit an. 967, hereditario jure sibi a quodam Boreardo relictum cum ecclesia Salvatoris. Eo in loco hactenus cella est Bonnevallensi abbatiæ subjecta.

XIII. Robertus rex ædificavit monasterium S. Mariæ in Stampensi castro. Item in ipso castro ecclesiam unam in palatio. Ita Helgaudus in vita Roberti. Hæc autem illa est ecclesia collegiata & parochialis B. Mariæ cum palatio apud novas Stampas sita, quam Robertus rex fundavit & dotavit, confirmavereque filius ejus Henricus & nepos Philippus ipsi quoque reges. Monasterium quidem dicitur ab Helgaudo sicut monasterium S. Aniani & monasterium in Meleduno castro, ubi olim fuisse, vel monachos constat vel moniales. In hoc quoque monasterio ut Deo militarent, Philippum regem sollicitarunt Flaviacenses monachi qui Mauriniacum tunc tenebant: unde proclive est credere aliam non fuisse monasterii Stampensis, ac aliorum quæ tunc ædificavit seu restauravit Robertus conditionem. Unus contradicit historicus Stampensis qui præfracte negat monachos ante canonicos illic fuisse conversatos, nec nos ullum qui prius exstiterint monachorum reperimus vestigium. Forte abbatia fuerit secularis, sicut S. Exuperius Corboliensis. Hos tantum novimus abbates quibus successere cantores.

I. Barnodalius occurrit an. 1082 in charta Philippi regis, & 1103 in charta Daimberti archiepiscopi.

II. Paganus bullam obtinuit a Callixto II die 3 Decemb. 1118. Subscripsit chartæ Ludovici VI regis, annualia præbendarum concedentis ecclesiæ S. Victoris anno 1125.

III. Henricus *de France* filius Ludovici VI regis, abbas regalium abbatiarum S. Mariæ de Stampis, S. Mariæ de Corbolio, S. Mariæ de Medunta, S. Mariæ de Pissiaco & S. Mellonis de Pontisara 1146.

IV. Philippus *de France* Henrici germanus anno 1155.

V. Johannes de Cathena abbas S. Petri de Monte-Letherico 1154. S. Mariæ Stampensis erat, cum Ludovicus rex in ecclesia Stampensi nundinas die festo Assumtionis concessit 1171,

A sicut eas habebat die mortis suæ Philippus abbas frater suus.

VI. Odo *Clement* ecclesiæ Paris. archidiaconus & abbas Stampensis, cum capitulo statuta edidit pro capellanis anno 1193. Bullam obtinuit a Lucio III an. 1185, VI cal. Novemb.

Beatæ Mariæ de Soysiaco juxta Pruvinum sitæ abbas erat Ricardus, cujus precibus Henricus Trecensium comes ecclesiæ benefecit an. 1155. In ea sepultus est ibidem defunctus Cantuariensis archiepiscopus. Modo prioratus est sancti Jacobi Pruvinensis a S. Quiriaco proveniens. XIV.

Fundata dicitur Noëreia ab Henrico Ludovici XV. La Noraye.
B VI regis filio, postea Remorum archiepiscopo, priusquam ordinem Cisterciensem professus fuisset, id est ante annum 1145. *Quoniam vero locus regimini & necessitati fratrum nequaquam poterat ministrare, sed omnimodo vitam & institutionem canonicam sua intolerabili inopia perturbabat*, ipsius curam in manibus Hugonis Senonensis archiepiscopi dimisit Gaufredus abbas. Adhuc memoratus abbas an. 1153 in chartis Pruliaci. Hugo autem de ipsius consensu monasterium contulit Garnerio primo abbati Castri-Nantonis circa annum 1150.

In generali ordinis Cisterciensis an. 1226 XVI. La Cour Notre-Dame-lès-Pont-sur-Gouvernay.
C capitulo delegati sunt abbates de Pontiniaco & de Sacra-cella ut curiam B. Mariæ visitarent, & si invenerint moniales sufficienter habere unde viverent, inclusasque esse juxta statuta capituli eas ordini sociarent, prout postulaverat archiepiscopus Senonensis. Sociatas autem fuisse inde liquet quod curiæ B. Mariæ abbatissa Gertrudis nonnulla emerit anno 1238 a Petro de Florigniaco, & 1239 ab Hugone de Balatorio, quæ comiti Campaniæ recognovit. Jam an. 1240 ad quadraginta numerus monialium excreverat, quarum abbatissa adhuc legitur Ermina *de Nantouillet* an. 1355. Qua de causa in prioratum
D desierit parthenon ignoramus, sed hunc cedente Richardo ultimo priore vacantem Vincentius abbas de Prulliaco jussus die 3 Junii 1481, monasterio Cistercii, cui immediate suberat, univit, quod gravia tempore bellorum sustinuerat damna, abbatibusque Vallis lucentis & Scarleiarum mandavit ut procuratorem Cistercii in possessionem inducerent. Richardus itaque abbas Scarleiarum dictum procuratorem in possessionem immisit 7 Junii 1481. Eodemque anno Sixtus papa ad preces Johannis abbatis Cisterciensis unionem hanc confirmavit bullis datis VIII idus Nov. pontificatus anno XI.

E Montis B. Mariæ prope Pruvinum virginum XVII. Mont-Notre-Dame près Provins.
monasterium ordinis Cisterciensis anno 1236 fundatorem habuit Johannem Boverium clericum, adstipulatores Bartholomæum fratrem & Amelinam & Aalidem sorores Johannis, probatorem Galterum Senonensem archiepiscopum an. 1237, præcipuos vero benefactores Theobaldum Briæ & Campaniæ comitem, qui anno 1245 monasterii bona confirmavit, ac variis postea prædiis dotavit, atque Theobaldum ejus filium qui patris sui beneficiis addidit nova anno 1261. Quatuor has tantum novimus abbatissas Ch. XCII, col. 70.

Digitized by Google

ad annum 1399. Gila prima extitit abbatissa. Obedientiæ juramentum præstitit Galtero archiepiscopo. Reperitur in charta anni 1246.

Hodierna, cujus tempore cum conflagrasset monasterium, duas Parisios moniales misit anno 1298 mense Martio, quæ ad relevandas monasterii ruinas eleemosynas a piis fidelibus corrogarent.

Petronilla anno 1363 facultatem dat sorori Isabellæ accipiendi ab avunculo suo sexaginta solidos annui reditus.

Johanna *de Remi* vastato ab Anglis monasterio jussu Cisterciensis capituli anno 1399, in Thesaurum monasterium diœcesis Rotomagensis secessit, cujus postmodum extitit abbatissa. Reditus autem monasterii cœnobio Prulliacensi, cujus jurisdictioni suberat annexi fuere, ac per priorem Prulliaci monachum administrati, ut docet nos sequens statutum capituli generalis. *Anno 1399 die 14 Sept. apud Cistercium statuta sunt hæc in ejusdem ordinis Cisterciensis capitulo generali. Pie attentis & consideratis desolatione, paupertate & tenuitate redditiuum & bonorum temporalium monasterii monialium B. Mariæ de Monte prope Pruvinum, in quo paucissimæ religiosæ ibidem degentes ob tenuitatem & paupertatem ipsius monasterii vivere, victumque & vestitum habere nisi ad modum mendicantium minime valeant in dedecus & opprobrium, ac contra formam & statuta ordinis nostri hinc inde sibi quærendo & mendicando, capitulum cupiens pro posse præmissis obviare, districtissime præcipit & mandat abbati monasterii Prulliaci, patri abbati immediato dicti monasterii de Monte, ut quanto citius commode poterit, præfatis religiosis & monialibus tam in capite quam in membris de aliquo aut aliquibus monasterio seu monasteriis monialium, in quo seu in quibus religiose & honeste vivere possint provideat, præcipiens ipsum capitulum sub pœna excommunicationis abbatissis & conventibus ad quos religiosæ prædictæ per ipsum abbatem Prulliaci transmittentur, ut eas cum cæteris religiosis suis eisdem sufficienter providendo recipiant, ipsæque religiosæ sic transmissæ per præmissum abbatem sub eadem pœna & etiam carceris obediant. Quod quidem monasterium B. Mariæ de Monte cum tam sit immediate subjectum dicto monasterio Prulliaci, prædictum capitulum unit & incorporat tanquam membrum ipsi monasterio Prulliaci, ordinando & præcipiendo abbati ipsius monasterii Prulliaci, quatenus unum religiosum ad ibidem in qualibet septimana ad minus bis aut ter missam pro intentione & remedio animarum fundatorum & benefactorum ipsius monasterii de Monte celebrandam instituat & ordinet, non per modum prioris, sed solum ad nutum & voluntatem prædicti abbatis. Omnes quoque & singuli redditus, census, proventus ac cætera alia bona mobilia & immobilia ad dictum monasterium B. Mariæ de Monte spectantia & pertinentia de cetero pertinebunt præfato monasterio Prulliaci, sitque membrum ipsius; in præmissis tamen prius habito consensu domini nostri regis Franciæ & ipsius monasterii de Monte fundatorum.* Hujus virtute statuti ab anno 1400 soli proventus monasterii B. Mariæ de Monte tenuere priores monachi Prulliaci ad annum 1647, quo Nicolaus *des Lyons* Prulliacensis monachus, baccalaureus in Remensi universitate, prior Montis B. Mariæ, annuente abbate Cisterciensi, illud monialibus dimisit, cessione a summo pontifice v idus Jan. 1648 accepta & approbata. Hæ autem abhinc rexere abbatissæ usque ad ultimam destructionem.

I. Martha *Dauvet des Marets* filia Gaspardi *Dauvet* comitis *des Marets* equitis torquati, & Elisabethæ *Brulart de Sillery*, monialis primum, dein per triennium abbatissa Montis S. Catharinæ, ordinis S. Claræ, a Ludovico XIV regium diploma accepit 9 Maii 1648 ad regendam abbatiam Montis B. Mariæ, quo accepto, accedente summi pontificis consensu, in Benedictinarum monialium urbis Pruvinensis parthenonem se recepit, ut ad præscriptum regulæ S. Benedicti mores & vitam informaret, ac demum habitu ordinis induta, ac regulari professione emissa, possessionem adepta est an. 1641, sed abbatiam duobus tantum annis tenuit, defuncta 22 Sept. 1653, annos nata 42.

II. Johanna Gabriëlis *Dauvet des Marets* filia Nicolai *Dauvet* comitis *des Marets* gubernatoris Bellovaci, & Christianæ *de Lantage*, annos duntaxat nata 12 a rege abbatissa designatur, monasterium interim regente Johanna *Charde* Monasterii-Villaris moniali, donec ad competentem ad vota religiosa pervenisset ætatem. Facta professione anno 1657, novo accedente regis consensu, virtute bullarum possessionem adepta est 16 Octobris 1658. Loca regularia restauravit, nec minus vitæ exemplo quam dignitate præfuit. Humilitate præsertim omnibus præfulsit, pinguiore recusata abbatia. Obiit 18 Oct. 1690.

III. Victoria-Christiana *Dauvet des Marets* ex priorissa a Ludovico XIV nominata abbatissa 1 Nov. 1690, bullisque donata, possessionem iniit 15 Oct. 1691; multa in monasterii sui commodum fecit, sequentemque coadjutricem accivit mense Nov. 1723.

IV. Christina *du Lyon* coadjutrix ab anno 1723, post Victoriam mortuam rexit, & ante mortem cessit anno 1736.

V. N. *de Maupeou* nominata est a rege 5 Maii 1740, ab eodemque ad Willencurtem in urbe Abbatis-villæ translata 1 Julii 1747. Qua deficiente defecit & parthenon, qui a regiis procuratoribus huic negotio specialiter delegatis rescissus abolitusque est.



Digitized by Google

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ numero sex supra viginti.

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

S. Petrus vivus, *Saint Pierre-le-vif.*
S. Columba, *Sainte Colombe.*
Ferrariæ, *Ferrières.*
S. Petrus Melodunensis, *Saint Pierre de Melun.*
Maurigniacus, *Morigny.*
Calma, *la Chaume.*

Feminarum.

Rosetum, *Ville-Chasson.*
Pomerium, *la Pommeraye.*
Campus-Benedictus, *Champ-Benoît.*

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

S. Johannes Senonensis, *Saint-Jean.*
S. Severinus Castri-Nantonis, *Saint Severin de Château-Landon.*
S. Jacobus Pruvinensis, *S.t Jacques de Provins.*
Jardum, *le Jard.*

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

Pruliacus, *Prully.*
Scarleiæ, *Eschaalis.*
Joyacum, *Jouy.*
Fons Johannis, *Fontaine-Jean.*
Vallis-lucens, *Veauluisant.*
Barbellum, *Barbeaux.*
Sacra-cella, *Cercanceaux.*

Feminarum.

Villarium, *Villiers.*
Gaudium, *la Joye.*
Lilium, *le Lys.*

Ordinis Præmonstratensis.

Virorum.

Dei-locus, *Dilo.*
S. Paulus, *Saint Paul.*

Ordinis S. Claræ.

Mons S. Catharinæ, *le Mont Sainte Catherine.*

Quibus ob dignitatem & nobilitatem subjungemus compendiariam parthenonis S. Dominici prope Montem-Argisum historiam.

S. Pierre le vif.

S. PETRUS VIVUS.

Sancti Petri vivi monasterium sic nuncupatur, non quod vivente adhuc Petro apostolo, sed quod in vico qui tam in actis passionis S. Saviniani quam in ipso fundationis diplomate Vivus dicitur constructum fuerit. Situm est uno fere milliari ab Agedinco Senonum metropoli ad orientalem urbis prospectum medio in suburbio, quod ex ædibus circumpositis ita

A accrevit, ut vallis olim, fossis & propugnaculis munitum, his nunc disjectis, jam fere ad urbem continuis accolarum domibus pertingat. Saviniano cæterisque Gallorum Senonum apostolis prima loci hujus incunabula debentur. Is quippe eo se cum suis recipere solebat, ibique martyrio coronatus sepulturam accepit, successoresque ibidem condi cum eo voluere. Hoc loco crebris piorum votis frequentato martyrum memoria colebatur ad usque Theodechildem reginam quæ locum sacris illis pignoribus insignem in digniorem erexit statum, constructa ibi nobilissima B basilica, adjunctoque celebri monasterio, cui Amalbertum præfecit abbatem. Quænam autem fuerit Theodechildis illa? Sunt qui Clarii monachi Senonensis qui scripsit chronicon S. Petri editum tom. II Spicileg. maxime vero regii diplomatis quod Chlodovæi I nomen præfert auctoritate adducti Theudechildem reginam Chlodovæi ac Chrotildis filiam loci conditricem existimant, quæ Heraclio Senonensi episcopo suadente ante annum 507 huic operi manum admoverit. Hanc eamdem virginem ferunt, ne quid ipsi ad omnem gloriam defuisse videatur. Partes illas edito libro 1687 pro aris & focis C tuitus est noster Hugo *Mathoud.* At vulgatum Chlodovæi magni diploma quo uno nititur, omni ex parte commentitium, novam non meretur lucem. Odorannus, ineunte seculo XI, Senonensis monachus, in MS. chronico seu chronici parte mutilata apud Chesnium tom. II Theodechildem hanc scribit Chlotario regni monarchiam adepto, quod anno 559 exeunte contigit, S. Petri monasterium erexisse, quæ posterior epocha Carolo Cointio arrisit: sed utriusque partis vacillant argumenta. Nam Chlodovæi ac Chrotildis filiam quis credat, quam Gregorius Turonensis utriusD que liberis non accensuit. Virginem seipsam vel Deo devotam non prædicat in MSS. literis quæ vulgatis Chlodovæanis longe præstant. Communis itaque doctorum fert opinio a Flodoardo præconcepta Theodechildem illam fuisse Theoderici regis & Suavegottæ alterius uxoris filiam, Varnorum regi nuptam, cujus epitaphium & panegyricum cecinit Fortunatus, in quibus ejus conjugium & in condendis templis pietatem extollit, sed nec in ipsius Theudechildis epitaphio quod Odorannus edidit quidquam de virginitate ejus proditum est ut sequiorum temporum E fœtus ea laus audire mereatur. Theudechildis pium opus juvit Basolus Arvernorum comes, qui a Theoderico Austrasiorum rege comprehensus captivusque abductus an. 525, errati venia per Theudechildem impetrata tonsus in monasterio S. Petri pie decessit. Hic multa nec forte Theudechilde pauciora huic loco prædia delegavit, ex quibus Mauriacense cœnobium accrevit. Basoli hæc cum Theudechilde pietatis consortio non parum efficax probandis ejus natalibus videtur,

Digitized by Google

si quidem Theoderico regi ejusque filio Theodeberto parebant Arverni.

SS. Petro & Paulo Savinianus inter alios martyrii consortes patronus est adjunctus in Eugenii papæ III itemque Lucii III literis. Vix ullum Gallicis in oris sacrarium reperias, quod tot martyrum aliorumque sanctorum exuviis ditetur. Fulgent in primis plusquam 40 archiepiscopi Senonenses. Non mirum itaque tantæ subsequentibus episcopis venerationi fuisse hanc basilicam ut eam Emmo libertate donaverit in synodo anni 657. Sevinus voluit ut ejus abbas in conventibus primus post episcopum sederet. Episcopi in ipso solemnis ingressus pervigilio S. Petri ecclesiam subeunt, inde postridie metropolim adituri. Arcta quoque necessitudine rituumque communione clerici principalis ecclesiæ cum monachis S. Petri sunt conjuncti. Humanas vices sæpius expertum . est hoc asceterium; largiter dotatum ad nihilum fere redactum fuit. Suos quoque manes passa est disciplina regularis, cujus instaurandæ gratia acciti sunt superiori seculo ab Octavio archiepiscopo reformati congregationis S. Mauri monachi qui ædibus & moribus suum cuique decus restituere fategerunt.

ABBATUM SERIES.

I. AMALBERTUS primus abbas notus ex charta Theodechildis, præerat medio circiter seculo VI.

¶ Primos post Amalbertum S. Petri abbates ignorarunt Clarius & Odorannus ejusdem monasterii monachi & chronographi. Hi autem sunt qui ad nostram notitiam pervenere.

II. Aghilenus vir venerabilis in sancta religione fervens, regulam sancti Benedicti ritusque Luxovienses apud S. Petrum a D. Theodechilde regina quondam constructum induxit de licentia Emmonis aliorumque episcoporum a quibus privilegium libertatis impetravit anno 3 Chlotarii regis 658. Aghileno abbate, inquit Clarius, cœnobium illud singulare in his regionibus erat sanctitate ac religione.

III. Viraiboldus abbas erat anno 5 Chlodovæi III, quo XV calend. Jun. 695 Leotheria soror S. Ebbonis postea episcopi Senonensis nonnulla donat in Retiaco & Pauliaco villis pagi Latiscensis ut corpus suum in monasterio sepeliatur. Sunt tamen qui volunt Chlodovæum III annum regni non attigisse, aut saltem Maium mensem anni 695, quod si ita est post Chrodolinum amandandus foret Viraiboldus.

IV. Ebbo Tornodoro Burgundiæ castro oriundus, non minus virtutibus quam parentum nobilitate clarus extitit. Egressus ex ephebis post navatam literis operam Tornodorensis pagi administrationem quasi hereditario jure sibi debitam coactus populi interpellatione cepit. Verum ad altiora anhelans, monasterium S. Petri petiit, ubi admissus novus tiro brevi perfectissimi monachi numeros sic implevit, ut decedenti abbati Aghileno, ut volunt Clarius & Ebbonis vitæ scriptor, seu Viraiboldo juxta nostrum calculum, universorum suffragiis suffectus sit. Non diu talem ac tantum rectorem apud se retinere potuerunt ejus loci monachi; nam paulo post cum Senonensis metropolis sedes morte Goerici episcopi vacua esset, ejus locum abbas religiosissimus subire coactus est regnante Childeberto.

V. Chrodolinus præerat anno I Dagoberti III, quo XII cal. Nov. Ingoara altera Ebbonis episcopi soror, monasterio donavit portionem quam habebat in villa pagi Tornodorensis, Fontanis & in aliis pagi Ladscensis. Eo sedente Paternus Constantiensis in monasterio admissus. Ejus quoque temporibus monasterium a Saracenis Senonum urbem obsidentibus diruitur, nec fere mitiora fugatis illis tulit a Caroli Tuditis militibus, imo nec ab archiepiscopis qui bona ejus maximam partem invaserunt palantibus interim monachis & omni arte miseræ vitæ subsidia quærentibus. Vir religione inclytus dicitur a Clario Chrodolinus & sanctitatis opinione famosus.

VI. Bertemarius fuit abbas tempore Caroli magni & Raimberti archiepiscopi.

VII. Frodbertus sub Magno & Jeremia archiepiscopis vixit, quorum prior in monasterii fundo ecclesiam S. Salvatoris tumulandis canonicorum corporibus erexit; alter Frodberti rogatu Mauriacum in Aquitania cellam construxit, quod homines ipsius pagi, terras & prædia S. Petri quæ Theodechildis ejus conditrix, & Basolus Arvernorum comes ad stipendia monachorum ei contulerant, diriperent & in proprios usus retinerent. Locus Mauriacus dictus ab Jeremia Noviacus priscum hactenus vocabulum retinet. Illic monachi regulares constituti sub custodia Frodberti abbatis ejusque successorum, qui villas & ecclesias eidem abbatiæ subjectas in Aquitaniæ pagis Arvernico & Lemovicensi administrarent. Jeremias idem & cum eo Frodbertus abbas privilegium a Ludovico Augusto de eadem cella omnibusque appendicibus cœnobii S. Petri impetrarunt. In alio Ludovici pii diplomate Jeremiæ concesso an. 822, multa statuuntur de S. Petri aliorumque monasteriorum bonis in monachorum usus restituendis ab archiepiscopo, nec obscure innuitur ex ejusmodi bonorum invasione religionis fervori non leve detrimentum accessisse. Charta II; col. 2.

VIII. Albertus successit Frodberto, quo circiter tempore Ansegisus Fontanellensis abbas testamento condito an. 831 libram unam monachis S. Petri legavit.

IX. Anastasius cum Venilone archiepiscopo cælitus admonitus corpora SS. Saviniani & Potentiani sociorumque ex ecclesia Salvatoris transtulit in basilicam S. Petri an. 847 XIV cal. Sept.

X. Dido Anastasio subrogatus fuit an. 848. Erat is arte medica peritissimus ad eumque teste Lupo ep. 72, sanandi dirigebantur monachi. Ejus obitum an. 866 consignant.

XI. Aquila secundum Clarium eruditus omni philosophia, Egili archiepiscopi discipulus, mortuo Didoni successit. Præfuisse videtur an. 869, cum Egil synodi Pistensis patres commovit ut donationem suam villarum aliquot S. Petri monasterio assererent. Defunctus circa 871, sepelitur in oratorio S. Stephani juxta tumulum Egili.

Digitized by Google

XII. Franco Ansegiso antistiti acceptissimus ab eo S. Gregorii caput & S. Leonis papæ & doctoris brachium accepit. Eidem quoque fuit auctor ut corpora SS. præsulum Leonis, Urficini, Agrœcii & Ambrosii transferret in basilicam S. Petri. Sanctum quoque martyrem Sancianum cum corporibus sancti Augustini martyris & S. Beatæ Virginis eumdem in locum transtulit.

XIII. Aiglo mortuo Franconi suffectus privilegium de libera abbatis electione contra pontifices Senonenses qui ex aliis cœnobiis abbates S. Petri assumebant, ad preces Walterii archiepiscopi a patribus concilii Magdunensis impetravit an. 891.

XIV. Sanson a Clario venerabilis dictus successit Aigloni an. 920. Pessime habitus est circa annum 937 ab Hungaris qui pervenientes Senonas incenderunt cœnobium S. Petri, vastaruntque omnem provinciam. Cernens itaque Sanson abbas & monachi malum hoc grande detulerunt corpora SS. Saviniani & sociorum in ecclesiam ejusdem abbatiæ infra muros urbis constructam in honorem S. Petri. Relictum vero est corpus S. Serotini in crypta retro altare S. Petri. Incenso autem cœnobio S. Petri, remansit ibi solummodo oratorium S. Serotini, quod minime potuerunt incendere. Recuperata dein pace sanctæ Dei ecclesiæ, Sanson migravit de hoc mundo, sepultusque est in basilica S. Petri.

XV. Odo I abbas Cluniacensis Sansoni sufficitur a Clario quem instauratorem potius dixerit, quam abbatem. Accersiens enim illum Willelmus archiepiscopus, inquit Clarius, cum consensu monachorum S. Petri præfecit eidem cœnobio.

XVI. Arigaudus abbas, religiosus & timens Deum, monachus S. Benedicti supra Ligerim circa 940. Nimia fuit temporum acerbitas ut rebus splendide gestis Arigaudus, tresque ejus proximi successores inclarescere potuerint. Hinc nuda eorum nomina repræsentare cogimur.

XVII. Dachelmus.

XVIII. Archengerius in vetustissimo calendario notatur mortuus VIII cal. Junii.

XIX. Otbertus, quem excepit

XX. Natrannus destructor ipsius cœnobii. Nam vendens villas & ecclesias & ornamenta ecclesiarum S. Petri & S. Remigii, sanctique Eraclii & S. Petri Ferrariensis, parentibus suis distribuit, & postea Nivernensium episcopatum muneribus promeruit. Has enim omnes abbatias tenebat. Factumque est ut a tempore illo ad tempus Sevini archiepiscopi abbatia S. Petri sine abbate remaneret; monachis namque qui ibi remanserant, ob penuriam victus & vestimenti huc illucque vagantibus locus ille sanctus pene venit ad nihilum. Archembaldus enim solo nomine archiepiscopus S. Petri abbatiam ad solum usque contrivit, quidquid Natrannus reliquerat ad nihilum redegit, ecclesias & villas & ornamenta vendens & distribuens, reliqua in proprios usus retinuit. Cetera Archembaldi facinora mortemque teterrimam videsis in archiepiscopis. Moribus longe dispar Anastasius antistes locum restituisset in melius, si per diuturniorem vitam A licuisset. Id Sevino pontifici datum a quo accitis e Floriacensi & Cluniacensi monasteriis retinentioris vitæ monachis præfectus est

XXI. Rainardus Sevini ex sorore nepos, monachus S. Columbæ, cui primum mediam prædiorum partem, nec multo post cœlesti viso admonitus, reliquam dimisit avunculus Sevinus; altaria quoque quatuor restituit, statuit etiam ut abbates S. Petri primi post episcopum sederent in synodo: præterea tabulam altaris ex auro solido concessit. Quibus aliisque præsidiis munitus Rainardus, referente Odoranno loci monacho, pii operis adjutore, monasterium ab imo renoB vavit, claustra cum domibus ad se pertinentibus ædificavit, tabulam etiam auream & argenteam ante altare construxit, crucem auream cum gemmis fabricavit, signis, codicibus, palliis, sacris vasis & reliquis ornamentis ecclesiasticis idem monasterium ditavit, S. Ebbonis corpus a Sevino antistite curavit elevandum. Idem ipso promovente gessit Leothericus erga SS. Saviniani & Potentiani reliquias quas in locellis plumbeis condidit. Erga Rainardum Frodo archidiaconus optime se affectum probavit, patrem cognominem imitatus qui sæviente Archembaldo sacram suppellectilem nefariorum prædæ subduxerat. C Hiccine est Rainulfus abbas Senonensis, idem sane ac Romulfus, cui Gerbertus tres epistolas scripsit omnes fere de re literaria. Hic in concilio apud S. Basolum habito an. 991 Arnulfo Remensi archiepiscopo datus est defensor. Meritis ac virtutibus illustris Rainardus obiit an. 1015 quem Trithemius in chronico ait scholam monachorum publice tenuisse.

XXII. Ingo regis consanguineus ejusdemque in schola Gerberti socius, jam abbas S. Martini Masciacensis & S. Germani a Pratis Rainardo defuncto successit an. 1015. Ejus tempore Ludovicus comes Alemannorum in asceterio S. Petri D monachus effectus eidem contulit possessiones quas in villa Ariscurti habebat. Obiit Ingo IV cal. Februarii an. 1025.

XXIII. Ermenaldus, cujus tempore anno 1028 rex Robertus & Constantia regina composuerunt S. Saviniano loculum auro, argento & gemmis pretiosis ornatum, quod rex ipse in humeros assumsit, & succollantibus regni principibus per urbem detulit VIII cal. Septembris. In tantæ solennitatis memoriam quotannis eodem recurrente die primariæ sedis canonici sacri præsulis glebam solenni supplicatione bajulant per exteriorem urbis ambitum. Ermenaldus vero E apud Odonem Burgundiæ comitem effecit ut Alsonis villa monasterio substracta restitueretur. Synodo Senonensi adfuit an. 1035 & subscripsit chartæ Gilduini archiepiscopi pro Floriaco. Ipse vero multa passus ab eodem præsule defunctus est VIII cal. Nov. 1046, & sepultus in claustro S. Petri.

XXIV. Gerbertus monasterii alumnus, ex abbate S. Mariæ extra muros urbis, abbas sancti Petri, Ermenaldo suffectus est. Huic Gilduinus archiepiscopus reddidit caput sancti Quiriaci, & Richerius archiepiscopus concessit Ciconiam-

Digitized by Google

villam anno 3 Philippi regis, qui anno 1064 Gerbertum & monachos S. Petri ab omni justitia & exactione seculari fecit immunes. Ecclesiam S. Saviniani renovare cœpit anno 1068 prius in honorem Salvatoris consecratam. Inventa in ea plurimorum martyrum aliorumque sanctorum ibi quiescentium sepulcra & corpora. Anno 1071 a Richerio archiepiscopo accepit ecclesiam S. Martini de Vimbredio. Idem præsul Sevini & Mainardi decessorum cessionem synodorum & circadarum in variis ecclesiis monasterio subditis confirmavit. Condendo Molismensi monasterio spatium Gerbertus in alodo sancti Petri permisit anno 1074. Ampliata de multis quas labore suo emit & acquisivit possessionibus abbatia, post regiminis annos 33, menses 8 & dies 8 defunctus tumulatur in ecclesia S. Saviniani VIII id. Julii 1079.

XXV. Haimo nepos Ermenaldi abbatis, electus XVII cal. Augusti 1079, obiit 1085 XVIII calendas Maii, sepultus in claustro juxta avunculum.

XXVI. Hermuinus anno 1086 electus est, quo sedente incensum est & incredibili modo crematum cœnobium S. Petri cum tota villa & ecclesia S. Saviniani cal. Septemb. 1094. Dum Mauriaci cellam ex officio visitaret, ibi morte interceptus occubuit V id. Julii 1096.

XXVII. Arnaldus, *al.* Ernaldus, cujus electionem sic narrat Clarius testis oculatus: « Richerius » archipræsul antequam moreretur VI cal. Januarii » 1096, mandavit fratribus monasterii S. Petri ut » eo vivente eligerent & providerent sibi abbatem, » quod & fecerunt, eligentes omnium minimum » Arnaldum monachum, eique præsentaverunt. » Cui ipse multis præsentibus quis esset intimavit, » scilicet ex humili parentela & sanguine ortus, » quemque sic volebat vivere ut dignus esset regere commissos de quibus ipse unus volebat esse ». Hugonem comitem Trecensem & Constantiam ejus uxorem sibi demeruit anno 1103. Eodem circiter anno cum Daimberto archiepiscopo dissidium habuit qui præter decessorum suorum morem monasterii ecclesias subjecit interdicto, qua de re non solum ad summum pontificem, sed & ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum querelas detulit, qui rem ad concilium Trecis secunda post octavas Pentecostes feria habendum rejecit. Anno enim 1103 Romam profectus est Arnaldus, ibique a Paschali II privilegium amplissimum est consecutus IV id. Nov. pontificatus V. Insequenti in concilio Trecensi privilegii sancti Petri confirmationem a patribus obtinuit, & Gausbertum decanum cellæ Mauriacensis Casæ-Dei monachum præceptis suis inobedientem & rebellem deponi fecit, & Petrum de S. Balderio e suis in ejus locum substituit. Hæc autem malorum tessera fuit: nam inde redux abbas a Robertinis militibus instinctu Petri Armari qui iniquas cellæ Mauriacensi consuetudines imponebat comprehensus retrususque in carcerem in castro pagi Lemovicini Ventaduro, demum a Petro Claramontensi episc. liberatus est. Adstitit an. 1108 electioni Willelmi abbatis S. Remigii.

Baluz. Miscell. tom. VI, p. 429 & seq.

A Eodem anno præceptum obtinuit a Ludovico VI rege ut prius concesserant Ludovici avus Henricus & Philippus pater. Anno 1109 Arnaldus decani Mauriacensis crudeli accepto facinore in Arverniam iterum concessit. Ibi in reum quæstionem moturus, acerbam patitur repulsam, facinorosis clam favente Arvernensi episcopo. Legatus apostolicus & Bituricensis archiepiscopus frustra invocati virum flectere nequiverunt, ut potius armis abbatem ejusque socios obstinati Arverni strictisque ensibus insequerentur. Denique nullum aliud frænandis illis præter regis auctoritatem succurrit remedium. Regia itaque potentia fretus rebelles in ordinem coegit anno 1110. B Biennio post exorto bello Arnaldus munivit burgum S. Petri vallo & sepe aliisque propugnaculis ad defensionem opportunis. Annis insequentibus longam & importunam cum abbatibus Molismensi & Reomaensi litem quantumvis senio morbis & ærumnis confectus habuit de monasterii sui prædiis quibusdam quæ illi præter jus & æquum sibi vindicaverant. Villam tamen Pauliacum Widoni abbati Molismensi tradidit anno 1120. Eodem cum ad concilium Bellovacense pergeret, morbo oppressus Naudi resedit, Clariumque monachum nomine suo ad Cononem C legatum transmisit. Dum ibi demoraretur, ab Alexandro Stephani comitis sacellano sacras excepit reliquias quas ab Arnulfo Balduini regis scriniario habuerat. Anno 1123 libros officiis divinis ac sacræ lectioni deputatos describi & in optimum statum ordinari præcepit. Tandem exactis in regimine annis 28 & mensibus quatuor, abbatiam dimisit an. 1124.

XXVIII. Herbertus cedente Arnaldo electus an. 1124, insequenti Honorii II literis donatur in quibus ad preces Daimberti præsulis, Theudechildis & Sevini antistitis donationes referuntur D & probantur. Litem habuit cum Raynardo abbate S. Johannis pro ecclesia S. Salvatoris, quam adjudicavit Honorius II abbati sancti Johannis. Biennio post idem ei concessit Innocentius II pridie idus Junii pontificat. 7, indict. 14, addens pensum civitatis Trecensis & Barri super Albam quondam ab Hugone comite, tum a Theobaldo nepote ejus Blesensium comite datum. Anno 1144 Lucius II, pontific. 1, indict. VIII, V id. Januarii decessorum privilegiis addidit robur. Occurrit Herbertus anno 1135 in chartis Deiloci & 1143 in Pontiniacensibus. Ad expeditionem transmarinam Ludovici VII cum se E accingeret cruce signatus cum Theobaldo sanctæ Columbæ abbate an. 1146, propterea quod communiam urbis a rege aboleri curaverat, ab oppidanis crudelissime interemtus est calendis Maii 1147. Rex vero ad tanti sceleris ultionem accensus, quosdam homicidarum e turri præcipitari jussit, alios apud Parisios capite multari.

Ch. XXVI, col. 19.

XXIX. Gerardus Cluniaci monachus Herberto suffectus, ab Eugenio III diploma obtinuit datum Autissiodori VI idus Oct. anni proinde 1147, quo monachis S. Petri gratulatur quod Cluniacensium instituta suscepissent, & abbatem Gerardum eumdemque cum monachis suis &

Digitized by Google

monasterio ab obedientia & subjectione Cluniacensis abbatis absolvit. Memoratur 1154 in charta Pomerii, & 1155 in compositione inter Deilocenses & monachos Caritatis. Huic Ludovicus VII anteriorum regum libertates omnes, privilegia & dona confirmavit 1156. Quadriennio post detecta per Hugonem archiepiscopum SS. Potentiani & Altini corpora VII id. Junii. Anno 1163 Alexander papa III dum Senonis moraretur, in ecclesia B. Petri vivi a Girardo abbate & fratribus sæpissime cum honestissimis & jocundis processionibus & maxima exultatione susceptus, multoties ibi solenniter missæ officium celebravit, altare SS. apostolorum Petri & Pauli consecravit, ipsumque locum & ejus habitatores sicut bonus & pius pater benedictionum suarum consecratione sæpius munivit. Exsulantem quoque S. Thomam Cantuariensem solari conatus est Gerardus, qui abdicato munere an. 1167, privatus degit ad vitæ finem.

XXX. Odo II composuit anno 1167 cum Garino vicecomite Senonensi pro lignatione in silva Otta. Anno sequenti eumdem Garinum vicecomitem uti & Hugonem archiepiscopum in monasterio S. Petri sepelivit. Anno 1170 bullam protectionis obtinuit ab Alexandro III x calend. Februar. anno XI. Comparatam molendinorum medietatem super fluvium Vedennam ad purgandos pannos Ludovicus rex approbat anno 1171. Memoratur Odo anno 1175 in chartis S. Quiriaci. Denique an. 1180 vitæ postremo cum Manasse Lingonum episcopo & Theobaldo Manassis fratre pacem iniit de nemoribus Arceiæ.

XXXI. Galterius de Naudo privilegium protectionis obtinuit a Philippo Augusto an. 1182, aliudque a Lucio III an. 1185. Preces annuas pro nobilium, antistitum, abbatum, &c. in cryptis S. Petri sepultorum requie decernit ad VIII cal. Octobr. 1187. Memoratur 1188 & 1202 in chartis S. Quiriaci. Guidonis archiepiscopi decretum adversus presbyterum S. Saviniani obtinuit anno 1193. Transmarinam peregrinationem suscepit 1195, unde aliquas reportavit reliquias. Cum Nigellensi Ansello, Altivillarensi aliisque abbatibus precum societatem iniit. Defecit an. 1202.

XXXII. Helias nobilis ex priore S. Lupi de Naudo abbas, corpora SS. Sanctiani & Beatæ sororis ejus martyrum in argentea theca reclusit an. 1209, quæ postea Calvinistarum præda fuit. Eodem anno diem extremum clausit, id est 1210, sepultus in capitulo.

XXXIII. Hulderius præerat anno 1212, quædam locavit ad vitam in vico Borellorum an. 1213. Cum Milone de Pareto milite paciscitur 1214 de servis in libertatem asserendis. Jacet in capitulo.

XXXIV. Hugo ex splendida Eventatorum progenie, vulgo *du Plessis les Evantés* ortus, occurrit in tabulis an. 1217. Insequenti quo nonnullorum de sancti Potentiani corporis præsentia dubitationem elevaret, celeberrimum conventum habuit XIII cal. Augusti, cui præ cæteris adfuere Willelmus Autissiodorensis, Herveus Trecensis, Willelmus Meldensis & Willelmus Nivernensis episcopi, cum abbatibus & clericis longe pluribus. Tunc reseratis SS. Potentiani & Altini thecis, reperta sunt eorum corpora, quod datis instrumentis quatuor illi præsules testatum voluere. Eodem anno ecclesiam restaurare cœpit Hugo, qui an. 1220 Mauriacensem decanatum visitavit, & ad morum correctionem statuta edidit quæ ab Honorio papa confirmari postulavit. Decessit 1221 10 Martii, sepultus in capitulo cum epitaphio.

XXXV. Robertus I electus a monachis, confirmatus & benedictus est a Petro de Corbolio archiepiscopo. Memoratur 1226 & 1228 in chartis Pontiniaci. Pluribus obtentis privilegiis post 19 regiminis annos devixit 1239 8 Martii, sepultus in capitulo cum epitaphio.

XXXVI. Thomas anno 1239 electus, & a Galtero archiepiscopo benedictus mense Julio, composuit eodem cum Henrico *Patis* milite pro justitia Ciconiorum. Spineam Jesu-Christi coronam ad S. Petrum deferendam accepit, quam postridie Galterus archiepiscopus solenni peracta supplicatione detulit ad portam urbis, ibique S. Ludovico regi tradidit Parisios deferendam. Post decem mensium brevem præfecturam moritur Thomas an. 1240, sepeliturque in capitulo cum epitaphio.

XXXVII. Gaufridus *de Montigny* patrem habuit Guidonem *Laucour* prope Monasteriolum, matrem Ascelinam *de Collon*, cujus sororis filius erat Gaufridus de Collone chronographus sancti Petri. Gaufridus autem a Galtero archiepiscopo benedictus an. 1240, alta quadam mente præditus, avitamque sapiens virtutem monasterium S. Petri diutissime rexit. Anno 1253 ab Henrico *Baucher* milite quartam partem justitiæ de Naudo acquisivit. Anno 1263 sententiam obtinuit adversus decanum Mauriacensem, latam ab Ottobono cardinali, quam confirmavit Urbanus IV. Obiit VI cal. Augusti 1282, in umbilico basilicæ quam renovarat tumulatus ad pedes Hugonis archiepiscopi cum epitaphio.

XXXVIII. Simon-Petrus *de Charlieu* monachus Charitatis ex priore de Joviniaco 1274, a Martino IV Gaufrido subrogatur, rejectis duobus qui in discordia electi de præfectura litigabant. Præesse cœpit circa annum 1283, a Gilone archiepiscopo consecratus, & obiit XV Aprilis 1288, sepultus in capitulo.

XXXIX. Jacobus I *de Champigny* ex thesaurario electus abbas 1289, benedictus est a Gilone archiepiscopo apud Ferrarias, & possessionem iniit die sancto Paschæ. Carolum Siciliæ regem in monasterio suo excepit an. 1293. Anniversarium suum instituit anno 1302. Appellationi Philippi regis adversus Bonifacium VIII adhæsit an. 1303. Mauriacensibus eligendi decani fecit facultatem anno 1308. Biennio post adstitit Philippo archiepiscopo ecclesiam suam ingredienti. Post institutam prædiis & nummis anniversariam precem, cessit e vita an. 1310.

XL. Johannes I *de Tricherac* notatur in tabulis S. Quiriaci.

Digitized by Google

S. Quiriaci mense Martio 1314, & in domesticis 1317. Obiit 1324 cal. Julii.

XLI. Johannes II *de Paris* abbas 1324, Cœlestinos in monasterii ditione fundamenta cœnobii locare permisit an. 1326. Guillelmum de Brocia archiepiscopum ad detectionem capitis S. Gregorii invitavit anno 1333. Defungitur III idus Martii 1338.

XLII. Felisius *de Rigny le Feron* vir sapiens & doctus, post annos 13 regiminis defecit 1351.

XLIII. Johannes III *de Joigny* præerat anno 1351, 4 Aprilis. Ad revocanda monasterii bona distracta rescriptum obtinuit ab Innocentio VI ad abbatem S. Germani datum an. 1352. Sedem apostolicam per procuratorem visitavit an. 1354. Ob confectam ætatem coadjutore usus devixit 1358, Innocentii VI an. 7.

XLIV. Ludovicus I *de Coms* prior S. Bartholomæi de Dumo & S. Johannis de Juviniaco, ex coadjutore abbas monasterio a civibus Senonensibus destructo præerat annis 1363 & 1365, quibus cameræ apostolicæ solvit. Post septem regiminis annos sponte dignitatem abdicavit anno 3 Urbani V 1365.

XLV. Johannes IV *Seguin*, al. de Sinemuro, prior S. Bartholomæi Barrensis, cameræ apostolicæ debitas solvit pecunias anno 1366. Cellam Mauriacensem visitavit, utiliaque pro reformatione monachorum edidit statuta anno 1367. Literas ab Urbano V accepit v cal. Febr. pontificatus v, quibus expensæ pro jucundo adventu archiepiscopi installandi ad decem auri florenos reducuntur. Servum in clericatus gratiam manu misit an. 1370. Naudensis cellæ reliquias novam in thecam intulit an. 1375. Insequenti sedem apostolicam visitavit. Gontherii archiepiscopi auspicatæ dignitati adfuit anno 1385. Eodem defunctus sepelitur juxta sacristiam cum epitaphio, cujus miseræ latent laciniæ in Gallia quadripartita.

XLVI. Odo III *de Montaigu* prosapia nobilis rexit ad annum 1390, quo, jubente summo pontifice, calendis Augusti ad Segestrensem sancti Sequani abbatiam transiit.

XLVII. Robertus II *de Laval* ex monacho S. Sequani Odoni subrogatur a Johanne cardinali Vivariensi 9 Augusti 1390. Solitum cameræ apostolicæ pensum exsolvit annis eodem & 1396. Hoc autem ultimo a Guillelmo de Puteolis milite fidem accepit nomine Guillelmi vicecomitis Melodunensis monasterii Berlaii toparchæ ob quædam dominia monasterio S. Petri clientelari jure subdita. Homines partitus est cum domino *de Chanvres* 1399. Cum Guillelmo *de Dormans* archiepiscopo composuit de 10 florenis in 50 libras Turonenses convertendis. Exactis regiminis annis 10, sexagenarius transiit ad Cartusiam Vallis-profundæ juxta Juviniacum.

XLVIII. Petrus *d'Angers* monasterium sancti Petri annis fere 21 laudabiliter gubernavit electus anno 1400. Naudensis cellæ reliquias inspexit anno 1404. Abbatias suburbanas, necnon mediam partem basilicæ S. Petri ad novum chorum ab Anglis & Burgundis succensas vidit anno 1417, a quibus sæpe vinctus & incarceratus, tandem post alternantis fortunæ casus placida morte Senonis in asylo quievit 16 Sept. 1422 superbo funere elatus.

XLIX. Droco *de Montaudier* generosis ortus parentibus ex priore S. Lupi de Naudo electus abbas 28 Sept. 1422, in eodem S. Petri de Arce Senonensi Azylo Johannem *de Nanton* pontificem excepit ad primariam sedem deducendum 21 Junii 1429. Id præstitum ob periculum ad sancti Petri monasterium accedentibus obvium. Cum Guidone Tremoliensi Juviniaci comite & domino *d'Archon de Serry* placat dissidia an. 1429. Cum abbate S. Columbæ pacificitur an. 1432. Majorem ecclesiæ turrim reædificavit, & transiit ad abbatiam S. Germani a Pratis an. 1436.

L. Michaël *de la Soufterraine* ex priore beatæ Mariæ de Retiaco electus 30 Julii 1437, cum abbate S. Columbæ utriusque ecclesiæ reliquias recensuit 1438, obiit 1439.

LI. Guillelmus I *Quatrain* ex eleemosynario electus 1439, & benedictus a Guillelmo *de Melun* archiepiscopo, possessionem iniit 10 Nov. 1439. Suburbium S. Petri bellorum tumultibus desolatum ut restitueret solennibus nundinis immunitatem obtinuit a Carolo VII anno 1446. Prioribus a monasterio dependentibus leges dedit anno 1448. SS. Potentiani & Altini reliquias novum in feretrum transtulit, & in circumposita loca deferri curavit 1449. Sequenti anno 1450 naturæ debitum solvit.

LII. Oliverius *Chapperon* apud Gisæum in Senonibus oppidum natus, ex priore S. Lupi de Naudo, abbas renunciatus 1450, pontificalium usum pro se suisque successoribus impetravit anno 1453. Capitis S. Gregorii per Ludovicum archiepiscopum translationem procuravit 1459. Restaurando monasterio ob ingruentia bella propemodum exhausto totus incubuit. Petri Mauriaci decani obedientiam excepit anno 1470. Piam S. Saviniani sodalitatem instituit. Sanctorum quorumdam reliquiis thecas argenteas conflavit, suosque inopia laborantes sublevavit. Anno 1470 Decembris 16 desiit, sepultura in choro & epitaphio donatus.

LIII. Johannes V *le Maître* Senonis oriundus in jure canonico licentiatus, ex priore S. Lupi de Naudo electus abbas 22 Decembris 1470, Ludovico *de Melun* archiepiscopo benedicendus & confirmandus præsentatur. Eo rogante Tristandus *de Salazar* archiepiscopus SS. Innocentium novem corpora plurésque illis adjunctas reliquias reseravit, quibus nobiliores paravit thecas, & B. Saviniani caput digniorem in loculum transtulit anno 1490. Eodem domum in urbe Senonica dictam *des Tournelles* comparavit, postea sub annuo censu patribus Societatis Jesu dimissam, ubi eorum est collegium. Occubuit Johannes 17 Octobris 1491, sepultus prope sacristiam cum epitaphio.

LIV. Guillelmus II *Chignard* Senonensis ex priore de Auxono electus est abbas xv calend. Nov. 1491 præter archiepiscopi votum qui ad ejus loci infulas anhelabat, hinc communione

Digitized by Google

summotus confugit ad summum pontificem 1 Januarii 1481 (1482) qui ejus institutionem episcopo Meldensi commendavit. Refectorium & capitulum perfecit a fundamentis, campanile parvum & ecclesiam quæ a Burgundis exusta fuerat, cum magno labore & expensis perfecit a turre quadrata ad aliam ecclesiam, in qua divinum officium persolvebant monachi. Johannem *Bardeau* sollicitudinis in partem adscivit, qui ejus nomine ad Mauriacensem cellam decanum illic daturus missus est an. 1510. Guillelmus vivere desiit 13 Aprilis 1511.

LV. Johannes VI *Bardeau* Senonis oriundus, doctor in decretis, Guillelmi vicarius & prior claustralis, abbas electus est 14 Maii 1511, obedientiam promisit Tristando archiepiscopo 21 Julii. Saliniaci castrum ab illustri Johanna de Porta comparavit anno 1512. Exspiravit 25 Septembris 1523.

LVI. Sebastianus *de Tenarre* ex monacho Flaviniacensis monasterii, cum licentia Stephani archiepiscopi eligitur abbas S. Petri 28 Sept. 1523, non benedictus ante 1528, 27 Maii, quo obedientiam promisit Antonio *du Prat* archiepiscopo 28 ejusdem mensis. Cum plurimis pretiosisque ecclesiam decorasset capsis & vasis post decem annorum præfecturam regularium ultimus obiit 1534, superstes adhuc 11 Junii. In ecclesia sua sepultus est.

LVII. Johannes VII *de la Forest* regi a commentariis primus a rege nominatus commendatarius, & a summo pontifice confirmatus, possessionem adeptus est 21 Octobris 1534. Constantinopolim missus a rege cruenta morte periit 9 Sept. 1537.

LVIII. Johannes-Franciscus I *Valerio* Venetus canonicus Patavinus, sancti Petri commendam tenebat mensibus Februario & Martio 1538, Venetias legatus pro rege a Venetis laqueo suspensus est 1542.

LIX. Johannes VIII *de Mersancausine*, dictus *de Montluc*, bullas obtinuit a Paulo III anno 1542, possessionemque adeptus est anno 1543, quo eximia pollens facundia & dicendi facilitate a rege ad Venetos legatus est, & ad Scotos an. 1549. Dein fit episcopus Valentiæ Allobrogum & post Tolosæ archipræsul, sed abbatiam jam dimiserat an. 1551.

LX. Stephanus *de Poncher* archiepiscopus Turonensis an. 1551 & 1552 abbas reperitur in quibusdam instrumentis. Obiit 1552.

LXI. Philippus *Hurault* in suprema parlamenti curia senator commendam sancti Petri anno 1552 consecutus est. Ejus fit mentio in variis instrumentis ad annum 1564. Ejus tempore monasterium Calvinistarum præda fuit an. 1561.

LXII. Franciscus II *de Luxembourg* vicecomes *de Machault*, baro *de Pougy*, &c. commendatarius reperitur in chartis ab anno 1568 ad 1574.

LXIII. Ludovicus II dictus Carolus *de Bourbon*, cardinalis, commendam tenuit annis 1574 & 1575.

LXIV. Ludovicus III *de Mainteternes* nobilissimus fertur in tabulis annis 1577, 1578 & 1579.

LXV. Renatus *de Birague* Franciæ cancellarius & cardinalis, abbas S. Petri factus anno 1579, vicarium suum nominat Philibertum *Prud'homme* priorem 1582. Obiit 24 Novemb. 1583.

LXVI. Bartholomæus *de Crottes* commendam adeptus anno 1584 pro marchione *de Malespine*, decennio post privatus ea est supremi regis consilii decreto, quod monasterii reparationibus non intenderet, nec victum monachis ministraret.

LXVII. Carolus *Prevost* archidiaconus Senonensis, regi a consiliis & eleemosynis, verbi Dei præco eximius, Bartholomæum e sede dejecit an. 1594, quam annis circiter 42 tenuit. Ejus temporibus Urbanus VIII papa ab archiepiscopo Senonensi petiit an. 1628 reliquias S. Gregorii, cujus caput Senonis in basilica Viviana depositum legerat in archivo Vaticani. Ecclesiam an. 1632 fulmine ictam doluit Carolus, qui cernens monasterium undequaque dirutum proventibusque non mediocriter attenuatum mœstitia oppressus, sequenti ex sorore nepoti consignavit an. 1636.

LXVIII. Johannes-Franciscus III *Berruyer* filius Jacobi domini *de Mauselmont*, qui decessit 1656, bonorum suorum recensionem fecit ultima Martii 1639. Assensum præbuerat 17 ejusdem mensis, ut ad reformandum Vivianum monasterium appellati monachi S. Mauri 3 Aprilis 1638, ab Octavio præsule admitterentur, quibus concessa portio monachorum S. Remigii Senonensis 12 Sept. 1640, cum senatus Parisiensis beneplacito dato 1641. Johannes vero fit consiliarius clericus in senatu Rotomagensi anno eodem. Biennio post S. Theodechildis monasterii fundatricis sepulcrum a latere evangelii prope majus altare repertum, in quo lapidi quadrato veteri charactere hæc epigraphe insculpta erat: *IIII cal. Julii transiit Techildis regina.* Anno 1644 Johannes-Franciscus fratris in gratiam cessit, nec multo post Parisiis infausto eventu gladio percussus interiit.

LXIX. Jacobus II *Berruyer* a rege nominatus, bullas obtinuit an. 1644, & possessionem apprehendit 5 Martii 1645. Obiit 11 Oct. 1668.

LXX. Jeremias *Rouget* canonicus Trecensis, a rege designatus 26 Oct. 1668, bullis nondum obtentis, vi litterarum regiarum possessionem adeptus est 18 Nov. anni ejusdem, quam obtentis repetiit 20 Februarii 1671. Obiit 24 Martii 1714, annos natus 85. Post ejus obitum proventus abbatis qui presbyteris Missionariis parochiam apud Versallias administrantibus a Ludovico XIV jam 1 Nov. 1713 assignati fuerant, eis confirmati sunt a Clemente XII bulla data VIII id. Aprilis 1731, quam Ludovicus XV ratam habuit mense Aprili 1734, & in commentarios retulit senatus Parisiensis 17 Augusti 1744.

Digitized by Google

SAINTE-COLUMBE.

S. COLUMBA.

SANCTÆ COLUMBÆ ordinis S. Benedicti congregationis S. Mauri asceterium altero lapide infra metropolim civitatem ad Icaunam fluvium meridiem versus positum est, ubi depositum fuerat S. Columbæ martyris corpus, quæ igne superato in persecutione Aureliani imperatoris apud Senonas gladio cæsa fuisse perhibetur. In ejus honorem a fidelibus erecta est insignis basilica, cui postmodum nobile monasterium adjunctum est. Id factum creditur Chlotarii II principatu qui villam Cersiacum eidem monasterio concessit, Grandem-vallem in agro Wastinensi adjecit filius ejus Dagobertus ad basilicam domnæ S. Columbæ & D. S. Lupi, ut in veteri instrumento legitur, utramque villam eidem basilicæ restituit Ludovicus Augustus. Multum celebritatis loco accessit a tumulo & reliquiis S. Lupi, ita ut suum monasterio nomen S. Columbæ nomini ad seculi XIII finem communicaverit. Eligius Dagoberti aurifaber, postea Noviomagensis episcopus, S. Columbæ sepulcrum auro, argento gemmisque Dagoberto impensas suppeditante exornavit. Ante hos omnes Desiderius episcopus Autissiodorensis dederat basilicis S. Columbæ & S. Leonis agellum *Visclam*, ea ratione ut rectores harum basilicarum eamdem villam æqua sorte dividerent. S. Columbæ monasterium ab ipsis regibus sic exstructum, licet episcoporum Senonensium juris non esset, nec ab ipsis nisi cum reguli consensu ordinari posset, insigni tamen libertatis privilegio ab ipsis est decoratum, concessaque huic loco ab episcopis uti Lirinensibus & Luxoviensibus monachis libertas quam sua confirmarunt auctoritate Francorum reges Carolus magnus, Ludovicus pius an. 833, Carolus calvus 847, Hugo 988, Philippus I an. 1074, Ludovicus VIII 1225, Ludovicus IX 1231, necnon Romani pontifices Innocentius II anno 1142, Adrianus IV 1157, Innocentius IV 1243, Honorius IV 1285, Eugenius IV 1445. Cætera quæ vetustissimum illud spectant monasterium suum melius in historia abbatum locum habebunt. Horum autem absolutam seriem non damus. Etsi enim plerosque ex tabulis authenticis eruimus, sunt tamen ad Caroli magni tempora nonnulli longa oblivione sepulti.

ABBATUM ELENCHUS.

I. AGO ejusque monachi impetraverunt ab Emmone Senonum pontifice privilegium anno 3 Chlotarii regis, Christi 658 aut 659, de quo consule Mabillonium t. I Annal. p. 448. Hoc in diplomate pia Agonis & discipulorum vita impense laudatur.

II. Ragnacharius privilegium olim ab Emmone concessum renovari ac confirmari curavit ab episcopis, Childeberti regis an. 1, 695, quibus ipsum Emmonis exemplar subscribendum obtulit.

III. Widradus Attiniacensi placito subscripsit an. 765.

IV. Simon abbas an. 780 a quibusdam assig- A natur: ita chronicon S. Columbæ, Anecdot. t. III, col. 1449.

V. Alcoinus ibidem abbas obiit 804. An insignis ille Alcuinus qui pluribus cœnobiis præfectus est?

VI. Remigius ex codice Thuano Colbertino innotescit.

VII. Jeremias monachus & thesaurarius sancti Richarii, metu Normannorum qui Caroli magni principatu maritimas Morinorum oras infestabant, fuga sibi consuluit adsportatis inde secum reliquiis sacris, quas in monasterio S. Columbæ deposuit. Illic morabatur cum in locum Magni- B mortui creatus archiepiscopus Senonensis an. 818, has reliquias in cathedralem S. Stephani ecclesiam transtulit. Huic addidit rex abbatiam S. Columbæ quam antecessores sui nuper perdiderant, ut esset sub tuitione archiepiscopi Senonicæ urbis, quo forte nomine ab Hariulfo dictus est abbas S. Columbæ, ubi defunctus an. 829 sepeliri voluit.

VIII. Jacob abbas erat canonicus cum Ludovici pii nomine Benedictus ad S. Columbam accessit sancitam in Aquisgranensi synodo anni 817 regulæ disciplinam renovaturus. Eam ob rem villas a priscis temporibus ad usus fratrum destinatas segregasse dicitur, in his hospitium C quod Ansridus & Donatus nepotes Jeremiæ quondam episcopi Senonensis eidem monasterio contulerant. Chart. v. col. 7.

IX. Supplicius a Benedicto forte institutus ad conservandam monasticam disciplinam, insigne privilegium obtinuit a Ludovico pio anno imperii 20, quo possessiones a Chlotario & Dagoberto regibus monasterio S. Columbæ concessas, ac literas Caroli magni genitoris sui pro eodem cœnobio confirmat. Supplicio tribus post annis aliud privilegium concessit Ludovicus, imperii anno 23, ad confirmandam partitionem D bonorum quam Benedictus olim in usus monachorum segregaverat, & ad redimendam ipsius monasterii subjectionem, quod Jeremias archiepiscopus ecclesiæ suæ subjecerat. Ecclesiam construxit Supplicius in honorem S. Lupi in vico Sarmasiæ, anno Ludovici pii 21. Charta IV, col. 6. Charta V, col. 7.

X. Lambertus instante Bernardo Caroli calvi consanguineo dejectus est. Is in Caroli literis vocatur rector monasterii. Cuciacum villam dederat in beneficium. Impignorationem ejus rescindit Carolus anno regni 8, indict. X, eique abbatiam abrogavit.

XI. Bernardus pristinæ libertatis privilegium E a Carolo confirmari obtinuit mense Dec. anno regni octavo 847. Ejus tempore florebat in monasterio Altuinus monachus, vir insigni doctrina conspicuus, ad quem exstant Lupi Ferrariensis epistolæ 20, 34, 37. Ch. VII, col. 8.

XII. Echardus circa 850. Trienno post Wenilo archiepiscopus dedicavit XI cal. Aug. 853 ecclesiam S. Columbæ in honorem S. Crucis, & postridie corpora SS. Columbæ & Lupi levavit e tumulis in quibus primum sepulta fuerant.

XIII. Theodericus circa 856.

XIV. Wenilo archiepiscopus Senonensis circa annum 858 abbatiam S. Columbæ a Ludovico

Digitized by Google

Germaniæ rege impetravit, unde de ipso ita conqueritur Carolus calvus: *De abbatia sanctæ Columbæ & rebus & honoribus regni mei apud Ludovicum fratrem meum obtinuit, & literas ad missos qui eadem abbatia revocarent Erchardum & Theodericum impetravit*, quibus consonant patres concilii Tullensis apud Saponarias. Obiit Wenilo an. 864.

XV. Guelpho ex prosapia regali abbas sanctæ Columbæ & S. Richarii, huic ultimo monasterio concessit reliquias S. Columbæ an. 867. Decennio post Chunradus comes Vermeriensis dedit S. Columbæ villam Paredum an. 877. Defunctus Guelpho XVIII cal. Dec. 881, in basilica S. Columbæ est humatus. Ejus tempore Evrardus monasterii erat præpositus, qui in archiepiscopatum Senonensis ecclesiæ sublimatus est an. 884.

XVI. Conradus christianissimus comes & abbas Guelphoni, Germano successit, eodemque anno mortuus, tumulatus est, ut præceperat, in stillicidio B. Columbæ ad pedes S. Lupi. Inter elogia quæ ipsi tribuuntur, dicitur Tobias sedulitate, Job voluntate.

XVII. Hugo Conradi consobrini locum & sedem excepit, qui monarchiam clericatus in palatio obtinens, ducatum etiam regni post regem nobiliter administravit.

XVIII. Richardus comes & abbas ab Odone rege anno regni 4, indict. IX, XVI. cal. Julii, aream in urbe obtinuit ad asylum monachis tempore belli exstruendum. Ædificata eo loci ecclesia S. Benedicti, modo paræcialis cum domibus quæ hactenus a monachis sub annuo censu locantur. Richardi tempore Betto ex monacho S. Columbæ abbas S. Heraclii, destructo anno 887 a Normannis hoc cœnobio, fratrum suffragiis monasterio S. Columbæ præpositus, ut locum adversus paganorum assultus tutum & inviolabilem præstaret, jecit fundamenta muri circa monasterium, cujus ecclesiam variis decoravit ornamentis, plurima fecit aliaque peregisset ni ad Autissiodorensem cathedram assumtus fuisset an. 915. Locum deinceps sub Roberti fortis posteris rexere decani potius quam abbates, Rodulfus, Ragnaudus, Achardus, quo tempore Richardus Burgundiæ dux defunctus 921, sepultus est in monasterio S. Columbæ calendis Septembris, videlicet in oratorio S. Symphoriani, sicut & Rodulfus Francorum rex an. 936 XIX cal. Febr. cum VI id. Januarii basilica S. Columbæ cum cœnobio factione quorumdam incensa fuisset.

XIX. Rotaldus abbas cujus depositio notatur VI calend. Septembris.

XX. Rainaldus I notatur in obituario XVI cal. Julii & VIII cal. Januarii. Horumce abbatum tempore, quia monasterium cum suis ornamentis consumtum incendio fuerat, Lotharius rex ad preces Henrici ducis Burgundiæ præceptum Ludovici Augusti de foresta regia quæ est in Icauna flumine monasterio S. Columbæ restituit anno 974.

XXI. Gunzo ab Hugone rege immunitatis a decessoribus regibus concessæ confirmationem obtinuit, simulque vicariarum remissionem quæ in villa Sarmasia exigebantur pridie nonas Junias an. 988.

XXII. Rainardus II comes Senonensis, Vetulus dictus, abbatiam S. Columbæ in beneficium tenuit, ex qua plurima in proprios usus convertit. Post mortem nihilominus quæ sub finem hujus seculi accidit, in monasterio sanctæ Columbæ humatus est.

XXIII. Wilencus consilio Gilduini archiepiscopi tempore Henrici regis electus, obiit 1073.

XXIV. Arnulfus ex stirpe comitum Campaniæ oriundus, simul abbas Latiniaci & sanctæ Columbæ obtinuit a Philippo rege relaxationem malarum consuetudinum quas regii ministri in villa Sarmasia exigere solebant an. 1074. Corpus S. Theobaldi Vicentini eremitæ fratris quondam sui ex Italia in Gallias transtulit, & in ecclesia S. Columbæ collocavit an. 1078. Subscripsit chartæ Richerii archiepiscopi ecclesiam S. Baldi S. Remigio donantis an. 1081. Propriis impensis construere fecit ecclesiam de Beiaco prope Jugniacum. Obiit pridie calendas Martii 1100. His autem temporibus, ut legitur in chronico sanctæ Columbæ, fuerunt plures unus post alium in abbatia S. Columbæ mercenarii potius quam pastores, quorum ne unus quidem vitam finivit in prælatione.

XXV. Roscelinus genere nobilis & sapientia insignis, monasterium quod ad tantam redactum erat penuriam, ut vix necessaria fratribus suppeteret meliorem in statum reduxit. Eo sedente Daimbertus archiepiscopus corpus S. Lupi transtulit an. 1106 die festo sanctorum Simonis & Judæ. Roscelinus autem Artaldo Prulliaci abbati sub annuo censu concessit an. 1133 quidquid habebat in terra de Curtabovis. Obiit IV cal. Maii 1139 postquam annis 39 laudabiliter rexisset.

XXVI. Theobaldus *de Paheus* filius Hugonis primi magistri templi Jerosolymitani, Roscelino succedens an. 1139, per monachos de Caritate Cluniacensium disciplinam in suo monasterio stabilire curavit, qua de re gratulatus ei est Petrus venerabilis, qui epistola 1, lib. VI, varias ad ejus quæstiones respondit, quæ argumento sunt Theobaldum non terrena sapuisse, sed cœlestia, unde occasionem ipsum laudandi desumit Petrus. Theobaldus autem bullam protectionis obtinuit ab Innocentio II an. 1142. Ecclesiæ fundamenta jecit die Annunciationis anni sequentis. Cum Helvisa Paracliti abbatissa pro decimis terræ Pomerii composuit anno 1143. Theobaldi ad preces Hugo archiepiscopus an. 1144 reliquias S. Lupi frequenti populo ostendit, & capitis partem ab eo obtinuit, quam in ecclesia S. Lupi de Naudo reposuit. Hinc gravis jurgiorum materia inter illius ecclesiæ parochianos & monachos orta est de possessione corporis S. Lupi; quæ contentio jussu Romani pontificis per Hugonem archiepiscopum qui eas in ecclesia S. Columbæ populo exhibuit tempore Odonis abbatis finita est. Anno 1145 subscripsit diplomati Hatonis Trecensis episcopi de præbenda Cluniacensium in ecclesia Trecensi. Eodem Ludovicus VII Theobaudo

Digitized by Google

abbati confirmavit consuetudines quas dederat avus ejus Philippus apud Sarmasiam, & donavit molendinum super Vannam cum prato & piscationem. Anno eodem Artaldo abbati Prulliaci partem terræ Montis-Millis donavit Theobaldus, qui insequenti cruce signatus ab ecclesia sanctæ Columbæ abstulit coronam auream gemmis adornatam, a Radulfo rege quondam donatam, crucemque a S. Eligio fabricatam quas Jerusalem secum detulit, cum Ludovico rege profectus an. 1147, quo anno profecturo Petrus Venerabilis epist. 7 lib. v salutaria dedit monita, ne levitas, instabilitas & curiositas quæ frequenter se ejusmodi discursibus ingerunt, ad hæc spoliorum cupiditas vel laudis amor tanti itineris fructum inanem redderet. In hoc autem occubuit VII id. Aprilis 1148.

XXVII. Girardus ex monacho loci abbas, bonis moribus adornatus, religionisque copia fultus Theobaldo successit anno 1148. Cum Sugerio abbate S. Dionysii societatem iniit, & cum Tevino abbate Mauriniaci. Obiit pridie idus Maii.

XXVIII. Droco decessit 1150.

XXIX. Odo I ex Fossatensi monacho abbas sanctæ Colombæ Droconi suffectus, memoratur 1155 in chartis Prulliaci, eodemque anno testis fuit compositionis inter Dei-locenses & monachos de Caritate. Bullam obtinuit ab Adriano IV an. 1157, ab eodemque literas quibus reliquias Chart. LI, col. 48. S. Lupi an. 1160 ab Hugone archiepiscopo anno pontificatus 18 revelari curavit. Henrico Trecensium comiti varios census apud Montiniacum, Pruvinum, Trecas, Braium in feodum dedit. Ecclesiam quam a fundamentis renovarat, ab Alexandro III dedicari procuravit VI cal. Maii 1164, quo etiam anno mortuus est Odo nonis Octobris. Hujus extat apud Chesnium, t. IV, p. 740, epistola ad Ludovicum juniorem regem.

Chart. LV, col. 49. Post Odonem una fratrum voce electus quidem est Salo præsente Hugone abbate S. Germani a Pratis an. 1164, sed regi non probatus, cedere coactus fuit.

XXX. Gilo I monachus Vizeliaci, prior de Vileio pro Salone constitutus abbas an. 1164, multa cœnobii prædia ex laicorum potestate recuperavit. Reperitur in chartis annis 1182 & 1183. Ejus tempore S. Thomas Cantuariensis archiepiscopus in cœnobium sanctæ Columbæ se recepit. Obiit VI cal. Martii.

XXXI. Radulfus, bonus homo, cui omnia prospera evenerunt, inquit chronicon S. Columbæ, a summo pontifice delegatus, diffidentes composuit monachos Arremarenses & Hugonem presbyterum de capis an. 1186, necnon monachos Barbelli cum heredibus defuncti Balduini an. 1191. Fœdus pepigit an. 1192 cum Milone dynasta Montiniaci de Villæ-novæ decimis probante Guidone archiepiscopo. Obiit 1193.

XXXII. Ismbardus ex sacrista Radulfo suffectus abbas brevi præfuit.

XXXIII. Gaufridus & ipse brevi abbatiale pedum tenuit translatus 1195 ad Vizeliacum.

XXXIV. Helias ex monacho Silvæ-majoris
A abbas S. Columbæ, transegit anno 1196 cum Michaële archiepiscopo de monasterii ecclesiis & aliis juribus, necnon cum Helvide domina Briæ, & filiis ejus Henrico milite & Milone *de Corteri* milite pro decimis aliisque juribus apud Villamnovam comitis. Cum Hamelina abbatissa Pomerii permutavit medietatem terræ allodiorum pro terra *de Baillardat* anno 1198. A summo pontifice delegatus compositionem inter episcopum Parisiensem & abbatem S. Genovefæ approbavit mense Januario 1202, id est 1203. Fundatum a camerario anniversarium ratum habuit 1203, & mutuum precum fœdus iniit cum monachis
B S. Petri Meledunensis. Domos apud Sarmasiam acquisivit anno 1207. Cum autem abbas & monachi S. Petri non cessarent publicare caput & membra sancti Lupi quiescere in ecclesia de Naudo, literas contra eos monachis S. Columbæ dedit Innocentius III pridie idus Martii anni Chart. LXXXII, col. 64. 1212. Eodem Helias cum Guillelmo decano Autissiodorensi sententiam dixit pro Pontiniaco adversus episcopum Trecensem. Controversiam inter abbatem Prulliacensem & Fulcherium presbyterum de Montiniaco Auculfi terminavit anno 1213. Cum Philippo officiali Senonensi judex a summo pontifice delegatus est controversiæ
C inter abbatem Ferrariensem & Willelmum *de Chevillon* mense Decembri 1216. Obiit IX cal. Octobr. 1217, memoratus X in necrologio Silvæ-majoris.

XXXV. Odo II occurrit mense Martio 1217, hoc est 1218, in chartis Prulliaci. Capsam continendis S. Flaviti reliquiis a decessore inceptam perfecit 1218, eodemque Milonem dominum *de Henier* mitigare fategit. A sede apostolica delegatus litem composuit 1219 inter abbatem S. Germani a Pratis & Richardum presbyterum *de Fan͠iz*. Cum monachis S. Remigii Senonensis mutuam iniit anno
D 1220 precum societatem. Ratam habuit anno eodem venditionem terræ *de Maupertuis* factam monialibus Pomerii. Prioratum in territorio Villæ-novæ comitis ad Molenas instituit, quem Ch. LXXXV, col. 66. dotavit Theobaldus Campaniæ comes an. 1222. Servos cum rege permutavit an. 1223. A Ludovico IX rege obtinuit anno 1231 confirmationem juris percipiendi 86 libras & 5 asses pro tallia Sarmasiæ quotannis persolvenda. Præerat adhuc 1232 mense Novembri. Vita cessit die Purificationis.

XXXVI Henricus I ex monacho Floriacensi abbas sanctæ Columbæ 1233, ab Innocentio IV
E anno pontificatus 2 usum pontificalium insignium obtinuit, & anno 10 facultatem benedicendi pallas altaris, calices & vestes sacerdotales quæ eidem confirmavit Alexander IV anno 1256. Occurrit 1245 & 1247 in chartis Floriacensibus. Certam portionem (pitanciam vocant) fratribus assignavit 1247 singulis diebus in quibus antiphonæ *O* cantantur. Alexander IV an. 1256 monachis S. Columbæ indulsit ut in patrimonia feudalibus exceptis succederent, & abbati ut propter otium sanctæ contemplationis a procuratione apostolica audiendarum causarum exime-

Digitized by Google

retur. Denique ut divinis rebus liberius vacaret dignitate sponte cessit circa annum 1258, mortuusque est VII cal. Augusti.

XXXVII. Guillelmus ex priore de Gronno electus abbas S. Columbæ per cessionem Nicolai prioris Villæ-mauri, qui se pro abbate gerebat in manibus Alexandri IV, & per concessionem ejusdem pontificis, ab eo confirmatus est XIV cal. Junii, pontificatus 6, 1260. Composuit an. 1264 cum Gilone *de Nolon* pro justitia viæ quæ dicitur *Chevaliere*, quam totam abbati dimisit. Obiit VII cal. Januarii 1280, sepultus in ecclesiæ navi ad pedes S. Lupi post Conradum comitem & abbatem, ex cujus epitaphio hæc tantum legi potuere:

Thoriaci genitus Guillelmus jure peritus
Justus, pacificus, pius, insons juris amicus.

XXXVIII. Petrus I omnia monasterii jura & privilegia ab Honorio IV confirmanda curavit VI id. Januarii, pontificatus 1, 1285. Obiit idibus Aprilis 1289, statimque monachi a Philippo rege eligendi petunt facultatem, quæ concessa eis est die Jovis post Resurrectionem.

XXXIX. Johannes I electus a monachis, abbatis titulo gaudebat an. 1290. Obiit XII cal. Maii 1292, eodemque anno facultatem eligendi postularunt monachi.

XL. Johannes II *de Voye* ex præposito electus abbas per viam compromissi, Romam petiit, unde vacante per obitum Nicolai IV apostolica sede rediit, & licet intercederet publice ejus & confirmationi & benedictioni procurator sanctæ Columbæ ob aliquod ejus factum aliis ignotum, a Cœlestino V summo pontifice confirmatur 1294, & interfuit solenni receptioni Stephani *Bequard* archiepiscopi anno ineunte 1295, obiitque pridie idus Februarii anni ejusdem.

XLI. Johannes III de Bello-loco ex illustri familia de Castellione frater erat Simonis cardinalis qui pro anniversario dedit monachis terram de Chanteneio. Primum abbas S. Sulpitii Bituricensis, tum S. Columbæ 1295, de ecclesia sua bene meritus est. Cum abbate S. Petri vivi pacta renovavit an. 1309. Decessit prima Maii 1317, sepultus jacet in sacello ad meridionalem majoris altaris partem posito cum hoc epitaphio:

Quem premit hic tellus, dedit huic Bellus-locus ortum.
Ordinis ad portum confugit valde tenellus.
Ecclesiæ recta per eum sex sexies annis
Monstrant quam recte fulserunt facta Johannis.
Supplicii quinis ter I demto, postque Columbæ
Viginti binis abbas, substat modo tumbæ,
Mille die primo Maii septem deca C ter
Carne data limo, spiritus migravit ad æther.

XLII. Henricus II, Audax dictus, patria Senonensis, loci camerarius Johanni successit an. 1317. Statuit an. 1333 in festo sancti Lupi in capitulo generali quod bis in anno celebrabatur, ut omnes prioratus & ecclesiæ de patronatu S. Columbæ in martyrologio notarentur. Anno 1341 in capitulo generali confirmavit anniver-

A sarium fundatum a fr. Stephano de Castro-Nantone. Excessit e vivis XV cal. Decemb. 1347. Ante altare B. Virginis jacet cum hoc epitaphio:

Annis ter denis hic Henricus cathedratus
De Senonis natus jacet hic facundia lenis.
M. C ter quino decies sumens, tria linque,
Tunc fluit a membris septena luce Novembris
Ac decima, vita pro tempore carne sopita.
Huic pateat semita paradisi, Christe, cupita.

XLIII. Petrus II de Perrerio Senonis oriundus, e vivis sublatus est XV cal. Nov. 1348.

B XLIV. Adamus, cujus obitus in necrologio consignatur 15 Junii 1353.

XLV. Philippus I ex abbate Foresti monasterii abbas S. Columbæ, a Guillelmo archiepiscopo benedictus 1353, præfuit ad 1357, quo migravit e vita calendis Aprilis.

XLVI. Thomas I *de Montigny* prior Capellæ, cœnobium sanctæ Columbæ rexit annos 16 & menses 6, obiitque V id. Junii 1372, sepultus in sacello B. Mariæ a parte septentrionali cum epitaphio.

XLVII. Thomas II *de Merzoles* Thomæ successor, sex tantum mensibus monasterio præfuit, & obiit 19 Martii 1373, sepultus in sacello C ad septentrionalem majoris altaris partem posito cum epitaphio.

XLVIII. Johannes IV regi a consiliis 1377 XI Augusti & XI Januarii, quo anno cum ivisset ad Montem Argivum ut illic coram rege sacram haberet concionem in festo S. Remigii, rex illi ultra pensionem ordinariam assignavit quatuor libras auri 22 Januarii 1377. Memoratur adhuc anno 1378 XI Junii in chartis authenticis D. *de Gaignieres.*

XLIX. Philippus II quem dicunt septimo ordinationis suæ an. 1379 defunctum, æmulus D forte erat Johannis superioris.

L. Johannes V *le Bergougnat* Senonensis electus & benedictus an. 1379, monasterium 22 annis rexit. Devixit IX cal. Oct. 1401, ante majus altare ad australem ejus partem sepultus

LI. Guichardus I de Jotro *(Jeurre)* a Benedicto XIII an. 1403 abbas confirmatus, Alesiæ de Jotro sorori suæ quandam pensionem assignavit ad vitam. Insequenti a Guillelmo archiepiscopo missam submissa voce super altari portatu facili in loco mundo & honesto per se vel per quemcumque sacerdotem celebrandi facultatem consecutus est. In tabulis S. Petri non semel locum E habet 1414. Obiit VII idus Martii 1421.

LII. Franciscus *de Chigy* interfuit solenni receptioni Johannis *de Nanton* archiepiscopi anno 1429. Ad reparandas monasterii ruinas ab eodem archiepiscopo facultatem obtinuit per diœcesim Senonensem circumferendi caput S. Lupi anno 1432, de quo cum Drocone abbate sancti Petri vivi convenit ultima Novembri 1434.

LIII. Egidius II de Colle *(du Tartre)* doctor in decretis, reperitur abbas 1437. Inquisivit 1438 in sacras reliquias S. Columbæ & S. Petri vivi. Migravit e vita 9 Augusti 1439.

Digitized by Google

LIV. Guichardus II *de Bierne* Senonensis ex cellerario Aquarum per viam inspirationis abbas electus 29 Augusti & ab Eugenio IV confirmatus, decimis in gratiam delfini Viennensis & ducis Aurelianensis a summo pontifice concessis anno 1448 obstitit, ab earum præstatione immunem se professus quod a duobus annis in facultate Parisiensi juri canonico operam navaret. Eumdem a solvenda cameræ apostolicæ pecuniæ parte ob monasterii inopiam exemit an. 1450 coactor apostolicus. Afflictam variis casibus S. Columbæ domum singulari labore & industria a ruinis excitavit. Obiit III idus Octob. 1477, abdicata 1474 ut soli Deo vacaret rerum temporalium cura & abbatiali dignitate.

LV. Johannes VI *Bulton* Parisinus, in decretis licentiatus, cellerarius Aquæ & prior de Sarmasia, bullis obtinuit II seu XI calend. Augusti 1474. Parisiis benedictus est a Ludovico Trecensi episcopo, præsentibus Francisco sancti Maglorii & Johanne S. Mauri abbatibus 18 Dec. ejusdem anni. Post multos pro monasterio impensos labores obiit an. 1486 III id. Sept. regularium postremus.

LVI. Ludovicus I *de Melun* filius Guillelmi domini *du Mez* & *du Baignon* & Mariæ *de Courcelles* canonicus & major archidiaconus Senonensis, & prior S. Salvatoris prope Braium, abbatiam in commendam obtinuit an. 1486. Reddendam a monasterii prioribus & aliis officiariis administrationum rationem sanxit in capitulo generali 1491. Sententias obtinuit adversus canonicos 1495 & archiepiscopum Senonenses 1497, quibus tenerentur die festo sancti Lupi offerre cereos in ecclesia S. Columbæ. Capsam sancti Lupi suis sumtibus argento ornandam curavit anno 1509. Tertiam partem bonorum suorum & alia multa ad reparationem monasterii moriens reliquit. Obiit idibus Oct. an. 1509, abdicata prius, ut videtur, commenda; sepultus jacet in media navi ecclesiæ majoris S. Stephani.

LVII. Tristandus *de Salazard* archiepiscopus Senonensis, per cessionem Ludovici fit commendatarius mense Martio 1508, decennio post cessit in gratiam nepotis.

LVIII. Johannes VII *de Salazard* Tristandi nepos, archidiaconus Senonensis & abbas sancti Remigii Senonensis & S. Martini Eduensis, necnon prior de Fonte in bosco, per cessionem patrui, cui defuncto epitaphium consecravit, fit etiam abbas S. Columbæ nominatus a rege III cal. Sept. 1518. Vicarium habebat an. 1532 Sebastianum *Rabutin* abbatem S. Johannis Reomensis & priorem B. Mariæ de Charneio. Electus archiepiscopus, obiit VI cal. Dec. 1539.

LIX. Johannes VIII *d'Ancezune* e domo *de Caderousse* protonotarius apostolicus, abbas sancti Rufi apud Valentiam & S. Columbæ 1539. Hanc unire congregationi reformatæ Cazalis-Benedicti tentavit an. 1541, reformationemque ratam habuit Franciscus rex an. 1544, & majus consilium 1548. Obiit 1555.

LX. Ludovicus II *de Lorraine* cardinalis *de Guise*, possessionem per procuratorem Johannem *de la Menardiere* iniit mense Septembri 1556. Gaudebat adhuc 1560.

LXI. Robertus *de la Menardiere* dominus *de Courbespine* prope Bernaium, ætatis anno 17, cessione Ludovici abbas renunciatus est anno 1560. Vidit 1567 monasterium a Calvinistis direptum & incensum, quod an. 1581 congregationi Casalis-Benedicti, quæ tunc præ ceteris florebat, sociavit, eaque quæ ad strictioris disciplinæ observantiam necessaria erant abunde suppeditavit. Reditus cum monachis partitus est 14 Aprilis 1583, partitionemque confirmavit magnum consilium 1585 & Henricus rex 1588. Generalibus regni comitiis adfuit 1593. Fabricas ligneas, tectaque basilicæ, dormitorii & claustri reparavit 1599. Erexit anno 1614 sepulcra S. Columbæ & S. Lupi. Ecclesiam sacris vestibus sacraque suppellectile imo & vasis argenteis decoravit. Denique de monasterio optime meritus obiit 16 Sept. 1622, annos natus 79. Corpus sepultum apud Curvam-spinam, cor vero in basilica S. Columbæ.

LXII. Jacobus *de la Ferté* regi ab eleemosynis, Roberti cessione facta an. 1620 fit commendatarius S. Columbæ, cujus possessionem per procuratorem iniit penultima Martii 1623. Cessit ipse sequenti.

LXIII. Maturinus *Manget* Petri sigillorum regiorum custodis filius, abbas S. Maurini & Mauriniaci permutatione cum Jacobo facta sanctæ Columbæ commendam adeptus est an. 1630; vir probitate morum, doctrinæ studio atque omnium pene linguarum intelligentia celebris. Anno 1636 Benedictinos congregationis sancti Mauri reformationi monasterii præfecit. Sequanæ aquis præfocatus Parisiis obiit anno 1658 cum ante biennium abdicasset.

LXIV. Ivo *Fouquet de Chaslein* an. 1656 a rege nominatus possessionem adit, quam anno 1661 a summo pontifice confirmatus repetiit. Repentina morte præventus est anno 1669, 3 Maii.

LXV. Stephanus *Texier de Hautefeuille* Melitensium equitum legatus eodem anno 1669 regiis munitus literis venit in abbatiæ possessionem, quam paulo post dimisit pinguiore donatus 1670.

LXVI. Henricus III *de la Rochefoucault* filius Francisci primi ducis *de la Rochefoucault* & Gabrielidis *du Plessis-Liencourt*, commendis beatæ Mariæ Cellensis, Casæ-Dei & Fontis-Frigidi addidit S. Columbam, cujus possessionem adeptus est 10 Sept. 1670 virtute decreti magni consilii. Obiit 1708, 16 Decembris.

LXVII. Ludovicus Franciscus-Achilles *de Harlay* filius Nicolai Augusti domini *de Cely* & *de Bonneuil* libellorum supplicum magistri, & Annæ-Franciscæ-Ludovicæ-Mariæ *Boucherat*, nominatus 24 Dec. 1708, decessit 14 Febr. 1714.

LXVIII. Gabriel-Florentius *de Choiseul-Beaupré* regi ab eleemosynis, ab eodem dictus est abbas 1 Aprilis 1714, tum episcopus sancti

Digitized by Google

Papuli inauguratus est Parisiis 17 Julii 1718, A & post nominatus Mimatensis 17 Oct. 1723.

LXIX. Nicolaus *de la Fime de Livry* doctor sorbonicus, ex canonico ordinis Præmonstratensis consecratus in episcopum Callinicæ in Syria 29 Jan. 1758, commenda per cessionem superioris donatur mense Aprili anni ejusdem.

FERRIERES.

FERRARIÆ.

A Ferri venis, e quibus elicitum olim metallum, nomen videntur invenisse Ferrariæ. Positus est locus in Wastinensi pago ad Clareiam amnem in Lupam influentem tribus admodum B leucis ab urbe Montis-Argivi. Monasterio nobili nomen suum dedit, quod monasterium Ferrarias, seu Ferrariense monasterium appellant. Bethleem quoque nuncupatum fuisse a conditore scribit Lupus epist. 13. Hinc forte nata sequioribus seculis opinio Savinianum Dominicis natalibus seu intemeratæ Virginis partui locum sacrasse, antrumque Bethleemitici specus instar condidisse, cujus & ipsi nomen indidit. Æquiores non videntur qui Ferrariarum originem a Chlodovæo repetunt, qui hortantibus Remigio Remorum & Eraclio Senonum episcopis monachos ibi instituit, qui ad intestina Theoderici ac Theodeberti C bella cum Chilperico ejusque filio Chlotario constitere. Rem sat intricatam enucleasset Lupus, si auctorem monasterii a quo Bethleem vult dictum proprio nomine designasset. Hunc Paschalis II Ferrariensium ipsorum relatu Wandelbertum ducem appellat datis an. 1103 literis quæ etiamnum autographæ servantur. (Ch. xv. col. 15.) Forte ipse est Waldebertus dux sub Chlodovæo juniore, is qui cum aliis Burgundiæ ducibus Willibaldum patricium armis aggressus est ac peremit, an idem qui prius Chlotarii II domesticus fuerat? quo tempore Dado seu Audoënus Resbacense monasterium ab se conditum itidem Jerusalem appellari voluit. D Wandelbertus itaque monasterium in honorem B. Mariæ ultimis Chlotarii II annis aut sub annum 630 fundavit, quod Aldricus, suppetias ferente Ludovico pio seculo nono reparavit in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli. Illius est ecclesia quam eodem seculo plumbo texit Servatus Lupus. Abhinc B. Mariæ sanctique Petri conjunctim tulit appellationem monasterium ad seculi superioris medium: nunc enim sancti Petri titulo passim donatur. Recenti opere vix completa erat basilica quam Alexander III consecravit III cal. Octob. 1163. Ab ipsis E Wandelberti conditoris temporibus Romanæ sedi vel apostolorum principi Petro clientelaris obsequii lege devinctum monasterium non sine fœnore, quolibet triennio auri pendebat unciam quæ jam dudum cum libertate simul evanuit. Benefactorum quoque in partem venere Senonenses archiepiscopi, a quibus confirmatæ ecclesiæ Ferrariensi subditæ, concessæ sodalibus B. Mariæ de Bethleem indulgentiæ: prærogativas vero omnes temporales christianissimis regibus acceptas refert abbatia, quæ a Ludovico pio reparata inter celebriores dona & militiam regi pendebat.

Quoad varias monasterii clades, Normannorum ut alia Anglorumque præda fuit. Illud Ludovicus *de Blanchefort*, alter, ut ita dicam, fundator abunde reparavit. Ast ipsi nostrates avitæ religionis, quin & ipsius naturæ obliti præeunte Odeto pseudoabbate & pseudocardinali susdeque verterunt anno 1569, omniaque vel expilarunt vel pessumdederunt, monachos alios fugarunt, alios sex peremerunt, ut mirum non sit de hoc monasterio ac de plerisque abbatibus vix quidquam certi statui posse. Denique actum erat de nobili ac celebri asceterio, ni anno 1633 Andreas *Fremiot* patriarcha Bituricensis & abbas monachos reformatos accivisset. Hi vix nati ex una congregatione in tres postea divisi quietum locum monachis S. Mauri cessere anno 1655 qui abhinc tam ædificiis quam regulari disciplinæ pristinum decorem restituere conati sunt. De sequenti abbatum serie dicere pene erubescimus. Hanc enim qui primus struxit Guillelmus Morinus tot mendis, fabulis & repetitionibus infersit, ut nulla nisi abbatibus auctoritate alia subnixis adhiberi posse videatur fides.

Monachus S. Galli qui Carolo Crasso imperante Caroli magni res gestas literis exaravit, Pippinum scribit Caroli patrem Ferrariis propria manu Leonem occidisse, quod audax facinus icones insculptæ basilicæ B. Mariæ Ferrariensis portæ repræsentant. Addit Ludovici pii vitæ scriptor anonymus, quem multi vocant Astronomum eadem in basilica Pippinum a Stephano papa regni coronam accepisse, quod in Dionysiana basilica constat celebratum, nisi si Pippinus, cui Bonifacius ante Stephani in Gallias accessum jam regni coronam Suessione imposuerat, non solum apud S. Dionysium, sed & Ferrariis diademate redimitum se voluit, quo potior in illum esset Francorum fides, e quorum animis dolenda erat abjecti tonsique Childerici memoria. Certior Ludovici & Carlomanni Ludovici Balbi filiorum coronatio Ferrariis celebrata fer. VI Parasceves 10 Aprilis 879 per Ansegisum Senonum antistitem, cujus ipse Carlomannus in capitulari Carisiacensi meminit, ratum habens scriptum illud quod in Ferrariarum monasterio coram altari S. Petri perdonaverat.

ELENCHUS ABBATUM.

I. BUCHINUS e gentili conversus, monasticen amplexus monasterio Ferrariensi primus præfuisse noscitur ex vita S. Eligii ab Audoëno conscripta lib. 1, cap. 10. Aliorum post eum ad Alcuinum incomperta est series ac memoria.

II. Wido I quem alii Buchino præposuerunt.

III. Gerontius interventu Dagoberti regis privilegium obtinuisse dicitur a summo pontifice Ferrariensi monasterio libertatem & immunitatem concedente. Sequuntur apud Sammarthanos ex fide Morini

IV. Waldebertus an. 720, Singulfus, Adelbertus, Gervasius, Garmundus, Ogerius & Constantius. Posteriores duo recentiorum sunt temporum. Singulfus ipse est Sigulfus Alcuini discipulus & successor, quem proxime sequitur Adalbertus.

Digitized by Google

Adalbertus. Gervasium Carolus Cointius intrepide asserit an. 752, Constantium vero 794 fato functum, quod Alcuinum hoc eodem anno putet abbatem. Gervasius vero unus idemque videtur ac Gerontius, vel certe

V. Garmundus quem ante vel post Gilonem in veteri necrologio notatum sæculo VIII præfuisse existimo. Obitus ejus incidit in IV cal. Martias, III vero idus Martii in obituario Silvæ majoris.

VI. Gilo I, docente eodem necrologio, vita cessit VI cal. Martii.

VII. Alcuinus in Franciam reversus sub finem anni 792 aut insequentis initium, Caroli dono monasteriis Ferrariensi & S. Lupi apud Trecas potitus est præter cellam maritimam S. Judoci apud Morinos. Ferrarias vero ante mortem quæ contigit XIV calend. Junii 804, discipulo suo Sigulfo resignavit, ex Mabillonio.

VIII. Sigulfus Alcuini discipulus, cujus hortatu idem Alcuinus quæstiones in Genesim edidit, eique nuncupavit, Alcuino morienti adstitit, ejusque meritis capitis dolore sanatus est, cujus vitam narravit & dictavit anonymo ejus scriptori. Sigulfi meminit auctor vitæ S. Aldrici his verbis: *Alcuino abbate defuncto, ad curam ejusdem loci gerendam substitutus est Singulfus natione Anglicus, nobili prosapia ortus, morum honestate præditus & religiosæ conversationis prærogativa præclarus, quod quidem cœnobium diu summa cum laude administravit, sed Rachelis amplexus Liæ fœcunditati præponens abbatiale onus in Adalbertum refudit.* De eodem Lupus in epistola 29 sic habet: *Certe Ferrariensis monasterii cui indignus deservio, quidam nobilis abbas & presbyter Sigulfus qui usque ad senium sub canonico habitu laudabiliter vixerat, sponte se potestate exuit, & nostram, hoc est monachicam religionem assumsit, atque donec diem obiret suo passus est subjici discipulo.* Sigulfi temporibus in concilio Aquisgranensi monasterium Ferrariæ annumeratum est monasteriis quæ dona & militiam imperatori facere debebant.

IX. Adalbertus Sigulfi discipulus ipsius voluntate ac fratrum consensu ab imperatore Ludovico Ferrariis abbas præfectus est. Ejus obitum ita commemorat auctor vitæ sancti Aldrici: *Dum hæc agerentur, Adalbertus Ferrariensis cœnobii abbas eximius migravit a sæculo, quem Sigulfus senio debilitatus sibi substituerat, malens cum Maria ad pedes domini sedere quam cum Martha diutius circa frequens ministerium satagere. Ille post quartum annum suæ administrationis a carnis ergastulo feliciter absolutus est; quo sepulto, in Aldricum probatæ religionis virum omnium unanimis & canonica evenit electio.*

X. Aldricus in pago Wastinensi parentibus Palatinis natus est an. 775. Adhuc puer cum monachis frequens eorumque instituto plurimum delectatus, demum eorum contubernio sociari voluit. Ægre assensere parentes qui eum in proposito constantem tandem Ferrariensi monasterio tradiderunt sub Alcuino abbate aut eo qui ejus vice disciplinæ regulari præerat. Certe Sigulfum Aldrici educationis curam habuisse patet ex Alcuini vita, sub Sigulfo & Adalberto meruit,

A quem Jeremias Senonum antistes diaconum ac biennio post presbyterum ordinavit. Mortuo Adalberto unanimi fratrum consensu electus abbas an. 821, ad confirmandam in Elnonensi cœnobio regularem disciplinam a Ludovico imperatore missus est an. 822. Ludovici Cæsaris jussu ecclesiæ Senonicæ pontifex factus est, inquit Lupus, an. 829.

XI. Odo I Aldrico pontificale solium adepto successit. Cunctis ob religionis sanctitatem venerandus dicitur in vita S. Faronis quæ etiam illum cum Lupo ad Placitum vel imperatorem Francofurtum petiisse docet. Mortuo Ludovico venit

B in suspicionem Lotharianarum partium. Fluctuantem animum ipse prodit apud Lupum in epistola 26 ad Marcwardum & Sichardum scribens: *Nos autem in quodam meditullio positi fluctuamus incerti, dum deprehendere non valemus quinam potissimum regionem nostram sibi debeat vindicare. Namque sicut relatio vestrorum hominum declaravit, varia hinc fertur opinio. Tamen suppliciter vestram poscimus paternitatem ut si consensus omnium in Lotharium pronior fuerit, & apud eum sicut optamus & credimus divina vobis locum . . . . . concesserit clementia, memores nostri esse non dedignemini.* Spe sua frustratus Odo nihilominus Carolo fidelem se gessit,

C cujus etiam castra in expeditione Aquitanica secutus est. Inde cum redux ad suos missionem peteret, varia de ipso jactata sunt, quibus Caroli incurrit offensam. Eo itaque jubente post multas inducias loco cedere cogitur sub finem anni 841. Odonis integritatem & innocentiam Lupus in epistola 21 ad Jonam probat, ejusque decessum describit. Odone sedente Ansegisus abbas Fontanellensis in testamento anni 831 monachis Ferrariensibus legavit duas libras.

XII. Servatus Lupus nobilibus natus parentibus in provincia & forte in ipsa parochia Senonensi, germanum habuit Adalgum, affinem

D Heriboldum Autissiodori episcopum, consanguineum Odacrum abbatem Cormaricensem, propinquos Ebrardum monachum, Marcwardum Prumiensem abbatem ac Remigium S. Germani Autissiodorensis monachum & nepotem filium Guagonis. A teneris Ferrariensi monasterio traditus ab Aldrico tum abbate educatus est, quem dominum ac nutritorem suum vocat, qui grammaticæ præceptorem ei assignavit. Ab eodem facto archiepiscopo Fuldam ad Rabanum directus fuit ut ab eo ingressum caperet divinarum scripturarum. Aliquando cum ad palatium Francofurtense una cum abbate suo Odone profectus

E fuisset, in loco sancti Trudonis orta in dextro inguine pustula in morbum incidit, a quo orationum pro se factarum copia servatus, facile ob beneficii memoriam Servati nomen assumere potuit. Demum in patriam remeavit an. 836 post septem absentiæ annos. Insequenti ab amicis ad imperatorem adductus, ab eo & a Juditha Augusta benigne exceptus est, ita ut speraret subito sibi gradum aliquem collatum iri. Attamen anno tantum exeunte 841 ad monachorum votum & electionem a Carolo rege X cal. Dec. in locum Odonis substitutus est. Præbuit istud

Digitized by Google

materiam malignis sermonibus quasi Lupus Odoni parasset insidias per fraudemque potius ac vim quam canonice factus esset abbas. Sed hanc calumniam expurgavit ipse in epistola scripta ad Jonam episcopum Aurelianensem. Quod autem Fulda reversus docendi officium in suo monasterio gesserat, hoc factus abbas exercere perseveravit, quatenus regiminis diversæ sinebant occupationes. Conventui Germiniacensi adfuit an. 843 & subscripsit privilegio Corbioni concesso. Diploma ipse obtinuit a Carolo rege VI calend. Januarii anni hujus, quo monachis liberam abbatis electionem & cellam sancti Judoci confirmavit. In conflictu Pippini adversus subsidiarias ex Francia ad Carolum properantes copias an. 844 in pago Encolismensi inter alios captus est Lupus. Ex Aquitania reverso Carolus S. Judoci cellam Ludovici Augusti dono Ferrariensi monasterio adjunctam, eidem restitui voluit, tametsi repugnante Odulfo comite cui eam dederat Carolus, res effectu caruit ad annum 849 quo tandem Ferrariensibus restituta videtur. In Burgundiam a Carolo rege missus est Lupus an. 844 ad instaurandam monasteriorum religionem. Concilio Vernensi eodem adstitit anno, cujus etiam canones condidit numero duodecim. Conventui apud Marsnam adfuit anno 847. Biennio post concilio Parisiensi adfuit an. 849, & synodicam ex mandato patrum scripsit epistolam ad Nomenonem ducem in gratiam episcoporum Britanniæ a sedibus propriis expulsorum. Synodo Murittensi adstitit an. 850, & synodicam nomine patrum Ercanrado Paris. episcopo scripsit epistolam. Concilio Suessionensi interfuit anno 853. Cuidam placito eodem adfuit anno forte apud Vernum aut Vermeriam. Biennio post de Ferrariensi basilica plumbo tegenda sollicitus, plumbum ex insula Britanniæ ab Ædilulfo rege petiit. Synodo Bonogilensi adfuit anno 855. Eodem a monachis S. Amandi Elnonensis postulatus abbas, alii postponitur. Cleri Parisiensis nomine scripsit an. 856 ad Wenilonem Senonum metropolitam de electione Æneæ episcopi Parisiensis, vicissimque nomine Wenilonis scripsit ad clerum Parisiensem. Carolum regem Autissiodorum venientem comitatus in monasterio sancti Germani perhumaniter exceptus hospitio fuit an. 857. Synodo Tullensi adfuit an. 859, in qua cum factum Wenilonis metropolitani sui adversus Carolum regem improbasset, id in malam partem arripuit Wenilo, quasi in eum excanduisset Lupus ut ejus exauctorationem præcipitaret, & in ejus locum ipse promoveretur. Hanc criminationem graviter accepit Lupus, quam apud Wenilonem diluere tentavit epistola 124. Aliam cum Wenilone habuit controversiam de duobus titularibus presbyteris ecclesiarum Ferrariensibus subjectarum, qui relictis titulis ad monasticam professionem Ferrarias convolare volebant, quibus hanc copiam negaturum se respondit Wenilo, nisi Lupus hoc sine vitio fieri posse auctoritate comprobaret, quod & facile comprobavit. Ferrariensibus & Lupo ob Normannorum metum anno 861 aufugere coactis Folericus Trecensis

Chart. VI, col. 8.

A episcopus Aquense prædium tribuit septem leucis ab urbe Tricassina distans. Pistensi 861 & post Suessionensi synodis adstitit an. 862. Non diu post illam synodum superstes fuit Lupus, cujus nullum in Ferrariensi monasterio superest vestigium. Sane vir fuit inter præcipuos sui temporis non minus eruditus quam politus. Ejus studium in conquirendis optimis libris quos sibi ex tota Gallia, Italia, Germania Britanniaque mitti postulavit probant ejus epistolæ. Nec mirum si profanos etiam auctores tam sollicite sibi comparaverit, cum ipse humaniores literas & liberales disciplinas doceret, quamobrem se rogavit a B militiæ munere apud regem excusari. Præter epistolas haud vulgaris eruditionis testes quas scripsit plurimas & librum de tribus quæstionibus a Baluzio editum una cum epistolis, scripsit etiam commentarios in sacram scripturam qui in monasterio Ferrariensi asservati sunt ad annum 1569, quo Calvinistarum furor eos cum multis aliis MSS. dissipavit.

XIII. Wenilo si abbas Ferrariensis aliquando extitit, ut tradit in chronico Robertus Autissiodorensis, Lupo circa annum 862, cum jam Senonensis archiepiscopus esset, a Carolo rege subrogatus fuisse credendus est.

C XIV. Gausbertus cujus in miraculis S. Aldrici fit mentio, diversus forte non est a Gausberto abbate quem Tortarius in libro de miraculis sancti Benedicti vocat *virum timoratum qui etiam abbatis officio functus fuerat, qui sibi subjectorum mores nequaquam emendare valens, renuncians nomini quod incassum tenebat, Floriacum amore patris Benedicti expetiit.* Hæc enim quæ refert Tortarius miracula iis qui ad ejus ætatem propius accedebant magis congruere videntur.

XV. Albustus vel Adalbustus anno 876 Pontigonensi concilio subscripsit. Hunc integerrima vita & religione incorrupta commendatum D ac vere patris & moderatoris sapientissimi laude dignum ferunt schedæ Ferrarienses.

§ Albericus qui sequitur apud Sammarthanos, solo nomine notus, forte non differt ab Albusto.

XVI. Walterus I ibidem Alberico successor datus, si a sequenti ordine XXV Gualterio discrepat, is ipse fuerit Walterius archiepisc. Senonensis qui ab anno 887 ad 923 metropolim rexit.

§ Zacharias hoc loco videtur intrusus ex Odonis inter Lupinas epistola 23, quippe cujus nec Walteri quidquam in monasterii monumentis occurrit.

XVII. Notrannus monasterii Ferrariensis E primo abbas fuit, eratque S. Petri vivi anno 955 ex Clario. S. Remigii quoque & S. Heraclii seu S. Johannis abbatias tenuit & evertit. Post hæc Nivernensem episcopatum armata manu militarique fultus præsidio invasit

XVIII. Hildemannus &

XIX. Archimbaldus, non dubium quin archiepiscopi fuerint Senonenses qui hoc degebant tempore.

XX. Wido II *d'Anjou* abbas S. Pauli Cormaricensis, S. Salvatoris de Villalupa, S. Petri Ferrariensis & sancti Albini Andecavensis circa

Digitized by Google

annum 973, demum Aniciensis episcopus creatus est 976.

XXI. Rodulfus &

XXII. Odo II prorsus ignoti, alii non fuisse videntur ab horum nominum regibus qui more temporibus illis haud insueto Ferrarias usibus addixerint suis. Vereor tamen ut fuerint potius Senonenses aut pagi Wastinensis comites. Ut ut est, Radulfus in veteri necrologio defunctus notatur calendis Maii.

XXIII. Rainardus I idem forte ac abbas sancti Petri vivi, abbas erat Ferrariensis, præsensque quando totum monasterium Floriacense tempore Abbonis abbatis conflagravit. Hujus circiter tempore monasterium Ferrariense vassallorum suorum usurpationibus ita corrosum est, ut vix aliquid remanserit ad stipendia paucorum fratrum. Rainardus quoque vetulus comes Senonensis, castrum Rainardi construxit in monasterii fundo, quo multos genere nobiles & armis inclytos milites pro variis seu congressibus seu obsidionibus sustulit. At paulo post Aimoinus loci monachus e vico pagi Bituricensis domna Martina dicto reliquias S. Montanæ Virginis in suum monasterium asportavit, ubi hactenus caput S. Montanæ asservatur in scrinio argenteo quod Ludovicus *de Blanchefort* abbas postea fieri curavit.

XXIV. Argerius si quidem alius est ab Otgerio post centum annos recensendo non male a Claudio-Roberto recensetur anno 1000.

§ Garmundus in MSS. indicibus hic ad supplendum vacuum ex conjectura positus ad annum 1009, idem ipse est qui seculo VIII floruisse creditur, locumque habet in necrologio ad IV idus Martii. Par est fere ratio de Galderico quem necrologium non scribit abbatem hujus loci, quæ verba in genuinis adhibere solet. Obiit IV non. Junii. In veteri abbatum indice collocatur ad annum 1016.

Ogerinus errore chronico supplendi quoque spatii causa huc intrusus anno 1030 ab indicis consarcinatore recentiori. Tocolinus, ipse est Tescelinus, loco suo addendus, in indice anno 1049 collocatus.

XXV. Galterius II natalium splendore clarissimus munere suo sanctissime perfunctus est. In concilio Cabilonensi an. 1064 subscripsit chartæ Hugonis Nivernensis pro ecclesia S. Stephani. An. 1070 a Philippo rege diploma obtinuit quo pravæ consuetudines monasteriique gravamina repelluntur, sequenti privilegium ab Alexandro II accepit. Interfuit Senonensi quam Richerius antistes an. 1081 mense Octobri cogebat synodo.

Ch. XII, col. 13.

XXVI. Otgerius anno 1103 ex Paschalis II literis innotescit, quibus pontifex monasterium sub apostolica tuitione suscipit, bona ejus, in his S. Judoci cellam & parochiales S. Eligii, sancti Martini de Curtemundo, S. Victurii de Fontaneto, S. Amandi de Buisiaco confirmat ecclesias. Addit liberam ex regulæ præscripto abbatis electionem qui a Romano pontifice benedictionem uti libuerit sit accepturus. Otgerii postremus dies calendis Julii notatur.

XXVII. Gualterius III anno 1108 bullam a Paschali II obtinuisse fertur, & cum Petro Curtiniaci comite ejusque uxore Catharina de juribus Curtismauldi composuisse, sed vereor ne idem sit ac Gualterius I.

§ Vapulat Stephanus *Verillet* quem Guillelmus Morinus de historia Ferrariensi pessime meritus hoc loco perperam intrusit.

XXVIII. Odo III Callixto II pontifice maximo floruit ob religiosæ vitæ studium merito commendatus. Obiit anno 1120.

XXIX. Henricus vir magnæ apud optimates auctoritatis a Ludovico VI Curvillanam nobilem villam juriumque monasterii ac finium descriptionem & confirmationem accepit anno 1127. Huic etiam Henricus Senonensis archiepiscopus an. 1133, pontificatus 10, ecclesiam de Branlis cum decimarum parte & oblationibus concessit, quo loco erectus olim S. Lupi nomine prioratus institutæque bis quolibet anno nundinæ tota provincia celebres Henrico suadente. Pontiniacensium primus abbas Hugo religione doctrinaque insignis apud Ferrarias episcopus Autissiodorensis a Gaufrido Carnotensi antistite sacratur. Rebus præclare gestis, Henricus ad cœlum migravit VIII id. Aprilis bonæ memoriæ dictus in necrologio.

XXX. Amalricus seu Emmauricus, ob nomen æquivocum a Morino, Claudio-Roberto cæterisque recentioribus male fingitur episcopus Silvanectensis. Hanc enim dignitatem ei abrogat necrologium Ferrariense, in quo sic notatur: *IV nonas Maii obiit Emmauricus quondam abbas hujus loci bonæ memoriæ.* Ei Ludovicus VII anno 1143 diplomate Loriaci dato mediam partem furni indictivi seu bannalis de Branlis confirmavit, quam ipse emerat anno superiori.

XXXI. Constantinus consignatur in necrologio XVIII cal. Febr. ubi obiisse dicitur anno 1147.

XXXII. Johannes I anno 1147 Eugenii III literas Parisiis datas IV cal. Maii accepit quibus monasterii bona designantur. Fuit is monachus sancti Dionysii Sugerio abbati familiaritate conjunctus, qui cum inducendis ad S. Genovefam canonicis regularibus allaboravit. Id docent ejus ad Eugenium pontificem hoc de negotio literæ. E pecunia quæ ad sacram expeditionem Ferrariensi monasterio imposita fuerat, cum 20 libras persolvisset, Sugerium precatus est ut inducias & tempus idoneum ad reliquam persolvendam ei concederet. Ecclesiam S. Petri *de Chaon* in Secalaunia ab Manasse Aurelianensium episcopo obtinuit.

XXXIII. Petrus I cujus memoriam unæ servant anni 1152 tabulæ, in quibus decimas comparasse dicitur & bonæ memoriæ titulo donatur.

XXXIV. Rainardus II anno 1154 bullam obtinuit ab Anastasio IV. Litem composuit anno eodem cum Roberto-Clemente, ut docent nos literæ Hugonis archiepiscopi Senonensis datæ an. 1154, Ludovici 15, Hugonis XI. Memoratur 1155 in compositione inter Dei-locenses & monachos Caritatis. Anno 1156 sententiam

Digitized by Google

obtinuit ab Adriano IV adversus monachos Caritatis qui ecclesiam S. Genulfi de Brusiaco Ferrariensibus auferre moliebantur. Anno sequenti composuit cum Gilduino abbate Fontis-Johannis pro quibusdam decimis hortantibus Landerico de Scarleis & Garnerio sancti Severini Castri-Nantonis abbatibus.

XXXV. Dodo duas bullas ab Alexandro III obtinuit, unam an. 1161, qua summus pontifex confirmat Adriani IV decessoris sui decretum pro Brusiacensi ecclesia, aliam anno 1164 protectionis & confirmationis prædiorum monasterii. Eumdem pontificem anno superiori in monasterio suo exceperat, & ab eo basilicam Ferrariensem consecrari obtinuerat. Ad id quoque tempus referenda videtur ep. 31 Alexandri III, appendicis 2 ad Ludovicum regem, qua ei commendat Ferrariense cœnobium quod ad jus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ specialiter pertinet, tom. X concil. Labb. col. 1312; item epistola 79 ejusdem appendicis, col. 1340, qua summus pontifex eumdem regem rogat ut constituat nundinas apud Ferrarias in anniversario die benedictionis abbatis. Dodo autem composuit an. 1162 cum Hugone archiepiscopo de ecclesiis quas reclamabant monachi, & an. 1166 cum Hugone domino de Acrivilla pro decimis de Brugliniaco. Pepigit etiam Alexandri pontificis rogatu cum Willelmo Senonensi archiepiscopo pro decimis villæ *Garden.* Precum societatem cum monachis B. Columbæ iniit, denatus III cal. Junii.

XXXVI. Arnulfus an. 1185 per Philippum Augustum figi notarique jurisdictionis Ferrariensis limites obtinuit, intra quos abbas & monachi Ferrarienses incolas manumiserunt, certis tamen pecuniæ censuumve & obsequiorum præstandorum conditionibus addictos. Exstat ejusdem charta anno 1187 pro Guillelmo de Moreto. Dicebatur etiam a plerisque Arnaudus, quo nomine scribitur in necrologio III cal. Junii.

XXXVII. Tescelinus, seu Tecelinus, genere Anglus, memoratur in chartis anni 1193. Societatem cum Walterio abbate & monachis Corbeiæ iniit. A Gaufrido de Ferreriis jus proprietatis emit an. 1210 summa 50 librarum Paris. Ad ejus preces Petrus Senonensis archiepiscopus an. 1212 mediam partem obventionum ecclesiæ S. Eligii cœnobio Ferrariensi adjudicavit. Ratam habuit an. 1216 venditionem factam ab Henrico *Chapons* milite. Eodem obiit anno XII calend. Augusti.

XXXVIII. Gaufridus anno 1217 quædam jura in Ferrariensibus furnariis monasterio asserit. Sequenti fratres de Majoria Brusiacensi dissidentes conciliat. Præerat adhuc 1219 & 1220, cujus obitus in necrologio notatur pridie nonas Martii.

XXXIX. Robertus I pro quo & conventu Ferrariensi prædes fiunt Andræas abbas Castri-Nantonis & Nicolaus de Altovillari miles de 50 libris quas debebat Roberto de Curana.

XL. Guillelmus I præerat annis 1237 & 1240.

XLI. Robertus II ex priore electus abbas, & a summo pontifice benedictus anno 1260, & regi commendatus ab Alexandro IV pontificatus 6. Ratam habuit mense Augusto 1261 cum Guillelmo de Brocia archiepiscopo conventionem olim factam inter Guillelmum archiepiscopum & Dodonem abbatem Ferrariensem. Notatur XII cal. Maii.

XLII. Albinus anno 1262 ab Urbano IV literas accepit de prati Fontanæi decimis.

XLIII. Adam electus est forte an. 1270, quo monachi ab M. abbate S. Dionysii regni administro regaliorum copiam petunt. Huic concessit Clemens IV ut vineæ & agri quos monachi Ferrarienses ipsi colerent decimis non essent obnoxii. Præerat adhuc 1273.

XLIV. Johannes II *de Pontoise* ex monacho S. Dionysii & priore Argentolii factus abbas Ferrariensis an. 1283, bullam obtinuit a Martino IV. De multis accusatus a judicibus per sedem apostolicam designatis absolvitur. Quin & Philippus rex misit ad eum mitram & annulum cum privilegio iis utendi, de quibus regi gratias egit abbas an. 1305. Eidem idem privilegium concessit Clemens V IX calend. Junii, pontificatus 2. Obiit 1308 idibus Junii.

XLV. Gervasius a Clemente V confirmatur & regi commendatur anno pontificatus 3. Obiit anno 1 Johannis XXII, eique anno eodem successit Petrus. Consignatur in necrologio nonis Aprilis. Ac proinde nullus est Johannes, cujus nomen an. 1310 in literis Philippi regis lignorum usus in silva Montis-Argi permittentis legitur.

XLVI. Petrus II de Arableio monachus Casæ-Dei electus est anno 1317. Vir stoicæ severitatis & inauditæ parcimoniæ, nec minoris pietatis cultor audiebat apud suos quibus absens misit epistolam ad necrologii calcem descriptam. A Carolo pulcro Francorum rege obtinuit anno 1326 ut Ferrariense cœnobium a reginæ Clementiæ jurisdictione eximeretur, & sub immediata regis protectione permaneret. Eodem anno Philippo Valesio qui Carolo regi successerat, commodavit 4500 aureos, eique Philippus an. 1332 atque abbatiæ Ferrariensi relaxavit jus gisti seu pernoctandi in monasterio. Obiit 1340 14 Augusti.

Attonem igitur perperam editi indices anno 1330 intrudunt, cujus nulla mentio in veteribus monasterii monumentis.

XLVII. Johannes III *d'Arcy* ex monacho Vizeliacensi fit abbas Ferrariensis an. 1341, tum Vezeliacensis & post Corbeiensis, ubi vide.

XLVIII. Johannes IV de Sartanaio regi a consiliis, nominatur testis an. 1349 in statuto solenni pro privilegiis ditionum Humberti delfini, quod promulgari curavit & confirmari paulo antequam abdicaret Lugduni. Adfuit ibidem 16 Julii anni ejusdem abdicationi spontaneæ Humberti delfini in gratiam Caroli primogeniti Johannis ducis Normanniæ, nepotis Philippi Valesii regis, qui primus fuit delfinus e regio sanguine. Anglis monasterium vastantibus

Digitized by Google

Parisios se recepit, ubi supremum vitæ diem absolvit, in collegio Cluniacensi sepultura hocque donatus epitaphio: *Hic jacet R. P. D. Johannes de Sarthaugyo quondam abbas humilis monasterii Ferrariensis, ordinis S. Benedicti, Senonensis diœcesis, domini regis consiliarius, qui obiit Parisiis 26 die mensis Septembris 1360.*

XLIX. Simon *de la Brosse* ex monacho Cluniacensi Johanni successit anno eodem. Insequenti ab Innocentio VI missus est IV non. Nov. pontificatus 9, ad Eduardum Angliæ regem, ut patet ex epistola pontificis ad regem, in qua Simonem appellat virum scientificum, discretione pollentem, Romanæ ecclesiæ & ipsi papæ devotum, missum pro urgentibus ejusdem ecclesiæ negotiis. Vide Anecd. tom. II, col. 1059, 60, 61, 62, 63, 64. Factus est abbas Cluniacensis anno 9 Innocentii VI.

§ Itembardus & Radulfus Ferrariis quidem præfuerunt, notatus ille VIII cal. Martii, hic vero calendis Maii, sed uterque extra ordinem ponitur in indicibus, nam

L. Guillelmus II *Ganeau* præpositus Ferrariensis, successit Simoni, aut anno 9 Innocentii VI, aut anno 2 Urbani V. Reperitur in variis monasterii instrumentis annorum 1373, 1376 & 1379, quo ultimo cum incolis Ferrariensibus pro restauranda monasterii munitione transegit. Præerat adhuc an. 1392. Ac proinde recensiti in Gallia Christiana inter abbates Wilboldus an. 1380 & Hugo Gelinus an. 1396, cum præcedentibus stare nequeunt, sicut nec cum subsequentibus.

LI. Guillelmus III *de la Forest* nobili prosapia ortus, ex monacho S. Dionysii, prior Capellæ-Audæ in Bituricibus an. 1390, tum exigentibus meritis fratrum electione unanimi Ferrariensis monasterii regimen capessivit an. 1394. Abbas singulari vitæ sanctimonia ac insigni literarum peritia per annos 20 venerandæ præfuit congregationi. Præerat adhuc anno 1415.

LII. Petrus III in Gallia christiana ad annum 1416, cui, inquit Morinus, Isabella regina 2000 libras dedit ad instaurandas ædes, quæ iterum an. 1421 ab Anglis pessumdatæ sunt.

LIII. Johannes V eadem fide ab an. 1418 ad 1428 præfuit, sed bellicis illis tempestatibus etiam obscura pro certis & indubitatis agnoscere fas est.

LIV. Egidius II *du Tertre* juris pontificii doctor præerat an. 1430. Abbatiam quoque S. Columbæ consecutus est, sive illam una cum Ferrariensi tenuerit, sive ad eam expilato Ferrariensi monasterio fuerit translatus. Obiit die 9 Augusti 1439.

LV. Jacobus I *Miroust* in monasterii commoda & suorum profectum intentus, male ad annum 1460 statuitur pro 1440.

LVI. Johannes VI *Chandart*, dictus *le Targe*, patria Nemosiensis, reperitur in multis instrumentis annorum 1457, 1458, 1459, 1462 & 1465, quo ultimo obiit.

LVII. Ludovicus I *de Blanchefort* genere perillustris apud Nivernenses, patrem habuit Guidonem, matrem vero supremam *d'Aubusson* A & avunculum cardinalem Albissonium, a Ludovico XI rege sacro de fonte levatus, ex monacho Ferrariensi prior S. Salvatoris prope Brajacum ad Sequanam, dein abbas Ferrariensis 1465, Pauli II indulto priorem quoque dignitatem retinuit. Abbatum decus & monasterii instaurator illud prope integrum restituit; quod gentilitia ejus symbola ubique conspicua satis ostentant. Ac primo quidem a Ludovico archiepiscopo facultatem obtinuit an. 1469 circumferendi feretrum reliquiarum ad resarcienda bellis diuturnis imminuta ædificia. Inter reliquias autem recenset 6 Nov. hujus anni caput S. Aldrici B Senonensis archiepiscopi, caput S. Montanæ filiæ Pipini regis, caput S. Pavacii, caput S. Albani, caput S. Rigomeri, &c. B. Aldrici sacras reliquias ditissima ex argento, auro ac gemmis theca decoravit an. 1487. Turrim etiam ex lapide præduro & quadrato solidam altissimamque erexisse fertur in ecclesia parochiali, sed chorum potius & ejusdem loci sacella exædificavit. Religionis amore præcipuus suos verbo pascebat & exemplo. Ab illis reverenter & officiose cultus plus amore beneficiisque suis obtinebat quam alii terrore vel pœnis extorsissent. Literarum præcipue sacrarum amans, monachos ad majora C studia Luteciam mittebat. Regia benevolentia commode usus, monasterii possessiones auxit, villas restituit, amplissimum stagnum firmis repagulis munivit. Pauperes non secus ac filios habebat fovebatque ut famis tempore cunctos monasterii proventus, fruges omnes ac vinum inter eos divideret. Ab Innocentio VIII bullam protectionis obtinuit adversus raptores & detentores bonorum monasterii an. 1489. Adversus ducem Nemosiensem sententiam impetravit an. 1499. Tristandus *de Salazard* archiepiscopus in capella *de Bethléem* minores ordines conferens 13 Nov. 1479 de consensu Ludovici abbatis, protestatus D est se in Ferrariense monasterium, aut ejus membra nullam habere jurisdictionem. Johannes *d'Egreville* clientelarem fidem Ludovico juravit & cum eo terras commutavit an. 1481. Prioratum de Charnio contulit anno 1505. His aliisque præclare & sanctissime gestis, cum Ferrarienses per annos 40 suavissime rexisset, cum alumnos ad regularis observantiæ normam mutuamque caritatem esset adhortatus, in oratorium B. Virginis deportari se jussit, ubi facta confessione, recitatis psalmis septem quos pœnitentiales vocant, oculis sidereo quodam & insolito fulgore micantibus, pauperum curam suis iterum E atque iterum commendans, accepto viatico, spiritum Deo reddidit 27 Februarii 1506. Mox fragrantissimus odor ex ipsius corpore emanans omnes afflavit. Nudatus interulis quo lavaretur, aspero cilicio ad carnem tectus apparuit. Hæc ubi cives ac pauperes accepere, certatim ad ejus cadaver effusi, Ludovicum non secus ac patriæ parentem amissum flebant. Ægre ab eo divulsi vix funeri ejus locum ac spatium permittebant. Exsequiæ condigno honore celebratæ, sepulcrum uti tantum virum decebat elegans ac magnificum ante principem aram basilicæ S. Petri positum

Digitized by Google

cum ejus statua pontificiis insignibus ornata, quam hæretici uti & sepulcrum ipsum anno 1569 in omnia sacra debacchantes violarunt & in partes comminuerunt. Ejus tumuli reliquiæ ad australem sanctuarii parietem haud longe ab altari majori sepositæ cum hoc epitaphio: *Hic jacet optimæ memoriæ vir religiosissimus liberalissimusque frater Ludovicus* de Blanchefort, *hujus quondam cœnobii abbas dignissimus, cujus animam anno M. DV mensis vero Martii cal. tertio Christus traxit in auras, postquam duos & quadraginta annos huic moderatus est.* At fallit epitaphium dum ait Ludovicum rexisse per annos 42, cum ab anno 1465, quo obiit Johannes *de Chandart*, ad annum 1505, quo obiit Ludovicus, intercedant 40 tantum anni.

LVIII. Johannes VII *Pot* genere clarissimus decretorum doctor, ex monacho Vergiacensi electus abbas anno 1506, a Julio II pontifice bullas assequi nusquam potuit renitente rege, & commendam ambiente Senonensi archiepiscopo qui abbas Ferrariensis regi juravit fidem 5 Nov. 1506. Itaque ad senatus Parif. decretum recurrit Johannes, a quo monasterii administratio ei commissa est: unde in omnibus tabulis & sedes vacare, & Johannes electus aut administrator tantummodo dicitur. Prima ejus mentio occurrit in instrumentis anni 1509 prima die Februarii & prima die Julii. Præerat adhuc 1517 quo campanam Maria dictam conflari jussit. Altissimam ac solidissimam ecclesiæ parochialis turrim a fundamentis erexit, quam aliquot interjectis annis Petrus de Martiniaco abbas ad eam celsitudinem quæ spectabilis est provexit. Johanni successorem tribuunt Sammarthani Philippum *Pot* thesaurarium sacræ Capellæ Parif. & abbatem S. Evurtii, quem nos quoque tom. VII, col. 246 diximus abbatem Ferrariensem, quippe qui in omnibus quidem indicibus locum habet, sed nullum in vetustis tabulis, quod ejus electioni refragatus sit auctoritate fultus regia Tristandus *de Salazar* archiepiscopus Senonensis, qui nec ipse pacifice administravit, nam ante ejus obitum

LIX. Petrus IV *de Marigny* Castrensis episcopus, auctoritate regia suffectus, regi juravit fidem 21 Martii 1517, nunc 1518. Vi & armis introdutus est resistentibus monachis qui Andream *Jacquinet* ex eleemosynario abbatem elegerant. Ad ecclesiam S. Petri *de Chaon* præsentavit an. 1518. Restituendo regularis observantiæ fervori se totum addixit. Sacella duo in pronao ecclesiæ construxit & speculare vitreum nativam ejus effigiem referens; alia quoque reliquit singularis pietatis argumenta. Rexit ad annum 1527, quo munus sequenti dimisit.

LX. Ludovicus II Canossa Italus episcopus Bajocensis, episcopatum pro abbatia dimisit seu permutavit 1528, obiitque 1531.

LXI. Franciscus *de Tournon* cardinalis, inter alias Ferrariensem obtinuit commendam anno 1531. Obsequium fidelitatis ei præstitere Maria *de Chaillou* domina *du Colombier*, propter feodum *de Guignard* & *du bas Tourry* 7 Aprilis 1537, Joachimus *de la Chatre*, dominus *de Nançay* 1540 & relicta ejusdem 1549, Jacobus *de Courtenay* 1541, Claudius *de Villars* dominus *de Montreau* 1550, & multi alii. Privilegiorum monasterii defensor acerrimus, ea in commentarios referri curavit coram ballivo Senonensi 25 Januarii 1547. Cessit in gratiam sequentis an. 1556, defunctus 22 Aprilis 1562 apud S. Germanum in Laia.

LXII. Odetus *de Coligny* cardinalis *de Châtillon*, abbas Ferrariensis designatus bullis a Paulo IV concessis 11 Julii 1556, a fide catholica desciscens ad Calviniana castra prosiluit an. 1562. Anno 1569 expilatum ac pessumdatum est monasterium, occisis sex monachis, cujus tamen reditus etiam uxoratus, etiam exul & in Angliam profugus ad mortem obtinuit quæ Cantuariæ contigit.

LXIII. Tussanus *Barrin* dominus *de Vincelles*, juris canonici doctor, regi ab eleemosynis Parisiensis sanctæ Capellæ canonicus, abbas sancti Romani Blaviensis, an. 1572 circa festum sancti Johannis B. Ferrariensem commendam obtinuit. Fuit etiam abbas S. Laudi Constantiensis. Obiit 2 Maii 1581 annos natus 75, sepultusque est in ecclesia Gerciaci.

LXIV. Guillelmus IV *Pellerin* regi a consiliis Tussano suffectus Petrum de Leone loci priorem a monachis electum 14 Maii expulit, & ipse paulo post jus suum sub annua nummorum aureorum 500 pensione consignavit.

LXV. Claudius I *Sublet* a S. Stephano per Guillelmi cessionem accedente brevi regio abbatiam obtinuit, cujus proventibus majoris consilii decreto potitus est, cum obsistente bellorum civilium tumultu ad Romanum pontificem accessus esset prohibitus. Anno 1583 die 6 Julii ad clientelæ obsequium admisit Antonium *des Prés*. Obiit 1593.

LXVI. Claudius II *Sublet* superioris ex fratre nepos, senator Parif. cedente patruo regioque accedente placito commendam adeptus, possessionem iniit 20 Junii 1593, germani in gratiam cessit.

LXVII. Michaël *Sublet* abbas Vindocinensis, Claudii II frater natu minor, defuncto patruo germanoque cedente successit donatus a rege diplomate. Ferrariensem commendam per obitum vacantem impetravit 1596, possessionemque arripuit 1597. At anno 1613 principi Condæo cedere coactus est, qui sequenti secretarii sui filio abbatis imposuit nomen. Fuit is

LXVIII. Johannes VIII *Piat* vel *du Piau*, qui bullis donatus 19 Sept. 1613, possessionem adeptus est 4 Aug. 1614. Sed nomine tenus fuit abbas, nam de omnibus monasterii reditibus ad nutum disponebat princeps Condæus, qui in monasterium bene affectus, instaurandis basilicæ, campanili, aliisque ædificiis cædi ligna permisit. Anno 1621 Johannes cedere coactus est.

LXIX. Andreas *Fremiot* vir nobilis, cujus soror fuit Johanna-Francisca *Fremiot* relicta baronis *de Chantal*, quæ B. Francisci Salesii adjutrix & monialium Visitationis B. Mariæ parens altera fuit. Andreas vero ex senatore Divionensi &

Digitized by Google

abbate S. Stephani ejusdem urbis Bituricensis patriarcha, volente principe, dignitatem hanc cum abbatiis Ferrariensi 1622, Brituliensi & prioratu Novigenti Rotroci commutavit. Cedente Johanne bullas pro Ferrariis accepit Romæ datas idibus Martii 1621, possessionem vero arripuit 21 Maii 1622. Severiorem regulæ observantiam in monasterio restituit an. 1633 sub congregatione S. Mauri. Parisiis occubuit 13 Maii 1641.

LXX. Jacobus II *de Nuchese* Andreæ sororis filius, abbas Varennarum, tum episcopus Cabilonensis an. 1628 avunculo datus a rege coadjutor, post ejus mortem ab anno 1641 solus abbatiis potitus est, sequenti cessit & decessit Cabilone 1 Maii 1658.

LXXI. Benignus *de Nuchese* Jacobi nepos, regiis instructus literis, cum nondum bullas obtinuisset, virtute decreti majoris consilii possessionem adeptus est 25 Julii 1658, sed mox juri suo renunciavit, multis qui parium literarum præsidio muniti erant intercedentibus. Re ad senatum Armoricarum delata diutissimeque ventilata, evicit tandem anno 1670. Interea

LXXII. Johannes IX *Bemivoglio* a rege designatus 14 Octobr. 1658, cessit in manibus ejusdem.

LXXIII. Petrus V *de Beauvilliers* filius Francisci I, ducis S. Aniani, die 14 Augusti 1660 possessionem iniit virtute decreti majoris consilii per cessionem Johannis. Obiit 1664.

LXXIV. Paulus *de Beauvilliers* Petri germanus, possessionem quoque iniit mense Augusto virtute decreti majoris consilii. Cessit post obitum Francisci fratris natu majoris.

LXXV. Stephanus *de Sainctot* senator curiæ Paris. possessionem accepit 7 Nov. 1669, obiit 29 Aug. an. 1709, sepultus in sanctuario a latere evangelii die 30 mensis ejusdem. Simul abbas erat S. Andreæ Viennensis.

LXXVI. Matthæus *Philibert* subdiaconus diœcesis Grassensis, pædagogus illustrissimæ principissæ filiæ ducis Aurelianensis, primus ab eodem duce præsentatus 1 Novemb. 1709, literis regiis 1 Jan. 1710, & bulla pontificia mense Junio donatur, possessionemque iniit 7 Julii anni ejusdem per procuratorem Nicolaum *de Guyenne* loci priorem. Obiit Parisiis 8 Maii 1749, annos natus 91, sepultusque est in ecclesia S. Eustachii.

LXXVII. Bartholomæus *Onic* duci Aurelianensi ab eleemosynis & secretis, nominatus est a rege 27 Maii 1749, bullisque donatus 10 Octobr. possessionem per procuratorem iniit 23 eorumdem mensis & anni.

S. PIERRE DE MELUN.

S. PETRUS MELODUNENSIS.

MELODUNUM ex Julio Cæsare castrum vel oppidum Senonum in insula Sequanæ positum supra Luteciam pagi cognominis seu Miliduni caput in occidentali suburbio gaudet abbatia S. Petri velut arce monti imposita. Qui Melodunensem vulgavit historiam Rouillardus ejusce monasterii conditionem ad Chlodovæi magni principatum revocat, Melundensis hodie Molosmensis forte cœnobii nomine prope consimili deceptus, quem Lingonicæ diœcesis locum a Chlodovæo numini mancipatum ferunt. Hinc varias proferunt Milidunensis cœnobii clades, quarum prima Christi anno 577 post initam Guntchrannum inter & Chilpericum reges in agro Milidunensi pugnam contigerit. Duarum sequentium auctores feruntur annis 845 & 848 Normanni: binas alias Angli tum Calvinistæ fœderatique satellites intulerunt. Ut ante Sevinum seculo X provecto Senonensem archiepiscopum & S. Petri instauratorem monasticæ ibi viguisse leges credantur duo facere possunt: unum est quod in antiquissimo Parisiensis hujusce monasterii necrologio Fulconus abbas Milidunensis notatur ad XI cal. Februarii, qui in vulgatis abbatum indicibus aliisve post Sevinum instrumentis nusquam invenitur. Deinde monasterii restaurationis memoriam ingerunt regiæ anni 991 literæ, quod proinde stetisse prius haud leve præjudicium est. Res fere sic se habet. Vetus erat tunc temporis & semiruta S. Petri ecclesia in Monte extra castrum posita, quam Sewinus archiepiscopus ab Hugone & Roberto regibus ad exstruendum seu potius instaurandum eo loci monasterium sibi concedi postulavit, cum alia S. Stephani ecclesia quæ intra muros sita erat. His obtentis Sewinus monasterium S. Petri ædificavit, ipsumque locum Walterio monacho moribus egregiis ornato & eloquiis divinis erudito regendum commisit. Regiæ hac de re literæ in palatio Compendio datæ sunt XVII calend. Octobr. anno Hugonis regis 5 & Roberti 4. Decessorum ducti exemplo Henricus I & Philippus I regio monachos fulcierunt præsidio. Burchardus quoque Parisiorum comes Milidunense S. Petri monasterium muneribus ditasse traditur. Visebantur olim in ecclesia pleraque antiqua vicecomitum Melodunensium monumenta quos de monasterio benemeritos credere par est. Hujus monasterii instaurationem anno 999 cœptam seu potius absolutam fuisse legimus in quibusdam versibus, in quibus idem monasterium post annos 160 ruinis obrutum, & a Guillelmo abbate reparatum, ab Hugone vero Senonensi archiepiscopo consecratum fuisse dicitur. Hi versus sic habent:

Chart. XI, col. 12. — Ibid.

Anno milleno minus uno cœpit ab imo
Hic restaurari diruta prima domus.
Post annos centum sex denos obruta rursus,
In tribus hæc annis est reparata domus,
Hugo sacravit eam pius antistes Senonensis,
Abbas Guillelmus cœpit & egit opus.

Eadem abbatia anno 1420 incendio denuo consumta fuit injecto a Melodunensibus oppidanis igne, ne ab Anglis & Navarrensibus occuparetur, & urbem ex eminenti loco insultarent: quod tamen non impediit quominus ab illis invaderetur. Denique idem monasterium tempestate Calvinistarum rursus omnino dirutum, a Benedictinis congregationis S. Mauri funditus

Digitized by Google

instauratum est. Annum 1651 præfert inducendæ reformationis fœdus, sed intercurrentibus cum metropolitano negotiis, exeunte duntaxat anni 1654 mense Decembri iidem Benedictini Milidunum occuparunt.

Abbatum Indiculus.

I. Fulconus e multis quos asceterium sancti Petri rectores tulisse fertur ante Normannorum incursionem, unus innotescit ex Parisiensi S. Germani necrologio, ubi mors ejus XI cal. Febr. consignatur. Vitæ series ac tempus ignota.

II. Walterius moribus egregiis ornatus, & eloquiis divinis eruditus, e Senonensi sanctæ Columbæ monasterio a Sewino archiepiscopo educitur 991, qui primus instauratam regeret ecclesiam. Summæ reverentiæ dicitur in vita seu miraculis S. Leonii confessoris, cujus translationem ex ecclesia suburbana ipsius nomini dicata in basilicam S. Petri procuravit.

III. Adalerius Fossatensis monachus ac præcentor, Fossatensem ecclesiam quæ S. Baboleni corpus tegebat, emendandi gratia subvertit. Milidunensem factum abbatem hunc Henricus I Francorum rex dilectum Deo & hominibus propter morum probitatem & vitæ simplicitatem prædicat in diplomate quo immunitatem omnium exactionum a patre Roberto Milidunensi monasterio indultam renovavit an. 1033 ad preces monachorum quos regii satellites vexabant.

IV. Milo I an. 1060 a recentioribus ex conjectura constituitur

Ch. XIV, col. 14. V. Erminius, seu Leowinus, subscripsit chartæ Richerii archiepiscopi ecclesiam S. Baldi suburbano S. Remigii monasterio concedentis mense Octobri, Philippi regis anno 23.

VI. Johannes I quem alii Johellum dicunt, eodem archiepiscopo Richerio, eodem Philippo rege præfuit.

VII. Walarennus annis 1130 & 1131 memoratus in tabulis, synodo Laterani sub Innocentio II interfuit. Gualterium quoque cœnobii sui monachum ad scribenda S. Leonii miracula cohortatus dicitur.

VIII. Joscelinus an. 1138 & sequenti recensetur in tabulario S. Victoris, ubi sancito de ecclesia B. Mariæ Floriaci pacto subscribit. Huic anno 1139 Ludovicus VII terram de Fossato restituit quam abstulerat Ludovicus VI ad munitionem sui castri. A Ludovico VII simul cum Odone Remigiano abbate ad monachos Maurigniacenses est directus, ut illi regis ad nutum abbatem in Thomæ decedentis locum subrogarent an. 1140. Dono dedit an. 1143 Waltero abbati Joyaci terram de Monte-Theobaudi. Ch. XXXV, col. 34.

IX. Radulfus cum aliis abbatibus occurrit in chartis Pruliaci circa 1155.

X. Guillelmus I obrutam domum an. 1159, in tribus annis reparavit, & ab Hugone archiepiscopo sacrari curavit. Præerat & 1162.

XI. Garnerius cui anno 1162 Hugo archiepiscopus confirmat omnes monasterii possessiones.

XII. Stephanus I adfuit colloquio apud A Moretum 1166, memoratur hoc anno in charta Barbelli, & 1167 in tabulis Jardi.

XIII. Arnulfus I cum Alberto Parisiensi cantore & abbate B. Mariæ Corboliensis, necnon Rainaldo abbate S. Exuperii reperitur in charta Castri-Nantonis. Anniversarium ejus celebrabatur in prioratu Stampensi, de quo priorem inter & monachos convenit 1254 mense Junio, Petro tunc Floriaci abbate.

XIV. Milo II privilegium protectionis impetravit ab Alexandro III an. 1177. Composuit cum Ivone abbate Sacri-portus pro decimis Herici an. 1178. De fratrum consensu partem B decimæ quam habebat apud Tosiacum ecclesiæ S. Victoris concessit an. 1180; testis eodem conventionum inter priorem S. Martini a Campis & abbatem Barbelli. Testis adhuc legitur 1182 in literis Guidonis archiepiscopi, & 1183 in literis Adelæ reginæ pro S. Dionysio. Occurrit adhuc 1188 apud Sammarthanos. An Milo frater Stephani abbatis sancti Remigii Senonensis qui vivebat 1182?

XV. Petrus I capitulo Parisiensi vendidit totum censum suum de Liricantu an. 1198.

XVI. Seguinus 1200. Guillelmo *Grange* tria C terræ donat arpenta 1202, 1203, 1209, 1210. Cum Philippo rege transegit de molendinis quæ monachi habebant in Sequana anno 1211. Gerardo abbati Sacri-portus pratum monasterio suo a Josberto & Bartholomæo dominis Floriacensibus legatum concedit 13 Aug. 1213. Memoratur an. 1215 in charta Johannis abbatis de Jardo, & mense Martio in charta Castri-Nantonis.

XVII. Milo III occurrit an. 1218 in tabulis Jardi, 1219 mense Martio in chartis Barbelli & 1220. Literas confecit de donatione facta monasterio eidem a Milone de Genoliaco milite D 1221. Transegit anno 1223 cum Guiberto abbate Sacri-portus pro torcularibus Fericii. Testatus est an. 1224 commutationem factam inter abbatem Sacri-portus & Gaufridum priorem de Moreto. Subscripsit paci initæ inter abbatem Barbelli & homines de Sacro-portu per Hervæum abbatem de Jardo 1225. Occurrit mense Maio 1226. Scripsit de recognitione facta in gratiam Barbelli a Petro de Sacro-portu milite 1228 mense Aprili. Societatem iniit an. 1233 cum Gualtero abbate Resbacensi. Pacem renovavit cum monachis Barbelli 1236. Notatur adhuc mense Martio anni 1237 in tabulario E Jardi.

XVIII. Petrum II anno 1237 exhibent Sammarthani.

XIX. Stephanus II Galterio archiepiscopo obedientiam promisit. Literas confecit de recognitione cujusdam donationis factæ Barbello a Simone milite de Reingniaco fratre, inquit, & familiari nostro 1237, fer. IV ante Natale Domini. Societatem iniit cum Laurentio abbate Resbacensi 1240. Præerat & 1241.

XX. Johannes II 1244 obedientiam promisit Giloni archiepiscopo. J. apud Sammarthanos 1247 in chartis Jardi. Literas confecit anno

Digitized by Google

anno 1250 menſe Aprili de ceſſione facta Barbello ab Adamo de Sameſio clerico. Reperitur in actis ad annum 1254.

XXI. Gilo obedientiam promiſit Henrico archiepiſcopo. Memoratur in chartis Barbelli & aliis ab anno 1254 ad 1259. Hunc Sammarthani diſtinguunt a Guidone & Guillelmo qui unus eſſe videntur.

XXII. Guillelmus II 1260, 1273.

XXIII. Johannes III 1268 inſcribitur a Sammarthanis, ubi &

XXIV. Arnulfus II 1274, qui idem forte eſt ac

XXV. Adam qui anniverſarium ſuum inſtituit 1282.

XXVI. Guillelmus III cum Johanne abbate Ferrarienſi ſocietatem iniit 1286, memoratus 1292 in tabulis Jardi & 1293 a Sammarth.

XXVII. Johannes IV Mercator 1297, ex Sammarthanis.

XXVIII. Guillelmus IV *de la Boiſſiere* jus patronatus parochiæ ſancti Maximini dimiſit in gratiam ordinis vallis Scholarium. Reperitur in variis notis ad annum 1334.

XXIX. Gerardus *Vigier* memoratus 1335, cum Egidio abbate Jardi tranſegit 1345. Conſanguineum forte nepotem habuit Robertum *Vigier* militem, Guillelmi Vigerii militis filium, cui 40 argenti marcas ſibi commodatas a Guillelmo reſtituit anno 1352.

XXX. Johannes V *Benart* 1367, 1368.

XXXI. Richardus Mercatoris legitur in variis actis ab anno 1373 ad 1387.

XXXII. Robertus I *Chulée* 1408. Ejus tempore monaſterium penitus deſtructum fuit, ne Anglis urbis expugnationem minitantibus præſidio eſſet 1420. Robertus ab aliis non producitur ultra 1415.

XXXIII. Robertus II *Pourceau* pedum tenebat an. 1423. Poſt decennium reſtituendæ diſciplinæ ſtatuta condidit 1433, ſuperſtes in annum 1435. Roberti præfecturæ, ſi vera narrant Sammarthani, palam obſtitit Johannes de S. Symphoriano protonotarius apoſtolicus, quem etiam ferunt vaſtatum ab Anglis an. 1427 monaſterium an. 1432 reſtituiſſe. Id vero Roberto videtur potius convenire qui canonica fratrum electione dictus abbas adverſarium tulerit Johannem protonotarium aulæ ſectatorem, quicum abbatiæ reditus partiri coactus fuerit exemplo temporibus illis haud infrequenti.

XXXIV. Stephanus IV *Coignet* an. 1449 notus, obiit 1464, 13 Januarii.

XXXV. Stephanus V *Couſin* adeptus eſt poſſeſſionem 23 Januarii 1464. Præerat adhuc 1475.

XXXVI. Nicolaus *Meſnie* 1476 Stephano ſuffectus, æmulum paſſus eſt & evicit Dionyſium *France*. Obedientiam Triſtando archiepiſcopo promiſit 1477. Obiit 1479 menſe Oct.

XXXVII. Dionyſius poſt Nicolaum obedientiam promiſiſſe reperitur Triſtando archiepiſcopo.

XXXVIII. Carolus I *de Neufchaſtel* in anni

A 1480 literis priori ſancti Lupi parvi conceſſis archiepiſcopum ſe Biſuntinum, necnon eccleſiæ Bajocenſis ac monaſterii S. Petri adminiſtratorem indigitat.

XXXIX. Stephanus Rapaël electus eſt anno 1485, ejuſque electioni favit Guido *de Montmirel* abbas S. Maglorii.

XL. Ludovicus I de S. Symphoriano *de Saint Ferre* aut *Saint Feray* commendam in annum 1503 tenuit. Obedientiam Triſtando archiepiſcopo promiſit 1489.

XLI. Ludovicus II *d'Arſeuille* ex priore abbas 5 Julii 1503, obedientiam juravit Triſtando

B archiepiſcopo. Poſſeſſionem adeptus 16 eorumdem menſis & anni. Obiit 14 Dec. 1517.

XLII. Philippus *de Sailliens* patria Lugdunenſis, Franciſci I Francorum regis pædagogus, ipſo favente Johanni *Poncet* loci monacho canonice electo pedum abſtulit 1517, relicta ipſi 500 francorum annua penſione. Obedientiam Stephano archiepiſcopo juravit 22 Maii 1520. Tantæ fuit in pauperes liberalitatis, ut ſæviente penuria tritici vim ingentem vili pretio erogarit quo miſerorum famem ſublevaret. Muneri deinde ſuo ſolerter incumbens, conſcientiæque ſtimulis agitatus, monachum profitetur abbas,

C eoque nomine ſuis acceptiſſimus, in pietatis officiis conſenuit, ac demum III cal. Junias anni 1541 felici morte ſublatus eſt.

XLIII. Carolus II *de Marillac* ſenator in parlamento Pariſienſi, necnon libellorum ſupplicum magiſter, regis apud Turcarum monarcham & ad regem Angliæ legatus 1538, epiſcopus Venetenſis, tum Viennenſis archiepiſcopus, S. Petri commendam accepit, & poſſeſſionem adeptus eſt 1541. Occurrit 1543 & 1545 ultima Februarii in chartis D. *de Gaignieres*. Subita morte interiit 12 Dec. 1560 apud S. Petrum, ubi ſepultus jacet.

D XLIV. Johannes VI *de Morvillier* patria Bleſenſis, Aurelianenſis epiſcopus, commendatarius S. Petri annis 1560 & 1577, quo obiit.

XLV. Robertus III *Heriſſon* abbas larvatus pro Michaële *de Caſtelnau*, nomen tulit in annum 1595, quo cedente rex nominavit in ſpiritualibus œconomum fr. Johannem *Gilbon* preſbyterum 28 Oct. 1595, approbante magno conſilio 24 Nov. anni ejuſdem. Interea deſtructum fuit a militibus monaſterium 1590.

XLVI. Franciſcus I *le Roy de la Grange* tredecim annorum puer, cujus nomine pater ejus militaris præfectus omnia monaſterii bona

E ſuſdeque vertit ad annum 1604, Franciſco totique illius generi funeſtum.

XLVII. Jacobus *Chauvelin* Pariſienſis, filius Jacobi & Ceciliæ *Boyer*, conſiliarius clericus in parlamento Pariſienſi, commenda potitur in annum 1620, quo poſt innumeras monachis illatas clades & injurias, tandem abjecto clericatu, Lilii abbatiſſam religionem ejurare ſuaſit, votifragamque ſibi in uxorem adſcivit.

XLVIII. Matthias *Mallier* poſſeſſionem adeptus eſt 22 Apr. 1620, & necdum exacto biennio fratri commendam conſignavit.

Digitized by Google

XLIX. Franciscus II *Mallier du Houssay* Parisiensis, Matthiæ germanus, regi a consiliis & eleemosynis possessionem iniit 8 Jan. 1622. Abbatis domum, hortos & cœnobii muros exteriores exstruxit, distracta prædia recuperavit, inducendis congregationis S. Mauri monachis largam opem & studia contulit, idque demum an. 1654 perfecit. Anno 1678 episcopus Trecensis v id. Oct. Trecis exspiravit.

L. Petrus III *Robert* regiæ musicæ præfectus, mense Novembri 1678 a rege dictus commendatarius, reditibus per triennium absque bullis potitus, regis ad nutum an. 1682 nuncium remisit.

LI. Franciscus III *Mallet de Graville de Drubec*, sorbonæ doctor, abbas Bassifontis Trecensis, Bullencuriæ & sancti Martini ad Areas, sancti Petri possessionem adipiscitur 1683, & obiit 1701.

LII. Thomas *de Paris* filius Francisci præsidis in camera computorum Paris. & Mariæ *du Fos*, doctor facultatis Paris. & sacræ Capellæ Paris. canonicus, prior S. Fidis Columbariensis, Melodunensis commendatarius a rege designatus 26 Martii 1701, possessionem adeptus est 15 Augusti. Adstitit comitiis generalibus cleri Gallicani 1715. Obiit 21 Sept. 1717 Borbonii, quo ad valetudinem recuperandam perrexerat, & sepultus est in parochiali illius urbis ecclesia.

LIII. Johannes-Baptista *de Brancas*, regi ab eleemosynis & cleri Gallicani syndicus, a rege nominatur commendatarius mense Nov. 1717. Tum episcopus Rupellensis mense Apr. 1725, inauguratur 21 Oct. Paris. in ecclesia Noviciatus Jesuitarum. Inde transfertur ad metropolim Aquensem mense Junio 1729.

MAURIGNIACUM.

MORIGNY.

MONASTERIUM Maurigniacense paulo infra Stampas ad Junnam fluvium positum, Flaviacensi originem suam acceptam refert. Initium habuit a Stirpiniaco, cujus loci mediam partem vir nobilis Ansellus filius Aremberti, alteram Haimo filius Senechildis de Firmitate Bauduini Flaviacensibus monachis ad construendam cellam donavit. (Ch. XVII, col. 18.) Non multo post idem Ansellus Maurigniacum illis concessit, probante Hugone de Pusiaco seu Puteolo, cujus dominio hic locus subjectus erat. Qui cum præ alio arrisisset, eo migrare statuerunt monachi, ibidemque novi monasterii fundamenta jecerunt, suppetias ad ejus constructionem conferentibus Stampensibus oppidanis, perfectoque opere ecclesiam in honorem SS. Trinitatis consecrari curarunt, exeunte seculo XI, & in abbatiam erexerunt, cujus abbas primus fuit Rainaldus monachus Flaviacensis. Constituto sic ex suis abbate subjectionem & olei summam retinuerunt Flaviacenses, quas emergentibus dissensionibus diu perdiderunt, unde Flaviacenses inter & Maurigniacenses simultates & odia, quibus ut imponeret finem Wlgrinus regis cambellanus reditum Flaviacensibus attribuit, Maurigniacensesque a Flaviacensium jugo liberavit an. 1106. (Ibid.) Illorum præcipuus A benefactor fuit rex Philippus, & post eum Ludovicus ejus filius. Philippus enim ut monasterii libertati consuleret, Maurigniaci feodum emit ab Ebrardo Puteoli domino qui tum Jerusalem profecturus erat. Deinde ecclesiam de veteribus Stampis, in qua duodecim canonici erant, abbati & monachis hoc anno attribuit, quod a filio suo rege designato confirmari voluit. Hinc Ludovicus assumtis secum Emmaurico Montis-fortis domino & Simone Nealfæ in capitulum Maurigniaci venit, *participium beneficiorum nostrorum*, inquit Teulfus, petiit & accepit, literas istius donationis super altare posuit, & ita (Ch. XXIII, col. 23.) B donum patris confirmavit. Mitto varias lites super hac donatione, tum a canonicis, tum ab archiepiscopo Senonensi excitatas, quibus regiæ tandem donationi assentientibus, ecclesia in conventualem cellam redacta est. Emmauricus Stampensis oppidanus inter benefactores merito recensetur, qui contulit ecclesiam S. Juliani, ubi olim sanctimonialium abbatia fuerat, nunc simplex capella in agro Stampensi antiquæ fabricæ, Brunechildi reginæ tributa, in qua sub exiguo fornice capsula nuper reperta est, continens inter alia caput S. Juliani martyris, quod Severinus attulit de Antiochia civitate temporibus Brunechildis reginæ, ut vetus inscriptio p[r]ferebat. C Quo præcise anno locus in abbatiam sit conversus ignoramus ob defectum libri I chronici Maurigniacensis quem Teulfus monachus postmodum abbas scripserat, cujus libri extrema tantum pars exstat cum duobus sequentibus aliorum auctorum libris a Chesnio editis in tomo IV veterum historiæ Francicæ scriptorum, sicut ignoramus cur inter abbates omittatur Albertus quo abbate Thomas & ipse postea abbas in ecclesia Maurigniacensi monachum professus est, quique hac abbatia dimissa Columbas remeans secum eum adduxit. Abbates ex MSS. monasterii in D lucem ediderunt Sammarthani beneficio Henrici *de Refuge* abbatis, edidit & D. Basilius *Fleureau* in antiquitatibus Stampensibus. Felices nos quibus tales præeunt duces. Destructum enim modo monasterium est, & seminario Senonensi adjunctum.

ABBATUM SERIES.

I. RAINALDUS Flaviacensis monachus, primus Maurigniacensibus præfuit abbas. Huic Hadvisa sancti Eligii Paris. abbatissa locum *de Maisons* concessit an. 1102, synodo Parisiensi adfuit an. 1104. Rainaldo Philippus rex anno E regni 45 indulsit ut servi ecclesiæ Maurigniacensis eisdem consuetudinibus gauderent quibus gaudebant servi regis. Anno sequenti 46, Christi 1106, eidem rex idem concessit omnes præbendas ecclesiæ S. Martini de veteribus Stampis. Eodem adhuc anno Maurigniacenses a Flaviacensium subjectione a Wlgrino regis cambellano liberati sunt. Ludovici regis anno 2 defunctus Rainaldus in capitulo sepelitur.

5 Defuncto Rainaldo pro eligendo successore convenientes in unum fratres, Teulfum tum priorem qui juvenis in ecclesia ista nutritus fuerat,

Digitized by Google

hominem bonæ famæ & satis literatum ex priore A promovent in abbatem. Verum solita facilitate quidam illorum contumeliis eum afficiunt, & ab electione dejiciunt antequam ille consecraretur. Hic vero ut erat modestus & ambitionis expers, non repugnavit, sed sponte cessit, factus postea prior, tum abbas S. Crispini apud Suessiones, ut diximus tom. IX. Teulfus autem librum I chronici Maurigniacensis scripserat, cujus extrema tantum pars exstat cum duobus sequentibus aliorum auctorum libris a Chesnio editis in tomo IV veterum historiæ Francicæ scriptorum. Emendaverat quoque bibliothecæ libros, & accentus distinxerat.

II. Hugo juvenis satis elegans & post regionis primores claris natalibus oriundus, communi decreto electus, Senonis est consecratus. At ille anno nondum revoluto contradicentibus sibi amicis & familiaribus abbatiam sponte abdicavit, & sortitus est ecclesiam S. Juliani prope turrim Brunechildis sitam, quæ antea sanctimonialium abbatia fuerat, ubi privatam agebat vitam dum alter chronographus Maurigniacensis hæc scriberet.

III. Thomas Tressentis cognominatus a Sammarthanis & ab historico universitatis Paris. t. II, p. 29, ætate quidem juvenis humilique descendens ex femore, sed literis præditus morumque honestate non mediocri a Columbensibus reposcitur. Nam sub abbate Alberto scholis secularibus abnegatis in ecclesia Maurigniacensi monachum se devoverat, eumque Columbas remeantem secutus, inibi vitæ claustrali & literarum studio deditus per annos decem demoratus fuerat. A Maurigniacensibus itaque electus abbas, benedictione post Epiphaniarum dies anni IIII solenniter suscepta magno fratrum omnium totiusque populi favore & plausu excipitur. Mox ad relevandam summam loci inopiam qua ob famem a septem continuis annis in Gallia tum grassantem laborabat applicatus, primo consecrationis suæ anno in Stampensi B. Mariæ ecclesia, divinum sermonem ad populum fecit, cujus rei maximam gratiam habebat. Huic interfuit vir magnificus Ansellus regis dapifer & consiliarius cum multis nobilibus & Stampensium primoribus, qui monasterio summa penuria laboranti suppetias contulerunt. Eodem Ansello agente rex donationem ecclesiæ de veteribus Stampis a Philippo patre factam confirmavit an. 1112, idemque a Daimberto archiepiscopo vix impetravit anno eodem: quod etiam Romam profectus Thomas a Paschali pontifice roborari curavit. Huic anno 1117 concessit Ludovicus rex nundinas per hebdomadam Pentecostes. Cum Petro Bellovacensi episcopo & Conone sedis apostolicæ legato Calistum II nuper electum per Arverniam transeuntem salutaturus responsalis a Ludovico rege missus est an. 1119, a quo privilegium contra canonicos Stampenses obtinuit. Quin & ipse summus pontifex ecclesiam Maurigniacensem dedicavit V non. Oct. 1120 in honorem SS. Trinitatis, S. Crucis, B. Mariæ & omnium sanctorum. Eodem anno Ludovicus rex omnia privilegia ejusdem ecclesiæ confirmavit, aliaque adjecit, sicut fecerat Philippus ejus parens initio hujus ecclesiæ, sed Flaviacenses discedentes Philippi præceptum abstulerant. Sacro Philippi filii Ludovici Remis adstitit an. 1129. Circa id tempus instituit anniversaria regis Philippi, Ansell filii Arremberti fundatoris, Rainaldi primi abbatis & suum. Anno 1131 Innocentius II apud Maurigniacum diversatus consecravit altare ante crucifixum in honorem sancti Laurentii & omnium martyrum XIII cal. Febr. Cum autem ad Lateranense generale concilium omnes episcopi & abbates convocati fuissent B anno 1139, ab eo abfuit Thomas quorumdam negotiorum necessitate impeditus. Hinc captata occasione Henricus Senonum archiepiscopus, qui forte jam illi infensus erat, eum ab officio suspendit, nulla habita ratione literarum quas rex Ludovicus in ejus excusationem scripserat. Paulo post tamen agente Bartholomæo veterum Stamparum priore in officio restitutus ab eo est. Verum tum recentis injuriæ memor, tum insurgentium negotiorum & vexationum molestia fractus, Odonis abbatis S. Remigii consilio, inconsultis archiepiscopo & conventu pastoralem curam abjecit, & ad S. Martinum a Campis, C quæ ecclesia rigore ordinis tum famosissima erat, privatæ vitæ & spiritualis otii studio secessit circa mediam Quadragesimam 1140. Permansit ibi quinque annis usque ad translationem successoris, quo Floriacum translato a monachis, clero, populo, militibus & proceribus iterum expetitus Thomas, ab Alberico Ostiensi episcopo impeditus est. Incertus tum Maurigniacum ne, non vero Majus-Monasterium, ut male legitur in ejus epistola apud Baluzium Miscell. t. IV, p. 459. an Columbas reverteretur ut spoponderat si Maurigniacum reliquisset, Columbas rediit, ubi primo Thevini successoris alterius anno obiit.

D IV. Macarius....... Post Thomæ recessum rex Odonem sancti Remigii & Joscelinum Milidunensem abbates Maurigniacum misit ut quem illi ex monasterio S. Martini a Campis eligendum abbatem ex se indicarent, ipsi eum electum approbarent. At reclamarunt Maurigniacenses, ne indulta ipsis electionis libertas convelleretur. Opportunæ etiam allatæ sunt eis Henrici archiepiscopi literæ quibus nova eisdem electio interdicebatur, propterea quod Thomas se inconsulto & conventu abbatiam deseruisset. Sed rex novos illuc nuncios spectabiles dirigit, nempe Natalem cancellarium Resbacensem abbatem, Alvisum E Atrebatensem episcopum & magistrum Hugonem a S. Victore in literatura magistros, etiam plurimos excedentem, gravi præceptione interminans ut ad eorum nutum abbatem eligerent. In his angustiis Maurigniacenses Macarium priorem Longipontis diœcesis Paris. ordinis Cluniacensis abbatem eligunt, regi non ingratum fore opinati, quippe qui nepos esset Alberici Ostiensis episcopi, quem rex & optimates ob probitatem & sapientiam plurimi faciebant & familiarem habebant. Verum non prius electo benedictionem impertiri voluit archiepiscopus, quam Thomas

Ch. XXIII, col. 23.

Digitized by Google

per baculum non per librum curæ pastoralis ministerium ipsi redderet, & nova Macarii electione facta Cluniacensis abbas electum manciparet. Hinc nova fit electio. Tum missus Cluniacum Robertus Brugeriensis monachus cum nunciis regiis, Petro regis capellano & magistro Simone de Pissiaco, quos rex pro quibusdam negotiis Romam dirigebat, obtentaque Macarii emancipatione, Macarius tandem Senonis ab archiepiscopo benedictus est. Non multo post Romam ipse profectus pro negotio Bituricensi, privilegium apostolicum retulit, ab aliis abbatibus acquisitiones factas continens, ita ut in illo pene singillatim numerarentur quæ majoris erant auctoritatis, obtinuitque ut clerici veterum Stamparum qui monachos passim infestabant, eliminarentur. Multa alia bona monasterio præstitit Macarius; Roma attulit secum partem crucis dominicæ; augmentata ab ipso ecclesia Cluniacensis ordinis institutione; asserta est a Ludovico rege an. 1142, regni 6, præpositura de Stirpiniaco adversus Stephanum de Stirpiniaco; concessum ab eodem annoque eodem lignum in silva Aquilinæ quantum opus esset ad ædificandum & ardendum. Denique idem abbas ad restituendam in Floriacensi monasterio regularem normam translatus est ab Alberico Ostiensi episcopo Lucii II legato avunculo suo, ac proinde an. 1144, quem tamen in epistola ad S. Bernardum, læsæ opinionis hominem, corpore pinguem, corde duplicem, ore bilinguem spretus forte & iratus Thomas repræsentat.

Baluz. Miscell. tom. IV, p. 460.

V. Thevinus. Macario translato Lancelinus nepos alter Alberici legati qui omni conatu nitebatur eum ecclesiæ Maurigniacensi subrogare, vir nequam & intractabilis, pelle rufus, facie fulmineus, mente sanguineus, sui temporis Phalaris alter, repulsam passus est, inquit Thomas in epistola eadem. Ipse quoque ab omnibus iterum expetitus, ab eodem legato impeditus est. Electus autem Thevinus Argentolii prior multimoda sapientiæ laude famosus, quo non erat in Francia elegantior & speciosior persona. Confirmatus hic a rege & a legatis, Senonas profectus est, ubi a Gaufredo Carnotensi episcopo archiepiscopi absentis vicario solenniter benedictus est. Primo ordinationis suæ anno obtinuit a Ludovico rege 1145, regni 9, confirmationem privilegii a patre concessi. Anno autem secundo ecclesiam nova opertura novique laquearis tabulatu insignivit, similiter & de dormitorio egit. Infra muros abbatiæ aulam nobilem magno sumtu ædificavit, apud veteres Stampas aliam, apud Firmitatem alteram, & quartam apud Stirpiniacum. Emit decimam Gomarvillæ. Monasterium calicibus, libris, casulis, cappis, palliis, multisque ornamentis decoravit. Monitus ab archiepiscopo Senonensi, Eugenio III in Francia demoranti anno 1148, 20 libras procurationis attribuit. Ante altare abbatiæ sepultus est, tanto majori a Deo donandus & glorificandus munere, quanto in ornanda ejus sponsa studiosius dignoscitur laborasse.

VI. Landricus successit Macario. Jam erat abbas anno 1151. Insequenti Joscelinus de Alveolo coram Ludovico rege jus omne ei cedit quod in villa *de Mesons* repetebat. Rex vero an. 1158 terras quæ Octavæ dicebantur liberas dimisit, eodemque anno præposituram de Stirpiniaco ei adjudicavit. Ab Odone sancti Dionysii abbate quædam prædia ad annuum censum accepit an. 1160 Landricus, cui an. 1161 Hugo Senonensis confirmavit ecclesias suæ diœcesis, in quibus Maurigniacenses jus præsentationis habebant. Memoratur annis 1164 & 1169 a Sammarthanis. Ch. xcv, col. 71.

VII. Aimericus cum Remundo præfecto hospitalis Estrichiacensis transegit 1173 infra octavas sancti Martini, eodemque anno cum Mamerio abbate Vallium-Sarnaii.

VIII. Milo diploma confirmationis privilegiorum monasterii & codicillos emortuæ manus obtinuit an. 1182 a Philippo Augusto.

IX. Petrus pepigit an. 1192 cum Arnulfo milite *de Auvers* pro molendinis *de Vaus*, in præsentia Philippi *de Levis*, testibus Bartholomæo & Johanne de Boenvilla fratribus abbatis. Permutavit an. 1196 cum monasterio S. Dionysii. Occurrit in altera tabula domestica an. 1200.

X. Robertus I *de Dourdan* interfuit anno 1206 transactioni inter monachos S. Dionysii & Manassem de Sarris. Occurrit 1210 & 1214. Hospitibus suis nonnulla largitus est an. 1218. Societatem iniit cum Odone abbate S. Columbæ. Legitur & 1219 in chartis Jardi.

XI. Theobaldus a Galtero archiepiscopo obtinuit an. 1223 confirmationem ecclesiarum in diœcesi sitarum cum juribus & pertinentiis universis. Quædam cessit monialibus Villariensibus mense Aprili 1227, cessionem approbante Galterio *Cornut* archiepiscopo.

XII. Robertus II *de Auvers*, is forte abbas qui confirmatus est an. 1232, ex regesto 16 chartarum Thesauri, statuta condidit pro bono regimine monasterii mense Januario 1233. Approbavit an. 1237 venditionem vivarii factam monialibus Villaris a priore de Feritate Alesii.

XIII. Guillelmus abbas 1239, cum Guillelmo abbate S. Johannis in Valle arbiter electus inter moniales Villarienses & parochum de Cerniaco pronunciat mense Julio 1240. Memoratur 1243 in charta Anselli de Fravilla militis. Monachis concedit granchiam de Capella juxta *Orgemont* mense Novembri 1245. Hancque concessionem confirmavit Gilo archiepiscopus an. 1146 charta in qua Guillelmus nominatur. Meminit in charta alia emptionum quas fecerat Robertus *de Auvers* suus decessor.

XIV. Stephanus capitulum generale habuit anno 1247 fer. 2 post festum SS. Trinitatis, cui adsuere priores & sacerdotes parochi ecclesiarum dependentium. Mense Augusto Gilo archiepiscopus confirmavit chartam decessoris sui Hugonis pro Maurigniacensibus. Adstitit anno 1249 translationi factæ a Gilone reliquiarum apud Stampas. Ch. xcv, col. 72.

XV. Nicolaus I pactum edidit cum monachis an. 1254 in vigilia SS. Simonis & Judæ, quod

Digitized by Google

approbavit Henricus archiepiscopus an. 1255 mense Julio. Eisdem concessit mense Novembri hujus anni unum bladi modium & avenæ sextaria novem annui reditus pro anniversariis suo, patris & matris, necnon Odonis fratris Guillelmi abbatis sancti Remigii Senonensis. Occurrit annis 1259 & 1269 in tabulario Calensi, 1258, 1273 & 1277 apud Sammarthanos. Precum societatem iniit cum Gaufrido abbate Pontileviensi 1258. In capella B. Mariæ de Compassione in ejus epitaphio legitur: *Præfuit huic domui multis feliciter annis.*

A

XVI. Johannes I adfuit anno 1280 sacramento quod Simon Carnotensis episcopus præstitit archiepiscopo & ecclesiæ Senonensi. Memoratur adhuc 1281 & 1282.

B

XVII. Aimericus II occurrit anno 1294 in chartulario Calensi.

XVIII. Nicolaus II annis 1302 & 1308 præerat.

XIX. Guillelmus sedebat annis 1315, 1320, 1322, 1325 & 1335.

XX. Stephanus legitur annis 1343 & 1346.

XXI. Petrus *de Sandreville* obiit 1 Septemb. 1349.

XXII. Johannes II *de Jauffigny* electus 1349, obiit 19 Nov. 1373 aut 1372, anno quippe 3 Gregorii XI.

C

XXIII. Guillelmus ex priore Montis-fortis Carnotensis successit Johanni, & præerat annis 1375 & 1397.

XXIV. Johannes III, is forte qui cognominatur *Ragal* a Sammarthanis, occurrit an. 1398.

XXV. Johannes IV *Reguier* sedebat anno 1413.

XXVI. Petrus *de la Porte* electus 26 Dec. 1419, biennioque post ab archiepiscopo confirmatus.

XXVII. Benedictus *Boissiere* 1423.

D

XXVIII. Johannes V *Baradeau* electus 1431 æmulum passus est magistrum Johannem *de Sus.*

XXIX. Petrus memoratur 19 Dec. 1432 in antiquitatibus Stampensibus.

XXX. Simon *le Gras* electus 1433, occurrit ad annum 1474.

XXXI. Johannes VI *Baron* baccalaureus in decretis, abbas commendatarius legitur annis 1479 & 1483. Numquid is est Johannes *Bureau* de quo in episcopis Biterrensibus ab anno 1457 ad annum 1490 quem abbatem Maurigniacensem tradunt historiæ magnatum Franciæ scriptores?

E

XXXII. Johannes VII *de Sus* commendam quoque tenebat annis 1485, 1487 & 1489.

XXXIII. Johannes VIII *Baron* ex priore Maurigniaci abbas canonice electus, reperitur annis 1491, 1495 & 1500.

XXXIV. Johannes IX *Hurault* annos tantum natus 13, per cessionem Johannis *Baron* dictus abbas, æmulum passus est Philippum episcopum Mirapicensem, quem evicit Johannes *Baron*, cui propter defectum ætatis Johannis *Hurault* administrandam commisit abbatiam summus pontifex an. 1504. Johannes *Hurault* autem transegit cum monachis anno 1511, & sedit ad annum 1524.

XXXV. Johannes X *de Salazar* archidiaconus Senonensis commendam tenebat anno 1525. Abbatis ædes construxit, aliaque in ecclesia & monasterio ædificavit. Missam post Primam fundavit & quatuor anniversaria, quorum ultimum an. 1529.

XXXVI. Johannes XI *Hurault* e gente Huralta Johannis domini *de Boistaillé* & *de Belesbat* curiæ juvaminum Paris. protopræsidis, & cancellarii Ludovici ducis Aurelianensis ex Guillelmetta *de Guetteville* filius, magni nominis abbas, animi fortitudine Helias, Caritate Paulus, memoratur annis 1529, 1537, 1540. Chorum a Salazario inceptum perfecit 1542. Monachis flebilis occidit ultima Aug. 1560. Jacet in choro.

XXXVII. Johannes XII *Hurault de Boistaillé* consiliarius in curia parlamenti Paris. commendam tenebat 1560. Legatus ad Venetos missus est anno 1561.

XXXVIII. Jacobus *Larmoin* larvatus abbas, sub cujus nomine Maurigniacensibus reditibus potiebantur Huraltii. Legitur in actis annorum 1565, 1567 & 1568.

XXXIX. Johannes XIII *Hurault* consiliarius in curia parlamenti Paris. commendam obtinuit annos natus 10, & occurrit an. 1576. Sequentis in gratiam cessit commendæ ut uxorem duceret.

XL. Theodorus *de Barzeau* consiliarius tum præses in curia parlamenti Paris. commenda donatus mense Maio 1599 per cessionem Johannis, cessit quoque sequenti anno 1609 ut uxorem duceret.

XLI. Andreas *de Berzeau* consiliarius clericus in curia parlamenti Paris. per cessionem germani commendatarius 1609, obiit 17 Aug. 1642.

XLII. Ludovicus *Archambault* Sebastiani filius & Magdalenæ *Denis*, licentiatus in decretis, thesaurarius ecclesiæ Bellovacensis, permutatione facta cum Andrea commendatarius, obiit 13 Octobr. 1644, sepultus ante majus altare.

XLIII. Mathurinus *Mangot* libellorum supplicum magister, admissus 1645, aquis præfocatur 1658, etiam abbas S. Maurini Aginnensis & S. Columbæ.

XLIV. Henricus *de Refuge* consiliarius clericus in parlamento Parisiensi, etiam abbas sancti Eparchii Encolisinensis, Maurigniacensis a rege nominatus 2 Maii 1646, Romæ admittitur 7 Junii, & recipitur mense Octobri anni ejusdem in abbatia Maurigniacensi. Consiliarius honorarius obiit mense Augusto 1688, seriem abbatum edidit apud Sammarthanos.

XLV. Franciscus *Batailler* episcopus Bethleemitanus 14 Augusti 1688.

XLVI. N. *de Talaru de Chalmazel* comes Lugdunensis, obiit Lugduni 1696.

XLVII. N. *le Sage* nominatus 1 Novemb. 1696, obiit 1707.

XLVIII. N. *Malet* duci Aurelianensi ab eleemosynis mense Novembri 1710.

Digitized by Google

XLIX. Claudius *le Begue de Majainville* canonicus Carnotensis & consiliarius clericus parlamenti Paris. nominatus 8 Maii 1721, Romæ proclamatur 10 Sept. & proponitur 24 eorumdem mensis & anni. Obiit Paris. 11 Maii 1749, annos natus 78, & sepultus in ecclesia S. Jacobi de Alto-passu.

L. Claudius *Drouas de Boussey* archiepiscopi Senonensis vicarius generalis, a rege renunciatus est 27 Maii 1749, abbas Maurigniacensis & episcopus Tullensis consecratus 12 Maii 1754.

CALMA.

CHAUME.

CALMA seu Calmæ, oppidulum est in Briegio, haud procul ab Edera fluvio infra Rotegiacum oppidum. Inibi monasterium est ordinis S. Benedicti, de cujus origine nihil certi superest, documentis antiquis fere omnibus bellorum injuria amissis. Non desunt qui sub prima regum nostrorum stirpe conditum fuisse volunt, postea destructum a Normannis, ac demum instauratum ab Hugone, cujus obitus in Calmensi necrologio notatur die 9 Aprilis in hæc verba: *Depositio dompni Hugonis fundatoris abbatiæ de Calmis*, quem Turnomii dominum fuisse putant, ejusque tumulum eum esse, qui sub arcu lapideo C ecclesiæ in parte aquilonari hactenus cernitur, & lapidem sepulchralem qui e regione visitur esse Roberti abbatis ab instauratione primi. Primus hujus monasterii patronus fuisse videtur S. Symphorianus martyr, de quo in benedictione aquæ lustralis singulis Dominicis jam inde ab omni hominum memoria hæc recitantur in oratione ad Deum: *Qui locum istum in honorem S. Symphoriani consecrasti.* Nunc tamen abbatia S. Petri de Calma passim appellatur. Ibidem colitur S. Domnolus Cenomannorum episcopus, cujus reliquiæ asservari dicuntur. Abbatum seriem habes tum ex schedis D. Antonii *le Maigre* D monachi ejusdem monasterii, tum ex archivis diligenter inspectis.

ABBATUM SERIES.

I. ROBERTUS I in necrologio die 25 Sept. Hoc modo commemoratur: *Depositio gloriosæ vitæ, probabilis & in fine piæ recordationis domni Roberti primi abbatis de Calmis.*

II. Maurus notatur in necrologio 1 Januarii, sed sine temporis nota, qua carent etiam tres sequentes abbates.

III. Manfredus in necrologio consignatur 2 Januarii.

IV. Stephanus ibidem occurrit 18 Maii.

V. Rodulfus notatur ibi 23 Augusti.

VI. Theobaldus I testis legitur in charta Henrici comitis Trecensis pro Latiniaco an. 1152. Diplomat. p. 584. Occurrit in chartis Pruliaci circa 1155 & Joyaci 1153 & 1114, forte 1154 in chartis S. Dionysii.

VII. Simon I nominatur an. 1157 in charta Hugonis archiepiscopi, approbantis donatam ab Hugone *de Barber* ecclesiam Oratorii repositi.

VIII. Ansellus approbat venditionem factam A monasterio Prulliacensi a Stephano abbate sancti Remigii Senonensis anno 1166.

IX. Odo ad quem exstat Lucii III bulla data an. 1181, eodem memoratur in chartis Prulliacensibus. Odone abbate an. 1198, Odo Paris. episcopus, pontificatus an. 1, ratam habet donationem ab Ansello de Garlanda factam ecclesiæ de Calmis.

X. Robertus II occurrit an. 1201. Insequenti componit pro decimis de Torlus.

XI. Gaufridus I in duobus catalogis reponitur anno 1204.

XII. Robertus III, an alter a II? manumisit B colonos Argentiarum an. 1205. Præerat adhuc anno 1207.

XIII. Willelmus I de Liminiaco Petri archiepiscopi consanguineus, sedebat anno 1218. Obtinuit a rege an. 1219 ut forum quod die Dominica celebrabatur, deinceps feria tertia celebraretur. Occurrit adhuc 1220.

XIV. Simon II de Mallaforte cognominatus in necrologio 4 Februarii, reperitur an. 1230. Galterio archiepiscopo obedientiam juravit. Composuit anno 1231 cum abbatissa Paracliti. Memoratur 1234 mense Decembri in chartis Cagiæ.

XV. Johannes I obedientiam quoque promisit Galtero archiepiscopo.

XVI. Henricus I, forte de Courpalayo, notatus in necrologio 29 Martii, regebat annis 1240 & 1242, quo locavit mense Februario agros dictos *de Noa de Hivernailles* & *de Oratorio abscondito*, & obedientiam juravit Galtero archiepiscopo. Reperitur 1244 in charta Joyaci. Reditus officio camerarii assignatos auxit 1245.

XVII. Gaufridus II *de Blanchery* 1246 Giloni archiepiscopo obedientiam juravit. Litem habuit coram Johanne abbate S. Petri Meledunensis adversus Guillelmum *Barthelier* an. 1253, idem forte ac prior Gaufridus.

XVIII. Hugo I *de Nevincourt*, cui an. 1261 Reginaldus miles de Bellovisu cessit quidquid juris habebat in decimis de Bellovisu, memoratur annis 1260 & 1263 in chartis Barbelli. Jacet in choro cum hoc epitaphio: *Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto mense Febr. obiit Hugo* de Nevincourt *quondam abbas sancti Petri de Calma in Bria, Senonensis diœcesis.*

XIX. Simon II de Eviaco 1278. Memoratur in necrologio 25 Junii.

XX. Johannes II legitur anno 1278 mense Aprili.

E XXI. Hugo II præsens adstitit juramento quod Simon episcopus Carnotensis præstitit archiepiscopo Senonensi anno 1280. Quædam prædia contulit thesaurario anno 1283 mense Januario.

XXII. Ludovicus I memoratur an. 1283.

XXIII. Johannes III de Pinulo *(de Vaux le Penil)* 1285, Stephani archiepiscopi consanguineus, in ejusdem charta erigentis ecclesiam de Firmitate in parochiam testis reperitur.

XXIV. Hugo III cum Adamo abbate sancti Faronis societatem iniit 1291. Præfuit etiam

Digitized by Google

annis 1296, 1299 & 1301, quo ultimo transegit cum canonicis de Courpalayo.

XXV. Henricus II de Pranciaco admisit an. 1303 ad participationem bonorum operum sui monasterii Johannem de Villageardi & Halixandem filiam Simonis de Nigella illius uxorem.

XXVI. Petrus I de Monte-angulari 1318.

XXVII. Arnulfus de Monte-angulari jacet in choro cum hoc epitaphio: *Hic jacet Arnulfus de Monte-angulari abbas hujus monasterii anno Domini M. CCCXXVIII die Mercurii in festo beatorum Innocentium.* Ejus tamen nomen in necrologio notatur 31 Dec.

XXVIII. Theobaldus II cujus anniversarium notatur 28 Aprilis 1334.

XXIX. P. societatem iniit an. 1335 cum G. abbate Maurigniaci.

XXX. Johannes IV de Hannonia sepultus est ante altare B. Mariæ cum hoc epitaphio: *Hic jacet Johannes de Hannonia quondam abbas hujus monasterii, qui rexit ipsum monasterium per 28 annos, & obiit 1363, 11 mensis Januarii.*

XXXI. Odoimetus 1371, 29 Novembris ex Sammarthanis.

XXXII. Johannes V *de Pouy* 1376, obiit 29 Nov.

XXXIII. Guido *Cassinel* approbavit anno 1377 donum censuum factum thesaurario.

XXXIV. Johannes VI *de Haynault* obiit 1380.

XXXV. Johannes VII *de Pouy*, in quibusdam chartis *de Peuy*, ad ecclesiam parochialem sancti Jacobi de Firmitate præsentavit 1385, præerat adhuc 1387, sed obierat 1390, quo sedes vacabat.

XXXVI. Johannes VIII *Brodin* quatuor signa conflari jussit 1391. Reperitur etiam in variis instrumentis annorum 1392, 1394, 1401, 1402, 1409, quo anno sede vacante 14 Martii prior & conventus præsentant ad ecclesiam parochialem Curiæ-Omeri.

XXXVII. Milo *Marce* electus fuit 20 Febr. 1407, & confirmatus a Johanne archiepiscopo 19 Sept. 1408. In variis instrumentis cum titulo abbatis reperitur ab an. 1409 ad 1426.

XXXVIII. Johannes IX *Grandin* obiit 1438, memoratus hoc anno in chartis Jardi.

XXXIX. Johannes X Monardi electus 27 Novemb. 1438, obedientiam juravit Ludovico archiepiscopo, & obiit 11 Octobris 1439.

XL. Simon III *Chevalier* & ipse an. 1438 electus, æmulum passus videtur Johannem Monardi, quo defuncto ex priore claustrali abbas iterum electus an. 1439, 10 Dec. præerat an. 1439, 29 Dec. 1453 & 1457.

XLI. Johannes XI *Seyer* electus 2 Augusti 1461, obedientiam juravit Ludovico archiepiscopo, anno vero 1475 permutavit cum sequenti.

XLII. Petrus II *Damoiseau* ex priore sancti Benigni Divionensis permutatione facta abbas instituitur a Tristando archiepiscopo 26 Aprilis 1475, eique juravit obedientiam 28 Maii 1476. Præfert abbatis nomen in variis instrumentis annorum 1479, 1480 & 1481.

A XLIII. Tristandus *de Salazar* archiepiscopus Senonensis, abbatiam tenuit ab anno 1482, cujus monasterium ab Anglis dirutum reparavit, capitulum & dormitorium construxit, ac jura monasterii pro virili tutatus est. Obiit 1519.

XLIV. Johannes XII *du Fay* præerat 1519.

XLV. Antonius *de S. Marcel* cujus benedicendi data est episcopo Magarensi licentia accitis duobus vel episcopis vel abbatibus 15 Octobr. 1521, archiepiscopo obedientiam promisit 4 Junii 1522. Sedebat & 1526.

XLVI. Carolus *de S. Martin*, al. *Bechet*, B Antonio archiepiscopo obedientiam spopondit 11 Maii 1529. Claustrum construxit, capsam S. Domnoli aperuit 1530, & obiit 1532 mense Junio.

XLVII. Johannes XIII *Prudhomme* ex monacho Fiscannensi abbas Calmæ 29 Octobris 1532, Parisiis benedictus est 22 Dec. anni ejusdem, præsente Carolo *Boucher* abbate sancti Maglorii. Reperitur adhuc annis 1537, 1538 & 1550.

XLVIII. Jacobus *l'Epreuvier* an. 1561 contulit thesaurariam. Vide S. Hilarium Carcassonensem.

C XLIX. Petrus III *de Gondy* episcopus Lingonensis & commendatarius Calmæ 1564 & 1566.

L. Johannes XIV *de Gondy* Petri germanus 1570, obiit 1574 simul abbas sancti Hilarii Carcassonensis.

LI. Claudius *de Lair* personatus abbas obiit 1593.

LII. Nicolaus *Auroux* brevi nomen suum dedit.

LIII. Guillelmus II *de Marandes* larvatus quoque abbas sicut & duo superiores notatur ad D annum 1593.

LIV. Ludovicus cardinalis *de la Vallette*, cujus parens dux Epernonii reditus deglutivit per annos 15.

LV. Johannes XV *de Binos* commenda potitus est ab anno 1640 ad 1656, quo permutavit cum sequenti abbate sancti Orientii Auscienis.

LVI. Ludovicus-Henricus *de Gondrin* archiepiscopus Senonensis, obiit 19 Sept. 1674 in monasterio Calmensi, ubi cor ipsius atque viscera ante majus altare fuerunt recondita cum hac inscriptione: *Hoc cippo includitur ardens caritate* E *Christi cor magni archiepiscopi Senonensis Ludovici-Henrici* de Gondrin *hujus monasterii abbatis. Viscera ejus misericordia in pauperes toties commota hic quoque quiescunt. Ossa jacent in ecclesia metropolitana Senonensi exspectantia resurrectionem, donec sol convertatur in tenebras & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Obiit XII cal. Oct. M. DCLXXIV in hoc monasterio, ætatis suæ LV.*

LVII. Antonius II *Arnaud* nepos Antonii *Arnaud* doctoris Sorbonici, nominatus 1 Nov. 1674, possessionem adeptus est 28 Maii 1675 vi bullarum quæ eodem anno VI calend. Martii

Digitized by Google

datæ sunt. Obiit Parisiis 12 Dec. 1698, annos natus 83.

LVIII. Carolus *Calonne de Courtebourne* presbyter, nominatus die Natalis Domini 1698. Possessionem iniit 11 Junii 1699. Obiit 9 Octobris 1723 in suo castro *de Bouvelinghen*, etiam abbas Coronæ Encolismensis.

LIX. Carolus-Ludovicus-Augustus *le Tonnelier de Breteuil* Caroli nepos, designatur simul episcopus Redonensis & abbas de Calmis 17 Oct. 1723. Possessionem iniit 17 Octobr. 1725. Obiit 24 Aprilis 1732.

LX. Johannes XVI *Couturier* doctor Sorbonæ & superior generalis seminarii S. Sulpicii, nominatus a rege 31 Julii 1732, possessionem adeptus est 3 Dec. anni ejusdem. Johannis tempore missi abiere monachi, solique commendatario servati sunt reditus a fundatoribus assignati.

ROSETUM.

Ville-Chasson.

IN pago Wastinensi exstat vicus de Roseto duabus fere a Curtiniaco leucis, ubi seculo XII ineunte puellare monasterium conditum est. Ejus auctor fuit Elisabetha, a loco Rosa cognominata, primum sanctimonialis in Calensi monasterio agri Parisiensis, Rodulfi comitis, ut creditur Crispiacensis & Adelæ Barri ad Albam comitissæ filia. Hæc facultate ab abbatissa Calensi ægre obtenta, majoris solitudinis arctiorisque vitæ studio e monasterio egressa cum duabus sanctimonialibus, primo Milidunum, dein castrum Nantonis petiit, & in proximo loco, Roseto nomine, deserto & inculto sedem cum illis fixit & humiles construxit casas. Sed cum locus iste ob paludes valde incommodus esset, vixque illis necessaria suppeterent, duæ illæ Elisabethæ sociæ animo deficientes, ad pristinum monasterium reverti constituunt. Sola ergo cum esset Elisabetha, in cavam quercum se abdidit, pomis silvestribus crudisque radicibus vitam utcumque sustentans, ludibria subinde a rusticis pastoribus perpessa, quibus nequaquam a proposito deterreri potuit. Auxit sanctitatis famam tanta constantia, cujus rumore animatæ duæ sanctimoniales Calenses Constantia & Acvis, quæ ejus soror dicitur, eam conveniunt, seque eidem socias adjungunt. Tum vero earum religione animati accolæ, ludibria & jocos in venerationem convertunt, monasterio condendo opem conferunt, ubi plurimæ virgines Elisabethæ disciplinæ se subjecere & magna vitæ districtione ibidem floruere. His postea Petrus de Curtiniaco Philippi Augusti Francorum regis patruus villas Hervavillæ, Maresvillæ aliaque contulit an. 1184, laudantibus Elisabetha ejus conjuge & Petro Nivernensi comite eorum filio, qui parentum donationem anno 1203 ratam habuit. Lucius III quoque & Martinus IV summi pontifices bullas concesserunt monasterio de Roseto, quod Anglorum bello penitus & post Calvinistarum eversum est; sanctimoniales vero ad prædium suum Villæ-Cassonis translatæ, quod ipsis a Johanne *Alpe*, Antonio & Catharina

Ch. LXX. col. 59. Charta LXXVIII. col. 61.

A *Pagans* fratribus datum fuerat, ibidem monasterium condidere, ubi hactenus consistunt. Abbatissarum seriem tam ex indice ejusdem monasterii nobis communicato, quam ex aliis monumentis contexuimus hoc modo.

Abbatissarum Series.

I. SANCTA ELISABETHA monialis Calensis, cum in solitudinem diœcesis Senonensis Rosetum dictam contemplationis ac vitæ strictioris causa se recepisset, ibidem monasterium virginum condidit circa annum 1106, quibus ipsa præfuit ad annum circiter 1130, quo plurimis editis miraculis ad cœlum migravit 13 Dec. Hujus corpus post aliquot annos integrum est repertum, memoriaque ejus annuo ibidem recolitur festo. Memoratur quoque idibus Dec. in necrologio Paraclitensis parthenonis, qui anno 1129 a sanctimonialibus inhabitari cœpit. (B)

II. Johanna I *Parrine* cujus tempore terra Villæ-Cassonis cum omnibus suis appenditiis Roseto data est, quo postea translatum est monasterium.

III. Ada dicitur electa anno 1144. Bullam ab Alexandro III obtinuit 1164, qua summus pontifex monasterium sub sua & sedis apostolicæ (C) protectione suscipit, ejusque prædia & possessiones confirmat anno 1164. Eademne est Ada abbatissa cui & Adæ priorissæ & conventui Elisabeth uxor, Petrus filius & alii filii concesserunt an. 1184 quidquid eis dederat Petrus de Curtiniaco?

IV. Agnes I cui G. Carnotensis episcopus confirmavit anno 1219 mense Augusto libertatem ecclesiæ S. Hilarii quam concesserat decessor ipsius Gaufridus. Occurrit etiam an. 1230.

V. Maria 1234.

VI. Margarita I reperitur an. 1239. Galterio archiepiscopo obedientiam promisit. (D)

VII. Agnes II de Menvilla post Margaritam ecclesiæ Senonensi & futuro archiepiscopo promisit obedientiam, ab anno scilicet 1241 ad 1244.

VIII. Johanna II anno 1254.

IX. Rapella 1260.

X. Anna *d'Inville* 1310.

XI. Johanna III *d'Husis* 1361, 1374.

XII. Agnes III *de S. Falle* 1380, 1388, 1392.

XIII. Margarita *de Luchi* vel *de Lachi* Johanni de Monte-acuto archiepiscopo promisit obedientiam. Occurrit anno 1397. (E)

XIV. Johanna IV quæ Henrico archiepiscopo promisit obedientiam, diversane est ab Johanna II quæ Henrico quoque archiepiscopo sedebat?

XV. Jaquelina I *de Mondonvillier* 1444 die 17 Januarii, Ludovico archiepiscopo obedientiam promisit.

XVI. Jaquelina II *de Gondoville* 1460.

XVII. Johanna V *la Hardie* jam memorata 1461, Ludovico archiepiscopo 19 Apr. 1472 promisit obedientiam. Reperitur 1489 in charta Ferrariensi, ubi cum Ludovico *de Blanchefort* hujus

Digitized by Google

hujus monasterii abbate componit pro justitiæ jure in Roseto veteri ac Merinvilla, propter quod inter eos mota fuerat controversia, ad quam dirimendam sua secum invicem communicaverunt tabularia. Tradit Rolliardus Petri *le Hardy* Melodunensis ballivi filiam aut neptem fuisse. Fertur etiam equitandi perita & armigerorum more sæpius equis insedisse.

XVIII. Agnes III in indice Johannæ *la Hardie* subjicitur cum anno 1404; sed error est vel in anno, vel in ordine.

XIX. Johanna VI *de Morest* anno 1494 Tristando archiepiscopo obedientiam juravit.

XX. Roberta *de Garaune* superiorem sequitur in indice.

XXI. N. *de Givartet* 1511.

XXII. N. *de Pisseleu* 1530.

XXIII. Isabella *de Pellevé* nata 22 Martii 1531, ex moniali Paracliti erat abbatissa Roseti 1574.

XXIV. Magdalena I *Deschamps de Morel* præerat annis 1601, 1628 & 1630. Moniales sub clausuræ legibus adstrinxit.

XXV. Magdalena II *de Goué* ex coadjutrice Magdalenæ *Deschamps* bulla v id. Martii 1641 abbatissa, transfertur ad Fontem-Gauferium in diœcesi Sarlatensi an. 1667.

XXVI. Maria-Gaspar da *du Mesnil-Simon-Baujeu*, filia marchionis *de Baujeu*, castrorum præfecti & Ludovicæ *Pol de Rhodes* Magdalenæ successit & præerat an. 1668.

5 Parthenon ille ad parthenonem de Moreto eorumdem ordinis & diœcesis, translatus est cum titulo quo & re donata est a rege anno 1755 N. *de Soulange* nuper abbatissa Regalis-loci prope Compendium.

N. *d'Arcy* monialis e congregatione Compendiensi, a rege nominata est an. 1756 mense Octobri.

POMERIUM.

LA POMERAYE

MATHILDIS *de Carinthie* relicta Theobaldi IV Campaniæ comitis obtinuit ab Heloissa Paracliti abbatissa Pomerii locum ad construendam abbatiam, ea lege ut abbatissæ e Paraclito assumerentur, & abbatissæ Paracliti jurisdictioni subjicerentur. Pactorum arbitrum instituerunt Hugonem archiepiscopum Senonensem, sicque totum actum est post annum 1151, quo defunctus est Theobaldus, qui ibidem sepultus jacet cum Mathilde, ut docet nos charta Henrici Trecensium comitis Palatini, qua ecclesiæ B. Mariæ de Pomerio, ubi pater & mater ejus sepulti erant, concedit tres modios frumenti & tres tremelii, salagium, & alia anno 1161 pro animæ eorum remedio. Processu temporis cum in deteriora lapsæ essent moniales, ut natura ad malum proclivis est, auctoritate senatus Parisf. consulti 15 Aprilis 1544 ad meliora revocantur, accitis monialibus e monasteriis Giffi & Vallis-gratiæ. Centum scilicet post annos Anna-Bathildis *de Harlay* abbatissa parthenonem e Pomerio Senonas transtulit in suburbii locum sancti A Antonii, ubi monasticam rem restituit, ita ut modo 60 moniales ibi conversentur.

Ch. XLII, col. 38.

ABBATISSÆ.

I. GERTRUDIS e moniali Paracliti prima fit Pomerii abbatissa. Notatur in necrologio Paraclitensi pridie idus Septembris.

II. Emelina anno 1171 bullam obtinuit ab Alexandro III. Permutavit anno 1198 cum abbate S. Columbæ. Composuit pro decimis de Compiniaco an. 1205. Facultatem obtinuit a Petro archiepiscopo construendi oratorii in domo sua apud Poigniacum an. 1207. Transegit cum B Blancha comitissa an. 1214.

III. Adelina benedicta a Galtero archiepiscopo, qui sedere cœpit an. 1223, memoratur in tabulario S. Victoris Parisf. Obiit 1244.

IV. Johanna I benedicta a Gilone archiepiscopo, cui obedientiam promisit anno 1244, obtinuit a Campaniæ comite confirmationem eorum omnium quæ acquisierat apud Montigniacum, ita ut ea cum ecclesia de Pomerio in ipsius custodia permanerent an. 1245.

V. Agnes monialis primum S. Mariæ Autissiodorensis, tum Paracliti, assumta in abbatissam Pomerii, a Gilone quoque benedicta fuit. Sedebat C annis 1250 & 1258 mense Februario.

VI. Margarita, forte *du Bois*, a Guillelmo de Brocia benedicta præerat adhuc an. 1270.

VII. Maria I *de Courvillon* pedum tenebat 1284 ex chartis S. Quiriaci & 1298.

VIII. Johanna II *de Villesendrier* annis 1338 & 1339 in chartis S. Petri vivi.

IX. Maria II an. 1340.

X. Johanna III *de Consances* 1361.

XI. Ponceta *la Coquelcute* anno 1404 morbis conflictata, annuente conventu cessit in gratiam sequentis.

XII. Isabellis de Castro e monasterio beatæ D Mariæ Nivernensis assumta, præerat annis 1404 & 1440.

XIII. Philippa *de Servari* reperitur in variis chartis annorum 1442, 1445, 1456 & 1462, absque ulla mentione Margaritæ *du Bois*, quam Sammarthani abbatissam constituunt an. 1450. Forte Margarita est anni 1270. Gravius errant dum Philippam *Savari* aiunt præfuisse anno 1180.

XIV. Ludovica I *de Monthieux* reperitur in variis instrumentis ab anno 1484 ad 1509.

XV. Johanna IV *de Monthieux* legitur ab anno 1510 ad 1543, quo cessit in gratiam E sequentis.

XVI. Avia *de Monthieux* amitæ cedenti successit, benedicta a Petro *Richer* episcopo Chalcedonensi, suffraganeo Ludovici *de Bourbon* archiepiscopi Senonensis, die Dominica 6 Julii 1544, datumque ei est admodum juveni monialium consilium, tam ad gubernandum monasterium quam ad reformationem sustinendam, quæ anno eodem in senatu Parisf. decreta, mense eodem ad effectum perducta est. Sedebat adhuc Avia an. 1547.

XVII. Ludovica II *de Bourron* 1547.

Digitized by Google

XVIII. Maria III *Hervet* 1550, 1553.

XIX. Magdalena *Riviere* 1559, 1560, 1564.

XX. Antonietta *de Chastenay* 1576, benedicta est a Jacobo *Fourré* episcopo Cabilonensi 1577. Sedebat 1578.

XXI. Francisca *de Harlay* ab anno 1584 ad 1630 occurrit.

XXII. Elisabeth *de Salart de Bourron* filia Francisci equitis & Dianæ *Clausse*, ab annis 14 coadjutrix, bullas obtinuit VIII cal. Dec. 1630, parumque diu rexit.

XXIII. Anna-Bathildis *de Harlay* monialis Calensis, designata Pomerii abbatissa 8 Nov. 1631, annos nata 18, bullas obtinuit 7 Maii 1632. Æmulam passa est Eleonoram *de Vic*, qua evicta, cum dirutam & pene monialibus destitutam reperisset abbatiam, e Pomerio Senonas moniales traduxit, annuente Octavio *de Bellegarde* archiepiscopo. Stabilita regulari observantia erectoque tandem an. 1659 cœnobio in suburbii loco S. Antonii, qui olim Benedictinus fuerat parthenon, sanctissime rexit ad annum 1668, quo obiit 7 Maii. Sepulta jacet in choro cum hoc epitaphio : *Epitaphium Annæ-Bathildis* de Harlay *abbatissæ beatæ Mariæ Senonensis. A la mémoire de très-illustre & très-vertueuse dame Anne-Bathilde de Harlay, qui décéda le 7 jour de Mai, l'an 1668, âgée de 56 ans, abbesse & fondatrice de cette maison, qu'elle transfera de la Pomeraye & bâtit en ce lieu, où elle a remis en vigueur la discipline régulière, gouverné & conduit ses chères filles avec autant de charité que de prudence, l'espace de 38 ans. Dame Louise de Harlay sa sœur, qui a succédé à cette abbaye, par le choix qu'elle-même en avoit fait de son vivant, secondée de sa pieuse & reconnoissante communauté, a donné par cette tombe une marque à la posterité de sa gratitude aussi-bien que de sa douleur.* Oratione funebri laudata est a D. Cosma de S. Michaële Fuliensium abbate generali & post Lombariensi episcopo.

XXIV. Ludovica III *de Harlay* filia Achillis toparchæ *de Champvallon* & Houdettæ de *Vandetar*, superioris germana ejusdemque coadjutrix ab anno 1654, vestigiis ejus inhærens stabilitam in monasterio reformationem exemplo suo firmavit, rexitque monasterium ad annum 1696, quo sponte cessit in gratiam sequentis, longe satius existimans subesse quam præesse. Devixit 1 Januarii 1706, anno ætatis 82, sepulta in choro, eodemque quo soror donata tumulo.

XXV. Carola *de Perrien de Crenan* filia Petri Franciæ pincernæ & Magdalenæ *de Bueil*, monialis Lilii anno 1671, tum Pomerii 1695, cedente Ludovica, accedente regio consensu & bullis donata possessionem adipiscitur abbatissa 11 Sept. 1696; sed præ modestia abbatissæ sedem toto quo Ludovica superfuit tempore occupare renuit. Infirmitatibus pressa sequentem accivit adjutricem anno 1718, & obiit 22 Octobr. 1726, annos nata 74.

XXVI. Ludovica-Isabella-Sophia *de Vallois* A *de Villette* Carolæ ab anno 1718 adjutrix, eidem successit, possessionem nacta 24 Oct. 1726.

CAMPUS-BENEDICTUS.

CHAMP-BENOIST.

PRUVINENSE B. Mariæ virginum Benedictinarum monasterium conditum primo fuit an. 1138 ab Henrico Briæ & Campaniæ comite, cognomento Largo, in parochia de Poigniaco, milliario a Pruvino, in loco qui domus Ægypti vocabatur sub invocatione & patrocinio S. Valburgis, pro mulieribus quæ ab illecebris seculi ad salutis viam converti cupientes, (Ch. LXXIV, col. 61.) B habitu religionis assumto ad pœnitentiam agendam illuc convenerunt. Has statim expellere tentarunt monachi S. Petri Trecensis & sancti Aigulfi Pruvinensis, quorum in censiva locus consistebat, quem postea precibus Mariæ comitissæ relictæ Henrici comitis & Guidonis archiepiscopi Senonensis mitiores facti libere monialibus possidendum concesserunt, (Ibid.) assignata alibi eis censiva an. 1193. Insequenti Guidonis successor Michaël quædam prædia sibi a Petro & Guillelmo dominis *de Trevois* relicta, & in operibus piis convertenda monialibus destinavit quas per annos amplius ducentos rexerunt abbatissæ, C quibus, quam ob causam nescio, successere priorissæ ab archiepiscopis Senonensibus instituendæ. Quin imo alieno ære ita oppressum erat seculo 17 monasterium, ut omnibus monialibus ad patrios lares revertendi ab archiepiscopo facultas sit facta an. 1662. Sed quæ erat virginum illarum fides, pauperiem pati dociles, nedum e claustris egressæ, solitas nec prætermiserunt eleemosynas. Neque vero tantæ fidei divinum defuit auxilium: nam Ambrosius-Franciscus *de Bournonville* Franciæ dux & par cum Pruvinum se recepisset, monialium dulcedine cantus, necnon virtutum ac regularis observantiæ fragrantia illectus nihil D non fecit ut a gravissimis quibus onerabatur monasterium debitis sublevaretur, cujus ædificia fere integra construxit, illicque corpus in ecclesia ante altare, viscera in claustro, cor vero in choro sepeliri voluit an. 1693.

Seriem autem tam abbatissarum quam priorissarum eruimus ex archivo monasterii & ex schedis D. *Ruffier* civis Pruvinensis.

ABBATISSÆ.

I. A. Prima nominis litera tantum designatur an. 1197, quo ecclesiam *de Fleix* sub annuo censu Lamberto canonico concessit.

E II. Eremburgis an. 1203 mense Januario in charta S. Quiriaci reperitur. Insequenti fratribus hospitalis *de Rampcillon* cessit modium bladi sibi in eleemosyna datum.

III. Petronilla I Galtero archiepiscopo obedientiam promisit. Ejus nomen cum abbatissæ titulo occurrit in chartis 1233 & 1234.

IV. Eloyssa I Galtero etiam archiepiscopo obedientiam præstitit.

V. Eloyssa II Giloni obedientiam juravit.

VI. Helissendis abbatissa an. 1245 quædam assignavit pro anniversario Heloysis abbatissæ.

Digitized by Google

VII. Aalix 1248, eadem forte cum Aalide seu Alipde quæ variis occurrit in chartis 1258, 1259, 1263, 1264, 1274.

VIII. Petronilla de Munando 1292.

IX. Johanna 1319, postquam nullam reperimus abbatissam, nec forte multo post abbatia Campi-Benedicti in prioratum convertitur, cujus antistitam archiepiscopus Senonensis instituit. Hæc autem sunt quas reperire potuimus.

PRIORISSÆ.

I. MARIA I *la Gaillarde* an. 1452 præerat monasterio.

II. Catharina *de la Lande* 1499.

III. Blancha *de Fumechon* 1552.

IV. Ludovica *d'Alonville* 1576, 1581.

V. Maria II *Vigart* 1586.

VI. Johanna *de Pellevé* ex moniali Roseti Campi priorissa a patruo cardinali *de Pellevé* archiepiscopo Senonensi nominata an. 1588, annis 34 præfuit. Ædificia ab hæreticis destructa reparavit, usurpataque prædia recuperavit. Sequentis in gratiam cessit, & obiit 1641, 28 Decembris.

VII. Renata *de Garges* cedente matertera successit neptis. Monasterium Pruvinum transtulit an. 1625, atque ad strictiorem observantiam revocavit. Cessit quoque in gratiam sequentis, & obiit anno 1637, sepulta in choro cum hoc epitaphio: *Ci gît madame Renée de Garges prieure de ceans, qui prit l'habit en 1622, fit profession 1623, & transfera cette communauté de Chambenoist en ce lieu, l'an 1625, où après avoir rétabli l'observance exacte de la sainte règle, & gouverné durant douze ans, elle décéda en odeur de sainteté le 29 août 1637, âgée de 35 ans.*

VIII. Anna I *de Fresnoy* Lilii monialis, institutam regulæ observantiam stabilivit, abbatiam Lilii sibi oblatam recusavit. Illius tempore cum debitis gravatum admodum esset monasterium moniales numero circiter 30, quibus per archiepiscopum licebat, maluerunt pauperes vivere in claustro, quam ad seculum in domibus paternis reverti. Piarum virginum piissima mater meritis & bonis operibus plena cum prius resignasset, obiit in Domino 1668, 25 Martii. Jacet in choro cum hoc epitaphio: *Ci gît madame Anne de Fresnois, prieure de cette maison, qui ayant trouvé le temporel fort diminué par les dépenses des bâtimens, fit si bien par sa bonne économie durant les trente ans de son gouvernement, qu'elle le rebâtit, & par sa grande foi & confiance en Dieu, y attira les bénédictions du Ciel. Elle décéda pleine de mérites, le 25 Mars 1668, âgée de 63 ans.*

IX. Anna II *de Sens de Morsan* Annæ I neptis, rexit annis 31 usque ad annum 1698, quo resignavit.

X. Henrica *de Levi de Charlus* monialis Paracliti cedenti Annæ successit, & illi

XI. Maria-Theresia *de Beauvillier* nata 22 Octobr. 1683, quæ ex moniali Montis-Argivi Campo-Benedicto præerat an. 1728.

XII. N. *de Loheac de Crapadot* ex priorissa

A Pruvinensi, nominata est a rege abbatissa Lilii 26 Julii 1733.

S. JOHANNES. S. JEAN.

ORDINIS canonicorum regularium sancti Augustini congregationis Gallicanæ in ipsius urbis suburbio situm est monasterium sancti Johannis, ab Eraclio archiepiscopo, seculo v exeunte, prope metas S. Petri fundatum pro monialibus, quæ diu ibi manserunt, quibus ob clades bellorum secedere jussis, locus ille cessit ex integro monachis Benedictinis, quibus quoque

B a proposito suo longius aberrantibus, ad nihilum fere redacta erat cella S. Johannis cum cellis S. Petri & S. Remigii memoratis in diplomate Ludovici pii an. 822, volentis hæc monasteria quantocius in ordinem restitui. His Ansegisus testamento condito an. 831 libram unam legavit. His Wenilo archiepiscopus a Carolo rege anno 847 obtinuit ut inopia laborantibus subveniret, his præerat abbas Betto sub annum 886 postea sanctæ Columbæ prælatus, ac demum episcopus Autissiodorensis. Unum certe est ex monasteriis quæ a Normannis anno 887 succensa scribit Clarius in chronico. Abhinc monachis destituta

C visa est ecclesia S. Johannis idoneisque ad Deo serviendum ministris ad annum 1111, quo Stephanus præpositus tactus amore B. Johannis a concanonicis, ad quos spectabat locus, postulavit ut in eadem ecclesia canonicos regulares concederent aggregari. Stephani votis de consilio & assensu Daimberti archiepiscopi annuerunt canonici anno eodem, ita ut nihil subjectionis alteri cuilibet ecclesiæ præter Senonensem deberent canonici regulares, quibus præficitur prior Petrus vir summæ eruditionis & pietatis, cujus exstant epistolæ, una inter alias ad Hatonem Trecensem episcopum de vitæ cœnobiticæ in Ch. XVIII, col. 18.

D monasterio Cluniacensi electione. Eodem anno canonici Senonenses ut canonicos S. Johannis arctius sibi sociarent, concesserunt eis annuos reditus singularum præbendarum quoquomodo vacantium. Anno vero 1127 ecclesiam sancti Salvatoris ubi commune eorum cœmeterium erat, ecclesiæ sancti Johannis conjunxerunt & Rainardo primo abbati ordinandam commiserunt. Quadriennio tamen post destructam lego abbatiam, paucosque qui remanserant canonicos an. 1131 Catalaunum in abbatiam S. Memmii se recepisse. Præter canonicos & archiepiscopos Senonenses abbatiam sancti Johannis privilegiis Ch. XIX, col. 19. Ch. XXV, col. 25.

E etiam condecorarunt Innocentius II an. 1136, Eugenius III an. 1152 & Innocentius III an. 1203. Reges quoque Francorum & vicecomites Senonenses de hac bene meriti sunt. Jacobus *du Perron* cardinalis archiepiscopus Senonensis mensæ abbatialis unionem archiepiscopatui procuravit 15 Februarii 1607, ea lege ut canonici regulares remanerent, qui & ipsi anno 1638 congregationi canonicorum regularium Franciæ adscripti sunt 12 Maii. Quam damus abbatum seriem hanc ex monumentis ecclesiæ & aliis depromsimus.

ABBATUM CATALOGUS.

I. RAINARDUS primus abbas anno 1124, a Ludovico rege & a Willelmo de Sosiaco obtinuit ecclesiam de Sosiaco, composuit cum Hugone abbate S. Germani Paris. de ecclesia S. Georgii in castello de Matriolis an. 1126, concordiam firmante Henrico archiepisc. Regenda ei ac ordinanda committitur a capitulo S. Stephani ecclesia S. Salvatoris an. 1127, quam donationem confirmavit Honorius II. Salo vicecomes Senonensis dedit Rainardo abbati & ecclesiæ S. Johannis plurima bona an. 1132, moriensque in prædicta ecclesia elegit sepulturam. Eodem Henricus archiepiscopus confirmavit ecclesias de Sosiaco, de Carris, de Nibella & de Castro-Rainardi. Rainardus vero an. 1136 vineas concessit monasterio Fontis-Johannis, eodemque anno privilegium confirmationis & protectionis obtinuit ab Innocentio II, & ecclesiam de *Noam* ab Hugone archiepiscopo an. 1145. Post annos 20 regiminis defunctus, jacet in capitulo a sinistra parte cum hoc epitaphio:

Ch. xxvi, col. 29.

Charta I, col. 359.

Gloria rectorum Rainardus, regula morum.
Christo rite chorum sequitur collega bonorum.
Quem lapis iste tegit, quia carnis frena coegit
Hunc Deus elegit; vivit, quia fortiter egit.

Ch. XLIV, col. 40. II. Fulco bullam obtinuit ab Eugenio III anno 1152, XII cal. Julii, in qua recensentur monasterii bona, inter ea ecclesia B. Mariæ inter murum & fossatum urbis Aurelianensis, quam ecclesiæ S. Johannis largitus fuerat Elias Aurelianensis episcopus an. 1140. Reperitur adhuc an. 1154 in charta monasterii Charitatis. Concordiam fecit cum Odone abbate S. Quiriaci coram Hugone archiepiscopo. Huic biennium tantum assignatur.

Amplis. collect. tom. I, col. 832. III. Gilibertus an. 1155 cum Ludovico rege partitus est villas quasdam quæ a vicinis molestabantur. Finem imposuit anno 1157 controversiæ motæ pro decimis de Bursiaco cum Rainardo abbate Ferrariensi. Rexit annis 4.

IV. Guillelmus I testis laudatur anno 1160 in charta Renaudi abbatis S. Jacobi Pruvinensis. Composuit an. 1162 cum Guillelmo præposito & capitulo S. Stephani pro præbendis canonicorum decedentium quæ ecclesiæ S. Johannis debebantur. Occurrit anno eodem in chartis Prulliaci. Guillelmo abbati Guillelmus præpositus & capitulum Senonensis ecclesiæ concedunt annuale unius præbendæ S. Mariæ anno 1164, subscribente Odone decano, quam anno eodem confirmavit donationem Hugo archiepiscopus. Post decem quos ei assignat Buretellus regiminis annos, solitariæ vitæ amans Guillelmus abdicavit regimine circa 1169, ac cum turma canonicorum in loco *de Flotain* prope silvam Aurelianensem secessit, ubi monasterium construxit, ut patet ex charta fundationis ab Alexandro III confirmata. Hujus tumuli talis est epigraphe: *Hic jacet Guillelmus primum miles, deinde abbas S. Johannis Senonensis, qui postea secessit ad Flotanum, fundator istius loci, cujus meritis & sanctitate multa beneficia* A *dominus loco illi contulit, ibique miraculis coruscans gloriose vitam finivit in Domino. Obiit 1180.*

Chart. III, col. 360.

Charta IV, col. 361.

V. Robertus occurrit anno 1169 in charta Prulliaci. Rexit 4 annis.

VI. Guarmundus. Huic Guillelmus archiepiscopus dedit an. 1172 ecclesias de Molendino-Leonis, de Novavilla super Vannam, de Tellio, de Vallemauri, de Sorbona, *de Montcbarres* & de Bosco-communi.

VII. Rainardus sedit per sexennium.

VIII. Petrus I cujus tempore Guido Senonensis archiepiscopus conditiones præscribit an. 1180, quibus ecclesiæ Flotanensis novella plan- B tatio S. Johannis ab ejusdem abbate in perpetuum penderet, & varias donationes facit canonicis S. Johannis deservientibus altari sancti Johannis-Baptistæ in ecclesia sancti Stephani. Chart. V, col. 361. Transegit cum Adela regina an. 1184. Memoratur anno 1188 in charta Vallis-lucentis, & P. 1198 in charta S. Columbæ. Post 22 regiminis annos sepultus est in capitulo.

IX. Petrus II 1209, ex chartis Vallis-lucentis.

X. Guillelmus II cum G. decano & M. archidiacono Senonensi sententiam dixit pro sancto Dionysio 1203. Humbaldus abbas Miciacensis pepigit an. 1209 cum Johanne de Balgentiaco C pro justitia villæ Gaudiaci & aliis, agente Guillelmo S. Johannis & Elia S. Columbæ abbatibus. Confirmavit Guillelmus Willelmo abbati Fontis-Johannis literas Petri abbatis S. Johannis Senonensis. Judex a summo pontifice delegatus monachos Grandis-campi absolvit anno 1217 a præstanda decima quam in Aquilina ab eis repetebant monachi S. Maglorii. Pepigit cum abbate Fossatensi super decima de Peciaco an. 1219 mense Junio. Occurrit anno 1220 in tabulis B. Mariæ de Charitate, 1221 mense Sept. & 1224 mense Januario in regesto 31 chartarum regiarum. Defunctus anno regiminis 21, sepultus D est retro majus altare.

XI. Guillelmus III de Gaudiniaco rexit annis 10, & tumulatus est ante altare S. Martini.

XII. Simon I Galtero archiepiscopo obedientiam promisit. Hunc Guillelmus Morinus Hist. Vastinensis lib. IV, p. 666 vixisse affirmat duos annos supra centesimum & vicesimum. Jacet in capella B. Mariæ. Præfuit annis 10.

XIII. Hugo I obedientiam promisit Giloni archiepiscopo. Transegit cum abbate Fontis-Johannis. Præerat 1245 mense Maio. Jacet in capitulo. Rexit annis 9.

XIV. Guillelmus IV *de S. Firmin* Giloni E etiam promisit obedientiam. Domum vendit 1254 mense Junio. Unum e suis capitulo Senonensi præsentavit ad annuale præbendæ vacantis deserviendum an. 1271. Hujus obitus canonicis significatus est an. 1272 Dominica ante festum Omnium Sanctorum. Sepultus est ante altare B. Virginis, post annos 20.

XV. Stephanus arbitro Gilone archiepiscopo transegit cum Senonensi capitulo 1275 mense Augusto. Rexit annis tribus cum dimidio, jacetque in capitulo.

XVI. Philippus *de Soisy* an. 1279 a Nicolao

Digitized by Google

papa translatus est ab abbatia Castri-Nantonis ad Senonensem S. Johannis. Interfuit XII cal. Julii 1280 Senonis solenni professioni quam Simon episc. Carnotensis fecit archiepiscopo Senonensi. Occurrit 1284 & 1285 mense Martio. Sepultus est in capitulo, post 6 annos cum dimidio.

XVII. Johannes I *de Villemar* adstitit solenni installationi Philippi archiepiscopi anno 1309. Sexennio ante ecclesia S. Johannis adhæserat anno 1303 appellationi Philippi regis contra Bonifacium VIII. Denatus an. 1311 Johannes jacet in capitulo, post 20 annos.

XVIII. Johannes II *de Clavigny*, vir doctus, in ecclesia metropolitana sacratus, quiescit ante aram S. Petri, post annos 10 regiminis.

XIX. Guillelmus V *de Beauramé* terras prioratus de Sosiaco ad censum tradidit an. 1322, humatur in capitulo.

XX. Burcardus *de Beaugué* adversus quem Nicolaus abbas Vallis lucentis sententiam obtinuit an. 1331, sepelitur in ecclesia de Pruvino, post septem regiminis annos.

XXI. Egidius *de Failly* abbas 1340. Renunciatur præses capituli celebrandi 1343. Huic permisit Clemens VI ut mensæ abbatis uniret prioratum de Cudoto, Avenione pontificatus v. Memoratur adhuc 1347. Extremum diem obiit 1356, sepultus ante majus altare, post 19 annos.

XXII. Johannes III *des Essars* memoratus 25 Dec. 1361. Huic Johanna comitissa Stampensis inducias pro exhibendo hominio concessit an. 1379. Emit eodem toparchiam *de Dammartin* in pago Morvanensi de feodo Castri-Cainonis ab Agnete *de Chezelles* domina *de Clairy*, quam divendidit Hugoni Cabilonensi domino *d'Arlay* 1384. Defunctus 1387, jacet in capella B. Mariæ.

XXIII. Hugo II *de S. Aubin* electus 1387 ex priore Castri-Rainardi, ordinationis suæ 13 anno 1400 exstinctus, jacet ad dextram partem altaris B. Mariæ.

XXIV. Simon II *du Plessis* post annos duos & sex menses vita orbatus 1403, deponitur ante majus altare.

XXV. Nicolaus *la Hure* adstitit solenni ingressui Johannis de Monte-acuto archiepiscopi 25 Nov. 1414. Instauravit ecclesiam 1417, 10 Sept. quæ postea a Burgundis combusta ad annum 1450 mansit deserta. Fatis cessit Nicolaus 1418 elatus ad capitulum.

XXVI. Odo *de Moncour*, seu de *Montrost*, Burgundus, abbatiam quam invaserat totis 20 annis pessime administravit. Henrico archiepiscopo obedientiam promisit 13 Octob. 1421. Interfuit 1429 solenni ingressui Johannis *de Nanton* archiepiscopi. Ob malam administrationem locis sanctis desertis, missus a monachis cessit 1439. Superstes 1442 adversus quem canonici S. Johannis Ludovico archiepiscopo libellum supplicem obtulerunt hoc anno.

XXVII. Petrus II *Bigot* religiosus S. Johannis, factus abbas 1439, annis 35 rexit. Ludovico archiepiscopo obsequium præstitit 1443. Interfuit 1449 translationi reliquiarum S. Potentiani. Ecclesiam restaurare cœpit an. 1450. Admissus est an. 1469 ad societatem precum a Ludovico *de Blanchefort* abbate Ferrariensi. Vir pius monasterium meliorem in statum restituit. Luce privatur 1473, 10 Martii, id est 1474, & sepelitur juxta majus altare.

XXVIII. Johannes IV *Lienard* ex priore *de Montbralier* electus abbas 24 Martii 1473; Ludovico archiepiscopo obedientiam promisit die Lunæ post Pascha 1474, in majore ecclesia consecratus 16 Sept. Mortuus 1478 post quinquennium, jacet ante majus altare.

XXIX. Hubertus *Bernier* memoratus 4 Jan. 1482, pacifice non potitus est, cessitque in manibus Tristandi archiepiscopi.

XXX. Tristandus *de Salazar* archiepiscopus Senonensis, fuit 30 abbas S. Johannis. Obiit Senonis die Veneris 11 mensis Februarii inter primam & secundam horam post meridiem, sepeliturque in majori ecclesia Senonensi retro majus altare sub sepulcro marmoreo.

XXXI. Bonaventura *d'Azay*, al. *d'Alay*, electus 1519, a canonicis S. Stephani in possessionem immissus est 15 Maii, & die sequenti Stephano archiepiscopo obedientiam juravit. Obiit 1528.

XXXII. Nicolaus *Bontemps* regularium ultimus Antonio *du Prat* obedientiam promisit 23 Dec. 1527. Transegit cum capitulo Senonensi 31 Maii 1539.

XXXIII. Antonius *Sanguin* cardinalis *de Meudon*, 9 Martii 1540.

XXXIV. Franciscus *de Faucon* electus 1540 primus commendatarius, episcopus Tutelensis, &c. Obiit Carcassonensis an. 1565.

XXXV. Odetus *de Coligny* cardinalis *de Chastillon*, ad mortem usque reditus percepit, quo defuncto Petrus *Balthazard* officialis Senonensis per annum gavisus est, & post eum admiralis Franciæ toto quoque anno 1578.

XXXVI. Joachimus *de la Porte* canonicus Bellovacensis successit 1578. Cessit in gratiam sequentis, & obiit circa annum 1580.

XXXVII. Christianus, *al.* Crispinus, *Vigier* Andegavensis, defunctus est anno 1588.

XXXVIII. Nicolaus cardinalis *de Pellevé*, archiepiscopus Senonensis, commendam tenebat 1588, 22 Dec.

XXXIX. Raginaldus *de Beaune*. Vide archiepiscopos Senonenses.

XL. Jacobus *Davy* cardinalis *du Peron*, archiepiscopus quoque Senonensis, obtinuit a Paulo V 15 Febr. 1607 ut abbatis reditus forent reditus archiepiscopi, religiosis tamen in cœnobio permanentibus.

XLI. Johannes *Davy du Perron* archiepisc. Senonensis & commendatarius S. Johannis.

XLII. Octavius *de Bellegarde* & ipse archiepiscopus Senonensis, congregationem canonicorum regularium Franciæ apud S. Johannem induxit 12 Maii 1638.

XLIII. Ludovicus-Henricus *de Gondrin* archiepiscopus Senonensis, & sic de ceteris abbatibus qui iidem sunt & archiepiscopi.

Digitized by Google

S. SEVERIN DE CHÂTEAU-LANDON.

S. SEVERINUS CASTRI-NANTONIS.

CLODOVÆUS regni sui anno 25 cum gravi infirmitate decubuisset, suadente Tranquillino archiatro, quem spes curandi morbi deficiebat, advocavit e Burgundia Severinum monasterii S. Mauricii Agaunensis abbatem virum sanctitatis & miraculorum fama ubique inclytum, qui pro salute regis apud Deum orationes fundens & casulam qua indutus erat imponens, ab exitiali febre regem liberavit. Rex hoc ob beneficium Severino concessit ut quam vellet in pauperes pecuniam ex fisco erogaret, & quoscumque carceribus detentos liberaret. Lutetia abscedens Severinus in Nantonense Senonum castrum se recepit, ubi post triduum animam Deo reddidit III id. Febr. anno circiter 506, & in oratorio juxta oppidum tumulatus est, in cujus memoriam Childebertus Clodovæi filius ibidem nobilem ecclesiam condidit, ac reditibus amplissimis ditavit, & clericos ibidem deservientes instituit. Horum loco medio seculo 12 Ludovicus VII regulares substituit, quibus Hugo archiepiscopus Senonensis paupertate fatiscentem abbatiam B. Mariæ de Noeria juxta Nemorosium concessit, fundatam ab Henrico fratre regis prius quam Cisterciensem regulam profiteretur. His vero Ludovicus rex an. 1151 ecclesias sancti Severini & S. Tuguali de Castro Nantonis donavit, quæ quidem ecclesiæ cum annualia canonicis S. Victoris Parisiensis penderent, ab hoc onere transactione inita liberi facti sunt canonici Castri-Nantonis, ecclesia vero S. Tuguali facta S. Severino a quo dependebat unione in parochiam urbis conversa est. Ecclesiam quoque S. Crucis Philippus Augustus eis largitus est. Denique summi pontifices Adrianus IV, Alexander III, Lucius III, Clemens III & Honorius III privilegia, jura & bona abbatiæ confirmarunt. Abbatum seriem ex chartis accipe.

Charta XL, col. 37.

Charta XLI, col. 38.

ABBATUM INDEX.

BERARDUS abbas Castri-Nantonis, canonicorum puta secularium subscripsit chartæ Ludovici VI regis annualia præbendarum in nonnullis ecclesiis concedentis ecclesiæ S. Victoris anno 1125; charta edita est in historia ecclesiæ Parif. tom. II, p. 80.

I. Garnerius I in charta Hugonis archiepiscopi Senonensis ipsi & fratribus ejus monasterium de Noeria concedentis primus abbas ordinatus dicitur, & archiepiscopi ac Senonensis ecclesiæ subjectus & professus, hoc est, ut credimus, Senonensis S. Johannis monasterii, ex quo proinde primi religiosi assumti sunt. Memoratur in charta conventionis monachorum de Sacro-portu, & ecclesiæ de Nemorosio, subscripta ab Hugone archiepiscopo, Fromundo notario & capellano, ex chartis Barbelli, inquiunt Sammarthani.

Charta XL, col. 37.

II. Gaufridus I forte ex ultimo abbate Noeriæ secundus abbas Castri-Nantonis. Extat ad eum diploma Ludovici VII canonicis regularibus A donantis ecclesias sancti Severini & sancti Tuguali anno 1151.

Ch. XLI, col. 38.

III. Garnerius II obtinuit a Ludovico rege confirmationem doni quod Haimo Eschil'etis & Amalricus fecerant ecclesiæ Castri-Nantonis, regni sui anno 15. Testis quoque legitur compositionis inter Præmonstratenses Dei-loci & monachos Caritatis an. 1155.

IV. Gaufridus II an. 1156 privilegium obtinuit ab Adriano IV, qui confirmat prædia & possessiones monasterii; nisi forte positus fuerit Gaufridus pro Garnerio, vel simplex apex G.

V. Garnerius III adstitit pactis conventis inter B Rainardum abbatem Ferrariensem & Gilduinum abbatem Fontis-Johannis mense Januario 1157. Composuit cum canonicis regularibus S. Victoris Parisiensis pro annualibus ecclesiarum S Severini & S. Tuguali, quam compositionem confirmarunt Anastasius IV an. 1158, eodemque Hugo archiepiscopus, episcopatus 12, Ludovici regis 19. Testis legitur in charta Renaudi abbatis S. Jacobi Pruvinensis an. 1160. In chartis Ferrariensis monasterii an. 1162 & 1166 dicitur Garnerius abbas Castri-Nantonis vir prudentissimus.

VI. Johannes I *Vere*, cui Ludovicus VII C contulit prioratum S. Salvatoris Melodunensis anno 1173 sub annuo 12 solidorum censu. Donavit terram ad ædificandam domum pro pauperibus recipiendis, cujus provisorem a canonicis S. Severini nominandum voluit Guillelmus archiepiscopus. Hanc quoque institutionem confirmavit Alexander III bulla data 1178, qua confirmationis & protectionis privilegium Johanni indulsit.

VII. Hugo ex superioris familia præerat 1180. Bullam obtinuit a Lucio III Anagniæ III nonas Dec. 1181, qua prohibitum antistiti diœcesano aliisve ne ecclesiam apud Castrum-Nantonis ædi- D ficarent absque licentia capituli sancti Severini. Eodem anno Philippus rex concessa a Ludovico VII privilegia confirmavit. Insequenti cum Hugo solvisset regi 45 libras, rex eum absolvit *ab omni debito Judæorum quod debebat Judæis, & de quinto debiti sui quod prius reddiderat, ac de fidejussione quam erga regem fecerat super conventione Christianorum de debitis Judæorum.*

VIII. Stephanus I *Vere* abbas 1188, abbatiæ dominio toparchiam *de Bagneaux* adjecit anno 1189. Eodem Philippus rex concessit ei & canonicis ecclesiam S. Crucis infra limites beatæ Mariæ minus rationabiliter fundatam, cum nun- E dinis unius diei in festo S. Crucis. Bullam a Clemente III obtinuit Stephanus, qui a Cœlestino III delegatus fuit ut adesset electioni decani Parisiensis, ortasque inter canonicos contentiones compesceret an. 1194. Majoratum Castri-Nantonis cuidam pagano ad vitam concedit mense Martio 1199. Memoratur in alia charta anni 1209. Insequenti rex præpositis & ballivis suis præcepit ne manum mitterent in hospites & res ecclesiæ S. Severini, nisi pro ipso rege & de speciali ejus mandato, ea lege ut canonicis singulis annis decem libras persolverent.

Digitized by Google

IX. R. abbas S. Severini Castri-Nantonis anno 1213 Februarii die 9 quædam dat sub annuo censu.

X. Johannes II ex canonico S. Genovefæ memoratur abbas ab anno 1215 ad 1219 in chartis Barbelli. Eidem anno 1220 A. abbas Pruliaci cedit legatum quod Guillelmus de Moreto fecerat ecclesiæ de Prulliaco in decima de Trusiaco. Anno vero 1221 acquisivit partem decimarum *de Magneretes.*

XI. Andreas cum Nicolao de Altovillari milite & ballivo an. 1227 plegium se constituit pro Roberto abbate Ferrariensi super 500 libris Paris. monetæ erga nobilem virum Robertum de Curana.

XII. Remigius in Gallia quadripartita notatus 1233, in chartis vero Castri-Nantonis 1237 mense Martio & 1239, Galtero archiepiscopo obedientiam promisit.

XIII. Galterius in Gallia christiana notatur anno 1244. Exstat ejus charta an. 1246 pro anniversario nobilis viri quondam domini Villæbeonis & Isabellæ matris ejus, ac Petronillæ quondam dominæ *de Biou.* Cum Guillelmo abbate Sacræ-cellæ anno 1249 composuit pro quadam vinea & cum Johanne abbate S. Germani Autissiodorensis an. 1253 pro decimis de Corbolio, quam compositionem ratam habuit eodem anno Gilo archiepiscopus Senonensis.

5 Johannes ex chartis S. Evurtii memoratus mense Junio 1248 in schedis D. *de Gaignieres,* cum alio forte confunditur.

XIV. Philippus *de Soisy* præerat annis 1261, 1265 & 1269 in chartis Jardi. Monachi vero Castri-Nantonis abbatis eligendi a rege facultatem petunt anno 1275 ex chartis thesauri. Philippus, an idem? anno 1279 a Nicolao papa transfertur ad Senonensem S. Johannis abbatiam.

XV. N. cui confirmato & benedicto ut regalia dimittat, regem rogat Egidius archiepiscopus Senonensis an. 1279.

XVI. Guillelmus de Bello petita a canonicis eligendi licentia an. 1282, ex priore S. Salvatoris electus est abbas S. Severini. Obiit 1288.

XVII. Petrus I de Surdolio decessit 1308.

XVIII. Johannes III *Bernoyne* e vivis exemtus est 1310.

XIX. Clementius de Villaribus interiit 1312.

XX. Stephanus II *de Chartres* precum iniit societatem cum abbate & conventu S. Carauni 1319 die Veneris post festum B. Magdalenæ. Fato concessit 1327.

XXI. Jacobus I an. 1345 recepit hominium pro terra *de Beaumoulin.* Hic aliqui desiderantur abbates, nam

XXII. Johannes IV Baccalarius futuro archiepiscopo promisit obedientiam 1410. Migravit a seculo 2 Martii 1436.

XXIII. Robertus *Junain* ex priore Villænovæ *la Dondagne* reperitur abbas in charta 1442. Rexit annis 32, defunctus 1468. Cujus tempore ab Anglis per totam Franciam impune grassantibus oppidum Castri-Nantonis propugnaculis munitur, & incendio periit monasterium cum

A basilica locisque regularibus, salva nihilominus reliquiarum S. Severini capsa.

XXIV. Antonius *Cabrin* a canonicis electus obedientiam juravit Ludovico archiepiscopo, sed a Jacobo Albuconio qui commendam obtinuerat turbatus, prioratu S. Salvatoris donatur, juri suo renunciavit.

XXV. Jacobus II *d'Aubusson* filius Guillelmi & Margaritæ *Helie,* Petri cognominis cardinalis consanguineus in decretis licentiatus, sedis apostolicæ protonotarius ex monacho S. Augustini Lemovicensis, primus S. Severini commendatarius 1476, obedientiam promisit Tristando B archiepiscopo 20 Maii 1477, quo anno reperitur in chartis sicut & annis 1481, 1490 & 1518. Emit anno 1491 feodum *de Bouchereau.* Bona monasterii cum canonicis partitus est an. 1512. Collapsi per incendium monasterii magnificus instaurator, primo quidem templum, domum abbatis & loca regularia suis sumtibus construxit, multisque bonis cœnobium locupletavit. Resarciendæ tum regularis disciplinæ gratia, necnon præsidio Georgii cardinalis de Ambasia legati apostolici & admiralis *de Graville,* novem canonicos congregationis Flandricæ *de Windesheim* accersiit, quos circa festum B. Michaëlis C 1497 in suum monasterium admisit, præposito magno priore Johanne Mauburno postea abbate Livriaci, viro pietate & eruditione noto, sub cujus gubernatione cœnobium reformatum, unde nova congregatio S. Severini exorta, in cujus societatem admissæ sunt domus religiosæ sancti Callisti de Cisonio prope Tornacum, B. Mariæ Livriacensis, S. Salvatoris Melodunensis, beatæ Mariæ de Cagia Meldensis, S. Mauricii Silvanectensis, B. Virginis de Victoria, S. Acheoli Ambianensis, S. Mariæ de Sparnaco, S. Sansonis Aurelianensis, B. Martini Nivernensis & aliorum, pro quibus Mauburnus constitutiones D edidit anno 1500, approbatas a cardinali de Ambasia & ab episcopo Parisiensi anno 1505, quo tempore capitula generalia ordinis apud S. Severinum conveniebant, quibus præsidendi honos abbati competebat, etiam adversus abbatem S. Victoris Paris. cujus monasterium an. 1517 cum ad generales ordinis conventus magis commodum videretur, hæc congregatio sancti Victoris nuncupationem accepit, cui ad annum usque 1624 unita domus S. Severini, ab ea paulo post anno 1636 recessit, congregationi reformatæ canonicorum regularium S. Genovefæ Paris. adscripta. Multa etiam bona Cœlestinis E Senonensibus largitus est Jacobus, qui post 42 vel circiter laudabilis regiminis annos fundato anniversario defunctus 1519, juxta gradus aræ principis tumulatus est cum hoc epitaphio: *Hoc mausolæo condita sunt membra Jacobi* d'Aubusson *vita nobilis, ac hujus ecclesiæ abbatis quondam venerabilis, qui sero clausit lumina, flante Deo, millesimo quingentesimo nono decimo anno Decembris decima septima mensis. Erat canonicus, qui hic lege reformans Franciæ & hæc domus est prima reducta solo.* Circa orbem pedi pastoralis hæc inscriptio legitur *Dulcis amica Dei Virgo miserere mei.*

Digitized by Google

XXVI. Nicolaus I *Osoud* cessione Jacobi a capitulo abbas designatus, Parisiis benedicitur a Tristando archiepiscopo, adstantibus Guillelmo *le Duc* S. Genovefæ & Johanne *Cordier* sancti Victoris abbatibus anno 1518. Generalis autem canonicorum regularium S. Augustini in Francia apud cathedralem Sagiensem congregationis ejusdem creatur 11 Maii 1527. Monasterium Senonense S. Johannis an. 1529 reformavit. Sessionis prærogativam adversus abbatem S. Victoris obtinuit ac decessit 11 Martii 1540, cujus in choro basilicæ S. Severini hoc legitur epitaphium: *Cy-gist devote & religieuse personne, reverend pere en Dieu, frere Noel Osoud, jadis abbé de ceans, & Général des chanoines reformés de l'ordre de S. Augustin en France, lequel trespassa le XI Mars M. DXL.*

XXVII. Pregentius *du Moustier* ex dynastis *de Sarragosse* filius domini *de Courtempierre* gubernatoris Castri-Nantonis, protonotarius apostolicus, commenda hujus monasterii donatus, possessionem adipiscitur non 27 sed 7 Augusti 1541. Sub ejus præfectura 1547 mensa conventualis inter abbatem & canonicos dividitur. Post hæc ad hæresim deficiens, Calvinianæ sectæ conventicula in domo sua abbatiali coegit, dum ducissa Ferrariæ apud Montargisium degeret. Sub eo quoque anno 1567 cœnobium ab hæreticis violenter occupatum spoliatur, sedesque vacabat an. 1572.

XXVIII. Nicolaus II *Faverel* duci Alenconio fratri Henrici III regis ab eleemosynis, bullis obtentis III cal. Aug. 1572, possessionem adeptus est 9 Novembris anni ejusdem. Dominium *de Moncourt* alienavit an. 1586.

XXIX. Carolus *Fougeu d'Escures* ecclesiam instaurare aggressus, resignavit postea nepoti. Commendam S. Evurtii Aurelianensis tenebat an. 1607.

XXX. Petrus II *Fougeu* Caroli nepos, cancellarius B. Mariæ Carnotensis, ejusdemque episcopi vicarius generalis, necnon in sede præsidiali regius consiliarius, per cessionem patrui commendatarius Castri-Nantonis reperitur in instrumentis annorum 1621 & 1624. Assensum præbuit an. 1636 ut canonici regulares congregationis Gallicanæ S. Severinum occuparent, quibuscum pacto inito an. 1637, factus decanus Carnotensis cum sequenti permutavit.

XXXI. Petrus III *de Poussemothe* presbyter Parisiensis, ratione permutationis commendam obtinuit, a rege nominatus 29 Januarii 1638. Possessionem iniit 1639 virtute decreti majoris consilii, cessitque sequenti an. 1661.

XXXII. Johannes-Eduardus *de Poussemothe de l'Etoille* canonicus regularis, cedente patruo, possessionem adeptus est 1665 virtute decreti majoris consilii, cessit quoque in gratiam germani.

XXXIII. Petrus IV *de Poussemothe de l'Etoille* superioris germanus, canonicus quoque regularis, a rege nominatus an. 1666, cessit in gratiam sequentis, factus abbas S. Acheoli Ambianensis 26 Aprilis 1667.

XXXIV. Petrus-Franciscus *Seguier* e congregatione Gallicana, præpositus Bellimontis in Ruthenibus, per cessionem Johannis-Eduardi & Petri *de Poussemothe* germanorum & canonicorum regularium, amborumque successive nominatorum abbatum S. Severini, abbas & ipse regularis ex abbate Vallis-Scholarium a rege designatur 27 Julii 1667. Virtute decreti majoris consilii possessionem adipiscitur 10 Nov. anni ejusdem. Bullas obtinuit XIX cal. Januarii 1671; iterumque possessionem iniit 11 Maii 1672, benedictusque fuit a Ludovico Henrico *de Gondrin* archiepiscopo an. 1673. Ædes collabentes relevavit, & chori subsellia construxit. Postquam pie & laudabiliter præfuisset, cessit in favorem sequentis, & in Balgentiacense monasterium se recepit, ubi obdormivit in Domino 2 Octobr. 1699, ætatis 79, professionis 61.

XXXV. Henricus *de la Grange-Trianon* canonicus regularis S. Victoris, filius Ludovici præsidis in senatu Paris. & Margaritæ *Martineau*, per cessionem superioris ab Aurelianensi duce præsentatus, a rege nominatur 28 Maii 1689, bullisque obtentis anno 1697, benedicitur ab Harduino *de la Hoguette* archiepiscopo Senonensi. De abbatia quoque benemeritus obiit.

XXXVI. N. *d'Aigreville de Millancour* a rege nominatus est 19 Maii 1731.

S. JACOBUS PRUVINENSIS.

S. JACQUES DE PROVINS.

RECENS instituti canonici regulares ecclesiam S. Quiriaci Pruvinensis vi occupaverant, quæ eis per incuriam inhabitantium absque judicio tradita fuerat, ademtam semper repetentibus antiquis colonis qui eam ab initio quiete tenuerant canonicis secularibus. Horum querelis permotus Henricus Trecensis comes, ecclesia sancti Quiriaci regulari professioni tum propter populi frequentiam, tum ob ipsius loci angustiam aliaque incommoda minus congrua dimovit canonicos regulares, eisque domum pauperum Pruvini dictam S. Jacobi ecclesiam a Theobaldo comite ejus patre fundatam an. 1146, quam ordini conservando commodiorem situs loci reddebat cum omni integritate sua concessit mense Septembri 1159. Qua de commutatione cum convenisset inter Henricum comitem & abbatem S. Quiriaci, necnon & canonicos regulares, delegati ab Adriano IV Hugo archiepiscopus Senonensis, Theobaldus Parisiensis & Manasses Aurelianensis episcopi transmigrationem laudaverunt anno 1160: hincque origo abbatiæ sancti Jacobi Pruvinensis, ecclesia vero S. Quiriaci, prout a retroactis temporibus instituta fuerat, sic remansit.

Ch. XLVIII, col. 43. Ch. XLIX, col. 44. Charta L, col. 44.

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. PETRUS I abbas Pruvinensis dicitur anno 1136 in charta Fontis-Johannis.

II. Odo I S. Quiriaci abbas, S. etiam Jacobi dicitur in charta donationis factæ canonicis regularibus de ecclesia S. Jacobi ab Henrico Trecensi comite anno 1159. Attamen monasterii sancti Jacobi possessionem non adiit, mortuus apud S. Quiriacum, Ch. XLVIII, col. 43.

Digitized by Google

S. Quiriacum, ubi humatur in navi ecclesiæ. Concordiam fecerat cum Fulcone abbate sancti Johannis coram Hugone archiepiscopo.

Charta LII, col. 46. III. Rainaldus S. Jacobi ecclesiam ingressus an. 1160, primus abbas vocatur in epitaphio. Et certe hoc anno canonici sancti Quiriaci in recompensationem possessionum, quas ibidem habebant regulares, eis concesserunt ecclesiam Sosiaci & de Scala-domo. Rainaldi tempore ecclesia S. Jacobi exuritur an. 1164. Reperitur in quibusdam chartis an. 1167, 1168 & 1177. Prioratum de Lunioreto, vulgo *la Chapelle des Ermites*, fundavit in gratiam duorum e suis religiosis qui solitariam vitam ambiebant, ea tamen lege ut albas deferrent vestes, quam fundationem anno 1186 ratam habuit Guido archiepiscopus Senonensis. Sedebat adhuc Rainaldus an. 1194. Defunctus 12 Jan. Frater erat Hugonis de Monte-Guillonis.

IV. Odo II memoratus annis 1196 & 1198 in chartis Prulliaci, obiit 4 Augusti, dictus in epitaphio secundus abbas.

V. Gaufridus I de Brisolis legitur 1201 in chartis Joyaci & Vallis-lucentis, 1203 mense Aprili, 1205 in tabulis Joyaci, 1208 Vallis-lucentis, 1212 in charta S. Nicolai de Sezanna. Recensetur in tabula Stephani decani Christianitatis de Valle Pruvinensi cum Margarita abbatissa Faræ monasterii 1213. Testatus est 1214 Blancam comitissam locasse molendinum suum in tribus votis quod acquisierat & de novo construxerat apud Pruvinum, cum toto ædificio ecclesiæ S. Jacobi de Pruvino, prioratui S. Aigulfi, ecclesiæ Pacliti, ecclesiæ de Pomeria & prioratui de Mello pro decem modiis frumenti ad duos terminos persolvendis. Occurrit 1216 in chartis Campaniæ, & 1222 in Barbellensibus. Cum P. priore & G. decano sancti Quiriaci arbiter electus querelæ inter capitulum Parisiense & Amoulricum ac Guillelmum de Mollanto fratres sententiam dixit 1224. Reperitur adhuc in membranis 1225 & 1226 & 1228. Denatus est 30 Martii ex vetusto martyrologio.

VI. Petrus II *de Sergines* reperitur 1228, 1229, 1230, 1231. Hoc ultimo pepigit mense Aprili cum Th. comite Campaniæ. Literas dedit an. 1232 de eleemosyna facta a Margarita *de Sergines* domui Dei Pruvinensis, & confirmata a Gaufrido & Drocono fratribus suis. Obedientiam promisit Galterio archiepiscopo. Recensetur adhuc 1233 in tabulis S. Quiriaci, & 1235 mense Aprili die Veneris in crastino S. Lucæ. Circa id tempus Petro facto archiepiscopo Tyrensi, prior S. Jacobi facultatem petiit a comite Campaniæ eligendi abbatis 1235 in cœna Domini (1236).

Charta LXXXVIII, col. 67.

VII. Guido de Vilonixa memoratus 1230 mense Julio, obedientiam præstitit Galterio archiepiscopo. Adfuit S. Edmundo Cantuariensi archiepiscopo in extremis agenti XVI cal. Dec. 1240, cujus exomologesim excepit in prioratu B. Mariæ de Soisiaco juxta Pruvinum, ubi piissime obdormivit. Guido autem laudatus in chartis ab anno 1236 ad annum 1249 vitam

A cum meliore commutavit 22 Sept. & statim post ejus obitum conventus eligendi abbatis facultatem a comite petiit.

VIII. Milo *de Gondelot* reperitur ab anno 1252 ad annum 1261, defecit XIV cal. Jan.

IX. Gaufridus II *de Sargine* a Sammarthanis cognominatus, memoratur 1264 in charta Campi-benedicti. Anniversarium suum fundavit mense Augusto 1266, pro quo domum dedit. Obiit 30 Novembris.

X. Johannes I *Brisse* de Pruvino oriundus, occurrit ab anno 1268 ad 1284, quo e vivis raptus est 10 Decembris.

B XI. Johannes II de Vilonixa parva, quo sedente ecclesia S. Jacobi cum campanili & dormitorio fulgure comburitur, legitur 1287 mense Januario in tabulis Pruliaci, 1289 in charta Campi-benedicti, & 1298 die Lunæ post Brandones in tabulis S. Quiriaci. In necrologio commemoratur hoc modo: *X cal. Febr.* al. *Januar. Johannes bonæ memoriæ de Vilonixa parva quondam abbas monasterii S. Jacobi Pruvinensium anno Domini M. CCCX. Orate pro eo pro quo habemus septem sextaria frumenti cum mina.*

XII. Theobaldus I de Arqueto mortuus 1325, 30 Octobris.

C XIII. Drogo de Valle-Regnerii diem suum obiit 1334 30 Decembris.

XIV. Johannes III Fultrerii natus de Pruvino interiit XI cal. Dec. 1335.

XV. Stephanus I de Calestria (*de Chalotte*) origine Pruvinensis adversus archiepiscopum Senonensem jura monasterii & correctionis canonicorum regularium strenue tutatus est, tum etiam contra canonicos sancti Quiriaci qui tres præbendas abrogare moliebantur. Reperitur in chartis 1342 & 1345. Capitulo habito mense Junio 1347 adstitisse creditur. Obiit hoc anno XII cal. Febr. forte 1348.

D XVI. Petrus III *le Chalouge* Pruvinensis 1348 2 Maii concordiam fecit cum canonicis sancti Quiriaci, quibus præbendam & annuales redhibitiones, quas canonici S. Jacobi in eorum habebant ecclesia, dimisit. Notatus in chartis 1352 & 1355, interiit 1358 3 Maii.

XVII. Dionysius I de Fontenella decretorum doctor, & in curia Romana pœnitentiariæ auditor, moritur V nonas Julii 1375.

XVIII. Johannes IV Regnodi, non Stephanus ut apud Sammarthanos, 1377 27 Aprilis duas missas singulis septimanis celebrandas promittit

E pro Jacobo *le Comte* & ejus uxore, qui facultates ad ecclesiæ refectionem & campanilis quod nuper conflagrarat, contulerant. Vixit ad annum 1381 1 Sept. ex Sammarthanis. Obiisse tamen dicitur in codice MS. anno 1388 18 Nov. quæ si vera sunt, cessisse dicendus longe ante mortem.

XIX. Jacobus I *Merisse* benedictionis munus accepit 1381, & emisit spiritum 1388 XV calendas Decembris.

XX. Theobaldus II de Courtaonne in decretis licentiatus, memoratur in chartis 1391 & 1394. Cum Johanne abbate Joyaci transegit an. 1400, cum Johanna Paraclitensi abbatissa

Digitized by Google

an. 1403, & cum priore *de Gombroy* an. 1407. Vita privatur 1415; memoratus hoc anno in chartis Joyaci.

XXI. Johannes V *du Pas*, ex priore electus abbas a capitulo Senonensi, sede vacante, confirmatur 6 Febr. 1415. Benedictionis munus accepit 9 ejusdem mensis. Obiit 1419.

XXII. Petrus IV *Champy* licentiatus in decretis, occurrit in veteri instrumento 1425, abdicat 1429 factus prior de Vilonixa magna. Notatur in necrologio XIII cal. Januarii.

XXIII. Theobaldus III de Courtaonne superioris gentilis successit 3 Aprilis 1429, in possessionem inducitur 18 Aprilis 1430, fato functus 1439 10 Augusti.

XXIV. Petrus V *d'Avesue* inter vivos esse desiit 1 Aprilis 1456.

XXV. Johannes VI *Porrée* 1456 3 Augusti in chartis authenticis D. *de Gaignières*. Guillelmo archiepiscopo obedientiam promisit. Reperitur in chartis annis 1465 & 1467. Moritur 27 Maii 1470.

XXVI. Johannes VII *Pepin* canonicus regularis abbatiæ de Aqua-viva in Turonibus, electus abbas S. Jacobi 1470, Ludovico *de Melun* juravit obedientiam. Memoratur in chartis 1477, 1481 & 1482, quo ultimo anno ad alteram vitam transiit 29 Augusti.

XXVII. Michaël de Genasio protonotarius apostolicus, abbas commendatarius, Tristando archiepiscopo obedientiam juravit 1483. Memoratur a Sammarthanis 1486 8 Februarii, diem clausit 1495.

XXVIII. Stephanus II *de Tigecourt* electus a canonicis 1496, a vicariis generalibus archiepiscopi Senonensis confirmatur anno 1500, at a Johanne *d'Espinay*, quem rex cui erat a confessionibus, commendarat, in possessione turbatus, cessit juri suo in gratiam sequentis, priorque de Soisiaco obiit 16 Martii 1513.

XXIX. Jacobus II *Raguier* episcopus Trecensis, jam reperitur abbas S. Jacobi 1494, forte per cessionem Michaëlis: hoc enim anno quædam dedit ad manum firmam 18 Octobr. Occurrit & anno 1501. Seipsum nuncupat abbatem in constitutionibus quas abbatiæ suæ contulit, cujus ecclesiæ dedicationem instituit 24 Julii. Obitus ejus dies & annus notantur 14 Nov. 1518 in epitaphio.

XXX. Johannes VIII *Raguier* episcopus Trecensis & commendatarius S. Jacobi per cessionem patrui an. 1515, contendebat an. 1517 de sessionis prærogativa in solennibus supplicationibus cum canonicis S. Quiriaci. Stephano archiepiscopo obedientiam pollicitus est 7 Junii 1519. Obiit 19 Augusti 1548.

XXXI. Guillelmus *de la Chesnaye* commendam tenebat annis 1550 & 1562. Permutavit anno 1563, vel circiter, cum priore sancti Lupi. Transiit inde ad partes Lutheri, obiitque morte mulcatus eo quod literas magni sigilli assimulaverat.

XXXII. Jacobus III *Nacelles* regularis factus est abbas a Pio IV papa 1563 mense Januario. A Eleemosynarius reginæ Scotiæ decessit 1569 21 Maii.

XXXIII. Dionysius II *Poupart* parochus *de Cuchermois*, procurante N. *de la Vallée* domino *du Plessis*, abbatiam S. Jacobi obtinuit, cujus religiosi ad induendas vestes suas eum adegerunt. Memoratur 1571, & a Sammarthanis 1 Sept. 1572. Diuturnis dilaceratus molestiis dimisit cœnobii præfecturam pro prioratu *de Sourdun*. Obiit 6 Oct. 1583.

XXXIV. Ludovicus I *Dauvet* commendatarius 1574, 10 Januarii.

XXXV. Renatus I *Hector* canonicus sancti B Victoris Paris. cujus hoc est epitaphium in ecclesia sancti Jacobi: *Reverendo in Christo patri domino Renato* Hector *hujus ecclesiæ atque cœnobii divi Nicolai a Pratis juxta Ribodimontem abbati natalibus claro, vitæ sanctitate & rebus gestis clariori, qui cum per viginti & tres annos huic ecclesiæ summa cum laude præfuisset, 17 Junii anno salutis 1598 migravit ad Dominum.*

XXXVI. Renatus II *de Megrigny* regularis abbas reperitur in duobus instrumentis anni 1603, obiit apud S. Victorem.

XXXVII. Ludovicus II *de Megrigny* abbas regularis 1604, abdicat 1622.

C XXXVIII. Nicolaus I *Seguier* Petri domini *de S. Cyr* Senatoris Paris. & Carolæ *Janvier* filius, senator & ipse commendam S. Jacobi tenebat an. 1622, cujus cor sepultum in ecclesia sancti Jacobi ante crucifixum, corpus vero in ecclesia Paris. cum hoc epitaphio: *Hic jacet nobilis & scientificus magister Nicolaus* Seguier *quondam regi a consiliis & eleemosynis, canonicus hujus ecclesiæ & abbas commendatarius S. Jacobi Pruvinensis, qui obiit 17 Sept. 1624.*

XXXIX. Nicolaus II *Daligre* filius Stephani cancellarii & Mariæ-Elisabethæ *Chapelier*, commendatarius S. Ebrulfi & S. Jacobi annis 1632 D & 1637, obiit in Hispania 26 Oct. 1638.

XL. Ludovicus III *Daligre* Nicolai nepos, filiusque alterius Stephani cancellarii & Johannæ *l'Huillier*, commendam tenuit ab anno 1637 ad 1640, quo monasterium univit reformatæ congregationi Gallicanæ mense Januario, & cessit sequenti.

XLI. Michaël *Daligre* Ludovici germanus, per ejus cessionem factus commendatarius, cessit quoque germano 1643.

XLII. Franciscus *Daligre* Ludovici & Michaëlis germanus natus 24 Dec. 1620, sancti Jacobi religiosus expresse professus, a rege Lu- E dovico XIII mense Apr. 1643 designatus abbas, possessionem adeptus est 8 Martii 1644. Vir singulari vitæ austeritate, paupertatis amore atque humilitate in primis commendandus, ut pote qui toto fere vitæ suæ curriculo pane & aqua ac terræ frugibus vixit, durissimo lecto, imo super asseres decubuit, episcopatum recusavit. Mortuo illustrissimo patre, ad quem in cancellariæ officio sublevandum, quod strenue & integerrime egit, e suo secessu exierat anno 1672, rursum in suas se recepit latebras, ubi jejuniis, vigiliis, labori manuum, aliisque piis operibus totum se dedit.

Digitized by Google

Monasterii loca regularia reparavit: ecclesiæ A sacram suppellectilem mirum in modum auxit, vasis argenteis & aureis, ornamentis & aulæis pretiosissimis comparatis: locupletissimam bibliothecam instruxit optimis libris, quam etiam publicam in commodum certis per hebdomadam diebus apertam omnibus voluit: scholam theologicam instituit, ac magistros qui pauperum liberos inferioribus disciplinis instituerent, imo & cathechistas qui ipsos fidei christianæ articulos edocerent. Amplissimos reditus pro sustentatione 30 virginum orphanarum in communi viventium assignavit; quatuor clericulos qui festis diebus altari deservirent fundavit. Lampadem ardentem coram B altari B. Virginis die ac nocte voluit, cum cor ipsius flagranti erga Deum caritate continuo arderet. Omnes abbatiæ proventus in egenos liberalissime profudit. Vitam denique virtutibus omnibus ornatam & pretiosissimis actibus pretiosam pretiosiori clausit morte 21 Jan. 1712.

XLIII. Nicolaus III *Pajot* senator Parisiensis, commendatarius Vallis-sanctæ Aptensis & Cassaniæ Lugdunensis, a rege S. Jacobi commenda donatus est 26 Martii 1712, facta Cassaniæ cessione.

XLIV. Johannes-Cæsar *Rousseau de la Parisiere* C episcopus Nemausensis, a rege nominatus commendatarius 27 Jan. 1731, proponitur Romæ 5 Martii anni ejusdem, cessit insequenti factus abbas S. Egidii Nemausensis mense Junio 1732.

XLV. N. *Mercier* canonicus sacræ capellæ Parisiensis, a rege renunciatus est commendatarius S. Jacobi 14 Junii 1732.

JARDUM.

LE JARD.

FULBERTUS eremita inchoavit anno 1171 prioratum de Misericordia Dei, dictum B. Mariæ de Paciaco, institutionemque probavit D Guillelmus tunc Senonensis, postea vero Remensis archiepiscopus, & apostolica auctoritate confirmavit Alexander III post annum 1176. (Ch. LXIII, col. 55.) Prioratum postea in abbatiam convertit Michaël de Corbolio archiepiscopus Senonensis, religiosisque præfecit Gaufridum abbatem. At cum locus de Paciaco aridus nimis & angustus Adelæ reginæ videretur, cœnobium illud constituit in domicilio suo Jardi reginæ haud procul a Meleduno, (Ch. LXXX, col. 63.) quem locum opere sumtuoso miro ædificiorum construxerat apparatu, Paciacensesque forte jam factos canonicos regulares illuc auctoritate metropolitana Petri de Corbolio traduxit, ac regali mu- E nificentia dotavit; quæ translatio facta jam fuerat an. 1204, ut docet bulla Innocentii III, (Ch. LXXIX, col. 63.) totum ad preces reginæ ratum habentis IV id. Aprilis, pontificatus 7. Præcipuam igitur fundatricem Jardi fuisse Adelam probant abbatiæ diplomata. Inter benefactores quoque recensentur vicecomites Meledunenses, quorum ibi sepulturæ & epitaphia cernuntur, puta Adami, Johannis & Guillelmi vicecomitum Meledunensium, Johannis episcopi Pictaviensis & aliorum hujusce familiæ dynastarum, Johannæque comitissæ Drocensis. Abbatum seriem eruimus ex abbreviata ejusdem monasterii historia, quam conscriptam asserunt a Ludovico *Dufour de Longuerue* ejusdem quondam abbate eruditione clarissimo.

ABBATUM SYLLABUS.

I. GAUFRIDUS ex priore eremitarum Paciacensium fit primus abbas a Michaële de Corbolio archiepiscopo Senonensi. Abbatis titulum præfert in charta anni 1199. Eidem anno 1207 Petrus archiepiscopus Senonensis prioratum *d'Estreans*, qui antea fuerat ordinis Præmonstratensis, contulit. Ejus quoque tempore datus est Jardo prioratus B. Mariæ de Prato prope Stampas. Vivebat adhuc an. 1213, quo terram de Villereio ad plantandam vineam dedisse reperitur abbas S. Johannis de Jardo reginæ. Decessit 14 Martii.

II. Hervæus domum quæ fuerat capellani Adelæ reginæ Garnerio de Turre & ejus uxori contulit an. 1218. Testis fuit an. 1222 legati quod fecit Gualterius regis camerarius in extremis positus ecclesiæ S. Victoris Paris. Cum A. decano Senonensi, duobusque aliis a summo pontifice delegatus terminavit anno 1226 controversiam inter abbatem Sacri-portus & Robertum ac Radulfum fratres. Cum rectore de Poligniaco transegit pro decimis an. 1228, superstes mense Julio 1229 ex charta S. Maglorii, mortuus est 25 Octobr. anno incerto.

III. Reginaldus seu Renaudus obedientiam promisit Galterio archiepiscopo Senonensi. Anno 1235 reperitur exsecutor testamenti quod Adamus de Villa-beonis confecerat an. 1234. Ejus nomen cum abbatis titulo exstat in variis chartis Jardi annorum 1235, 1238, 1239, 1244, 1248. Dedit an. 1245 literas de cessione facta ab Odone de Rubella monasterio Barbelli, cujus in chartis occurrit adhuc 1252; consignatur in necrologio 26 Septembris.

IV. Gilbertus an. 1259 memoratur in charta Gilonis abbatis S. Petri de Meleduno & in alia 1260. Reperitur in necrologio VIII id. Aug.

V. Johannes I an. 1263 mense Februario cum monachis S. Maglorii permutavit. Transegit an. 1264 in crastino S. Nicolai hiemalis cum Philippo *de Villers* milite pro quibusdam prædiis prioratus *du Boulay*. Reperitur adhuc an. 1265. Obiit XIII cal. Oct.

VI. Johannes II de Cella an. 1269 nominatur in testamento Nicolai *Champeaux* civis Melodunensis. Obiit 28 Aug. 1271.

VII. Thomas electus Sabbatho post Nativitatem B. Mariæ 1271, præfuit annis 13. Obiit an. 1284 8 Nov. sepultus in ecclesia cum hoc epitaphio:

Patris honore fruens quondam Thomas, modo petra
Hac tegitur, qui cum Christo vivens sit in æthra.
Annis sub mille centum bis septuagenis
Quatuor & denis pius abbas decidit ille
Septimus ecclesiæ sancti fuit ille Johannis
Abbas de Jardo septem cum bis tribus annis.

VIII. Petrus I occurrit an. 1285 in festo S. Augustini. Ejus tempore Gilo archiepiscopus

Digitized by Google

Senonensis an. 1287 ecclesiam Jardi consecravit sub invocatione S. Johannis, concessis indulgentiis iis qui eamdem ecclesiam in festis Nativitatis & Decollationis ejusdem visitarent. Obitus ejus in necrologio consignatur pridie calend. Dec. annum vero 1305 assignat ejus epitaphium, quod semiesum legitur in ecclesia hoc modo:

Is jacet in bustis pius ab . . . . . .
De velis
Anni sunt domini milleni
C triplicatur cum tribus & bini
Mors illi cum dominatur
Octavus pater is mitis erat mihi.

IX. Johannes III obiit anno 1315. Ejus epitaphium semiesum in ecclesia sic legitur:

Hoc est sub lapide qui prælati bovis J. de
Ellis nonus jure recepit honus
Post Petri funus pater est . . . . .unus
Gaudia perpetua det . . . . . . .annis
Vigilo denis quinque simul positis
Mortuus extitit is.

Ejus obitus in necrologio notatur XIV cal. Augusti.

X. Guillelmus I *de Thiewille* electus anno 1315 mense Augusto. Guillelmi archiepiscopi & fratrum ejus negotia procurabat an. 1318. Obiit 29 Septembris 1329, ex necrologio.

Ch. CIX, col. 86.

XI. Vincentius de Escrenis electus 29 Sept. 1329, obiit 22 Augusti 1333. Jacet in ecclesia cum hoc epitaphio: *Hic jacet religiosus vir dominus Vincentius quondam abbas undecimus hujus ecclesiæ, qui obiit an. 1333 vicesima secunda die Augusti.*

XII. Egidius I de Parvo Parisius, *du Petit-Paris*, ex priore de Paciaco post obitum Vincentii electus abbas 1333 9 Sept. obiit 24 Sept. 1349.

XIII. Guillelmus II *du Lis* doctor in jure canonico, Senonensis officialis & prior *de Vois*, canonicus S. Johannis Senonensis, electus abbas Jardi, habita prius abbatis sui licentia assensum præbuit 10 Octobr. 1349. Querelam habuit cum archiepiscopo Senonensi pro procurationibus in monasterio & prioratibus, quæ anno 1350 terminata est, concessa archiepiscopo una argenti marcha. Johanni & Carolo V Francorum regibus carus fuit, eorumque consiliarius & thesaurarius generalis. Margaritæ de Pertis domicellæ excepit donum 1355, eique post obitum anniversarium in monasterio spopondit. Præsens fuit hominio quod 8 Martii 1361 Johanni episcopo Carnotensi præstitit Philippus de Navarra. Anno 1364 2 Nov. quæstor generalis erat subsidiorum pro redemtione regis Johannis qui jam obierat. Guillelmi tempore occupato a Navarrensibus Meloduno, monasterium omnibus spoliatur bonis, & ipse cum suis in tenui victu Parisios fugere cogitur, ut significat in suis ad archiepiscopum Senonensem literis, quibus testatur impossibile sibi esse decimas solvere anno 1365. Insequenti comitiis principum regiæ stirpis & comitum consistorianorum interfuit, & post episcopum Parisiensem assedit. Testis fuit commutationis inter regem & archiepiscopum Senonensem 2 Dec. 1368. E vivis sublatus est Parisiis 1369 (1370) die festo S. Vincentii, statimque literis ad Guillelmum de Meloduno archiepiscopum Senonensem datis facultatem novum eligendi abbatem postularunt canonici.

XIV. Hugo de Monte-Gisonis electus abbas an. 1369, excepit donum Aalidis uxoris Ricardi de Campo, eamque suffragiorum sui monasterii participem fecit an. 1371, Hugoni *Baudequin* ad aliam religionem transeundi facultatem fecit. Præerat adhuc 1382, 1386 & 1391. Notatur in necrologio VII id. Martii.

XV. Guillelmus III *de Bombon* obiit XI cal. Nov. 1400.

XVI. Petrus II *Petitbon* ex priore de Paciaco ineunte Novemb. 1400 electus, transegit cum Johanne abbate Castri-Nantonis. Obiit 14 Apr. 1415 ante Pascha, hic est 1416.

XVII. Egidius *Gilbert* electus confirmatur a capitulo Senonensi 5 Junii 1416. Benedictionis munus excepit in ecclesia S. Petri Meledunensis 24 mensis ejusdem. Obedientiam juravit ecclesiæ Senonensi 15 Julii ejusdem anni. Vicarius generalis a Ludovico archiepiscopo creatur 24 Octob. 1433. Prioratum *des Trajans* contulit 25 Julii 1470. Obiit Meloduni 22 Februarii 1471. Ejus obitus in necrologio ita consignatur: *VIII cal. Martii fratris Egidii Gilberti quondam decimi septimi abbatis hujus ecclesiæ. Obiit anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo.*

XVIII. Stephanus *Gale* electus 2 Martii 1470, Ludovico *de Melun* archiepiscopo obedientiam promisit, præfuitque usque ad annum 1501, quo resignavit. Obiit 1503. Jacet in ecclesia cum hoc epitaphio: *Hic jacet venerabilis & religiosus vir dominus frater Stephanus* Gale *de Melodunо oriundus, qui obiit XXVIII die mensis Martii anno Domini M. D tertio.*

XIX. Petrus III *Magnet* magister in artibus, bullis donatus X cal. Junii, possessionem iniit 10 Augusti, & die 20 juramentum fidei præstitit ecclesiæ Romanæ in manibus episcopi Parisiensis, qui eum benedixit anno 1501, adstantibus abbatibus S. Maglorii & sancti Victoris. Obedientiam promisit vicariis generalibus archiepiscopi Senonensis. Obiit 7 Martii 1523. Jacet in ecclesia, ubi hoc habet epitaphium: *Hic jacet venerabilis quondam pater Petrus* Magnet *natione Burgundus, in artibus magister, hujus monasterii abbas decimus nonus, qui obiit Martii 7 die, anno Domini M. DXXIII.*

XX. Petrus IV *Rousselet* ex priore claustrali fit abbas a rege virtute concordati nominatus, & a capitulo nihilominus electus 10 Martii 1523. Obedientiam promisit Stephano *Poncher* archiepiscopo 17 Maii 1524. A Paulo III summo pontifice creatur episcopus Salonensis in Dalmatia XVIII cal. Febr. 1539, & sacratur Paris. ab episcopo Andegavensi in sacello monialium dictarum *de l'Ave Maria.* Obiit 11 Nov. 1540 regularium ultimus, & sepultus est apud Jardum.

Digitized by Google

XXI. Philibertus I *Babou* electus Engolismensis episcopus, Jardi commendam vacantem per obitum Petri *Rousselet* obtinuit a summo pontifice x cal. Febr. 1543. Bullas a Paulo III obtinuit XIII cal. Febr. 1541 adversus eos qui vasa sacra monasterii diripuerant. Post quindecim annos cessit in gratiam sequentis.

XXII. Philibertus II *Babou* praecedentis nepos, & in Turonensi S. Martini ecclesia praepositus, abbas Jardi reperitur an. 1556.

XXIII. Philibertus III *Babou* episcopus Encolismensis iterum Jardi abbas erat an. 1560. Caroli IX regis ad sedem apostolicam legatus an. 1561, creatus cardinalis dictus *de la Bourdaisiere*. Obiit Romae 1570 VII cal. Februar. ibidem sepultus in ecclesia S. Ludovici.

XXIV. Hannibal *de Rucellay* Florentinus episcopus Carcassonensis, eodem die abbas Jardi creatur a Pio V summo pontifice, & confirmatur a rege 3 Aprilis, tenuitque abbatiam ad annum 1600, quo obiit Romae. Pacifice tamen non est potitus ante annum 1579, nam Johannes-Baptista Alemanni episcopus Matisconensis & abbas Jardi hominium excepit Claudii *de Sanguin* 17 Junii 1573.

XXV. Ludovicus I *de Rucellay* Hannibalis nepos, a Clemente VIII abbas creatus annuente Henrico rege, commendam Jardi tenuit ad annum 1611, quo cessit in gratiam sequentis ad preces cardinalis *de Joyeuse* & archiepiscopi Lugdunensis. Obiit in obsidione Monspelliensi an. 1622.

XXVI. Theobaldus *Henning* natione Germanus, doctor in jure, canonicus ecclesiae Remensis & abbas S. Martini Nivernensis, ecclesiam reparavit anno 1618, monasteriumque univit reformatae congregationi Gallicanae 9 Aprilis 1631. Cessit anno 1645, & obiit in senectute bona 25 Apr. 1651.

XXVII. Nicolaus-Franciscus *Brulart de Sillery* an. 1645 factus abbas, praeerat adhuc 1653, ac circa idem tempus sponte cessit simul abbas Curiae-Dei, S. Basoli, Peliciae, Spalli & sancti Michaëlis Tornodorensis.

XXVIII. Franciscus I *de Rebé* canonicus & archidiaconus Lugdunensis an. 1657 cessit in gratiam sequentis.

XXIX. Ludovicus II *Fouquet* episcopus Agathensis, a rege abbas designatus, bullas ab Alexandro VII obtinuit an. 1659. Procuratorem nominavit qui ipsius nomine possessionem apprehenderet 25 Novembris anni ejusdem, & apprehendit 26 Martii 1660. Commendam aliquandiu pacifice tenuit.

XXX. Franciscus II *de Rebé* commendam obtinuit iterum 13 Martii 1664, obiitque 1665, post cujus obitum reditus auctoritate regia administravit Joachimus *Fautrier* oeconomus ad annum 1668.

XXXI. Johannes-Ludovicus *de Fromentieres* postea episcopus Adurensis, commendam tenuit ab anno 1668 ad annum 1684, quo factus abbas S. Severi in capite Vasconiae, Jardo cessit, & obiit mense Decembri anni ejusdem.

XXXII. Ludovicus III *du Four de Longuerue* natus apud Carolopolim an. 1652, parentibus Petro nobili Normanno & Barbara *le Blanc de Clois*, abbas Septem-Fontium in dioecesi Remensi, designatus a rege 1 Novembris 1684, bullas obtinuit nonis Februarii 1685, & eodem anno possessionem adeptus est 26 Julii. Obiit Parisiis 22 Nov. 1733.

XXXIII. N. *Chaumont de la Galeziere* a rege nominatus est 13 Dec. 1733.

XXXIV. N. *de Voizenon* decanus capituli & vicarius generalis episcopi Boloniensis, renunciatus est a rege mense Aprili 1742.

PRULIACUS.

PRULLY.

QUINTA Cisterciensis ordinis abbatia Pruliacus primis gaudet auctoribus Theobaldo comite matreque ejus Adela comitissa, qui emptas ab Holdevino de Agliniaco & Racheldi uxore terras quas apud Pruliacum possidebant, Stephano alteri abbati Cisterciensi donaverunt ad victum monachorum quos in eodem loco erat ordinaturus. Stephanus autem Artaldum discipulum novellae plantationi praefecit XV cal. Sept. 1118, qui VII cal. mensis ejusdem cum fratribus suis ad hunc locum pervenit. Alios benefactores videsis in appendice, consule etiam quae diximus in parthenone montis B. Mariae. Abbatum seriem sumsimus e martyrologio domestico ubi eorum ordinatio notis chronicis exprimitur.

Ch. XXI, col. 21.

ABBATUM ORDO.

I. ARTALDUS a Stephano abbate secundo Cistercii primus Pruliaci abbas missus est XV cal. Sept. 1118. Huic Roscelinus abbas S. Columbae sub annuo censu concessit quidquid habebat in terra de Curtabovis an. 1133 S. & Guitbertus de Campigniaco 1135. Theobaldus comes donavit ei an. 1139 beneficium feodi empti a Drogone *li Angevins*, quod tenebat de Hugone *Vantet*. Scripsit ei S. Bernardus epistolam 75, quae in antiquis editionibus inscribitur Artaldo abbati Pultariensi ut eum ab abbatia in Hispania construenda dissuaderet; & Vallem-lucentem praeferre persuaderet. Et certe institutor fuit monasterii Vallis-lucentis, ut dicturi sumus postea. Mortuus 1139 VI idus Julii Artaldus humatur in claustro prope basilicam: erat haec consuetudo tunc temporis ut abbates regulae Cisterciensis in cimiterio, cardinales aut episcopi in ecclesia, toparchae autem in claustro sepelirentur.

II. Nigellus ex priore abbas ordinatus 1139 transegit cum Landrico abbate Eschaleii coram Alano episcopo Autissiodorensi & Guichardo Pontiniaci abbate pro limitibus terrarum. Huic Girardus abbas S. Remigii Senonensis ad preces S. Bernardi & Henrici archiepiscopi decimas quasdam anno 1140 & Theobaldus abbas S. Columbae anno 1145 concessere partem terrae Montis-mellis. Martinum monasterii sui cellerarium instituit anno eodem abbatem Barbelli. Fundavit 1146 monasterium de Columba in dioecesi Lemov. Nigello an. 1153 Stephanus de

Digitized by Google

Fontaneto concessit in eleemosynam quidquid habebat apud Blennam. Bullam obtinuit ab Adriano IV an. 1158. Obiit XVI cal. Febr. 1160.

III. Hugo ordinatur 1160. Quædam acquisivit ab abbate S. Remigii 1167. Gaufrido præcentori Senonensi decimas de Brenna cessit an. 1180 ad preces Guidonis archiepiscopi cognati Gaufridi. Ad eum scribit epist. 8 lib. 2 Petrus Cellensis abbas.

IV. Guido ordinatus 1183, memoratur 1185 & 1188 in chartis Pontiniaci. Cum Mainardo Pontiniaci abbate a Clemente III delegatus arbiter querelam Maurini Paris. episcopi & canonicorum Corboliensium super procuratione episcopo debita composuit mense Dec. 1190. Superstes annis 1192 & 1193 notatur pridie idus Martii in necrologio Altæ-brueriæ. Obiit pridie idus Aprilis.

V. Stephanus I ordinatur 1195 eodemque memoratur in chartis S. Quiriaci Pruvinensis, & 1197 in domesticis. Obiit cal. Octobris 1198.

VI. Johannes I 1198 ordinatus, quem de decimis de Brenna investivit Petrus archiepiscopus 1201. Memoratur cum Hugone de Ripatorio & Arnaudo de Fonte Johannis abbatibus an. 1208 mense Martio in charta Pontiniaci.

VII. Amaneus, *al.* Amandus, ordinatus 1210 occurrit 1211 mense Maio in chartis Thesauri. De mandato R. S. Stephani in Cælio monte cardinalis recipit testimonium Fr. Gerardi Aventati super parentela filiæ Henrici comitis an. 1213. Arbiter fuit an. 1214 inter G. abbatem & monachos Barbelli & canonicos de Nemosio ex chartis Barbelli. Occurrit adhuc 1215, 1216 & 1221 mense Decemb. in chartis S. Quiriaci. Obiit IV non. Maii 1222.

VIII. Petrus I ordinatur 1222, forte monachus ille Prulliacensis P. Eremita de quo statutum in capitulo generali an. 1212 ut revocaretur a prædicatione Albigensium. Memoratur Petrus 1224 mense Decembri in chartis Vallislucentis. Obiit VII idus Nov. Jacet in capitulo cum hoc epitaphio: *Hic jacet nonnus Petrus dictus Eremita quondam abbas Prulliacensis.*

IX. Guibertus ordinatus 1225, memoratur 1228 mense Augusto & 1229. Depositus est in capitulo generali 1238, quod D. Jacobum quondam abbatem Cistercii excommunicatum denunciasset. Dicitur quondam abbas in chartis Barbelli an. 1239.

X. Odo ordinatus 1238, approbavit mense Januario 1242 venditionem factam Hugoni abbati de Brajaco ab M. abbate Barbelli. Obiit V cal. Octobris.

XI. Petrus II ordinatur 1243 mense Nov.

XII. Nicolaus 1246 mense Dec. ordinatus occurrit 1247 in vigilia SS. Philippi & Jacobi. Obiit XV cal. Maii.

XIII. Michaël ordinatur 1249 mense Maio.

XIV. Prosper ordinatus mense Maio 1254, composuit anno eodem controversiam inter moniales S. Mariæ regalis & monachos Vallis B. Mariæ. Occurrit 1255 mense Maio.

XV. Norbertus ordinatus mense Maio 1261. Occurrit 1263 in tabula magni Pastoralis, & 1265 in chartulario Jardi. Promisit 1268 mense Februario Th. comiti Campaniæ missam quotidianam de Spiritu Sancto seu de Beata Maria quandiu viveret & post obitum de defunctis.

XVI. Dudo ordinatur mense Octobri 1270. Obiit X cal. Januarii.

XVII. Simon I ordinatus mense Januario 1279, transegit cum abbate S. Jacobi Pruvinensis de prioratu Soisiaci. Occurrit adhuc 1295. Obiit pridie cal. Julii 1296.

XVIII. Imbertus ordinatur mense Julio 1296. In collegio Parisiensi S. Bernardi detectus est anno 1700 tumulus Imberti cum hoc epitaphio: *Hic sepulta sunt intestina D. Himberti abbatis Prulliacensis bachalarii in theologia qui decessit 1298 pridie idus Martii.*

XIX. Gibertus ordinatus 1298 mense Aprili memoratur 1305 in tabulis S. Quiriaci. Obiit 1316* III id. Augusti. Sepultus in capitulo cum epitaphio in quo dicitur vir religiosus & magnæ perfectionis abbas. * f. 1312.

XX. Jacobus de Divione monachus Cisterciensis, doctor in theologia, Pruliaci abbas, ordinatus est mense Octobri 1312. Emit ab abbate Cistercienci vasa argentea pretio 36 marcharum argenti quæ habebat prius, & quorum jus ad abbatem Cisterciensem pertinebat, & Prulliaco dedit an. 1313. Cujus hoc legitur epitaphium ante majus altare: *Hic jacet magni nominis & reverentiæ vir D. Jacobus de Divione sacræ theologiæ professor & abbas domus hujus, qui per longa tempora rexit bene & prospere domum istam, & obiit anno Domini M. CCCXXXII II cal. Decembris.* Chart. CVI, col. 84.

XXI. Hervæus ordinatus mense Dec. 1332, obiit XVI cal. Mart. anno 7 Innocentii VI, quo succedit

XXII. Gaufridus ordinatus mense Februario 1358, defunctus est VI idus Februarii, anno 1 Urbani V, quo succedit

XXIII. Petrus III ordinatus mense Martio 1362, mortuus est anno 6 Urbani V, V cal. Maii.

XXIV. Stephanus II de Foissiaco doctor in sacra pagina ordinatur mense Junio 1368, occurrit 6 Maii 1380, quo anno factus est abbas Claræ-vallis.

XXV. Simon II bachalarius in sacra pagina ordinatur mense Junio 1380. Obiit XV calendas Augusti.

XXVI. Guerinus *seu* Guericus ordinatur 1384 11 Augusti. Memoratur 1404 in historia Vallis-lucentis. Obiit pridie cal. Maii.

XXVII. Johannes II de Roseto monachus Prulliaci, sacræ theologiæ professor, & procurator generalis ordinis in curia Romana, electus abbas Prulliaci 1419 28 Maii, pontificalibus insigniis a Martino V decoratus est cal. Sept. anni ejusdem. In capitulo generali anni 1430 cum aliis abbatibus ad concilium Basileense deputatus est ubi præsens fuit judicio lato in gratiam legato- Ch. CXVIII, col. 95.

Digitized by Google

rum ducis Burgundiæ 16 Junii 1433. Electus fuerat abbas de Balerna 22 Februar. 1430, sed forte non acquieverat. Decessit 1434 penultima Octobris hora diei 12.

XXVIII. Petrus IV *de Rabasco* ex monacho Prulliacensi abbas Joyaci tum Prulliaci, ordinatus 4 Maii 1434, decessit 6 Octobris anni ejusdem octava hora noctis & sic solum per quinque menses fuit abbas Prulliaci, ut legitur in necrologio.

XXIX. Johannes III *le Fort* monachus Prulliaci ob Anglorum in Gallos urgentem persecutionem a principibus secularibus datus est abbas 12 Octobris 1434, & post biennium obiit 1436.

XXX. Johannes IV *de Bresle* ex monacho Frigidi montis abbas Prulliaci 1436, post annos 26 laudabilis regiminis, senio gravis cessit 7 Januarii 1462. Occurrit 12 Novemb. 1453 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Obiit pridie cal. Feb.

XXXI. Vincentius *de Chalon* Cistercii monachus, in theologia baccalaureus, electus fuit abbas Prulliaci 8 Januarii 1462, monasterium plurimum auxit, & post regimen 24 annorum obiit 1486 penultima Februarii.

XXXII. Johannes V *Favel*, al. *Faorel*, de Pruvino oriundus & ipse Cistercii monachus, licentiatus in decretis, electus est Prulliaci abbas 9 Maii 1486. Adstitit 1493 Parisiis capitulo generali. Monasterium quoque plurimum auxit, & post 18 annos administrationis excessit 6 Maii 1505.

XXXIII. Petrus V *de Villenovette* monachus & abbas Prulliaci electus 7 Maii 1505, delegatus præfuit anno eodem electioni Johannis abbatis Joyaci. Per sexennium bene & regulariter rexit, mortuus 11 Aug. 1511.

XXXIV. Matthæus *Riollet* ex monacho Prulliaci ultimus abbas regularis electus est 1511, defunctusque 17 April. 1536 post Pascha.

XXXV. Jacobus *d'Escoubleau* ex abbate S. Martini Pontisarensis, Prulliaci primus commendatarius an. 1536 dictus est, tum episcopus Malleacensis 26 Junii 1543 cessit 1561. Jam obierat 1564.

XXXVI. Henricus *d'Escoubleau* episcopus etiam Malleacensis commenda potitus est ad annum 1614.

XXXVII. Franciscus I *de Sourdis* cardinalis archiepiscopus Burdegalensis, per cessionem Henrici ab anno 1614 ad 1625 18 Novembris commendam tenuit.

XXXVIII. Johannes-Baptista *de Villeneuve* Aquensis ex abbate Regalis-montis permutatione facta cum cardinali *de Sourdis* factus est commendatarius Prulliacensis 18 Nov. 1625, bullisque donatus 14 Dec.

XXXIX. Franciscus II *de Villeneuve* per cessionem Johannis-Baptistæ germani accedente regio consensu, bullisque ab Urbano VIII concessis anno 1627, pridie nonas Octobris in possessionem immittitur 23 Junii 1628. Cessit anno 1678.

XL. Ludovicus *de Forbin de la Marthe* filius Gasparis marchionis *de Janson* ex Clara *de Li-*A *bertat* secunda uxore, eques Melitensis & regiorum sclopetariorum præfectus, cedente Francisco a rege nominatus 15 Aug. 1678 bullas ab Innocentio papa obtinuit & possessionem iniit 22 Jan. 1679. Obiit an. 1684 mense Maio etiam abbas Vallis-lucentis.

XLI. Tussanus *de Forbin* Ludovici germanus, cardinalis *de Janson*, episcopus Bellovacensis, major Franciæ eleemosynarius, abbas Corbeiæ, Saviniaci, Marcennarum & Prulliaci an. 1684, commendator ordinis S. Spiritus, obiit 1713.

XLII. Ludovicus-Abraham *de Harcourt* filius Henrici equitis torquati & Mariæ-Annæ-Claudiæ B *Brulart*, doctor facultatis Parisiens. decanus ejusdem ecclesiæ, nominatus Prulliaci commendatarius mense Aprili 1713, cessit ad Signiacum translatus 27 Oct. 1723.

XLIII. N. *Boyvin de Vauroüi* a rege nominatus est 17 Oct. 1723.

SCARLEIÆ, *al.* ESCHALEIUM. Eschaalis.

VIVIANUS miles de Firmitate Loperia dedit Stephano sacerdoti sociisque ejus Theobaldo & Warnerio eorumque successoribus, locum Scarleias dictum ad ædificandum monasterium C usumque in nemore. Quandonam vero inchoata fuerint ædificia, Cisterciensesque Fontaneti monachi illa inhabitaverint, silent monumenta: altero saltem abbati concessit Ludovicus rex an. 1131 terram carrucis quatuor sufficientem in eleemosyna regis, usumque in silva Otta. Attamen longo post fundationem tempore cum adeo excrevisset monachorum numerus, ut locus ad eos capiendos esset angustior, alio transtulit abbatiam Willelmus tertius abbas. Inde querelæ Siguini filii fundatoris, quæ ad Henricum Senonensem delatæ, qui monachis favit coram Hugone abbate Pontiniaci. Unde conjicere licet funda- D tionis tempus ad annum 1120 aut 1125 esse referendum. Alias donationes non moror, quippe quæ longius recitantur in literis fundationis, quas habes in appendice. Ch. xxiv, col. 24. Ch. xxviii, col. 30. Ch. xxiv, col. 24.

SERIES ABBATUM.

I. STEPHANUS, ille forte sacerdos cui Vivianus fundator dedit locum Scarleias dictum, ad construendam religionis habitationem. *Ibid.*

II. Johannes I ad quem extat charta Ludovici regis Scarleiensibus terram in eleemosyna regis concedentis an. 1131. Ch. xxviii, col. 30.

III. Willelmus I monasterium in locum E commodiorem transtulit; sed cum lignis de silva ad novam abbatiam construendam uteretur, litem ei intentavit Seguinus Viviani filius coram Henrico archiepiscopo Senonensi, a quo Willelmus victor usum lignorum ad omnia sua loca obtinuit. Huic Ludovicus rex dedit terram ad construendum molendinum in loco Tillium dicto, & monasterium a decimis in parrochia Villæ-francæ exemit anno 1136, ut fecerat Henricus archiepiscopus. Cessit, & monachus Fonteneti an. 1163 præsens fuit donationi factæ Regniaco.

Digitized by Google

IV. Landricus præerat an. 1142 & 1146. Privilegium protectionis obtinuit ab Eugenio III, qui anno pontificatus III confirmavit ei locum ubi de novo abbatia constructa fuerat. Hugo archiepiscopus omnes monasterii possessiones approbavit literis Landrico datis 1151. Insequenti aliis eidem datis composuit litem inter Siguinum qui domos Scarleiarum combusserat & monachos. Landricus autem excepit donum Anselli de Mersigniaco an. 1154. Cum Garnerio abbate S. Severini interfuit pactis conventis inter Rainardum abbatem Ferrariensem & Gilduinum abbatem Fontis-Johannis III non. Jan. 1157. Cum Stephano abbate S. Remigii Senonensis transegit coram Hugone archiepiscopo Senonensi an. 1160. Jacet in capitulo.

V. Theobaudus I cujus in præsentia anno 1163 Nevelo Firmitatis dominus dona facta monasterio a patre suo confirmavit, eodem anno privilegium protectionis obtinuit ab Alexandro III. Memoratur 1171 in charta Rainardi comitis Joviniaci, sepultus jacet in capitulo.

VI. Johannes II breve hoc habet epitaphium in capitulo: *Hic jacet dominus Johannes hujus ecclesiæ sextus abbas.*

VII. Johannes III & hic jacet in capitulo cum hoc epitaphio: *Hic jacet dominus Johannes hujus ecclesiæ septimus abbas.*

VIII. Odo videtur hic collocandus, cujus tumulus cernitur in capitulo cum hac inscriptione: *Odo abbas.*

IX. Hubertus præerat annis 1186, 1189 & 1190, ex charta Guidonis archiepiscopi.

X. Henricus 1191.

XI. Rogerius I 1194.

XII. Robertus I abbas 1198, privilegium protectionis obtinuit ab Innocentio III anno 1201. Miloni militi de Tremonte prata concessit an. 1203.

XIII. Vitalis is est forte V. abbas de Escharliis qui anno 1203 concessit quamdam terram H. presbytero de Ecclesiolis, qui anno 1211 memoratur in charta Guillelmi comitis Sacri-Cæsaris & Eustachiæ uxoris ejus, & 1212 in charta Petri archiepiscopi Senonensis.

XIV. N. abbas erat Scarleiarum an. 1216.

XV. Gaufridus 1218.

XVI. Hugo memoratur an. 1225 in charta Galterii archiepiscopi. Fatetur mense Martio 1226 se teneri reddere annuatim Petro de Chiniaco, &c. 6 bichetas frumenti & 18 multuræ ad mensuram Autissiodorensem in festo S. Nicolai hiemalis. Quamdam venditionem fecit an. 1229.

XVII. Johannes IV permutavit cum Roberto abbate S. Petri an. 1233.

XVIII. Theobaldus II an. 1244, componit cum Ludovico comite Sacri-Cæsaris 1246, occurrit 1252 in charta B. Mariæ de Nemosio.

XIX. Artaldus 1256.

XX. Albericus I 1256.

XXI. Ricardus I 1268.

XXII. Emalricus 1284.

XXIII. Albericus II anno 1292.

XXIV. Richardus II præerat anno 1300. Viginti tria silvarum arpenta acquirit an. 1303. Jacet in capitulo cum epitaphio.

XXV. Hervæus 1313.

XXVI. Johannes V Nolini defunctus est an. 1328, ut legitur in capitulo, ubi hoc habet epitaphium: *Hic jacet dominus Johannes Nolini de Villaribus S. Benedicti, hujus ecclesiæ nonus abbas . . . . . idus Aprilis M. CCCXXVIII,* &c. Ubi nonus abbas intelligendus videtur de iis qui sepulti sunt in capitulo.

XXVII. Guido occurrit annis 1329 & 1335.

XXVIII. Michaël electus 1346, defunctus est 1363 ex ejus epitaphio, quod sic legitur in capitulo: *Hic jacet dominus Michaël hujus ecclesiæ decimus abbas, qui obiit in crastina die B. Mariæ-Magdalenæ anno Domini M. CCCLXIII,* &c.

XXIX. Galerannus, *al.* Garelanus, electus dicitur an. 1357, atque ut videtur per liberam cessionem Michaëlis abbatis. Hujus tempore monasterium ab Anglis est eversum.

XXX. Balduinus apud Villam-novam-regis electus 1373, memoratur 1377.

XXXI. Felix de S. Juliano 1383, communia cameræ apostolicæ solvit servitia an. 1396.

XXXII. Rachiel, *al.* Rochus 1398.

XXXIII. Johannes VI *de Laigues* 1400.

XXXIV. Johannes VII *de Loches* 1405.

XXXV. David Felix 1412.

XXXVI. Petrus I an. 1415.

XXXVII. Johannes VIII *de Ligny* 1425, transegit 1428.

XXXVIII. Johannes IX *Despies* 1429.

XXXIX. Johannes X qui præerat 1452; ob malam administrationem depositus est anno 1455.

XL. Johannes XI *de Baigneux* 1455.

XLI. Petrus II *de Paris* 1456 & 1463.

XLII. Richardus III *de Cornissel* 1481, 1482, 1490, 1493.

XLIII. Jacobus I *Milon* 1505, 1511.

XLIV. Jacobus II *Morin* 1512, 1516.

XLV. Guillelmus II *Bernard* 1520.

XLVI. Johannes XII *de Langeac* episcopus Abrincensis tum Lemovicensis, abbatiam Scarleiensem obtinebat an. 1530, eamque restauravit. Obiit 28 Julii 1541.

XLVII. Guillelmus III *Pellicier* episcopus Monspeliensis 1542.

XLVIII. Johannes XIII *du Bellay* cardinalis, archiepiscopus Burdegalensis, episcopus Cenomanensis & abbas Scarleiarum annis 1550, 1555.

XLIX. Cardinalis *d'Allhamps* 1562.

L. Mauricius *de Huot*, dictus *de S. Maurice* 1570.

LI. Vespasianus cardinalis *de Gribaldi* 1577.

LII. Petrus III *de Tollet* regi a consiliis primusque reginæ ab eleemosynis 1581.

LIII. Nicolaus *de Fer* 1582, 1587, abbas erat fiduciarius pro Renato *de Viault* domino *de Champlivault*, *Precy*, &c. qui monasterium destruxit & monachos veneno sustulit.

LIV.

LIV. Dionysius *de Bussevent* abbas erat regularis an. 1599. Obiit 1611, & anno sequenti abbatiæ reditus per œconomum regebantur.

LV. Renatus *de Courtenay* princeps atavis editus regibus Francis, filius Guillelmi & Margaritæ *Fretel* commendatarius Scarleiarum 1615, necnon Gemeticensis, cessit anno 1627.

LVI. Robertus II *de Courtenay* Renati nepos, filius Johannis & Magdalenæ *de Marle*, patrui cessione bullas obtinuit 6 Julii 1627, annum agens 8, & ipse cessit sequenti.

LVII. Rogerius II *de Harlay Cesy* episcopus Leutevensis, Roberto cedente, commendam Scarleiensem tenebat anno 1647. Obiit 14 Maii 1669 etiam abbas S. Petri Autissiodorensis & de Persenia.

LVIII. Rogerius III *de Courtenay* princeps Rogerii nepos, filius quippe Ludovici & Lucretiæ-Christianæ *de Harlay*, natus 29 Maii 1647, comes Lugdunensis, prior de Choisiaco in Bria, necnon commendatarius S. Petri Autissidorensis & Scarleiarum.

Vide Diarium Franc. jun. 1737. p. 1433.

LIX. N. de Coriolis a rege nominatus est mense Septembri 1740.

JOYACUM.

IOUY.

ORDINIS Cisterciensis haud ignobile monasterium Joyacum in Bria situm, quinta Pontiniaci filia, auctores habet nobiles viros Petrum de Castello & Milonem de Naudo qui fundum monasterii contulere, in quo jam antea erectus fuerat monachorum prioratus. Theobaldus autem eximius Campaniæ & Briæ comes, ædificia construxit, quibus perfectis, *anno ab Incarnatione Domini 1124, eodem scilicet anno quo Assumtio B. Mariæ Virginis fer. 6 celebrata est, contigit ut conventus monachorum ecclesiam Joyacensem intrasset, & erat ipso anno indictio 2, epacta 3, concurrens 2, cyclus lunaris 1, terminus Paschæ IV, non. Aprilis, dies Paschæ VIII idus Aprilis, luna ipsius diei 18.* Ita legitur in chartula ad parietem versus septentrionem circa gradus presbyterii ejusdem ecclesiæ. Dedicata autem fuit ecclesia beatæ Virgini, & majus altare consecratum in honorem SS. Trinitatis & aliorum sanctorum a Petro Senonensi archiepiscopo pridie calendas Septembris. Ex aliis vero sacellis & altaribus, sacellum S. Stephani consecratum fuit sicut sacellum S. Martini a Guidone Carcassonensi episcopo, sacella S. Benedicti & S. Michaëlis a Jacobo Suessionensi episcopo, sacellum SS. apostolorum Petri & Pauli a Fulcone Tolosano, & sacella S. Crucis & S. Johannis-Baptistæ a Galtero Carnotensi episcopo. Inter benefactores recensentur Jossélinus abbas Melodunensis, qui an. 1143 dedit terram apud Montem-Theoboldi, & Guillelmus archiepiscopus Remensis, qui an. 1198 largitus est 100 solidos Pruvinenses in nundinis S. Aigulfi ut missas privatas quas cum oleo celebrabant monachi, cum cera deinceps celebrarent. Unitum quoque est abbatiæ Joyaci an. 1403 a capitulo generali ordinis monasterium de Jardino diœcesis Trecensis, quod ob reditus paucos subsistere nequibat. Observandum autem est Joyacum appellatum fuisse antiquitus monasterium Nemoris, ut liquet ex charta Josselini abbatis Melodunensis, seu monasterium Joyaci-bosci, quemadmodum apparet ex alio documento Henrici Trecensium comitis anni 1158, in quo vocat abbatiam bosci Joyacensis, quo nomine Bosci & Nemoris aliquanto tempore cœnobium vocatum putant ad differentiam Joyaci oppidi, vel forte ad distinctionem sacelli nostræ dominæ de Eremitis. Emendatam hic & auctam recudimus abbatum seriem quam Sammarthani e chartario Joyacensi exhibent, necnon ex historia MS. abbatum, quam ex membranis collegerat Nicolaus *Profit* hujus monasterii electus abbas.

Charta LXXVII, col. 61.

ELENCHUS ABBATUM.

I. WALTERIUS primus abbas eruditione & pietate commendandus terram apud Montem-Theoboldi a Jossélino abbate Melodunensi obtinuit an. 1143. Rexit annis circiter 27, quibus autem & anno & die obierit non legitur in martyrologio, sed sepultus traditur sub lapide paulisper erecto super murum inter claustrum & capitulum ad sinistram partem ingressus capituli. Ch. XXXV, col. 34.

II. Rainaldus præerat annis 1150 & 1151 ex tabulis. Ejus tempore Eugenius III, pontificatus an. 6, possessiones & bona ecclesiæ confirmavit. Exstant in scriniis Joyacensibus Hugonis Senonensis & Manassæ Meldensis præsulum, necnon & Rainaudi abbatis etiam familiaris chartæ ad Rainaldum directæ, qui post novem regiminis annos ad ecclesiam Meldensem assumtus anno 1158, ut diximus tom. VIII, col. 1615.

III. Petrus I Rainaldi in locum substitutus, confirmationem possessionum monasterii impetravit ab Hugone archiepiscopo Senonensi an. 1160; plurima ab Alexandro III obtinuit privilegia dum Senonis degeret. Primum est de libertate domus Joyacensis & confirmatione bonorum 1164, alterum de absolutione decimarum pro terris quas propriis manibus excolebant, tertium de decimis persolvendis fratribus S. Johannis Senon. Memoratur adhuc in charta pro terminanda controversia inter monachos Joyacenses & religiosos S. Jacobi Pruvinensis an. 1168. Eodem decessit 22 Nov. sepultusque est in angulo capituli cum hoc Epitaphio:

Hic jacet in tumulo tunc pastor nomine Petrus
Abbas abbatiæ venerabilis & bene doctus,
Bis duo, bis ternis, bis quatuor inde
Anno tricesimo milleno cunctipotentis
De mundo sex deno bis trigena recessit,
Illius maneat spiritus in Domino.
Vigilia fit Ceciliæ sic virginis almæ
Mensis Decembris semper bis quinque calendas
Versus ille orat anima pro qui legat istos
Quod Christus sibi concedat regnum Paradisi.

IV. Hervæus electus est an. 1168, quo sedente Alexander III privilegium largitur de immunitate bonorum monasterii 1178. Sublatus est e vivis 1 Dec. 1188.

Digitized by Google

V. Johannes I sedit ab anno 1188, ad quem exstat bulla Clementis papæ data Laterani cal. Junii 1190. Componit 1192 cum canonicis Remensibus, & 1193 cum Petro abbate Cellensi de decimis. Memoratur 1195 in tabulis Quiriaci. Bullam obtinuit ab Innocentio III an. 1204. Terras permutavit cum canonicis S. Johannis Senonensis 1208. Permutationem fecit cum Margarita abbatissa Faræ monasterii 1210. Fatis concessit x cal. Oct. 1218, sepultusque est in capitulo ad meridiem cum hac epigraphe: *Hic jacet pius pater noster abbas Johannes, obiit x cal. Octobr. anno gratiæ 1218. Anima ejus requiescat in pace.*

VI. Odo jam abbas 1218 in chartis sancti Quiriaci, nominatur in charta Insulæ-pontis de exemtione domus de Sigilleriis anno 1220. Defunctus est IV idus Junii 1221, tumulatusque ante pulpitum capituli versus meridiem, & circa tumulum legitur:

Religionis odorem mirificum pater Odo
Edidit, ut gratus flos vir virtute beatus
Tempore Martha brevi fructum multi tulit ævi.
Qui legis ista gemens, dic sic cito fiet de me.

VII. Lethericus abbatiam tenuit ab anno 1221. Legitur an. 1222 in chartis Barbelli. Beneficum expertus est an. 1223 Johannem abbatem Resbacensem. Pene occisus est an. 1225 a monacho per novaculam. Querelam habuit cum Theobaldo comite Campaniæ super libertate nemorum Joyaci, quæ terminata est an. 1230 mense Julio. Cum eodem commutationem fecit mense Augusto 1233, quam ratam habuit Gregorius IX anno sequenti. Confirmavit anno 1234 venditionem factam abbati Igniaci. Composuit an. 1235 cum Petro abbate S. Jacobi Pruvinensis, & obiit 1235.

VIII. Garnerius fit abbas anno obitus decessoris Letherici 1235, mortuus ipse ultimo Martii ex martyrologio, incerto anno.

IX. Gaufridus Giloni archiepiscopo obedientiam promisit an. 1250. Vivere desiit 1263 XIX cal. Januarii. Nonus abbas dictus in martyrologio.

X. Richardus anno circiter 1263 postulatus cessit ante mortem, quæ contigit VI id. Nov. 1275. Tumulatus est in capitulo versus meridiem, cum hac superscriptione:

Hæc domus orbata patre Richardo, viduata
Eclypsim patitur, dum vir subtus hoc sepelitur.
Pastor non fictus Richardus ibi tumulatur
Sit Deo gratus, sit & in cælis benedictus,
Sexto idus Novembris.

XI. Guillelmus jam præerat 1275 in die Exaltationis S. Crucis mense Septembri, ex charta Philippi regis Franciæ, anniversarium instituentis in missa singulis diebus celebranda pro Rogerio de Joyaco castro, unde liquet Richardum abdicasse qui ex martyrologio decesserit tantum 9 Nov. 1275. Concordiam iniit cum priore de Vultuno 1275 mense Martio (1276).

XII. Henricus regis thesaurarius abbas legitur 1285 mense Octobri in chartis S. Quiriaci.

A Exstat ad eum diploma Philippi pulcri de quadam domo Parisiis sita in vico Joyaco 1299 mense Martio. Translatum diximus tom. IV, col. 999 Henricum ad abbatiam Cisterciensem, cui jam præerat anno 1304.

XIII. Petrus II Divensis, si ibi locus ipsi est, non potuit sedere ultra annum 1304, nec proinde ad eum spectat recensio bonorum monasterii, quæ anno 1315 dicitur regi facta, quippe

XIV. J. abbas Joyaci prædia quædam comparavit a Simone Pontiniaci abbate, annuente Henrico Cisterciensi abbate an. 1304. Johannes est

B Baptista qui obiit 1319, & sepultus est in claustro ad introitum capituli cum hac inscriptione:

Nomine Baptistæ pastor fuit iste vocatus.
Parce sibi, Christe, noxamque remitte reatus.
Bis numera decies minus uno mille trecentis
Conjungendo, scies annumque diem morientis.
Hieronymi festo tu, Christe, sibi pius esto.
Vana salus hominis variis vallata ruinis,
Vermes atque cinis nostri præsagia finis
Signant quid sumus, quo tendimus, unde venimus.

In martyrologio pridie cal. Octobris obiit domnus Johannes XIV abbas Joyaci 1319.

C XV. Gilbertus e vivis exemtus VII cal. Oct. 1320, jacet ante sedem præsidentis in capitulo cum hoc epitaphio:

Patrem Gilbertum tumulatum sit tibi certum
Esse sub hac petra, dicunt annum duo metra
Anno mille datur centum ter decem bina sequuntur.
Firmini festum Septembri sit manifestum,
Finis cunctorum mors est, & pœna malorum
Ut dum nescimus, subito venit hancque subimus
Sume legens tumuli verba loco speculi.

XVI. Robertus defunctus VI cal. Decembris

D 1328, tumulatur in capitulo ante sedem præsidentis sub hoc titulo:

M. C ter addantur X bis V, tresque sequantur
Solvitur a membris vicesima quinta Novembris
Pastor Robertus, ejus sis Christe misertus.

XVII. Hubertus cujus exstat procuratio pro Johanne de Corona, eodem quo vitam cum morte commutavit anno 1331.

XVIII. Johannes II de Corona suffectus 1331, reperitur cum Johanne de Bono-radio & Roberto de Cari-campo 1339 die Veneris ante festum beati Michaëlis. Rexit ad annum

E 1351, cujus visitur tumulus ad meridiem ex parte præsidentis in capitulo sub hac epigraphe:

J. de Corona pater in tumulo jacet isto,
Sic placeat Christo quod det sibi cælica dona
Cum bene sit certum, cum terra fine morari
Nil valet infectum cor mundo nil venerari
Mors perversa ferit quod fuit, est & erit,
Hæc fecit metra quem tegit ista petra.

XIX. Petrus III acerrimus fuit privilegiorum domus & ordinis defensor: Guillelmo enim archiepiscopo decernenti celebrare ordines sacros, & quasi id sibi jure liceret statuenti viriliter se opposuit, nec unquam alias consensit, nisi

Digitized by Google

salvo ordinis & privilegiorum jure, ut testatur rescriptum anni 1351 XI Junii. Reperitur Petrus 14 Augusti 1355 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Anno 1359 ineunte maxima pars monachorum Pruvinum forte propter hostium incursus secesserat cum abbate, qui ibidem non nulla ordinavit circa officium divinum celebrandum, tum apud Pruvinum, tum apud Joyacum. Vivere desiit Petrus 1379 X cal. Dec.

Ch. CXIV, col. 89.

XX. Remigius 1379, præerat 1396. Defecit circa 1399 20 Junii ex calendario.

XXI. Johannes III ab anno 1399 sedit ut colligitur ex concordia inter ipsum & priorem de Vultuno. Alteram iniit an. 1400 cum abbate S. Jacobi Pruvinensis super decimis Bellivisus. Anno 1403 capitulum generale ordinis univit Joyaco monasterium monialium de Jardino Trecensis diœcesis ob redituum paucitatem. Memoratur Johannes 1417 & in actu commissionis Pontiniacensis abbatis 1425 18 Septemb. pro electione novi abbatis.

XXII. Petrus IV de Rabasco ex monacho Pruliacensi abbas electus Joyacensis 1425, tum Pruliacensis 4 Maii 1434.

XXIII. Jacobus præfuit ad annum 1463, quo obiit 7 Maii.

XXIV. Egidius Jacobo successit 12 Maii 1463, statimque post electionem de consilio Thomæ Pontiniacensis abbatis hujus domus patris immediati Romam ad summum pontificem pro confirmatione sua profectus, ab eo pontificalium usum pro se & successoribus impetravit bulla data pridie idus Julii 1463. Egregius extitit monasterii reparator post turbines bellorum Anglicorum, præcipuas ecclesiæ refici curavit columnas, arcus ponentes, tectum, vitrea aliaque ædificia. Fato functus est 25 Aug. 1493.

XXV. Dionysius *le Doux* ex priore electus est abbas 26 Augusti 1493, electioni præsidente Johanne abbate Cistercii. Interfuit comitiis ordinis Luteciæ celebratis 15 Februarii 1494; campanile elegans erexit cum duobus cymbalis, & obiit Pruvini an. 1505, die 8 Septembris festo Nativitatis B. Mariæ sepultus.

XXVI. Johannes IV *Brisson* postulatus abbas, 11 Sept. electus est 1505, præsentibus Petro Prulliaci & Antonio Vallis-lucentis abbatibus, a Jacobo Cisterciensi delegatis. Commendis ut obviaret, obtenta a capitulo generali licentia ultima Sept. 1521, cessit in gratiam sequentis.

XXVII. Johannes V *Moussier* abbas per cessionem Johannis, reperitur 1520 die 24 Aug. sed ante Johannem e vivis exemtus est.

XXVIII. Johannes VI *Brisson* defuncto Johanne abbas secundum iterum cessit anno 1521, retento prioratu de Jardino.

XXIX. Simon I *Charetier* ultimus abbas regularis, benedictus est ab abbate Cistercii in ecclesia parochiali S. Laurentii apud Novigentum super Sequanam, die S. Thomæ 21 Dec. 1521, adstantibus abbatibus Pruliaci, Barbelli & Vallis-lucentis. Veneno sublatus fertur anno 1534 penultima Februarii, cujus hoc legitur epitaphium in ingressu capituli: *Hoc fuit tumulo conditus dominus Simon* Charetier *XXVII abbas hujus domus, qui superis animam reddidit penultima Februarii anno Domini M. DXXXIV.*

XXX. Nicolaus cardinalis de Gaddis episcopus Sarlatensis, primus commendam tenuit ab anno 1535 ad 1552, quo obiit XVII cal. Februarii.

XXXI. Simon II *de Pierrevive* Pedemontanus, regi ab eleemosynis, abbasque Joyaci & Hibernalis, canonicus & archidiaconus Briæ in ecclesia Paris. obiit 13 Dec. 1568, ut diximus tom. VII, col. 850.

XXXII. Oliverius *le Grec* prætoris Juridici Senonensis filius, regi ab eleemosynis, commendatarius Joyacensis fuit ad annum 1582.

XXXIII. Godebertus *le Queulx*, al. *du Greux*, prior Jardini, Joyaci commendam tenuit ab anno 1582 ad 1588, quo vacavit abbatia ad annum 1594, Palamede *de Fondriat* commendam monasterii ambiente & cedente an. 1590 in gratiam Alberti sequentis; sed anno 1589 mense Martio a monachis abbas eligitur Nicolaus *Profit* monachus Joyaci, doctor theologus, auctor inter alia catalogi abbatum a Sammarthanis in lucem editi, qui confirmatus ab abbate Cisterciensi 22 Sept. 1589, possessionem iniit 8 Martii 1592, verum possessione pacifica caruit, administrato interim cœnobio usque ad annum 1594 ab Egidio *le Jeune* œconomo. Jacet ad ingressum capituli juxta Simonem I cum hac epigraphe: *Hic requiescit corpusculum R. P. D. Nicolai* Profit *de Joyaco & de Charitate monasteriorum quondam abbatis & doctoris eximii, qui obdormivit in Domino ultima nocte anni M. DCXXIII.*

XXXIV. Albertus *de Bellievre* clericus Paris. cedente Palamede, confirmatur 18 Junii 1590 ab Henrico IV. Commendam tenuit ab anno 1594. Obiit 1621 archiepiscopus Lugdun.

XXXV. Petrus V *de Bellievre* filius Nicolai ex Claudia *Brulart*, toparcha *de Grignon*, consiliarius parlamenti Paris. præses cameræ requestarum, prior Longævillæ patruo defuncto successit commendatarius Joyaci, abbas etiam S. Vincentii Metensis. Missus est a rege orator in Angliam. Cessit in gratiam sequentis, & subita morte Parisiis obiit 26 Januarii 1683, annos natus 72, ultimusque e clara Bellevreorum stirpe.

XXXVI. Michaël *le Pelletier* per cessionem Petri commendæ possessionem adeptus est mense Februario 1678, tum episcopus Andegavensis & Aurelianensis designatus, Parisiis fistula obiit 9 Aug. 1706, abbas quoque S. Johannis Ambianensis. Filius erat Claudii præsidis in parlamento Paris. & Margaritæ *Fleuriau d'Armenonville*.

XXXVII. Michaël-Petrus *d'Argouges de Ranes* Michaëlis ex sorore nepos, nominatus 14 Aug. 1706, possessionem iniit mense Jan. 1707. Renunciatus episcopus Petragoricensis 8 Januarii 1721, admissusque Romæ 28 Maii, consecratur Paris. in ecclesia Minimorum ab archiepiscopo Burdegalensi, assistentibus Aurelianensi & veterano Santonensi episcopis 3 Augusti, regique fidem juravit 10 eorumdem mensis & anni.

Digitized by Google

Obiit in sua diœcesi 13 Novembris 1731, annum agens 47.

V. Diarium Franc. Mai. p. 1028. XXXVIII. Basilius *de Béthune-Charost* nominatus est a rege 27 Decembris 1731.

XXXIX. Petrus-Carolus *Herault* abbas Joyacensis, obiit 1 Dec. 1732, annum agens 40.

XL. Ludovicus-Guido *de Guerapin de Vaureal* filius Michaëlis-Antonii *de Guerapin de Vaureal*, comitis *de Belleval*, & Franciscæ *Fretel de Bazoche*, doctor facultatis Paris. 13 Apr. 1714, magister oratorii regii 24 Augusti 1718, commendatarius Molismensis 13 Octobris 1723, episcopus Redonensis mense Maio 1732, eodemque anno magister capellæ regiæ musices, inunctus 24 Augusti 1732, commendatarius Joyaci eodem exeunte anno, a cardinale Ottobono Romæ proclamatur 2 Martii 1733. Regius ad Hispaniarum regem legatus 1740, ab eodem inter primarios regni proceres cooptatus est anno 1745. Commendis quoque sancti Faronis Meldensis & sancti Albini Andegavensis donatus, obiit Niverni 17 Junii 1760, annos natus 70.

XLI. Henricus-Maria-Bernardinus *de Rosset de Ceilhes de Fleury*, archiepiscopus Turonensis à Rege nominatus est an. 1760.

FONS-JOHANNIS.

Fontaine-Jean.

PONTINIACI filia Fons-Johannis ordinis Cisterciensis prope Montem-Argisum conditur XIII cal. Aprilis 1124 sub invocatione B. Mariæ a Milone de Curtiniaco ibidem sepulto, cujus neptis Isabella Petro filio Ludovici VI nubens ad eum transtulit & toparchiam & nomen de Curtiniaco. Unde Petrus Milonis ad exemplar eidem abbatiæ plurima beneficia contulit, ac præsertim annis 1170 & 1179, quæ confirmavit Ludovicus VII ejus germanus anno 1180. De Cisterciensibus quoque bene meritus est Robertus de Curtiniaco, qui inibi etiam sepulturam suam elegit an. 1225. His præiverat Agano de Malicorna, uxorque ejus Hodierna germana Henrici archiepiscopi Senonensis, qui Cisterciensibus dederunt feodum de Mota quod eis confirmavit Henricus an. 1136. Horum & illorum benefactorum chartas habes in appendice, hic autem qualemcumque abbatum seriem quam ex archivo excerpsimus. In sacro altaris lapide hæc leguntur verba: *Ludovicus Dei gratia rex Francorum & Petrus de Corten. fund. hanc ecclesiam anno Domini 1133*, quo videlicet anno basilica perfecta est.

Ch. LVII, col. 50. Ch. LXVIII, col. 57. Charta LXXXVI, col. 66.

ELENCHUS ABBATUM.

I. STEPHANUS I memoratus 1134. Huic Agano de Malicorna & uxor Hodierna dederunt feodum quod Fulco de Mota de illis tenebat in territorio de Soysiaco, quod donum confirmavit Henricus archiepiscopus Senonensis an. 1136. Eodem Rainardus abbas S. Johannis Senonensis concessit 20 vineæ arpenta, præsente Petro Pruvinensi abbate. Bullam protectionis obtinuit ab Eugenio III an. 1147.

Ch. XXXII, col. 32.

II. Gilduinus, Gildouinus, Guildinus, Jolduinus, Goduinus anno 1149 excepit donum Guillelmi abbatis Miciacensis, de consilio Manassis episcopi Aurelianensis, coram Petro abbate Curiæ-Dei. Convenit de decimis cum Rainardo abbate Ferrariensi III non. Jan. 1157. Reperitur 1168 in chartis Pontiniaci. Ejus in manu monasterio clausum vineæ largitus est Petrus de Curtiniaco an. 1170. Transegit an. 1172 cum priore Castri-Rainardi. Garino filio Haelelmi vineam vendidit. Exstat apud Chesnium t. IV, p. 758 Gilduini epistola ad G. abbatem sancti Victoris Parisiensis.

Ch. LVII, col. 50.

III. Galterus I.

IV. Guillelmus I præerat an. 1174. Jacet in capitulo cum epitaphio, in quo dicitur quartus abbas.

V. Mainardus cum Gaufrido *Rupium*, Ainardo Albæ-petræ & Guillelmo Proteæ abbatibus, arbiter fuit querelarum inter Gislebertum abbatem Fontis-Morigniaci & ecclesiam Boni-radii an. 1178, Ludovico Francorum rege & Garino Bituricensi archiepiscopo. Forte ex Pontiniaci monacho, ad Pontiniaci præfecturam assumtus est.

VI. Odo quintus abbas sepultus in capitulo, præerat 1184.

VII. Guillelmus II *de Donjeon* ex abbate Fontis-Johannis abbas Caroli-loci 1187, tum archiepiscopus Bituricensis.

VIII. Renaldus 1188 cessit & recessit ad Pontiniacum, ubi superstes adhuc erat an. 1195.

IX. Arnaudus I anno 1195 cum Hugone Ripatorii & Johanne Pruliaci abbatibus terminat an. 1198 controversiam inter Pontiniacum & Vallem-lucentem. Quædam commutavit cum Stephano domino de Fenis an. 1208. Occurrit adhuc 1209 in chartis Thesauri.

X. Galterius II ex priore Pruliaci abbas Fontis-Johannis, tum Pontiniaci 1212, demum episcopus Carnotensis.

XI. Guillelmus III memoratus 1212, arbiter fuit an. 1215 inter Galterum abbatem Vallis-lucentis & Gaufridum Eventatum de Plesseto. Huic anno 1217 Willelmus abbas S. Johannis confirmat literas a Petro decessore datas. Occurrit adhuc 1218 in chartis Pontiniaci.

XII. Severinus recensetur 1225 mense Jan. in chartis Thesauri. Transegit anno eodem cum Roberto de Curtiniaco, qui elegit sepulturam suam apud Fontem-Johannis.

Charta LXXXVI, col. 66.

XIII. Arnaudus II memoratur anno 1228 ex chartis Pontiniaci, nisi forte sit superior Arnaudus I.

XIV. Sigerius 1238, cum priore Montis-Argisi transegit an. 1245.

XV. Laurentius 1255, sepultus est in claustro capituli.

XVI. Gerardus ob malam administrationem a capitulo generali depositus est an. 1260, & ob debita quibus monasterium oneraverat excommunicatus.

XVII. N. abbas de Fonte-Johannis de dilapidatione domus & malo regimine diffamatus & contumax in patrem abbatem deponitur in capitulo generali 1277.

XVIII. Stephanus II præerat annis 1288 & 1293.

Digitized by Google

XIX. Johannes I de Bretenneria obiit 1303, A sepultus ante capitulum.

XX. Johannes II memoratus 1310, biennio post cum Philippo *de Melun* archidiacono Remensi domino S. Mauricii super Avenionem transegit fer. 4 post S. Dionysium 1312. Occurrit adhuc 1334 Sabbato post Epiphaniam, & 1357, an idem?

XXI. Guillelmus IV definitor erat capituli generalis an. 1357.

XXII. Johannes III *Gombault* regebat annis 1386 & 1389.

XXIII. Stephanus III *Rossignol* 1400 & 1403.

XXIV. Guillelmus V an. 1419. Monasterio bellis destructo ut urgenti alimentorum & victualium necessitati extremæque subveniret inopiæ Petro abbati S. Mariani Autissiod. calicem & pedum argentea divendidit 1423 post Pascha.

XXV. Johannes IV *d'Ancre* 1430, 1436.

XXVI. Johannes V Clarinus 1443, 1446, 1449.

XXVII. Edmundus 1453.

XXVIII. Arnaudus III an. 1459.

XXIX. Johannes VI *Perrenin* 1459.

XXX. Johannes VII *du Chastelet* 1467.

XXXI. Johannes VIII *Bachou* 1481, 1491, 1493, 1494, 1495.

XXXII. Jacobus *de Siry*, al. *Viry*, baccalaureus in theologia formatus 1499, 1503, 1504, sepultus jacet in capitulo Pontiniaci.

XXXIII. Hugo *de Genoilly* 1506, 1509, 1511, 1521, 1523, 1524.

XXXIV. Michaël *Gautry de Brignon* ultimus regularis præfuit annis 1529, 1530, 1549, mortuus & sepultus apud Pontiniacum.

XXXV. Odetus *de Coligny* cardinalis *de Chatillon* bullas obtinuit a Julio III, cujus electioni interfuerat 28 Apr. 1549. Hujus tempore Calvinistæ monasterium occisis quinque D monachis combusserunt an. 1562.

XXXVI. Ludovicus I *de la Chambre* inter alias tenebat quoque commendam Fontis-Johannis anno 1572.

XXXVII. Petrus I *de Tollet* regi a consiliis & reginæ primus eleemosynarius, rector S. Mauricii & commendatarius Fontis-Johannis 1574 & 1581 simulque Nerlaii, Scarleiarum & Plenipedis.

XXXVIII. Ludovicus II *de Parade* regi ab eleemosynis 1583.

XXXIX. N. *de la Bastide* 1591.

XL. Ludovicus III *Arnoulphini* Italus 1595, E possessionem adipiscitur 1597. Fuit etiam abbas S. Martini Nivernensis.

XLI. Guillelmus VI *du Broc* Francisci domini *du Nozet* filius, prolegatus Avenionensis, commendam Fontis-Johannis cum duobus sequentibus nepotibus tenuit ab anno 1621 ad 1644.

XLII. Achilles *du Broc*.

XLIII. Ignatius *du Broc*.

XLIV. Petrus II *de Longeuil* consiliarius parlamenti & canonicus sacræ capellæ Parisiensis 1644.

XLV. Bonaventura *Rousseau de Bazoches* comes consistorianus & in senatu Parisf. consiliarius episcopus Cesareensis & suffraganeus Virdunensis necnon abbas sacræ Cellæ, nominatus a fratre regis commendam Fontis-Johannis a rege obtinuit 24 Julii 1656, quam adhuc tenebat an. 1670.

XLVI. Jacobus-Franciscus *Minot de Meville* filius primi cubicularii ducis Aurelianensis, mense Sept. 1671, translatus est ad S. Launomarum 1676 mense Aprili.

XLVII. Johannes IX *Testu de Mauroy* ducissæ Aurelianensi ab eleemosynis, Fontis-Johannis an. 1676 & sancti Carauni 1680 commendas B obtinuit. Defunctus infra octavam Paschæ 1706.

XLVIII. Gabriel *Charbonneau de Fort-Lecuyer* filius Gabrielis ex Maria *Soudelet* domina *de la Pouplihere*, magister oratorii Philippi ducis Aurelian. nominatus est commendatarius 22 Martii 1706.

XLIX. N. *Mehé d'Anqueville* a rege nominatus est mense Julio 1728.

VALLIS-LUCENS. VAULUISANT.

VALLIS-LUCENTIS decem passuum millibus ab urbe Senonica dissitæ natales C debentur Artaldo primo Pruliaci abbati, qui ut abbatiam monachorum suorum precibus admonitus fundaret, nobiles viros Ansellum de Triangulo & Odonem de Villa-mauri apud *Monsthy* convenit an. 1127 a quibus quidquid ipse vel monachi ibidem acquirerent postulavit ut concederent. Idem Milo *de Nogent* concessit eodem tempore. Unde Ansello de Triangulo primo & præcipuo benefactori pluribusque ejus posteris concessa est in capitulo sepultura, pro qua tamen abbas Vallis-lucentis levi culpa multatus est in capitulo generali an. 1198. Ecclesiæ quæ dedicata fuit anno 1143 conditores fuere D Ludovicus VII Francorum rex & Theobaldus magnus Campaniæ comes. Abbatum seriem qualem variis ex chartis ac diplomatibus collegerat & Sammarthanis communicaverat D. Claudius *Maillet* Vallis-lucentis quondam prior, emendavimus ut sequitur.

Ch. xxvii, col. 30.

Ibid.

ABBATUM INDEX.

I. NORPAUDUS duodecim monachis e Pruliaco adductis ab Artaldo Pruliaci abbate apud Vallem-lucentem primus abbas præficitur Senonisque ab Henrico archiepiscopo inauguratur qui cænobium sub protectione suæ E ecclesiæ admittit, ac rogante Artaldo locum extruendæ basilicæ, claustra, cimiterium pro more benedixit 1 Aprilis 1129. Norpaldus vero cum Heloïssa abbatissa Paracleti transegit an. 1142. Memoratur 1153 in charta Pruliaci, 1146 & 1155 in tabulis Pontiniaci. Cum Fulcone abbate S. Johannis Senonensis acquisivit terram S. Germani. Quædam permutavit cum militibus templi apud terram *de Cerilly*. Permutationis cartæ appendet S. Bernardi sigillum, in quo repræsentatur manus monachi pedum abbatiale gerens. Norpaldi curis & sollicitudine

Digitized by Google

constructa abbatia Varenarum in Biturigibus, A quæ est Vallis-lucentis filia. Decessit ex Sammarthanis 1159 XVI cal. Septembris: de quo vetus martyrologium sic: *Commemoratio bonæ memoriæ Eugenii papæ, & D. Norpauldi primi abbatis Vallis-lucentis, & Arnaudi primi abbatis Pruliacensis & piæ recordationis Guillelmi abbatis Vallis-lucentis, & D. Thomæ necnon omnium episcoporum & abbatum ordinis nostri, & pii regis Francorum Ludovici, & comitis Theobaudi hujus ecclesiæ fundatorum, & comitis Theobaudi junioris, & comitissæ Trecensis, & Henrici Anglorum regis & filiorum Henrici, & Ricardi, & D. Anselli de Triangulo, & Helzendis uxoris ejus, & Anselli* B *junioris, & Garnerii fratris ejus.*

II. Petrus I anno 1161 plura acquisivit in territorio Bemeriarum. Bullam protectionis & confirmationis prædiorum obtinuit anno 1163 ab Alexandro III, quo anno eidem Ludovicus rex quædam jura indulsit. Insequenti 1164 transegit cum Girardo de Nogento præsente Henrico Trecensium comite. Arbiter fuit an. 1173 inter B. Charmeiæ & G. B. Mariæ de Virtute abbates. Memoratur 1177 in charta Guidonis archiepiscopi pro Ripatorio. Novum acquisivit privilegium an. 1178 ab Alexandro III. S. Thomæ Cantuariensi archiepiscopo in primis familiaris C fuit, qui ipsi factam sibi de futuro martyrio revelationem aperuit. Dignitati cessit circa annum 1179, superstes adhuc 1183, quo anno in charta Trium-Fontium testis laudatur Petrus quondam abbas Vallis-lucentis.

III. Felix I in necrologio abbas tertius Vallis-lucentis dicitur, sed erravit necrologus dum eum decessisse ait anno 1200.

IV. Wlricus anno 1183 transegit cum Guidone archiepiscopo Senonensi, & Ansello de Triangulo. Terminavit anno 1185 controversiam quæ erat inter monasterium Vallis-lucentis & Pontiniacum. D

V. Willelmus I legitur 1192 in chartis S. Columbæ, quem an. 1196 de quadam terra in nemore de Boocis Michaël archiepiscopus investivit. Occurrit & 1198.

VI. Thomas quintus abbas Vallis-lucentis dictus in necrologio, ubi obitus consignatur IV id. Aprilis. Obiit anno 1204 ex Sammarthanis.

VII. Galterius cui insigne privilegium concessit Innocentius III an. 1205, controversiam cum Pontiniacensi monasterio de exstirpatione quarumdam terrarum terminavit anno 1208. Cum R. Arremarensi & O. Quinciaci abbatibus E testatus est illegitimam copulam inter Philippam filiam Henrici comitis Trecensis & Erardum de Brena mense Julio 1213. Convenit an. 1215 cum Gaufrido Eventato de Plaisseto super usu nemorum *de Cervins de Bosreant*. Memoratur adhuc in chartis annis 1214, 1220, 1221 & 1222. Ejus obitus in necrologio notatur XIX cal. Januarii.

VIII. Aubertus obedientiam juravit Galterio archiepiscopo. Memoratur an. 1223 cum Erardo de Brena & Philippa ejus uxore. Ipsi Giardus de Marnaio donavit terram *de Foujou* anno 1225, Garciæ præposito S. Quiriaci Pruvinensis an. 1229 grangiam & domum de S. Martino de assensu Guiberti abbatis Prulliacensis largitus est. Extincti 1239 ex Sammarthanis obitus consignatur III id. Febr. in necrologio ubi dicitur abbas septimus.

IX. Octrannus in necrologio dictus octavus abbas Vallis-lucentis obiit IV cal. Martii.

X. Felix II Galterio archiepiscopo obedientiam promisit. Cum abbate S. Dionysii de nonnullis litigiosis amice composuit mense Febr. 1240. Domum acquisivit 1253.

§ Pontius occurrit ad an. 1254 die Martis post festum S. Martini hiemalis.

XI. Stephanus I an. 1259 judex constituitur a capitulo generali inter abbatem Pontiniacensem & abbatissam de Insulis. Comitem campaniæ rogavit an. 1264, ut ad unum comitis ballivum omnes monasterii causæ referrentur. In necrologio obitus ejus consignatur XIII cal. Junii 1270. Charta c, col. 76.

XII. Gibertus cujus sunt literæ in tabulario S. Dionysii datæ mense Februario 1270 (1271). Cum Gilone archiepiscopo transegit de pluribus juribus an. 1285. Occurrit adhuc variis in cartis annorum 1294 & 1295.

§ In necrologio legitur : *VI cal. Augusti D. Johannes decimus abbas Vallis-lucentis 1293*, quæ verba ansam præbuerunt D. Claudio *Maillet* qui historiam Vallis-lucentis conscripsit eum appellandi Johannem Guibertum, sed quo fundamento?

XIII. Guillelmus II fato fungitur VII calend. Sept. 1299 ex necrologio.

XIV. Gaufridus transegit an. 1300 cum Guillelmo abbate S. Remigii Senonensis pro justitia Eschesiarum.

§ In necrologio 15 Januarii Stephanus abbas XII Vallis-lucentis obiisse dicitur. Huncque auctor historiæ incunctanter vocavit Stephanum Gaufridum.

XV. Petrus II obiisse dicitur 28 Septembris 1302.

XVI. Jacobus I de Meldis composuit cum Egidio abbate S. Dionysii, cum præposito de Ulna & priore de Marnayo pro decimis die veneris post festum S. Vincentii 1315. Denatus anno 1325 jacet in capitulo cum hoc epitaphio : *Hic jacet vir bonæ memoriæ Dominus Jacobus* de Meldis *quondam abbas XIV hujus monasterii qui obiit anno Domini 1325 VII id. Maii.*

XVII. Jacobus II cujus obitus in veteri calendario notatur hoc modo : *VI cal. Julii obiit D. Jacobus XV abbas Vallis-lucentis 1329.*

XVIII. Nicolaus de Catalaunis anno 1331 Sententiam obtinuit adversus Burchardum abbatem S. Johannis Senonensis. Jacet in capitulo cum hoc epitaphio : *Hic jacet bonæ memoriæ vir mansuetus D. Nicolaus de Catalaunis quondam abbas XVI hujus monasterii qui obiit die calendarum Julii anno domini 1337.*

XIX. Guido an. 1337 4 Augusti transigit cum Aalide *de Barres* abbatissa Paracliti. Cum Petro abbate Varenarum concordiam fecit an.

Digitized by Google

1339. Vitam cum morte mutavit VII calend. Octobris 1348 ex necrologio, ubi abbas XVII dicitur.

XX. Simon I abbas Vallis-lucentis fit abbas Casæ-Marii diœcesis Verulanæ anno 9 Innocentii VI, quo succedit

XXI. Stephanus II Marcelli præerat anno 1367 quo nominatus est a capitulo generali ad discutiendam permutationem factam ab abbate Pontiniacensi cum Autissiodorensi S. Germani monasterio. Ejus obitus in necrologio consignatur IV id. Sept. 1366, sed error evidens est in anno, melius apud Sammarthanos an. 1368.

XXII. Johannes I defecit 1392. XIV cal. Nov. ex necrologio.

XXIII. Guerinus paucis tantum diebus præfuit defunctus 1392 si fides sit necrologio. Quod multis scatet erratis. Sammarthani habent 12 Octob. 1409.

XXIV. Stephanus III præerat an. 1394 ex veteri instrumento Claræ-vallis.

XXV. Matthæus occurrit an. 1404. Cum abbate S. Remigii transegit an. 1407. Electionem abbatis Varenarum confirmare recusavit anno 1418. Morte corripitur X cal. Julii 1423 cum prius præfecturam abjecisset.

XXVI. Stephanus IV *de Meslé* reperitur an. 1421 in veteri instrumento Pruliaci, cujus obitus in necrologio consignatur XII calendas Februarii.

XXVII. Petrus III *de Provins* anno 1432 de quadam domo Valli-lucenti legata investitur. Ejus obitus in necrologio notatur XIV calend. Febr. 1433.

XXVIII. Henricus an. 1448 ut subveniret urgentibus monasterii sui necessitatibus cupream Anselmi Laudunensis episcopi tumbam ante majus altare jacentem vendidit cujus loco lapideam reposuit cum hac inscriptione: *Hic jacet Anselmus de Barcenaio natus quondam Laudunensis episcopus qui obiit III nonas Septembr. anno M. CCXXXVIII, sed urgente inopia anno Domini M. CCCCXLVIII duodecimo Novembris hujus loci abbas nomine Henricus cupreum tumulum vendidit quem præfatus erexerat, de cujus venditione hanc celte tumbam in silice sculpsit & huic ecclesiæ quæ tunc ruinosa permultum erat, possetenus altissimo disponente subvenit, quem pro eis orate.* Non multo post idem Henricus dignitati cessit, defunctus ex Sammarthanis 15 Junii 1449.

XXIX. Johannes II de Ædua ex monacho Cisterciensi factus abbas Vallis-lucentis, paulo post dignitatis onus excussit an. 1450 24 Sept.

XXX. Hugo de Castro monachus Cisterciensis eodem die electus ægre pedum pastorale accepit, cujus institutionem ratam habuit capitulum generale anno 1451, sed anno 1456 die 2 Sept. ut liberius contemplationi vacaret, renunciavit præfecturæ. Interiit 28 Augusti 1457 ex Sammarthanis.

XXXI. Antonius I *Piscator* 1456 ineunte Septemb. electus, ædificia monasterii fere collapsa reparavit. Præerat adhuc anno 1480, defecitque 7 Sept. anni ejusdem ex Sammarthanis.

XXXII. Johannes III *Hanneteau* abbas reperitur in veteri instrumento anni 1489. Generalibus ordinis comitiis adstitit Parisiis an. 1493. Usum mitræ, annuli, pedi, dalmaticæ & aliorum insignium pontificalium pro se & successoribus obtinuit an. 1501. Sequenti anno cessit dignitati & decessit XIII cal. Oct. 1504.

XXXIII. Antonius II *Pierre* electus 20 Sept. 1502 ecclesiam decoravit ac monasterii jura pro virili tutatus est. Delegatus præfuit electioni Johannis *Brison* abbatis Joyaci 1505. S. Theodori martyris caput pretiosorem in thecam anno 1517 transtulit. Bibliothecam construxit. Denique an. 1534 cessit factus episcopus Sidoniensis. Ultimus regularis naturæ debitum solvit 5 Febr. 1549. Jacet in ecclesia, ubi hoc habet epitaphium: *Hic jacet piæ memoriæ D. Antonius Petri apud Rigniacum* le Feron *oriundus hujus monasterii Vallis-lucentis, abbas 27, qui obiit anno Domini M. DXLIX, die quinta mensis Februarii.*

XXXIV. Odetus *de Chastillon* canonicus sacræ capellæ Paris. jamque commendatarius S. Evurtii, cedente Antonio a rege nominatus, commendam quoque Vallis-lucentis a Clemente VII obtinuit bullis datis 10 Aprilis 1534, cessitque 1553, tunc episcopus Bellovacensis & cardinalis.

XXXV. Antonius III *Sanguin* cardinalis *de Meudon* bullis donatus est 13 Sept. 1553.

XXXVI. Nicolaus *de Pellevé* cardinalis archiepiscopus Senonensis, nominatus a rege 26 Nov. 1559, cessit an. 1572.

XXXVII. Simon II *le Chastré* presbyter abbas larvatus pro D. *Damville* qui abbatiæ reditibus fruebatur.

XXXVIII. Carolus *de Senneton* ballivus & capitaneus Senonensis, annos natus 16, abbatiam assecutus est an. 1588, sed cum urgeretur ad ordinem presbyteratus suscipiendum, post annum fratri suo cessit an. 1623.

XXXIX. Ludovicus I *de Senneton* Caroli germanus, cessit in gratiam nepotis sui.

XL. Ludovicus II *de Senneton* superiorum nepos, filius Caroli. Hujus tempore auctoritate cardinalis *de Richelieu* abbatis Cisterciensis strictior regulæ observantia apud Vallem-lucentem introducitur an. 1636. Ludovicus vero anno 1644 permutavit, nec multo post obiit mense Februario 1645.

XLI. Octavius *de Bellegarde* archiepiscopus Senonensis, obiit 26 Julii 1646.

XLII. Rainaldus *d'Est* cardinalis negotiorum regis Franciæ apud sedem apostolicam protector, episcopus Monspeliensis & Regii 1646. Obiit 1672.

XLIII. Ludovicus III *Forbin de la Marthe* eques Melitensis 1672, obiit 1684 etiam abbas Pruliaci.

XLIV. Ludovicus-Maria-Franciscus *le Tellier de Louvois* eques Melitensis 1678, clericatum abnuit 1684, dictus deinceps marchio *de Barbesieux*.

XLV. Camillus *le Tellier de Louvois* superioris germanus, eidem successit nominatus 1 Novembr. 1684. Abbas etiam Burgulii, obiit 5 Novembr. 1718.

Digitized by Google

XLVI. Honoratus-Franciscus *Grimaldi de Monaco* filius Ludovici *Grimaldi* principis *de Monaco* Franciæ paris equitis torquati, & Catharinæ-Carolæ *de Gramont*, natus 21 Decembris 1669, prius eques Melitensis, tum canonicus Argentoratensis 1696, abbas S. Maxentii 1717, archiepiscopus Bisuntinus inunctus 4 Febr. 1725, abbas Vallis-lucentis 14 Novemb. 1731, cessit archiepiscopatu 1735. Obiit Parisiis 16 Febr. 1748, annos natus 78, sepultusque est in ecclesia monialium Capucinarum.

XLVII. Ludovicus-Jacobus *Chapt de Rastignac* archiepiscopus Turonensis, nominatus est a rege commendatarius Vallis-lucentis 28 Aug. 1748. Obiit 2 Aug. 1750.

XLVIII. Stephanus-Carolus *de Lomenie de Brienne* vicarius generalis archiepiscopi Rotomagensis, commendam a rege obtinuit 10 Febr. 1753; Episcopus Condomiensis nominatur an. 1760, & ad sedem Tolosanam translatus 2 Februarii 1763.

XLIX. N. *de Boisgelin de Cucé* major vicarius Rotomagensis, per cessionem Superioris a rege nominatus est 15 Augusti 1760.

BARBEAUX

BARBELLUM.

TRIBUS passuum millibus supra Melodunum ad Sequanam situm Barbellum filia Pruliaci fundatur a Ludovico VII juniore, qui locum de sancto Portu in abbatiam ordinis Cisterciensis promovit & dotavit diplomate dato an. 1147, regni XI. Aliquanto ante duo fratres Guillelmus & Radulfus cum tribus confratribus suis Hermete, Renardo & Gauterio forte eremitis locum S. Acirii, quem juxta Meledunum ædificaverant, ecclesiæ de Pruliaco ad exstruendam ordinis abbatiam concesserant, unde nata Barbelli construendi occasio. Decem a fundatione monasterii nondum effluxerant anni, cum monachi de Sequanæ portu relicto priori loco valetudini noxio, secus Sannesium in loco qui Barbellus vocatur super Sequanæ fluenta habitare venerunt, quem locum ipsis concessit Ludovicus fundator alio diplomate anni 1156, qui inibi etiam defunctus an. 1180 sepeliri voluit. Quam pie & austere vixerit hic princeps discimus ex epistola 53 Alexandri III in appendice secunda. Nam tres quadragesimas jejunabat pro magna habens relaxatione unico vesci ferculo piscium & vino uti temperate sumpto. Philippus Augustus rex filius ejus voluit semper ardere cereum coram ejus sepulcro dato diplomate 1182, qui octo post annos omnes patris donationes & possessiones postea acquisitas confirmavit an. 1190. Adela quoque regina Ludovici VII relicta donum monachis factum confirmavit an. 1183. Ipsa est quæ marito suo construxit tumulum quem an. 1695 refecit cardinalis *de Furstemberg*. Hic quoque jacent eodem tumulo Johannes & Theobaldus e Sancerræ comitibus, ut uno partu geniti sic eadem die in Sequana natando demersi, pro quorum salute monachis de Barbello parens eorum Stephanus dominus Castellionis super

Charta XXXVII, col. 35. — Ibid. — Ch. XLVI, col. 41. — Charta LXVIII, col. 58. — Ch. LXXII, col. 60. — Ch. LXIX, col. 58.

A Lupam decem libras Sacri-Cæsariensis monetæ tradidisse legitur in tabulis. Catalogum autem abbatum etsi in aliquibus mancum ita exhibemus.

CATALOGUS ABBATUM.

I. MARTINUS ex cellerario Pruliacensi primus Sacri-portus abbas electus anno 1146, memoratur in charta dotationis Ludovici regis an. 1147. Obtinuit a rege translationem cœnobii a loco Sacri-portus ad locum *de Barbeel* juxta fluenta Sequanæ secus Pontem-Sannesii, quem locum idem rex contulit postea eidem B monasterio & nemus proximum an. 1156.

Charta XXXVII, col. 35. — Ch. XLVI, col. 41.

II. Hugo permutavit cum Ascelino abbate Fossatensi, assentiente Ludovico rege an. 1151. Reperitur adhuc annis 1154, 1156 & 1160.

III. Tecelinus I an. 1162 præerat, quo Hugo Senonensis archiepiscopus testatur Gilonem de Fontenellis laudavisse donum quod pater suus fecerat ecclesiæ Sacri-portus per manum Tecelini abbatis. Testis legitur an. 1164 in charta Henrici comitis pro translatione monasterii de Recluso in locum commodiorem.

IV. Henricus eodem an. 1164 bullam obtinuit ab Alexandro III. Reperitur an. 1166 in C charta Pruliaci. Legitur & in catalogo an. 1168.

V. Tecelinus II nemus emit anno 1176 a Galterio Trossemello, quo anno Tecelino abbati & fratribus Sacri-portus Ludovicus rex concedit totam aquam Sequanæ a clauso de Fontanis usque ad Album Fossatum. Testis reperitur 1176 in charta Ripatorii.

VI. Ivo cui Alexander III confirmavit omnia monasterii prædia, in primis donum aquæ Sequanæ quod fecerat Ludovicus rex, pacem iniit cum Milone abbate S. Petri Melodunensis anno 1178. Insequenti Ludovicus rex confirmavit D pactum inter Ivonem abbatem & homines Templariorum super usuario Bellilucii. Ivo composuit cum Roberto priore S. Martini a Campis anno 1180. Contendit 1183 cum Guidone abbate Pruliacensi.

VII. Bartholomæus I amplissimum ab Urbano III diploma obtinuit an. 1186. Eodem Philippus Augustus Barbellenses monachos a colligenda messe exemtos ad celebrationem missæ revocavit. Reperitur adhuc Bartholomæus an. 1189 in charta Joyaci.

VIII. Guillelmus I notatur an. 1197 in charta Adelæ reginæ. Subscripsit chartæ Galterii came- E rarii regis pro Barbello.

IX. Girardus an. 1200 in charta Pruliaci, 1201 in charta S. Jacobi Pruvinensis, 1209 in charta Fossatensi. Transegit mense Augusto 1213 cum monachis Meledunensibus. Querelam habuit cum canonicis de Nemosio super decima vinearum sitarum infra terminos parochiæ de Nemosio, quæ ab arbitro Pruliaci Amando sopita est 1214. Ejus tempore disciplina regularis potissimum effloruit, domusque e miserrima ditissima evasit.

X. Bartholomæus II an. 1214 legitur in instrumento pacis initæ inter decanum & capitulum Parisiense

Digitized by Google

Parisiense. Ejus precibus Guillelmus Meldensis A episcopus confirmavit decimam novalium in parochia de Nigella monasterio Barbellensi anno 1216. Reperitur adhuc 1219 in tabulario Jardi, & 1220 in tabulario S. Dionysii. Hiccine est abbas qui depositus est ab abbate Pruliacensi, cui, quia in ejus depositione non observaverat modum in ordine præscriptum, capitulum generale anno 1221 imposuit pœnitentiam levis culpæ, ibidemque statutum ut quoties aliquis abbas foret deponendus & amovendus, fieret sub testimonio duorum vel trium abbatum & in capitulo.

XI. Guibertus memoratus 1223, domum B Meloduni sitam vendit 1224. Jacet in capitulo Barbelli cum epitaphio.

XII. Hervæus I Galterio archiepiscopo promisit obedientiam. Præerat 1228 ex chartario.

XIII. Adam obedientiam juravit Galterio archiepiscopo.

XIV. Michaël ex abbate Morarum Lingonensium abbas Barbelli 1231 mense Martio, Galterio archiepiscopo obedientiam juravit 1232 mense Augusto. Reperitur in chartis annorum 1233, 34, 35, 36, 42, 45 & 1247 in chartulario Campaniæ.

XV. Gillebertus 1252 in regestis capituli C Parisiensis.

XVI. Petrus I Giloni archiepiscopo obedientiæ præstitit juramentum. Recensetur in literis compromissi per Theobaldum scholasticum Lexoviensem de querela monachorum Sacri-portus cum rectore ecclesiæ de Burrone. Reperitur anno 1255 mense Martio in charta Joyaci.

XVII. Menardus cui & successoribus indulsit Alexander IV privilegium conferendi ordines minores monachis ordinis in ecclesiis ejusdem anno pontificatus 6, 1260.

XVIII. Guillelmus II de Pruvino composuit D cum abbate & monachis sancti Dionysii mense Junio 1266. Reperitur adhuc annis 1267, 1270 & 1271.

XIX. Stephanus I 1274 mense Septembri, 1275 & 1279 in charta Cellensis monasterii.

XX. Dionysius 1280.

XXI. Johannes I de Sansiaco 1287 mense Martio, factus est an. 1291 abbas Claræyallis.

XXII. Philippus de Larigniaco 1308, 1309 & 1312.

XXIII. Almaricus 1320, notatur in necrologio 13 Januarii.

XXIV. Johannes II de Braya memoratur E an. 1320 in charta Jardi. Campanile exstruxit an. 1328, in cujus cruce plures reliquias reposuit.

XXV. Guillelmus III de Salicibus 1335.

XXVI. Stephanus II de Hericiaco an. 1340.

XXVII. Johannes III an. 1356.

XXVIII. Guillelmus IV an. 1370.

XXIX. Johannes IV an. 1380.

XXX. Hervæus II an. 1393.

XXXI. Johannes V 1396 ex Sammarth.

XXXII. Laurentius 1409, notatur in necrologio 5 Februarii.

XXXIII. Johannes VI *Fleury* ex abbate de Barbello eligitur a Johanne XXIII episcopus Encolisinensis per obitum Guillelmi pridie cal. Sept. pontificatus an. 3, 1412, tum transfertur ad ecclesiam Lucionensem III idus Julii 1431 ex regestis Vaticani.

XXXIV. Jacobus I *Thuilliers*, al. *le Thuillier* 1421, decessit 4 Aprilis 1429.

XXXV. Laurentius II an. 1450. Sub ipso & quatuor sequentibus abbatibus miserrime fuit deformata abbatia, tum ob ipsorum inertiam & pravitatem, tum ob bellorum tunc in his regionibus grassantium furorem, quorum occasione generalis acta est omnium monachorum dispersio, nec nisi post 40 annos revocati. Unde omnibus bonis spoliata domus vicinorumque nobilium aviditati est exposita, præsertim thalassiarchæ Gravillæi prædictos abbates pro suo arbitrio & cupiditate regentis.

XXXVI. Johannes VII *de Ferrieres* 1451 & 1471.

XXXVII. Nicolaus *de S. Gengron* notatus in necrologio 6 Augusti.

XXXVIII. Petrus II *de la Porte* 1481. In capitulo generali 1487 disciplina regulari multatus fuit & abbatis stallo per mensem privatus.

XXXIX. Ludovicus *de Menou* 1490.

XL. Johannes VIII *d'Espinay* episcopus Valentinensis & Diensis, commendatarius 1498.

XLI. Macetus 1499, notatus in necrologio 14 Januarii.

XLII. Petrus III *Pignol* 1502 & 1503. Obiit 19 Julii ex necrologio.

XLIII. Marcus *le Heron* 1506. Mortuus Lutetiæ 12 Januarii 1516 ex Sammarthanis, forte 1526, jacet ibidem in ecclesia Bernardinorum.

XLIV. Michaël *la Mule* 1534 & 1537.

XLV. Johannes VIII *du Bellay* cardinalis episcopus Paris. permutavit cum sequenti, & fit commendatarius Pontiniaci an. 1543.

XLVI. Johannes IX *de Jaucourt* ex abbate Pontiniaci, permutatione cum superiore facta fit Cormaricensis & Barbellensis abbas 1543, & obiit 17 Aprilis 1547 apud Fontanetum.

XLVII. Guillelmus V *de la Marche* sedis apostolicæ protonotarius 1550.

XLVIII. Robertus *de Lenoncourt* cardinalis episcopus Catalaunensis 1556.

XLIX. Philippus *de Lenoncourt* Roberti nepos nuper episcopus Catalaunensis, nunc vero abbas de monasteriis in Argona & de Sacro-portu, vicarius generalis patrui in omnibus ejus beneficiis institutus 19 Martii 1558. Abbas erat Barbelli, Resbaci, monasterii in Argona & prior Caritatis 1563, 1567, 1570, & episcopus Autissiodorensis obiit 1591.

L. Benjaminus *de Brichanteau* episcopus Laudunensis, abbas quoque S. Genovefæ Paris. & Barbelli 1607, defunctus est 1619.

LI. Antonius *de Brichanteau* Benjamini germanus, filius Antonii marchionis *de Nangis* equitis torquati, & Antoniæ *de la Rochefoucault*, vivere desiit mense Octobri 1638.

Digitized by Google

A LII. Carolus *de Brichanteau* superiorum nepos, filius Nicolai & Franciscæ-Amatæ *de Rochefort*, patruo successit ad annum 1644 17 Februarii. Uxorem duxit Mariam *le Bouteiller de Senlis* 1650.

LIII. Claudius-Alfonsus *de Brichanteau* Caroli germanus, eidem successit, & sequenti cessit

LIV. Basilius *Fouquet* filius Francisci magistri requæstarum, cancellarii sigillorum custodis & ærario præfecti ordinis S. Spiritus, ex Maria *de Maupou*, germanus Francisci archiepiscopi Narbonensis, Ludovici episcopi Agathensis & Nicolai supremi ærarii tribuni, regi a sanctioribus consiliis, regiorum ordinum cancellarius, thesaurarius sancti B Martini Turonensis, abbas Nobiliaci, Rigniaci & Barbelli per cessionem Claudii 1652, obiit 31 Januarii 1680.

LV. Guillelmus VI *Egon de Furstemberg* cardinalis episcopus Argentinensis, Landgravius Alsatiæ in *Furstemberg*, abbas Gorziæ & Barbelli 2 Februarii 1680. Obiit Luteciæ 10 Aprilis 1704. Vide tom. VII, col. 471.

LVI. Felix *Egon* princeps *de Furstemberg*, Guillelmi nepos, abbas sancti Ebrulfi, cedente patruo fit abbas 2 Febr. 1689. Obiit mense Augusto 1695.

C LVII. Carolus-Philippus *d'Aspremont* comes *de Reckheim*, canonicus Coloniensis & Argentinensis, germanus principissæ *Ragotski*, Felicis consanguineus, abbas S. Ebrulfi, eidem successit abbas Barbelli 1 Nov. 1696, & obiit mense Septembri 1719.

LVIII. Claudius-Franciscus *de Montboissier Canillac* canonicus Lugdunensis, renunciatus a rege 8 Januarii 1721, Romæ proclamatur 2 Aprilis 1722, cessit.

LIX. Petrus IV *Durand de Missy*, episcopus Abrincensis nominatus est a rege mense Julio 1739, & Romæ proponitur 4 Sept. 1740. Cessit & ipse.

D LX. N. *de Rastignac* prius agens cleri Gallicani, nominatus est a rege 29 Oct. 1746.

SACRA-CELLA.

SERCANCEAU.

Duabus a Nemosio totidemque a Castro-Nantonis dissita leucis Sacra-cella filia Curiæ-Dei, in convalle duorum collium fundatur idibus Dec. 1181 a Philippo Augusto rege, qui inter plurima quibus elegantem basilicam dotavit fragmentum veræ crucis illic deposuisse fertur, quod etiamnum ostenditur. E Factas aliquanto post oblationes, tum a se, tum ab aliis fidelibus regio expressit & corroboravit diplomate an. 1190, quod habes in appendice. Alias videre non licuit chartas, sicut nec necrologium, nec ulla alia documenta. Unde mirum videri nulli debet exactam hic non repræsentari abbatum seriem. Cæterum monasterium illud vocatur Sarcocellum in epistola 107 Stephani Tornacensis, & alibi Sarcumcellis.

Ch. LXXI, col. 59.

Abbates aliquot.

I. Odo monachus Curiæ-Dei, Sacræ-cellæ primus abbas instituitur anno 1181 ab abbate Curiæ-Dei. Ejus meminit Philippus Augustus in charta fundationis anno 1190, ac proinde ipse est qui ab ipso ad summum pontificem Lucium delegatus est, ut deferret epistolam ejus nomine a Stephano Tornacensi scriptam numero 107.

II. Hugo legitur in charta Galterii camerarii regis qui vivebat an. 1191 tempore Guillelmi abbatis Sacri-portus.

III. Gaufridus idem forte ac G. abbas Sacræ-cellæ qui an. 1221 reperitur in charta Castri-Nantonis, reperitur etiam annis 1222, 1224 & 1226 in chartis Barbelli. Hoc autem ultimo composuit cum abbate Castri-Nantonis pro quodam feodo.

IV. Guillelmus I frater erat Guidonis *de Guillerval* prioris de Argentolio, qui vivebat annis 1218 & 1223.

V. Bertrandus obedientiam promisit Galterio archiepiscopo. Idem nobis videtur cum B. abbate Sacræ-cellæ qui cum abbatibus aliis duobus auctoritate capituli generalis monasterium B. Mariæ de Nemosio associavit ordini Cisterciensi anno 1236. Chart. XC, col. 68.

VI. Guarinus obedientiam promisit Giloni archiepiscopo. Præerat 1245, quo anno reperitur charta ejusdem de partitione nemoris de Truncheio, quod erat commune Sacræ-cellæ & monasterio Castri-Nantonis.

VII. Guillelmus II, an diversus a I, & ipse juravit obedientiam Giloni archiepiscopo, & anno 1249 composuit cum Galterio abbate Castri-Nantonis, pro quadam vinea.

VIII. N. abbas Sarcumcellis cujusdam maleficii particeps perpetuo carceri mancipatus est an. 1323.

IX. Laurentius abbas obiit anno 10 Innocentii VI, Christi 1362, cui successit

X. Guillelmus III ex cellerario Barbelli, Sacræ-cellæ abbas.

XI. N. abbas Sacræ-cellæ cum 4000 militibus pro rege Carolo VII decertabat in obsidione Montis-Argisi an. 1427.

XII. Johannes anno 1493 interfuit Parisiis comitiis ordinis.

XIII. Guillelmus IV *de Rolland*, al. *Raoulland*, licentiatus in legibus, abbas Sacræ-cellæ 16 Januarii & 4 Februarii 1514, modo 1515, fit parochus sancti Petri de Arcisiis Paris. 28 Augusti 1520.

XIV. Antonius *Heronet* an. 1550 fidelitatis obsequium præstat abbati Ferrariensi. Episcopus Diniensis factus est 1552 circiter ad 1568.

XV. Cardinalis *de Bourbon*.

XVI. Carolus *de Mansel*.

XVII. Petrus *Chevron*.

XVIII. Franciscus *le Charron* abbas an. 1615, jam esse desierat anno 1616 ex charta Castri-Nantonis. Fuit inde decanus S. Germani Autissiodorensis Paris. ubi vide tom. VII, col. 275.

Digitized by Google

XIX. Felix *Vialart de Herse* abbatiam dimisit vicum ad episcopatum Catalaunensem promotus est an. 1640.

XX. Bonaventura *Rousseau de Bazoches* duci Aurelianensi ab eleemosynis & episcopus Cæsariensis, necnon consiliarius parlamenti Paris. Sacræ-cellæ commendam tenebat annis 1670 & 1680, fuit etiam abbas Fontis-Johannis, ut diximus.

XXI. Claudius *de Vipard de Silly* ducis Aurelianensis cambellanus, cæsus fuit in pugna Cassellæ.

XXII. Antonius *de Bourbone* reginæ Hispaniarum ab eleemosynis, nominatus fuit archiepiscopus Toletanus, sed a magnatibus regni impeditus quo minus possessionem iniret, & e regno pulsus, obiit exeunte Septembri 1726, annos natus 98.

XXIII. Marcus-Antonius-Gaufridus *Coeffy* commendam obtinuit circa finem seculi 17, cujus defuncti in locum.

XXIV. N. *de la Chabrerie* suffectus est, a rege nominatus 3 Julii 1737.

VILLARIUM.

VILLIERS.

JOHANNES Briardi dominus Brotolii, uxorque ejus Amicia, abbati & confratribus Sancti Romani de ordine Prædicatorum decimas apud Villers prope Feritatem-Alezii concesserant anno ineunte 1219. Hi vero dociles pauperiem pati reditibusque renunciantes tam decimas quam domum, quam apud Villers habebant, an. sequenti sponte cesserunt prid. cal. Aprilis 1220 ad fundandum Cisterciensem parthenonem. Cessionem mense Maio approbavit Petrus archiepiscopus Senonensis ad preces Amiciæ supradictæ. Hanc etiam Petrus prior de ordine Prædicatorum ratam habuit & confirmavit an. 1225. Quin & regia auctoritate munivit sanctus Ludovic. an. 1233, qui & monasterium prædiis & possessionibus auxit, uti & Blancha regina ejus mater & Margarita regina ejus uxor quæ beneficiis suis illud cumularunt. Abbatissarum Seriem ex manuscripta historia Villariensis monasterii & ex ejusdem archivis eruimus, ut sequitur.

Charta LXXXIV, col. 65. — *Ibid.* — *Ibid.* — *Ibid.* col. 66.

Sed antequam ulterius progrediamur, non abs re erit nonnulla prælibare de Anna altera Henrici I regis uxore, cujus tumulum an. 1682 invenisse, vidisse & epitaphium legisse in ecclesia Villariensi sibi visus est Claudius Franciscus *Menestrier* è societate Jesu presbyter. Legit enim *Hic jacet domina Agnes uxor quondam Henrici regis*, ubi anno 1642 D. *Magdelon Theulier* delegatus a Vicario generali ordinis legerat: *Hic jacet domina Agnes*, quibus postea verbis addita *quæ fuit uxor Henrici*, & ubi anno 1749 rogatus a me D. P. F. *Nicod* prior de Loya legit: *Hic jacet domina Agnes quæ fuit uxor Henrici.* Sed 1 neuter legit *Henrici regis*, quod postremum nusquam extitit; 2 in omnibus chartis & auctoribus qui de altera Henrici regis uxore dixerunt Anna semper, nusquam Agnes vocatur; 3 anni saltem 140 ab obitu Annæ ad fundationem Villarii effluxerunt; 4 sed nec postea translata fuisse videtur quippe quæ patrium repetiit solum, ubi de defunctæ translatione nullum superest vestigium. Henricus enim I Mathildem Conradi imperatoris & Giselæ filiam primam uxorem duxerat, ex qua filiam unicam procreavit, quam infra lustrum defunctam mater paulo post subsecuta est, defuncta ipsa Wormatiæ & sepulta. Mathilde humata, Henricus aliam accepit uxorem filiam Geriseli Russorum regis, Annam nomine, quæ benedicta Remis & consecrata fuit die eadem qua Lietbertus Cameracensis episcopus consecratus fuit anno 1051. Rege defuncto an. 1060, Anna regina abbatiam S. Vincentii Silvanectensis pro ejus anima fundavit de bonis quæ ei in matrimonio dederat Henricus rex, ac paulo post an. 1061 Radulphum comitem Crispiacensem in conjugio accepit, qui Alienoram uxorem ex qua genuerat filios dimisit, quo facto rex doluit, regnum conturbatur & uxor dimissa summo pontifici conqueritur. Anna vero subscripsit literis Philippi regis pro Floriacensibus an. 1067. Libertatem abbatiæ S. Vincentii a Philippo filio rege impetravit an. 1069. Denique mortuo Radulfo comite anno 1074, insequenti nativum repetiit solum his præmissis, fit

SERIES ABBATISSARUM.

I. AGNES I obedientiam promisit Galterio archiepiscopo. Ratam habuit pacem initam inter R. priorem de Floriaco in Brieria nomine suo & Adamum de Challiaco militem super eleemosyna Hugonis de Challiaco 1235 mense Martio. Dedit literas mense Novembri 1237, de iis quæ parthenon possidebat sub annuo censu monachis S. Dionysii in prioratu *d'Essones* degentibus persolvendo.

II. Agnes II, si tamen differt a priore, promisit obedientiam Giloni archiepiscopo. Occurrit anno 1257 in chartulario Casensi.

III. Eloissa an. 1282 pro quibusdam decimis contendebat cum parocho de Cerniaco.

IV. Ydonea transegit an. 1290 cum eodem parocho.

V. Johanna I *de Chevreuse* obiit apud Portum regis 31 Oct. 1308 ex necrologio hujus parthenonis p. 409.

VI. Isabellis *de Chatte* sepulta jacet in ecclesia cum epitaphio.

VII. Margarita I *Poulaine* præerat an. 1362 ex ejus authentico.

VIII. Johanna II *d'Esthainviller* 1376, 1407.

IX. Emelina *de Messis* 1414.

X. Aalix *de St Ligier* 1415 & 1416.

XI. Maria I *d'Esthainviller* 1422 & 1426.

XII. Maria II *de Gouy* ex abbatissa Villarii fit S. Antonii Paris. 24 Jan. 1440.

XIII. Maria III *de Bourges* 1449.

XIV. Radegundis *de Bourges* præerat annis 1456, 1467, 1477 & 1486. Hujus tempore monasterium ab Anglis omnino vastatum & in favillas redactum est.

XV. Guillelma *de Bourges* dicta *d'Ars*, reperitur in instrumentis ann. 1513, 1515 & 1521.

Digitized by Google

XVI Francisca *de Viry* 1524.

XVII. Margarita II *Gastineau* regebat annis 1530, 1534, 1538. Sententiam obtinuit adversus Ludovicum *de Graville* Franciæ admiralem dominum *de Chastre* an. 1540. Præerat adhuc 1545.

XVIII. Johanna III *de la Trimoille* filia Ludovici toparchæ *de Breche* & Antoniæ *de Ternant*, cedente Margarita, bullas obtinuit III cal. Augusti 1552 aut 1553, possessionemque adepta est 19 Dec. anni ejusdem. Ejus tempore Calvinistæ monasterium bis diripuere & incendio concremarunt primum an. 1562, secundo an. 1568. Interim piissima abbatissa omnem sollicitudinem posuit in restaurandis monasterii ædificiis & recuperandis prædiis usurpatis, qua in re non infeliciter laboravit ad annum 1597 quo obiit.

XIX. Odetta *Clausse* ex illustri familia progenita, Henrici episcopi Catalaunensis & Dianæ abbatissæ S. Johannis in nemore germana, Villarii alumna, anno 1597 a rege designata abbatissa bullas a Clemente VIII obtinuit 10 Augusti anni ejusdem, annos nata duntaxat 23. Benedictionis munus Catalauni accepit ab Henrico fratre 9 Junii 1628. Virtutibus & vitæ exemplo sororibus præluxit humilitate præsertim, caritate erga infirmos & egenos, zelo & fervore ardentissimo in divinis officiis celebrandis. Ædes monasterii collabentes reparavit, sacram ecclesiæ suppellectilem plurimum auxit, quam pro sublevandis pauperum miseriis vendere parata fuit. Cœnobium piis legibus informavit & muris amplissimis cinxit, clausuramque instituit, ac tandem meritis & virtutibus dives obiit 8 Sept. 1632. Sepulta jacet in capitulo cum epitaphio.

XX. Maria-Dorothæa *d'Argouges* Odettæ neptis, nec virtutibus inferior, abbatissa a rege nominata 15 Sept. 1632, bullas obtinuit 20 Januarii 1633 & possessionem adepta est 3 Maii anni ejusdem. Mansuetudine sorores ita sibi devinxit ut ei promto satis animo omnes parere non possent. Benedictionis munus acceptare recusavit ne dignitatis suæ insignibus ab aliis secerneretur. Egenorum tempore famis necessitatibus sublevandis ita insudavit, ut omnium esset admirationi. Ecclesiam ornamentis decoravit. Denique post 30 annos regiminis obiit 10 Febr. 1662 annos 50 nata, tumulataque est in choro cum epitaphio.

XXI. Anna Dorothea *d'Argouges* Mariæ neptis, ejusdem vestigiis inhæsit. Bullis donata XVII cal. Oct. 1662 possessionem adepta est 19 Nov. ejusdem anni. Obiit an. 1690, Sepulta quoque jacet in choro cum hoc epitaphio. *Icy repose le corps de Madame Anne d'Argouges abbesse de ce monastere, issüe de la noble & ancienne famille d'Argouges de Rannes & de Cratot, encore plus recommandable par sa vertu que par sa naissance. Elle a été, aussi-bien que Mesdames Oudette, Clausse & Dorothee d'Argouges ses tantes, la reparatrice & restauratrice de cette maison, dans laquelle étant entrée dès l'âge de 3 ans, après y avoir fait profession, en avoir été abbesse pendant 28 ans & y avoir vecu dans la* A *pratique d'une vertu & d'une regularité exemplaire, dans un entier degagement des vanités du siecle, dans une parfaite charité envers les pauvres & dans une estime universelle de tout le monde, est decedée le 5 Mars 1690 agée de 55 ans. Priés Dieu pour le repos de son ame.*

XXII. Maria IV *Lambert de Thorigny* germana Claudii-Johannis-Baptistæ præsidis in camera computorum Paris. monialis sancti Antonii Paris. Villarii abbatissa a rege nominata possessionem iniit 9 Octobris 1690 & 21 Nov. sequenti mense cessit, unde venerat reversa 25 Jul. 1691, ubi obiit mense Martio 1709.

B XXIII. Margarita *al.* Maria V *le Cordier du Troncq* germana marchionis *de la Londe* & marchionis *du Troncq*, monialis Fontis-gerardi in diœcesi Rotomagensi, Villarii abbatissa a rege renunciata 24 Decembr. 1690, bullas obtinuit VIII id. Aug. 1691, & benedicta fuit in domo professionis ab episcopo Lemovicensi 4 Octobris anni ejusdem, cum prius possessionem iniisset 28 Sept. Obiit 1719, cujus elogium funebre in ecclesia Villarii pronunciavit 12 Decembr. D. Johannes B. *Moreau* quondam prior Cistercii.

XXIV. Paula *de Clermont-Tonnerre de Chaste de Roussillon*, germana episcopi Laudunensis, a rege designata 26 Dec. 1719, possessionem adiit 13 C Martii 1720. Obiit 2 Aug. 1731 annos nata 63.

XXV. Ludovica-Balba *Berthon de Crillon* germana archiepiscopi Narbonensis Paulæ coadjutrix eidem successit an. 1731; decessit mens. Octobr. 1763, annos nata 67.

GAUDIUM. LA JOYE.

ORDINIS Cisterciensis virginum monasterium colli suppositum juxta Nemosium fundatorem agnoscit Philippum Nemosii dominum qui hortatu Galterii archiepiscopi Senonensis & D fratrum Prædicatorum, impetrato a S. Ludovico Francorum rege loco prope Nemosium anno 1231, prima ejus fundamenta jecit. Perfectis ædificiis ac parthenone sufficienter dotato, acceptatur & auctoritate capituli generalis ordini Cisterciensi associatur ab abbatibus Pruliaci, Portus-sacri & Sacræ-cellæ anno 1236. Postea Michaël Sacri-portus abbas ad preces Blanchæ reginæ decem arpenta terræ arabilis eidem monasterio dedit. Hæc constant ex chartis quas exscripsimus ex tabulario ejusdem monasterii. In basilica SS. Marthæ & Veronicæ calvitia deposuisse fertur E S. Ludovicus in qua tres Nemosiensis familiæ dynastæ humati sunt. Seriem abbatissarum qualem eruere potuimus, hic subjicimus.

Charta LXXXVII, col. 67. Ibid. Charta LXXXIX, col. 67. Charta XC, col. 68. Ch. XCIII, col. 70.

ABBATISSARUM SERIES.

I. AMELINA Galterio archiepiscopo obedientiam jurat.

II. Johanna I eidem præsuli promisit obedientiam. Sepulta dicitur in capitulo, ubi nuncupatur Johanna *la Cornu*.

III. Elisabeth I præerat annis 1257 & 1261.

IV. Maria quædam vendidit Ursicampo 1273.

Digitized by Google

V. Anna quoddam nemus vendit anno 1277.

VI. Isabellis I interfuit translationi reliquiarum factæ in monasterio Jotrensi an. 1279.

VII. Margarita.

VIII. Beatrix.

IX. Eleonora.

X. Johanna II.

XI. Isabellis *du Boulay* memoratur 17 Aug. 1411 in chartis D. *de Gaignieres*. Henrico archiepiscopo promisit obedientiam. Occurrit 1426. Anniversarium instituit anno 1443 pro Hadelina Wastinensi matre abbatissæ Insularum Autissiodorensium.

XII. Catharina *la Petite* præerat an. 1472, quo monasterii reliquiæ in Normanniam distractæ sunt.

XIII. Delfina *des Ages* cujus tempore an. 1482 reliquias monasterio restitui curavit Ludovicus *de Bourbon* comes Russillonis & Franciæ admiralis.

XIV. Alix *des Ages* sedebat annis 1502, 1520, 1526. Obiit 2 Febr. 1527. Jacet in ecclesia cum epitaphio.

XV. Clara *de Bussieres* 1534.

XVI. Magdalena *de Pregrimault* 1537, 1540, 1544, 1549.

XVII. Tristanda *de Dampont* 1566.

XVIII. Philippa *de Verre* dicta *la Peruche* 1592.

XIX. Ludovica *de Moriuville* 1595.

XX. Susanna *d'Aubourg* reperitur 1624 & 14 Martii 1638 in chartis D. *de Gaignieres*. Reditus auxit, ecclesiam decoravit, ædes refecit. Jacet in ecclesia cum epitaphio.

XXI. Elisabeth II *Brulard* præfuit ad annum 1641 quo abbatiam dimisit annis gravis. Obiit 27 Julii 1651 annos nata 77, sepulta in ecclesia cum epitaphio.

XXII. Anna II *de Valier* electa an. 1641, coadjutricem accivit Elisabetham-Annam-Catharinam *de Beauvillier* 1653 quæ bullis donata 1656, nominata est a rege abbatissa Loci B. Mariæ prope Romorentinum 14 Maii 1668. Anna vero obiit 12 Dec. 1671 ætatis 78, sepultaque est in ecclesia cum epitaphio.

XXIII. Anna *de Beauvillier* parentibus Francisco duce *de S. Aignan* pari franciæ & Antonietta *Servien* nata 1652, baptizata est 26 Novembris 1655. Monialis B. Mariæ de Angelis prope S. Anianum, post Elisabetham germanam Gaudii coadjutrix anno 1669, ejusdem facta abbatissa an. 1671, cessit 1688, & secessit ad parthenonem ejusdem ordinis apud Argentolium, tum ad parthenonem B. Mariæ de Pratis Paris. utrumque modo destructum, ubi obiit 14 Februarii 1734.

XXIV. Anna-Ludovica *de Monmorin de S. Herem* filia Francisci Gasparis marchionis *de S. Herem* & Annæ *le Gras* ex moniali Esclachiæ Claromontensis, nominata a rege abbatissa Gaudii 1688, possessionem iniit virtute decreti Majoris-consilii 15 Aprilis 1689, iterumque donatur bullis 15 Aprilis 1692. Obiit 4 Aug. 1710.

XXV. Catharina-Francisca *de Montmorin de* A *S. Herem* superioris germana Gaudii monialis professa ad præsentationem ducis Aurelianensis 20 Augusti, nominata est a rege abbatissa die festo omnium sanctorum anni ejusdem.

XXVI. N. *de Chateau-Renaud* designata est a rege mense Aprili 1748.

XXVII. N. *de Barbançon-Nantouillet* accita e parthenone S. Mariæ Meldensis, a rege nominatur abbatissa mense Julio 1758.

LILIUM. — LE LIS.

B CELEBERRIMUS Cisterciensium monialium parthenon Lilium auctorem habet Blancham *de Castille* Franciæ reginam S. Ludovici parentem, quæ emta in territorio Domnæ-Mariæ a Garino *de Lizenes* & Avelina uxore vinea anno 1244 construxit monasterium, quod bonis regiis locupletavit & virginibus Cisterciensibus attribuit. Fundationem ratam habuit S. Ludovicus an. 1248 & plurimum auxit. (Ch. XCVI, col. 72.) Hinc aliis in chartis parthenonis fundatrix Blancha, in aliis S. Ludovicus auctor audit, in quibusdam uterque simul. Patris & avi exemplum secuti Philippus III filius & Philippus IV nepos de monialibus regia munificentia meriti sunt quarum numerus an. 1268 ad C 120 excreverat. Regum supradictorum diplomata sicut & bullas Innocentii IV, Alexandri IV, Urbani IV, Clementis IV, Gregorii X & Martini IV inspeximus. In diplomatibus parthenon vocatur Domna-Maria, Lilium B. Mariæ, B. Maria de Lilio, B. Maria regalis de Lilio, monasterium de Lilio, monasterium regale de Lilio & B. Maria regalis prope Meledunum. Alias ex quibus confici potuisset abbatissarum catalogus, chartas visere nobis non licuit. Chartis autem deficientibus duplex exstat abbatissarum series, una apud Rouillardum in historia Melodunensi, altera apud Sammarthanos in quadripartita Gallia. Ter- D tia accessit e Lilio ad nos transmissa. Cuinam harum major adhibenda fides, viderit lector: Liliensem ut plurimum prætulimus. Cæterum parthenon, licet ex ordine Cisterciensi, archiepiscopo Senonensi ab annis aliquot subjicitur. In eo asservantur quædam S. Ludovici ossa cum ejus cilicio a Philippo pulcro concessa. In eo sepelitur Odo Burgundiæ comes an. 1303.

INDEX ABBATISSARUM.

I. ALIX *de Vienne* unigenita Gerardi comitis *de Vienne* & Guigonnæ *de Forez*. Defuncto an. 1239 in partibus transmarinis Johanne *de* E *Dreux* dicto *de Brene* marito, monialis facta est apud Melodunum, inde prima abbatissa Lilii 1246, consobrina fundatricis reginæ Blanchæ. Guillelmo archiepiscopo obedientiam promisit an. 1250. Quædam vendidit an. 1257 beatæ Mariæ de Nemosio. Obiit 23 Augusti 1258 *al.* 1261 ex tabulario Melodunensi.

II. Matildis I superioris neptis successit, defuncta ex Sammarth. 4 Jan. 1261 *al.* 1265.

III. Alips, Aalesis, Isabella *de Brabant* post decennium interiit 5 Febr. 1275.

IV. Abra præerat anno 1278 ex vita sancti

Digitized by Google

Ludovici apud Bollandistas Augusti mensis t. V, A col. 637.

V. Comitissa *de Melun* filia Adami III & comitissæ *de Saucerre* defecit 26 Sept. 1300.

VI. Agnes I *de Melun* Comitissæ neptis obiit 3 Octobris 1315 ex Sammarthanis.

VII. Petronilla *de Grisellcs* defuncta est 5 Januarii 1311 aut 12 Februarii 1326 ex Sammarthanis.

VIII. Agnes II *de Melun* defuncto conjuge monialis, tum abbatissa Lilii, mortua est 8 Octobris 1321.

IX. Mathildis II *de Brapin* inserta a Sammarthanis ab aliis omittitur.

X. Clara *d'Asasis* Anglica mortem oppetiit mense Dec. 1327.

XI. Beatrix *d'Assailly* mortua est 20 aut 29 Jan. 1341.

XII. Margarita I *de Dreux* filia Roberti domini *de Ben* & Beatricis *de Courlandon*, rexit per annos 8, præerat 1348 20 Jan. & fato concessit 12 Maii 1349.

XIII. Adelina *d'Artois* Guillelmo archiepiscopo obedientiam promisit, defunctaque est 1364 & sepulta in capitulo.

XIV. Emelina *de Vaudetar* filia Guillelmi cubicularii regis domini *de Pouilly le Fort* prope Melodunum, a precedente forsan non diversa, defecit ex Sammarthanis 18 Junii 1369.

XV. Maria I *de Courtenay* obiit mense Jan. 1375.

XVI. Richarda *de Bouseville* regebat an. 1379 ex chartis apud D. *de Gaignieres.*

XVII. Maria II *de Cleves* obiit mense Nov. 1380.

XVIII. Johanna I *d'Evreux* mortua est mense Aprili 1386.

XIX. Margarita II *de Laval de Beaujeu* decessit mense Sept. 1389.

XX. Maria II *de Melun* præerat 21 Mart. 1398. Cessit 1404 locum in censiva monasterii situm fratribus B. Mariæ de Monte-carmelo ad construendum conventum in urbe Meloduno in quo docerent & prædicarent.

XXI. Agnes I *de Rouville* nobilis Normana obiit 1408.

XXII. Maria III *de Bragelongne* filia Adami *de Bragelongne* toparchæ de Joyaco & Agnetis *Chassavoine*, germanum habuit Carolum Caroli VI regis filium spiritualem & Lilio præerat ann. 1408 & 1411 ex chartis authenticis D. *de Gaignieres.*

XXIII. Agnes II *de Languedoc* 75 libras Parisienses a regio quæstore apud Melodunum recepit 14 Julii 1459, ex chartis authenticis D. *de Gaignieres.*

XXIV. Anna *de Languedoc* 36 libras, 8 solidos & aliquot denarios pro jure sui monasterii accepit 16 Febr. 1475, ex eodem.

XXV. Francisca *de Menou* decessit 13 Nov. 1505. Sepulta est ante majus altare.

XXVI. Maria IV *de Menou* Franciscæ germana ejusque per cessionem abbatissa mortua est 2 Sept. 1515.

XXVII. Isabellis *de Grez* defuncta est anno 1520.

XXVIII. Johanna II *d'Auquoy* mortua est 1530 aut 1539.

XXIX. Ludovica *de Mailly* abbatissa quoque S. Trinitatis Cadomensis obiit mense Augusto 1556 sepulta in capitulo.

XXX. Jaquelina *Coiffard* memorata 1559 10 Febr. & 1560 8 Junii in chartis D. *de Gaignieres*, cessit an. 1560.

XXXI. Barbara-Maria *de Salm* Lotharinga translata est ad Romarici montem anno 1586.

XXXII. Anna *al.* Johanna *Roger* dicta *de* B *Gastinois* ex moniali S. Antonii Parisiensis abbatissa Lilii cessit 10 Julii 1588.

XXXIII. Carlotta *de Cluys* monialis Longicampi, facta Lilii abbatissa, ædes abbatissæ construxit quæ nunc infirmis inserviunt, dominium Domnæ-Mariæ a monachis S. Petri Melodunensis emit an. 1602. Coadjutricem accivit an. 1620, quadriennio post cessit, reversa ad Longum-campum ubi mortua est & sepulta.

XXXIV. Catharina *le Roy* memoratur anno 1624 a Sammarthanis.

XXXV. Maria-Margareta *de la Trimoille Royan* ex coadjutrice abbatissa 15 Octobris C 1624 bullisque donata 4 Nov. monasterio reformando totam se applicuit, quatuor Portus-regis monialibus adjuta. Breviarii Romani recitandi ab apostolica sede licentiam obtinuit 30 Sept. 1628. Cisterciense jugum exuit vestesque ordinis cum vestibus Carmelitanarum monialum permutavit, candidumque nigro scapulari substituit, quod a summo pontifice confirmatum 16 Maii 1641. Multa quoque in ædificiis refecit. Ad Jotrum translata est 3 Nov. 1638 & Obiit 25 Aprilis 1655. *Vid. tom. VIII, col. 1715.*

XXXVI. Maria-Francisca I *l'Ecuyer de la* D *Papautiere* ex priore nominata abbatissa anno 1638, bullas obtinuit 26 Januarii 1639, benedictaque est ab archiepiscopo Senonensi. Reformationis opus a Maria-Margareta inchoatum perfecit, chori subsellia & organa construxit, vestes sacras & magnificas confecit, capsas & lipsanothecas restituit. Defuncta est 25 Aprilis 1668 annos nata 57 & sepulta est in sacello mortuorum in tumulo marmoreo.

XXXVII. Maria-Magdalena *l'Ecuyer de la Papautiere* Mariæ-Franciscæ neptis, ejusdemque ab annis septem coadjutrix, possessionem iniit 26 Aprilis 1668, ac Paulo post in Parisiensi E Cisterciensium ecclesia benedicta fuit. Vestes ordinis Cisterciensis revocavit de licentia summi pontificis Innocentii XI. data 23 Sept. 1676. Cessit in manibus regis 25 Nov. 1677. & in S. Antonii seu B. Mariæ Senonensis monasterium se recepit, ubi Obiit 8 Sept. 1682 sepulta in choro cum epitaphio.

XXXVIII. Clara-Cecilia *Colbert* soror germana Johannis B. *Colbert* regni administri, ex moniali minori apud Remos nominata a rege abbatissa S. Genovefæ prope Parisios 1677, tum Lilii possessionem iniit die Sabbati 23 April. 1678 per procuratorem, ipsa vero die Sabbati

21 Maii benedicta prius ab archiepiscopo Paris. in ecclesia Portus-regii. Cessit in manibus regis 20 Martii 1698, & in Parthenonem B. Mariæ de Misericordia, vulgo *Cherchemidi* se recepit, ubi defuncta est 8 Aprilis 1720.

XXXIX. Maria-Anna *de la Meilleraye de Mazarin*, ducis Mazarini & Hortensiæ *Mancini* filia & Lilii professa 21 Junii 1682, nominata a rege 29 Martii 1698 & bullis donata XI cal. Junii, possessionem iniit 22 Aug. per procuratorem N. *Tassoureau* decanum & vicarium generalem Senonensem. Benedicta fuit 23 Oct. 1702 in ecclesia Lilii ab archiepiscopo Senonensi. Obiit 13 Sept. 1720.

XL. Maria-Francisca II *d'Aspremont* nobilis Lotharinga monialis Montis-martyrum, nominata a rege 17 Sept. 1720 Lilium intravit 20 Nov. & possessionem iniit 15 Januarii 1721. Obiit die lunæ 13 Aprilis 1733 annum agens circiter 40.

XLI. N. *de Loheac de Crapados* priorissa Benedictinarum Pruvinensium, nominatur a rege abbatissa Lilii 26 Julii 1733.

DILO.

DEILOCUS.

JOSBERTO priori canonicisque è Valle-secreta ab Henrico Senonensium archiepiscopo ad Deilocum in silva Ota quinque a Senonibus, duabus vero a Brienone horis dissitum accitis, largitus est Ludovicus crassus an. 1132 omnia inibi usibus eorum necessaria sive ad monasterium construendum sive ad quodvis aliud faciendum: terram etiam planam circa Deilocum. Hos anno sequenti literis ipse suis munivit Henricus archiepiscopus, quibus quoniam locus ad ædificandam abbatiam nimis erat arctus, concessit ut eum, nemus eradicando amplificarent & in cæteris nemoribus suis quidquid opus haberent assumerent, indulsitque ut cum possessionibus & numero fratrum domus excrevisset abbatem eligerent. Quod & accidit an. 1135 instituto abbate primo Ornisio ex Valle-secreta, & certe plurima jam recensentur abbatiæ bona in bulla Eugenii III anno 1147. Henrici ad instar Senonenses archiepiscopi Deiloco dedere, Hugo ecclesiam de Pareto, Guillelmus ecclesiam de Bussiaco anno 1176 & Guido ecclesiam S. Pauli 1192, cujus in abbatiam postea erectæ sicut & Novem-fontium parens est Deilocus. Approbavit etiam fundationem Deiloci Michaël archiepisc. Senonens. an. 1196. Huic ab initio contiguus erat sanctimonialium ordinis parthenon, ut constat ex charta Isaviæ in appendice relata ad annum 1145, quæ postea in locum dictum Fossa-mora in vico *de Teil* translatæ, demum cum cæteris ordinis monialibus prorsus evanuerunt. Primorum Deiloci habitatorum religionem id maxime commendat quod S. Thomas archiepisc. Cantuariensis ad eos divertens fabricam ecclesiæ ad fastigium adductam solenni inauguratione consecraverit 10 Maii 1168. Præter archiepiscopos Senonenses de Deiloco bene meriti sunt toparchæ de Villa-mauri è quibus Odo ibi sepultus est an. 1154, pro cujus anima Elia uxor ejus dedit molendinum. Sed præcipui audiunt benefactores comites Jovinia-censes, Guillelmus præsertim qui corpus suum in ecclesia sepeliendum concessit anno 1179. Ad formandam abbatum seriem lustravimus chartas, legimus annales ordinis.

(Margin: Ch. XXIX, col. 31. — Ch. XXX, col. 31. — Ch. XXXVI, col. 34. — Ch. LXXIII, col. 60. — Ch. LXXVI, col. 62. — Ch. XXXVI, col. 34. — Ch. LXV, col. 55.)

TABULA ABBATUM.

I. ORNULFUS, Orulfus, Ornufius & Ornisius, seu Ornisius vir pius & prudens confessarius B. Gilberti Novem-fontium fundatoris & primi abbatis, necnon Petronillæ ejus uxoris filiæque eorum Pontiæ monialium apud Albam-terram, e monasterio Vivariensi postea Valle-secreta assumtus, primus Deilocensibus præfectus est abbas an. 1135, cujus mortem consignant necrologia 1 Martii aut Aprilis. Vide bibliothecam Præmonstrat. lib. 2. p. 482.

II. Garnerius memoratus 1146 in charta Pontiniaci, bullam obtinuit ab Eugenio III anno 1147 quam habes in annalibus t. I, col. 503.

III. Robertus I occurrit annis 1148 & 1151.

IV. Ertaldus *seu* Artaldus bulla donatus est ab Anastasio IV an. 1154.

V. Balduinus 1162, bullam quoque impetravit ab Alexandro III anno 1163. Occurrit adhuc 1172, memoratus VII id. Aug. in necrologio Marchasii Radulfi & VI in Branensi.

VI. Hugo I ex canonico Carneoli abbas transegit cum Eloissa abbatissa S. Juliani Autissiodorensis an. 1176. Memoratur H. anno 1184 in chartis Pontiniaci. Translatus est ad Cuissiacum anno 1189.

VII. Leodegarius præerat 1195. Hujus memoria est VI id. Octobr. in necrologio Branæ.

VIII. Milo I annis 1196, 1198, 1199.

IX. A. 1203.

X. Johannes I litem habuit cum G. abbate Vallis-lucentis quam composuere anno 1209 Norbertus abbas S. Mariani Autissiodorensis & Herbertus abbas Selleriarum.

XI. Garnerius 1212, 1213.

XII. Petrus I 1215.

XIII. Robertus II an. 1219.

XIV. Hugo II ex abbate Deiloci fit abbas S. Martini 1228.

XV. Arnoldus 1234.

XVI. Petrus II obedientiam promisit Galtero archiepiscopo.

XVII. Isambaldus legitur 1252 in chartulario S. Johannis.

XVIII. Willelmus ex annalibus.

XIX. Nicolaus I *Maraudeur* ex canonico Præmonstrati abbas Deiloci 1308.

XX. Milo II an. 1378.

XXI. Nicolaus II adstitit an. 1380 sacramento quod Simon episcopus præstitit archiepiscopo & ecclesiæ Senonensi. Confirmavit electionem Johannis *Chapus* abbatis S. Gilberti seu Novem-fontium, præsente Stephano abbate S. Andreæ prope Clarum-montem anno 1400 mense Januario.

XXII. Johannes II *Adenet* 1463, 1469, 1470.

Digitized by Google

XXIII. Thomas *Tuyau* 1483, 1488, 1497.

XXIV. Johannes III *Boyau* 1509, 1516.

XXV. Stephanus I *Parigot* 1525, 1529.

XXVI. Johannes IV *Mesmin* dictus *Seguault* presbyter in utroque jure licentiatus primus commendam obtinuit quam tenebat annis 1538 & 1565.

XXVII. Robertus III *de Pellevé* episcopus Appamiensis 1572, defunctus est 1579.

XXVIII. Ludovicus I *le Prieur* 1581, 1593.

XXIX Conradus *Gauldry* 1601, 1602.

XXX. Stephanus II *Coynard* 1607.

XXXI. Johannes V *de Gousseville* 1612, 1615.

XXXII. Henricus *de Vignolles* a rege nominatus 1626, possessionem iniit 26 Martii 1627 & obiit 1663.

XXXIII. Ludovicus *Durand de Turry* Henrici ex sorore nepos, possessionem apprehendit 27 Dec. 1664; anno vero 1705 in extremis positus cessit & 13 Sept. anni ejusdem decessit.

XXXIV. Gobertus *Jachiet* regis capellanus, abbas S. Margaritæ prope Belnam & de Boscocavo eodem quo Ludovicus decessor cessit anno a rege nominatus est 30 Maii 1705. Moritur 10 Nov. 1710.

XXXV. Ludovicus - Antonius *d'Issarn de Villefort de Montjeu*, nobilis Ruthenensis, filius Jacobi - Josephi *d'Issarn* & Mariæ - Susannæ *de Valicour*, Cameraci natus, doctor theologus, a rege Deiloci commendam obtinuit 24 Dec. 1710. Inde archidiaconus & canonicus Vivariensis, canonicus & vicarius generalis Remensis, decanus & canonicus Cenomannensis obiit Parisiis 1 Oct. 1740 annum agens 44.

XXXVI. N. *d'Issarn de Villefort de Montjeu* canonicus Cenomannensis Ludovico Antonio germano successit 1740, per cujus obitum

XXXVII. N. *de Breves* vicarius generalis archiepiscopi Viennensis a rege nominatus est 11 Nov. 1745.

S. Paul.

S. PAULUS DE VANNA.

PROPE confluentes Icaunæ & Vannæ monasteriumque S. Remigii in suburbio Senonensi constructa est an. 1090 in honorem B. Mariæ & S. Eugenii papæ ecclesia quam biennio post consecravit Richerius archiepiscopus anno 1092. Hanc sancti Pauli de Vanna nomen & titulum nactam anno 1192 Præmonstratensibus de Deiloco donavit Guido archiepiscopus, confirmavitque Salo decanus & capitulum ecclesiæ Senon. anno 1193. Collatam ab archiepiscopo Dei-locensibus ecclesiam certum est, inquit Annalista sub prioratus titulo annis ferme triginta perseverasse, quam a Petro de Corbolio archiepiscopo anno 1221 conditam scribunt Sammarthani, id est forte in abbatiam erectam. Sed ad eam nunc tenuitatem redacta cernitur, ut vix eo nomine gloriari debeat. Seriem abbatum deficientibus chartis quas perfidus Spifamius igni devovit anno 1558, qualem tum ex variis monumentis, tum ex annalibus ordinis eruere potuimus hic subjicimus.

Ch. LXXIII, col. 60.

INDEX ABBATUM.

I. A S. Paulo præerat anno 1205.

II. N. abbas S. Pauli Senonensis 1220 in charta Vallis-lucentis.

III. Robertus I ex priore in abbatem subvectus anno 1220 Galterio archiepiscopo obedientiam promisit.

IV. Gislebertus eidem præsuli obedientiam promisit, ac proinde ante annum 1241 benedictus fuit.

V. Ilembardus Giloni archiepiscopo obedientiam spopondit.

VI. Stephanus I Giloni eidem obedientiam juravit translatusque est ad Autissiodorens. sancti Mariani ecclesiam anno 1250.

VII. Clemens Giloni quoque obedientiam promisit 1252 ex chartis S. Johannis. Stagnum vendidit monialibus beatæ Mariæ de Nemosio an. 1253. Th. Campaniæ comiti ejusque uxori missam quotidianam de Spiritu-sancto anniversariumque pro ejus propinquis promisit an. 1262. Memoratur adhuc ab annalista anno 1279.

VIII. Odo interfuit anno 1280 solenni receptioni Simonis episcopi Carnotensis in ecclesia Senonensi. Occurrit anno 1283 in chartis B. Mariæ de Pomeria.

IX. Guillelmus I an. 1292 Stephano Senonensi electo promisit obedientiam.

X. Guillelmus II translationi reliquiarum S. Petri vivi sub Johanne *Seguin* post ecclesiam conflagratam interfuit anno 1375 eodemque obiit.

XI. Johannes I *Hussalli* qui an. 1376 passim occurrit, obiit 1397 jacetque in navi ecclesiæ sub lapideo sepulcro.

XII. Nicolaus I *Bradin* natus apud *Cromort* defunctus est an. 1400 & sepultus in sanctuario.

XIII. Nicolaus II *Brachu* excommunicatus ab officiali Senonensi 1424, interfuit solenni receptioni Johannis archiepiscopi Senonensis anno 1429.

XIV. Matthæus Ludovico archiepiscopo obedientiam promisit, superstes adhuc 1446.

XV. Johannes II *Jolivel* ex pastore *de Michery* electus abbas S. Pauli, obiit 1460.

XVI. Johannes III *Ferré* seu *Fourré* post octo regiminis annos abbatiam dimisit 1468.

XVII. Simon *Senan* ex pastore *de Michery* abbas societatem iniit cum Ludovico *de Blanchefort* abbate Ferrariensi 1469. Obiit 1476.

XVIII. Jacobus I *Chenin* ex pastore *de Michery* abbas 1478 & 1485, adfuit translationi capitis S. Saviniani, defunctus 1488.

XIX. Egidius I *Chenin* multa bona acquisivit reparationesque quamplurimas cum magna sollicitudine & animi anxietate perfecit, & obiit 2 Octobr. 1501.

XX. Johannes IV *des Antes* defunctus est anno 1506.

XXI. Guillelmus III Stephano *Poncher* nominato archiepiscopo obedientiam promisit anno 1519.

XXII. Stephanus II *du Mets* natus apud Nemosium,

Digitized by Google

Nemosium, ex canonico regulari sancti Johannis A abbas sancti Pauli præerat 1524. Obiit 1531, jacetque in choro.

XXIII. Jacobus II *Spifame* commendatariorum primus & religionis ac fidei proditor insignis, episcopatu Nivernensi abdicato, venditis abbatiæ suæ fundis combustisque chartis ad Genevenses anno 1559 cum concubina transfugit, ubi ex episcopo factus molitor, proditionis a senatu postulatus, ad patibulum missus est.

XXIV. Egidius II *Spifame* Jacobi ex fratre nepos episcopus quoque Nivernensis, dilapidatam a patruo commendam excepit an. 1558. Dum fugam meditaretur obiit Egidius 1578. B

XXV. Franciscus *de Vassi* Benedictinus, Latiniaci monachus Præmonstratense schema induit ut abbatiam S. Pauli adipisceretur, quam pro prioratu *de Goella* permutavit an. 1607.

XXVI. Petrus I *Bossuet* al. *Gosuet* religiosus Vallis-Secretæ priorque *de Goella* permutatione cum Francisco facta abbatiam a Sixto V obtinuit & obiit 1607.

XXVII. Robertus II. *de Biel* seu *de Biez* religiosus Blancæ-landæ priorque S. Pauli a rege nominatus abbas, reformatos accivit quos præ nimia egestate sustentare non valens remisit ad suos. Cessit & ipse anno 1637. C

XXVIII. Claudius *du Chast* Romam profectus ut vota rescinderet ad Ludovicum-Henricum *de Gondrin* archiepiscopum dimissus est, quo judice causa cecidit. De lite perdita solatium in mutando habitu quæsivit, beneficioloque ordinis Benedictini impetrato, monasticum sumsit habitum. Adstitit translationi sanctæ Theodechildis anno 1643.

XXIX. Petrus II *Balthasar* in curia præsidiali Senonensi consiliarius seu præses.

XXX. Carolus *Balthasar* Petri nepos filius Johannis libellorum supplicum magistri & Ludovicæ *du Laurens*, senatus Metensis consiliarius, D cùm voto professionis faciendæ in ordine Præmonstratensi abbatiam a summo pontifice obtinuit. Romæ decessit anno 1688.

XXXI. Matthias *al.* Petrus III *Charlan* canonicus Parisiensis, S. Pauli commendatarius mense Aprili 1688, cessit vel decessit 1695.

XXXII. Nicolaus *Denise* baccalaureus in theologia, regis capellanus, canonicus & cantor Trecensis, commendatarius S. Pauli 8 Septemb. 1695, obiit 1707 mense Novembri.

XXXIII. Eustachius *de Feu* canonicus Senonensis, nominatus 24 Dec. 1707, possessionem adeptus est feria 2 post Pascha 1708. E Gaudebat adhuc 1715.

XXXIV. Antonius *de Fera de Rouville* canonicus & cellerarius Senon. commendam obtinuit anno 1716.

XXXV. N. *Soucelier* decanus Braii super Sequanam nominatus est a rege 7 Sept. 1748. Obiit 24 Januarii an. 1756, natus annos 57.

XXXVI. N. *Gou* a rege nominatus est anno 1756.

MONS S. CATHARINÆ PROPE PRUVINUM.

Le Mont-Sainte Catherine.

I. CONSTAT ex traditione monasterium istud anno 1248 a Theobaldo Campaniæ & Briæ comite ædificatum & fundatum fuisse in gratiam monialium Minorum ordinis S. Claræ, quibus Urbanus IV x cal. Julii anno 3 Pontif. vivendi formulam sororum Longi-campi concessit. Prima illius abbatissa ignoratur, sequentes eruimus ex MS. codice ejusdem cœnobii.

II. Flos circa annum 1260.

III. Felix *Chaumont* obiit anno 1283.

IV. Margarita I 1288 ex chartulario Joyaci.

V. Petronilla I *Martine* obiit anno 1312.

VI. Johanna I *la Gaillarde* ab an. 1312 ad 1328.

VII. N. *Bakine* nobili sanguine progenita obiit 1348.

VIII. N. *Luque du Mont* 18 Oct. & 6 Feb. 1354 ex schedis D. *de Gaignières*.

IX. Isabella I *de Vernolio* cessit 1375.

X. Eva electa est & a summo pontifice Gregorio XI confirmata XIX cal. Jan. anno 5.

XI. Petronilla II *Thierry* 1376.

XII. Elisabetha de Campo Remigii obiit II Sept. anno 1408.

XIII. Margarita II *la Vassée*.

XIV. Margarita III *d'Otonne* 1430.

XV. Johanna II *la Valle*.

XVI. Isabella II *de Camprenii* monialis Moncelli 1452. 27 Feb. ex schedis D. *de Gaignières*.

XVII. Johanna III *Payenne* 1460.

XVIII. Ludovica *de la Roque* 1500.

XIX. Johanna IV *Massea* 32 annis rexit, deinde sponte abdicavit.

XX. Catharina *de Joisel* 17 annis.

XXI. Barbara *Couronne* electa fuit post Catharinam *de Joisel* & sponte cessit anno 1566.

XXII. Margarita IV *de Billy* filia nobilis viri *de Billy* equitis regii domini *de Chateau-prunay le Gillon les Chartres;* domini *de Vertron-Mont-Anglos Dombertin* & dominæ Mariæ *Brichanteau* annos nata 33 una voce ab omnibus electa est, rexitque annis 20.

XXIII. Gabrielis *le Roy* 1587.

XXIV. N. *d'Oissonville* abbatissa anno 1597 benedicta fuit anno 1621, quo & ecclesia consecrata ab episcopo Laudunensi de consensu archiepiscopi Senonensis. Vide *Puisson, preuves de la Régale, p.* 672.

XXV. Johanna V *Dalonville* obiit an. 1639;

XXVI. Anna I *Dalonville* electa an. 1637 obiit 1645.

XXVII. Anna II *Privé* electa anno 1645 eodem obiit.

XXVIII. Martha *Dauvet Desmarets* successit superiori tribusque annis rexit nominata a rege abbatissa montis S. Mariæ 9 Maii 1648.

XXIX. Anna III *de Monbron* an. 1653.

XXX. Anna IV *le Bernard* 1659 29 Sept.

XXXI. Susanna I *Sauvage* 1660.

XXXII. Susanna II *Gaultier*.

Digitized by Google

XXXIII. Francisca *Pajot* a rege nominata anno 1671 mense Octobri. Ea regente rex instituit administratorem temporalium abbatiæ 5 Januarii 1672, quæ tandem sponte cessit anno 1704 in gratiam sequentis.

XXXIV. Anna V *Bourgoin* unanimi omnium voce electa sapienter etiamnum regit.

S. Dominique-lès-Montargis.

S. DOMINICUS PROPE MONTEM-ARGISUM.

CELEBERRIMUM parthenonem prope Montem-argisum ineunte sæculo 13 circa 1207 fundavit dotavitque Amicia Simonis Comitis de Monteforti & Aliciæ de Monte-Morenciaco ejus uxoris filia in suo fundo Amilliaco * dicto post obitum Galterii comitis de Joigniaco ejus viri, suffragantibus & approbantibus eorum filio Galterio qui simul cum religiosissima parente fundator audit in bulla Innocentii IV, & filia Petronilla Petri de Curtiniaco postea uxore. In eo plures nec alias quam nobiles puellas cum congregasset, hunc eis fere vivendi modum præscripsit quem servant canonicæ regulares S. Augustini, autore, ut videtur, seu potius suasore S. Dominico, quem ab Occitania venientem in eum locum aliquando divertisse ibique conciones & miracula edidisse domestica tradunt monasterii instrumenta. Viguit institutum istud ad annum usque 1245 quo Amiciæ & Galterii frequentibus & iteratis petitionibus, simulque priorissæ & sororum in monasterio S. Dominici juxta Montem-Argi degentium instantibus votis annuens summus pontifex Innocentius IV, eas & monasterium earum incorporavit ordini fratrum Prædicatorum statuitque bulla data Lugduni VI id. Apr. pontificat. sui anno 2, *ut sub magisterio & doctrina magistri & prioris provincialis Franciæ dicti ordinis qui pro tempore fuerit, de cætero maneant, illis gaudentes privilegiis quæ ordini prædicto ab apostolica sede concessa sunt, vel in posterum concedentur.* Quod post elapsum triennium explicans & confirmans idem pontifex declarat, *suæ intentionis non extitisse ut per hoc eis exhibeantur aliæ constitutiones ipsius ordinis, nisi illæ solum quæ monialibus competere dinoscuntur.* Quamquam autem virtute illarum constitutionum regulæ fratrum Prædicatorum subjacuerint moniales S. Dominici ipso anno 1245, non tamen bullas recognovit officialis Senon. ante annum 1283.

* Amilly.

Ch. XCIV. col. 71.

Ch. XCVII. col. 73.

Primum in Francia sororum ordinis Prædicatorum locum tenere debet monasterium illud S. Dominici prope Montem-Argisum, tum quia ipsi B. Dominico acceptam refert originem, quem ea de re adierunt consultaveruntque religiosissimi fundatores, nullæque moniales ejusdem instituti fuerunt accersitæ quæ regulam edocerent monstrarentque, cum ipsæ potius Montis-Argisi sanctimoniales e parthenone suo fuerint sæpius eductæ ut varias passim plantationes sererent curarentque, quales sunt inter alias Rotomagi *Intramurana* dictæ, quas apud S. Matthæum B. rex Ludovicus in suburbio S. Severi an. 1263 seu 1269 ut fidem faciunt propriæ earum chartæ; & S. Ludovici Pisciacensis nobiles Dominicanæ quas Philippus cognomento pulcher anno 1304 amplissime dotaverunt; tum etiam quod Prulianum cœnobium a B. Dominico in provincia Tolosana anno 1206 vel 1207 condi cœptum non regum Franciæ sed comitum Tolosæ ditionis tunc temporis fuerit.

Præterea nulli ejusdem familiæ cessit unquam sacra illa domus seu morum probitatem seu sanguinis nobilitatem spectaveris. Testes sunt tot sanctitate ac natalium splendore illustres virgines quæ spretis aulæ deliciis, opibus, præclaris collocationibus regalique cultu ac mundo, huc ad christianarum omnium virtutum facilius promtiusque exercitium secesserunt, quas inter eminet Maria Roberti Claromontensis filia, neptis vero S. Ludovici; quæ post emissa in monasterio sancti Dominici anno 1299 religionis vota, ad Pisciacense S. Ludovici, quod magnificentissime exstruxerat Philippus pulcher, translata est anno 1304 una cum nobilissimis virginibus Johanna *de Bigore* N. Matheii *de la Roche*, Isabella & Agnete *de Montargis* multisque aliis quarum nomina exciderunt. Plures etiam e regia Curteniacorum stirpe necnon ex amplissimis antiquioribusque totius regni familiis virgines Deo se in hac sacra domo devoverunt, in qua a primis temporibus ad hodiernum diem servatur lex a fundatrice sancita, quæ nisi claris parentibus ortas non admittit.

Inter plura quæ supersunt in ecclesia monumenta regum, reginarum & principum aliorum tam virorum quam fœminarum occurrunt tumuli Amiciæ fundatricis cum hoc epitaphio: *Cy gist venerable dame Amice fille de très-puissant prince Simon comte de Montfort grand ami de S.t Dominique, lequel mourut pour la foy de J. C. en Albigeois contre les B. . . . . . & femme de très-honoré seigneur Gauthier de Joigny fondatrice de cette église, laquelle trepassa l'an 1252 le 20 Fevrier.* Item N. *de Blanchefleur* filiæ Frederici II imperatoris quæ in vestibulo chori ante altare beatæ Marthæ sacrum sepulta jacet cum hac inscriptione hactenus illibata: *Cy gist très-venerable & excellente dame Blanchefleur qui fut fille de Frederic empereur, laquelle por l'amour de Dieu & sa virginité dépita l'empire & tout le monde selement de ses amis, vint en France en cette maison en habit de beguinage jusqua la fin & trespassa le 20 de Juin 1279.* Super ejus tumbam signatur scutum Gentilitium aquila biceps, & tumulatæ imago depingitur dextra palmam, sinistra vero tabellam tenens in qua hæc leguntur verba: *regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi.*

Eodem in loco tumulatur Maria Luxemburgensis filia Henrici VII imperatoris, soror Johannis Bohemiæ regis, uxor vero Caroli IV Franciæ & Navarræ regis, ut liquet tum ex ejus epitaphio in hæc verba: *Cy gist très-excellente & très-puissante Princesse Marie de Luxembourg, jadis fille de Henry empereur de Rome soeur du roy de Boheme & femme de puissant & très-chrétien Charles le Bel roy de France & de Navarre, laquelle trespassa a Issoudun en Berry & fut apportée en cette église & ensevelie l'an de Notre-Seigneur 1324 le 11 de Mars. Priés Dieu pour elle. Amen.* Tum etiam ex epis-

Digitized by Google

Miscell. t. 1. lib. 1. pag. 163. tola Johannis fratris ejus Bohemiæ regis de morte A Henrici imperatoris quæ habetur apud Baluzium & in qua hæc referuntur « duæ, inquit, amitæ » nostræ sorores predicti domini genitoris nostri » habitum prædicti ordinis (S. Dominici) suscepe- » runt, quarum una fuit priorissa in quodam mo- » nasterio, & sic professæ in dicto ordine usque ad » mortem permanserunt. Postea etiam domina Maria » soror nostra germana suscepit habitum ordinis » memorati: tamen antequam esset professa inclytæ » recordationis Carolus rex Francorum eam sibi » in uxorem petiit copulari, & sic facta regina » Francorum, quandiu vixit habuit confessorem de » ordine supradicto, & post mortem sicut elegerat, B habuit inter sorores ipsius ordinis sepulturam. » Quin & ipsius Johannis Bohemiæ regis in clade Creciaca 26 Augusti 1346 interempti (quem tamen Luxemburgi tumulatum vult clarissimus autor recentis epitomes historiæ Franciæ) exuvias mortales saltem quoad aliquam partem in eodem templo depositas fuisse testatur fragmentum epitaphii residuum. . . . . . *qui trespassa a la tête de ses gens ensemblement les recommandant a Dieu le pere le jour de. . . . . la glorieuse Vierge Marie. Priés Dieu pour l'ame de ce doux roy.* Reliqua laminis argenteis insculpta bellorum aut aliarum calamitatum temporibus quibus proprias sedes C relinquere coactæ sunt moniales a prædonibus direpta sunt. Sed regis Johannis sepulcrum fuisse constat tum ex archivis monasterii, tum ex duobus scutis hinc inde prope lapidem sepulcralem incisis quæ gentilitia ejus insignia Bohemiæ nempe & Luxemburgi exhibent.

Pluribus aliis gaudet illud monasterium prærogativis & privilegiis a regibus christianissimis indultis maxime a B. Ludovico & Philippo Audaci ejus filio necnon ab eorum successoribus in præsens usque tempus confirmatis. S. Ludovicus in testamento quod anno Domini M. CCLXIX mense D Feb. condidit: *legamus*, inquit, *domui sororum S. Dominici juxta Montem-Argi* XXX *libras*.

Anno 1630 moniales ordinis S. Benedicti compositione facta cum patribus recollectis residentibus in conventu dicto *nostra domina angelorum* hunc ipsum conventum una cum quibusdam fundis contiguis pacto & soluto pretio ab eis aliisque quorum intererat sibi emerunt & proprium fecerunt, ibique post modum habitaverunt. Sed quoniam juris erant monialium sancti Dominici ob dominium Amilliaci tam conventus quam fundi & alii agri a Benedictinis parti, ideo inter se convenerunt de 60 libris in obitu cujusque E priorissæ Benedictinæ in redemptionem persolvendis cum 15 assibus annui census; ea tamen lege ut priorissæ suæ mortem post elapsum primum mensem debeant Benedictinæ significare dominicanis, quod si neglexerint teneantur summam duplicare & 120 libras pro 60 solvere. Actum per notarios publicos Montis-Argisi sabbato 19 Martii anno 1644.

Singula hæc a nobis memorata multaque alia brevitatis causa omissa collegit ex superstitibus monasteri instrumentis tam litteris quam usu perpetuo consignatis, nobisque humanissime suppeditavit venerabilis domina Maria-Anna-Bona *Picot de Combreux* olim priorissa nunc vero monialis ejusdem cœnobii, quæ etiam seriem aliquarum priorissarum ministravit, quales hic subjicimus, nulla temporum habita ratione.

SYNOPSIS QUARUMDAM PRIORISSARUM.

N. de *Luxembourg*.
N. *de Gamache*.
Coletta *de Venoise*.
Johanna *de Vincennes*.
Elisabetha *de Melun*.
Yolanda *de la Noue*.
Peretta *de S.t Julien*.
Catharina *de Fougere*.
Isabella *de Vilbéon*.
Johanna *Filderoy*.
Johanna *de Bigorre*.
Anna *de Maignac*.
Catharina *la Ferté-Yssabaud*.
Petronilla *de Perturenches*.
Johanna *de Lionne*.
Antonia *de Tance*.
Esther *d'Anjac*.
Elisabetha *d'Avranches*.
Laurentia *de la Chapelle*.
Antonia *d'Auxi*.
Jaquetta *de Boucher*.
Gabrielis *de Ceignac*.
Antonia *de Grallichastet*.
Johanna *de Coutenay*.
Gabrielis *de l'Hospital*.
Gabrielis *de la Chapelle*.
Maria *Dupé de Tonnere*.
Ludovica *de Rochechouart*.
Susanna *de Rogre-Dromeile*.
Amata *de Courtenay*.
Anna *de Brenne de Bonbon*.
N. *de la Chapelle-Launcus*.
N. *du Fond de Villemander*.
Isabella-Angelica *de Courtenay*.
N. *la Feuillée-Becherelle*.
Margarita *du Hamel*.
Genovefa *Bigant de Gatine*.
Elisabetha *de Melun*.
Anna *de Turgis*.
Anna *Huault de Bussi*.
Francisca *de Melun-Monpertuis*.
Elisabetha *d'Estampes*.
Ludovica *de Tenances de Serigny*.
Maria-Francisca *de Boulen-Vignau*.
Maria-Angelica *de Melun*.
Margarita *Dupuy-d'Igny*.
Catharina-Carola *de Jaucourt*.
Maria-Anna-Bona *Picot de Combreux*.
Johanna-Angelica *de Rogre-Champignelle*.
Maria-Theresia *de Valons de Rouvray*.



Digitized by Google

ECCLESIA AUTISSIODORENSIS.

AUTISSIODORUM, sive Autricum, olim nuncupatum fuerit a colle cognomine urbi imminente, cujus in ecclesia primi sepulti sunt episcopi, quod historico Autissiodorensi maxime arridet, seu proprium Celticumque fuerit nomen, non Latinum, ut Adriano Valesio placet; unum è duobus est Senonum capitibus in Gallia Celtica ad Icaunam fluvium situm, ubi primum Lintrium capax est. « Nullum urbis nomen pejus acceptum aut sæpius immutatum ab auctoribus nostris reperias, » inquit Valesius, qui Autosidorum, Autosudorum, Autessiodurum Autisiodorum, Autesioderum, Autisioderum, Alciodorum, Alciodrum, Altiodrum, Altiodorum, Alcedorum, Autissiodorum commemorans, stat pro sincero ac incorrupto nomine, Autessiodurum, vel Autissiodorum, quod posteriores scriptores varia quisque ratione corrupere aut mutilavere. Urbs vetus est, clara & nobilis soli fertilitate, generositate & copia vini, ac Icauna flumine navigabili, nobilitate comitum, multitudine sanctorum, plurimis, claris & magnis Galliæ urbibus haud inferior, unde mirum Straboni, Ptolemæo, Melæ, Plinio cæterisque veteribus geographis & historicis ignotam fuisse urbem, quæ primum memoratur in itinerario Antonini & ab Ammiano Marcellino. In veteribus notitiis provinciarum ac civitatum Galliæ plerisque civitas Autissiodorum dicitur provinciæ Lugdunensis Senoniæ tertia, in chronico autem Roberti Autissiodorensis in Senonensi provincia penultima, antepenultimaque ponitur in libro de Otiis imperialibus a Gervasio Tesleberiensi qui non modo eam subjicit Autrico Carnutum, cui semper subjacuit, sed etiam Parisiis, Aurelianis & Nivernis, quibus olim honoris causa præponebatur. Gervasii ordinem secutæ sunt recentiores notitiæ. Autissiodorum Burgundiæ regno attribuit Fredegarius, non quod unquam veteris Burgundiæ ac proprie dictæ urbs fuerit, nam florentibus Burgundionum regibus, Chlodovæo Francorum regi paruit, sed quod præter cæteras urbes Gunthranno cesserit cum toto regno Burgundiæ Francicis armis subactæ. Quidquid autem Guntchranno sorte obtigerat, a majore parte dictum est nostris Burgundia, & Guntchranni successores Merovingi quæcumque ipse obtinuerat, sub communi Burgundiæ nomine obtinuerunt. Glaber quoque Rodulfus in historiarum lib. II, cap. VIII, Autissiodorum Burgundiæ Franciсæ vel ducalis civitatem facit, qualem sub Philippo bono & Carolo Burgundiæ ducibus fuisse cum Matiscone, Cabilono, Augustoduno, Lingonis ac Divione annales nostri produnt.

Quam obscuri sunt plurimarum Franciæ ecclesiarum natales, tam certum est Christianis efflagitantibus concessum, Autissiodorumque fuisse missum a Sixto II pontifice Romano medio seculo III apostolum primumque pastorem S. Peregrinum. Prima majorque urbis ecclesia proxima erat portæ Balneari ad Icaunam fluvium, ita dictæ quod ad balnea duceret; sed propter angustiam loci Amator episcopus ex domo Rutilii civis Autissiodorensis, ampla & excelsa quam ab eo obtinuerat, alteram capaciorem crescentium ibi Christianorum fecit ecclesiam. S. Stephanum hæc agnoscit patronum. Episcopus nobilissimis toparchiis gaudet, a quibus plures clari pendent feudatarii, puta comes Autissiodorensis, barones de Puisaio & Donziaci, dominus S. Verani aliique clientes. Post episcopum in ecclesia Autissiodorensi sex sunt dignitates; 1. decanus, qui eligitur a capitulo & ab episcopo confirmatur; 2. archidiaconus Autissiodorensis, major dictus; 3. cantor qui a capitulo quoque eligitur, & ab episcopo confirmatur; 4. thesaurarius; 5. archidiaconus Puisaiæ, minor dictus; 6. pœnitentiarius. Capitulum constat 63 præbendis, e quibus tres decano, cantori & thesaurario sunt annexæ, una abbatiæ S. Mariani, una urbis collegio, una domui *de Chastellux*, una denique duos in personatus divisa est sive officia lectoris & succentoris. Sex sunt divisæ in 12 semipræbendas, 12 tortrariis assignatas, qui fructuum dimidiam tantum partem percipiunt, sicut lector & succentor, ceteras obtinent canonici, ex quibus theologicis disciplinis qui præfectus est, simplex est canonicus. Omnes dignitates sicut & præbendæ conferuntur ab episcopo, si decanum & cantorem excipias, hisque dignitatibus annexas præbendas, præbendasque S. Mariani, gymnasii, domus *de Chastellux*, necnon semipræbendas octo quæ ad collationem capituli pleno jure pertinent. Quia vero ecclesia Autissiodorensis a jure regaliæ exemta est, capitulum, sede vacante, plenam in spiritualibus potestatem temporaliumque regimen habet in tota diœcesi, ita tamen quod omnes proventus inde procedentes futuro serventur episcopo, sicut & præbendæ interim vacantes. Licet enim statim conferantur a capitulo, confirmatio tamen ad episcopum spectat, quæ vulgo jucundi adventus gratia datur.

Numerantur in tota diœcesi ecclesiæ parochiales circiter 204 in quatuor archipresbyteratus distributæ, Autissiodori scilicet, Puisaiæ, Briceii & Varziaci. Ex iis octo sunt in urbe & quatuor in suburbiis. Parochiæ vero B. Mariæ extra urbem, S. Petri, S. Eusebii & S. Amatoris cathedralis ecclesiæ quatuor filiæ nuncupantur. In diœcesi recensentur 9 ecclesiæ collegiatæ; 1. B. Mariæ de civitate, constans 18 canonicis & duabus dignitatibus cantore & thesaurario; 2. S. Martini de Clameciaco; 3. S. Laurentii de Conada; 4. S. Karadoci de Donziaco; 5. S. Petri de Epponiaco; 6. S. Ferreoli; 7. S. Stephani Giemensis; 8. B. Mariæ de Tociaco; 9. S. Eugeniæ de Varziaco. Sunt & prioratus 30, præceptoriæ ordinis Melitensis 4, abbatiæ 11, quarum historiam post episcoporum seriem collocavimus.

Digitized by Google

De his quot fere fuerunt episcopi, tot fere scripsere auctores, quorum opera edidit Labbæus tom. I bibliothecæ manuscriptorum novæ p. 411. Alii episcoporum omnium Autissiodorensium vitas & gesta simul complexi sunt. Alii denique his & illis usi sunt ad episcoporum catalogum texendum, quales Sammarthani. Nuperis temporibus Johannes *Lebeuf* canonicus & succentor Autissiodorensis, e regia humaniorum literarum academia, Autissiodori christiani & civilis historiam publici juris fecit. Hanc emendatis tamen nonnullis propriisque repetitis maxima qua potuimus diligentia referimus.

EPISCOPI AUTISSIODORENSES.

I. S. PEREGRINUS.

ANNI CHRISTI

A Sixto II Romano pontifice precibus christianorum Autissiodori congregatorum concessus, ordinatus & missus Peregrinus, novum populis dogma impertivit, parvo ambitu ecclesiam ad portam Balnearem construxit, Christique nomini consecravit. Restincta inibi Deorum cultura, Interrannum expetiit, ut præcipuam paganorum multitudinem qui ad festa Jovis concurrebant, ad Christi cultum converteret. Istic jam persecutione sæviente, forte sub Domitiano imperatore, in Baugiaco vico capitis abscissione martyrii palmam tulit XVII cal. Junii. Corpus ejus requiescit in ecclesia sancti Dionysii prope Parisios, in capella ejus nomini Sacra. Colitur 16 Maii.

II. S. MARCELLIANUS.

Natione Gallus Marcellianus sedit annos 39 obiitque III id. Maii, in Autrico monte sepultus, unde reliquiæ ejus in monasterium S. Juliani translatæ sunt, ubi aliqua earum pars asservatur.

III. S. VALERIANUS.

Gallus quoque natione Valerianus cum aliis episcopis S. Evurtium Aurelianorum ordinavit
347. episcopum. Adstitit conciliis Sardicensi an. 347
349. & Coloniensi anno 349, ubi depositionem Euphratæ in priori factam validam esse tutatus est. Vixit in pontificatu annis 30. Obiit pridie nonas Maii (366), & sepultus est apud Montem-Autricum secus S. Marcellianum. Exstant ecclesiæ nomine ejus insignes in vico de Chitriaco diœcesis Autissiodorensis, & in suburbio Castrodunensi diœces. Carnotensis.

IV. S. ELADIUS.

Amatorem clericorum Marthamque ejus uxorem virginum albo inscripsit Eladius, qui sepultus est in Autrico monte post 23 sedis annos. Obiit VIII id. Maii.

V. S. AMATOR.

Autissiodori parentibus Proclidio & Isiciala ortus est Amator, a quibus juvenis adhuc puellam nomine Martham coactus est desponsare, sed cum a B. Valeriano ad eorum nuptias invitato pro benedictione levitico mancipatus esset officio postmodum ab Eladio tonsus, huic defuncto ab omni populo successor est datus. Hoc autem in munere tot prædicationibus paganos ad fidei

A veritatem convertit, ut prior basilica ad portam Balnearis templi sita præ multitudine eos non caperet. Quapropter amplum a Rutilio cive intra urbis claustrum obtinuit domicilium, ubi Christo Domino domum consecravit die V non. Octobr. Hæc illa est ecclesia B. Stephano protomartyri dicata, in qua S. Amator B. Germanum angelo docente coram omnibus arripuit, cæsariem ejus totondit ac sibi successorem renunciavit. Hæc illa ecclesia est in qua febre correptus feria IV calendis Maii 418 pontificium ascendens thronum inter manus clericorum hora diei tertia expiravit. Sepultus est juxta decessores suos in B Monte-Autrico a B. Germano jam tum presbytero. Sedit annos 30, mensem unum & dies 5, & post eum vacavit sedes dies 30. Corpus ejus anno 862 e terra levatum, inde in ecclesiam majorem seculo XI translatum est. Vitam ejus, auctore Stephano Africano presbytero, qui vixit circa an. 580, cum notis præviis Henschenii, habes apud Bollandistas tom. I Maii. 418.

VI. S. GERMANUS.

Amatore e vivis sublato illustrissimus Germanus, quem jam dudum futurorum præscius sibi successorem designarat, unanimi cleri totius C populique consensu quamquam renitens pontificatum iniit, in quo totis triginta annis instar fulgentissimi sideris incomparabili luce refulsit. Natus hic Autissiodori patre Rustico, matre Germanilla nobilissimis parentibus, liberalibus disciplinis a teneris annis eruditus est. Postquam studium in Gallicanis auditoriis collocasset, Romam profectus juris discendi causa, tantum sibi apud Romanos conciliavit nomen ut & togam mereretur, & opibus ac stirpe claram Eustachiam nomine, sed moribus honestiorem duxerit uxorem. Mox Respublica transmisit eum ad Gallias ut illic culmen ducatus totiusque potestatis obtineret dignitatem. Cumque hujusmodi fungeretur D officio, tanti viri maxime prudentia enituit, quamquam fatendum sit Germanum nimio venationis ardore abreptum, jure a S. Amatore increpitum fuisse, quod ferarum in venatione captarum capita cuidam arbori proceræ appendere soleret, præsertim cum idem pagani seu gentiles superstitiose facerent. Quæ sanctissimi episcopi monita non solum contemsit Germanus, sed etiam monenti mortem minatus est maxime post succisam & succensam arborem in qua hujusmodi trophæis appendendis insaniebat. Attamen Amator obtenta facultate a Julio Galliarum

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

rectore & præfecto, Germanum nihil tale cogitantem in ecclesia per clericos suos apprehendit, totondit, presbyterum forte ordinavit, simulque suum successorem designavit. Et certe paucis interpositis diebus defuncto Amatore ab omnibus uno ore proclamatus antistes, invitus, coactus & addictus sacerdotium suscepit, ac tricesima post die consecratus est Germanus dominica 7 Julii 418. Repente virum in alterum mutatus est. Erogatis in pauperes bonis cœpit habere mensam pauperum, vilissimam vestem & supellectilem. Nam solo pane hordeaceo vescebatur, nihilque ad condimentum nequidem salem adhibebat, imo ante panem cinerem semper prægustabat. In diebus B vero jejunii interdum in media tantum hebdomada aut etiam septimo die cibum parcissime sumebat. Indumentum ejus cilicium quod cuculla & tunica tegebat, nec pluribus vestibus hieme, nec paucioribus aut levioribus æstate utebatur. Lectus ejus cineris aggestus erat nullo adhibito cervicali ne quidem ligneo vel lapideo, cumque decumberet, vestitum minime detrahebat. Loro redimitus decumbebat cum capsula sanctorum reliquias continente, sicque inter tormenta longum passus est martyrium. Ædificavit monasterium in conspectu Autissiodorensis oppidi interposito Icauna flumine ad profectum religionis, cujus loci incolæ sancti Germani vivendi genus imitari conabantur. In eo cellulam habebat in quam nemo nisi pronus repere poterat. Fecit & basilicam in honorem SS. Martyrum Agaunens. & basilicam S. Albani martyris. Construxit adhuc monasterium monachorum apud Cociacum ubi martyrum multitudo cum B. Prisco ab Aureliano imperatore trucidata fuerat. Miracula pene quotidiana quæ per ipsum operatus est Deus missa facimus tot & tanta enim fuere, ut nisi piæ conversationis merita præcessissent somnia putarentur. Ad altiora properamus. Decennium erat quo profligata in conciliis Carthaginensibus D Pelagii hæresis fuerat, cum ecce directi a Britannis legati Gallicanis episcopis nunciant Pelagianam perversitatem in locis suis ubi ortus erat Pelagius late populos occupasse. Numerosa repente synodus collecta est, in qua omnium judicio duo præclara religionis lumina sanctus Germanus & S. Lupus episcopus Trecensis destinati sunt ad suppetias ecclesiæ Britannicæ ferendas. Accessit & auctoritas Romani pontificis sancti videlicet Cœlestini ex Prosperi chronico: *Agricola Pelagianus Severiani episcopi Pelagiani filius, ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit; sed actione Palladii diaconi papa Cælestinus Germanum episcopum Autissiodorensem episcopum vice sua mittit, & deturbatis hæreticis Britannos ad catholicam fidem redigit.* Angliam itaque profectus hieme Germanus anno 429 in itinere Genovefam virginem Deo consecravit, quæ ipsi in vico Nannetodoro pagi Paris. occurrerat & ejus tum monitis tum precibus tam stupendam assecuta est sanctitatem. Cum Britanniam appulisset, hæreticos tum miraculis quorum fama prævolarat, tum sacra doctrina & eloquentia debellavit hæresimque profligavit. Hac in expeditione plurimos Britonum adversus Saxones

A Pictosque decertantium ad sanctum baptisma suscipiendum hortationibus suis compulerunt sancti antistites, quibus e sacro lavacro exeuntibus, *alleluia* ter repetito insperatam obtinuerunt victoriam. Inde in Gallias reversi antistites, magna lætitia excepti sunt. Non multo post audito civium suorum onere qui per Auxiliarem præfectum prætorio tributaria exactione præter solitum gravati fuerant eo absente, Lugdunum devectus, excipitur in provincia per Hilarium Arelatensem celebris famæ episcopum, ac Auxiliarem invisens, ægritudine correptam ejus uxorem invenit, quam pristinæ sanitati reddidit. Hanc itaque Germano gratiam rependens Auxiliaris Autissiodorensibus tributa quibus vexabantur indulsit ac remisit. Circa id tempus anno certe 444 concilio ab Hilario Arelatensi adversus Chelidonium indicto interfuit. 444.
Triennio post mare trajicere iterum coactus est an. 447. Etenim ad antistites Gallicanos renunciatur Pelagianam hæresim repullulasse in Britanniis & hydram hanc contritam caput iterum erexisse. Itaque rogatur Germanus ut periclitanti fidei operam ferat, quorum petitioni festinus occurrens Germanus, cum adjuncto sibi hac in legatione sancto Severo magnæ sanctitatis viro Treveriensium episcopo, novos de Pelagianorum C reliquiis triumphos egit ea felicitate, ut prorsus hanc hæresim in Britannia exstirparit: hæc autem tradunt tum Constantius auctor hujus fere ætatis in Germani vita fideliter elucubrata, tum etiam Beda lib. I Hist. Eccles. gentis Anglorum. Vix ab expeditione hac nova apud Britannos redierat Germanus, cum ad Alemannos eorumque regem *Eocarich* pergere cogitur, veniam petiturus pro Armoricanis quos ob rebellionem Aëtius qui tunc imperium Romanum regebat sub Valentiniano augusto puniendos tradiderat. Flexit ille quidem ac emollivit barbaricam ferocitatem regis qui abstenturum se a finibus Armoricanorum pollicitus est, si pro ipsis ab imperatore pax impetraretur. Hujus itaque obtinendæ ergo Ravennam venit Germanus, ubi perhonorifice tum ab imperatore, tum a Placidia augusta, tum a sancto Petro Crysologo exceptus, sic post multa edita miracula migravit ad Dominum 31 Julii 448, 448.
cujus transitum sic narrat Beda: *Ad Ravennam pro pace Armoricanæ gentis supplicaturus advenit ibique a Valentiniano & Placidia matre ipsius summa reverentia susceptus migravit ad Dominum.* Sedit annis 30, diebus 25. Corpus ejus pretioso sudario involutum, quod Placidia augusta obtulerat ex serico, auro gemmisque contextum ex Italia in E Gallias sicuti postulaverat imperatoris impensis elatione publica ad ecclesiam Autissiodorensem translatum est, magna pompa occurrente ac comitante feretrum frequenti sacerdotum, clericorum ac populorum caterva ardentibusque circa sacrum corpus cereis, sed præsertim fulgentibus quotidianis imo continuis miraculis. Post dies sexaginta pervenit funus ad optatum terminum die 22 Sept. & postquam per dies decem sacrum corpus expositum fuisset fidelium devotioni, die 1 Oct. sepulturæ mandatur in ædicula S. Mauritii quæ postea accrevit in celeberrimam ordinis

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Benedictini abbatiam. Nam Chrotechildis magni Chlodovæi uxor super sancti Germani tumulum exquisiti operis basilicam exstruxit, quam alia æmulata est regina, scilicet Ingundis Chlotarii senioris conjux, collatis S. Germani sepulchro multis vasis pretiosis & ornamentis auctore Herico apud Labbeum. Quot miracula hoc in loco patrari solerent testis est fide dignissimus S. Nicetius Treverorum episcopus in epistola ad Chlodosindam Alboini Longobardorum regis conjugem, quæ exstat Concil. t. V, col. 835. S. Germani sepulchrum violare non puduit sectæ Calvinianæ hæreticos qui ejus sacrum corpus projecerunt & dissiparunt. Festum ejus celebratur die 31 Julii. Eidem sancto basilicam construxerat inter alios S. Remigius in sua civitate juxta oratorium sancti Christophori, ubi postea accrevit celeberrimum in tota Gallia S. Remigii monasterium.

Germani meminere plures historici: nam præter Prosperum Aquitanum, qui in chronico testatur eum virtutibus & vitæ districtione claruisse sub consulatu Aetii, vitam ejus Constantius Lugdunensis presbyter & rhetor facundus vetustior quem habemus, qui de Germano scripserit, rogante S. Patiente Lugdunensi singulari stilo exaravit anno circiter 40 post beati antistitis transitum. Hanc Carolo Calvo regnante versibus heroïcis sex libris edidit Hericus Autissiod. monachus græce ipse latineque doctus ac poëtices egregie gnarus. Miracula autem duobus libris distinxit quæ supplementum esse quoddam possunt vitæ antiquioris a Constantio conscriptæ, invitatus ut id argumenti scriberet Aunarii episcopi Autissiodorensis epistola ad Stephanum presbyterum provinciæ Africanæ. De Germani autem laboribus, legationibus, miraculis præter citatos multa & quidem optima leguntur apud Pagium, Tillemontium, Bollandistas, &c.

VII. S. Alodius.

B. Germano rebus humanis exemto suffectus est Alodius, an abbas monasterii SS. Cosmæ & Damiani? Affirmant Hericus in miraculis sancti Germani, historia episcoporum Autissiodorensium & chronologus S. Mariani; negant Chiffletius & Tillemontius eo quod ex Constantio in vita S. Germani, *defuncto archimandrita Alogio, ejus officium susceperit Mamertinus.* Defunctus IV cal. Octobr. sepelitur in ecclesia B. Germani. Sedit, inquiunt, per annos 30, mensem unum & dies 12, eoque decedente mansit civitas absque episcopo annis 10 ob sævitiam vastantium Gallias barbarorum: sed hæc non quadrant vixque ac ne vix quidem conciliari possunt cum temporum ratione & episcoporum serie.

VIII. S. Fraternus.

Tertius a beato Germano pontificali cathedræ a fidelibus subrogatus Fraternus III calend. Oct. eadem die ab eisdem barbaris est martyrio coronatus & in basilica S. Germani tumulatus.

IX. S. Censurius.

Quarto substituitur loco Censurius post dies

A sex & 40 ab excessu S. Germani annos, auctore Herico monacho, qui suæ archiva laudat ecclesiæ. Ejus tempore Constantius presbyter Lugdunensis ad preces S. Patientis Lugdunensis episcopi vitam S. Germani edidit, quam obsecrante Censurio Autissiodor. direxit ecclesiæ. Huic quoque Sidonius Arvernorum episcopus scribit epistolam 10, lib. VI, ubi Censorium appellat & Ruricius epist. 50, lib. II. Hic post administratum rite sacerdotium (annis 38, mensibus 3, diebus 6) obiit IV id. Junii sanctitatis plenus bonisque omnibus copiosus. Sepultus est in ecclesia sancti Germani. Annos hujus episcopi & aliquorum qui B ei successerunt non computamus nec curamus, quod in his numerandis nulla sit certa constansque sententia.

5 Eptadius sanctissimus Æduæ civitatis solitarius, quem a Gundobaudo victo anno 500, episcopum Autissiodorensem postulavit Chlodovæus rex Francorum, a Burgundionum rege ægre quidem concessus est, cleroque & populo Autissiodorensi probatus, sed ipse ad deserta Morvenni aufugit & in solitudine mansit. *Labb. Bibl. t.2.p.penult.*

X. S. Ursus.

Juxta S. Amatoris basilicam anachoreticam C agebat vitam S. Ursus, cum repentino afflatam incendio urbem baculo misso liberavit. Sancti virtute motus populus simul & beneficii memor vi extractum e cella eum præsulatui suffecere. Exegit sacerdotium annis 6, mensibus 4, obiitque III cal. Aug. Sepultus ad S. Germanum, hujusque cella in ecclesiam cessit.

XI. S. Theodosius.

Concilio Aurelianensi I adstitit Theodosius an. 511, qui cum Leone & Heraclio episcopis 511. scripsit ad S. Remigium Remensem antistitem de Claudio ad preces Chlodovæi presbytero D ordinato. Sedit annos 8 & dies 23 & decessit XVI cal. Aug. anno ætatis 75 peracto. Sepultus est in ecclesia sancti Germani, & sedes vacavit anno uno.

XII. S. Gregorius.

Sedit annos 12 menses 6 Gregorius qui vixit annis 84 & devixit XIV cal. Januarii, sepultus in ecclesia S. Germani, civitasque mansit sine episcopo menses 7.

XIII. S. Optatus.

Sedit annum 1, menses 8, dies 5 Optatus qui E defunctus pridie cal. Sept. sepultus est in ecclesia sancti Christophori, quam ad orientem basilicæ S. Germani construxerat, quo postea translatus est VI non. Maii, demumque in ecclesiam Virzionis in Biturigibus, ubi asservatus colitur 18 Febr. Fuit autem ecclesia absque episcopo anno 1.

XIV. S. Droctoaldus.

Obiit VI id. Nov.

XV. S. Eleutherius.

Ad episcopales infulas vocatus Eleutherius

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

circa 532, sedit annos 28, menses 8, dies 9. Subscripsit conciliis Aurelianensibus II an. 533,
533. III 538, IV 541 & V 549. Obiit XIII cal.
538. Sept. anno circiter 561, sepultusque est in ec-
541. clesia S. Germani. Sedes vacavit an. 1, mens. 2,
549. dieb. 10.

XVI. S. Romanus.

Vir sanctissimus Romanus decisione capitis martyrium consummasse fertur pridie nonas Oct. expletis annis 3, diebus XV aut IV. Sepultus est in ecclesia sancti Germani, civitasque episcopo caruit mensibus 6 totidemque diebus.

XVII. S. Aetherius.

Sedit annos novem, menses 6, obiit VI cal. Aug. & in ecclesia sancti Germani nactus est sepulturam.

XVIII. S. Aunacharius.

Aunacharius qui & per syncopen Aunarius filius erat Pastoris & Ragnoaræ, germanus autem Austrini episcopi Aurelianensis & Austregildis matris S. Lupi Senonensis antistitis, ut ex ejusdem Lupi vita discimus. Hunc aliquando monachum fuisse & abbatem sancti Germani vulgati indices asserunt, quia forte cœnobium sancti Germani vocatur ejus monasterium in actis S. Walarici, seu quia ex Herico sancti Germani basilicam magnificis prædiis locupletavit. Nam eodem auctore primos adolescentiæ annos in aula Guntramni regis exegit, quo relicto postpositisque parentibus Turones aufugit, ubi ad sepulchrum S. Martini coma capitis detonsa clericali secularem vestem mutavit. Tum ad Siagrium Augustodunensem episcopum adductus, tantum apud eum eruditione & disciplina profecit, ut usque ad culmen pontificiæ dignitatis gradatim proveheretur. Aetherio itaque Autissiodorensi præsule è vivis exemto a clero simul & populo unanimi vocatur Aunacharius, qui pridie calendas Aug. officium episcopatus suscepit. Sextum eum a B. Germano Autissiodori episcopum nominat Hericus idem epistola ad Carolum calvum imperatorem, in qua refert Aunarii literas rogantis Stephanum Africanum presbyterum ut vitam ejusdem sancti metrice describeret & acta S. Amatoris prosaice: at librarii proculdubio mendum est, nam ipse Hericus episcopos inter medios commemorat. Factus autem episcopus Aunacharius plurima in ecclesia Autissiodorensi constituit quæ ut præcipuo observarentur vigore, Guntranni regis auctoritate roboravit: in his ut monasteria, basilicæ & ecclesiæ paræciales certis diebus per mensem cum clero & populo rogationes facerent. 2.° Quibus horis vigiliæ diebus Dominicis ab archipresbyteris & abbatibus propriis in locis fierent. 3.° A quibus vigiliæ in basilica S. Stephani cum abbatibus singulis hebdomadæ diebus celebrarentur. Ex quibus satis apparet tunc majoris ecclesiæ
573. clerum non admodum frequentem fuisse. Tribus
583. subscripsit conciliis Aunacharius Parisiensi IV
585. anno 573 & Matisconensibus duobus annis 583
589. & 585, & Augustodunensi an. 589, cujus cum

A episcopis scripsit ad Gundegisilum Burdegalensem epistolam quæ refertur a Gregorio Turonensi lib. IX, cap. 41. Synodum ipse habuit in urbe sua cum diœcesis abbatibus, presbyteris & diaconis in qua plurimi editi sunt canones in quibus multa sunt observatione digna. Duæ exstant Pelagii papæ ad Aunacharium epistolæ, qui ab ipso sanctuaria, id est brandea seu pannos ex tumulis apostolorum petierat pro novis ecclesiis quæ tum complures in his partibus construebantur. Petenti annuit pontifex: at queritur quod Aunarius Italiæ calamitatibus non compatiatur & quod Francorum reges ad opem ei ferendam

B non excitet. Superius diximus quid decessorum suorum Germani & Amatoris in gratiam egerit. Lupum nepotem suum cum Austreno germano ad infulas educando provexit. Sanctum Austregisilum futurum Bituricensem clericum fecit & subdiaconum ordinavit. Walaricum in monasterium suum admisit, quod in suburbio civitatis constructum de monasterio S. Germani interpretamur. Huic monasterio, ubi corpus suum sepulturæ mandari decreverat, & ecclesiæ suæ agros & villas donavit, plenusque dierum, sanctitate quoque & miraculorum gloria clarissimus decessit VII cal. Octobr. initi præsulatus 44,

C mense 1, diebus 23. Corpus ad S. Germanum funebri pompa tumulatum, inde capsa argentea inclusum, calvinistarum postea præda fuit. Projecta vero ossa a catholicis collecta cum aliis in cryptis ad meridionalem fenestram recondita fuere. Colitur VII cal. Octobr.

XIX. S. Desiderius.

Natione Aquitanus Desiderius filius Nectariæ quæ in monasterio S. Amantii Cadurcensis sepulta quiescit, nobilissimus juxta ac potentissimus vir, Brunechildem quippe reginam ejusque filios Burgundionum & Francorum reges propinquitate

D attinuisse dicitur, quorum munificentia ingentes habuit facultates & possessiones quas in ecclesias & monasteria liberali effudit manu. Testes sunt cathedralis S. Stephani ecclesia & basilica S. Germani quibus multa prædia largitus est. Testes basilicæ S. Amatoris, SS. Petri & Pauli monasterium a sancto Germano constructum, ubi quiescebat S. Marianus, basilica sancti Juliani, parthenon sancti Martini, basilicæ SS. Gervasii & Protasii, sanctæ Columbæ & S. Leonis juxta Senonas, sancti Ursini Bituricensis, sancti Amantii Cadurcensis, sancti Saturnini apud Tolosas & ecclesia cathedralis Cadurcorum. Denique sanctus epi-

E scopus adeo fundorum dives extitit, ut nulla vel Meduanæ Burgundiæ vel Aquitanicæ provinciæ principalis ecclesia inveniatur quam non rebus auxerit peropimis. Sedit annos 18 & dies 25, defunctusque VI cal. Nov. anni circiter 622, sepultus est juxta sanctum Aunacharium in basilica S. Germani, cui 100 solidos auri purissimi ad suam ipsius sepulturam exornandam legaverat. Ejus corpus aut saltem magna ejus pars monasterio Melerensi, qui prioratus est S. Germani præcise nunc monasterium appellatus, labente seculo 10, ab Heldrico abbate concessa est.

Nevelo

Digitized by Google

Nevelo Corbeiensis sequenti seculo monachus eum martyrologio suo adscripsit VI cal. Nov.

XX. S. PALLADIUS.

Ex abbate S. Germani factus episcopus Palladius totum se ecclesiasticis tradidit disciplinis.
625. Interfuit concilio Remensi 625 & Cliciacensi
633. an. 633. Subscripsit fragmento privilegii olim concessi monasterio S. Faronis ejusdem sancti rogatu, quod habes in appendice ad tom. IV Annal. Mabillonii p. 752. Monasterium sancti Juliani quod antea virorum erat extra urbis muros transtulit & usibus feminarum accommodavit
635. anno 635. Tres in eo basilicas construxit in hono-
Diplomat. lib. VI pag. 465. rem B. Mariæ, S. Andreæ & S. Juliani, statuitque ut in tribus basilicis singulis diebus singulæ missæ celebrarentur. Struxit & prope muros civitatis basilicam in honorem S. Eusebii Vercellensis, quam monachis attribuit. Ædificavit quoque basilicam sancti Germani apud Vercisum, constituitque ut quolibet anno calendis Oct. in festo ejusdem sancti 100 solidos ab episcopo acciperent canonici sancti
653. Stephani. Pervenit ad annum 653 quo subscripsit
Ibid. p. 467. diplomati Chlodovæi II pro monasterio S. Dionysii Paris. Transiit ad meliorem vitam IV id. April. Humatus in basilica S. Eusebii quam construxerat. Sedit annos non 26 sed forte 36 & menses 3. Basilicam sancti Stephani plurimis dotavit donariis. Post eum cessavit episcopatus dies 10; sepultus est autem in tumulo lapideo, unde anno 943 Guido episcopus ossa ejus extulit & theca argentea inclusa super majorem aram evexit. Palladii ad Desiderium Cadurcensem episcopum de bonis ecclesiæ Autissiodorensis in Cadurcensi agro positis epistolam edidit Canisius.

XXI. S. VIGILIUS.

Nobilis genere Vigilius sedit annos 25 menses quinque. Subscripsit privilegio quod S. Drausius
666. episcopus Suessionensis concessit anno 666 parthenoni B. Mariæ. Monasterium quoque Deiparæ virgini in suburbio Autissiodorensi construxit quod monachis tribuit, instituto ibidem xenodochio. Hujus fundationis instrumentum edidit Mabillonius t. I annal. in appendice p. 694. Hoc autem monasterium cum defecisset ad canonicos seculares tandem ad Premonstratenses transiit. Ibidem quiescit Vigilius qui in silva Cotia pagi Suessionici jussu Varatonis Majoris domus necatus fuisse dicitur 11 Martii. Post eum fuit civitas absque episcopo diebus 5. Ejus reliquias argentea theca direpta an. 1567 dissipaverunt Calvinistæ, quas a catholicis clam collectas in novam thecam recondidit Jacobus Amyotus an. 1589 VI id. Junii.

XXII. SCOPILIO.

Scopilio sedit annos 8. Vasa argentea ecclesiæ suæ tradidit. Mortuus anno circiter 694, jacet in ecclesia sancti Eusebii.

XXIII. S. TETRICUS.

Tetricus seu Treticus ex abbate sancti Germani ab omni populo in episcopum assumtus,
A cœpit mox verbo Dei prædicando insistere ecclesiamque sibi commissam erudire. Primo ordinationis suæ anno concilium habuit, in quo constituit quo ordine abbates & archipresbyteri ac ruralium ecclesiarum presbyteri divinum officium in majori S. Stephani basilica persolverent quibusve stipendiis; quod probat in ecclesia cathedrali tunc non fuisse sufficientem clericorum numerum ad rem sacram eo quo decebat cultu peragendam. Anno circiter 695 Tetricus sub- 695.
scripsit privilegio antea concesso ab Emmone Senonensi cœnobio S. Columbæ, cujus authenticum exemplar vidisse se testatur. Idem præstitit
B erga aliud privilegium concessum ab Aigrardo episcopo Carnotensi cuidam cœnobio supra Ligerim ædificato in honorem B. Mariæ anno circiter 696. Ecclesiæ suæ villam Maximiacum in pago Senonico concessit. Post annos 15 & menses 3 regiminis scamno sopore resolutus dum quiesceret, a Ragenfredro archidiacono suo gladio verberatus occubuit circa 709 XV cal. Aprilis sepultusque est in ecclesia S. Eusebii. Ejus reliquias theca argentea inclusas anno 941 super majus altare erexit Guido episcopus, quas anno 1567 dissiparunt Calvinistæ. Fuit autem civitas vidua episcopo annos 3.

C

XXIV. FLOCOALDUS.

Flocoaldus, Focoaldus, Sammarthanis Socoaldus post annos 5, menses 4 & dies 10 obiit XVIII cal. Aprilis, sepultus in ecclesia S. Eusebii. Fuit civitas sine episcopo dies 10.

XXV. SAVARICUS.

Genere nobilissimus Savaricus, a recto decessorum tramite cœpit paululum declinare & secularibus curis plusquam pontificem decet insistere, adeo ut pagos Aurelianensem, Nivernensem, Tornodorensem, Avalensem & Tricassinum
D militari manu invaderet suis subjungendos ditionibus. Contigit autem ut Francis inter se dissidentibus dum Lugdunum pergeret, quo illud sibi ferro subjugaret divino ictus fulmine cita morte interierit. Sedit annos 5, menses 4, Autissiodorumque reportatus in basilica sancti Germani sepultus est.

XXVI. HAINMARUS.

Vocatus episcopus Hainmarus tenuit principatum annos 15. Vir fuit strenuus, nobilis genere & amplissimorum latifundiorum dominus, cujus adeo potentia excrevit ut usque ad ducatum pene
E totius Burgundiæ perveniret ex gestis pontificum, quæ omnia in ecclesias & pauperum usus contulit. Nam basilicis sancti Stephani & sancti Germani illarumque xenotrophiis plura prædia villæ & agri ejus cesserunt, quibus clericis, monachis & egentibus abunde succurreretur. Bis in Aquitaniam suis sumtibus exercitum duxit, bis inde victor rediit. Prima vice secutus non Pipinum sed Carolum Martellum adversus Aimonem Cæsaraugustæ regem cum Eudone Aquitanorum duce ad Iberram commisso prælio dimicantem interveniens cum suis Hainmarus Sarracenorum ingentes

ANNI CHRISTI

copias profligavit. Altera comitatus eumdem Carolum Eudoni fœdifrago arma inferentem adeo feliciter adjuvit, ut fusis Aquitanis, fugato Eudone victoriam reportarit. Sed hujus præcipitis fugæ invidiam ab aulicis assentatoribus sustinuit Hainmarus; quorum œstro delatus ad Carolum, quasi ipsius consilio evasisset Aquitanus, in vincula conjicitur & ad Bastonniam Arduenni saltus villam carceri mancipatur. Sed ex hoc virtute & industria nepotis ereptus, dum se itineri committit, ab insequentibus facto agmine circumventus, ubi advertit nullum superesse effugium, sed præsens imminere exitium, sublatis in cœlum oculis & expansis crucis in modum brachiis Deum appellans lanceis confossus cum nepote interiit circa annum 736 in pago Tullensi in loco qui *Lusans* nominatur, ubi & humatus fuisse creditur. Ex scriptoribus actuum pontificum martyr habitus fuit, qui & scriptis jam ab octingentis amplius annis tradidere visam ad sancti Stephani altare crucem auream, in qua insculpta martyrii forma cernebatur. Tenuit per annos quindecim sedem adscito Theodranno, quem inaugurandum curavit, ne dum gravissimis rebus & bellis externis distrahitur, aliquod detrimentum diœcesis pateretur.

XXVII. Theodrannus.

Viventi Hainmaro volentique Theodrannus suffectus est, cujus consilio multa Hainmarus ecclesiis beneficia impertivit. Hæc de eo tabulæ. Decessit IV non. Dec. ad S. Eusebium tumulatus. Quoad tempus regiminis cum monumenta sileant, utriusque præsulis communia fuisse videntur tempora, nec Hainmaro diu Theodrannum superfuisse.

XXVIII. Quintilianus.

Quintilianum Puisayæ dynastam patrem habuit Quintilianus, qui monasterium Melerentense construxit dotavitque xenodochium pro Britonibus Romipetis. Ipse vero ex abbate sancti Germani a populo electus episcopus circiter 736. Attamen Mabillonius ex annis quibus sederunt ejus successores usque ad Maurinum probare tentavit Quintilianum jam obiisse anno circiter 727. Anni enim, inquit, horum episcoporum usque ad Maurinum simul conficiunt annos 26, quibus subductis è numero 768 quo sedere cœpit Maurinus, Quintilianum anno præterpropter ejus seculi 27 decessisse conficies. Sed fefellit virum doctum suus calculus. Nam si ex annis 768 annos tantum 26 detrahas, supererunt anni 742. Hoc itaque anno Incarnationis Domini mortuum esse Quintilianum verisimile est. Sepultus est juxta prædecessores suos in ecclesia S. Germani.

XXIX. Cilianus.

Ciliani, seu Gilliani aut Ceciliani, qui Quintilianum in historia episcoporum Autissiodorensium sequitur, nominis tanta videtur historico Autissiodorensi cum Quintiliani nomine vicinitas, ut unum eumdemque opinetur episcopum. Nec contemnendæ sunt quas affert rationes. Quare

A enim Quintiliani solius & annus mortis & anni regiminis omittuntur, quæ in aliis & in ipso Cilliano recensentur. Sedit enim hic annos 6, menses duos & defunctus pridie nonas Augustas, sepultus est ad S. Germanum quemadmodum Quintilianus, unde non absurde concludit ex Quintiliano contracto natum Cillianum. Attamen tam vicinorum seculi IX scriptorum aliorumque qui eos secuti sunt ab auctoritate vestigiisque discedere tutum non putamus.

XXX. Clemens.

Sedit Clemens annos 5, mensem 1 & dies 10.

B Cæcitate perculsus rejecta in Aidulfum episcopali sarcina in privatam domum secessit ad basilicam apostolorum Petri & Jacobi in castro nuncupatum. Obiit XIII cal. Aprilis & ad S. Amatoris ecclesiam funus obtinuit. Hunc perperam confuderunt nonnulli cum Clemente Scoto aut cum Claudio *Clemens* episcopo Taurinensi.

XXXI. S. Aidulfus.

Ex cantore S. Stephani pontifex creatus Aidulfus, sedit annos 15. Vir erga res sacras bene affectus, in juvandis pauperibus beneficus paterna bona quæ in agri Tornodorensis vico Montiniaci

C possidebat xenodochio S. Stephani attribuit. Non multo ante, ita enim exigit temporum ratio, tetra clades ecclesiam Autissiodorensem pene everterat. Carolus quippe Martellus, qui an. 741 obiit, amplissimum tunc temporis ecclesiæ patrimonium sex Bajoariis nobilibus distribuerat, quorum ope tot in bellis usus fuerat, pinguia quæque beneficia militibus, asceteria cum monachorum tum monialium quæ tunc in censu episcopali erant laïcis addixerat, centum duntaxat mansis episcopo derelictis quibus vitam dignitatemque tueretur. Quod ecclesiæ suæ inflictum vulnus tam vehementer Aidulfum perculit, ut resolutis nervis in para-

D lysim inciderit. Quare eadem qua Clemens domo reclusus stipe ecclesiastica victitavit ad mortem quæ ei accidit idibus Novembris; sepultus est ad S. Germanum prope decessores.

XXXII. S. Maurinus.

Superstitibus adhuc sed a valetudine munium publicorum impotentibus Clemente & Aidulfo inauguratus circa exordium regni Caroli Magni Maurinus qui & Marinus facunda urbanitate & sanctitatis titulis excelluit. Fertur enim nonnulla prophetico spiritu prædixisse, quorum fidem eventus comprobavit. Ingenio autem & prudentia

E singulari præditus substractas a Carolo Martello res ecclesiæ suæ a Carolo rege recuperavit. Inventum namque in turre Brunechildis aurum libratim distribuit, orariique quo utebatur nodis hinc inde constrictum & e collo suspensum sustinens Carolo Magno obtulit, id se præcogitasse asserens, ut singulos palatii principes singulis auri libris sibi conciliaret, sed mutata sententia ut ipse rex solus totum aurum occuparet rectius judicasse. Præsulis invento delectatus Carolus benigne petita concessit & ut decedentibus singulis qui res sacras detinebant paulatim cuncta reciperet præcepto

ANNI CHRISTI

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

regio sancivit: sicque annuente Deo res prospere cessit, ut fere intra biennium nullus pene eorum superfuerit qui prædia ecclesiastica tenebant. Ea tempestate abbatiæ SS. Gervasii & Protasii, necnon S. Martini & S. Eusebii ad opus S. Stephani cum maxima villarum parte rediere, S. Salvatoris cœnobium ab Ermenoldo primo comite Autissiodorensi exædificatum dedicavit Maurinus & auctum a se proventibus primariæ ædi a comite concessum addixit. Vestiarium aræ cultum opere phrygio gemmis & auro intextum & crucem auream suo nomine insignitam dono dedit eidem ecclesiæ, cui de propriis plura legavit. Obiit pius pastor 28 initi pontificatus anno, die VIII id. Augusti ad S. Gervasium quem de novo condiderat tumulatus.

XXXIII. S. Aaron.

Carolum Magnum Romam proficiscentem
800. anno 800 secutus Aaron, Marianum ab eo monasterium adhuc distractum impetravit. Sacram pyxidem auro argentoque affabre elaboratam aræ majori S. Stephani imposuit. Mortuus idibus Februarii post 13 annos sedis sepultus est in basilica S. Gervasii.

XXXIV. S. Angelelmus.

Patre Obtelmo, Theogarda matre nobilibus Boiis editus Angelelmus, ex presbytero basilicæ SS. Gervasii & Protasii abbas, ex abbate consensu cleri & populi Aaronis successor renunciatur ab (Jeremia seu potius Magno) archiepiscopo Senonensi qui præsens comitia in ecclesia S. Germani celebraverat jussu Caroli imperatoris. Clericos majoris ecclesiæ secundum instituta concilii Aquisgranensis in commune vivere coegit, peramplis rei causa assignatis stipendiis cum ex paternis tum ex episcopalibus bonis quæ & imperatoris Ludovici pii diplomate confirmanda curavit an. 822. Illud habes Ampliss. Marten. collect. tom. I, col. 68. Tantum dilexit decorem domus Dei ut nulla ei in tota diœcesi ecclesia indonata abierit cruce, calice aut aliqua supellectile argentea. Sed ad precipuas urbis basilicas exornandas maxime animum intendit. Præter aulæa, peristromata, varii coloris pallia, vasa aurea & argentea sacro conclavi reseranda quæ S. Stephano contulit, majus altare quatuor tabulis argenteis cinxit & tribus coronis decemque argenteis candelabris exornavit, turres cymbalis, aras pene singulas tabulis, calicibus & crucibus argenteis instruxit. Sacram Amatoris trabeam ferculo argenteo inclusit. Expertæ & ceteræ urbis ædes præsulis munificentiam, ut Mariana, Germaniana, Eusebiana & aliæ. Par in afflictos misericordia, quorum in miseriis tutissimum perfugium, pater pauperum, ac sui temporis præsulum liberalissimus audiebat. Decessit nonis Julii pontificatus 17 & in basilica S. Germani tumulatus est. Carmen ejus in laudem Paschasii Radberti Corbeiæ abbatis circumfertur.

XXXV. S. Heribaldus.

Prosapia clarus Heribaldus aut Heriboldus, Antelmo Bajoario fratre Angelelmi episcopi & Frotilda Vastinensi claris utrisque parentibus ortus germanos habuit Abbonem successorem & Lupum Ferrariensem, ut probabilius videtur. In palatio educatus varios honores gessit: Archicapellani enim dignitate decoratus est, si coætaneo episcoporum Autissiodorensium scriptori fides, cui tamen contradicit Hincmarus in opusculo ad proceres regni pro institutione Carolomanni regis archicapellanos sub Pippino, Carolo-Magno & Ludovico pio recensentis Fulradum presbyterum Ingelrannum & Hildeboldum episcopos, Hilduinum presbyterum & Drogonem episcopum, sed fortasse fuit abbas secularis S. Germani sub Ludovico pio, de quo tamen nihil legitur in historia episcoporum Autissiodorensium. Exin relicta aula & negotiis secularibus, quibus plus justo indulserat expeditus, totum se ad divinum cultum, res sacras & ecclesiastica munera transtulit. Accessit diuturna corporis infirmitas qua correptus resipuit, & ad obitum usque æquo patientique animo toleravit. Defuncto Angelelmo patruo, solenni cleri populique voto in basilica sancti Germani electus & ab Aldrico Senonensi præsule inunctus nonis Aprilis jubente Ludovico pio successit an. 829, eodemque concilio Parisiensi adfuit. Deusdedit abbati sancti Germani liberam eligendi abbatis facultatem fecit an. 830. Partitioni bonorum factæ ab Hilduino abbate sancti Dionysii subscripsit an. 832 mense Januario. Lotharium in patrem rebellantem secutus, Ludovici-Augusti inter alios exauctorationis auctor fuit an. 833 in conventu Compendiensi. Quapropter an. sequenti cum Lothario territo conventu fratrum suorum & aliorum imperatoris fidelium fugæ se commisit. Ecclesiæ suæ restitutus fuisse videtur an. 837, quo adstitit conventui apud Carisiacum a Ludovico-Augusto habito. Defuncto Ludovico pio tremebundus licet literas amore plenas ad Carolum regem misit, quibus Walafridus Strabo carmine respondit in persona Caroli. Hujus jussu Heribaldus secundo belli civilis anno qui respondet an. 841, corpus S. Germani è loco ubi primum humatum fuerat omnino integrum & incorruptum cum vestibus quibus olim a Placidia Augusta involutum fuerat, calendis Septembris extulit & decentiori loco reposuit. Conventui apud Germiniacum adstitit an. 843 & subscripsit privilegio monachis Corbionensibus concesso. Cum autem se ipse legationis functione absolvisset, Lupo Ferrariensi mandavit an. 844 ex præcepto Caroli regis, ut eamdem strenue ac celeriter exsequeretur. Plurium villarum, puta Gaiaci, Garsiliaci, Camplemesii atque Maximiaci ecclesiæ suæ restitutionem ex munificentia regis, cui carus fuit, est assecutus: Maximiacum vero duas in partes dividens ûnam ecclesiæ luminari, alteramque canonicorum stipendiis attribuit, regio præcepto id confirmante. Jussit insuper ut in regis memoriam ex eadem villa bis per annum canonicis duo convivia a præposito & archiclavo vicissim pararentur. Artium studiosissimus ad canonicos eosdem in sacris literis informandos curam omnem adhibuit, accersitis undequaque magistris, quorum usibus villam con-

829. 830. 832. 833. 837. 841. 843. 844.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

dedam, cellam sancti Remigii, vineasque quasdam
destinavit. Liberalitatem ejus non sensere modo
pauperes, verum & diversæ ecclesiæ, quas inter
cathedralis, cujus parietes & laquearia renovavit,
vitreis quoque ac picturis optimis exornavit, argenteasque coronas quatuor in ea suspendit. Quin
& altare S. Stephani tabulis argenteis mire cælatis
decoravit. Ad hæc addita est instructa auro argentoque capsa, in qua sancti præsulis Germani recondidit vestimenta. Duas item a cathedrali pendentes ecclesias, aliam B. Mariæ, alteram pene
dirutam S. Johannis instauravit, dedicavitque x
cal. Jan. repositis in ea sanctorum Alexandri &
Chrisanti corporibus, quæ ab urbe Roma detulerat, agello quodam quinque mansorum simul ex
agro Matriacensi ad luminare collato. Monachis
sancti Germani eam tribuit licentiam ut suum eligerent abbatem; imo & facultatem corpus sancti
Romani e suburbana ecclesia sancti Amatoris in
844. suum monasterium transferendi circa an. 844.
Horum basilicæ argenteam tabulam, necnon aliquot ossa corporis S. Cyri infantis Nivernensi
episcopo largitus est. In literis Lantramni Turonensis archiepiscopi cum aliis pluribus episcopis
Nomenoi Armoricæ ducis oppressionibus inter-
849. cessit anno 849. Ipsum synodo Muritiensi sub
Hist. Autiss. t. I, p. 180. litera initiali H subsignasse an. 850 contra Mabil-
850. lonium censet D. *Lebeuf.* Inter episcopos provinciæ Senonensis, qui ad Æneam recens Parisiensis
ecclesiæ præsulem electum scripsere, reperitur an.
853. 853. Præsens synodo Bonogilensi, privilegio
monasterii S. Carilefi adversus Cenomanensem
855. episcopum subscripsit anno 855 aut 856: illic
etiam tractatus de prædestinatione Flori Lugdunensis copiam fecit Hincmaro Remensi. Plures
ad Lupum scripsit epistolas, vicissimque Lupus
ad eum, uti patet ex diversis responsis. In uno
enim ad hæc tempora exarato Lupus plurimum
optare se ait *ut altissimum divinumque ejus ingenium
a communibus aversum studiis, ad indaganda humanæ
vel divinæ sapientiæ transferretur secreta.* Ille itaque de
variis dubiis capitula quædam, in Pittacio scripta,
ad Rabanum Moguntinum archipræsulem misit,
qui ad singula respondit prolixiori epistola. Inter
alia quærebat ab eo Heribaldus *utrum Eucharistia,
postquam consumitur, & in secessum emittitur more
aliorum ciborum, iterum redeat in naturam pristinam.*
Ex quibus nonnulli censuerunt Heribaldum stercoranistarum errori occasionem dedisse, stercoranistamque ipsum fuisse. Quam criminationem
diluit pater Cellotus in historia Gothescalci, *lib. 3.*
Lupus vero alteris literis hortatur Heribaldum ut
subsidia cuidam monasterio diœcesis Autissiodorensis subministret, eique commendat ex parte
reginæ Irmentrudis Abbonem, communem amborum fratrem, & forte in episcopatu successorem, qui destitutus honoribus, ipsius ope indigebat. Miras prætermitto laudes, quibus ab Herico
sancti Germani monacho, in collectione operum
Valerii Maximi extollitur. Gravis tandem ætate,
meritisque plenus vitam absolvit circa annum 857
857. die 25 Aprilis. Cujus corpus delatum in ecclesiam
S. Germani, Humatum est, uti ipse vivens petierat, in crypta sancti Stephani. Hincmarus in
posteriori opere contra Gothescalcum, quod anno
ejus seculi quinquagesimo nono compositum est,
Heriboldum *venerandæ memoriæ* appellat; & in
vetusto epitaphio vocatur vir *sanctæ recordationis.*
Etsi cultu publico non honoratur, verumtamen
in litaniis nomen ejus invocatur.

XXXVI. S. Abbo.

Ex monacho & abbate S. Germani Abbo,
vir strenuus, omnimoda eloquentia præditus,
atque tam in divinis, quam secularibus disciplinis
eruditus, Heribaldum fratrem excepit jussu Caroli
regis. Concilio apud Saponarias celebrato adstitit
anno 859, adjunctus quoque est eodem anno 859.
episcopis, quos synodus Metensis misit ad Ludovicum Germaniæ regem. Visitur & ejus subscriptio in actis concilii Tusciacensis post subscriptionem Christiani, quem forte vel senio vel
infirmitate gravatus, sibi successorem jam adlegerat; quod tamen asserere nolim. Verum utut
est, magna munificentiæ suæ specimina præbuit
ecclesiæ cathedrali: auream enim crucem gemmis
adornatam, pretiosaque ornamenta largitus est.
Cochleam a parte occidentali ecclesiæ a fundamentis inchoavit; altare etiam S. Stephani auro
gemmisque exornasset, ni morte fuisset præpeditus: sed ad id opus perficiendum testamento
pecuniæ summam reliquit. Duos tantum episcopatus annos cum mensibus decem ei tribuit
historia episcoporum Autissiodorensium apud
Labbeum, ubi mortuus dicitur III nonas Dec.
circa annum 860. 860.

Sepulturæ traditus est cum fratre ac decessore
suo Heribaldo, aliisque ejusdem sedis episcopis non
paucis in ecclesia sancti Germani. In diœcesi non
die festo colitur, ejus nomen tantummodo in
litaniis appellatur.

XXXVII. B. Christianus.

Arcamberto & Emelinde parentibus genitus
Christianus, natione Alamannus, a Christiano
S. Germani ejusdem urbis abbate, tametsi recentiores aliter senserint, longe diversus videtur.
Fuit autem, ut ait auctor ejus vitæ, *vir simplex &
tanquam naturali quadam animi vultusque hilaritate
perfusus, humilitate præcipuus, & familiæ ecclesiasticæ amator ardentissimus.* Is anno 860 concilio 860.
Tusciacensi adfuit, atque, ut supra diximus, vel
jam forte successor designatus, aut in episcopalibus
muniis coadjutor ordinatus, ante Abbonem subscripsit. Eodem anno mense Junio confectæ inter
reges Lotharium, Ludovicum & Carolum, eorumque nepotes in ecclesia S. Castoris Confluentini
compositioni interfuit. Anno autem 862 una 862.
cum Frotario Burdegalensi corpus S. Amatoris a
primo loco sepulturæ transtulit in cryptam ecclesiæ eidem sancto consecratæ, digitosque manus
dexteræ, quibus usus erat sanctus, ut tonsuram
clericalem B. Germano imponeret, monachis
sancti Germani solemnitati adstantibus indulsit;
quandam etiam bonorum commutationem in
concilio Pistensi cum eisdem monachis initam
autoritate fategit fulciri; adfuit quoque lato Verneriæ in gratiam cœnobii sancti Carilefi judicio.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Alteri Pistensi concilio assedit an. 864; eodemque prædium dictum *Perrigny* cessit pro alio vocato
864. *Petigny* cœnobio S. Germani, cujus ecclesiam recens exornatam & auctam, simulque oratorium S. Johannis-Baptistæ, cooperante Erkenrao episcopo Catalaunensi, consecravit 20 Maii anni
866. insequentis. Accessit & anno 866 ad Suessionense concilium, nec multo post literas Gilberti Carnotensis episcopi pro monasterio sancti Petri comprobavit. Tertiæ tandem synodo Pistensi fuit
869. præsens an. 869. Possessiones canonicis ademptas non curavit modo restitui, verum & ad eorum victum cultumque terram Albaris-villam de suo addidit, ea lege ut unoquoque anno memoria ejus recoleretur. Cœptam a decessore in occidentali parte ecclesiæ Cochleam perfecit. Ultimo die
873. functus x cal. Dec. circa annum 873 funeratus est juxta antecessores suos in ecclesia S. Germani.

XXXVIII. Wala.

Francus genere Wala, frater Ansegisi Senonensis archiepiscopi, parentes, ut ille, sortitus est Ardradum & Witelam. Carlomanni Bajoariæ regis in aula versabatur, ubi Autissiodorensis ecclesiæ provincia ei demandata est. Ad ineundam possessionem pluribus Bajoariæ nobilibus stipatus mox accessit, quos cum ecclesiæ exitiosos fore advertisset, honeste dimisit. De dignitatis suæ sanctitate plane convictus, quas huc usque impense coluerat humanas literas cœpit despicere, animumque ad sacras appellere. Viros doctrina præstantes amore prosecutus est, in primis Rainagolam & Alagum, qui cum Herico monacho sancti Germani gesta præsulum ejus urbis literis mandarunt. Insignes quoque pietate viros apprime dilexit. Fuit & ipse pietatis exemplar; nocturnis enim vigiliis nunquam defuit & si quemquam abesse animadverteret, arcessebat. Duobus semper incedebat comitatus canonicis, clericosque suos degere volebat sejunctos a laïcis, ne quid mali de clero dicendum superesset. Ecclesiæ suæ proprias res, donariaque argentea vel aurea, necnon & ornamenta pretiosissima tradidit. Libros magnis sumptibus comparavit, totiusque diœcesis pene omnes ecclesias impensis suis instau-

Perard. Collect. Chart. Burgund.

ravit. Occurrit in testamento Eccardi Æduorum comitis occasione libri S. Isidori, qui ei a comite
876. legatur. Pontigonensi adstitit concilio an. 876. Ticinensibus quoque comitiis interfuit mense Fe-
877. bruario 877. Eodem anno bis occurrit in capitularibus Caroli Calvi regis. Immatura morte correptus obiit vii idus Martii circa annum 879, & sepultus est, ex ejus vitæ auctore, in monasterio Saxiaci. Ansegisus Senonensis archiepiscopus pro anniversario Walæ fratris sui in die ejus obitus celebrando canonicis Autissiodorensibus largitus est duos mansos in Rivo, auxitque luminare altaris sancti Stephani, dato uno manso in Piscaliolo villa.

XXXIX. Wibaudus.

Nobilissimis parentibus Leutfrido atque Doda, in civitate Cameracensi satus Wibaudus, adhuc juvenis Johanni Scoto, per Gallias magistro quam famosissimo, traditus est erudiendus; sub quo divinis æque ac humanis disciplinis apprime fuit informatus. Regiam in aulam dein ingressus tam caute, tamque sapienter se gessit, ut ipsius imperatoris Ludovici Balbi jussu clerus populusque Autissiodorensis eum eligerint episcopum. Consecrationem vero ipsi impertitus est Ansegisus Senonensis archiepiscopus 5 Aprilis anno 879 in die palmarum. Is toto sui præsulatus 879.
tempore multis effulsit virtutibus, sed præsertim magna lenitate, liberalitateque in pauperes non exigua. Algorem nec æstum veritus est ut ecclesiæ suæ decorem adderet. Duplex sacellum ab occidentali parte cathedralis construxit; inferius in honore S. Crucis, superius vero in honore SS. Pauli apostoli, Amatoris, Germani, Martini & Benedicti dedicavit. Medietatem villæ Chicherei attribuit capitulo, idque regia auctoritate roborari fategit, cum ea clausula ut in diebus suæ ordinationis & obitus, itemque Serenissimi regis Ludovici, duæ canonicis epulæ pararentur. Canonicis quoque S. Eusebii, collaudante rege, tradidit octo mansos in villa Molendinis. Cathedrali ecclesiæ monasterium S. Juliani adnectere nihil non est molitus, sed cita morte præventus, regium præceptum assequi non potuit. Ubi finem suum sensit esse proximum, ingens timor de judicio Dei eum invasit. Reum se palam confitebatur, veniamque a cunctis, quos offendisse rebatur, exposcebat. Tandem in Deo confidens, cursum vitæ consummavit 12 Maii an. 887, posteaquam sedem occupaverat annis 7, mense 1, diebus 8. In ecclesia S. Clementis sepultus est, tametsi extra humari ipse petiisset.

XL. Herifridus.

In urbe Carnotensi ex Herifrido patre, matre vero Hisemberga, ambobus ex Armorica nobili sanguine editis, sanctitateque claris, genitus Herifridus, clericali tonsura in ecclesia beatæ Mariæ ejusdem civitatis a parentibus est consecratus. Cum ibidem liberalibus institutus fuisset studiis, ab ipsis parentibus, suadente Gauterio episcopo Aurelianensi, ad curiam Caroli Crassi, quæ tunc erat scientiæ & sapientiæ schola, mittitur. Innoxiam ibi vitam agebat, ad sacrasque literas totus incumbebat, cum clerus atque populus Autissiodorensis quosdam e suis mortem Wibaudi episcopi nuntiatum imperatori direxerunt. Quod ubi rescivit Carolus, Herifridum, plaudente procerum turma, renunciavit episcopum an. 887 mense Maio, 887.
illumque Senonas, collato pastorali baculo, direxit ordinandum ad Gauterium archipræsulem, qui & ipsi consecrationem in monasterio de Nigella reposita Trecensis diœcesis indulsit 29 Augusti festo Decollationis S. Johannis-Baptistæ. Possessionem vero, eodem archiepiscopo comitante, accepit 8 Sept. Mox ut ad eam sedem est elatus, curas omnes suas vertit ad muneris sibi commissi functiones rite obeundas. Dum autem in laudando hoc opere sese exerceret, tota pene civitas, simulque cathedralis ecclesia, quæ tribus tunc constabat ecclesiis, necnon & ædes episcopales flammis deleta fuere. Is tam flebili casu quasi oppressus, animum tamen non contraxit; imo potius extemplo damnum

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

resarciendi cepit consilium: & quidem ecclesiam A cathedralem in pristinum splendorem restituit: verum ipse parvo tugurio contentus domum episcopalem ædificandi successoribus suis curam reliquit. Magdunensi concilio ad Ligerim in ecclesia sancti
891. Lifardi adstitit an. 891. Uti plurimas jam tradiderat possessiones in memoriam ordinationis, adventusque sui, sic & alias ad instituendum anniversarium addidit, præsertim vero medietatem
Hist. Autiss. tom. II. prob. p. 6. Malliaci; cujus prædii firmam possessionem a Carolo simplice adeptus est an. 902. Ecclesiæ
902. quoque S. Eusebii donum est largitus, quod ab episcopis comprovincialibus curavit auctorari. Jampridem Rithueum Trecensem episcopum invisere B & cum eo colloqui quam plurimum exoptabat: Villarem itaque ad Icaunam adiit, Rithueus quoque ad ipsum locum accessit; atque ibi ambo episcopi mutuis sese consoventes amplexibus, longum de religione sermonem habuere. Verumtamen diuturno, gravissimoque articulorum morbo conflictatus venerandus hic præsul, ferventissimis Deo precibus effusis, inter lacrymas cleri ac populi, cilicio indutus, stratusque in cinere, uti ipse jusserat, expiravit 23 Octobris an. 909, postquam sedisset annos 22, mensem 1, dies 16. Sepulturam habuit in cathedrali ecclesia ante altare B. Mariæ. In vetusto necrologio vocatur *pater piissimus*. In nonnullis C etiam episcoporum indicibus sanctus habetur, verum ecclesia Autissiodorensis nullum unquam ei detulit cultum.

XLI. Gerannus.

Patre Otardo & Uvia matre Suessione genitus Gerannus, a puero sub oculis Rodohini Suessionensis episcopi disciplinis est institutus, atque inter cœteras ingenii dotes musices artem apprime calluit. Is grandior factus non minus puris moribus quam pietate ac in egenos benignitate refulgens, præpositus & archidiaconus ecclesiæ Suessionensis creatur. Eo duplici munere dignissime functus D est, usque dum Ragenardus Vergiacensis Autissiodori vicecomes, submotis ambientibus, eum capitulo Autissiodorensi eligendum proposuit. Canonici tam studio in Gerannum, quam metu displicendi vicecomiti, illum cooptarunt episco-
909. pum 21 Decembris an. 909. Ipse vero consecratus est 14 Januarii anni insequentis, ac paulo post in urbem advectus, dehinc ad cathedralem piorum virorum humeris delatus, in pontificali sede resedit. Sub id tempus Normanni per totam regionem grassabantur. Quorum impetum ut cohiberet, copias mox coegit; datoque certamine, eos profligavit, atque duos eorum duces, triaque E vexilla cepit. Cum Richardo Burgundiæ duce & Roberto duce Franciæ alteri prælio adversus eosdem
911. edito prope Carnutum adstitit anno 911. Alios item adversarios habuit sustinendos. Erant ii præcipui Manasses & Ragenardus Vergiacenses fratres, qui quod Autissiodorensis sacerdotii largitione Gerannum devinxissent, villas prædiaque plura ecclesiæ occuparunt. Non dissimulavit injuriam præsul, monuit raptores ut ab illicitis desisterent, minas intentavit; sed cum hæc obstinatis detentoribus frustra fieri videret Suessiones petiit, illatam suæ ecclesiæ vim apud Carolum regem deprecaturus, ubi dum ea de causa agit, in morbum gravem incidit, quo sacramentis omnibus expiatus, pie ut vixerat devixit V cal. Aug. 914, 914.
sedis annis 4, mensibus 6, diebus 11, juxta Rodoinum avunculum ab Abbone Suessionensi episcopo, adjuvantibus duobus aliis præsulibus, honorifico funere tumulatus. Plura canonicis S. Stephani contulit prædia, villas & proventus ut quotannis ordinationis ejus dies celebris haberetur.

XLII. S. Betto.

Senonicæ urbis indigena Betto, patrem habuit Albericum Burgundum & matrem Angelam Francam, Evrardi archiepiscopi consanguineus. Ex monacho S. Columbæ factus abbas S. Heraclii Senon. dein præpositus S. Columbæ, hoc munere cum diu & strenue functus esset a clero & populo acclamatus Autissiodorensis episcopus assentiri renuit, imparem se huic dignitati pronuncians, quamque nonnisi Richardi ducis Burgundiæ & abbatis S. Columbæ precibus & auctoritate adactus acceptavit, ordinatus IV idus Mart. 915. 915.
Ea in dignitate sanctimoniæ candore, prudentia, gravitate, frugalitate simul & liberalitate excelluit. Moris huic erat refectionis tempore lectionem sacram adhibere, ac mensæ suæ fercula duodecim egenis coram se positis aliisque extraneis partiri, nihilque indecorum aut scurrilitati proximum coram eo proferre licebat. Gaiacum & Jussiacum a Ragenardo vicecomite occupata numerato pretio redemta ecclesiæ restituit. Justa funebria sibi quotannis persolvenda assignatis S. Stephani collegio proventibus instituit. Necdum pontificias ædes quæ ab incendio inter rudera jacebant perfecerat, cum lateris dolore correptus inter psallentium choros in catholicæ fidei confessione obdormivit in Domino VI cal. Martii anno 918, sedis suæ 3, quatuordecim demtis 918.
diebus, & in cryptis S. Germani sepultus est. In necrologio Autissiodorensi ad predictam diem laudatur *D. Betto episcopus qui fratribus, id est canonicis Vendosam ecclesiam & Rontomacum villam & in Corboiaco mansum unum ad exhibendam refectionem & commune obsequium dedisse perhibetur.* Corpus ejus anno 1636 detectum est simili ac S. Abbonis corpus obvolutum cuculla & cilicio aspero subtus indutum cum hac inscriptione: *Hic requiescit sanctæ recordationis episcopus Betho,* qui nullo tamen publico cultu honoratur.

XLIII. Gualdricus.

Gualdricus seu Waldricus Gualdrico & Hemmena Autissiodorensis pagi indigenis prosapia inclytis parentibus natus, infans militaturus Deo ad S. Germanum offertur. Illic ita literis & morum honestate crevit ut abbas creatus, votis omnium cum Richardi principis assensu defuncto Bettoni successerit. Inauguratus IV cal. April. an. 918 se totum suaque omnia utilitatibus ecclesiæ impendit. Inchoatas a prædecessore episcopales ædes perfecit. Verziaci castrum, ecclesias Verziacensem & Saxiacensem funditus exstructas varia

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

supellectile sacra exornavit. Cathedrali ecclesiæ coronam argenteam, duas manus aureas sanctorum Stephani & Germani reliquiis insertas, duas necnon aureas cruces, vexillum auro fusili distinctum varia insuper attribuit. Pari munificentia in Germanianum monasterium coronam & tabulam ex argento intulit. Instaurandis SS. Gervasii & Eusebii basilicis maximam vim pecuniæ effudit. Romam profectus, reliquias S. Laurentii martyris ac S. Eugeniæ a Johanne X papa impetravit, quas in cathedrali S. Stephani
923. ecclesia 18 Maii 923 repositas, partim in ea, partim in basilica S. Germani deposuit, quasdam etiam Varziaci in basilica S. Dei genitricis quæ frequenti fidelium concursu illic honorabatur. In cœnobio Saxiacensi aulam seu ecclesiam S. Baudelii a Normannis combustam & postea lapsam restituit ac muneribus exornavit, atque ejus loci monachis penuria laborantibus congrua subsidia contulit. Instituit ut omnes suis episcopatus diœcesani sacerdotes cum suis parochianis per dies festivos Pentecostes ad principem sancti Stephani ecclesiam solenni ritu procederent, lustratisque in gyro cunctis abbatiis, verbi divini pabulo ab archidiacono refecti & episcopali benedictione muniti, ad propria reverterentur. Denique quotidie post missas multis collectis pauperibus cum psalmorum modulatione panem & vinum ipse distribuebat hancque annonam in Quadragesima augebat, vestes cum lautiori convivio in cœna Domini exhibere solitus. Decessit XI cal. Maii sedis suæ 15 & diebus 24,
933. Christi 933, ad sanctum Germanum coram altari sancti Johannis B. in ipso ecclesiæ adytu inhumatus.

XLIV. Guido. I.

In pago Senonico parentibus Bosone & Abigail natus est Guido. A puero in ecclesia S. Stephani educatus moderatore Herifrido literis pietati conjunctis in clericalem gradum allectus, postea archidiaconi dignitatem obtinuit. In aulam Rodulfi regis & Emmæ adscitus, reginæ beneficio cleri civiumque suffragiis a rege decedente Gualdrico pontificatum est adeptus, quem totis 29 annis strenue prudenter & magnifice gessit. Senonis inauguratus XIII cal. Junii 933, sequenti Ascensionis festo a monasterio S. Germani ad majorem ecclesiam deportatus est. Nullis sumtibus pepercit quo eccesiam S. Stephani majori ex parte reficeret & pretiosa ex auro & argento supellectile locupletaret. Crevennum & decimas bene multas canonicis per regale præceptum addixit. SS. Palladii & Tetrici præsulum ossa eruta super majorem sancti Eusebii aram collocavit III cal.
945. Aug. 945. Responsoria & antiphonas in laudem S. Juliani composuit. SS. Amatoris, Juliani & Mariani sacerdotia longo jam tempore distracta dominio episcopali asseruit. Annualia Feralia Rodulfo regi, Emmæ reginæ uxori sibique peragenda assignatis stipendiis edixit. Thedelgrinum Nivernensem episcopum capite & parte brachii S. Cyrici donavit. Hugonem Veromanduensem literis instruxit & diaconum ordinavit. Induciarum

ANNI CHRISTI

inter Ludovicum Transmarinum & Hugonem magnum cum Ansegiso Trecensi episcopo conciliator exstitit anno 949. Recensetur inter 949. Burgundiæ episcopos qui quoddam commonitorium scripserunt ad Manassem Arelatensem archiepiscopum ejusque provinciæ episcopos an. circiter 955. Memoratur in chartulario sancti Symphoriani Augustodunensis an. 957. Qua- 957. driennio post decessit VIII id. Januarii 961 ad 961. primariam ædem sepultus.

XLV. Richardus.

Autissiodori Johanne & Maria progenitoribus editus Richardus a puero S. Germani monachus scholarum magister apud Epternacum fuerat, cum rogatu cleri & populi Autissiodorensem episcopatum suscepit ordinatus XVIII cal. Maii 961. Sedit annos novem, mensem unum & dies duos mortuus XVII cal. Junii 970 ex Tritemio 970. in chronico Hirsaugiensi, qui eum nimiæ simplicitatis & minoris industriæ circa res seculares fuisse ait, quod consonat his quæ de eo in actis episcoporum Autissiodorensium leguntur. Sepultus est in ecclesia S. Germani, ubi monasticen professus fuerat, fuitque civitas absque episcopo menses 7 & dies 24.

XLVI. Heribertus I.

Hugonis Magni ex Raingarda pellice spurius filius Heribertus Richardo successit ordinatus 8 Januarii 971, sed vitæ licentia tantæ dignitati 971. inferior, venationi & seculi oblectamentis indulgens non ut episcopus sed ut princeps agebat, ita ut Odo Carnutum & Herbertus Trecarum comites in ejus beneficiis essent. Quod vitæ genus ut liberius continuaret, duo castella primum ad Ferreoli villam, alterum Tuciaci ædificanda curavit, dictitans ea in præsidium provinciæ futura : sed frustra, capta enim post mortem a latronibus, prædonum receptacula diu fuere, qui inde incursiones in finitimos agentes, variis cladibus diœcesim totam, ipsis etiam episcopis & clericis infesti & rebelles, afflixere. Attamen quamvis plus æquo secularibus pompis intentus foret Heribertus & optimos ecclesiæ proventus suos in usus tantum insumeret, hancque nullo operæ prætio, uti decessores fecerant, adjuvaret, jura ejus, libertates & privilegia integra, necnon monachorum conservavit ; & delectatus etiam si monachi & clerici exacte mores ad suas leges & instituta effingere studerent, Heldricum a S. Maiolo monachis S. Germani abbatem impositum amicitia & benificiis coluit, eique undecim ecclesias largitus est. Ejus tempore, si non ab eo, Sewinus archiepiscopus in ecclesia Autissiodorensi ordinatus est mense Januario 977. Ab 977. eodem evocatus cum Milone Trecensi & Rocleno Nivernensi episcopis metropolitanam S. Stephani Senonensis basilicam dedicavit III non. Oct. 982 aut 983. Subscripsit chartæ Rocleni 983. ejusdem nonnulla suis donantis canonicis mense Aprili primo anno regnante Ludovico, Christi 986. Conciliis Aurelianensi & S. Basoli in 986. causa exauctorati Arnulfi Remensis archiepiscopi

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

interfuit anno 991 XV cal. Julii. Demum exactis
991. in pontificali sede 25 annis, mensibus 7 & diebus
16, obiit in Tuciaco castro X cal. Sept. an. 996,
996. ægre ferentibus piis omnibus, quod tam propinquus urbi dum ægrotare cœpit, ad suam sedem non se deferri curasset. Sepultus est in ecclesia S. Mariæ infra muros, fuitque civitas sine episcopo mensibus 7 & diebus 15.

XLVII. Joannes I.

Autissiodori patre Ansaldo, matre Raingarda mediocribus quidem parentibus editus Johannes fortunæ ludum propria virtute superavit. Liberalibus enim studiis a tenero formatus famosissimum illum Gerbertum postea summum pontificem adolescens audivit, eoque docente ita profecit ut & ipse puerorum didascalus pædagogusque clarus evaserit, demumque ipsius ecclesiæ archidiaconus erat, cum defuncto Heriberto nonnulli clerici fastus potius parentelæ & pecuniæ ostentatione quam amore justitiæ dignitatem ambierunt. Unus ex illis Guido nomine ab Henrico duce commendatus, regi Roberto probatus fuit, jam que metropolitanus accesserat designatum inauguraturus. Verum tam canonici quam cæteri e plebe ægre ferentes solitam a clericis non precessisse electionem querelas ad archiepiscopum detulerunt, qui ne pastoris loco ovibus lupum præficeret ad propria rediit. Missi statim ad regem qui tam cleri quam populi querelas & utriusque in Johannis gratiam vota referrent. Annuente æquissimo principe, revocatoque archiepiscopo sacratus Johannes
997. 8 mensis Aprilis 997, in sede pontificia gaudentibus universis constitutus est. Factus antistes quo dignitate sublimior, eo humilior apparuit, verbo, exemplo, victu, vestitu, consuetudine tantam modestiam præ se tulit, ut nisi sacra infulatus faceret, an esset ipse pontifex vix dignosci potuisset. Psalmodiæ non tam frequens quam assiduus, orationi & contemplationi tam impense deditus erat, ut noctes integras ante altare S. Stephani huic sacro muneri frequenter impenderet. Sapientum secundum carnem quorumdam civium perstrinxit oculos præsulis tanta demissio, deridere humilitatem, modestiam criminari, genus & ignobilitatem objicere, sed petulantes ad probra conviciatorum linguas gravi vindicta coercuit Deus, afflictis solo cum sua progenie qui statu seculari tumidi suo pastori illudebant. Canonicis S. Stephani in communem alimoniam quinque concessit altaria cum suis proventibus, Pulverenum scilicet, Partiacum, Gargiacum, Monasteriolum & Campaniacum, ne propter inopiam indigentiæ non valeret clerus ecclesiæ officia Deo digna persolvere. Sancto etiam Germano ecclesias quas Heribertus aliique in diœcesi contulerant sua auctoritate roboravit, vineasque ac librorum vim maximam tradidit. Post annum unum, menses 11 totidemque dies regiminis gravi infirmitate pressus mense Januario, cum ei Christus dominus S. Germano aliisque apparuisset sanctis stipatus, decessit 12 cal. Febr. ad S. Germanum sepultus extra ecclesiam, ut ipse rogaverat, quem amplificata basilica coram altari sancti Petri honestiori

A tumulo postea concluserunt monachi. Fuit civitas absque episcopo anno uno, mense uno & diebus 16.

XLVIII. Hugo I.

De Chalon.

Lamberto Cabilonensium comite & Adelaide quæ denuo nupsit Gauzfredo comiti Cabilonensi, qui suburbanum S. Marcelli cœnobium Cluniaco contulit, parentibus masculus unicus natus est Hugo. Pene puer sacris initiatus, in Æduensi ecclesia canonicus & abbas Colticensis meruit, quibus & comitis etiam titulis insignitus reperitur in diplomate quo Walterus Augustodunensis
B episcopus Heldrico abbati Flaviniacensi 19 parochias attribuit an. 992. Post patris obitum dum ad Robertum Regem contenderet, Autissiodoro iter agens, S. Stephani basilicam ingreditur hora prima, adeoque dulcedine cantus afficitur, ut in hac aliquando episcopum agere optaverit. Nec eum fefellit eventus; defuncto enim Johanne, Henrici ducis favore, necnon & assensu Roberti regis electus de more est Hugo & in ecclesia S.
Germani consecratus die 5 Martii 999, thronum 999.
pontificium conscendit, quem totis 40 annis occupavit. Dedit eadem die canonicis sancti Stephani altare Billiacensis ecclesiæ. Eodem anno
C ratus monasterium Paredum quod Lambertus parens construxerat omnino per se stare non posse, consultu Roberti regis & Henrici ducis illud Cluniaco subjecit mense Maio pro animabus Lamberti, Adelaidis, Roberti regis & Henrici. Triennio post defuncto Burgundionum duce Henrico sine liberis, perturbatæ tota Burgundia res fuere per proceres, qui dispositis per urbes præsidiis, conscripto milite Roberti regis imperium detrectabant. Solus in obsequio perstitit Hugo; quare a Landerico comite sede & urbe Autissiodoro pulsus, Robertum adiit, quem consilio, ope & armis in expugnandis urbibus & redigenda
D pacandaque provincia egregie totis 12 annis adjuvit. Quod ut consequeretur & graves ei assumendi fuere labores & ingentes sumtus exhauriendi: nam eam ob rem varios conventus cogendos persecit, apud Viridunum in comitatu Cabilonensi, Airiacum villam sancti Germani, in quo exoratus ut corpus S. Germani adduceretur, « absit, inquit, ut ossa incomparabilis viri pro re quacumque aliquando commoveantur ». Concilia quoque celebrari fecit in pagis Divionensi, Belnensi atque Lugdunensi. Subscripsit ut loci provisor seu advocatus diplomati Roberti
pro monasterio S. Benigni VIII calend. Febr. 1015.
E anno 1015. Adstitit anno 1019 dedicationi 1019.
basilicæ Trenorchiensis IV cal. Sept. & dedit ecclesiam *Isleis*. Cluniaco contulit anno eodem pro anima patris & matris mediam partem curtis Givriaci in comitatu Divionensi & confirmavit alteram quam jam contulerat soror sua Maheldis cum conjuge Gaufredo & filiis. Aliquot post annis ob bella dignitatis suæ vel auctoritatis regiæ tuendæ causa a se suscepta reum se & cura pastorali indignum incusans, Romam petiit & a Johanne XIX papa absolutionem rescripto ponti-
ficio retulit. Anno 1023 civitas Autissiodorensis 1023.
flammis

ANNI CHRISTI

Digitized by Google

ANNI CHRISTI flammis acerrimis cum ecclesiis ac monasteriis A usque ad capellam S. Albani cremata est, ex
1025. chronico. Anno 1025 Hugo synodo Ansanæ adstitit. Subscripsit chartæ Helmoini Æduensis episcopi cœnobiolum Colchas Flaviniaco committentis anno 30 Roberti regis. Donationes monasterio S. Hippolyti factas confirmavit anno
1030. 1030. Electionem Odonis abbatis S. Germani
1032. ratam habuit an. 1032. Eodem anno subscripsit chartæ Enzelini Paris. episcopi pro canonicis S. Nazarii. Insequenti habitum Autissiodori conci-
1035. lium de pace. Anno 1035 media pars urbis igne cremata est. Eodem Hugo ordinationis suæ anno 37 Jerosolymorum loca sacra invisit. Inde reversus pacatis tota Burgundia motibus totum se ad B pontificium munus transtulit, in primis cathedralem S. Stephani ædem incendio deformatam novo firmiorique opere instauravit, pretiosissimis ornamentis, varia supellectile argentea, æreis tympanis & proventibus auxit. In refecta sanctæ Eugeniæ Virziaci ecclesia 12 canonicos instituit & stipendiis instruxit. Alteram S. Laurentio in castro episcopali Conadæ dedicatam canonicis attribuit. Monasteriis quoque per Burgundiam dispersis beneficus, Benignianis poculum aureum quinque pondo librarum tribuit. Subscripsit an.
1037. 1037 chartæ Rainardi comitis Divionensis Flaviniaco locum salinis apud sequanos donantis. Monasterium Melerense juris S. Germani de novo instauratum dedicavit, eoque reliquias S. Desiderii decessoris in capsa argentea centum pondo a se instructa repositas transtulit. Ipsi monasterio S. Germani cœnobium Sessiense restituendum apud Robertum regem effecit. Odiloni Cluniacensi abbati contulit ecclesiam S. Cyrici super Gron-
1038. nam an. 1038. Demum cernens appropinquare finem suum, contulit se ad monasterium sancti Germani, ubi sumto habitu monastico, quarto post die decessit pridie nonas Nov. an. 1038
1039. ex chronico melius 1039 apud Labbeum, in eodem loco sepultus. Sedit enim in episcopatu annos 40, menses 8 & dies 4. Synchroni omnes auctores qui de rebus Gallicis perscripserunt, Hugonem plurimum commendant, Glaber virum nominatissimum, Robertus Sammarianus genere & vita egregium, Hugo Vizeliacensis virum magnæ opinionis, necrologium Autissiodorensis ecclesiæ decus pontificum appellant.

XLIX. Heribertus II.

Autissiodori natus Heribertus, patre Gualterio, matre Hemma, ex canonico Carnotensi ab Hugone decessore successor electus, ab Henrico rege in Burgundiam veniente episcopatum accepit, inaugurationis suæ die ad matrem ecclesiam nobi-
1048. lium humeris deportatus. Anno 1048 synodo Senonensi interfuit, in qua cum aliis suffraganeis fundationem S. Aigulfi Pruvinensis confirmavit. Biennio post elevationi corporis B. Gerardi Tullensis episcopi ab ipso Leone IX factæ interfuit
1050. 21 Octobr. 1050. Subscripsit mense Septemb.
1052. 1052 diplomati Henrici regis Casam Dei in abbatiam erigentis. Eodem anno variis injuriis lacessitus a Roberto Burgundiæ duce, episcopatu quem per tres annos gesserat abdicato, apud monasterium S. Salvatoris prope Brajum oppidum supra sequanam fluvium in pago Senonico situm modo Bonævalli addictum monachus effectus, pluribus annis regulariter vixit, devixitque XVII. cal. Febr. & sepultus est in eodem cœnobio.

L. Goffridus.

DeChamp. Aleman.

Heriberto vitam monasticam secuto subrogatus est tota collaudante ecclesia ab Henrico rege Goffridus, quem in palatio liberaliter educatum a sacris habuerat. Is in castello, cui campus Alemannus nomen est editus fuit patre Hugone Nivernensi vicecomite, matre consulari femina Ermengarde. In ecclesia Nivernensi abbas erat & decanus, cum Autissiodorensis episcopus inauguratus cal. Dec. 1052, V cal. Januarii ipso SS. Innocentium festo in sacrum solium inductus est. Utilem illum ac prope necessarium præsulem Autissiodorensis ecclesia experta est: multis enim debilitata cladibus per superiorum temporum injuriam, omnibus denudata ferme ornamentis, in Goffrido summum præsidium, decora ac tuta omnia invenit. Varii generis pretiique vestes sacras, trabeas casulas, peristromata, aurea argenteaque vasa in sacrarium intulit, picturis, imaginibus C specularibus vitreis decoravit, hujusque tecta ultimis vitæ annis incendio deformata de novo instauravit. Annuente capitulo quatuor præbendas totidem inculpatæ vitæ viris attribuit, quorum primus pro sodalium defunctorum requie sacrum dietim faceret, alter qui fabrilia auri opera, tertius qui picturam, quartus qui vitriariam ad decus ecclesiæ exerceret. Opima prædia ad S. Priscum & amœnam Acolacum villam canonicorum sodalitio contulit. Conadæ castelli jura, S. Perigrini sacellum, Deiparæ virginis extra muros & S. Amatoris monasteria jam diu distracta vindicavit. Desertam jacentemque S. D Eusebii basilicam canonicis regularibus imposito abbate restituit. Goffrido sedente dedicata est ecclesia S. Stephani an. 1057. Ipse vero Caritatis 1057.
monasterium ad ligerim recens instauratum rebus Chart. IV, col. 102.
consilioque juvit, ac reliquiis, brachio videlicet S. Juviniani ditatum Cluniacensibus addixit 1059, quo eodem anno Philippi regis sacro 1059.
adstitit. Approbavit anno 1063 chartam Hu- 1063.
gonis Nivernensis episcopi pro restauratione S. Stephani, cui subscripsit anno 1064 in consilio 1064.
Cabilonensi. Cum aliis episcopis consensit privilegio quod Alexander II concessit Rainerio abbati S. Dionysii pridie nonas Maii Pontificatus 4. E Galterium S. Germani abbatem benedixit anno 1065. Concilio Paris. adfuit an. 1071. Eodem 1065.
subscripsit chartæ Hugonis episcopi Trecensis 1071.
ecclesiam S. Andreæ monachis Cellensibus donantis & diplomatibus Philippi regis ecclesiam S. Savinæ Trecensis monachis Pruvinensibus attribuentis & pro monachis S. Maglorii anno 1072.
1072. Hoc ultimo anno vel 1075 tota urbs igne 1075.
succensa est præter turrim & capellam S. Albani. Anno 1075 nempe VIII id. Aprilis in crastino Paschæ dimisit abbatiam SS. Vincentii & Agricolæ, quam a nepote suo Hugone Nivernensi tenebat,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ut eam Hugo canonicis suis largiretur pro anima A Hugonis vicecomitis patris Gaufridi, qui eam male tenuerat. Eodem anno concilio Senonensi adstitit & subscripsit chartæ Hugonis episcopi Trecensis, duo altaria Floriacensibus monachis donantis. Insequenti anno crescente ciborum fastidio sensim deficere se advertens ad Varziacum castrum quod restauraverat, deportandum se curavit, illoque evocatis Hugone Nivernensi episcopo nepote suo, quem ecclesiæ Autissiodorensis præpositum ad sacerdotium promoverat necnon Girardo Caritatis primo priore viris pietate eximiis, inter illorum manus facta delictorum confessione pla-
1076. cide conquievit XVI. cal. Octobr. 1076, initi B episcopatus an. 24. Corpus ad Caritatem delatum in ecclesia S. Laurentii solemni pompa humatur, hac inducta tumulo epigraphe: *Hic jacet Gaufridus episcopus Autissiodorensis: præbuit hic sacra pignora Juviniani.* In necrologio legitur ad XVI cal. Octobris: Obiit Gaufridus clarus consilio, amicus pacis & pietatis episcopus, ecclesiæ quidem suæ dignus memoria & benedictionibus.

DE NEVERS.

LI. ROBERTUS I.

Guillelmum comitem Nivernensem filium Reginaldi I & Adelaidis filiæ Roberti & Germanæ Henrici I regum Franciæ, & Ermengardim C comitissam Tornodorensem parentes habuit Robertus. Post obitum Goffridi statim electus mense Septembri, infra annos ordinatus est mense sequenti 1076 in basilica ipsaque inventioni S. Stephani dicata die, investituram tamen de manu regis non accepit. Circa id tempus subscripsit dotationi ecclesiæ collegiatæ de Clameciaco tem- *Hist. Aut. tom. II, prob. p. 7.*
1077. pore Gaufridi decessoris fundatæ. Anno 1077 aut sequenti, in obsidione castelli Puteoli cum patre captus, non modica pecunia redimere se coactus est, fassusque hanc cladem sibi divinitus immissam, quod ejus milites immunitatem ecclesiæ Everensis juris S. Benedicti violaverant, D Floriacum accessit & veniam petiit. Apogniacum quam cito factus episcopus adversus dolos Senonensium ecclesiæ & urbis Autissiodorensis hostium in urbem erexit & firmiter munivit. Pulverenum meliorem ecclesiæ terram a violentia quorumdam tyrannorum simulati metu belli exemit. At cum ad Tociacenses rebelles reducendos patre suadente castrum Porliaci ædificasset, læsis inde canonicis satisfecit, pollicitus post obitum præpositi præfecturam, interimque abbatiam B. Mariæ duasque præbendas largitus. Edixit præterea ut cuivis canonico obeunti per annum integrum extraneus sacerdos justa persolveret cum E sacro missæ sacrificio, tum horarum recitatione, annuum canonici defuncti stipendium mercedis vice habiturus. Anniversarium & ipsi spopondit capitulum, cui dedit aliquot molendina pro quibus cum detentore litigabant. S. Laurentii ecclesiam duabus Conada leucis dissitam canonicis regularibus S. Augustini commisit, & abbatiali dignitate ornavit. Concilio Exoldunensi adfuit anno
1081. 1081. Molimensibus monachis insulam Crisenonensem ad ædificandam cellam cum adjacenti
1084. capella S. Nicolai tribuit anno 1094. Eodem, Philippi regis 34, Autissiodorensis præsulatus simul & comitatus honore sublimatus bona in utroque sita monachorum de Caritate confirmavit & auxit, optimo equo a priore Willelmo donatus; cæterum tantæ mansuetudinis erat Robertus, ut acceptas injurias nunquam vel levi motu reponeret. Castimonia quoque singulari enituit, quam ut intactam obtineret, omni custodia cor suum semper servavit & vino fere abstinuit tanto propositi vigore, ut nec amicis orantibus, nec medicis extrema denunciantibus, si abstemius persisteret, malens mori quam fœdari, unquam cesserit: quare juvenis adhuc cita Nivernis ægritudine captus, induta, ut ferunt, veste Benedictina, in confessione decessit catholica pridie idus Februarii anni nunc 1095, sepultusque est in 1095. ecclesia S. Stephani Nivernensis in sacello de Sepulcro. Hoc ei epitaphium condidit qui vitam ejus scripsit Frodo canonicus & postea decanus Autissiodorensis.

ANNI CHRISTI *Charta v, col. 103.* *Labb. Bibl. Nov. tom. I, p. 293.*

Consul & antistes geminato dignus honore,
Ut minimus quivis migras moriendo, Roberte.
Quamtalibet bona sint, morituris ut quid habenda!
Acciderint melius victuris quippe minora.
Sic utinam fieret pauca cum prosperitate,
Quatenus affluerent longæ dispendia vitæ
Cum modica vita potius quam gaudia multa.
Sed Deus hanc talem confert præposteritatem
Ut per transversum contingat opinio rerum,
Et cui spondetur mors, illi vita paretur,
Quique putat vita fore fretus, sit sibi contra.
Ecce videte modo quid sit de præsule nostro,
Nobilis & sapiens, juvenis, formosus, amandus
Præteriit, tanquam si nec genitus foret unquam.

LII. HUMBAUDUS.

De morte Roberti sollicitis canonicis, necnon de subrogando successore dissidentibus forte ad tres menses, non vero ad triennium dilata est electio. Electus est autem a clero & populo civitatis Humbaldus. Natus is Autissiodori Humbaldo & Adela nobili utroque parente, Heriberto decessori literarum studiis erudiendus ab infantia traditus fuerat, a quo clericus & canonicus factus, per omnia ordinum militans officia ad decani dignitatem pervenit, & decedenti Roberto suffectus a clericis Urbano II Mediolani quo ad concilium Claromontanum properans concesserat præsentatur, a quo pridie nonas Maii 1095 consecratus Autissiodorum reducitur, ubi ingenti totius urbis plausu juxta ecclesiæ morem excipitur. Anno sequenti 1096, Dominica scilicet 1096. pridie cal. Sept. Willelmus Nivernensis comes *Chart. VI, col. 103.* dimisit ecclesiæ & Humbaldo episcopo Autissiodorensi pravam antecessorum consuetudinem qui res episcopi mortui quasi proprias possidebant, vastabant & diripiebant. Eodem anno Humbaldus adstitit concilio Nemausensi, in quo Guibertum S. Germani abbatem variorum criminum insimulavit, cujus baculum pastoralem ei remisit Urbanus futuro abbati tradendum. Præsens fuit

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

consecrationi ecclesiæ S. Stephani Nivernensis A
ab Ivone Carnotensi anno 1097 idibus Dec.
1097. peractæ, & subscripsit donatæ Cluniaco eidem
ecclesiæ a Guillelmo comite. Concilio Romæ tertia
post Pascha hebdomada ab Urbano coacto adfuit
1099. anno 1099; eodemque Stampensi ac Senonensi,
1100. Ansano vero an. 1100, quo eodem anno instauravit
regularem disciplinam in abbatia S. Petri.
1101. Subscripsit an. 1101 donationi factæ a Roberto
Lingonensi monachis Molismensibus. Adstitit
1104. an. 1104 conciliis Trecensi & Parisiensi, eodemque
anno fundatum Fontis-humidi monasterium
beneficiis adjuvit suis. Ecclesiæ suæ bona
& privilegia integra ut servaret ea pontificia B
Paschalis II bulla munienda effecit indict. XV.
Ecclesiæ sancti Petri canonicos regulares addixit
1107. anno 1107. Insequenti adfuit translationi corporis
1108. S. Benedicti apud Floriacum XIII calendas
Aprilis cum Johanne Aurelianensi, qui eadem
die altare majus in honorem S. Mariæ consecraverunt
& altare matutinale in honorem sancti
Benedicti, sub quo ejus corpus repositum est.
Interfuit ibidem anno 1108 exsequiis Philippi
regis mense Julio, & Augusto Ludovici VI
sacro apud Aurelianos, ejusdemque diplomati
pro Floriacensibus apud Biturigas dato subscripsit.
Conciliavit una cum aliis episcopis dissidentes C
Nachodum Æduensem episcopum & monachos
1109. Cluniacenses an. 1109. Tociacenses toparchas
Chart. XII, col. 107. Floriacensibus infestos coercuit anno 1110;
1110. subscripsit chartæ fundationis S. Victoris Pari-
1113. siensis an. 1113; fundationi Pontiniaci assensum
1114. præbuit an. 1114, & Hugonem primum ordinavit
abbatem. Verbo dicam, res sacras ab iniquis
prædonibus vindicavit, pravas quasdam consuetudines
abolevit, ecclesiæ suæ immunitates sartas
tectas servavit, hanc prædiis, villis, proventibus,
ornamentis, varia supellectile instruxit; canonicos
regulares ad S. Eugenium induxit, assignato illis
annuo stipendio canonicorum qui ad S. Stephanum D
decessissent, indictoque statuto ut ipsi &
eorum successores regimini abbatiæ S. Laurentii
deinceps subjacerent. Basilicas beatæ Mariæ de
civitate, Nostræ-Dominæ extra muros & S.
Eugeniæ Varziacensis, cœnobia S. Laurentii de
abbatia & Caritatis ad Ligerim donis multis
cumulavit. Hospitalitatem in omnes maxime in
clericos, misericordiam in pauperes exercebat,
quos semper suæ mensæ comites esse voluit.
Tantæ autem fuit abstinentiæ, ut ex quo episcopus
factus est, non nisi leguminibus & modico
vino sit usus. Rebus sic in sua diœcesi præclare E
constitutis, Jerosolymam devotionis ergo profectus,
dum rediret pius præsul mari vectus,
navi involuta fluctibus, naufragio periit anno
1115. 1115 XIII cal. Nov.

Duas ad Humbaldum scripsit literas Ivo Carnotensis
episcopus 166 de secundis nuptiis
Mathildis filiæ Pontii nepotis Trecensis episcopi,
& 241 de non retractanda coram judicibus
secularibus causa ecclesiastica quæ a summo pontifice
judicata jam fuerat.

LIII. Hugo II.

ANNI CHRISTI
DE SEMUR.

In Cluniacensi territorio de castro Monteacuto
patre Dalmatio ortus Hugo, Hugonis
abbatis Cluniacensis ex fratre nepos, brevi post
acceptum Humbaldi obitum intervallo, ex abbate
S. Germani episcopus a majori canonicorum
parte electus, æmulum passus est Hulgerium
præpositum Humbaldi nepotem electum a paucioribus,
sed cui favebat rex Ludovicus. Hugo
itaque summum pontificem adiit, a quo confirmatus
& consecratus III nonas Martii 1116, 1116.
Autissiodorum rediit, ubi obvios sibi clerum &
populum cum multa alacritate habuit, comitem
ipsum licet captivum lætum invenit, regemque
pacatum visitavit. Illorum erat temporum mos,
primis quoque seculis usurpatus, quod de sancto
Martino Turonum episcopo liquet, ut apertis
sacris codicibus, ex versu qui primus occurrisset,
quoddam de novi episcopi futuræ vitæ qualitate
præsagium conciperetur. Id cum de Hugone
factum fuisset, aperto libro hic versus occurrit:
Ave Maria gratia plena, &c. quo ejus continentissimam
vitam significari creditum est. In episcopatu
monastici instituti mores quoad licuit
retinere studuit, monasteria suæ diœcesis frequentare
sollicitus, in primis monasterium Caritatis,
cui ne gravaretur annonam & vinum suppeditari
curabat. Ordinem Cisterciensem qui
tunc adhuc recens erat magnopere dilexit &
fovit, ejusque tempore Regniacum, Rupes &
Bonus-radius in sua diœcesi condita sunt.
Hugoni anno 1117 monasterium Vizeliacense 1117.
protegendum commisit Paschalis II. Anno 1119 1119.
interfuit translationi SS. Felicis & Tyrsi martyrum
factæ a Callixto II in ecclesia Sedelocensi
diœcesis Æduensis. Eumdem pontificem Cluniacum
usque profecutus est, & ab eo facultatem
obtinuit canonicos regulares & monachos in
secularium clericorum ecclesias inducendi. Anno
1120 donationem Bono-radio factam ab Hu- 1120.
gone de Tilio & Adelaide de Monte-Anisio *Hist. Autiss. tom. II, prob.*
confirmavit. Disceptantes Willelmum comitem *p. 263.*
Nivernensem & Gervasium abbatem S. Ger- *Ibid. p. 10.*
mani conciliavit anno 1121. Canonicis regula- *Ibid. p. 11.* 1121.
ribus S. Petri restituit an. 1123, episcopatus 8, Ch. XIII, col. 108.
ecclesiam de Algiaco, & monachis S. Germani
ecclesiam de S. Ferreolo. Monachis Molismen- 1123.
sibus anno 1126 confirmavit quidquid in sua *Hist. Autiss. ibid. p. 12.*
diœcesi possidebant. Pontiniacensibus jus deci- 1126.
marum in Venonziacense prædium remisit anno Ch. XVIII, col. 111.
1127. Revelationes de restaurando SS. Cosmæ 1127.
& Damiani cœnobio quod ultra Icaunam fluvium
S. Germanus olim condiderat, Itherio
clerico eximiæ sanctitatis divinitus factas serio
discussit & approbavit anno 1128. Cum Fromundo
Nivernensi, Atone Trecensi episcopis
& Gervasio abbate S. Germani interfuit anno
1130 juramento hominum de Caritate de non 1130.
inferendo unquam damno ecclesiæ Cluniacensi.
Eodem anno canonicis S. Petri concessit eccle- *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 12.*
siam S. Petri de Sueriis. Innocentium II Autis- *Ibid.*
siodorum venientem an. 1131 excepit, & ab *Ibid p. 264.*
eo privilegium pro canonicis regularibus sancti 1131.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI Amatoris obtinuit. Crisenonensem prioratum A
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 12. in virginum Benedictinarum abbatiam erigi ab
eodem pontifice impetravit, & Molismensibus
qui locum monialibus cesserant, permutationis
vice ecclesiam S. Gervasii tradidit. Donationibus
Hugonis Manselli Conadæ domini, Savarici a
S. Verano & Valterii ejus fratris abbati Aimerico & monachis Villæ-Gondonis factis subscripsit an. 1131. Capitulo generali apud Cluniacum
1132. adstitit anno 1132. Eodem delegatus a
summo pontifice cum Hugone Pontiniacensi
abbate judex controversias inter Heribertum
S. Petri vivi, Rainardum sancti Johannis & G.
sancti Johannis Pratensis diremit. Adfuit anno B
eodem concordiæ inter monachos Cluniaci &
S. Egidii initæ. Monachis Fontismensibus dominio Regniacensi quod partim a Joberto Capello
milite, partim a Guillelmo comite Autissiodorensi donatum eis fuerat, non tantum frui, sed
etiam relicto Fontismo ad ipsum Regniaci locum,
qui de feodo præsulum Autissiodorensium erat
1134. se transferre & ibidem demorari an. 1134 permisit. Cum S. Bernardo canonicos regulares in
1135. ecclesiam S. Lupi Trecensis introduxit an. 1135.
Spicileg. tom. XIII, p. 313. Canonicis S. Stephani donavit decimas Oysiaci
& quatuor ecclesias Basernæ, S. Prisci, Montiniaci & Vendosæ, ea lege ut singulis annis per C
totam Quadragesimam simul comederent, anno
1136. 1136. Illud in primis de eo laude dignum prædicatur, quod licet frequenter amici intercessissent,
poscenti canonicatum nepoti semper conferre
recusavit. Ædes episcopales de novo construxit
lapideas amplas & tegulis texit. Obiit III idus
Augusti anni 1136, episcopatus 21, sepultusque
est in capitulo S. Germani, unde translatus fuit
ad ecclesiam ejusdem & ante sacellum S. Nicolai
conditus.

DE MACON. LIV. Hugo III.

De genere magnorum virorum in Cluniacensi D
territorio sicut & decessor ortus fuit Hugo Matisconensis dictus. Post obitum Hugonis II septimana indicto clericis & plebi jejunio, aspirante
S. Spiritus gratia, ex abbate primo Pontiniaci,
primus quoque hujus ordinis electus est in ponti-
1137. ficem Augusto mense 1136. Insequenti Januario
circa festum S. Vincentii in Ferrariensi monasterio a Gaufrido Carnotensi episcopo, tunc a
divinis vacante Henrico Senonensi præsule, inauguratus Autissiodorum venit ipsa Septuagesimæ
Dominica, festivo ordinum omnium concursu
exceptus. Pontificatus omen fuit, cum illa nocte
quæ ejus electionem præcessit sibi matrem suam E
in matrimonium ducere visum fuit. Anno 1137
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 154. prioratum S. Gervasii exemit a procuratione episcopo, decano & archidiacono debita. Evocatos
e Præmonstratensi cœnobio canonicos in Marianum ab Itherio instauratum monasterium induxit
1138. anno 1138, quos inde an. 1139 ad ecclesiam
Dei-paræ extra muros magna bonorum largitione atque adeo canonica præbenda auctos transtulit, quibus & Milonem Anselmi dynastæ de
Triangulo filium duodennem sibi a patre creditum disciplinis regularibus instruendum commisit

an. 1140. qui brevi in virum perfectum evasit. ANNI
Factas Rupibus donationes anno 1138 episcopali CHRISTI
auctoritate munivit. Eodem anno cum Gaufrido
Catalaunensi episcopo litem composuit inter
Manassem Meldensem episcopum & Risendim
S. Faræ abbatissam de presbytero Farensis ecclesiæ. quorum ordinationem ratam habuit Innocentius papa anno 1139. Concilio Senonensi 1139.
adstitit anno 1140 in octava Pentecostes, & 1140.
quia ad summum pontificem appellaverat Petrus
Abelardus cum comprovincialibus ad Innocentium papam Hugo scripsit epistolam 337 apud
S. Bernardum. Delegatus est ab eodem pontifice
anno 1141 arbiter inter monachos Molismenses 1141.
& Jurenses. Benedictionem & obedientiam
abbatis S. Germani, necnon jus episcopale in *Char. XX, col. 112.*
omnes suæ diœcesis ecclesias & immunitatem a
capitalium causarum quæsitore laïco impetravit
clericis ab Innocentio II anno 1142. Eodem 1142.
Humbertum Æduensem episcopum ut pacem
statueret inter Aganonem Flaviniaci abbatem &
monachos Fonteneteuses multum juvit. Unaque
cum Josleno Suessionensi præsule, Sugerio sancti
Dionysii & S. Bernardo Clarevallensi abbatibus
conciliando Theobaldum Blesensem comitem &
Alegrinum archidiaconum Aurelianensem cum
Ludovico VII multum laboris impendit. Colloquium cum rege hanc ob rem apud Corbolium
habuit, & ad eum an. 1143 scripsit de obsessione 1143.
& incendio castri Vitriaci. Statuta laudavit anno *Hist. Autiss.*
eodem in canonicis Clameciaci & capellano *tom. II, prob.*
ejusdem loci observanda. Lindriaci ecclesiam alia- *p. 14.*
que permulta canonicis S. Stephani in anniversarium diem quotannis sui obitus celebrandum
erogavit, & canonicis S. Petri ædem S. Peregrini *Ibid. p. 13.*
juris episcopalis in auctoramentum stipendii attribuit. Adstitit colloquio regis Ludovici & Theobaldi comitis inter Monsteroliom & Moretum
anno 1144, & subscripsit literis comitis pro 1144.
canonicis B. Mariæ Blesensis. Eodem anno altare
S. Peregrini primi Autissiodorensis episcopi in
ecclesia S. Dionysii consecravit. S. Bernardum
Autissiodori excepit anno 1145, ipsoque me- 1145.
diante jura sui episcopatus canonicorumque sancti *Ch. XXIII, col. 115.*
Stephani privilegia contra Guillelmum Nivernensem comitem tutatus est. Bullam obtinuit *Ch. XXIV, col. 117.*
anno eodem monialibus Crisenonis ab Eugenio *Ch. XXV, col. 118.*
III, & canonicis S. Mariani. Pluribus subscripsit
chartis anno 1146, quo, auctore S. Bernardo 1146.
epistola 249 transalpinavit, id est trans Alpes
ad Eugenium III profectus est, a quo anno eodem
arbiter institutus est, & conciliator inter Pontium
Vizeliacensem abbatem & episcopum Augustodunensem ac Burgundiæ ducem. Reversus in
Gallias an. 1147, Eugenium III pluries Autissio- 1147.
dori excepit, & cum eo ecclesiam Catalaunensem
consecravit, & sententiam tulit in gratiam canonicorum S. Lupi Trecensis. Eodem adhuc anno
Sugerio abbati ab Eugenio III socius est adjunctus
ut de vita canonicorum S. Genovefæ inquirerent.
Anno 1148 concilio Remensi adfuit, ibique 1148.
vice episcoporum Franciæ fidei normam adversus
Gilberti Porretani Pictavorum episcopi errores
a sancto Bernardo compositam summo pontifici

Digitized by Google

ANNI CHRISTI obtulit una cum Milone Morinensi antistite &
abbate Sugerio. Eodem anno cum P. Cluniacensi
Ch. XXXII. col. 122. abbate querelam habuit qui recens abbatem S.
Germani per baculum investiverat, quod deinceps prohibuit Eugenius III literis Bisuntii datis
nonis Maii, ubi majorem aram sancti Johannis
1149. dedicavit, præsente Hugone. Is anno 1149
subscripsit chartæ Manassæ Aurelianensis episcopi ecclesiam B. Mariæ de Bono-nuncio confirmantis Majori monasterio, & Hugonis archiepiscopi Senonensis pro Præmonstratensibus S.
Mariani. Donationes monasterio B. Mariæ de
1150. Rupibus factas auctoritate firmavit sua an. 1150.
Eodem in articulo mortis positus ecclesiam nepoti dedit, quod convalescens fecisse se minime recognovit. At anno elapso in lecto decumbens Stephano diacono suggerente, eidem nepoti dimisit 7 ecclesias, decimas, prata in silva episcopi, aureos suos & proprias equitaturas, jussitque ut Pontiniacensis monasterii equitaturæ eidem traderentur ad conficiendum iter Romanum pro his confirmandis. De cujus testamento conquestus est S. Bernardus ad Eugenium III scribens epistolam 276. Obiit Hugo quater sanctus a sancto
1151. Bernardo appellatus IV idus Oct. 1151 apud
Pontiniacum, ubi sepultus est prope majus altare. Corpus ejus incorruptum, ut tradunt, per 400 annos & amplius permanserat, cum illud feralis Calvinistarum rabies an. 1567 concremavit, persuasi esse B. Edmundi corpus quod flammis devovissent. Hugoni hi versus inscripti:

Autissiodori præsul præclarus in orbe,
Mente polum scandens, membra reliquit humi.
Sensu, stirpe, bono præstans, illustris, honestus
Hugo, brevis, largus, nomine, voce, manu.
Et locupleps & inops, pauper sibi, dives egenis.
Et nullis impar, par sibi nullus erat.
Hunc a justitiæ norma revocare nequibant
Obsequium, terror, gratia, dona, preces.
Sola triumphabat virtus pietatis in illo,
Cum post justitiam debuit esse pius,
Istius ecclesiæ primus pater amplificavit
Nomen, facta, locum, laude, vigore, bonis.
Bis quinos Octobre dies claudente, dierum
Finem clausit, habens nunc sine fine diem.

LV. Alanus.

Defuncto Hugone, nepos ejus summum pontificem appellavit ne alius patrui in locum eligeretur priusquam isset ipse Romam & rediisset præposituræ confirmationem impetraturus. Verum eo contemto presbyteri undecim novemque diaconi præter alios inferioris ordinis in unum convenere, quem ut summo pontifici probarent, decanum S. Petri & priorem S. Eusebii tam pro se quam pro abbate S. Laurentii destinarunt, quos pars adversa per comitem Nivernensem deterruit ne proficiscerentur. Tertia enim post primam electionem die Hugonis idem nepos propria ipse neglecta appellatione alteram instituit electionem, cujus auctores fuere cantor,

A archidiaconus & thesaurarius ecclesiæ, e presbyteris unus Hugo frater Fr. Gaufridi, quem electum conjectant, qui sigillum ecclesiæ tenebat, & e diaconis solus Stephanus, ut scilicet uno nominato duo ejicerentur, & sic tertius quem volebant sufficeretur. Quibus acceptis Eugenius III tribus, quorum unus erat S. Bernardus, totum id negotium commisit, quibus subjecit quem a S. Bernardo indicatum promoveri volebat, abbatem, ut videtur Rigniacensem. Bernardi quidem & alterius in unum convenere suffragia Epist. 280.
quem indicaverat Eugenius, altero reclamante & secretum summi pontificis prodente: unde
B sanctus Bernardus ab Eugenio papa postulavit suppleri quod minus erat. Restauratis igitur comitiis quibus interfuit S. Bernardus, clerici qui Epist. 282.
prius in partes dissilierant, concordes in Alanum abbatem Ripatorii convenere pridie calendas 1152.
Dec. 1152. Huic autem cui statim adversatus Ludovicus VII rex a quo obtentus non fuerat assensus, brevi a S. Bernardo mitigatus videtur; nam Alanus eodem anno testis fuit donatarum monasterio Arremarensi a Godefrido episcopo Lingonensi ecclesiarum. Insequenti testis fuit 1153.
judicii a Ludovico VII in gratiam Godefridi ejusdem lati adversus Odonem Burgundiæ ducem. 1154.
C Anno 1154 Anastasius IV bulla Alano data jus Ch. XXXIII. col. 123.
confirmavit in abbatem S. Germani. Delegatus ab eodem pontifice conciliavit Senonis anno eodem monachos de Caritate & canonicos de Castro-Rainardi dissidentes de præbenda a monachis percipienda in ecclesia canonicorum. Circa id tempus cum Theobaldo Parisiensi episcopo a papa judex constitutus est accusationum in abbatem Latiniacensem latarum. Interfuit an. 1156 detectioni & expositioni tunicæ Jesu-Christi apud Argentolium. Solennes apud Vizeliacum ordines ab abbate invitatus celebravit 10 Martii
D 1156. Guillelmus comes Autissiodorensis anno 1156.
1157 ex formula clientelari apud eum professus 1157.
est, & convenit de justitia Conadæ & aliis capitibus. Eodem anno Alanus Pontiniacenses exemit Ch. XXXIV col. 124.
a censu quem solvere tenebantur monachis de Cella. Jus vacantis annonæ canonicæ regularibus Ch. XXXV, col. 125.
sancti Eusebii canonicis ab Humbaldo decessore Hist. Autiss. tom. II, prob.
concessum ex sententia capituli, ratum habuit p. 18.
an. 1159, quod apostolica sancivere auctoritate 1159.
Alexander III & Adrianus IV. Revelationi reliquiarum S. Genovefæ adstitit Parisiis 10 Jan. Ch. XXXVI, col. 125. Anecd. t. I, col. 442.
1161. Insequenti Alexandrum III apud Montempessulanum convenit, & cum eo in Octa- 1161.
E vianum schismaticum excommunicationis sen- 1162.
tentiam tulit. Bullam ab eo obtinuit quam post Sammarthanos recudimus in appendice, ut duelli loco testes, instrumenta aliasque adhiberet probationes. Sed bulla fallit vel in loco ubi data Charta XXXVII, col. 126.
legitur, vel in anno pontificatus. In Galliis enim adhuc versabatur anno 4. Præmonstratensibus S. Mariani canonicis largitiones a prædecessore Charta XXXVIII, col. 126.
Hugone factas cum ecclesiæ Tangiacensis auctario confectis tabulis approbavit anno 1163. Sancti 1163.
Amatoris prioratum eodem anno sancti Satyri Ch. XXXIX, col. 127.
Bituricensis monasterio univit, & cum Hugone Senonensi præsule dissidentes Wilencum Molismi

Digitized by Google

ANNI CHRISTI abbatem & Heribertum de Meriaco arbiter in
concordiam reduxit. Anno 1164 Guillelmum
1164. comitem quem infensissimum patiebatur tunc
temporis regi ob infestationes quibus in Vizelia-
censes grassabatur invisum placavit. Eodem anno
Chart. XL, col. 127. cum controversia quæ olim fuerat inter Hugo-
nem & Willelmum comitem Nivernensem recru-
duisset, eam composuit de mandato summi pon-
tificis Godefridus quondam Lingonensis epis-
copus, tum privatam vitam apud Claramvallem
ducens statuitque ut quæ inter Hugonem epis-
copum & comitem sanctæ memoriæ Bernardus
Clarevallensis abbas quondam composuerat in-
violabiliter observarentur. Eodem adhuc anno
Chart. XLI, col. 128. monachis Donziaci confirmavit ecclesias de
Pogniaco & de Boiaco. Ascelinum abbatem
1165. Rigniaci exemit an. 1165 a solvendis monasterii
sui decimis in diœcesi Autissiodorensi. Extinctam
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 23. cathedralis ecclesiæ præposituram, sed jam toties
redivivam novo diplomate sepelivit, & ejus jura
1166. ac proventus canonicis concessit anno 1166.
1167. Insequenti renunciata dignitate in manibus archi-
episcopi Senonensis absque licentia summi pon-
tificis qui inde conquestus est, solitudinis avidus,
pontificatus adepti 14, Ripatorium secessit,
ubi testamentum condidit anno 1182: illud
Ch. LIII, col. 136. habes apud Camusatum & in appendice nostra.
Superstes adhuc anno 1183 monachos de Ripa-
torio cum Arremarensibus dissidentes conciliavit,
quin anno 1185 subscripsit chartæ Petri comitis
pro monachis Boni-radii. Demum Claramvallem
repetiit, ubi sanctissime decessit pridie idus Oct.
in ipsa S. Bernardi cellula, quam post Godefridi
Lingonensis episcopi obitum inhabitandam sus-
ceperat. Ejusdem Godefridi ad dexteram jacet
versus chorum monachorum. Præter aliquot Alani
epistolas, epitome ab illo vitæ S. Bernardi con-
scripta exstat typis impressa.

DE TOUCY.

LVI. GUILLELMUS I.

Girardi Narbonensis & Agnetis filius Guil-
lelmus, Hugonis Senonensium archiepiscopi ger-
manus, archidiaconus primum tum præpositus
ecclesiæ Senonensis ita magnificus & hospitalis
vixit ut nulli secundus haberetur. Cum fratre
Hugone Senonas Alexandrum III Roma pro-
fugum invitavit, & quanto tempore illic egit
laute habuit. Anno 1153 idibus Novembris
coronationi reginæ Adelaidis Parisiis in primaria
æde celebratæ interfuit, ac solenni missæ sacrificio
quo regina inuncta fuit diaconi munus obivit,
divinam rem procurante Hugone Senonensi præ-
sule. In ecclesia vero Autissiodorensi thesaurarium
ab anno agebat, cum cedenti Alano subrogatus
VI nonas Julii 1167 sacro ritu inauguratus est.
Schismate adhuc discissa ecclesia primus anno
1168. 1168 Gallicanorum præsulum Romam ad Ale-
xandrum III obsequii causa se contulit, data
capitulo media ecclesia de Bacerna ut festum
S. Martini solenne & anniversarium Hugonis
1169. fratris sui debite celebrarent. Ecclesiam Grandi-
Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 25. montensium ad Fontanetum solenni ritu dedi-
cavit an. 1169. Ecclesiam de Venosa canonicis
1171. S. Petri donavit an. 1171. A Widone comite
A Nivernensi rogatus sigillum apposuit chartæ ejus- ANNI CHRISTI
dem ecclesiam S. Stephani Nivernensis Cluniaco
restituentis anno eodem. Præmonstratensibus Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 26.
S. Mariani canonicis ecclesiam Vincellensem
contulit anno 1172. Guillelmo vero Guido 1172.
Nivernensis comes largitus est an. 1173 quid- 1173.
quid habebat in villa dicta Capella S. Andreæ. Ch. XLVI, col. 133.
Nintriensem ecclesiam Molismensibus attribuit
anno 1174, decanatumque S. Petri in abbatiæ 1174.
titulum erexit, cujus hoc anno confirmationem Ch. XLVIII, col. 134.
ab Alexandro III obtinuit. Godefridum Donziaci
dynastam clientelæ sacramentum pro Giemensi
ditione profitentem admisit anno 1175, & 1175.
B Guidonem comitem publicatum in vineas no-
vum decimarum genus violenta manu exigentem
ac societatem civium quam vulgo communiam
dicunt in detrimentum ecclesiæ instituentem
adeo censuris ecclesiasticis & auctoritate regia
repressit, ut non solum ab incœptis destiterit, Chart. L, col. 135.
sed & sibi & ecclesiæ ita benevolum & muni-
ficum reddiderit, ut ejus annuum funebre Guil- Chart. LI, col. 135.
lelmus ad S. Stephanum quotannis persolvendum
statuerit. Testis reperitur anno 1176 in charta 1176.
Mathildis comitissæ Nivernensis pro Crisenone, Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 27.
cujus monialibus varias fecit donationes annis
1177, 1178, 1179 & 1180. Romam secundo Anecdot. t. I, col. 586.
C profectus anno 1179 Laterani III concilio in- 1177.
terfuit, unde reversus Philippi regis inaugurationi 1178.
Remis adstitit. Reditus annuos vacantis canonicæ 1179.
præbendæ jam ab Alano concessos canonicis 1180.
S. Eusebii ad preces Gaufredi abbatis S. Lau- Chart. LII, col. 136.
rentii confirmavit an. 1180, & apud S. Ger-
manum annuale Hugonis archiepiscopi Seno-
nensis & suum fundavit. Præmonstratensibus
S. Mariani concessit ecclesias de Loginaco & de
Molinis anno 1180, & quasdam decimas anno
1181. Tandem gravi pressus infirmitate, devixit 1181.
III cal. Martii 1181 in Mariano monasterio, Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 28.
ubi ab anno exeunte 1179 decumbebat, & ei
D parentatum funus prosequentibus Guidone Seno-
nensi, Theobaldo Nivernensi episcopis & Ge-
rardo Vizeliacensi abbate consanguineis qui hunc
languentem inviserant. Corpus Guillelmi inter
rudera ejus ecclesiæ a Calvinistis prostratæ jacuit
ad lævam majoris altaris usque ad annum 1714,
quo inde levatum & extractum tumulatum est
exeunte Februario 1715 ad latus dextrum sanc-
tuarii ecclesiæ cathedralis. Vixit pontifex annis
14 non expletis. Epitaphii loco subjiciemus elo-
gium quod de eo habet Robertus a S. Mariano
in chronico.

*Anno M. CXXCI obiit Willelmus Autissiodorensis
E episcopus. Hic ecclesiæ cui præfuit, tectum vetustate
detritum fecit dirui, reficique, ac cum ipso tabulato
sublimius erigi & lateribus coopertum decenter intrin-
secus camerari. Cumque plura altaria illic essent, &
præter majus, omnia servitore carerent, ipse alia
quoque quatuor, exceptis his, inibi consecravit, &
tam ista quam cætera, aut per ipsum, aut sub ipso,
per alios assignatis reditibus sunt dotata, ita ut
singula singulos, vel etiam plures ex tunc habuerint
servitores. Sed & reditus episcopales non mediocriter
ampliavit emptione agrorum & pratorum, construc-
tione ædificiorum, acquisitione masnilium. Ecclesiam*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI *S. Mariæ ac S. Johannis, ipsamque in qua sedit, aut dotavit in quibusdam, aut ornavit. Praterea cum sub ipso Nivernensium comitum fieret crebra mutatio, & ex his aliqui molirentur inducere consuetudines pravas, tam ecclesias quam populum gravaturas, ipse viriliter restitit, nec destitit, donec obtinuit, non solum illas violentias irritas fieri, sed & libertatem ecclesiæ privilegiis communiri. Denique cum cunctis esset affabilis & benignus, bonitatis tamen præcipua erga S. Mariani ecclesiam dedit indicium, dum nec considerata paupertate loci, se ibidem statuit sepelri. Post cujus obitum inter canonicos orta dissensio, diuque protracta, non parva ecclesiæ intulit detrimenta.*

DE NOYERS.

LVII. Hugo IV.

Defuncto Guillelmo a canonicis Autissiodorensibus electus est Garmundus *Clement* germanus Roberti, qui regem a prima ætate nutrierat, ac regalia strenue administrarat negotia, & Egidii qui Roberto successerat, & multa apud regem gratia pollebat. Hujus potissimum studio delectus Garmundus abbas Pontiniacensis regalia a rege obtinuit. Sed adversarios passus quos ut evinceret
1182. Romam profectus, Pictavis calendis Apr. 1182 cum Henrico Albanensi episcopo de ecclesia B. Mariæ de Solaco inter abbates S. Crucis Burdegalensis & S. Severi deliberavit. Dum autem Romæ allegatis partis utriusque rationibus diutius procrastinatur, maxima grassante mortalitate Garmundus moritur 15 Novemb. 1182, sicque contentio terminatur.

Amplis. collect. t. VII, c. 91.

Hugo de Noeriis thesaurarius ecclesiæ Autissiodorensis hunc excepit. Claris admodum parentibus editum, patre Milone II Nuceriarum urbis Lingonensis diœcesis ad Serenum flumen sitæ dynasta, matre Odelina Gessiaci domina Clarembaldi de Cappis diœcesis Trecensis castri domini filia ex Adelaide Briennensi, Clarembaldum Nuceriarum dynastam germanum, Guidonem Senonensem archiepiscopum patruum habuit. Vir hercle ingentis animi, doctus, eloquens, magnificus, tyrannorum & hæreticorum insectator acerrimus, ac Dei-paræ virginis cultus ardens, sed terrenis negotiis plus æquo addictus fuit. Nonis
1183. Januarii electus anno 1183 & IV idus Martii inunctus, festivo omnium ordinum concursu, succollantibus quatuor provinciæ proceribus, quos inter Hervæus Donziacensis in urbem & inde in thronum deportatus est. Pontificatus
1184. initio, nempe 1184 Cucullatorum seu Cotorellorum sectam per totam diœcesim grassantem aut profligavit aut coercuit. Guillelmum de Lagniaco Pontiniacenses infestantem ut desisteret coegit anno eodem, pontificatus. 4. Guidonis archidiaconi justa per annum ac SS. Peregrini primi Autissiodorensis episcopi & Thomæ Cantuariensis festa solenniori ritu ad S. Stephanum celebranda assignatis stipendiis instituit anno
1186. 1186. Insequenti cum decano de jurisdictione
1187. in curatorem xenodochii presbyterum disceptavit. Optima pars Autissiodori an. 1188 igne
1188. combusta est in vigilia B. Magdalenæ. Anno
1189. 1189 Hugo viduam Hugonis de Ulmo sacramentum clientelæ præstantem admisit, & Nuceriis

Anecdot. tom. III, c. 1241.

Ch. LVI, col. 139.

A adfuit cum Clarembaldus ejus frater priusquam Jerosolymorum itineri se committeret plures immunitates monachis Pontiniaci confectis tabulis tribuit, quibus & Hugo subscripsit. Circa id tempus cum ex testimonio seniorum ecclesiæ Autissiodorensis Philippi pater Ludovicus rex, nec antecessores ejus, sede episcopali vacante, præbendas hactenus contulissent, nec extendissent ad regalia manus suas, sed decanus & archidiaconus ea in suis manibus detinentes & gerentes administrationem ecclesiæ, reditus futuro episcopo reservarent, Hugo a Philippo rege Jerosolymam proficiscente obtinuit ut nullus deinceps
B ex parte regis ad regalia manus extendere attentaret, donec inter ipsum & capitulum esset plene discussum quis ea sede vacante in suis deberet manibus retinere, literis memoratis in epistola
71 Innocentii III, lib. 10. Anno 1196 cum 1196.
monachi Caritatis Colengias ad Icaunam Petro de Courcione vendidissent, dominium illud repetiit Hugo, compensationem vicecomiti obtulit, prærogativam sacri fundi redimendi per suam diœcesim asserens, sed frustra: decimas enim tantum, oblationes & quidquid spiritale per compositionem extorsit; at injuriæ non immemor, defunctum qua apud comitem plurimum
C gratia valebat Petrum comprehendi & de pluribus ecclesiis illatis cladibus convictum plaustro ligatis manibus pedibusque nudo capite imponi, & ad populi ludibrium per urbis vicos raptari jussit. Cum S. Juliani abbatissa difficili lite contendit, qua cecidit bulla Cœlestini III ab abbatissa impetrata judicium pronuntiante Senonensi archiepiscopo Michaële anno 1197. Inse- 1197.
quenti vacantis ecclesiæ Lingonensis rem totam 1198.
seu sacram, seu profanam ad episcopos pertinentem administravit, cujus impulsu nominatus fuit
Hilduinus. Decedente anno 1199 IV cal. Dec. 1199.
Michaële archiepiscopo, Senonensis ecclesiæ
D canonici Hugonem ab Innocentio III summo pontifice postularunt, qui eorum votis assensum negavit, eo quod sacris interdicto Francorum regno ob ejectam a Philippo Augusto uxorem Ingelbergam, interdicti sententiam in sua diœcesi Hugo non servasset, cujus noxæ veniam deprecaturus Romam se ad annum 1200 contulit, 1200.
ubi forsan confirmavit bullam Innocentii III pro legitimis habentis filium & filiam quos ex Agnete filia ducis Moraviæ procreaverat Philippus Augustus, mense Jan. 1201. Reversus 1201.
in Franciam Parisiensi synodo per Octavianum Romanæ sedis legatum coactæ interfuit anno
E 1201, in qua & Eberardum de Castro-novo, quo erat in segreges zelo, vicecomitem Nivernensem de hæreseos & aliis criminibus atrocissimis accusavit, quorum certis indiciis evictus, flammis ustulatus periit. Pari ardore Valdenses hæreticos in Caritatis oppido cuniculantes adortus partim fugavit, partim ad ecclesiæ unde dilapsi erant gremium redire compulit an. 1202, quo pariter anno canonicorum Varziaci numerum auxit, & Varziacensibus civibus immunitatem caducæ possessionis ea lege concessit ut sibi & successoribus vini decimam exacte persolverent.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 267.

Ch. LXII, col. 146.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Graves & diuturnas cum Petro Curtiniacensi A exercuit lites viro impotentis animi, & in sacra ecclesiarum jura vastæ cupidinis, quem cum diro anathemate ob interdictum violatum Hugo
1203. feriisset ad annum 1203, tandem suasu Guillelmi Bituricensis archiepiscopi ejus avunculi resipiscentem post exactam publice pœnitentiam ecclesiæ restituit & ab eo impetravit, ut Judæi Autissiodoro pellerentur conversa in ædem sa-
1204. cram synagoga an. 1204; cui SS. Nicolaus & Reinobertus titulum imposuere. Circa id tempus Hugo cum abbate de Persenia & canonico Noviomensi jussus est a summo pontifice discordantes canonicos Remenses de electione archi- B episcopi conciliare. Anno 1204 cum Philippo
Ch. LXIII, col. 146. Augusto rege transegit de Sacramento quod Giemensis comes dicere episcopo tenebatur, remissoque regi sacramento illius ditionis quæ ad eum
Ch. LXIV, col. 147. pervenerat, rex vicissim condonavit episcopo binas illas procurationes quæ sibi aut purpuratis Autissiodori & Varziaci debebantur, pactumque est solum deinceps funalem cereum quem in festo Inventionis S. Stephani jam dudum Giemenses comites in clientelæ tesseram offerre solebant, præfectus Giemensis quotannis repræsentaret. Arbiter fuit anno 1205 Hugo concordiæ inter C comitissam Cabilonensem & ecclesiam Cluniacensem super Paredo & Tolono. Anno 1206 Trinitarios canonicos fundavit, & religiosis Fontanetensibus plurima erogavit, cum in profectione Romana esset, quam variis de ecclesiæ suæ rebus susceperat, maxime ut insignium pontificiorum usum abbati S. Germani adimeret; sed intra diem decimum quo ad urbem accesserat, lethali morbo correptus decessit apud S. Clementem 29 Sept. 1206, sedis 24, in Lateranensi basilica humatus VIII idus Dec. celeberrimo funere quod summus pontifex & cardinalium collegium honestaverunt. Mortem ejus plura prodigia cum D Romæ tum Autissiodori visa declararunt. Variis ædificiis patrimonium sacrum ornavit, in ecclesiam S. Stephani plura ornamenta contulit & canonicorum annonam auxit, sed in Varziacenses canonicos munificentior bibliothecam eis ornatum omnem pontificium & plura alia suprema voluntate concessit. Hugonis meminit cum laude scriptor chronici Autissiodorensis, cujus verba tametsi prolixa post Sammarthanos elogii loco exhibere juvat:

Hugo Autissiodorensis episcopus Romam profectus ibidem obiit. Hic extitit corde magnificus, ingenio perspicax, facundia copiosus, & tam in ecclesiasticis E quam in secularibus sagax admodum & peritus. Episcopales reditus multimodis cumulavit augmentis. In cunctis fere episcopalibus locis, ædificia insignia, vel de novo construxit, vel diruta reparavit. Siquidem Varziacum castrum murorum & turrium reparatione munivit. Cumque prædecessores sui domum ibidem in quam honeste descenderent, propriam non haberent, domos geminas in modum palatiorum extruxit, tam diffusas amplitudine quam opere sumptuosas. Cumque intra castri ambitum nullum existeret molendinum, fontis qui de ecclesia oritur cursum artificiali deductione retorsit, & intra fossata domos prædictas cingentia & piscibus copiosa collegit. Inde molendinum extruxit cui novus aquæ discursus sufficeret, & multis in locis per castrum deductus multorum usibus deserviret. Sed & apud Carbinachum villam locum de novo instituit quem Bellum-reditum appellant, locum utique peramænum nemore circumsito & molendinis & stagnis, viridariis quoque fructiferis & domibus spatiosis. Regennam honestioribus ædificiis insignivit. Hæreticos quos Bulgaros vocant vehementer studuit insectari, ejusque instantia actum est, ut plerique rebus suis exinanirentur, exterminarentur alii, alii cremarentur. Literali scientia præditus, amansque librorum, repetebat libenter cum sibi vacaret, otia literarum. Cumque ita strenuus in multis existeret, sibi tamen minus in aliis studuit, minus cavit. Nam in sibi subditos minus clemens extitit, eosque immodicis exactionibus aggravavit. Erat quippe in expensis profusior, amans contubernia militum & militarium actuum, solitus pompam plus prosequi quam sacerdotali competeret gravitati. Et quia in suis negotiis plus pervicax & minus cuique cedens erat, vixque se ab aliquo vinci permittebat, plures a pluribus persecutiones sustinuit, quas tamen magnanimiter tolerans, & finaliter prævalens sæpius obtinebat. Terram sibi subditam, etsi plerumque gravaverit, tamen ne gravaretur ab aliquo potenter defendit. Judæis a Petro comite de urbe propulsis, synagogam eorum in medio urbis suam in ecclesiam commutavit, duoque inibi altaria, alterum in honore S. Nicolai, alterum sancti Antonii consecravit. Erga Matrem Domini devotus extitit, ipsiusque ecclesiam in urbe suam studuit honorare, ipsoque satagente crevit ejusdem ecclesiæ fabrica decentiore & altiore structura, crevit canonicorum paucitas majore numero, crevit redituum parvitas multiplici incremento. Promiserat namque quoque quod plura conferret, nisi mors præpediens impedisset. Denique quibusdam de causis a quibusdam impetitus, urgente negotio Romam proficiscitur, ubi cum venisset a domino papa veneranter exceptus, paulo post morbo corripitur, & pluries pureque confessus & pœnitens intra paucos dies moritur, & in Lateranensi ecclesia præsente domino papa & cardinalibus cum multa honorificentia tumulatur.

LVIII. Guillelmus II. DE SEIGNELAY.

Clarissimo genere editus fuit Guillelmus, patre Signilliaco Esnonii regulo, matre Aunore Montebarrensi, S. Bernardi consanguinea, sanctissimis moribus femina, avunculis Hugone Senonensi archiepiscopo & Daimberto Signilliacensi dynasta & fratre Manasse Aurelianensi præsule. In ecclesia Autissiodorensi a teneris educatus, e thesaurario Senonensi, archidiacono Pruvinensi & decano Autissiodorensi post recusatas metropolim Senonensem & Nivernensem sedem, dum germanus uterque mirabiliter concertant uter præferretur, Guillelmus absens a Petro archiepiscopo Senonensi compromissi lege V idus Febr. an. 1207 renunciatus antistes Autissiodorense 1207. pontificium sumsit. Regalia tunc pervaserat regia clientela, inquit in chronico Robertus a sancto Mariano, exactionibus immodicis universa diripiens, ea quoque confiscans quæ Hugo episcopus testamento

Digitized by Google

ANNI CHRISTI testamento legaverat ecclesiis largienda. Electus A
itaque Guillelmus pro recipiendis regalibus destinat ad regem, nec impetrat. Post consecrationem vero suam, ipsa consecrationis die illico regem adiit & multo licet labore expensisque obtinuit
Ch. LXV, col. 147. mense Aprili apud eum, ut non modo decessoris sui testamentum, quod jusserat confiscari, juberet
Ampliss. Collect. t. I, col. 1072. restitui, verum etiam quidquid juris habebat in regalibus donaret Autissiodorensi ecclesiæ, ita ut moriente episcopo decanus & capitulum regalia custodirent, & quæ de reditibus interim provenirent, successuro episcopo servarentur. Illudque confirmavit Innocentius III bulla data XV cal. Febr. anno 10. Anno adhuc 1207 Petrus comes B
Ch. LXVI, col. 148. Autissiodorensis Guillelmo satisfecit quod regiis distentus negotiis cum aliis baronibus feodatis in jucundo adventu eum non portasset. Eodem anno in monasterio Floriacensi cum pluribus prælatis translationem S. Benedicti V idus Julii celebravit. Eodem anno lectoris & scholastici officiorum proventus auxit, quorum collationem de consensu archidiaconi attribuit ei Innocentius III calendas Febr. an. 10, epistola 196 libri 10.
Ch. LXVII, col. 148. Querelam habuit cum abbatissa S. Juliani super domibus de tanneria Autissiodorensi, quos conciliavit Manasses episcopus Aurelianensis anno
1208. 1208. Eodem aut sequenti mense scilicet Aprili C
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 37. canonicis S. Amatoris pro 12 modiis vini quos ab episcopo quotannis solebant percipere prædia tradidit in solo Moreti. Cum Hervæo Niver-
Ch. LXVIII, col. 149. nensi comite qui die inthronizationis ejus eum cum aliis non portaverat convenit X calend. Julii
1209. 1209 de possessione portationis, necnon de
Ch. LXIX, col. 149. domibus & munitionibus castrorum S. Salvatoris, Conadæ & Castri-novi. Eodem anno in gravem Philippi regis offensam incurrit cum fratre Aurelianensi antistite: nam cum Philippus oppugnaturus rupem cui Duarpis nomen est, in Aremorica exercitum conscripsisset, uterque episcopus quas ducebat militares copias ex clientelæ debito D
reduxit, eo quæsito colore quod nonnisi præsente rege militare tenerentur, qua re commotus Philippus cuncta quæ beneficiario jure a se habebant invasit & biennio toto detinuit, ægre placatus Innocentii III precibus qui hisce controversiis componendis pluribus literis intercessit ultro citroque datis, quas videre est lib. XIII pontificis epistolarum, epist. 190 & 191, lib. XIV, epist. 52, & lib. XV, epist. 39, 40, 108, 109 & 123. Tandem ambos præsules regi conciliavit pontifex anno 1212, quo anno personam episcopi quandiu vixerit ab exercitu suo rex relaxavit, E
modo servitium ejus per milites suos faceret, episcopus vero concessit ut rex retineret regalia quæ ad festum S. Johannis-Baptistæ perceperat. Chartis hac de re habes in Ampliss. Collect. t. I, col. 1109, 1110 & 1111. Interim Guillelmus
Ch. LXX, col. 150. parochiam urbis Caritatis in tres divisit propter crescentem plebis multitudinem IV cal. Martii 1209. Petri comitis Autissiodorensis hominium
Ch. LXXI, col. 150. excepit pro feodo Malliaci & Betriaci IV idus
1210. Februarii 1210. Querelam habuit cum Galtero
Ch. LXXII, col. 150. episcopo Eduensi super capella *de Bethlêem* apud Clameciacum & jure parochiali ejusdem burgi,

quæ episcopo Autissiodorensi electi arbitri adjudicarunt IV cal. Nov. 1211. Panem canonicorum 1211.
auxit anno eodem Guillelmus, qui partem decimarum vini de Crebano contulit Capitulo mense Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 37.
Februario. Fundavit anno 1212 præbendas in Ibid. p. 270.
ecclesia S. Laurentii de Conada, cui concessit 1212.
ecclesiam de Nuisiaco. Lectori & succentori Ch. LXXIII, col. 151.
fructus integros præbendæ assignavit an. 1213, 1213.
eique archidiaconus Hugo lectoris institutionem Ch. LXXIV, col. 151.
concessit. Eodem anno canonicos S. Mariæ de civitate cum canonicis S. Stephani ad concordiam Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 38.
revocavit, ac statuta prioris edidit. Eodem anno capellam castri Betriaci ecclesiam parochialem Ibid. p. 39.
effecit. Eodem canonicis in capella episcopi in Ibid. p. 43.
majori ecclesia ab Hugone decessore institutis assignavit reditus. Eodem canonicos in ecclesia Ibid. p. 270.
B. Mariæ de Tuciaco a suo decessore institutos confirmavit. Eodem sumta in Albigenses hæreticos sacra expeditione, validas in Septimaniam duxit copias, quæ illic plura egregie facinora ad tuitionem fidei ediderunt, quæ late Petrus Vallis Sernensis prosecutus est capp. 69, 70 & seqq. Cantorem Verziaci cum Elisabetha abbatissa Crisenonensi conciliavit an. 1214. Eodem ipse 1214.
conciliatus est a fratre suo Manasse de Forteritia Ch. LXXV, col. 152.
de Murato, pro qua Nivernensis comes hominium ei mense Augusto præstitit. Eodem hominium recepit Th. comitis Campaniæ mense Octobri. Eodem a summo pontifice delegatus cum Manasse Aurelianensi episcopo fratre suo statuta edidit pro ecclesia Bituricensi, quæ habes Ampliss. Collect. tom. VII, col. 1422. Eodem probavit eleemosynam factam capitulo a Petro Anecdot. t. I, col. 842.
comite Autissiodorensi & Yolendi uxore pro anniversario suo. Hominium pro villa *de Coulenges* Guillelmo præstitit Petrus Nivernensis comes anno 1215 mense Julio. Guillelmus vero jus 1215.
patronatus in 12 ecclesiis capitulo confirmavit Ch. LXXVI, col. 153.
mense Augusto. Eodem statuta condidit pro canonicis de Giemo edita in Ampliss. Collect. Hist. Autiss. tom. II, prob.
t. VIII, col. 1563. Confirmavit mense Martio p. 43.
traditam burgensibus urbem sub annuo censu a Anecdot. t. I, col. 843.
Petro comite ad sex annos. Visitatio & correctio monasterii S. Germani adjudicatæ ei sunt mense Ch. LXXVII, col. 153.
Aprili die Jovis ante Ramos palmarum ab arbitris Trecensi episcopo & abbatibus S. Columbæ & Eschalleiarum, obedientiamque & subjectionem Ibid.
ei spopondit abbas. Anno 1216 Philippus rex 1216.
mandavit mense Julio Guillelmo & aliis ut patentes literas facerent de eriamentis in causa inter Blancham Campaniæ comitissam & Erardum de Brena cum Guillelmo decano. Guillelmus episcopus initam inter Fossatenses monachos & Theobaldum de Liciis compositionem auctoritate apostolica confirmavit. Eodem anno homi- Charta
nium recepit Yolendis comitissæ Autissiodorensis LXXVIII, col. 154.
pro castris Malliaci, Colengiarum & Betriaci. 1218.
Adstitit anno 1218 translationi reliquiarum SS. Saviniani & Potentiani, & confirmavit fun- Hist. Autiss. tom. II, prob.
dationem prioratus beatæ Mariæ de Boticens. p. 271, 272 & 274.
Domum-Dei de Appogniaco confirmavit & Ibid. p. 464.
dotavit annis 1219 & 1220, huicque dedit 1219.
villam de Branchiis quam a monachis de Caritate 1220.
emerat. Abbatiam quoque Insularum fundavit Ch. LXXIX, col. 154.

ANNI CHRISTI

& dotavit annis 1219 & 1220 mense Maio. A
Ædem S. Stephani ea qua nunc visitur forma
Ch. LXXX, col. 155. inchoavit, multumque provexit, necnon palatium
episcopale suo ære exædificavit. Proventus canonicorum S. Stephani & capellanos SS. Trinitatis notabili incremento auxit, & in plures alias sacras ædes, Crisenonensem præcipue, beneficus extitit. Denique anno 1220 Honorii papæ III decreto ad ecclesiæ Parisiensis regimen translatus, nullum non movit lapidem, ipsumque summum adiit pontificem hoc onus deprecandi gratia; sed frustra fuere omnes ejus conatus, Honorio in sua sententia permanente ut diximus tom. VII, col. 90. Factus autem Parisiensis episcopus, B
Hist. Autiss. tom. II. prob. p. 47. domos suas de claustro capitulo Autissiodorensi
dedit an. 1223 ad missam pro se celebrandam. Ceterum Guillelmo Autissiodorensi scripsit Innocentius III, cap. XIII cum tibi, &c. & cap. XVIII de verborum significatione.

LIX. Henricus

DE VALLESUVE.

Modicis parentibus diœcesis Parisiensis in pago Villanova natus Henricus, ex cantore Autissiodorensis ecclesiæ pontifex compromissi via renunciatus, consecratus est die Dominica 20 Sept. 1220, & Petro metropolitano subjectionem &
Ch. LXXXI, col. 155. obedientiam professus. Jurisdictionem decanatus C
per obitum Willelmi vacantem a duobus arbitris
1221. e capitulo acquisivit 1221. Insequenti Erardus
1222. de Brena & uxor Philippa apud Molisinum cessere ei quidquid in comitatu Campaniæ & Briæ
1223. reclamabant. Interfuit an. 1223 concilio Paris. adversus Albigenses ejusdemque tempore exsequiis Philippi Augusti. Eodem anno instituitur in urbe Autissiodorensi communia cum scabinis a Mathilde comitissa calendis Augusti. Præfinitam
Charta LXXXII, col. 155. jurisdictionis formulam episcopum inter & decanum a Galtero Senonensi archiepiscopo impe-
1224. travit anno 1224. Totam diœcesim lustravit
1225. anno 1225, præcipue Giemensem ecclesiam. D
Charta LXXXIII, col. 157. Donum factum monachis de Caritate a Matilde comitissa Nivernensi testatus est literis mense
Prob. libert. eccl. Gallic. tom. II, pag. 1496. Januario, & sequenti Martio propter debilitatem corporis, vacationem militiæ & militum quos subministrare debebat adversus Albigenses a rege ad annum obtinuit, eique 600 libras solvit. Querelam habuit cum Simone *de Chatelay* super tertia parte decimarum de Varsiaco quam sopivit
1226. Hugo dominus de Ulmo an. 1226 mense Maio.
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 48. Matildis comitissa Nivernensis collationem capellæ a comite Nivernensi fundatæ in domo de
1228. Interamne ei ac successoribus donavit 1227 mense Februario. Patres Franciscanos superstite E
Charta LXXXIV, col. 158. adhuc Patriarcha Francisco ad Anastasiæ crucem primum, deinde in urbem admisit, testante id ministro Minorum Gallorum XIII cal. Februar.
1229. 1228. Panariam capituli largitionem auxit anno
1230. 1230. Controversiam habuit cum comite Niver-
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 51. nensi de moneta Autissiodorensi, quam Galterius archiepiscopus terminavit 1231 mense Aprili.
1231. Iterio Milliaci præposito ob angustiam rei familiaris solvendis mensæ pontificiæ debitis impari, ea pro majori parte charitatis ergo remisit anno
1234. 1234. Gaucherium Juviniacensem comitem ad diruendam quam prope Varziacum arcem construxerat adegit, & quamquam mansuetissimi foret animi, rem ecclesiasticam audacter contra quosdam invasores tutatus est. Demum senio & anginæ morbo in suo de Pulcro-reditu castro confectus moritur XV cal. Febr. 1234, supremis tabulis mille libras Paris. capitulo S. Stephani, bibliothecam Bellariensibus Cartusianis legavit ac suum funebre annuum pluribus in ecclesiis, maxime Clamiciaci & Varziaci instituit, in primaria æde quam per 13 annos & menses 4 administraverat tumulatus.

LX. Bernardus I.

DE SULLY.

Solliaca domus, sive ea sit quæ ad Ligerim Aurelianensis diœcesis, sive quæ in Autissiodorensi pago per plura sæcula insigniter floruit, Hist. geneal. Magnatum Franc. t. II, p. 555.
Bernardo natales dedit. Canonicus erat Autissiodorensis, cum pro temporum illorum more Jerosolymam profectus, tot sanctitatis radiis illis in partibus effulsit, ut Nazarenus archiepiscopus cunctis prælatus sit electus, cui electioni ne assensum præberet una qua eminebat modestia effecit. Quare Autissiodorum reversus & archidiaconus dictus oves sibi creditas doctrina pavit, exemplo & subsidiis. Itaque demortuo Henrico, sedem ei pontificiam summa omnium procerum voluntas dissentiente nemine procuravit. A Senonensi præsule inauguratus, sacramentum ei fidelitatis & obsequii præstitit. G. comes Nivernensis
Humbaudum *Chevrelli* ad eum portandum transmisit mense Aprili 1234. Ipse vero dominia Charta LXXXVI, col. 158.
apud Saciacum emit & auxit X cal. Apr. 1235 & 1235.
mense Augusto anni ejusdem quidquid Johannes filius Evrardi militis habebat extra cruces de Saciaco in decimis, terris & censibus. Memoratur Charta LXXXVI, col. 159.
in actis collationis vicariæ S. Stephani de Giemo, de qua controversiam movebat Hugo de Mornaco miles coram Nivernensi archidiacono 1237 1237.
mense Aprili. Concordiam fecit cum cantore & capitulo Giemensi super collatione vicariarum in Charta LXXXVII, col. 159.
ecclesia S. Stephani an. 1239. Numerum cano- 1239.
nicorum S. Laurentii de Conada ad denarium reduxit an. 1240. Insequenti Fr. Prædicatores Autissiodori admisit, & in cœnobium a Galcherio Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 53 & 281. Ibid. p. 53.
Juviniacensi comite & ab uxore Amicia constructum induxit. Datis anno 1243 aut sequenti 1240. 1241.
ad Innocentium IV summum pontificem literis 1243.
Edmundi Cantuariensis archiepiscopi canonisationem sollicitavit, & indulgentiarum thesaurum in eos effudit qui corpus ejus Pontiniaci sepultum inviserent. Johannem S. Germani abbatem hoc Charta LXXXVIII, col. 160. Amplissim. collect. tom. III. c. 1837.
quoque anno benedixit. Trinitariorum capellæ stipendium auxit anno 1244 mense Octobri. 1244.
Iisdem anno & mense nonnulla dedit capitulo pro anniversario suo. Primariam sancti Stephani Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 54.
ædem plurimum coluit, ornamentis & luminaribus, necnon certis reditibus in eos qui nocturnis matutinorum vigiliis interessent dividendis locupletavit. Tandem post novem reginimis annos de licentia Innocentii IV, ob senectutis incommoda & tibiarum infirmitatem episcopali onere deposito, paulo post in castello de Pulcro-reditu defunctus est 6 Januarii 1245. Corpus non, ut

Digitized by Google

ANNI CHRISTI jusserat, ad Trinitatis ecclesiam, sed ad sancti Stephani cathedralem elatum, medio in choro sepultum jacet, ornante tumulum hoc epitaphio:

Præsul Bernardus mala semper ad omnia tardus,
Sic vivens domuit cum carne & dæmone mundum,
Quod moriens meruit Christo se reddere mundum.
Anno milleno bis centeno quadrageno
Quarto, sanctorum migravit luce Magorum.

Cæterum quia translato nostris temporibus in majus altare & ad mysteria excipienda lapide marmoreo, quo Bernardi sepulcrum operiebatur, qui ei nunc substitutus est lapis solo adæquatur, B statuto capituli cautum est ob reverentiam tanti præsulis ne quis canonicus aut alius de choro hunc lapidem pedibus atterat.

5 Galterius Autissiodorensis episcopus dictus in schedula recenti apud Quinciacum, cujus erat abbas, ibidem obiit an. 1244 XVI cal. Octobr. quo sedebat adhuc apud Autissiodorum Bernardus, ut modo diximus.

DE SELIGNY.

LXI. REGNAUDUS.

Ex canonico Bituricensi abbate de Petris & decano Autissiodorensi Regnaudus tacitis suffragiis in episcopum electus, Bernardo successit an. C 1244 exeunte. Cum Roberto *de Tanlay* arbiter
1245. conciliavit, mense Junio 1245, Philippum & Radulfum *de Courtenay* germanos disceptantes.
Charta LXXXIX, col. 161. Mense Julio Fr. Andreas Polius prior domus hospitalis Jerusalem in Francia concessit ei 65 solidos Turonenses ut laudaret eleemosynam ipsis factam quam B. quondam Autissiodorensis episcopus non laudaverat. Querelam habuit cum
Chart. XC, col. 161. Matilde comitissa Nivernensi quæ eum in jucundo adventu non portaverat, pro fidei sacramento & aliis capitibus de quibus arbitros elegerunt mense Januario, quorum sententiam firmiter & inviolabiliter servaturos se, etiam sub pœna 100 mar- D
1246. carum argenti promiserunt. Anno 1246 festum S. Guillelmi Bituricensis archiepiscopi instituit, ac diœcesim lustravit. Annuum sibi solenne celebrandum apud Stephanianos & Varziacenses canonicos numerato stipendio procuravit. Post annum unum, menses XI & dies 16 regiminis obiit 22 Nov. 1246. Occeperat ergo 6 Dec. 1244. Humatus est in monasterio de Rupibus, ubi suam sepulturam elegerat. Memoratur III id. Martii in necrologio S. Crucis Aurelianensis.

DE MELLO.

LXII. GUIDO II.

E Autissiodorensis erat Guido, patre editus Guillelmo S. Prisci toparcha & matre N. ex nobilissimis proceribus Montis S. Johannis. A pueritia literis traditus, humanioribus studiis gnaviter, juri utrique sedulo ac demum adultus theologiæ serio vacavit. Exhinc sacris initiatus apud sancti Stephani canonicos decanum egit, & a Virdunensibus electus, pontificem eumque strenuum, nec multo post Reginaldi morte inclinatis in se optimatum studiis & Innocentii IV decreto ad Autissiodorensem ecclesiam translatus fuit, quam
1247. die sancto Paschæ 1247 magno apparatu adiit, A misso etiam a Matilde comitissa Nivernensi die Jovis præcedenti Hugone de Varigniaco, qui pompam suo nomine honestaret. Paulo mox Giloni Senonensium præsuli obsequii sacramentum dixit. Eodem anno elevationem & translationem corporis sancti Edmundi Cantuariensis archiepiscopi in monasterio Pontiniacensi celebravit VI idus Junii, eademque die post biennium alteri in capsam ejusdem translationi adstitit. Eodem anno hominium excepit mense Nov. Guidonis de Orto pro domo sua. Pontificatus ejus initio Reginaldus *de Rongefer* vir audax Varziaci quod ditionis episcopalis oppidum est, domum suam exstructis novis operibus in arcem converterat, & inde in vicinos libere grassabatur. Monere Guido militem ut exitiale suis clientibus castrum tam firmum demoliretur, quo præfracte abnuente, coacto cuneo invadens Guido arcem diruit, & Reginaldum in ordinem coegit. Anno 1248 probavit venditionem Guillelmi de Arsiaco militis & Matildis ejus uxoris factam monialibus B. Mariæ Regalis Pontisarensis, de his quæ possidebant apud Pontisaram jure hereditatis dictæ Matildis. Firmavit eodem donationes a patruo Drogone factas abbatiæ de Baugeseio. Eodem anno mense Junio permutavit cum capitulo, huicque cessit granchiam suam de Chicheriaco pro burgo de Conchiis, quem emerant a dicto Drogone, & a feodo Guidonis dependentem. Eodem Guillelmus pater ejus domum suam de Belcha ab eo in feodum recepit mense Julio, præsente & attestante Drogone Locharum & Meduanæ domino Guillelmi fratre & Guidonis patruo. Anno adhuc 1248 Guillelmus idem filio suo Guidoni episcopatus nomine quædam dominia oppigneravit ex feodo Matildis comitissæ Nivernensis post octavam sancti Johannis-Baptistæ apud Donziacum. Anno 1249 Guido de Orto miles recognovit mense Octobri se recepisse & tenere a Guidone domum suam de Orto in feodum & homagium ligium coram Gilone archiepiscopo Senonensi. Eodem anno Guido archidiaconatum in duos divisit, minoremque instituit & dotavit, quod Innocentius IV apostolica auctoritate confirmavit Lugduni x cal. Nov. pontificatus 7. Statuit Guido anno eodem die Martis post festum S. Martini scholasticum ecclesiæ Autissiodorensis futurum deinceps ejus capellanum vicariumque. Religiosis de Valle-Caulium attribuit capellam *de Plainmarchis*, quam ei subjectam declararunt die Veneris ante Ramos palmarum. Stephanum ex abbate sancti Pauli Senonensis electum abbatem ut admitteret rogarunt Præmonstratenses S. Mariani an. 1251 die Veneris ante festum S. Peregrini. Concilio Parisiensi adstitit, & patrum subscripsit literis ad regem Navarræ die Veneris post festum sancti Martini. Circa id tempus Lebuinus Autissiodorensis præpositus agentibus Petro & Drocone de Suavibus Robino Caprario clerico primum relegato, deinde post peractum exilii tempus capto, nec quicquam reclamante Guidone, præcipiti judicio gulam fregerat. Hanc illatam immunitati ecclesiasticæ injuriam non dissimulandam ratus

ANNI CHRISTI. Ch. XCI, col. 162. Ch. XCIII, col. 162. 1248. Ch. XCVI, col. 164. Ch. XCIV, col. 163. Ch. XCV, col. 163. 1249. Ch. XCVIII, col. 165. Ch. XCIX, col. 166. Charta C, col. 167. Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 282. 1250. Chart. CII, col. 168. 1251.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI Guido, præpoſitum & aſſeclas gravi anathemate
alliiſque pœnis dicta ſententia perculit, a qua cum
ad Innocentium IV tunc Lugduni agentem appel-
laſſent, pontifex ſententiam ſuo judicio compro-
bavit, quam illi licet inviti ſubire coacti ſunt,
cujus hic fuit modus: Decreta ſolenni ſupplica-
tione Lebuinus & complices nudo corpore ſolis
induſiis & braccis obtecti, manibus virgarum
faſces geſtantes præibant ad patibulum, illicque
aſſumtum feretrum in quo clerici larva impoſita
erat humeris ſublatum, ad cathedralem ædem
detulerunt, huicque magna pompa parentatum,
multatis inſuper noxiis ingenti ære, cujus tre-
centas libras in ejus funebre anniverſarium cano-
nicis B. Mariæ de civitate aſſignavit apud quos
clericus humatus fuerat, quod anno 1251 con-
tigit. Matildem comitiſſam cenſuris compulit ad
ſibi ſacramentum clientelæ præſtandum alioſque
proceres ob beneficia prædiatoria quæ eccleſiæ
1252. largitione habuerant, an. 1252, quo & anno ex
urbe in civitatem Franciſcanos induxit. H. domini
Charniaci & uxoris Mabiliæ recepit hominium
Charta CII, col. 169. pro villa de Petra-ficta menſe Januario. Conciliis
1253. provinciæ Pariſ. habitis annis 1253, 1255 &
1255. 1256 in homicidas Reginaldi de Spina cantoris
1256. Carnotenſis interfuit. Decretum Alexandri IV
de canoniſatione S. Petri martyris comprobavit
menſe Junio 1256. Eodem cum Matilde co-
Hiſt. Autiſſ. tom. II, prob. pag. 56. mitiſſa nonnulla de venditione panis ordinavit
in urbe Autiſſiodorenſi die feſto Pentecoſtes.
pag. 58. A Theobaldo Navarræ rege ob egregia merita
1257. renumeratus eſt an. 1257. Teſtamenti Matildis
comitiſſæ dictus eſt anno eodem exſecutor. Inſe-
1258. quenti Alexander IV indulſit ei ut monomachiæ
pag. 59. loco teſtibus, inſtrumentis aliiſque probationibus
legitimis uti valeret idibus Februarii, anno 4.
pag. 285. Venditionem factam canonicis ſancti Johannis
Senonenſis a canonicis S. Petri Autiſſiodorenſis
Chart. CIII, col. 169. eodem approbavit anno, quo & Droinus nepos
ejus juravit in manibus archiepiſcopi Senonenſis
ſe de legatis ab avo & patruo ſoluturum prout
ordinaret epiſcopus Autiſſiodorenſis. Subſcripſit
1259. Guido an. 1259 literis epiſcoporum S. Ludo-
vico concedentium ut quæ ignotis reſtituere non
poterat pia in opera impenderet. Eodem abba-
tiſſam Criſenonis Guidoni Bazernæ domino
1260. conciliavit. Anno 1260 coram S. Ludovico,
Vide Joinv. c. 82. prælatis & proceribus regni nomine cleri Gal-
licani elegantiſſimam habuit orationem Pariſiis
de redimendis a vexatione Orientalibus Chriſ-
Hiſt. Autiſſ. tom. II, prob. p. 59 & 60. tianis. Exſecutor teſtamenti Guillelmi patris ſui
anniverſarium ejus inſtituit in eccleſiis S. Ger-
mani, Grandimontenſium & monialium de In-
pag. 61. ſulis menſe Aprili. Eodem anno Sabbato poſt
feſtum S. Catharinæ Theobaldus Navarræ rex
ei licentiam dedit diſponendi de redditu quem ipſi
Ibid. conceſſerat in portagio Trecenſi. Pontiniacenſibus
ipſe indulſit oratorium & altare in domo ſancti
1261. Priſci die Lunæ poſt *Lætare Jeruſalem.* Erat
apud *Giſiers* cum archiepiſcopo Rotomagenſi
1262. pridie nonas Auguſti 1262. Circa id tempus
oblatum ab Urbano IV patriarchatum Jeroſoly-
mitanum non admiſit, ut conſtat ex Urbani
epiſtola qua probatam ſibi ejus excuſationem

A ſignificat. Anno 1263 excuſat ſe apud eum ANNI CHRISTI
Johannes abbas S. Germani, quod non poſſit
intereſſe ejus ſynodo. Anno 1264 acquiſivit 1263.
quidquid Regnaudus *Preaux* habebat apud Lin- 1264.
driacum menſe Martio. Sex capellanos in capella Chart. CIV, col. 169.
S. Michaëlis totidemque in capella S. Johannis Hiſt. Autiſſ. tom. II, prob.
Rotundi inſtituit pro anniverſario ſuo celebrando pag. 61.
menſe Oct. 1265. Eodem anno publicata in pag. 157.
Manfredum Siciliæ tyrannum ſacra expeditione, 1265.
in ſubſidium Caroli Romam vocatus a Clemente Anecd. t. II, col. 200.
IV ſummo pontifice, cruce ſignato exercitui præ-
fectus eſt, commiſſoque ad Beneventum ingenti
prælio, Galli maxime Guidonis oratione confir-
B mati & exemplo incitati, nam armatus primus
hoſtium aciem proruperat, glorioſam de Germanis
victoriam reportarunt, ipſo impiorum duce Man-
fredo interfecto, quo præclaro ſucceſſu regnum
Carolo aſſertum eſt. Inde Romam reverſus Guido
a Clemente magno cum honore exceptus fuit,
omniumque eccleſiæ ſuæ bonorum privilegio- Chart. CV,
rumque confirmationem obtinuit idibus Maii col. 170.
1266, quo anno de Apulia rediens erat apud 1266.
Gallionem XIII cal. Sept. Menſe ſequenti apud Spicil. XII,
S. Germanum in Laya in vigilia S. Michaëlis p. 596.
ratas habuit, & ſigilli ſui impreſſione confirmavit
conventiones matrimoniales inter Fernandum
C filium regis Caſtellæ & Blancham Ludovici regis
Franciæ filiam. Erat apud S. Satyrum in Bitu-
ricibus cal. Febr. 1267. Eodem orbata paſtore 1267.
eccleſia Lugdunenſi cum quidam Milonem de- Hiſt. Autiſſ.
canum, alii vero epiſcopum Claromontanum tom. II, prob.
poſtulaſſent Clemens papa IV Guidonem ſedi p. 288.
primatiali præfecit III cal. Januarii, quam ille
dignitatem poſt repetitas pontificis literas accep-
tare noluit. Tria recepit hominia a Drogone de Chart. CVII,
Melloto nepote ſuo pro domo forti de Belcha, col. 172 &
& 200 libratis terræ quæ ei hereditario jure 173.
devenerant, menſe Aprili 1269. Criſenonen- 1269.
D ſibus S. Mariæ monialibus 60 ſolidos annui
redditus pro anniverſario patris ſui Guillelmi
aſſignavit anno 1270. Fabricæ monetalis cura- 1270.
tores præter ſacri ordinis aſſenſum haud ſatis
puram monetam obtrudentes ad regis conſiſto-
rium evocatos illicque damnatos Autiſſiodoro
ejecit, ac Templarios in ſua domo de Monaſtello
plura ſine licentia epiſcopi innovantes auctoritate
pontificii legati compeſcuit. Ex præcepto apoſ-
tolico domus ſuæ exactam curam habuit; nam
per totam ferme diœceſim caſtella, domos epiſ-
copales, prædia vel inſtauravit, vel ſarta tecta
reſtituit. Palatium pontificium Autiſſiodori in
commodiorem & elegantiorem formam refecit,
E largitionem canonicorum auxit. Demum pluribus
aliis præclaris operibus in eccleſias & pauperum
neceſſitates perfunctus eſt quas videſis apud Lab-
beum & D. *Lebeuf.* Teſtamento jam condito
an. 1265, codicillos adjecit an. 1270 die Jovis Hiſt. Autiſſ.
poſt Exaltationem S. Crucis, in quibus inter alia tom. II, prob.
domum ſuam Pariſienſem ſucceſſori pro 700 pag. 259.
libris ad opus eccleſiæ Autiſſiodorenſis conceſſit.
Paulo poſt XIII calend. Octobr. anni ejuſdem
vitam cum morte commutavit anno ætatis 58,
cum præfuiſſet annis 23, menſibus 6, ſepultuſque
eſt ad ædem primariam. Poſt ejus obitum canonici

Digitized by Google

ANNI CHRISTI facultatem eligendi petierunt ab administris regni anno 1270.

DE LESIGNES.

LXIII. ERARDUS.

Guillelmo Campaniæ marescallo & Margareta de Melloto Guidonis germana parentibus ortus Erardus, juris utriusque laurea insignitus ac decanus Autissiodorensis, fatis concesso Guidone avunculo per viam compromissi pontifex renunciatus, a Petro Senonensi archiepiscopo confirmatus fuit, qui ei ut regalia dimitterent administros regni rogavit an. 1270. Sed antequam pontificatum iniret Erardus, quod sub finem Decembr. anni 1270 factum est, in monasterium S. Germani pro episcoporum more secessit, illicque sex diebus integris egit. Theobaldum *Barri* comitem pro Touciacensi dynastia sacramentum clientelæ profitentem admisit anno
1271. 1271. Ab eo & Henrico Navarræ rege arbiter
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 290. electus est die festo S. Magdalenæ. Dissidium & ipse habuit cum Milone priore Caritatis ob
Ch. CIX, col. 173. mulierem de hæresi insimulatam, quam cum a Milone reposceret & ille obfirmate renueret, interdicto Caritatem supposuit, quo violato a monachis qui defunctos sepulturæ mandabant, res in extremum discrimen per hanc licentiam adducta intermediis Senonensi archiepiscopo & abbate Cluniacensi restaurata est die Jovis post festum Nativitatis Domini, reddita muliere & venia ab uno monachorum flexis genibus im-
1272. petrata. Aliquanto post die Martis post Brandones
Chart. CX, col. 174. Yolendis comitissa Nivernensis coram Hugone Burgundiæ duce recognovit se teneri ad portandum Autissiodorensem episcopum in die inthronisationis suæ non tantum ratione feodi Donziaci, sed & feodi Autissiodorensis. Alia exstat in probationibus hist. Autiss. p. 290, epistola Yolendis ejusdem pro jure deportus ad cathedralem ecclesiam data apud Lisinias die Jovis post Inventionem S. Stephani an. 1272, quam Robertus advocatus Bituniæ & comes Nivernensis maritus ejus ratam quoque habuit. Executor testamenti Johannis Bituricensis archiepiscopi legatos 100 solidos annuales pro fundatione anniversarii in ecclesia Autissiodorensi capitulo tradidit mense
Ch. CXI, col. 175. Aprili 1272, & Maio sequenti ipse plurima eidem capitulo largitus est, & aliis ecclesiis in
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 291. augmentum anniversarii avunculi sui. Cantoriæ Varziacensi præbendam annexuit anno 1273.
1273. Eodem Robertum Bethunium Flandriæ comitem & Johannem Cabilonensem sacramentum pro comitatu Autissiodorensi dicentes suscepit. Emp-
Ibid. p. 64. tionem factam a monialibus Lesiniarum feodi
1274. dominus ratam habuit an. 1274. Eodem anno querelam habuit cum hominibus de Chitriaco mense Novembri. Guidonis de Melloto sacramentum excepit pro castellania Odenti anno
1275. 1275. Eodem cum præfectus Autissiodorensis
Ch. CXII, col. 176. aliique comitis magistratus ipso inscio antiquos civitatis muros ad B. Mariam effodissent, januasque palatii episcopalis Icaunæ fluvio obversas avulsissent, arbitrio Matthæi abbatis S. Dionysii & Henrici de Virziliaco thesaurarii Laudunensis compositi Sabbato post S. Nicolaum quievere.

Extat & apud Sammarthanos alia ejusdem charta quam in appendice referimus, ex qua constat ANNI CHRISTI Ch. CXIII, col. 178.
episcopum Autissiodorensem nomine Hugonem controversiam habuisse cum Hugone de Ulmo pro homagio Ulmi: sed error in nomine episcopi, error esse videtur librarii: Erardus enim decano & canonicis Autissiodorensibus omnem Ch. CXIV, col. 178.
justitiam in suis intra claustrum domibus, quibusdam demtis casibus, videlicet homicidio, furto, rapto concessit, & ut canonicorum ab intestato morientium hereditatem adirent indulsit anno 1276. Eodem dedit chartam de consti- 1276.
tutione franchisiæ Appoigniaci cum hominibus Prord.
seu vassallis suis. Eodem literas dedit Gallico p. 535.
idiomate de conventionibus matrimonialibus inter Guidonem *de Châteauvillain* & Isabellam filiam Hugonis *de Joligny* fratris Guillelmi *de Joligny* tunc cantoris Autissiodorensis & postea episcopi Laudunensis. Cum autem gravissimas cum Johanne Cabilonensi & ejus uxore controversias exerceret, qui Autissiodorensis ecclesiæ jura bonaque quotidianis molitionibus invadebant, ad primas injurias Erardus dissimulavit: at ut audere nequiora & facere eos advertit, minas precibus immiscuit, quas cum obfirmatis comitum auribus irritas fundi videret, in civitatem Autissiodorensem & comitis ditionem interdictum fulminavit, a quo cum ad summum pontificis tribunal comites provocassent, Romam ultro se contulit suæ ecclesiæ jura tuendi causa. Ibi a summo pontifice Johanne XXI & cardinalibus honorifice susceptus, virtutum maximarum quæ in eo elucebant commendatione primus Autissiodorensium præsulum in purpuratorum patrum collegium allectus est cardinalis episcopus Prænestinus a Nicolao III Johannis successore 12 Martii 1278, quo honoris gradu brevissimo 1278.
tempore potiri ei licuit per immodicos urbis calores, quibus ferendis impar, ardente febri correptus, accedente ventris profluvio quod comprimi non potuit, sublatus est prius sacramentis ecclesiæ procuratus an. 1278 XV cal. Aprilis, episcopatus sui 7, duobus circiter mensibus & hebdomadis tribus transactis. Corpus ejus Autissiodorum relatum ad S. Stephanum, eodem quo avunculi tumulo conditum fuit.

LXIV. GUILLELMUS III. DE GREZ.

Defuncto paulo post adeptam purpuram Erardo, canonici pro regni more eligendi episcopi facultatem a rege petiere an. 1277, hic est 1278, ex chartis thesauri. Concessa autem facultate diem Jovis post Nativitatem Domini ad tractandum Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 66.
de electione assignarunt die Veneris post festum Omnium Sanctorum 1278, qua die præfixa inter episcopos Cenomanensem & Matisconensem scissis canonicis, Nicolaus III, quia electi a capitulo jam erant episcopi, promovit Guillelmum Carnotensem decanum Romæ tunc agentem, regique significavit anno pontificatus 2,
1279. Guillelmus autem Philippo III Audaci 1279.
a consiliis, in aula clericorum primarius & in ecclesia Carnotensi decanus, a summo pontifice designatus & consecratus, forte mense Septembri,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Autissiodorensis episcopus, in Galliam reversus A
communibus canonicorum Autissiodorensium
suffragiis acclamatus, sedis suæ possessionem adiit
1280. Sabbato ante festum S. Johannis-Baptistæ 1280,
indeque Senonas profectus Giloni archiepiscopo
solitam promisit obedientiam. Eodem anno apud
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 66. Regennas dum ageret fer. 6 ante festum sancti
Laurentii immunitatem Crevenni civibus a cano-
nicis S. Stephani concessam approbavit. Eodem
anno concilio Senonensi adfuit die Mercurii post
festum S. Michaëlis. Ab executore testamenti
Guidonis decessoris domum Parisiis in vico S.
Cosmæ sitam Sabbato ante Annunciationem
Ch. CXV, col. 179. accepit. Johannem Cabilonensem pro comitatu B
Autissiodorensi & Coulangiis ad Icaunam in
aula palatii episcopalis sibi clientelæ sacramentum
profitentem admisit die Jovis post festum sancti
Gregorii. Anno 1281 Robertus comes Niver-
Ch. CXVI, col. 180. nensis homagium ligium ei præstitit die Mercurii
post Pentecosten, causa baroniæ de Donziaco,
castrorumque Conadæ, S. Salvatoris & Murati.
Ch. CXVII, col. 180. Idem exhibuit Haymundus de Anglia comes
Leicestriæ & Campaniæ die Lunæ post festum
Omnium Sanctorum. Eodem permutationem
inter canonicos S. Stephani & Imbertum Bello-
jocensem Francici exercitus imperatorem & Eli-
sabethæ de Melloto antea Juniacensis comitissæ C
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 293. conjugem sua syngrapha firmavit. Ordinavit
modum visitationis in parthenone Crisenonensi
1285. 1284 mense Februario. Giaci episcopi subditos
Ibid. p. 70. servitio exemit 1285. Ordinavit eodem anno
annuale præbendarum ecclesiæ Autissiodorensis
vacantium in gratiam S. Eusebii. Donum Var-
Ibid. p. 71. ziacensibus ab Hugone decessore factum 1202,
1286. approbavit 1286 Martio. Sacellum Pontis-Che-
vronii abbati S. Laurentii contulit anno 1287.
Ch. CXVIII, col. 181. Eodem electam Crisenonis abbatissam confir-
mavit. Margaritæ de Montibus electæ Faræ mo-
1289. nasterii 800 libras commodavit anno 1289,
quo jus suum adversus æmulam prosequeretur. D
Eodem anno delegatus est cum Guillelmo Roto-
magensi archiepiscopo ad colligendam decimam
regi a summo pontifice concessam, ut constat
ex ejus literis ad clerum Senonensem datis Sab-
bato post S. Andream hujus anni. Lustratis Gie-
mensibus & Varziacensibus ecclesiis statuta quæ-
1292. dam ab iis observanda condidit anno 1292.
1293. Insequenti, nempe 1293, fer. 6 ante festum
Purificationis B. Mariæ devixit relicto episcopatu
omnium negotiorum litiumque immuni. Epi-
taphium quod ejus tumulum antehac in choro
cathedralis positum exornabat, eum præsulem
egisse tredecim dumtaxat per annos, menses 4 E
& dies 30 significabat; & certe ab anno 1279
mense Septembri usque ad anni 1293 mensem
Januarium totidem sunt anni, menses & dies.
Fallit ergo episcoporum liber apud Labbeum,
16 enumerans quoquomodo intelligatur. Necro-
logia S. Eugeniæ Varziacensis & sancti Martini
Clameciacensis in quibus annuum sibi funebre
paraverat, Guillelmum memorant. Obitus ejus
celebratur IV calend. Februarii in ecclesia Bel-
lovacensi.

LXV. PETRUS I.

ANNI CHRISTI — DE MORNAY.

Post obitum Guillelmi canonici Autissiodo-
renses duas celebrarunt electiones, quarum in
una electus est in discordia Ferricus de Lotha-
ringia, præpositus S. Deodati Tullensis, in altera
vero Petrus de Gressibus canonicus Autissiodo-
rensis. Scissi itaque canonici summum pontificem
appellarunt. Hic, Cœlestinus V qui sedere cœpit
29 Aug. 1294, Petrum S. Eustachii diaconum
cardinalem utrique electo concessit auditorem &
cessit 13 Decembris anni ejusdem. Bonifacius
vero VIII Cœlestini successor utriusque cessione Ch. CXIX, col. 181.
admissa Petrum ex Aurelianensi ad Autissiodo-
rensem transtulit ecclesiam pridie nonas Febr.
pontificatus an. 2 1296, tribus post defunctum 1296.
Guillelmum annis. Post recitatum archiepiscopo
Senonensi fidei sacramentum, ad S. Germani
monasterium more consueto venit, ibique per
sex totos dies egit, quibus tot insanis sumtibus
monasterium prædictum exhausit, ut tam graves
impensas apud Bonifacium VIII conquestus
Hugo abbas, decem librarum pro singulis diebus
definitionem pro sumtibus ab eo obtinuerit dato
diplomate IV id. Aprilis 1304. Anno 1296
palatium episcoporum Autissiodorensium Parisiis
exstructum novis operibus ampliavit. Ludovicum
Nivernensem comitem pro ditionibus Donziaci, Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 84.
Conada, Castro-novo, S. Salvatore & Murato
debitum clientelæ profitentem excepit, ac arbi-
trario judicio abbatem Cluniacensem monachis
Caritatis de eligendo priore diffidentem conci-
liavit. Interfuit regio Parisiis habito Luparæ con-
silio 21 Januarii 1297. Cum Egidio Narbo- 1297.
nensi & Guillelmo Ambianensi præsulibus Tor-
nacum missus est a Philippo rege ad inducias
ineundas cum Anglorum rege, quarum pactioni
præsens fuit anno 1298. Ab eodem rege cum 1298.
iisdem deputatus est die Veneris ante festum
S. Johannis-Baptistæ 1299 ad preces Bonifacii 1299.
VIII ad tractandum de pace cum Anglo. Cum
episcopo Ambianensi ab eodem summo pontifice
delectus est mense Januar. 1301 ad inquirendum 1301.
& dispensandum Carolum *de Valois* fratrem Phi-
lippi pulcri pro contrahendo matrimonio cum
Catharina imperatrice C. P. ejus consanguinea.
Anno 1302 a Philippo pulcro & clero Galli- 1302.
cano Romam ad Bonifacium VIII legatione ex-
traordinaria missus est protelandi causa concilii
quod pontifex Romæ indixerat celebrandum.
Concilio adstitit & de pace egit. Eodem anno
confirmavit statutum factum a capitulo, ut epis-
copus recipiendus juraret se decem libras Pari-
sienses soluturum ad usum cappæ de serico a
capitulo retinendæ. Anno 1303 ad futurum 1303.
concilium generale appellavit adversus minas a
Bonifacio intentatas. Eodem optimatum comitiis
ad Theoderici castrum coactis secundus inter
prælatos assedit. Eodem sibi justum funebre
quotannis persolvendum in cathedrali æde collatis
sumtibus effecit. Factus est anno 1304 Franciæ 1304.
cancellarius. Eodem anno cum Guidone abbate
sancti Germani composuit de correctione &
punitione monachorum. Anno 1305 subscripsit 1305.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

supremis tabulis Margaretæ Burgundæ, Jerosolymorum & Siciliæ reginæ. Subscripsit & pactis inter Hugoninum filium Roberti ducis Burgundiæ & Agnetem filiam S. Ludovici anno
1306. 1306 die Mercurii post *Quasimodo*. Eodem anno dum in castro Regennæ ageret, morte præventus decessit 29 Maii die festo SS. Trinitatis, prius condito testamento, cujus curatores ab eo rogati & instituti, Guillelmus Bajocensis & Guido Suessionensis episcopi, Johannes *d'Auxy* cantor Bituricensis, Guido Manguinus Aurelianensis canonicus, Guillelmus de Ripa Autissiodorensis scholasticus, Lambertus de Ballenaio cantor B. Mariæ de civitate & Matthæus de Bernaio canonicus S. Lazari Avalonensis. In majori S. Stephani æde quam 10 annis rexit, ex necrologio Varziacensi, tumulatus requiescit secus Guidonem de Melloto. Ejus annuum funebre ut collegiatæ Varziaci & Clamiciaci celebrent quotannis constituto censu procuravit. Memoratur XV cal. Martii & IV cal. Junii in necrologio S. Crucis Aurelianensis, ubi anniversarium habet.

DE BELLEPERCHE.

LXVI. PETRUS II.

Defuncti Petri in locum facultatem eligendi postularunt canonici an. 1306 ex chartis thesauri. Elegerunt-ne? at certe Petro post aliquot menses successit Petrus a Clemente V promotus, huicque ut celeriter provisionis literas transmitteret papam rogavit Philippus IV Francorum rex epistola a Baluzio inserta collectioni veterum actorum pertinentium ad vitas paparum Avenionensium, col. 87. Natus is Lucenaii ad Elaverim diœcesis Nivernensis, canonicus Bituricensis & Carnotensis, thesaurarius S. Frambaldi Silvanectensis &
Tom. VII, col. 207. decanus Parisiensis, vir in utroque jure peritus, factus Autissiodorensis episcopus bullas a Clemente V obtinuit anno 1306. Ab ipso rege Philippo inductus, nullo majorum apparatu adhibito possessionem ecclesiæ adiit, nec multo post Senonensium præsuli sacramentum fidei dixit. Regis Francorum sigillifer a mense Octobri, regni negotiis attentior quam ecclesiasticis diœ-
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 87. ceseos rebus vacavit. Attamen scholasteriæ Autissiodorensi univit altare S. Germani in eadem
1307. ecclesia 10 Junii 1307. Eodem anno testamento Amedei Sabaudiæ ducis præsens adsuit, eodemque cum Theobaldo archidiacono Lugdunensi delegatus est a rege ad interpretandam concordiam inter regem & capitulum Lugdunense. Præpropera morte Parisiis occubuit 17
1308. Januarii sequentis. Volunt aliqui sepultum in ecclesia parochiali Villænovæ prope castrum Bellæperticæ ab ipso exstructum, in qua ecclesia fundaverat octo capellanos quibus Philippus rex literas dedit Meloduni an. 1307 mense Martio, unde liquet Petrum jam mortuum esse: sed epitaphium quod in choro Parisiensis ecclesiæ prope aquilam olim legebatur, contrarium suadet, quod sic se habet:

Hic jacet in cella Petrus cognomine Bella
Pertica, perplacidus verbis, factis quoque fidus,
Legalis, planus, velut alter Justinianus,
Mitis, veridicus, prudens, humilisque, pudicus
Summus doctorum, certissima regula morum,
Parisinorum decanus canonicorum.
Autissiodorica digne sumpta sibi sede
Tempora post modica carnis secessit ab æde
Annis sub mille ter C septem simul ille
Sulpitii festo migravit ab orbe molesto.
Det sibi solamen spiritus almus, amen.

DE GRÈS.

LXVII. PETRUS III.

Quatuor sunt in collectione actorum veterum Baluzii, tom. II, pagg. 84, 85 & 115 literæ, tres Philippi regis ad Clementem V & quarta Clementis de provisione ecclesiæ Autissiodorensis. Harum prima cujus latores fuere Alanus de Lambalia canonicus Laudunensis & Petrus de Diciaco, rex Petrum de Gressibus ad futuram mox electionem ecclesiæ Autissiodorensis, secunda eumdem a saniori parte electum R. diacono cardinali sanctæ Mariæ novæ commendat, utramque historicus Senonensis ad præcedentem electionem antevertit, deceptus forte epocha & ordine quæ Baluzius utrique affixit, qua de causa ignoro. Tertia epistola rex in electione proxime facienda veritus ne controversia magna suboriatur, quia a majori capituli parte electus non fuisse videtur Petrus, summum pontificem rogat ut provisionem hujus ecclesiæ ad tempus mutuæ visionis reservet: quarta denique Clemens V attentis scandalis quæ ex dissensione electorum occasione electionis inibi faciendæ evenire timentur, ut accepit, electionem sibi reservat, nisi fiat in concordia. Datum Pictavis pridie nonas Apr. pontificatus 3. Itaque

Petrus de *Corbeil*, dictus de Gressibus, Guillelmi cognominis ex fratre nepos, Johannis autem Franciæ marescalli germanus, doctor in decretis, canonicus Carnotensis, cantor Parisiensis quo tempore missus est anno 1305 a Carolo comite Valesiæ ad salutandum Clementem V noviter electum, cancellarius Briæ, Navarræ & Campaniæ, post vacationem plurium mensium apostolica provisione ad sedem episcopalem promotus, electus adhuc cum archiepiscopo Senonensi & episcopo Aurelianensi a Clemente V Pictavis V id. Augusti jussus est ut inquirerent de criminibus Guichardo Trecensi episcopo impositis, & ad ipsum referrent. Cum autem nondum esset sacerdos, ordinatus est apud Montem-Lethericum a Guillelmo episcopo Paris. die S. Thomæ sacra, inunctusque episcopus Dominica in vigilia Epiphaniæ 1309 Parisiis, 1309.
qua die fecit convivium festivum & solenne apud Fratres Minores. Obsequii formam quam apud Senonensem metropolitanum professus est in rituali præcentoris Senonensis descriptam, & ejus in monasterio S. Germani exceptionem inter acta Guidonis abbatis habes. Cameræ apostolicæ solvit 22 Maii 1309. Eodem consanguineus subscripsit pactis matrimonialibus Isabellæ filiæ Ingeranni de Marigniaco cum Guillelmo de Tancarvilla Rotomagi die Veneris post sanctam

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Lucam. Parisiis adhuc erat 15 Decemb. 1309. A
Insequenti anno comitatum Autissiodorensem,
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 88. castellanias Donziaci, Conadæ, Castri-novi in
valle Bargiaci, S. Salvatoris, Vincellæ, Verman-
1309. tonis, Malliaci villæ, Malliaci castri & Colen-
giarum super Icaunam jure feodali defectu fidei
Ibid. clientelaris sibi non exhibitæ sub manu sua redigi
procuravit die Martis in festo B. Mariæ 1310.
Ibid. p. 295. Convenit ad concilium Viennense anno 1311.
1311. Vocatus eodem anno ad concilium Senonense
vocavit & suos. Decimæ a Clemente V in Vien-
nensi concilio Galliarum ecclesiis indictæ & Phi-
lippo pulcro in Jerosolymitanam expeditionem
1313. contributæ coactor designatus est anno 1313. B
Ibid. p. 90. Archipresbyterorum titulos ac officia de consensu
1314. capituli perpetuavit an. 1314. Eodem institutus
est executor extremæ voluntatis germani sui
Johannis Franciæ marescalli. Circa id tempus
adstitit dedicationi ecclesiæ de Escoyaco Roto-
magensis diœcesis. Archiepiscopo Bituricensi
scripsit decimas a concilio Viennensi Philippo
pulcro patri ad subsidium terræ sanctæ concessas,
Ludovico filio deberi de statuto prælatorum,
mandatque ut illas in sua quisque diœcesi col-
1315. ligat 8 Julii 1315. Regni conventui quem par-
lamentum dixere in festo S. Andreæ habito
1317. interfuit an. 1317. Eidem & ecclesiæ Autissio- C
Ibid. p. 93. dorensi Jacobus Pontiniaci & Henricus Rupium
abbates benedicti obsequii fidem pro consueto
1319. usu detulerunt an. 1319. Insequenti indagavit
1320. de veritate reliquiarum S. Amatoris in ecclesia
Ibid. p. 94. cathedrali quiescentium. Archipresbyteratus quos
perpetuos effecerat iisdem archipresbyteris de
1321. novo contulit anno 1321. Eodem & 1325
Ibid. p. 97 & 99. abbati S. Germani concessit facultatem divina
officia celebrandi in capellis domorum de Perig-
niaco. Eodem ægrotans instituit die 24 Junii
sui testamenti executores Hugonem de Nigella
præpositum de Auversio in ecclesia Carnotensi, D
Johannem de Mota archidiaconum, Petrum ejus
fratrem thesaurarium, suos consanguineos, ut de
bonis ipsius ordinarent & disponerent prout uti-
1323. lius viderent expedire. Anno 1323 a Ludovico
Ibid. p. 93. Flandrorum & Nivernensium comite feudalia
jura ob eas ditiones quas Autissiodorensis ecclesiæ
beneficio possidebat exegit. Tandem cum nimia
carnis sagina gravis, munerum episcopalium minus
videretur esse idoneus, coadjutores accepit, quan-
quam eo non omnino intermiserit, contaminatam
enim cruore effuso parochialem Dei-paræ ædem
1325. apud Caritatenses expiavit 13 Julii anni 1325
sine præjudicio privilegiorum Caritatensis mo- E
nasterii, quæ eodem tempore confirmavit. Paulo
post, scilicet 21 Sept. fatis concessit an. 1325.
Humatus in cathedrali ecclesia juxta patruum
conquiescit.

Post obitum Petri, rex cui Petrus multam
Ibid. p. 99. debebat pecuniam, manum injecit in domum
& prædium de Gressibus, quæ Philippo comiti
de Valesia mense Januario 1326 divendidit.

LXVIII. PETRUS IV.

DE MORTEMAR.

E vico Mortui-maris in finibus Lemovicum
& Pictonum, genere quidem mediocri ortus
Petrus, sororem tamen habuit quæ Petrum de
Banhaco cardinalem genuit. Ipse vero acutissimi
vir ingenii, ac juris utriusque professor solennis
& inter consiliarios regios strenuissimus, necnon
cantor Bituricensis, nuncius cum aliis missus est
ad Johannem XXII papam a Carolo IV rege
pro dissolvendo ejus cum Blancha de Burgundia
matrimonio, cujus negotii pro rege procurator
erat Petrus Galvani, memoratus in eadem bulla
Johannis XXII, data XIV calend. Junii, ponti-
ficatus 6, apud Baluzium collect. Act. veter.
tom. II, col. 440. Unde patet Petrum Galvani
diversum esse a Petro de Mortuo-mari. Factus
hic episcopus Vivariensis anno eodem 1322, *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 100.*
triennio post concessa a Carolo pulcro die 5 Oct.
cogendi sacra comitia facultate, omnium sancti
Stephani canonicorum suffragiis Autissiodorensis
præsul designatus, accedente diplomate Johannis
XXII, sedem adiit Dominica 2 Novembris
1325 magno apparatu exceptus, & a quatuor
baronibus, quorum id muneris est, ad primariam
ædem delatus, ex quibus Ludovicus Flandriæ
comes & Donziensis baro pontificium annulum
in obsequii impertiti pignus irrito conatu ex epis-
copi digito nisus est abstrahere. Fuerat prius ad S.
Germanum exceptus totis sex diebus iis sumtibus
quos Bonifacius VIII rescripto expresserat. Soli-
tum quoque ecclesiæ Senonensi præstitit obse-
quium. Cameræ apostolicæ promisit mense Jan.
1326. Cum Petro Carnotensi episcopo a Carolo
rege legatus fuit 1 Aprilis 1326, qui 1327, ad 1327.
tractandum de pace inter reges Franciæ & An-
gliæ. Interfuit 2 Maii 1327 Lutetiæ solenni
translationi digiti S. Jacobi. Eodem anno facul-
tatem a canonicis impetravit centum jugera e *Ibid. p. 101.*
Varziensi silva in urgentem ecclesiæ necessitatem
distrahendi, ea tamen lege ut tantumdem in
Regennensi nemore servarentur integra ad Re-
gennensis castelli usum & prædiorum suorum
sarta tecta instauranda. Actis in pontificio regi-
mine duobus annis, Johannes XXII hunc in
sacrum senatum legit XV calend. Januarii 1327
presbyterum cardinalem tituli S. Stephani in
Cœlio-monte, & anno sequenti contulit ei archi-
diaconatum Constantini in ecclesia Constan-
tiensi. Defunctus 14 Aprilis 1335, ubi natus
sepultus est in ecclesia de Mortuo-mari. Reliqua
videsis in cardinalibus.

LXIX. TALAIRANDUS.

DE PERIGORD.

Natus parentibus quos diximus tom. II, col.
532, Talairandus, ex archidiacono Petracori-
censi, dein Richemondiæ in ecclesia Eboracensi
electus Lemovicensis an. 1324, ætatis 21, ad
ecclesiam Autissiodorensem translatus est anno
1328. Annos natus 25 a summo pontifice con- 1328.
secratus fuit. Cameræ apostolicæ promisit 9 Jan.
1328, subsidiumque ei a summo pontifice in- *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 102.*
dultum fuit, cui omnes ecclesiasticæ diœcesis
personæ satisfacere jussæ sunt die Lunæ post festum
Omnium Sanctorum ejusdem anni. Sedem nullo
apparatu iniit, nisi quod sex diebus in monasterio
S. Germani ex formula Bonifacii VIII hospitio
exceptus fuit. Raimundum a S. Crispino vicarium
generalem

Digitized by Google

ANNI CHRISTI generalem habuit, cui anno 1328 die Martis A
ante festum B. Magdalenæ potestatem fecit con-
sentiendi suo nomine transactioni initæ inter
Gaucherum abbatem S. Germani & parochum
1329. Iranceii. Anno 1329 memoratur 24 Januarii
in regestis Vaticani. Eodem Colangiis dato di-
plomate fundationem Cartusiæ de Bassavilla con-
1330. firmavit. Anno 1330 interfuit dedicationi ec-
clesiæ S. Ludovici Pissiacensis. Avenionem evo-
catus a Johanne XXII cardinalis tituli S. Petri
ad vincula creatus est solus in ea promotione quæ
1331. incidit in sextam feriam Pentecostes anni 1331,
utque *habiliter* veniret, ecclesiam Autissiodoren-
sem ad instans festum B. Magdalenæ commen- B
davit ei pontifex epistola data VIII calend. Julii.
Ceterum toto fere quo Autissiodori sedit tem-
pore Talairandus, semper Odenti egit castello di-
tionis pontificiæ, quod novis operibus ornavit,
vacandi sacris literis causa, procul a turbis &
causis. Reliqua quæ ad eum pertinent, habentur
in historiis cardinalium. Legendus Maxime Ba-
luzius in notis ad vitas paparum Avenionensium
tom. I, col. 770. Obiit Avenione 18 Januarii
1364, condito prius testamento, quo inter alia
centum auri florenos Autissiodorensi ecclesiæ
attribuit. Ab illo post Sammarthanos recudendo
abstinuimus, quod a Martenio Anecd. tom. I, C
col. 1468, denuo editum fuit.

GUENAUT.

LXX. Aimericus.

Allecto in sacrum senatum Talairando, de
subrogando successore aliquandiu altercatum fuit
& Autissiodori a canonicis S. Stephani & Ave-
nione a patribus. Propendentibus in Stephanum
de Mornaio decanum Turonensem pluribus,
contra nitentibus aliis, rejecto tandem Stephano
qui ob multos obices cessit, Aimericum nobilem
Pictavum, juris consultissimum, regis clericum
& libellorum supplicum magistrum Philippi D
Valesii & Johannæ reginæ precibus exoratus
Johannes XXII Autissiodorensem episcopum
designavit Sabbato IV temporum ante Natale
Domini an. 1331, qui cameræ apostolicæ electus
1332. promisit 19 Februarii 1332. Electus confir-
Ch. CXXII, col. 183. matus Petro Jerosolymitano patriarchæ licentiam
fecit benedicendi & consecrandi cimeterium &
ecclesiam Cartusianorum de Bassavilla, quod præs-
titit Petrus die 2 Aprilis 1332. Electus adhuc
comitiis in camera computorum Lutetiæ fer. 4
ante Dominicam Palmarum habitis adfuit, nec
1333. nisi ad annum 1333 in festo S. Lucæ solenni
concursu exceptus Autissiodorum venit, præstito E
jurejurando de conservandis canonicorum juribus,
quod anno 1335 calend. Sept. porrecto sacrorum
evangeliorum osculo renovavit. Majus altare con-
1334. secravit an. 1334. In Bassævillæ Cartusianorum
1335. monasterio exceptus anno 1335, monachis de
Ch. CXXIII, col. 184. immunitate cavit sua, scripto professus se devo-
tionis non jurisdictionis causa eos invisisse. Anno
eodem benedixit Petrum abbatem Belli-loci ad
preces capituli Turonensis sede vacante. Paro-
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 102. chialem ecclesiam S. Amandi ad monachos S.
Germani spectantem contulit an. 1336. Grave
1336. cum monachis de Caritate dissidium habuit quod
suum præpositum Bonniacensem qui duos clericos ANNI CHRISTI
Anglos patibulo affixerat præter fas tuerentur,
qua lite ad senatum delata, justitiam spiritualem
sibi asseruit. Guillelmi *de Sainte-Maure* decani
Turonensis & Franciæ cancellarii exsecutor ta-
bellis testamenti suum apposuit sigillum 9 Nov.
1338. Insequenti, Martio ineunte, eum Bene- 1338.
dictus XII ad Rotomagensem metropolim trans- 1339.
tulit. Annuum justum in Autissiodorensi ecclesia Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 103 & 299.
cum capellania S. Martini fundavit, & sacrum
S. Spiritus quotannis cal. Sept. ad S. Eugeniam
Verziacensem persolvendum assignatis proven-
tibus instituit.

LXXI. Johannes II.

DE BLANGY.

Translato ad sedem Rotomagensem Aime-
rico, Benedictus XII motu proprio Autissiodo-
rensem episcopum designavit Johannem de
Blangiaco, quod in studio theologico commi-
litones, quod in eadem licentia doctorali pileo
una donati quodque insimul professores theolo-
gicæ disciplinæ extitissent. Vir Neustrius Johan-
nes fuit e diœcesi Rotomagensi natus, doctor
Navarræus & insignis theologiæ professor, ac
Volcassinus in ecclesia Rotomagensi archidia-
conus, qui celeberrimo conventui ad Vicennas
coacto interfuit quo sanctorum animas clara Dei
visione statim a morte perfrui definitum est
Dominica 4 Adventus an. 1333. Electus autem
episcopus cameræ apostolicæ promisit 13 Martii
1339. Guillelmus Pontiniaci abbas ab ipso be-
nedictus fidei obsequium ei præstitit an. 1340, 1340.
quo & ipse anno Atrebatensi illi conventui in Ch. CXXV, col. 185.
quo inter Philippum regem & Eduardum An-
glum induciæ pactæ sunt Philippi nomine adfuit,
egregiamque cum duce Borbonio, Flandriæ,
Alenconii & Blesarum comitibus & Petro Ro-
gerio Senonensi ac Bellovacensi præsulibus operam
regi navavit. Initum pontificium ægre per aliquot
annos retinuit, ad suave studiorum commercium
anhelans, cui a teneris Lutetiæ assueverat: quare
impetrata a Clemente VI missione, annuaque ex
pontificiis proventibus retenta pensione, episco-
patum in alterum rejecit & Parisios se recepit,
quo cum cymba devehitur, sævo vexatus frigore,
in febrim eamque continuam incidit, qua paucis
postquam eo advenerat diebus, idibus nempe
Martii anno 1345 consumptus obiit, ad Car-
tusianos Paris. coram majori ara sepultus, ubi
epitaphio honestatur.

LXXII. Petrus V.

DE VILLAINES.

Nobilis quoque Neustrius Petrus apud Bajo-
censes ortus, per cessionem Johannis a Clemente
VI in Nativitate Domini anni 1344 sedem
Autissiodorensem adeptus, cameræ apostolicæ
solvit 15 Aprilis, 8 Sept. & 24 Dec. 1346. 1346.
Concilio provinciali adsuit Paris. habito 14
Martii 1347. Anno eodem calendis Maii eccle- 1347.
siam suam solenniter ingressus est. Solus tamen e
quatuor baronibus pompam honestavit Johannes
Cabilonensis comes Autissiodorensis quicum ea-
demmet die de mutuæ justitiæ limitibus transegit
episcopus consentiente capitulo. In veteri codice

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ecclesiæ cathedralis hæc leguntur: *Prima die mensis Maii reverendus pater P. de Villanis episcopus Autissiodorensis, osculato textu evangelii ante inthronizationem suam juramentum fidelitatis præstitit.* Cum per id tempus variis res Gallica motibus quateretur, & passim provincias turbulenti homines infestarent partium prætextu, Regennarum & Villæ-Catuli castra novis operibus, fossis, balistis munivit, & in Odenti domo sacellum & cameram egregii operis construxit, ac Odenti subditos sub certis conditionibus quas tamen ejus successor abrogavit, libertati asseruit. Patriæ revisendæ desiderio ad ecclesiam Bajocensem trans-
1348. ferendum se curavit ad annum 1348.

LE BRUN, vel potius BRUNY.

LXXIII. BERNARDUS II.

Patria Lemovix Bernardus, nempe in castro quodam Lemovicensis provinciæ nobis incomperto, non in ipsa urbe Lemovicibus natus, qui ex Aniciensi episcopatu ad Noviomensem transierat an. 1342, translato ad Bajocensem Petro & ipse ad Autissiodorensem sedem sacro Pentecostes die translatus fuit, quo nomine cameræ apostolicæ solvit ultima Octobris 1348. Vir antiquariæ rei callentissimus & inter sui seculi præsules sapientissimus & ditissimus, ac ecclesiæ jurium strenuissimus assertor fuit. Bellarienses & Bassævillæ monachi Cartusiani, necnon Clamiciaci S. Martini canonici ejus prælati liberalitatem experti, memoriam justis annuis prosequuntur, ac eam in suis necrologiis consecrant. Hic Odenti mansione plurimum delectatus, locum tribus editis turribus & aliis operibus exornavit, cumque immunitatem a decessore inquilinis concessam juribus ecclesiæ perniciosam judicaret, lite intentata eam abrogandam suscepit, quam morte præventus cum ad exitum perducere nequivisset, mille florenos auri ad eam prosequendam supremis tabulis successori legavit. Obiit in castro de Villa-
1349. catuli circa festum Omnium Sanctorum 1349. Corpus prout testamento jusserat Lemovicas deportatum, ad introitum chori S. Martialis humatum fuit. Memoratur XII cal. Dec. in necrologio S. Leonardi Nobiliacensis.

DE CROS.

LXXIV. PETRUS VI.

E Silvanectensi ad Autissiodorensem ecclesiam translatus Petrus, cameræ apostolicæ 10 Dec. 1349 promisit. Insequenti factus est presbyter cardinalis sancti Martini in Montibus 17
1350. Dec. 1350 a Clemente VI ejus consanguineo. Quare nunquam urbem ingressus, cum Avenionem petens illac iter haberet clerum & populum in suburbio ad fontem S. Amatoris occurrentes salutavit, & erudita concione recreavit, ipse vicissim muneribus & commeatu honestatus.

ALBERTI.

LXXV. AUDOINUS.

E Parisiensi ad Autissiodorensem ecclesiam translatus Audoinus a Clemente VI circa Nativitatem Domini 1350, cameræ apostolicæ pro-
1351. misit 10 Januarii 1351. Emit a Rainulfo *Helie* 27 Febr. anni ejusdem seu 1352 hominium apud Pompadorium. Ex Autissiodorensi vero ad Magalonensem sedem traductus in die Nativitatis Domini 1352 ab Innocentio VI ejus patruo, 1352.
ut futurus cardinalis 15 Febr. 1353, Magalonensis nomen accipere posset, quia duo jam erant cardinales Autissiodorenses. Nihil dignum hoc gessit sacerdotio, nisi quod de consensu capituli castellum de Pulchro reditu solo æquavit, & ecclesiæ Autissiodorensi supremis tabulis 300 pro funebri annuo florenos legavit & calicem auratum.

Vivebat ea tempestate Reginaldus canonicus & cantor Autissiodorensis, postea archiepiscopus Capuanus.

LXXVI. JOHANNES III.

D'AUXOIS.

E Trecensi ad Autissiodorensem traductus ecclesiam Johannes ab Innocentio VI ipso Purificationis B. Mariæ festo 1353, ecclesiam novam 1353.
adiit IV calend. Sept. solenni ordinum omnium concursu exceptus. Quatuor qui eum a S. Germani monasterio ad S. Stephanum barones deduxere, sericum quo exedra tegebatur tapetem sustulere, quem quia præter fas detentum non reddebant, illis Johannes sacris interdixit, vicissimque illi clientelarem fidem & feodalia jura episcopo abnegare, quod tamen dissidium amicorum opera sedatum est. Litigatum quoque ab Senonensis archidiaconi officiariis fuit, quod domini sui jura & prærogativas antiquata fuisse in hoc festivo ingressu quererentur: quibus etiam placatis, Senones paulo post profectus Johannes professionem solitam archiepiscopo exhibuit. Cameræ quoque apostolicæ promisit 1 Martii 1354, & 1354.
pro Petro decessore solvit 4 Aprilis. Ecclesiam Dominicanorum dedicavit die Veneris in festo S. Magdalenæ 1356, & indulgentias concessit. 1356.
Festum Decollationis S. Johannis-Baptistæ ritu duplici celebrandum in cathedrali ecclesia edixit. De controversis ecclesiæ juribus cum capitulo pactus est an. 1357. Demum quinto sui episcopatus anno cum adversa valetudine laborare 1357.
cœpisset ingentem mœrorem ei attulit Regennarum castri episcopalis expugnatio ab Anglis 8 Dec. 1358 facta, qui partes Caroli Navarræ 1358.
regis tuebantur, & hinc egressi infestis signis Autissiodorum tentabant, quod obsessum cum subitanea oppugnatione invasissent, fer. 5 post Epiphaniæ festum 1359, recrudescente per 1359.
ærumnas morbo, sacramentis omnibus procuratus spiritum exhalavit. Corpus ad S. Stephanum elatum inter sepulcrum Guidonis de Melloto, & Odeum humatum fuit. Testamento ecclesiæ cathedrali in justum annuum 100 libras dereliquit.

Hist. Autiss. tom. II. prob. p. 107.

LXXVII. ITHERIUS.

LA JAROSSA. al. DE JAROUSSE.

Nobilis Lemovix Iterius, prius fuerat scholasticus Noviomensis & vicarius generalis Audoini Alberti Paris. episcopi anno 1350. Ab Innocentio VI cui erat familiaris, ad Autissiodorenses infulas evectus, possessionem per procuratorem VIII idus Martii 1359 adiit. Triduo V id. Martii die Dominica Angli capto Regennensi castro urbem quoque admotis scalis mœnibus expugnarunt nomine Caroli Navarræ regis.

ANNI CHRISTI Sed recepta omnia Delfini Caroli armis intra A
hunc eumdem annum, Iteriusque Regennense
castrum interventu summi pontificis & ingenti
ære numerato Calvimontis & Trecarum præto-
ribus, qui hoc imposito militum præsidio firma-
verant, recuperavit. Quare Avenione semper
Anecd. t. II, col. 891. remansit apud Innocentium VI qui eum cum
Stephano abbate Massiliensi mittendum duxit
pro mente sua aperienda & exponenda archi-
episcopis, &c. regni Franciæ, an. 9 pontificatus,
v cal. Martii. Paulo post dum Iterius iter ad
sedem meditatur, contra nitentibus amicis, qui
Arelatensem huic archiepiscopatum & cardina-
litiam purpuram ab Innocentio ostentabant, peste B
inguinaria quæ vigebat in curia Romana suffo-
1361. catus VI id. Junii an. 1361 Avenione decessit,
apud Prædicatores sepultus die crastina. In fu-
nebre annuum 100 francos aureos S. Stephani
canonicis legavit.

LXXVIII. Johannes IV.

Germain.

Cabilonensis jam episcopus Johannes, mortuo
Iterio Autissiodorensi Johannis regis ad preces
inopinatus ab Innocentio VI an. 1361 circa natale
S. Johannis-Baptistæ suffectus fuit, & cameræ
apostolicæ promisit pro Audoino & Johanne præ-
cessoribus 24 Sept. Possessionem solennem iniit C
mense Dec. ejusdem anni fer. 6 in festo S. Luciæ,
non servatis tamen assuetis cærimoniis. Cum
enim in Johannis regis comitatu esset, cui morte
Philippi ducis Burgundia obvenerat, & rex sus-
cepto per Autissiodorum itinere Burgundiam
peteret, hac usus opportunitate Johannes cathe-
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 108. dram capessivit, & pontificalibus indutus regem
venientem cum clero excepit. Quem in Burgun-
diam ad res componendas hujus provinciæ co-
mitatus est, erat enim ab intimis ejus consiliis.
Rex Avenionem salutandi causa pontificis se con-
ferens, Germanum cum quibusdam aliis proce-
ribus Burgundiæ præfecit usque ad proximum D
1362. Pascha anni 1362, quo anno Autissiodorum
reversus, & inde Senonas sacramentum Philippo
Senonensium præsuli recitavit. Neque diu post
superstes vixit; nam epidemia grassante in castro
Catuli, ubi tunc agebat, correptus, sacris rite mu-
nitus obiit 15 Oct. in vigilia Nativitatis B. Mariæ.
Corpus in choro primariæ ædis humatum est.
Justitiam canonicis S. Stephani in suis domibus
approbavit, ditionis pontificiæ castella Anglo-
rum & Navarræorum grassationibus deformata
restaurare studuit, decem libras pro anniversario
legavit. Huic postea sequens appositum est epi-
taphium: *Hic jacet veneranda recordationis & vitæ* E
*laudabilis, bonæ memoriæ reverendus in Christo pater
& D. dominus Johannes* Germani *de Divione
regis, Senonensis diœcesis, qui disponente divina cle-
mentia Cabilonensis, ac demum hujus Autissiodorensis
ecclesiæ præsul fuit, vir exactæ prudentiæ & bonitatis,
utriusque juris doctor eximius, illustrissimorum regum
Franciæ Johannis & Caroli consiliarius fidelissimus,
qui obiit anno Domini* M. CCCLXII *die 15 mensis
Octobris. Anima ejus in pace requiescat. Amen.*

LXXIX. Petrus VII.

Data a rege eligendi licentia penultima Oct. Aymé. Charta
1362, præfixaque a capitulo ad eligendum die CXXVIII,
28 Nov. Petrus Aimonis Arvernus juris civilis col. 187. Ch. CXXIX,
doctor, præses cameræ computorum Paris. & col. 187.
regi a consiliis, aulæ pontificiæ innutritus &
Urbani V subdiaconus, primus ab eodem desig-
natus episcopus, cameræ apostolicæ promisit 15
Nov. 1362 pro se ipso, & quinto post die pro
duplici Johanne, Iterio & Audoino antecesso-
ribus. Cathedram capessivit 13 Martii 1363. 1363.
Missus est a rege Francorum & a Philippo Bur-
gundiæ duce ad imperatorem Romanorum &
regem Hungariæ pro negotiis arcanis, ut liquet
ex ejusdem commentariolo in camera compu-
torum Paris. asservato, ex quo patet eum annis
1364 & 1365 in Hungaria degisse, cujus in 1364.
legatione collega erat Eudo de Granceyo do- 1365.
minus Petræpontis. Testis legitur in diplomate
Caroli IV imperatoris & regis Bohemiæ pro
Johanne de Groloya domino castri Neyrii, in-
dict. IV, VIII id. Jan. 1366. Adstitit hominio 1366.
quod Johannes dux Britanniæ regi Francorum
præstitit 13 Dec. anni ejusdem. Romam pro
regiis negotiis legatum fuisse probat mandatum
apud Luparam scriptum 4 Febr. 1366 (1367).
Solitam obsequii formulam Senonis emisit 7 Julii
1367, ac quæstor decumam in biennium a clero 1367.
regni permissam exegit. Gandavum a rege missus
est 13 Januarii 1368 (1369) cum Galchero 1369.
domino Castellionis & Reginaldo de Corbeia
ut pacta conjugii Margaritæ Flandriæ comitissæ
& Philippi Audacis Burgundiæ ducis sanciret.
Quinque arpenta in nemoribus de Roncellis ab Hist. Autiss.
J. de Auxeio decessore donata capitulo concessit tom. II, prob. p. 115.
22 Aug. 1370. Eodem anno Carolus V rex 1370.
acquisivit a Johanne Cabilonensi Autissiodoren-
sem comitatum. Insequenti Petrus episcopus a
rege missus est in partes Arragoniæ Johannam
regis amitam comitaturus 15 Junii 1371. 1371.
Ditionis suæ castra, palatium Autissiodorense ac Ib. p. 303.
Parisiense diversis operibus exornavit. Jurium
suorum vindex acerrimus, primus præsulum
Autissiodorensium cum capitulo litigavit, sed
arbitris re tota composita non solum canonicos
in gratiam recepit, sed largitionibus etiam de-
mereri studuit. Demum hectica febre affectus
IV non. Septemb. 1372, decessit Autissiodori, 1372.
relictis in funebre anniversarium trecentis nummis
aureis. Corpus in choro cathedralis ecclesiæ tumu-
latum parte sinistra juxta sepulcrum Johannis de
Auxeio jacet.

LXXX. Nicolaus I.

D'Arcies.

Apud Arceias in diœcesi Trecensi ortus Ni-
colaus, germanus Petri postea Trecensis episcopi
& Johannis, Carolo V a consiliis & ducis Aure-
lianensis cancellarius, primum nupserat, deinde
ex canonico Parisiensi, necnon canonico & the-
saurario S. Stephani Trecensis electus episcopus
Autissiodorensis a Gregorio XI cameræ aposto-
licæ promisit 22 Decembris 1372. Solennem
ingressum mense Septembri 1373 fecit, cui 1373.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

interfuerunt Carolus V rex per Stephanum *de Chanteloup* & Burellum *de la Riviere* qui ei hominium fecit pro Autissiodorensi comitatu, Yolendis Flandrensis & Margarita Flandriæ comitissa per procuratores Johannem *de Nouy* & Oudantium *de Thianges*. Dissidium habuit cum Nicolao *de Veres* archidiacono Senonensi, qui bullam adversus eum a Gregorio XI obtinuit qua ei confirmatum jus installandorum episcoporum provinciæ Senonensis Avenione VIII cal. Novemb. pontificatus 3. Ob exactam ejus prudentiam &
1373. in agendo industriam Carolus V in augustius consistorium eum evocavit, ac iis proceribus accensuit quibus regni habenas moderandas tra-
1374. didit anno 1374, si se fato fungi contingeret priusquam Carolus VI majoritatis annos attigisset.
1375. Parlamento ea de re habito adstitit anno 1375 20 Maii, & mense Septembri factus est præses clericus cameræ computorum. Eodem anno de
Ch. CXXX. col. 189. marca argenti die adventus episcopi a monachis pro expensis solvenda cum Stephano abbate S. Germani convenerat fer. 3 ante Ascensionem. Carolus V rex plures quæ extant literas ad eum
1376. dedit, quarum una 10 Februarii 1376 a Nicolao quærit ex quo tempore Præsentationis Dei-paræ festum celebrare cœperit ecclesia, quod nuper per totam Autissiodorensem diœcesim observandum indixerat. Decessorum sexdecim præsulum acta quæ nullis consignata literis in obscuro latebant perscribenda curavit eo ipso anno quo Parisiis vivere desiit 1376 VIII calend. Octobris. Corpus in cathedrali æde, quæ ejus quotannis anniversarium idibus Septembris celebrat, Parisiis relatum sepultum fuit. Necrologium S. Stephani Trecensis de eo ad VII id. Sept. hæc habet: *Obiit M. Nicolaus de Arceis episcopus Autissiodorensis, quondam hujus ecclesiæ canonicus & thesaurarius, pro cujus fundatione anniversarii M. Petrus de Arceis ejus frater etiam hujus ecclesiæ olim thesaurarius dedit nobis centum denarios auri nuncupatos francos.*

LXXXI. Guillelmus IV.

D'ESTOUTEVILLE.

De Guillelmo pluries locuti fuimus tomo superiore. Ex Ebroicis Autissiodorum translatus, pro Nicolao decessore recognovit 2 Martii
1377. 1377. Anno eodem 8 Julii hominium ei præstitit Carolus V rex Francorum, qua comes Autissiodori, per procuratorem. Ad idem præstandum pro baronia Donziaci inducias ab eo postu-
1380. lavit Margarita comitissa Flandriæ anno 1380. Villam de Saciaco ab heredibus Nicolai de Arceis decessoris emit. Sedit in parlamento Parisiensi
1378. an. 1378 16 Junii, & 9 Decemb. Charbonii incolas servituti exemtos libertate donavit. Ejus temporibus in ecclesia Autissiodorensi institui
1381. quatuor novi canonici Tortrarii dicti an. 1381. Ipse vero justum sibi quotannis mense Septembri persolvendum apud cathedralem sancti Stephani ædem procuravit, quamquam in ea minime
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 123. humatus fuerit; translatus enim fuit ad Lexoviensem ecclesiam medio anno 1382, ut diximus t. XI,
1382. col. 790.

LXXXII. Ferricus.

CASSINEL.

E Leutevensi ad Autissiodorensem ecclesiam traductus Ferricus promisit & recognovit pro Guillelmo antecessore 22 Oct. 1382. Sancti Eusebii ecclesiam dedicavit pridie idus Junii 1383. Antiqua canonicorum Conadæ statuta 1383.
confirmavit & nova adjecit an. 1385. Eodem 500 libras Turonenses regi mutuo dedit. Per- Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 307.
mutavit cum rege an. 1386 9 Febr. (1387). 1385.
Eodem anno litem habuit in senatu Parisiensi 1387.
cui ob verborum contumelias satisfecit. Dei-paræ Virgini addictissimus illius honorem & conceptionis prærogativas magno ardore adversus Guillelmum episcopum Ebroicensem & regium confessarium, Johannis de Montesono 14 propositiones approbantem, & Johannem Thomas Dominicanum fidei inquisitorem qui scriptis & concionibus conceptionem festumque ejus exagitarat, tutatus est annis 1387 & 1388. Publica 1388.
enim concione ad Dei-paræ Parif. ecclesiam in festo Annunciationis habitâ Johannem & Guillelmum ad palinodiam recantandam adegit Carolo VI & pluribus principibus præsentibus: cumque Stephanus Gontherus Lutecia & ex ordine Dominicano profugus, errorum Johannis Montesonii sectator Autissiodori per præpositum regium carceri fuisset mancipatus, censuris vindicavit, ac Lutetiam ad rectorem universitatis tanquam ad fidei catholicæ defensorem hunc judicandum remisit, scripta epistola ultima Maii 1389. Denique conceptionis virginalis tanto 1389.
studio efferbuit, ut regem Carolum VI permoverit ut id festum, quod nonnisi a quibusdam ecclesiis privatim colebatur, publice ab omnibus dato diplomate celebrandum toti regno indiceret. Anno 1389 ad B. Dionysii ecclesiam Sabbato post Pascha sacrum solenne fecit, qua die Carolus VI Ludovicum & Carolum Andegavenses nepotes cingulo militari succinctos equites creavit, quo etiam anno ibidem in exsequiis Bertrandi *du Guesclin* comitis stabuli orationem habuit 7 Maii. Vicedominatum Laudunensem emit iisdem anno & mense. Villam quoque Saciaci quam Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 123.
prius tenuerant Nicolaus de Arceiis & Guillelmus de Totavilla decessores comparavit, & capitulo ad anniversarium suum donavit 1 Junii. Paulo post ab Urbano VI regis precibus exorato ad archiepiscopatum Remensem translatus, cameræ apostolicæ promisit ultima Jan. 1390: Sed antequam Remos perveniret, veneno Nemausi extinctus est VII cal. Junii 1390, con- 1390.
fecto prius testamento, cujus curatores designavit Guillelmum *Cassinel* fratrem natu majorem, Philippum Savoysium & Petrum Capreolum equites. Corpus ejus Autissiodorum devectum prope latus evangelii in majori ecclesia conditum est mausolæo quod fratres ejus Guillelmus & Bertrandus cantor ipsi exstruendum curavere.

LXXXIII. Michael.

DE CRENEY.

Patria Trecensis Michaël Carolo delfino a studiis, & post eidem regi ab eleemosynis & confessionibus translato Ferrico electus Autissio-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI dorensis pro eo cameræ apostolicæ promisit & recognovit ultima Jan. 1390, solvitque 9 & 18 Febr. 1390, 22 Jan. & 21 Dec. 1391, indu-
1391. ciasque obtinuit 23 Jan. 1392. Eodem anno
1392. translationi corporis S. Ludovici in monasterio S. Ludovici interfuit. Eodem anno adstitit confirmato a Carolo VI edicto Caroli V de majoritate regum Franciæ. Eodem aut sequenti ab eodem rege designatus est testamenti ejus curator. Eodem anno, al. 1394, Philippum Savoysium sibi clientelarem fidem nomine Caroli VI pro Autissiodorensi comitatu profitentem admisit XVI cal. Aprilis. In Mariano cœnobio sacros ordines jejunio quaternario Quadragesimæ im-
1393. pertivit an. 1393. Regio conventui ad Navar-
1395. ræum collegium indicto adfuit anno 1395. Adstitit consecrationi ecclesiæ Alborum-mantel-
1397. lorum 1397, quo anno capellanias S. Dionysii & S. Stephani ad altare S. Stephani exigui in claustro Autissiodorensi fundatas cum capellania Virginis in eadem instituta univit ac proventibus auxit. Regiis negotiis irretitus anno dumtaxat
1401. 1401 nonis Junii Autissiodorum solenni apparatu invectus est a Drogone de Melloto pro comite Autissiodorensi & a Roberto *de Burnay* pro duce Barrensi. A Donziaci dynasta qui tunc temporis comes Nivernensis & Burgundiæ ducis filius erat, delegatus cum serius advenisset, moram apud præsulem excusavit Burgundiæ dux XIII cal. Januarii anni ejusdem. Eodem anno Michaël transegit 9 Junii cum canonicis de justitia quam sibi in suis domibus asserebant & aliis juribus. Richardum S. Mariani abbatem consecravit 2 Apr. 1402, cujus & Roberti ducis Barri & ba-
1402. ronis Touciacensis sacramentum clientelæ excepit
1403. 1403. Senatusconsultum obtinuit XVIII calend.
1406. Febr. 1406, quo sancitum ut ii qui ob inflictas clericis injurias sacris interdicebantur, illis restitui solius episcopi non decani beneficio possent. Extremis pontificatus annis magnam festorum dierum partem abrogavit. Parisiis parlamento
1407. annis 1405, 1407 & 1408, concilio regio
1408. an. 1407 interfuit. Procuratorem misit ad con-
1409. cilium Pisanum anno 1409. Eodem Petro de Creneyo Paris. theologo doctori quem cognatum habuisse verisimile est, canonicum in æde primaria beneficium contulit pridie calend. Octob. & III id. mensis ejusdem Parisiis in palatio Autissiodorensi devixit. Supremis tabulis in funebre annuum quingentos aureos suæ ecclesiæ legavit aliaque plurima ornamenta. In Cartusianos Parisienses propensus, plura beneficia eis erogavit, apud quos tumulatus Parisiis requiescit. Sepulcri marmoreum lapidem coram majori ara positi hoc epitaphium exornat: *Hic jacet dominus Michaël de Creneyo oriundus Trecis, episcopus quondam Autissiodorensis & Caroli VI Francorum regis confessor, qui obiit Parisiis in sua domo 13 mensis Octobris anno Domini M. CCCCIX.*

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 125.

Ch. CXXXI, col. 189.

Charta CXXXII, col. 196.

Johannes *Charton* archidiaconus Suessionensis, unus ex executoribus testamenti, metropoli Senonensi attalicam trabeam gentilitiis distinctam insignibus, albam, cingulum, amictum, stolam cum quatuor currentis monetæ libris nomine

A Michaëlis obtulit, veniam precatus non redditi a Michaële obsequii, quem dum in vivis ageret totum res regiæ occupassent. Jacobus Magnus Augustinensis Michaëli dicavit philosophicum compendium dictum sophologium.

LXXXIV. JOHANNES V.

DE THOISY.

Post obitum Michaëlis electus primo est Johannes *de Norry* canonicus, ex regestis capituli; secundo Johannes natione Burgundus, ex antiqua regulorum *de Thoisy-Cipierre* apud Æduos familia ortus, licentiatus in decretis, canonicus Parisiensis ac duci Burgundiæ a consiliis. Desig-
B natus hic a capitulo Autissiodorensi episcopus an. 1409, legavit Romam Hugonem *des Noës* & Stephanum *Moron* canonicos qui a summo pontifice sedis confirmationem expeterent. Hanc autem impetrarunt; Johannes enim legitur factus episcopus per mortem 13 Novemb. 1409 in regesto Alexandri V qui simul indulsit ei ut consecrationis munus a quolibet posset recipere antistite. Petrus quidem de Flisco electus legitur 10 Dec. 1409, Johannesque adhuc electus XI Febr. 1410, sed in regesto Benedicti XIII qui 1410.
tunc temporis a concilio Pisano depositus fuerat. Johannes enim jam XI calend. Febr. 1410 per
C Johannem archidiaconum Rotomagensem procuratorem suum possessionem adierat, qui literas apostolicas capitulo exhibuit. Hanc ipsemet capessivit mense Julio anni prædicti decano Æduensi fratre hunc comitante. Eodem anno missus est 29 Julii cum aliis a duce Burgundiæ ad ducem Bituricensem, qui eum ad aulam Caroli VI reducerent. Eodem anno 1 Augusti pecuniæ summam sibi assignatam excepit a generali subsidiorum receptore. Eodem denique anno ad ecclesiam Tornacensem translatus est a Johanne XXIII 17 Sept. per obitum ultimi, & certe hoc eodem anno 23 Oct. in capitulo prolocutum
D est de instituenda regalia, quia rumor sparsus erat de ejus ad sedem Tornacensem translatione, sicque die Veneris 20 Febr. 1411 tradita sunt claves & sigilla episcopi capitulo.

LXXXV. PHILIPPUS I.

DES ESSARTS.

Philippi *des Essarts* & Mariæ *de Bucy* filius Philippus, licentiatus in legibus & archidiaconus Suessionensis, necnon canonicus Tornacensis fit episcopus Autissiodorensis per translationem Johannis XV calend. Octob. a Johanne XXIII, electus adhuc dictus 13 Dec. in regestis Vaticani.
E Possessionem per procuratorem adiit 23 Febr. 1411, ipse vero celebri apparatu introitum cele- 1411.
bravit anno 1412 die Jovis ante Pentecosten, 1412.
quem humeris devectum in urbem induxerunt, nomine regis Robertus *de Boissay* eques, & Guido *d'Aigreville* baro S. Verani. Insequenti mense Junio turrim Touciensem subiit beneficiario jure, & in ea per aliquot dies egit, & eam ob ditionem Guillelmum *d'Assigny* fidei & obsequii jura nomine Ludovici cardinalis Barrensis præstantem suscepit. Anno vero 1415 idem sacramentum 1415.
profitentem Nivernensem comitem Philippum 6 Septembris pro Donziensi dynastia audivit.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 315.

X iij

Digitized by Google

ANNI CHRISTI Quemdam reditum assignavit Petro *de Thuilleres* consiliario parlamenti mense Febr. 1416. Præ-
1416. bendam contulit Carolo germano mense Jan.
1417. 1417. Hugo *des Noës* decanus eidem fidelitatem
1420. juravit 14 Sept. 1420; ipse vero testamenti
1422. Caroli VI executor dictus est 23 Oct. 1422.
1423. Insequenti Claudio *de Chastelus* qui villam Cravannum ad capitulum pertinentem ab hostibus ecclesiæ, regis & regni liberaverat, concessa & successoribus est præbenda, dum & quoties ad ecclesiam ipsam personaliter accederet & alicui horæ interesset. SS. Mariæ, Jacobi & Salome
1424. sororum officium duplici ritu instituit an. 1424 quotannis 25 Maii persolvendum. Diu multumque varia ob a se prætensa jura adversus decanum & capitulum litigavit. Jurisdictionem contra decanum lite mota superior evicit, licet duabus aliis intentatis pro auctoritate in decanum, canonicos & eorum domesticos asserenda, & pro certis quibusdam stipendiis quæ in anniversaria quorumdam præsulum numerare tenetur episcopus & aliis juribus causa ceciderit, quam dum majori mole instaurare pararet communium amicorum intercessione compositis sub certis conditionibus
1425. dissidiis an. 1425 pax utrique convenit. Pollutam homicidio ecclesiam parochialem B. Mariæ de
1426. Caritate reconciliavit 10 Maii 1426. Hoc eodem vitam cum morte commutavit 14 Octob. Parentatum ei est in æde cathedrali in qua prope Guidonem de Melloto humatus fuit. Decem libras francicas in funebre annuum canonicis testamento reliquit.

LXXXVI. JOHANNES VI.

DE CORBIE.

Charta CXXXIII, col. 197. *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 147.*

Philippo defuncto, Henricus Angliæ rex qui se Francorum quoque regem dicebat, capitulo denunciavit ultima Octobr. 1426, ut ne absque petita eligendi licentia eligerent, qua 2 Dec. obtenta elegerunt Johannem de Corbeia & Johannem *Vivien*, ut vult D. *Lebeuf.* Ille autem filius Thomæ quem rex nobilitate donavit mense Sept. 1389 & Margaritæ *de Cresequés*, nepos autem Arnaldi Franciæ cancellarii, licentiatus in legibus, libellorum supplicum magister & canonicus Paris. & Ambianensis, per translationem Giraudi ad Carcassonensem ecclesiam translati factus est a Johanne XXIII episcopus Mimatensis XIII calend. Maii 1413, inde translatus ipse ad ecclesiam Autissiodorensem exeunte an. 1426, quo successor ejus Ramnulfus factus memoratur episcopus Mimatensis III id. Dec. in regestis Vaticani. Promisit pro communi servitio & se
1427. obligavit 8 Aug. 1427. Possessionem iniit 16 Dec. anni ejusdem. Officium SS. Mariæ, Jacobi & Salome a decessore institutum confirmavit, & indulgentiis exornavit. Petrum Longolium vicarium majorem constituit, qui capitulo jurisdictionis ergo litem movit quæ amica compo-
1428. sitione 14 Dec. 1428 terminata fuit. Querelam habuit cum Johanne *de Poix* pro terris *de Sechelles* & *de Cuvilier*, quæ Johanni *de Poix* ab
1431. Angliæ rege adjudicatæ sunt 15 Febr. 1431,
1432. an 1432? Circa idem tempus literas dedit Eugenius papa de bonis ecclesiæ Autissiodorensis

A non alienandis, quarum executionem abbatibus S. Petri Autissiodorensis & S. Mariani extra muros Autissiodori mandavit. Hoc autem ultimo cessisse aut decessisse videtur. ANNI CHRISTI

Charta CXXXIV, col. 198.

LXXXVII. LAURENTIUS.

PINON.

Johanni Corbeiensi suffectus est Hugo *des Noës* in legibus licentiatus & in decretis baccalaureus, decanus ecclesiæ Autissiodorensis, qui in episcopum ipsius electum se sede episcopali vacante dicit in charta data die Sabbati 17 Maii 1432. Aliquot post diebus efflagitatu ducis Burgundiæ Eugenius IV ad ecclesiam Autissiodo-
B rensem transtulit pridie cal. Junii 1432 Laurentium *Pinon* e Prædicatorum ordine Senonensis cœnobii alumnum, Philippi ducis a sacris confessionibus, episcopum Bethleemitanum, quem Hugo ad disquisitionem patrum concilii Basileensis vocavit, quibus in gratiam Laurentii scripsit dux 26 Aprilis 1433, unde electus Autissiodorensis adhuc legitur 22 eorumdem mensis & anni in regestis Vaticani. At postea confirmatus Divioni benedixit ecclesiam S. Nicolai 21 Dec. 1433, memoraturque ultima die ejusdem anni 1433. in charta cameræ computorum Divionensium. Parochialem S. Genesii ædem apud Flaviniacenses
C Ferrico Æduensi episcopo concedente dedicavit pridie nonas Martii 1434, ac solenni apparatu 1434. sedem adiit pridie idus Martii. Burgundiæ ducem secutus an. 1435 Atrebatensi conventui pacis 1435. causa indicto adfuit, & bis de pacis negotio, bonis & commodis, necnon de belli cladibus in frequenti principum, præsulum & legatorum consessu peroravit, nec minimum operæ ad eam pacem icendam contulit quæ Carolum inter & Philippum sancita est. Pontificale conscribi fecit an. 1436. Ordines celebravit in ecclesia beatæ 1436. Mariæ de Caritate 27 Januarii 1438 absque 1438.
D præjudicio privilegiorum monasterii. Senonensi archiepiscopo fidei & obsequii professionem exhibuit mense Martio, & prima Adventus Dominica ecclesiam S. Eugeniæ Varziaci dedicavit. Anno 1439 Petrum Longolium Autissiodoren- 1439. sem decanum fidei juramentum exolventem admisit. Anno 1440 provincialibus Prædicatorum 1440. comitiis in cœnobio Autissiodorensi indictis interfuit. Anno 1443 sodalitium piorum hominum 1443. ad defunctorum solamen ibidem coeuntium approbavit, ac indulgentias 40 dierum impertivit. Carolum Nivernensem comitem sacramentum obsequii pro Donziensi dynastia profitentem
E habuit 19 Junii 1445. Dedicavit 25 Augusti 1445. ecclesiam sanctæ Genovefæ Marciacensis. Annis 1446 & 1447 diœcesi perlustrata statuta ca- 1446. nonicis Giemensibus observanda tradidit. E vivis 1447. excessit sub initium anni 1449, humatus apud 1449. suos Prædicatores Autissiodorenses in sinistro majoris altaris latere. Sed anno 1570 Calvinistæ cupreum Laurentii sepulcro impositum simulacrum una cum ejus epitaphio comminutum distraxerunt.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 318.

Ampliss. coll. lect. t. VIII, col. 583.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 150.

LXXXVIII. PETRUS VIII.

DE LONGUEUIL.

Luteciæ in parochia S. Benedicti an. 1397.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

e clara Longoliorum stirpe editus fuit Petrus, A
patre Johanne Longolio supremi senatus præside,
Richerii Oliverii Longolii cardinalis & sub regibus Carolo VII & Ludovico XI regni præcipui ministri fratre natu majore, matre Johanna *Bouju* Rancherii domina illustri & ipsa in Cenomannis familia oriunda. Adolescens juris utriusque necnon theologiæ laurea in Parisiensi academia donatus, canonicus Parisiensis, inde thesaurarius Bellovacensis, canonicus item Constantiensis & Autissiodorensis, Johanne Corbeiensi agente, cui consanguineus erat an. 1428 magni vicarii munus exercuit, quod ei confirmavit Laurentius *Pinon* an. 1434. Quo tempore prætorii Autis- B
siodorensis ecclesiasticus gubernator, Philippo Burgundiæ duci a secretis & a libellis supplicibus extitit, hac de causa sæpius urbis negotia apud eum procuravit præcipue an. 1431. Autissiodorensis vero ecclesiæ lectus decanus anno 1439 Laurentio antistiti obsequium exhibuit, & 1448 obitus sui anniversarium diem instituit; sed decedenti Laurentio an. 1449 subrogatus, v cal. Julii ex regestis Vaticani, anni inducias ad præstandam regi fidem obtinuit 2 Septembr. Celebri pompa quam 10 Martii abbati S. Germani significavit, sedem pontificiam adiit Dominica 15
1450. Martii 1450, deducentibus Ludovico Melodu- C
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 151. nensi archiepiscopo Senonensi, abbatibus Pontiniaci, S. Mariani & S. Petri, nec paucis aliis viris nobilibus. Duos crateres argenteos pondere unius marcæ a monachis S. Germani pro debita procuratione accepit & ultima Martii Senonensi archidiacono, qui eum installaverat solvit unam argenti marcam. Sacramentum obsequii a Ludo-
Ibid. p. 153. vico decano excepit 23 Apr. & a Carolo comite Nivernensi 21 Septemb. anni ejusdem, necnon a Johanne Caroli germano 24 Maii 1464. Syno-
1451. dum habuit & statuta redegit an. 1451. Eodem procurationem ipsi debitam agnovit prior sancti Salvatoris. Dissidium habuit cum Petro *d'Orouer* D
Molismensi monacho, priore S. Gervasii Autis-
pag. 154. siodorensis jurisdictionis & visitationis causa quod
1454. arbiter diremit 26 Junii 1454 abbas Vizeliacensis, cujus ejusdem arbitrio de ritibus in adventu episcopi celebrandis cum Hugone abbate S. Germani die crastina convenit. Sodalitatem defunctorum apud Dominicanos approbavit anno
pag. 157. eodem. 16 capellanos cum capellis SS. Michaëlis & Johannis Rotundi capitulo Autissiodorensi
1455. univit 9 Augusti 1455. Reliquias S. Prisci & sociorum in ecclesiam S. Prisci transtulit anno
1456. 1456, ædemque parochialem de Neveio de
Ch. CXXXV, col. 198. consensu capituli Autissiodorensis univit fabricæ E
1457. collegiatæ S. Stephani de Giemo. Anno 1457 bullam direxit Callixtus papa ad S. Germani Autissiodorensis & S. Columbæ prope Senonas monasteriorum abbates, simulque ad cantorem B. Mariæ Autissiodorensis contra eos qui occupaverant bona decani & capituli Autissiodorensis,
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 163. ut ea restitui curarent. Bona capituli de Appoigniaco jure morticinii donavit 9 Julii 1458.
1458. Lites composuit cum capitulo 8 Novemb. anni
Charta CXXXVI, col. 199. ejusdem. Thomam decanum senatusconsulto ad legitimum jusjurandum adegit 22 Aprilis. Injecit

manum in feodum *de Lorme* ob non præstitum hominium 11 Januarii 1460; concilio Senonensi adstitit anno 1461. Circa id tempus Guillelmum fratrem suum quem prius canonicum, dein majorem archidiaconum crearat, sibi vicarium generalem allegit. Excepit hominia pro castello Censurii & baronia de Donziaco anno 1464. Eodem Petro *de Courtenay* natales remisit 8 Oct. ut tonsura initiaretur. Creavit secundum archidiaconatum de Puisaia dictum in favorem Petri Longolii nepotis an. 1465, quem summus pontifex, rex & parlamentum confirmarunt. Domino S. Ferreoli sex canonicos in ecclesia parochiali dicti loci fundare permisit 15 Junii 1466. Eodem anno scholarum magistrum instituit 22 Julii. Indulgentias concessit visitantibus oratorium S. Sepulcri apud Dominicanos anno 1467. Multa contra eos moverat & scripserat an. 1463, quibus concessa privilegia renovavit anno 1469. Eodem anno thecam auream qua reconduntur reliquiæ S. Petri ecclesiæ contulit sicut & capellam. Pollutam a quibusdam de capitulo ecclesiam reconciliavit anno eodem. Hominium excepit pro castello Censurii 5 Octobr. 1470. Insequenti Varziaci cives quod præter fas & ejus imperium ducem sibi designassent, licet facti pœnitentes veniam rogarent sex pondo ceræ multavit adversus S. Eugeniæ ecclesiam. Fundationem capituli S. Ferreoli factam 17 Aprilis 1472, confirmavit 21, & eodem die ac mense ordinavit statuta inter decanum & canonicos ejusdem capituli. A duce Burgundiæ in magnum capellæ suæ magistrum assumtus, ab eo & a summo pontifice, necnon a Carolo VII rege deligitur arbiter initæ inter eos controversiæ ob decimas comitatus Autissiodorensis, quas regi adjudicavit. Palatium episcoporum Autissiodorens. in universitate Parisiensi pro bono & commodo ecclesiæ suæ divendidit, unde lis exorta inter Petrum *de Broc* e[t] successoribus unum, & Renatum de Longolio dominum *de Maisons* in senatu Parisiensi præsulem infulatum. Domus pontificiæ aulam & capellam construxit Autissiodori. Ecclesiæ suæ ornamenta serica, argentea & deaurata miro artificio contexta donavit. Anniversarium sibi in ea fundavit cum amplissimo censu, tabulis testamenti datis Varziaci 17 Aug. 1473. Ibidem mortuus 16 Febr. 1474, ætatis 75, ibidem sepultus est in ecclesia S. Eugeniæ, in qua plurimas fecit fundationes. Autissiodorum tamen postea translatus perhibetur.

Right margin: ANNI CHRISTI — *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 165.* — 1460. — 1461. — *p. 169 & 171.* — 1464. — 1465. — *pag. 320.* — 1466. — *pag. 175.* — 1467. — *pag. 165.* — 1469. — *Ibidem.* — *pag. 176.* — 1470. — 1471. — *pag. 177.* — *Charta CXXXVII, col. 202.* — 1472. — *Charta CXXXVIII, col. 205.* — *Charta CXXXIX, col. 206.* — *Ch. CXL, col. 210.* — *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 177.* — 1473. — 1474. — *pag. 179.*

LXXXIX. INGUERRANDUS. SIGNART.

Paulo post obitum Petri a canonicis simul ad eligendum congregatis postulatus est Inguerrandus XII cal. Aprilis 1474. Oriundus is erat e Condato in diœcesi Bajocensi e conventu Cadomensi Dominicanus, theologiæ doctor, Caroli Burgundiæ ducis confessarius, episcopus Salubriensis & abbas Altimontis in diœcesi Cameracensi. Bullas tamen non obtinuit ante annum *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 185.*
1476 idibus Martii, qua die Sixtus IV, pontificatus 5, Inguerrandum e Salubriensi ad Autis- 1476.
siodorensem ecclesiam transtulit. Cameræ apos-

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

tolicæ solvit 27 eorumdem mensis & anni. Eodem VII cal. Augusti unioni ecclesiæ parochialis veteris Giemi cum capitulo ejusdem urbis a Sixto IV factæ assensum præbuit. Regi fidem
1477. dixit Peronæ 13 Febr. 1477, & die Jovis ante Ramos Palmarum 27 Martii possessionem adiit. Eodem anno 24 Aprilis sodalitium defunctorum ad Dominicanos institutum dato diplomate ut legitimum foret sancivit, & Tristando metropolitano sacramentum obsequii exhibuit VII idus Maii, unde Autissiodorum reversus pridie idus Maii iis qui B. Mariæ extra muros ecclesiam inviserent, sacra Vigilii ossa venerarentur, & ad instauranda ædis sarta largitionem facerent pontificiam veniam indulsit. Jacobo Briensi sacrarum literarum professori, Dominicani cœnobii præposito & 12 sui conventus alumnis sacerdotibus per diœcesim concionandi amplam concessit potestatem. Ad Majoricensem sedem translatus
1478. fuit IV nonas Maii 1478, unde anno 1482 misso Thoma Hervii Dominicano Autissiodorum, a capitulo sibi justum annuum impetravit, collatis in id centum nummis aureis & tribus majoris altaris ornamentis. Concessum præterea ut bini cœnobitæ Dominicani solenniis interessent, ac stipendium canonicum perciperent 24 Maii anni prædicti. Obiit 1485, sepultus in ecclesia Dominicanorum vici S. Jacobi Paris. ubi legitur hoc ejus epitaphium in lapide ab aliquot annis prope concionatoris cathedram translato: *Hic jacet reverendus in Christo pater ac dominus, frater Inguerrandus* Signart *de conventu Cadomensi, doctor in theologia & episcopus Autissiodorensis, atque confessor illustrissimi principis Caroli Burgundiæ ducis. Obiit anno Domini 1485 die 22 mensis Martii.*

BAILLET.

XC. JOHANNES VII.

Gente Parisinus Johannes, filius Johannis senatoris parlamenti & Parisiensis præpositi, ac Nicolaæ *de Fresnes*, Theobaldi senatus Parisiensis præsidis germanus, ex senatore Paris. cessione & translatione Inguerrandi electus episcopus, cameræ apostolicæ promisit IV non. Maii 1478, solvitque die 13 mensis ejusdem. Æmulum passus est Jacobum *Juin* consiliarium regium, inquæstarum præsidem, canonicum & archidiaconum Constantiensem, qui ab archiepiscopo Senonensi provisus possessionem apprehendit. Ipse vero ab eodem archiepiscopo consecratus 3 Septembris anni ejusdem obsequium ei exhibuit, ejusdemque mensis die 15 solenni apparatu exceptus sedem Autissiodorensem capessivit. Sodalitatem defunctorum apud Dominicanos approbavit 19 Dec. anni ejusdem literis in quibus formulam *Dei & apostolicæ sedis gratia* episcoporum Autissiodorensium primus usurpavit. Transegit cum capitulo 5 Januarii sequentis, seditque in parlamento
Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 186.
1479. Parisiensi 12 Nov. 1479. Cotti martyris corpus e lapideo veteri sarcophago ad B. Prisci martyris ædem posito in decentius feretrum transtulit, & sancivit hujusce translationis festum quotannis ce-
Ch. CXLI, col. 210.
1480. lebrandum in ea ecclesia 1480. In diœcesana
1483. synodo an. 1483 S. Francisci festum sub ritu

A duplici ut quotannis a cathedrali ecclesia observaretur edixit. Eodem anno breviarium edidit. Circa id tempus pium morem in ecclesiam Autissiodorensem induxit ter quotidie salutationem Angelicam tympano significandi, & ad hunc continuandum proventus aliquos assignavit. Dominicanos ad prædicandum approbavit 1484 24 1484.
Febr. Concilio Senonensi adfuit anno 1485. 1485.
Eodem * parochialem S. Laurentii ædem Gie- * al. 1482.
mensis urbis collegio canonicorum ejusdem urbis univit. Transegit cum capitulo de limitibus terræ de Tociaco anno 1490. Patrum Minimorum 1490.
Giemi ecclesiam dedicavit VI cal. Novembris
B 1494. Adfuit exsequiis Caroli VIII regis anno 1498. Clarissarum Giemensium fundationem a summo pontifice delegatus exsecutus est anno 1500, & ecclesiam dedicavit IV calend. Sept. (Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 321. Ch. CXLV, col. 215 & seq.) 1494.
1503. Pro canonicis ejusdem loci, dum diœcesim 1498.
suam lustraret an. 1509, quædam statuta con- 1503.
didit. Pontificiæ dignitatis assertor strenuus illius 1509.
jura invicto animi vigore defendit: nam priusquam solenni pompa in urbem invectus fuisset, Ludovicum XI ob comitatum Autissiodorensem quem obtinebat ad id quod sui muneris erat exsequendum invitavit. Antonium *de Chabanes* pro Tuciacensi dynastia anno 1480, Carolum
C *de Lamoignon* 1482 ob fluminis beneficiarium jus, Johannem de Ferraria Chamlemii toparcham ob Censurii castrum 1484, Mariam *d'Albret* Caroli comitis Nivernensis viduam 18 Nov. 1485 pro Donziensi dominio, Johannem (Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 192.) Brabantiæ ducem & Nivernensem comitem ob ditionem Belchæ 16 Sept. 1490, Edmundum de Petra Dammartini comitem pro Tuciacensi dynastia 24 Aug. 1505, Laurentium decanum 21 Dec. 1510, obsequii clientelaris sacramentum profitentes admisit. Privato ære quidquid juris in dominio capellæ S. Andreæ prope Varsiacum Johannes Chabanæus possidebat, com-
D paravit Johannes anno 1499, quod mox ab ejus morte heredes vindicarunt. Delegatus a summo pontifice sacramentum fidelitatis Petri *de Barsey* abbatis S. Sequani excepit Autissiodori 26 Februarii 1506. Transegit 17 Jan. 1510 1510.
cum Hugone *de Boulangers* & canonicis S. Petri. Ecclesiæ suæ plura magni pretii contulit ornamenta. Ejus præsertim beneficiis porticus & turres majores perfectæ fuerunt. Beneficia quoque ejus plurimæ suæ diœcesis ecclesiæ, sed & ipsa urbs Autissiodorum expertæ sunt. Obiit 10 Nov.
1513, condito prius testamento, cujus curatorem 1513.
designavit Theobaldum *Baillet* senatus Paris. præ-
E sidem. In sacello S. Alexandri a se instaurato humatus fuit, quo in loco consanguineus ejus Petrus *Baillet* sepultus jacet. Utriusque anniversarii dies ibidem peragitur, episcopi quidem 11 Nov. equitis 28 Junii.

XCI. FRANCISCUS I.

DE DINTEVILLE.

Dintevillæ Lingonensis diœcesis pago gentilitio editus fuit Franciscus. Claudii Dintevillæ, Commarini, Eschenezii, Polisii, &c. toparchæ, Burgundiæ ducis Caroli quicum ad Nanceium 1477 extinctus fuit, consiliarii & quæstoris generalis,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

generalis, ac Johannæ *de la Baulme* ex illustri comitum Montisrevelli apud Sebusianos familia, 14 natorum utriusque sexus quos illa fœcundo partu procreavit novissimus filius exstitit. Puer Divioni primum, postea Augustoduni humanioribus literis non mediocriter imbutus, Papiæ toto quinquennio cæsareis pontificiisque legibus graviter incubuit. Domum redux & in familiam Georgii cardinalis de Ambasia adscitus, Ludovici XII ob egregias animi dotes gratiam promeruit, & adlaborantibus agnatis qui plurimum in aula dignitate & favore eminebant, diversa illaque opima beneficia obtinuit, Castillionense ad Sequanam & Dervense monasteria ac Sistaricensem episcopatum 9 Martii 1506, cum jam minora perplura a juventute possedisset atque etiam ab Æduensibus postulatus fuisset. Demum
1514. an. 1514, mortuo Johanne communibus cano-
Ch. CXLVI, col. 221. nicorum suffragiis electus 30 Januarii, a Leone X e Sistaricensi sede ad Autissiodorensem translatus est 6 Martii, ætatis suæ 49, ejusdemque anni 3 Dec. captata possessione, celebri apparatu 17 ejusdem mensis pontificalem invectus est thronum, postquam die 5 Dec. archiepiscopo Senonensi fidei obsequium detulisset. Mox inito pontificatu præter unum Dervense monasterium, cetera omnia abdicavit. Qua exoneratus sarcina ad res sacras suæ sedis promovendas animum adjecit, & ut erat liberalis plurimum ac magnificus, novis operibus cathedralem ædem exornandam suscepit: nam pulpitum ea lapidum structura exstruxit, ut vix ulla toto regno ecclesia magnificentius habeat. Organa ea tempestate argutissima conflanda curavit, ornamenta varii generis & quædam phrygio opere & gemmis intexta elargitus est. Domos episcopales Varziaci & Regennarum, ac monasteria Dervense & Castillionense bellorum cladibus pene labefactata magnis sumtibus instauravit & eorum proventus auxit, ita ut fundator potius quam instaurator haberi possit. Sacrum nominis Jesu festum toti diœcesi celebrandum, quod & hactenus celebratum fuit, indixit. Adversus Lutheranam hæresim quæ in Galliam irrepserat, a Stephano *Poncher* & Antonio *du Prat* Senonensibus metropolitanis coacta provincialia fuere concilia, quibus & præsens adfuit Franciscus, & fidem catholicam magno ardore asseruit, ac ab hac lue immunem suum gregem quamdiu vixit, præservavit. Nec tantum suos Autissiodorenses in spiritualibus, sed & eorum commoda terrena pro virili parte procuravit. Donziacum enim, Clameciacum, Varziacum & alia loca finitima quæ sæviente bello Francos inter & Burgundiones jurisdictioni Senonensis curiæ adscripta fuerant, ad prætoris Autissiodorensis tribunal impetrato a senatu Paris. decreto revocavit. Regibus Ludovico XII & Francisco I a consiliis & eleemosynis tribus aut quatuor mensibus quotannis aulam frequentabat non minimo sumtu, nec modica comitantium turba stipatus incedens, qui secularis splendor aulicorum favorem plurimum ei conciliabat. Cum episcopis Parisiensi & Gratianopolitano a Leone X delegatus de vita moribusque S. Francisci a Paula inquisivit 13 Aug.

ANNI CHRISTI *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 210.*

A 1516. Transegit cum barone Touciacensi 20 Julii 1523. Adfuit consilio regio anni 1527 27 Julii, in quo Franciscus I proposuit an in Hispaniam regrederetur. Tandem cum per annos 16, mensem unum, dies 26 pontificatum gessisset, ætatis vero 66 attigisset, fer. 6, Aprilis penultimo an. 1530 abdicato in nepotem episcopali munere, confecto testamento quo duodecies quotannis ad ædem primariam sibi justis funebribus parentandum constituit, sacris ecclesiæ mysteriis magno pietatis sensu perceptis munitus, animam Deo commisit. Funus deduxit digno apparatu nepos, qui successu temporis nobile patruo mausolæum
B marmorea ejus effigie insignitum ad odeon quod exstruxerat posuit, cujus perispheriam hæc verba epitaphii loco circumposita exornant: *Franciscus* de Dinteville *episcopus sedit 3 Decembris 1514, obiit 29 Aprilis 1530.* Guillelmus *le Marchand* canonicus qui illius vitam scripsit, sequentes duos versus vice epitaphii illi appendit:

Nobilitas, virtus & magnificentia tecum
Hic, Francisce, jacent: hæc cælo munia digna.

(1516. 1523. 1527. 1530.)

XCII. Franciscus II.

DE DINTEVILLE.

Francisci nepos Franciscus, filius quippe Gal-
C cheri Tricassinorum præsidis & Annæ *du Plessis*, in regia Navarræ schola Parisiis humanioribus literis vacavit, Pictavii Pataviique jurisprudentiæ. In aulam Francisci I accersitus, Ludovicæ regis parenti a secretis & eleemosynis factus, post thesaurariam Pictaviensem aliaque minora beneficia, Regiensis sedis infulas nominatus a rege promeruit a summo pontifice 18 Martii 1527, cujus iniit possessionem 7 Julii anni ejusdem. Anno sequenti factus Autissiodorensis decanus, Dervensisque patrui abdicatione commendatarius, eo mortuo Autissiodorensis sedis apicem conscendit confirmatus a summo pontifice 4
D Maii 1530 per cessionem patrui. Priusquam solenni pompa sedem adiret, criminis pessimi reus carceri damnatur Paris. senatusconsultis mense Maio 1531, & bona ejus in manu regis 1531.
posita. Eodem tamen anno ob expertam ejus in rebus agendis solertiam a rege Francisco I maximis de negotiis Romam legatus plura eaque ardua felici successu cum Clemente VII perfecit, in primis Catharinæ Mediceæ cum Henrico II conjugium. Legationis ejus commentarios Nicolaus Camusatus publico dedit. Nec prætereunda silentio Francisci rara modestia qui cum aliquando pro nonnullis purpuram vehementi oratione pos-
E tularet: « Quid tu, inquit pontifex, pro absentibus & nobis ignotis hominibus tui omissa commendatione verba facis? quin tu tibi consulis? pro aliis anxius oraturus venisti, pro te sollicitus nihil. Cui ille fortiter & ut erat ab omni ambitione alienus respondit: huc, beatissime pater, huc non mea, sed principis mei causa accessi, ejus negotium, non meum gerere sicut teneor & debeo, ita & volo & cupio. Publicam, non privatam personam agat quisquis hoc munere fungitur & honestum & necessum est: honores autem istos, imo vero onera ista ut nihil moror, «

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Hist. Autiss. tom. II. prob. p. 212.

sic nec venor, nec ambio ». Cum Romæ a mense Augusto anni 1531 ad Februarium 1533 egisset, cum literis Clementis VII ad regem rediit, in quibus pontifex ait se cognovisse ipsum oratorem semper insigni fide & devotione erga suam majestatem flagrasse. Laboranti interim seu peste seu morbis aliis diœcesi Autissiodorensi per Philibertum *de Beaujeu* episcopum Bethleemitanum consuluit. Reversus vero Roma celebri concursu

1533. Autissiodorum venit 4 Maii 1533, & archi-

1536. episcopo Senonensi obsequium præstitit 1536. Eodem constitutiones edidit quæ ad mores informandos & christianam pietatem suadendam plurimum conducerent. Doctrina enim excellebat, & mechanicarum artium cognitione usuque delectabatur, pictura maxime cui per honestam animi relaxationem se applicare solebat, visunturque etiamnum diœcesenarum urbium imagines quas ad Regennarum castrum non infelici conatu expressit. In victu, somno & cultu singulari temperantia usus est. Otio & ignavis infestus, corpus & mentem continuo labore exercebat. Nec tamen quovis exercitio effecit, quin assiduis fere morbis vexaretur, febribus, calculo, dissenteria, podagra, quibus affectus sui nunquam obliviscebatur, sed eos non forti solum, verum læto animo perferebat.

Dervense monasterium soluta disciplina deformatum accitis aliunde probis asceti ad normam pietatis revocavit. In egentes munificus eos frequenti largitione juvabat. Domos episcopales multis in locis novis ædificiis vel instauravit vel exornavit. Regennarum pontis fundamenta jecit, opus inceptum perfecturus ni ab aula procellosus turbo ingruens intermittere coegisset. Procerum enim quorumdam calumniis appetitus, & una cum Galchero fratre Venlæi toparcha læsæ majestatis accersitus, solum vertere coactus est & in Italiam proficisci, ubi toto quadriennio, partim Romæ, partim Venetiis privatus egit fortunis omnibus necnon beneficiis spoliatus, quæ rex Petro Marolio Vaurensi episcopo una cum Autissiodorensis ecclesiæ regimine contulit. Sed innoxiorum fratrum probe cognita a rege inno-

1542. centia anno 1542 ab exilio revocatus præsul,

Promtuarium Tricassin. Camuzat. f. 25 & seq.

Autissiodorum rediit, concessa illi adversus eos legitimi experiundi facultate qui bona sua ipsius invaserant. Per ejus absentiam e poto hæresis veneno suo de grege plures a fanaticis prædicantibus dementati fuerant. Lustrata per exactam circuitionem diœcesi morbidas oves ut in caulas reduceret nullis sumtibus, labori nulli pepercit. Novantes vero concionatores omni gradu ecclesiastico dejectos relegavit, ac sacerdotem Giemensem quod uxorem duxisset flammis addixit.

1548. Vicarios generales instituit 16 Octob. 1548 ad reformandam abbatiam S. Laurentii. Caroli *de Luxembourg* pro Donziaco 1 Novemb. 1548, & Francisci ducis Nivernensis 11 Aug. 1552 hominia excepit. Domum episcoporum Autissiodorensium Parisiis sitam in emphiteosim dedit

Hist. Autiss. tom. II. prob. p. 213.

1549. 11 Martii 1549. De licentia Parif. episcopi benedixit Catharinam *de Clermont* abbatissam Montis-martyrum XI Augusti anni ejusdem.

pag. 214.

A Resumtum concilium Tridentinum clero suo annunciavit 1 Apr. 1551. Franciscæ *de Clermont* uxori Caroli *de Rochechouart* per Quadragesimam uti carnibus, ovis, lacte, caseo & butyro permisit 15 Februar. anni ejusdem. Anno 1552 coacta synodo statuta utilia sexaginta quinque distincta capitulis publicavit. Jurisdictionem & visitationis jus contra Mariam *de Fontaine* abbatissam sancti Juliani senatus Parif. consulto obtinuit 13 Sept. 1553. Denique laboribus & assiduis morbis plusquam annis fractus v cal. Oct. an. 1554, sedis 24, mens. 4, diebus 28, cum rebus suis mature consuluisset, naturæ tributum nondum B sexagenarius exsolvit, humatus eodem quo patruus tumulo. Felix Christianus Autissiodorensis canonicus, laborum ejus comes individuus res ejus gestas eleganti stylo prosecutus est.

ANNI CHRISTI *Hist. Autiss. tom. II. prob. p. 215. Ibid.* 1551. 1552. 1553. 1554.

5 Johannes *de la Rochefoucaud* filius Francisci II & Annæ *de Polignac*, Johannis episcopi Mimatensis nepos, abbas Villæ-lupæ & S. Amantii de Buxia, magister capellæ musices regis, abbas Majoris monasterii 1563, ubi sepultus est defunctus 1583, nominatus episcopus Autissiodorensis mense Octobri 1554, fructus ecclesiæ elocavit 1555, designatumque se ipse nuncupat 1555.
adhuc in literis ad capitulum datis mense Maio C 1556, quo forte tempore cum Roberto sequenti 1556.
abbate Cormeriaci permutavit.

XCIII. Robertus II.

DE LENONCOURT

Theodorici Vignorii toparchæ filius Robertus, Roberti Remensis archiepiscopi nepos, ejusque in monasteriis S. Remigii Remensis & S. Petri Trenorchiensis successor fuit, quo tempore Catalaunensis episcopus factus 10 Maii 1535 cessit 30 Maii 1550. A Paulo III an. 1538 purpura donatus est, & an. 1551 ad Metensem sedem translatus. Anno 1555 præsens adfuit quando 25 Maii Paulus IV summus pontifex creatus fuit. D Anno 1556 Ebredunenses infulas adeptus 23 Martii, eodemque anno Autissiodorenses 30 Oct. possessionem per procuratorem adiit 15 Martii 1557 ecclesiæ quam nusquam ingressus, per 1557.
vicarios generales rexit. Ex his unus fuit Philippus Catalaunensis episcopus fratris ejus filius qui hoc nomine 18 Junii 1559 cathedralis 1559.
ecclesiæ duo sacerdotia vacantia distribuit. Hujus in gratiam, Romam profectus ad electionem Pii IV, episcopatu Autissiodorensi cessit Robertus, reservatis sibi Regennarum castri proventibus loco pensionis, ipse vero eadem die 7 Februarii 1560 factus est archiepiscopus Arelatensis. Sed 1560.
E anno sequenti apud Regennas mortuus 2 Febr. 1561, ad Caritatis monasterium deportatus est, tumuloque ibidem conditus quem Calvinistæ demolitum everterunt, & effossum cadaver præsulis flammis vorandum objecerunt.

XCIV. Philippus II.

DE LENONCOURT

Roberti nepos Philippus, patre quippe Henrico castri Copeuræi villæ, Baldricurtis, Vignorii regulo, Nantolii Hauduini comite, equite deaurato, Valesiorum prorege, Vitriaci prætore, centum cataphractorum militum duce, inter nobiles

Digitized by Google

ANNI CHRISTI regi a cubiculis uno, matre Margareta *de Broyes* Nantolii, Pacii, Dammartii, &c. domina an. 1527 in castro Copeuræi editus fuit. Juvenis ad annum 1540 patruum Romam secutus, ob insignem corporis formam ab Italis Gallorum venustissimus nuncupatus, non multo post id temporis sacro ordini adscriptus, statim præpinguium sacerdotiorum mole oneratus verius quam ornatus, Sparnacense, Reomense, Oigniacense & Lemovicense S. Martialis monasteria adeptus est. His accessit in supplementum Catalaunensis episcopatus quem abdicavit anno 1556, factus Dervi abbas & vicarius generalis patrui, qui tandem in nepotis humeros Autissiodorensis ecclesiæ pondus deposuit 7 Februarii 1560, cujus solennem adiit possessionem 8 Decemb. magna procerum stipante caterva viceinque baronum subeuntibus ad eum deferendum regis nomine qua Autissiodorensis comitis Claudio *d'Hen* ejus procuratore & Girardo *Remond* consiliariorum decano, Renato *de Pernay* & Johanne *de Chelles* pro Donziensi domino duce Nivernensi & Renato *de Prie* Edmundum patrem Touciasensem regulum repræsentante. Quæ fecerit dixeritve Autissiodori Philippus, altum silentium. Memoratur tantum in actis publicis innovatarum legum municipalium consuetudinumque Meloduni & Autissiodori urbium annis 1560 & 1561. Concessa illi sedes & vox in parlamento Paris. de mandato regis die Lunæ 27 Apr. 1562. Eodem anno in cardinalis Burdesii abbatis Resbacensis gratiam abdicavit cum regis beneplacito mense Sept. 1562. Diutius tamen postea superstes vixit, nam eum Henricus III S. Spiritus ordinis moderatorem creavit an. 1579. & ad regem Navarræ an. 1585 sollicitandum & ab hæreticorum castris retrahendum ablegavit. Anno 1586 a Sixto V in cardinalium cœtum cooptatus, librorum erroneorum censuram exercuit. Anno 1588 dum in comitiis Blesensibus ageret, morbo correptus hepatico tantum extenuatus viribus remansit, ut infantuli in morem nutricis mammas exsugeret. Archiepiscopatu Remensi donatum volunt nonnulli an. 1589, refragante auctore domestico, a quo & discimus Philippum Romæ defunctum 13 Dec. 1591, ibidem sepultum fuisse. Vide abbates Resbacenses, tom. X, col. 1687.

Charta CXLVIII, col. 223.

1561.

1562.

XCV. Philibertus.

Babou de la Bourdaisière.

De Philiberto jam diximus t. II, col. 1020. Episcopus Engolismensis ab anno 1533, cardinalis vero ab anno 1561, facta mense Septemb. 1562 de consensu regis cum Philippo transactione, huic Resbacensem cessit commendam, ipse vero ab Engolismensi ad Autissiodorensem translatus est ecclesiam 16 Dec. 1562. Possessionem per procuratorem adiit 18 Junii 1563
1563. & 12 Dec. sequentis Parisiense Autissiodorensium antistitum palatium 1600 libris abalienavit ad indictum illud clero tributum persolvendum, quod Carolo IX in bellum huguenoticum con-
1564. cessum fuerat. Anno 1564 die 5 Julii, per officiarios Jacobum Nivernensem ducem pro
1565. dynastia Donziensi, & sequenti an. 1565 Ludovicum itidem ducem cum Henrieta Cliviensi clientelæ jus profitentes admisit. Anno 1565 jussus a rege est Romam quam cito proficisci pro eligendo summo pontifice. Toto quo sedit octennio per vicarios generales rexit, Autissiodori nunquam versatus, Romæ fere semper, ubi regni eum negotiis intentum mors subitanea 26 Jan. an. 1570 oppressit. Ad S. Ludovicum paren- 1570.
tatum ei fuit, insculptumque ejus tumulo hoc epitaphium: *Philiberto Naldio Burdeso S. R. E. cardinali, trium Galliæ regum Henrici II, Francisci II, Caroli IX apud Paulum IV & Pium IV pontifices maximos legatione perpetua egregie functo, Maria Gaudina mater, Philibertus & Fabricius nepotes PP. Vixit annis LVII. Obiit VII cal. Feb. M. DLXX.*

XCVI. Jacobus.

Amyot.

Meloduni an. 1513 III cal. Nov. modicis parentibus Nicolao *Amyot* & Margarita de Amoribus editus est Jacobus. Juvenis studiorum causa Luteciam profectus, in Græcis Johannem Evagrium, in poësi Jacobum Tussanum, in oratoria & philosophica disciplinis Petrum Danesium, in mathematicis Orontium Finæum viros undequaque doctissimos præceptores habuit, quibus audiendis ita assuetam navavit operam ut & æqualibus facile palmam præriperet. Sic linguarum & liberalium artium cognitione, necnon magisterii laurea cohonestatus anno circiter ætatis undevigesimo Lutecia discedens Bituriges petiit, & Canayo doctore postea in senatu Paris. celeberrimo causarum patrono juri civili operam dedit. Sed cum ad prosequenda studia ære pertenui a parentibus juvaretur, Jacobi Colini Francisci I lectoris & S. Ambrosii Bituricensis abbatis commendatarii nepotes instituendos suscepit, cujus hortatu Margareta Navarræ regina Biturigum moderatrix Amyotum professorem instituit literarum Græcarum & Latinarum honestis ad id stipendiis annuis constitutis. Quo in munere totos duodecim annos magna eruditionis & probitatis fama versatus Morvillerio Bituricensium propræfecto innotuit, qui ei ex sorore nepotes erudiendos tradidit: quo institutionis tempore horis succisivis Græcos poëtas nonnullos & historicos, ex quibus Heliodori Theogenem & Plutarchi aliquot illustriorum virorum vitas Gallice expressit ac Francisco I consecravit, qui tam splendida translatione plurimum delectatus, ad reliquas heroum res gestas prosequendas Amyotum benigne invitavit. Quod ut commodius exsequeretur, commendam Bellosanæ ei contulit. Sed tanti regis ac mœcenatis adeo munifici morte graviter perculsus Jacobus, in Italiam proficisci decrevit, cum ut Italiæ bibliothecas perlustraret, ad novam Plutarchi editionem Gallicam quam adornabat ex MSS. codicibus expurgandam, tum ut doctorum virorum qui illic plurimi erant consuetudine uteretur. Quare cum Morvillerio Henrici II ad Venetos oratore sibi familiarissimo an. 1547 Venetias est profectus. Inde Romam petens biennio cum episcopo Mirapicensi Claudio a Guichia regio legato ferme egit, cujus ope se

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

in cardinalis Turnonii amicitiam insinuavit, quem in Gallias revertentem comitatus, eodem procurante regiis pueris Aurelianensi & Andegavensi ducibus, qui Caroli IX & Henrici III nominibus Francisci regni habenas tenuerunt, instituendis adhibitus est, ad quod tempus perfectas ad amussim heroum vitas a se Gallice redditas alumnorum principum parenti Henrico II anno 1558 dedicavit.

Francisci II obitu Carolus IX Francorum imperio potitus, sui præceptoris officiorum memor magnum Franciæ eleemosynarium, & a sanctiori consilio renuntiavit, ac abbatiis Rupium & sancti Cornelii Compendiensis donavit, quo etiam ferme tempore decanus S. Crucis Aurelianensis evasit. Anno 1570 Romæ defuncto cardinali Burdesio, cum summus pontifex alium substituisset, Jacobum inopinantem sola virtutum & eruditionis fama commendatum Carolus IX ecclesiæ Autissiodorensi præfecit, cujus sedis inita

1571. per procuratorem possessione 3 Martii 1571 prius inauguratus Parisiis, & Ascensionis die exhibita Senonensi metropolitæ cardinali Pellevæo professionis formula, Dominica sequenti Autissiodorum venit, & postridie celebri pompa quam quatuor barones per suos legatos honestarunt, cathedram adiit. Nec minori ad Jacobum exornandum propensione usus est Henricus III qui Polonia rediens majoris eleemosynarii dignitatem Amyoto confirmavit an. 1574, & an. 1578 cum S. Spiritus torquatorum equitum ordinem instituisset, primum illum ordinis moderatorem appellavit, in ejus gratiam hoc sancito inter statuta articulo, ut magnus eleemosynarius idem etiam dicti ordinis moderator seu commendator ad probandam generis nobilitatem minime adigeretur. Denique bibliothecarii regii etiam dignitate auctus, hanc quamdiu vixit, quo erat in literariam rem animo constanter retinuit.

Sed qualem se episcopum exhibuerit libet paucis annotare. Cum præcipuas antistitis partes in verbo Dei disseminando esse sciret quod absque theologiæ scientia minime fieri potest, in qua mediocriter tantum versatus erat, cœpit serio huic tam præclaro studio incumbere. Nam præter sacrorum bibliorum quotidianam lectionem, sanctorum Patrum Græca Latinaque volumina diligenter evolvebat. D. Thomæ angelica scripta tanti faciebat, ut ea pene ad unguem referret. Cum viris doctissimis quotidianas de divinis & gravissimis scripturæ arcanis dissertationes habebat, quibus exercitiis non minimam theologiæ cognitionem assecutus ad concionandum animum appulit, quod frequenter ab eo factitatum fuit, maxime diebus solennioribus; & id præcipue curabat, ut viros eruditos & probatos perquireret quibus prædicandi munus & beneficia ecclesiastica tuto conferre posset, maxime in iis locis & oppidis quæ hæresis infecerat.

Vivendi vero studendique hanc sibi legem imposuit quam constantissime tenuit. Circa horam quintam matutinam lecto surgens, fusis ad Deum precibus, ad missam usque in musæo suo manebat. Circa horam nonam ad solennem missæ liturgiam comitante famulitio accedebat, & in ea habitu canonicorum proprio intererat. Inde ad prandium cum convivis viris sacris & doctis qui nonnisi de literis aut rebus honestis sermones habebant, ut ejus mensa jure dici potuerit schola virtutis, unde quivis se & meliorem & doctiorem redire fatebatur. A prandio per horam cum eodem cœtu animum colloquendo recreabat, & recedentibus amicis ad studia cœpta redibat. Solennibus anniversariisque festis diebus ipsemet sacris operabatur. Dominicis vero & feriatis primis vesperis pervigilii aderat, & festo die matutinis psalmodiis & precationibus ex quarum egressu ad sacellum ibat facturus sacrum, quod singulis diebus Adventus & Quadragesimæ pie ipsemet offerebat. Deinde majoris, ut vocant, celebrationi & vespertinæ synaxi intererat.

Porro cum ad ecclesiam Autissiodorensem primum accessit, illam hæreticorum furore deformatam & ornamentis pene vacuam reperiens, restaurare & pro facultate exornare cœpit: nam chorum novis & magnificis sedilibus ac throno episcopali instruxit, majus altare refectum sex columnis fusilibus e cupro munivit cum lituo aræ imposito, e quo sacræ Eucharistiæ pyxis dependet. Duo completa ornamenta pretiosi operis, organa, candelabra bina, acerras, vas aquæ lustralis ex argento contulit, quibus alia adjecturus fuisset, nisi tumultus belli ejus pios conatus evertissent. In extremo chori loco & superiori in tabula hæc verba inscribi voluit suæ munificentiæ indicia:

Jacobus Amyotus Autissiodorensis episcopus cum a perduellibus hæreticis fœdè laceratum, direptum, ornamentisque omnibus spoliatum reperisset hoc templum, exedram istam divinis laudibus concinendis accommodatam ad D. O. M. gloriam domusque ejusdem decorem de integro instaurandam curavit 1573. 1573.

Castrum Regennarum ab iisdem Calvinistis incensum restituit. Gymnasium amplum, ubi religio, morum probitas, bonarum artium ingenua disciplina, non ære, sed studio atque industria compararentur commodo urbis loco exstruxit & dotavit: sed ingruentes civilium bellorum motus pium præsulis votum fere extinxerunt.

Ceterum ecclesias cathedralem & Fratrum Minorum benedixit mense Junio 1571. Generalibus cleri Gallicani comitiis adstitit Parisiis 1573. Eodem anno dedicavit ecclesiam sancti Renoberti. Carolo IX morienti adfuit an. 1574. 1574.
Os brachii S. Saturnini in ecclesia SS. Johannis & Pauli reconditum a Nicolao cardinali de *Pellevé* de mandato summi pontificis excepit 2 Januarii 1576. Breviarium emendatum edidit an. 1580. Synodum habuit 1582 1 Maii, in qua ordinationes fecit & publicavit. Anno 1583 cum Parisiis ageret 22 Junii facultatem fecit sacellum & sodalitium exstruendi in honorem S. Rochi. Adfuit exsequiis Francisci ducis Andegavensis an. 1584. Quamvis firma integraque constaret valetudine, confectis an. 1588 tabulis supremis, inter alias pias legationes quingentas libras majori xenodochio Autissiodorensi, centum Minoribus totidemque

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 221. 1576. 1580. 1582. 1583. 1584. *pag. 222.* 1588.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Dominicanis legavit. Eodem anno corpus sancti Vigilii in novam capsam transtulit 10 Julii. Circa id tempus cum in offensa esset apud regem Henricum III commenda S. Cornelii, si fides quibusdam scriptoribus, ab ipso spoliatus est, ipsaque aliquot post annis majoris eleemosynarii dignitate. Non solum autem, sed & quamvis omni officiorum genere gregem suum sibi demereri studuisset, ab eo tamen gravissima quæque mala mentis indigna sustinuit. Nam cum ob occisos Guisios fratres fœderati tota Burgundia furerent, Blesis vix Autissiodorum redierat antistes, cum urbe ejectus est, domus episcopales direptæ, tantumque factiosorum insania valuit, ut non tantum ab ecclesiæ aditu, sed ab omni episcopali munere vir innocens arceretur, quos ut offensos placaret, eo se dimisit ut primum absolutionem ad cautelam ut vocant posceret 6 Apr. 1589, demumque plenam & absolutam a summo pontifice impetraret 23 Febr. an. 1590, qua per legatum obtenta Autissiodorum rediit, ac die Cinerum concionem habuit tranquillo animo, nullis ob acceptas injurias querimoniis usus. Tandem tot ærumnis oppressus ille vigor corporis in effœto jam sene lenta febre correptus est, qua annum agens 79 Autissiodori prius sacramentis pie procuratus exstinctus est nonis Februarii, pontificatus 23, ante majoris ædis augustius altare marmoreo tumulo conclusus hoc epitaphio: *Hic jacet D. Jacobus* Amyot, *dum in vivis ageret Autissiodorensis episcopus & Franciæ magnus eleemosynarius, qui obiit 6 Febr. 1593.*

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 222.

pag. 223. 224. 228.

1589.

pag. 229.

1590.

1595.

Ad Jacobi effigiem sedi pontificiæ proximam sequentes inscripti versus leguntur:

Præsulis ora vides Amyoti augusta, viator,
Lux fuit & columen patriæ, quam moribus olim,
Consiliis, scriptis ornavit & arte loquendi.
Regum alter phœnix Caroli Henricique piorum.

Amyoti manibus sic parentarunt duo ex parentibus historiæ Gallicanæ, Augustus Thuanus & Scævola Sammarthanus. *Apud nos*, ait Thuanus in Hist. *decessit sexagenario major Jacobus Amyotus, humili loco Meloduni patre lanio natus, ob magnam eruditionem Caroli IX & Henrici III pueritiæ erudiendæ appositus, & ab iisdem admodum opimis sacerdotiis ditatus, ac episcopatu Autissiodorensium, & magni eleemosynarii dignitate ornatus, qui seu senii infirmitate, sive muneris necessitate, cum ad gregem suum assiduus esset, Autissiodorensium furori, ut tunc tempora erant, morigerum se nimis gessisse, nec satis grato animo memoriam tot beneficiorum ab alumnis acceptorum conservasse plerisque visus est. Huic Heliodori Æthiopica, & Longi Pœmenica, vernacula lingua felicissime expressa debemus, quamquam suppresso interpretis nomine edita sunt. His præludiis periculum ingenii fecit, quod in majorum vigiliarum operibus postea exercuit, Diodoro ac præcipue Plutarcho, licet majore plerumque elegantia, quam fide Gallice redditis.* Sammarthanus vero: *Quid poterat Amyoto, singulari doctrina viro, Melodum ad Sequanam honesta familia nato, majus, aut fortunatius contingere, quam e tot tantisque viris, quibus eruditum sæculum affluebat, unum asciscí, qui regios liberos, omnis Europæ nobilissimos pueros, &* A *ipsi jam tum imperio destinatos erudiret! Cum enim ingrati animi vitium in generosas illas & excelsas mentes cadere non possit, nunquam postea tanti officii non memores extitere: nam ut quisque suo tempore ad regium solium evectus est, præceptorem bene meritum & humanissime semper excepit, & amplissimis sacerdotiis honestavit. Qui & ipse vicissim, ne ingratus haberetur, in hoc totus incubuit, ut scriptis suis, ac præsertim Plutarcho in sermonem Gallicum splendidissime translato, vernaculam principum suorum linguam, quæ non postremum imperii decus merito censetur, ad supremum puritatis & facundiæ fastigium perduceret; non minori fortasse gloria, quam* B *si ultimos ipsius regni fines virtute bellica propagasset. Vel ob id quoque longæ posteritatis memoria sane dignissimus; quod & ad concilium Tridentinum regi nominique Gallico non satis amicum delegatus orator, libera & luculenta oratione habita, optimum se civem, & regiæ dignitatis apprime studiosum ostenderit. Vixit ad exactam senectutem alumnis suis præpostero fatorum ordine superstes, trienniоque post Henricum III detestabili parricidarum coitione sublatum, e vivis excessit.*

XCVII. Franciscus III.

ex Donadiev.

Si Autissiodorensi historico fides, post obitum C Jacobi electi sunt successive ab Henrico IV N. *Pelletier* consiliarius clericus in parlamento Parisiensi an. 1594, Franciscus *de Donadieu* abbas S. Hilarii Carcassonensis, qui bullas ante solennem heresis ejurationem a rege factam anno 1595 obtinere non valens, jus suum fratri cognomini cessit, Johannes *Lordereaux* abbas sancti Mariani circa 1597, denique Franciscus alter *de Donadieu* prioris germanus natumajor anno 1598. Clara is & equestri familia apud Aquitanos an. 1558 parentibus Johanne *de Donadieu* & Magdalena *de Hautpont* editus, fratres habuit D N. *de Donadieu* germanum, qui in navali illo cum Turcis ad Echinadas insulas commisso feliciter prælio 17 Oct. 1571 pugnans fortiter, gloriose oppetiit, Petrum *Puchairic* regulum Domfrontii vicecomitem, torquatum equitem, 50 cataphractorum militum ducem, regum Henrici III & IV consiliarium, senescallum Andegavensem, & apud Andes & Cenomannos proregem; & Franciscum S. Papuli episcopum, & prius an. 1593 ad Autissiodorensem cathedram ab Henrico IV designatum, quam in Francisci fratris natumajoris gratiam ante provisionem pontificiam abdicavit cum Henrici IV venia, qui insuper Francisco nostro Bellæbrancæ abbatiam contulit E die eadem 12 Febr. 1598. Quorum sacerdotiorum a summo pontifice obtinendorum causa 1598.
literas a capitulo obtinuit 18 Decembris anni ejusdem, quibus munitus cum cardinali *de Joyeuse* Romam profectus præsente Clemente VIII doctorali theologiæ laurea insignitus & beneficiis donatus gratis mense Junio 1599, singulos ordi- 1599.
num gradus capessendi extra tempora unaque die facta venia, calendis Augusti a prædicto cardinali Autissiodorensis episcopus inauguratur, possessionemque per procuratorem init 14 Junii 1600, 1600.
quo seculari anno Romæ egit, partim ut indicti

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Jubilæi compos fieret, partim ut ritus, cærimonias totumque cultum ecclesiasticum perfectius addisceret. Anno 1601 in Galliam reversus, feria IV 18 Aprilis ad S. Germanum in jejunio & oratione exacta, sequenti die solenni concursu a quatuor baronibus deportatus, in thronum inductus est. Reginaldo Belnensi metropolitæ Senonensi obsequii formulam recitavit 17 Septemb. 1601.

1602. 1602. In exsequiis Henrici IV apud S. Dionysium diaconum egit. Avaritiam multorum malorum originem exsecratus, a se & a suis severe semper arcuit, & liberaliter extra pretium munera concedebat, cerarii mercedem, visitationum & collationum nullam exigebat. Beneficia sacerdotiaque quantum potuit, dignioribus impertivit.

1606. Comitiis cleri generalibus annis 1606 & 1615 totis quatuordecim mensibus adfuit privato suo ære, duodecim millium librarum impensis liberaliter diœcesanis remissis qui sumtus numerare tenebantur. Quod si extraordinarias aliquando eum pecuniæ summas retinere contigisset, puta pro redemtionis gratia, pro ratæ factæ emtionis venditionisque juribus, non in proprios usus convertebat, sed vel novum inde comparabat fundum, aut in aliquod ecclesiæ ornamentum aut successorum utilitatem impendebat.

Patribus Capucinis Autissiodorum inductis an. 1606 29 Sept. conventum magna ex parte condidit, nam & locum propria pecunia emit, & ad operarum mercedem 1533 nummos, suppeditantibus reliqua civibus erogavit, ex quo tempore pluribus illos & pene quotidianis muneribus exornavit, eorumque ecclesiam dedicavit anno 1614. Quam & liberalitatem præsulis pluries expertæ sunt Mendicantium religiosorum familiæ quæ in hac diœcesi & in hac urbe degunt, ut PP. Dominicani, Minores, xenodochii pauperes Giemi & Dezizii Clarissæ, & qui paupertate pressi clerici sub ejus ditione agebant.

Bellæbranciæ abbatiam Flexensi collegio uniendam abdicavit, & in collegium Autissiodorense

1622. anno 1622 immisit 1600 libras ut rudioribus clericis casus conscientiæ prælegerentur. Totis 24 annis quibus episcopatum gessit, præsens semper pastorale munus obivit, frequens diœcesim totam perlustravit, ordines saltem bis quolibet anno celebravit, diœcesanos conventus solitos cogere nunquam omisit. Virginum Ursularum sodalitium Autissiodorum 3 Oct. an. 1618, Augustinianos communitatis Bituricensis Conadam an. 1616, Recollectos Minores Clameciacum & Caritatem adduxit. Quamvis Francisco mansuetissimum foret ingenium, fortiter tamen dignitatem suam, ubi eam lædi credidit asserere non dubitavit. Pontificatus initio cum comperisset sibi solennioribus festis sacra facienti non sat idoneos ministros deputari, & nonnullos e canonicis divinis interesse officiis non eo habitu & modestia quæ hunc ordinem decent, sancita quædam consensu partium senatus consulto anno 1606 8 Aprilis, necnon archiepiscopi Senonensis auctoritate confirmata promulgavit, quibus decretum erat 8 Aprilis 1604 ut litanti & sacra operanti episcopo decanus & capitulum aliquot destinarent dignitate

A exornatos, vel ætate & gravitate maturos canonicos qui ei ministrarent, ut otiosæ per ecclesiam vagationes & confabulationes inhiberentur, ut nulli clerico synthesi induto ad templum accedere fas foret. Statuta synodalia alia promulgavit fer. IV post Pascha 1622. Petrum clericum decanum vitio creatum pronunciavit, & Erardum Rupifortium legitimis suffectum suffragiis admisit. Regennarum castrum ditionis pontificiæ, quod civili bello princeps Condæus occupaverat, & Sangeorgio duci custodiendum commiserat, aureis duplionibus Hispanis trecentis redemtum vindicavit. Fontes metallicos qui Eponiaci visuntur

B ut publicos in usus commodius diffluerent collatis sumtibus procuravit. Synodis Parisiensibus adfuit annis 1610 & 1612. Chronicon Roberti monachi S. Mariani Autissiodorensis dicavit ei anno 1619 Nicolaus Camusatus canonicus Trecensis. Cum jam inde ab anno 1604 fratris sui natumajoris obitu familiam suam maribus orbam cerneret, in gentilitium *de Donadieu* nomen bonaque anno 1617 Bartholomæum Grietum suum ex sorore nepotem regii diplomatis vi adoptavit; sed anno 1623 eodem Bartholomæo sacris addicto, Franciscus, cui amplissimæ apud Aquitanos possessiones obvenerant, se sollicitari sivit a qui-

C busdam domesticis, quos repetendæ patriæ cura angebat, Autissiodorensem episcopatum cum Convenensi ut permutaret, quod reipsa an. 1623 1623.
mense Julio præstitit. Insequenti Johanni officiali suo licentiam dedit benedicendi capellam parthenonis Montis Pietatis apud Caritatem Parisiis 16 Novembris 1624. Sed priusquam sua de per- 1624.
mutatione pontificis diplomata expetiisset, quam onerosa pastoralis sarcina foret attentius perpendens, prædictum Convenarum episcopatum in nepotem suum Bartholomæum deposuit anno 1625, retenta 8000 librarum pensione. Nepoti superstes Franciscus an. 1641 adstitit comitiis

D cleri Gallicani apud Meduntam agens cleri Gallicani, quondam episcopus Autissiodorensis. Eodem anno mense Februario, ætatis 81, in castro Alano summum obivit diem, cum totos pene quindecim annos a sua demissione in assiduis pietatis exercitiis exegisset, vulgo a contribulibus quos inter degebat sanctitatis nomine commendatus.

XCVIII. Egidius. DE SOUVRÉ.

Convenensis episcopus Egidius, necnon commendatarius S. Florentii & S. Carileti, permutatione cum Francisco facta 13 Maii 1623,

E episcopus Autissiodorensis postea nominatus a rege & a summo pontifice confirmatus, possessionem per procuratorem adeptus est 25 Sept. 1626, ipse vero 16 Octobris anni ejusdem, 1626.
cum jam esset thesaurarius sacræ Capellæ Paris. ab exeunte anno 1625, sacro Henrici episcopi Noviomensis adstitit an. 1627. Eodem parochos 1627.
suos ad residentiam coegit. Biennio post quarta a Paschate Dominica diœcesim lustrandam aggressus, clero reformando plurimum adlaboravit anno 1629, & ad Caritatense oppidum Vallis Gratiæ Benedictinarum virginum cœtum adduxit

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1628. anno 1628. Hominia excepit Claudii *le Muet* decani 13 Decemb. 1627, Caroli ducis Nivernensis 14 Maii 1629, Caroli *de Courbon* &
1629. Gabrielis uxoris vicecomitum S. Salvatoris 4 Novemb. anni ejusdem. Johannem *Guerin* episcopum Crassensem apud Carmelitas Paris. 1 Aug.
1630. 1630, & episcopum Laoanensem in partibus Infidelium 12 Nov. anni ejusdem consecravit, utrumque de licentia archiepiscopi Paris. Arbiter a Sebastiano Lingonensi episcopo & Andrea abbate sancti Stephani Divionensis dictus cum duobus aliis secundum abbatem pronunciavit 15
1631. Junii 1631. Sacro Gaspardi Albiensis episcopi adstitit 24 Augusti anni ejusdem. Eodem dum majora animo ad ecclesiæ suæ utilitatem volveret consilia, cita mors ei filum vitæ Parisiis abrupit die Veneris 19 Sept. ætatis 35 cum mensibus 6. Corpus 28 ejusdem mensis Autissiodorum revectum in cathedrali humatum fuit, viscera ad sacræ capellæ subterraneam ecclesiam condita, cor ad paternum *de Courtenvaulx* castrum delatum fuit. Ejus in laudem funebrem orationem habuit qui ei a secretis fuerat Nicolaus *le Coime* S. Florentii Salmuriensis benedictinus asceta. Ejus epitaphium lugubri iambo composuit D. Andreas Percheronius doctor Navarræus, archidiaconus & vicarius generalis.

Egidius isto conditus saxo jacet
Sourræus, hujus pontifex ecclesiæ,
Scientiarum gloria clarissimus,
Necnon vetusta nobilis prosapia,
Virentis ævi flore qui primo vigens,
Severitate vixit antiqua gravis,
Prudentiæque laude sic charus fuit
Regi, gregique, debito ut chari nihil
Honore regis demeret oneri gregis.
Virtute partos rebus ornantem novis
Piisque honores, parca nobis invidens
Regi, gregique & omnibus longum bonis
Pareret dolorem, si periret integræ
Lex casta vitæ, fama constans, igneæ
Vis alta mentis & severa comitas,
Et christianus ille virtutum chorus,
Injusta tanto justa qui solvit viro.

Vixit ann. plus minus XXXV. Sedit ordine IIC. an. v. Obiit anno salut. hum. M. DCXXXI XIII calend. Octobr. Andreas *Percheron* doctor theologus Paris. optimi præsulis beneficio archidiaconus major & canonicus Autissiodorensis B. M. P.

SEGUIER.

XCIX. DOMINICUS.

De Dominico jam diximus in decanis ecclesiæ Paris. & in episcopis Meldensibus. Ex decano ecclesiæ Parisiensis & senatore in parlamento urbis ejusdem ab anno 1616 primoque regis eleemosynario an. 1631, designatus a rege archiepiscopus Corinthi & episcopus Boloniensis ab eodem nominatus est Autissiodorensis 6 Octob. 1631. Bullis donatus consecratur a Johanne-

A Francisco Gondio primo archiepiscopo Paris. die Dominica 18 Jan. 1632 apud moniales Carmelitanas ad quas secesserat ejus mater, sacro cooperantibus Jacobo *de Nucheze* Cabilonensi & Nicolao *Danetz* Aurelianensi episcopis. Archiepiscopo Senonensi fidei sacramentum præstitit 3 Augusti, & die 6 Sept. possessionem adiit ac Sabbato sequenti ordines celebravit. Mox totam diœcesim visitandam aggressus est, quo tempore septem capellanias in ecclesia Giemensi exstinxit & mensæ capitulari adjunxit 13 Apr. 1633. 1633. ANNI CHRISTI 1632.
Consecravit 5 Maii die festo Ascensionis ecclesiam Recollectorum apud urbem Caritatis a Ludovico
B *de Clèves* priore Caritatis ædificatam anno 1602. Anno eodem 1633 cum aliis præsulibus a Ludovico XIII delegatus est qui monachos congregationis S. Mauri in monasterium S. Dionysii auctoritatibus regia pontificiaque reformandum deducerent. Eustachium *de Chery* canonicum & thesaurarium Nivernensem, Philadelphiæ episcopum, patrui coadjutorem Nivernis consecravit cum aliis an. 1634. Eodem reliquias S. Peregrini 1634.
primi Autissiodorensis episcopi a monachis Dionysianis dono excepit, quas in lipsanotheca argentea sacrario intulit 17 Septemb. 1636. Ad preces monachorum sancti Germani cryptas & *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 236.* *Ch. CXLIX, col. 225.*
C veteres tumulos, in quibus tot sanctorum præsulum corpora sunt humata pie religioseque perlustravit annis 1634 & 1636, reclusos inspexit, & confectum inde publicum instrumentum subsignavit anno 1642. Congregationis Gallicanæ canonicos regulares ad S. Petri monasterium induxit 14 Septemb. 1635. Eodem anno vacuam 1635.
Antonii *Seguier* consobrini obitu S. Johannis apud Ambianos abbatiam dono Ludovici XIII obtinuit. Eodem Parisiensibus cleri comitiis interfuit, a quibus pensionem annuam 500 librarum episcopo Bethleemitano obtinuit, ut ne amplius ordines in sacello hospitalis sui celebraret, unusque
D fuit e commissariis apostolicis qui ultima Maii Renatum *de Rieux* ab administratione Leonensis ecclesiæ amoverunt. Annam-Mariam-Ludovicam *d'Orléans* in camera reginæ baptizavit 17 Julii 1636. Eodem sacrum Amatoris corpus & plures 1636.
alias sanctissimas reliquias in capsa a se exstructa condidit, & ad majus altare collocavit 26 Oct. *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 239.*
Jam moniales Insularum in urbem transtulerat juxta mentem concilii Tridentini 25 Aug. quarum ecclesiam consecravit anno 1637. Transegit 1637.
hoc anno 27 Junii cum Parisiensis episcoporum Autissiodorensium palatii detentoribus. In sacras suæ ditionis ædes munificus pluribus argenteas
E pixides dono dedit. Misericordiam quoque in omnes abunde exercebat, Autissiodori maxime sive præsens seu absens largitiones sacras in miseros profundebat. Destitutas virgines non paucas dote numerata matrimonio devinxit. Juvenes orbos ad varias artes addiscendas stipendiis instruxit. Pudibundos pauperes multa stipe recreavit, ac pluribus orphanis pueris annuatim vestimenta procuravit. Anno 1637 cum religioni duceret a sua Autissiodorensi sede frequenter abesse, idque exigeret primi eleemosynarii dignitas quæ eum aulæ regiæ assiduum esse cogebat, Meldensem

Digitized by Google

ANNI CHRISTI episcopatum a rege impetravit 26 Augusti, quod capitulo Autissiodorensi datis 4 Septemb. literis significavit.

DE BROC.

C. PETRUS IX.

Franciscum *de Broc* auratum equitem, sancti Marci, de Pila in Turonibus, *de Broc* & *Lysardiere* dynastam, & Franciscam *de Montmorency* Petri Tureii marchionis, & Jaquelinæ *d'Avaugour* filiam claros utroque latere progenitores habuit Petrus. Sacris initiatus abbatis *de S. Marc* titulo in cardinalis Richelii familiam adscitus, ac variis pro Ludovico XIII rege summa fide & industria defunctus muneribus, cessione Dominici ad sedem Meldensem translati & cardinalis commendatione, jam abbas Ressonii Rotomagensis & Fontanellæ Lucionensis Autissiodorenses infulas promeruit 1637 Sept. 10. Quod ubi Autissiodori innotuit, publico urbis decreto Nicolaus *Tribolé* tribunus plebis & capitalium rerum proprætor designatus est qui ad eum ordinum omnium vota perferret. Nec tamen nisi diu post, seu regis, seu cleri, cujus res procurabat, negotiis detentus concessi honoris dignitatem adiit. Bullis enim donatus
1639. 1639 Januario mense, Luteciæ consecratur in ecclesia Cisterciensis collegii 4 Martii 1640 a
1640. Leonorio *d'Estampes* Carnotensi, Dominico Meldensi & Leonorio Constantiensi episcopis. Quatriduo post fidem regi dixit apud S. Germanum in Laya, ecclesiamque suam 5 Apr. fer. v majoris hebdomadæ solenniter ingressus est comitantibus quibus id decus incumbit proceribus. Octavio Senonensi archiepiscopo obsequii formam reci-
1641. tavit 28 Januar. 1641, eodemque comitiis cleri Meduntæ ad Sequanam habitis interfuit. Henrici
1642. Redonensis episcopi sacro adfuit anno 1642, eodemque multis probavit documentis comites Autissiodorenses episcopo debere fidem & hominium. Fontinellæ commendam pro commenda Omnium Sanctorum apud Andegavos permu-
1645. tavit anno 1645. Eodem moniales S. Juliani accersita Vallis Gratiæ regula reformavit. Eodem quædam composuit dissidia inter abbatissam & moniales Calenses, & statuta condidit quibus caritas, pax & observantia regularis muniri possent. Eamdem abbatissam cum archiepiscopo
1647. Parisiensi disceptantem conciliavit anno 1647. Ludovicum XIV bis Autissiodori excepit annis
1650. 1650 & 1661. Parisiensibus cleri comitiis adfuit an. 1650, & præfuit 1662. Ludovicum Claromontensem episcopum cum Aniciensi & Ruthenensi præsulibus consecravit Paris. apud
1651. S. Genovefam 25 Aug. 1651. Canonicos regulares congregationis Gallicanæ apud S. Eusebium
1654. introduxit anno 1654. Moniales Hospitalarias
1657. Autissiodori in domo Dei admisit 1657, mo-
1659. niales Visitationis 1659 & Augustinianos dis-
1662. calceatos 1662. Propensus in omnes, erga initiandos justum servavit rigorem, ut nulli quos non exornarent vitæ probitas scientiaque ab eo vel sacros ordines, vel sacerdotia impetrarent. In ecclesiam suam exornandam vestiarium cultum exquisiti pretii contulit, & ad pontificios usus suppellectilem sacram & ornamenta comparavit.

A Ditionis quoque suæ castra domosque pluribus operibus, Regennas in primis egregie firmavit. Ibi fatis cessit 7 Julii 1671, sepultus in cryptis subterraneis ecclesiæ cathedralis, unde translatus est in navem 16 Septembris 1730 in tumulo decessorum præsulum de Dintevilla. ANNI CHRISTI 1671.

CI. NICOLAUS II.

COLBERT.

E Lucionensi, ubi de eo diximus tom. II, col. 1407, ob infirmam valetudinem quam ex gravi regionis aëre contraxerat a Ludovico XIV invitus fere, piorum videlicet virorum judicio obsequens, ad Autissiodorensem ecclesiam trans-
B latus 16 Julii 1671, eidem fidem juravit 19 Dec. tum ad diœcesim suam se contulit, cujus vix possessionem adeptus 29 Januarii 1672, in 1672.
urbe generalis nosocomii, & in ædibus episcopalibus seminarii ecclesiastici initia dedit, quo clericos optimis moribus, sacris ritibus & ecclesiastica doctrina a doctoribus pietate & doctrina claris erudiendos curaret. Generalibus cleri comitiis Luteciæ adfuit anno 1675. Verum anno 1675.
sequenti 5 Septembr. fato functus est Varziaci, 1676.
cum annos quinque ecclesiam Autissiodorensem rexisset. Vir fuit omnibus ecclesiasticis dotibus ornatus, summa præsertim in Deum pietate,
C morum integritate, beneficentia in egentes occultos maxime & verecundos, sollicita gregis cura disciplinæ ecclesiasticæ fidelis observator, & in ipsius infractores districtus executor justitiæ. Humatus est in ecclesia cathedrali ad gradus majoris altaris. Huic anno 1713 mausolæum ad latus dextrum sanctuarii erexit Johannes-Baptista *Colbert* marchio Torciaci cum hoc epitaphio:

Æternæ memoriæ Nicolai Colberti Autissiodorensis episcopi, pastoris optimi & vigilantissimi. Is a pueritia ecclesiæ dicatus, post humanarum literarum studia scientiam sanctorum unice coluit. Inter delegatos cleri Gallicani curam, industriam, peritiam suam omnibus
D *probavit. Bibliothecæ regiæ custos, eam primus in meliorem formam reduxit. Ad episcopatum Lucionensem vocatus, aulæ, urbi, familiæ, amicis renunciavit: sola pastorali sollicitudine occupatus, forma gregis factus, clerum & plebem exemplo, & Verbi Divini dispensatione ad christianam vitam informavit. Ad ecclesiam Autissiodorensem reluctans translatus, sui semper similis, non mundo, non suis, non sibi, sed ecclesiæ & pauperibus vixit. Omnibus carus, in flore ætatis raptus, magnum sui desiderium gregi sibi commisso, rarum sanctimoniæ episcopalis exemplum posteris reliquit. Obiit anno salutis M. DCLXXVI, V mensis*
E *Septembris, anno ætatis XLIX.*

Johannes-Baptista Colbertus marchio Torciaci & Sabolii, regi a sanctioribus consiliis, actis & epistolis, ordinis S. Spiritus cancellarius, publici cursus magister, ex Carolo fratre nepos, patruo optimo & desideratissimo P. C.

CII. ANDREAS.

COLBERT.

Præsidem curiæ Remensis patrem habuit Andreas, qui doctor sorbonicus, ecclesiæ Remensis canonicus, a Johanne-Baptista *Colbert* commendatus, a Ludovico XIV ad ecclesiam Autissiodorensem

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Autissiodorensem assumtus est mense Septembri A 1676. Bullas obtinuit ab Innocentio XI anno
1678. 1678 VIII idus Junii, eodemque anno die 14 Julii Luteciæ in ecclesia Sorbonæ consecratur ab archiepiscopo Parisiensi, assistentibus Aurelianensi & Montalbanensi episcopis, & post exhibitam regi fidem possessionem ipsemet obtinet 4 Sept. Paulo post Burgundiæ triennalis electus est in episcoporum ordine. Seminarium a decessore erectum sacerdotibus Missionariis S. Lazari com-
1680. misit 1680. In eo duos pauperes clericos ad ordines promovendos fundavit. Generalibus cleri
1681. Gallicani comitiis interfuit an. 1681. Xenodochium quo nunc est loco construi jussit. Ejus cura & institutione feminæ quas de Providentia
1685. appellant, Autissiodori institutæ sunt an. 1685.
1695. Parochialem S. Petri ecclesiam dicavit 1695. Synodos habuit, & statuta condidit & typis mandavit, reditus episcopales ampliavit; palatium novis auxit ædificiis, illudque & Regennarum castrum omnibus quæ ad commodum & utilitatem pertinent adornavit. Tandem longo afflic-
1704. tatus & probatus morbo decessit 19 Julii 1704, annos natus 55, solemniter ad lævam decessoris tumulatus. Duo anniversaria in ecclesia cathedrali quotannis celebranda fundavit, omnibusque fere urbis ecclesiis legata testamento scripsit.

CIII. Carolus-Daniel-Gabriel.

De Pestel de Levy de Thubieres de Kailus.

Henrico de *Thubieres* marchione *de Kailus*, & Claudia *de Fabert* parentibus editus Carolus-Daniel-Gabriel, doctor theologus facultatis Paris. regi ab eleemosynis, abbas S. Johannis Laudunensis, episcopus Autissiodorensis a rege designatus 15 Aug. 1704, bullis obtentis VII cal.
1705. Februar. 1705, die 1 Martii inauguratus est in ecclesia Carmelitarum discalceatorum ab archiepiscopo Paris. assistentibus Silvanectensi & Trecensi episcopis. Tum die 8 ejusdem mensis solitum regi jusjurandum apud Versalias exhibuit. Dein Regennas petiit, unde cum duobus ibi diebus, quibus a delegatis capituli, curiæ præsidialis & urbis salutatus est, permansisset, die 22 dicti mensis solenni pompa in urbem invehitur, & a Petro *de Tencin* Senonensis ecclesiæ archidiacono inthronizatur ac installatur in Autissiodorensi ecclesia. Eodem anno & 1715, ad generalia cleri comitia Parisios delegatur. Anno 1706 1706.
die 4 Junii, ad comitia Burgundiæ electus triennalis vocatus est. Adorationem perpetuam SS. Corporis Christi de consensu capituli erexit in capella B. Mariæ de Miraculis 14 Febr. 1707. 1707.
B Mense vero Martio generalis cleri Parisiis extraordinarie convocati nomine coram rege peroravit 13 Apr. Anno sequenti trium Burgundiæ or- 1708.
dinum nomine coram eodem rege orationem iterum habuit. Obiit Regennis 3 Apr. 1754, 1754.
annum agens 86, episcoporum Franciæ decanus,

CIV. Jacobus-Maria.

De Caritat de Condorcet.

Ortu Delfinas Jacobus-Maria sororis filius & vicarius generalis Johannis *Dyse de Saleon* Aginnensis tum Rutenensis episcopi & postea Viennensis archiepiscopi, nominatus a rege episcopus Vapincensis, inunctus est 28 Januarii 1742,
C dein Autissiodorum translatus est exeunte Junio 1754. Regi fidem dixit Versaliis 13 Januarii 1755. Parisiis vero benedixerat abbatem sancti Amandi 20 Oct. 1754 in ecclesia Missionum externarum. Anno 1761, 8 Jan. regia nominatione iterum translatus est ad ecclesiam Lexoviensem, pro qua regi fidem juravit 9 Martii ejusdem anni.

CV. Johannes-Baptista-Maria.

Champion de Cicé.

Ex episcopo Trecensi ad Autissiodorenses infulas evehitur 8 Jan. 1761 per translationem Jacobi-Mariæ ad sedem Lexoviensem.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ AUTISSIODORENSIS.

Ecclesia Autissiodorensis in temporalibus D a præpositis ab initio gubernata, importunam eorum dominationem & ipsa sensit, de cujus jugo excutiendo sæpius agitatum, sed maxime Roberto sedente episcopo, quo immatura morte sublato anno 1095, Humbaudus ejus successor suorum honori & utilitati consulens, invidiosam præpositura dignitatem Ulgerio nepoti dedit. Verum Hugone II in id opus serio incumbente anno 1136, præposituræ munus S. Stephano oblatum in perpetuum sublatum fuisset, ni successor ejus Hugo III eam dignitatem probante primum, sed mox improbante, S. Bernardo nepoti contulisset. Demum Guidone præposito ad ecclesiæ Senonensis regimen evocato an. 1177, præpositura capitulari mensæ annexa remansit, quam an. 1166 Alanus ultimis canonicis concesserat. En aliquot præpositorum nomina, ex necrologio & schedis nonnullis.

Erembertus I 20 Februarii.

David 27 Aprilis.

Ermenfridus 7 Augusti.

Ademarus 9 Novembris.

Ermembertus II 5 Decembris.

Valdricus 1 Martii.

Robertus 31 Octobris.

Hugo Godefridi episcopi nepos, a quo presbyter ordinatus est, præpositus erat Autissiodorensis cum meritis suffragantibus Nivernensis episcopus electus est an. 1074.

Hugo subscripsit chartæ fundationis ecclesiæ collegiatæ Clameciacensis anno 1076. Jerosolymam profectus, ibi Godefrido Bullonio regnante mortuus est circa 1099, memoratus 5 Augusti in necrologio.

Ingelboldus notatus in necrologio 12 Nov.

Emelbertus subscripsit concordiæ initæ anno 1109 inter Stephanum Besuensem & Hugonem S. Germani abbates.

Ulgerius genere Autissiodorensis, Humbaldi episcopi nepos, ab eodem factus est præpositus de consensu canonicorum, & a summo pontifice

Digitized by Google

confirmatus, eidemque a nonnullis datus successor anno 1116, sed frustra. Æmulo enim cedere coactus est, sed præposituram retinuit, quo nomine chartis subscripsit annis 1123 & 1136. Relicto postea seculo & abdicato munere monasticam elegit vitam. Multa ecclesiæ Autissiodorensi contulit argentea vasa, vestes sacras & ingenti sumtu januas ecclesiæ ædificandas curavit. Memoratur in necrologio nonis Maii.

Stephanus 1151. Obiit XI cal. Sept.

Hervæus ille forte est nepos, cui Hugo III avunculus vicina morte aliquantum stupidus & turbatus Stephano canonico apud eum gratioso A suggerente & sollicitante præposituram contulit, contra quem S. Bernardus epistolam 276 scripsit pœnitentia ductus quod approbasset judicium amici super collata & male collocata ab eo præpositura. Chartæ Conadensi subscripsit an. 1157.

Guido *de Noyers* ex præposito Autissiodorensi 1161, factus archiepiscopus Senonensis 1176, præposituram ab Alano episcopo anno 1166 exstinctam dimisit capitulo. Exstat t. IV collectionis scriptorum historiæ Franciæ Quercetani p. 681 epistola G. præpositi, W. decani & universi capituli ecclesiæ Autissiodorensis ad Ludovicum Franciæ regem.

DECANI ECCLESIÆ AUTISSIODORENSIS.

PRÆPOSITIS principem locum tenentibus, B infirma decani auctoritas. His autem abire jussis crevit in immensum decani dignitas, jurisdictione, qua nunc excidit, in omnes urbis sacerdotes occupata. Hac fretus an. 1224 protulit interdictum ut episcopo in urbe præsente a divinis in ecclesia Autissiodor. cessaretur, ut patet ex lib. II Decretalium, tit. 28 de Appellationibus, c. 55. Eligitur a capitulo cujus jurisdictioni obnoxius est & confirmatur ab episcopo cui conceptis verbis obsequium fidei præstat. In choro utitur peculiari veste, certis tamen diebus usu definito ex senatusconsultis secundum Philippum *des* C *Essarts* annis 1415 & 1423 pronunciatis. Præses capituli, in eo tamen generalibus exceptis comitiis nec præsidet, nec activa voce gaudet, nisi sit de canonicorum gremio. Idem dicas de aliis dignitatibus, licet forte canonici sint creati ad effectum. En aliquot decanorum nomina quæ prælegentur in necrologio seculi XI.

Benedictus 4 Januarii.

Gaufridus 16 Januarii.

Adoynus 27 Januarii.

Gislebertus postea monachus effectus, 5 Febr.

Rotfridus 1 Martii. D

Agano 11 Martii. Memoratur in charta Gaufridi episcopi de veteri Donziaco, regnante Henrico rege.

Valaharius 18 Martii.

Aigulfus 29 Aprilis.

Hugo 30 Aprilis.

Salomon 9 Augusti.

Ingelbaldus 8 Septembris.

Gauzo 19 Octobris.

Vitalis 1 Decembris.

Aclevertus 13 Decembris.

Humbaldus subscripsit literis fundationis capituli Clameciacensis 1076, fit episcopus anno 1095. E

Frodo subscripsit concordiæ ab Humbaldo pactæ inter Lethericum abbatem Floriacensem an. 1110 & toparchas de Tociaco.

Stephanus occurrit in chartis annis 1123, 1126 & 1128.

Goscelinus 1136 & 1143. Notatur in necrologio 25 Novembris.

Milo 1140 & 1144.

Guillelmus 1159, 1161, 1163, 1166, 1176, forte Guillemus de Pruneto memoratus in necrologio 16 Octobris.

I. Hugo I *de Noyers* ex decano fit episcopus 1183.

II. Hervæus *de Chitry* 1185 & 1196. Notatur 30 Martii in obituario.

III. Guillelmus I *de Seignelay* 1198, ex decano episcopus anno ineunte 1207.

IV. Reginaldus I an. 1209 contra Albigenses cum Guillelmo episcopo profectus, adfuit expugnationi urbis Carcassonæ. Illuc secundo profectus moritur an. 1212, sepeliturque in ecclesia S. Petri in castello Aginnensi.

V. Guillelmus II jam præerat capitulo anno 1212, quo anno cum Elia abbate S. Columbæ Senonensis sententiam tulit pro Pontiniaco adversus episcopum Trecensem. Confirmavit anno 1215 fundationem ecclesiæ collegiatæ de Trinitate. In necrologio beatæ Mariæ de civitate notatur 13 Julii hujus ecclesiæ primus abbas.

VI. Henricus *de la Ferté*.

VII. Guillelmus III anniversarium fundavit mense Augusto 1221.

VIII. Briccius 1223, obiit 3 Octobr.

IX. Milo *de Cicons* jam præerat an. 1223. Transegit cum Henrico episcopo de jurisdictione anno 1224. Reginaldum abbatem S. Germani cum Colino *de Chastillon* milite conciliavit an. 1225. Occurrit adhuc 1228 XIII cal. Febr. memoraturque in necrologio 21 Maii.

X. R. compromittit cum capitulo & Drocone de Melloto 1232 mense Martio charta in qua M. *de Cicons* dicitur quondam decanus.

5 Guillelmus *Torti* dicitur quondam decanus in charta anni 1239, forte Guillelmus quem notavimus anno 1221.

XI. Regnaudus II *de Saligny* decanus erat an. 1237 mense Februario. Nominatur anno 1240 in transactione capitulum inter & monachos S. Germani inita de processionibus Rogationum. Matildi comitissæ Nivernensi promisit se forte aliquando episcopum dimissurum 40 libras Pruvinenses quas ipsi ad vitam Comitissa assignaverat anno 1242. Legitur adhuc ejus nomen in fundationibus a Bernardo episcopo factis anno 1244. Huic eodem exeunte successit

Digitized by Google

XII. Guido de Mello decanus Autissiodorensis, concilio Remensi adsuit anno 1245, eodemque electus fuit Virdunensis episcopus, retinuit tamen decanatum, & episcopo Autissiodorensi fidem juravit mense Maio 1246. Ad ecclesiam Autissiodorensem translatus est anno eodem.

XIII. Herbertus 1247. Guidoni minorem archidiaconatum instituenti consensit an. 1249. Nonnulla legavit monachis S. Germani anno 1252. Obiit VII cal. Aug. 1259. Jacet apud Cartusianos *de Bellary* diœcesis Autissiodorensis, quos difficillimis temporibus facultatibus foverat suis.

XIV. Godefridus I *de Joigny* memoratus an. 1265, obiit aut exeunte 1267, aut ineunte 1268. Notatur in necrologio Clameciacensi XVII cal. Februarii.

XV. Erardus I *de Lesignes* ex decano post avunculum fit episcopus 1270.

XVI. Hugo II *de Sully* 1273, 1276. Electioni episcopi præfuit an. 1278. Reperitur ad annum 1289, quo ultimo defunctus 6 Dec. jacet in aditu chori S. Germani.

XVII. Godefridus II Calderonis 1291. Interfuit sacramento quod Petro episcopo præstitit Ludovicus comes Nivernensis anno 1296, & cum ipse Petrus sacrum funebre fundavit an. 1302. Occurrit adhuc ab anno 1297 ad 1307.

XVIII. Guillelmus IV Catini 1312. Insequenti assensit ut archipresbyteri in titulum erigerentur. Societatem iniit cum capitulo S. Martini Turonensis an. 1315. Sententiam tulit adversus Johannem baronem *de Seignelay* an. 1316.

XIX. Johannes I *de Melun* filius Johannis & Isabellæ *de Momigny*, subdiaconus, canonicus Bituricensis, canonicus & decanus Autissiodorensis, cui literarum studiis vacanti indulsit Johannes papa XIII calend. Nov. pontificatus 5, Avenione 1318, ad preces Philippi regis ut fructus præbendæ & decanatus ad triennium percipere posset, licet in ecclesia Autissiodorensi non resideret. Percipiebat adhuc canonicorum ingratiis an. 1330.

XX. Johannes II *de S. Germain*, per cujus obitum

XXI. Droco Jordani nominatus a summo pontifice mense Nov. 1345, ab episcopo Petro obtinuit mense Januario sequenti facultatem fundandæ capellæ S. Margaritæ in ecclesia S. Mamerti. Duas capellanias instituit in cathedrali ad altare S. Andreæ, quarum collatio ad decanum pertineret. Hugonis *d'Arcy* Laudunensis episcopi dictus est testamenti executor. Reperitur adhuc 6 Februarii 1347. In necrologio Cartusianorum Bassævillæ notatur 25 Septembris.

XXII. Johannes III *Germain* de Dimonte in diœcesi Senonensi oriundus, ex decano Autissiodorensi fit episcopus Cabilonensis an. 1357, tum Autissiodorensis an. 1361. Vide tom. IV, col. 922.

XXIII. Johannes IV *le Mercier* Autissiodorensis decanus erat tempore quo urbs ab Anglis capta est 13 Martii 1358. Officialis & generalis

A episcopi vicarius fuerat. Fundavit in cathedrali altare S. Catharinæ 23 Nov. 1373, quod ratum habuit episcopus an. 1378.

XXIV. Petrus I *de Chissy* ex illustri Burgundiæ familia editus, primo archidiaconus minor, dein decanus an. 1389. Privatus est voce a capitulo 15 Junii 1397, eo quod canonico conviciatus esset. Michaëlem *de Creney* venientem excepit Dominica 5 Junii 1401. Cum eo de jurisdictione litigavit anno 1402. Ætate ac laboribus fractus, præsidentem eligi passus est 1 Decemb. 1410 Reginaldum de Fontanis postea episcopum Suessionensem, qui canonicus tantum Autissiodo-

B rensis cum singulari prudentia eximiæque doctrinæ laude floreret, missus est a provincia Senonensi ad concilium Constantiense. Cessit Petrus ante mortem quæ contigit 26 Oct. 1412.

XXV. Petrus II *Micheau* Autissiodorensis, licentiatus in legibus cedenti Petro successit an. 1412. Excommunicatus est a Philippo episcopo an. 1414. Obiit 1420 ante 12 Augusti.

XXVI. Hugo III *des Noës* canonicus Autissiodorensis & thesaurarius Tuciacensis, electus decanus 2 Sept. 1420, biduo post episcopo fidei sacramentum dixit. Senatusconsulto 14 Julii 1423 inhibitus est ne rocheto exceptis certis

C diebus uteretur. Exsequias Philippi episcopi celebravit 1426. Concilio Basileensi adsuit 1432. Eodem anno electus episcopus alteri cedere coactus est. Obiit 30 Augusti 1439.

XXVII. Petrus III *de Longeuil* canonicus & senator Paris. canonicus quoque Autissiodorensis, sacramentum fidei præstitit abbati S. Mariani, & aliis ab episcopo Laurentio delegatis 9 Sept. 1439. Factum diximus episcopum 1449.

XXVIII. Ludovicus *Raguier* consiliarius clericus in senatu Paris. decanus jusjurandum episcopo exhibuit per procuratorem 23 Septembr. 1449, ipse vero 23 Aprilis 1450. Factus est

D inde præses in curia juvaminum & episcopus Trecensis.

XXIX. Thomas *de la Plotte* archidiaconus Stampensis in ecclesia Senonensi, jam decanus erat 17 Febr. 1451. Delectus est pro limitibus comitatus Autissiodorensis ad Johannem Burgundiæ ducem an. 1452. Delegatus est a capitulo ad synodum Senonensem an. 1460. Cum violentas manus in presbyterum injecisset, absolutionem a capitulo petiit anno 1473. Præfuit capitulo in quo nunciata mors Petri de Longolio episcopi an. 1474.

XXX. Laurentius *le Routier* Johanni *Baillet*

E episcopo sacramentum præstitit 27 Aug. 1480.

XXXI. Guillelmus V *Arbaleste* clericus Augustodunensis, Autissiodorensis erat decanus an. 1489. Ad comitia Burgundiæ Belnis habita deputatus est 1494. Vixit ad annum 1511 aut 1512.

XXXII. Johannes V *Sauljot* natus Conadæ ad Ligerim, juris utriusque licentiatus, canonicus & pœnitentiarius episcopo Autissiodorensi fidem dixit 21 Dec. 1510. Decanus erat 1513 cum 5 Dec. canonici diem ad eligendum definierunt. Obiit 28 Septembris 1528.

Digitized by Google

XXXIII. Franciscus I *de Dinteville* episcopus Reiensis fit decanus Autissiodorensis 1528 & episcopus 1530.

XXXIV. Franciscus II *du Bourg* clericus Claromontensis, cessione superioris admissus est 7 Dec. 1530. Studebat adhuc Aureliani 1533. Obiit 1534.

XXXV. Florentius *de la Barre* cedente Francisco, admissus est 2 Junii 1534. Obiit 1554.

XXXVI. Franciscus III *de la Barre* Florentii nepos, per cessionem Petri *de Broc* qui Nicolaum *Blanchard* evicerat, confirmatus a summo pontifice, possessionem adeptus est 17 Apr. 1556. Obiit 20 Januarii 1588.

XXXVII. Sebastianus *le Royer* clericus Senonensis, doctor in decretis, admissus est 3 Jan. 1588. Permutavit 1595 cum sequenti parocho *de Chichery*.

XXXVIII. Guillelmus VI *de Rigny* admissus 20 Martii 1595, commendatarius Oigniaci priorque S. Florentini, apoplexia defunctus anno 1610, jacet in sacello S. Georgii cum hoc epitaphio: *Guillelmo* de Rigny *Barroseq ano, decano & canonico Autissiodorensi, cujus egregiam administrationem difficillimis temporibus ecclesiæ duæ & hæc S. Stephani cathedralis & S. Germani abbatialis senfere, qui anno ætatis 54 pridie nonas Novemb. anno Domini 1610 decedens, omnibus desiderium sui & exemplum reliquit, Edmundus* de Rigny *canonicus Autissiodorensis patruo carissimo B. M. P. anno Domini M. DCL.*

XXXIX. Erardus II *de Rochefort* abbas Vizeliacensis, decanus electus an. 1610 evicit Petrum *le Clerc*. Fidei obsequium præstitit 4 Nov. 1611. Deputatus fuit ad comitia cleri Gallicani a provincia Senonensi an. 1621. Permutavit cum sequenti, an. 1622.

XL. Franciscus IV *de Lauson* presbyter Parisf. regi ab eleemosynis, abbas S. Leonardi prope Rupellam, admissus est decanus 29 Apr. 1622. Obiit Crebanni 21 Nov. 1627.

XLI. Claudius *le Muet* ex archidiacono majore decanus 13 Dec. 1627, factus inde decanus Vizeliacensis, successorem habuit Claudium *Seguenot* Oratorii presbyterum, qui cessit in gratiam sequentis.

XLII. Edmundus *Amyot* Senonensis, doctor sorbonicus, cessione Claudii *Seguenot* decanus possessionem adeptus est 19 Octobris 1632. Gallicani cleri generalibus comitiis adstitit, deputatus 25 Aprilis 1645. Gravissimas pro re levissima canonicis suscitavit lites. Post 18 annos cessit sequenti.

XLIII. Johannes VI *Foudriat* filius præsidis curiæ Autissiodorensis, Oratorii Jesu presbyter priorque sancti Sidronii, permutatione facta cum Edmundo superiore fit decanus 15 Julii 1650. Fuit & officialis & vicarius generalis Petri *de Broc* episcopi. Obiit 19 Sept. 1661, annos natus 46, sepultusque est in navi ecclesiæ cathedralis.

XLIV. Carolus *Testu de Pierrebasse* Petri *de Broc* episcopi nepos, subdiaconus tantum electus est decanus 17 Octobr. 1661, & admissus 27 eorumdem mensis & anni. Avunculi quoque fuit vicarius, ejusdemque cessione commendatarius Omnium Sanctorum apud Andegavos & Rupium. Cessit in gratiam sequentis an. 1704.

XLV. Gaspardus *Moreau* ex ipsa ortus urbe, doctor Navarræus, bullis munitus possessionem decanatus iniit 10 Martii 1704. Vacat ab anno 1740 hæc dignitas.

DE VETERIBUS ECCLESIÆ AUTISSIODORENSIS MONASTERIIS.

INNOTESCUNT præcipua ex constitutione ab Aunachario episcopo in synodo Autissiodorensi lata an. 578, ut per duodecim mensium capita ita celebrarentur litaniæ:

Calendis Jan. basilica domini Germani.

Calendis Febr. basilica domini Amatoris.

Calendis Martii monasterium domini Mariani.

Calendis Aprilis basilica S. Petri Apostoli.

Calendis Maii basilica domini Valeriani & monasterium Vulfini.

Calendis Junii basilica domini Martini.

Calendis Julii basilica domini Juliani.

Calendis Augusti monasterium Decimiacense ad S. Cyricum.

Calendis Septembris monasterium Fontanetense.

Calendis Octobris monasterium Cotiacense ad Sanctos.

Calendis Nov. monasterium Sessiacense.

Calendis Dec. monasterium Mannacense.

Pari conditione instituit idem præsul a quibus monasteriis per hebdomadam vigiliæ in basilica S. Stephani in civitate cum abbatibus celebrarentur.

Dominica nocte basilica domini Germani ac monasterium Decimiacense.

Secunda feria basilica domini Amatoris & monasterium Fontanetense.

Tertia feria monasterium quod dominus Germanus construxit, ubi S. Marianus requiescit, simulque Sessiacus.

Quarta feria basilica S. Petri & monasterium Mannacense.

Quinta feria basilica domini Martini & monasterium Vulfini.

Sexta feria basilica domini Valeriani, & monasterium quod dicitur Varrenas.

Synodo subscribunt abbates Winebaudus, Desideratus, Frannulfus, Gregorius, Amandus, Cæsarius, Baudovæus & Tegridus, absque monasteriorum propriorum designatione.

Alteram Tetricus episcopus exeunte seculo septimo constitutionem in synodo edidit de tempore & ordine quibus abbates & clerici

Digitized by Google

divinum officium in majori S. Stephani ecclesia A celebrarent hoc modo:

Calendis Jan.
- 1 hebdomada basilica S. Germani.
- 2 hebdomada basilica S. Amatoris.
- 3 hebdomada basilica S. Petri.
- 4 hebdomada basilica monasterii sancti Juliani.

Calendis Febr.
- 1 hebdomada basilica S. Mariani.
- 2 hebdomada basilica S. Eusebii.
- 3 hebdomada basilica S. Martini.
- 4 hebdomada basilica S. Mariæ.

Calendis Martii
- 1 hebdomada basilica S. Nazarii.
- 2 hebdomada monasterium Longoretense.
- 3 hebdomada monasterium Sessiacense.

Calendis Oct.
- 2 hebdomada basilica S. Germani.
- 3 hebdomada basilica S. Amatoris.
- 4 hebdomada basilica S. Petri.

Calendis Nov.
- 1 hebdomada Domiciacus.
- 2 hebdomada monasterium S. Juliani.
- 3 hebdomada basilica S. Mariani.
- 4 hebdomada basilica S. Eusebii.

Calendis Dec.
- 1 hebdomada basilica S. Mariæ.
- 2 hebdomada basilica S. Martini.
- 3 hebdomada basilica SS. Gervasii & Protasii.
- 4 hebdomada monasterium Longoreti & Sessiaci.

Ex quibus elicitur quænam prima fuerint ecclesiæ Autissiodorensis monasteria, quænam quoque evanuerint, scilicet;

I. S. Amator. Basilica S. Amatoris ab ipso patrono fundata est in honorem S. Symphoriani martyris Æduensis in Monte-Autrico, ubi a S. Germano sepultus est, quæ postea nomen ejus sumsit. Altera post S. Germanum memoratur in catalogo basilicarum tempore S. Aunacharii. Huic S. Desiderius dedit villam Talonensem. Recensetur quoque secunda inter basilicas a Tetrico episcopo. Hanc ab episcoporum potestate longo jam tempore substractam per supplementum Hugonis Franciæ ducis, per præceptum regale regis Ludovici manu firmatum ecclesiæ sancti Stephani, quæ eam amiserat, multo studio multoque labore restituit Guido seculo x. Abbatiam S. Amatoris in suburbio civitatis sitam, episcoporum ditioni antiquitus traditam & delegatam, quam cum abbatia B. Mariæ tyrannus quidam a quodam episcopo in beneficio susceptam longo tempore possederat, suoque cuidam filio episcopo videlicet Æduensi lege hereditaria post se donaverat, ad justum & debitum ab illicito dominio revocavit Goffridus seculo xi. Inibi postea fuere canonici & abbates e quibus Johannes recensetur in catalogo ecclesiæ Autissiodorensis anni 1100. Canonicorum B. Augustini regulam in ecclesia S. Amatoris instituit Hugo *de Semur* episcopus, quam confirmavit Innocentius II summus pontifex anno 1131. Denique Alanus an. 1163 ecclesiam S. Amatoris cum possessionibus ecclesiæ S. Satyri Bituricensis dedit, & certe an. 1164 inter bona illius ecclesiæ recensetur in bulla Alexandri III, Gallia Christiana tom. II, instr. col. 54. Nunc prioratus est congregationis canonicorum regularium Gallicanæ.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 9.

Ibid. p. 264.

Ch. XXXIX col. 127.

S. Valerianus, cujus basilica memoratur in constituto S. Aunacharii de quo supra. II.

Monasterium Wlfini de quo in constituto S. Aunacharii, idem historico Autissiodorensi ac Longoretum recensitum in præscripto S. Tetrici, forte fundatum a Wlfino viro regio qui cellam S. Eusitii super Carum fluvium in Biturigibus exstruxerat, apud Labbeum biblioth. MSS. t. II, p. 376. Vide S. Laurentium. III.

S. Martinus. Monasterium puellarum in honore S. Martini ultra fluvium Icaunæ constructum, in utroque recensetur constituto. Huic S. Desiderius agellum Necatiolam dictum largitus est. B Hunc duodecimo seculo Præmonstratensibus S. Mariani dimisit Hugo, & confirmavit Alanus episcopus. IV.

Deciniacense ad S. Cyricum monasterium in utroque memoratum præscripto, in pago Avalonensi situm, quod basilicæ S. Germani dedit S. Aunacharius. V.

Fontanetense monasterium, cujus in primo constituto fit mentio, vel situm erat ad vicum Fontanetum ubi Ludovici Augusti filii de summa rerum dimicarunt, vel monasterium est Fontisrogi, situm apud Drogiam vicum pagi Autissiodorensis a S. Romano constructum, qui S. Benedictum in specu Sublacensi aluerat, C cujus corpus Autissiodorum delatum, primo in ecclesia sancti Amatoris honorifice conditum, dein Heribaldo episcopo Autissiodorensi in basilicam S. Germani rogatu monachorum est translatum. VI.

Cotiacense ad sanctos monasterium in primo memoratur præscripto. Illud construxit apud Cotiacum S. Germanus, ecclesiamque in honorem S. Prisci & sociorum qui inibi martyrio coronati fuerant ædificavit. Hoc autem permansit monasterium usque ad tempora quibus Hunni omnem pene Galliam devastarunt, quorum persecutione destructum & ad solitudinem iterum redactum est. VII.

D Sessiacum in utroque recensetur constituto. Centenis post martyrium S. Baudelii annis Romulus abbas qui apud Nemausum 80 monachis præerat, a paganis ejectus, a regibus Saxiacum prædium in Autissiodorensi pago obtinuit, ubi cum Odone & Walao cœnobium in honorem sancti martyris fundavit, privilegiaque suis successoribus obtinuit. Agrum tamen Sessiacum ab Ingunde regina ad vitam impetravit S. Desiderius, ita ut post ejus mortem basilicæ S. Germani applicaretur. Sed vetustate collapsum illud monasterium renovavit & auxit Trutgaudus abbas E an. 878, quo tempore S. Baudelii ejus patroni reliquias a Bernardo Gothorum principe qui tunc ad monasterium adventavit, petiit & obtinuit. Igne consumtum a Normannis seculo x ineunte restituit Waldricus episcopus, argenteam largitus capsam aliaque monachis subsidia contulit, paupertatis inedia angi solitis cui tandem cedere coacti sunt. Seculo enim sequenti ab Hugone *de Chalon* episcopo monachis S. Germani restitutum est. Denique monasterium illud a dominio sancti Germani jam a longo tempore subtractum, & a Gaufrido filio Odonis fratris Hervæi Donziacensis domini male detentum cum VIII.

Digitized by Google

adjutorio Gaufridi Autissiodorensis episcopi ad jus & proprietatem monasterii S. Germani revocavit Boso prior. Abhinc monasterium Sessiacense duodecim ab urbe leucis, prioratus est abbatiæ S. Germani subjectus, dictus *Saisi-les-bois*.

IX. Mannacense monasterium in constituto sancti Aunacharii memoratur.

X. Varennæ ibidem recensetur. De utroque illo monasterio præter nuda nomina, cætera ignorantur.

XI. S. Eusebius annumeratur in præscripto sancti Tetrici. Qui virginibus monasterium S. Juliani martyris assignavit Palladius Autissiodorensis episcopus, fecit & basilicam prope muros civitatis in honorem S. Eusebii Vercellensis pontificis & martyris, cujus testudinem a parte orientali ex musivo simul & auro compsit, dedicavit, variisque muneribus ampliavit, quod etiam monachorum esse constituit, ac muro undique circumcinxit. In eo sepeliri voluit, sepultique sunt quatuor alii episcopi. Quin hunc locum pro sepultura quoque elegerunt canonici. Maurino præsule abbatia sancti Eusebii sicut abbatiæ SS. Gervasii & Protasii & S. Martini in usus sancti Stephani rediere. Abhinc canonicus ecclesiæ cathedralis simul erat abbas S. Eusebii, quales in martyrologio recensentur Gaufridus archidiaconus defunctus VIII idus Aprilis, Johannes levita adhuc juvenis, prudentia literarum imbutus & bonitate decorus, notatus VII id. Aprilis, Girbertus levita & præcentor mortuus IV nonas Maii, Gualdricus levita & canonicus S. Stephani defunctus pridie idus Julii. Canonicis S. Eusebii in Molendinis villa octo mansos per præceptum regium contulit Wibaldus, Herifridus vero ejus successor ecclesiæ penitus destructæ mansa in Loconuaco, in Cereaco & in Niolo dedit. Hanc ad restaurandam centum solidos deputavit Gualdricus. Denique sancti Eusebii abbatiam in ordine canonico ab exordio constitutam, sed delapsam usque ad suum tempus & tunc demum adnihilatam restitutis canonicis & abbate reparavit Goffridus, Humbaudus autem ecclesiam S. Eusebii canonicorum S. Stephani ecclesiæque Autissiodorensis servientium futuram sepulturam canonicorum regularium esse constituit, fratresque sub prioratu de abbatia plures ibidem posuit, quibus præbendam quam Robertus ejus decessor cuidam presbytero pro canonico mortuo celebranti dari per annum statuerat, cum consensu cleri & populi per annum assignavit, ut regulares S. Eusebii canonici pro canonicis cathedralis mortuis missas celebrarent, ceteraque mortuorum agenda quotidie persolverent. Quod sic interpretatus est Alanus an. 1159 ut quoties in ecclesia Autissiodorensi vacaret canonia, toties ad unius anni circulum ecclesia sancti Eusebii redditus canonicæ integros haberet. Ecclesiæ navis & chorus dedicata sunt a Ferrico episcopo 12 Junii 1383. Perseverat etiamnum prioratus S. Eusebii, modo canonicorum regularium congregationis Gallicanæ.

Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 13. & 70.

XII. B. Maria extra muros. Monasterium in suburbio civitatis Autissiodorensis exstruxit Vigilius episcopus, quod pluribus ditatum muneribus in honorem B. Mariæ dedicavit, quod etiam muro circumcingens monachorum esse constituit, simulque xenodochium pauperum ibidem esse præcepit: hæc illa est basilica S. Mariæ memorata in constituto S. Tetrici. Hanc ab episcoporum potestate longo jam tempore subtractam a Ludovico rege per Hugonem Franciæ ducem ecclesiæ Autissiodorensi cum abbatiis S. Juliani & sancti Amatoris restitui curavit Guido. Ab Aganone quoque Æduensi episcopo qui eam a tyranno beneficio cujusdam episcopi susceptam lege hereditaria & paterna tenebat revocavit Goffridus, quæ canonicis S. Stephani arrhaboni pro præpositura quam illis promittebat data est a Roberto. Caput ecclesiæ S. Mariæ extra muros novis assiculis cooperiri fecit Humbaudus, & ad stipendia canonicorum dedit ecclesiam Accolaci cum decimis quam a Guiberto milite castri Censurii acquisierat, & paredam eisdem canonicis condonavit. Denique canonicis, quorum minus decens erat conversatio, remotis Hugo *de Macon* sua auctoritate cum auxilio comitis substituit Præmonstratenses. Vide S. Marianum.

Basilica SS. Nazarii, Gervasii & Protasii & Celsi-Pueri memoratur in constituto S. Tetrici. XIII. A Marino diacono ædificata est temporibus sancti Desiderii episcopi, qui reliquias eorumdem martyrum in ea condidit, eamque agello Briennico & Accolato supra Choram dotavit. Sed sedente Aidulfo laïcis concessa, sub Maurino successore qui eam renovavit, in usus sancti Stephani cum abbatiis sancti Martini & S. Eusebii annuente rege rediit. Angelelmus abbas erat S. Gervasii cum factus est episcopus. Ecclesiæ S. Gervasii citra Icaunæ fluvium sitæ ad restaurationem centum solidos deputavit Gualdricus circa vitæ finem. Demum in prioratum desiit.

Meleretense seu Meleredense monasterium XIV. *Moutiers.* conditum est a Quintiliano Puisaiæ dynasta sub patrocinio B. Mariæ in gratiam Britonum peregrinorum, atque abbatiæ S. Germani subjectum, ubi viginti sex monachos olim extitisse tradunt. Illic jacet Quintilianus monasterii conditor, quem S. Quiuquelmum vulgus vocat. Hoc cœnobium genti Britonum Romam infatigabiliter expetenti pervium ac familiare fuisse Herichus monachus in libro de Miraculis S. Germani episcopi Autissiodorensis, cui majorem illius cœnobii ecclesiam sacram fuisse dicit. In constituto concilii Aquisgranensis monasterium Melaredum recensetur inter ea quæ nec dona, nec militiam, sed solas orationes pro imperatore dare debebant. Heldricus abbas S. Germani magnam corporis S. Desiderii partem labente seculo X huic monasterio concessit, quod paulo post reformavit Thedaldus itidem abbas. Modo proprie monasterium vocatur, cellaque est abbatiæ S. Germani Autissiodorensis.

S. Salvator. Ermenaldus comes pagi Autissiodorensis XV. in Puisaya ejusdem pagi tractu exstruxit monasterium sancti Salvatoris pontificatu Maurini episcopi, qui illud solenniter dedicavit auxitque ex rebus sancti Stephani, cui idem monasterium attribuit postmodum S. Germano concessum. Huic cœnobio Angelelmus tabulam argenteam cum campana donavit.

Digitized by Google

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ undecim, quibus prioratum Caritatis celebritate commendandum adjunximus.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

S. Germanus.
Caritas.

Feminarum.

S. Julianus.
Crisenon.

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Virorum.

S. Laurentius.
S. Petrus.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Pontiniacum.
Bonus-radius.
Rigniacum.
Rupes.

Feminarum.

Insulæ.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Virorum.

S. Marianus.

S. GERMANUS.

INTER cætera Germani Altissiodorensium ducis prædia ac dominia extabat quoddam castrum, quarto circiter ab antiquissima civitate Autrica lapide, exigua valle intermedia, in altero declivi montis, seu rupis præruptæ jugo situm, quem antiquitus montem Breunii nuncupatum fuisse demonstrat orientalis monasterii accinctus. D Castrum illud propugnaculis & mœnibus præcinctum, altissimisque turribus præmunitum, a vetustissima porta quæ etiamnum superest ultra locum in quo nunc ædificata cernitur ecclesia parochialis S. Lupi, ubi quædam illius adhuc apparent vestigia, protendebatur ad turrim cognomento Sutrinam, Gallice *Tour-de-Satre*.

In hoc igitur prædio, B. Germanus, ex Galliæ præfecto Altissiodorensis ecclesiæ præsul circa annum 422 basilicam in honorem SS. Mauricii & sociorum construxit & consecravit, reconditis ibidem sanctorum martyrum quas ex Agaunensi E ecclesia exceperat, reliquiis. Cui quidem basilicæ S. Saturninum vitæ probatissimum, suumque discipulum ordinavit presbyterum, ut sub professione sacerdotalis tituli, martyrum memoriis inibi deserviret. Ea igitur S. Mauricii basilica veluti archipresbyteratus nomine gaudebat, ubi sanctus Saturninus cum aliis sacerdotibus, sive illi fuerint clerici, vel monachi, vel utroque simul munere fungerentur, ut tunc usu in pluribus

A ecclesiis receptum erat, proximorum saluti vacare & salutaria ecclesiæ sacramenta populo christiano ministrare debebant.

Hinc est quod postea ejusdem S. Germani vel successorum ejus præcepto, juxta eamdem ecclesiam constructum est baptisterium titulo S. Johannis Evangelistæ, de quo præclaram habet mentionem Nevelo monachus in suo Corbeiensi martyrologio his verbis: XVI Maii in Autissiodoro Galliæ dedicatio baptisterii quod est juxta basilicam S. Germani episcopi & confessoris, ubi sunt conditæ reliquiæ S. Johannis Evangelistæ. B Hinc etiam factum est ut ex eo tempore ad annum circiter 1200 hac in ecclesia ad altare S. Petri quidam ex monachis, vel eorum vicarii semper parochiales exercuerint functiones. Sed anno prædicto id muneris ad S. Lupi basilicam transtulere.

Porro S. Mauricii basilica viginti octo post suam fundationem annis B. Germani nomine fuit insignita, cum scilicet anno 450 Ravennæ in Italia mortuus propriæ redditus est civitati, atque eadem in ecclesia habuit sepulturam cal. Oct.

Progressu temporum Chrotechildis regina C magni Chlodovæi conjux, super sancti Germani tumulum ingentis atque operosæ fabricæ basilicam extruxit, & ad eam dedicandam S. Lupum episcopum ex superioribus Burgundiæ partibus secum adduxit, qui teste Heirico non multo post ad decimum sextum cal. Julii die functus supremo in eadem ecclesia honorifice conditus est. Ab erecta per sanctam Chrothechildem B. Germani basilica monachos locum istum insedisse ad nostrum usque tempus nunquam interrupta serie asserit Mabillonius. Sed quis, inquit ille, primus loci abbas extiterit incertum. Aunarium quidem seu Aunacharium vulgati præferunt indices, quem monachum abbatemque fuisse tradunt, priusquam episcopatum Autissiodorensem adipisceretur. At de abbatiali ejus dignitate altum silentium in ejus vita apud Labbæum, ubi tantum ad sepulcrum S. Martini episcopi Turonensis, coma capitis detonsa clericali habitu secularem vestem mutasse perhibetur. Unde ex abbatum catalogo nobis post Cointium videtur expungendus. Idem jam episcopus in cœnobium S. Germani admisit Walaricum Leuconaensem abbatem sanctum postea futurum; ejusdemque loci studiosissimum fuisse complura prædia huic basilicæ ab ipso collata testantur. Qui ejus acta retulere memorant agrum quemdam nobilissimum in pago Vastinensi, qui Corbiliæ dicitur, cum omnibus appendiciis suis, & in pago Avalensi prædium quod vocant Deciiacum cum Vidiliaco & Calviniaco. Extat & alterum in pago Senonico Baldiliacum nomine ab ipso concessum cum appendiciis.

Desiderius Aunacharii successor Brunichildis reginæ propinquus munificus etiam extitit in B. Germanum, cui multa prædia agellum scilicet

Digitized by Google

Feriolas super fluviolum Lupæ, Orgiacum & Mamarciacum largitus est, & centum auri solidos ad suam ipsius sepulturam ibidem exornandam. Eidem basilicæ, ipso suggerente, villas Varziacum & Sessiacum suas in territorio Autissiodorensi, in quibus postea ædificata sunt monasteria, contulit Ingundis regina Clotarii II conjux. Addidit & plurima vasorum, palliorumque ornamenta: inter quæ calicem egregium auro splendidissimo compactum, inquit Erricus, vidimus pretiosis reginæ memoriam insertis literis præferentem. Clotarius quoque rex Ingundis uxoris incitatus exemplo per manus ejusdem Desiderii episcopi, eamdem ecclesiam magnis & eximiis ornavit donariis. S. Haymarus item Autissiodorensis præsul, plures indulsit villas Abundiacum, Nigrontum & Linerolas in Autissiodorensi pago, Pontemque Maxentii in pago Vastinensi circa annum 728. Ludovicus pius imperator privilegium a Pippino Caroloque magno concessum confirmavit Aquisgrani VI idus Martii an. 816, quo quatuor hujus cœnobii naves per diversa Galliarum flumina deductæ pro diversis hujus ecclesiæ necessitatibus, quocumque appulerint, ab omni prorsus exactione seu vectigali liberantur. Renovavitque anno 835 præceptum de libera eligendi abbatis facultate. Carolus Calvus itidem Francorum rex, a suis desertus an. 858, dum Autissiodori moraretur, humano deplorato ad divinum confugit auxilium interventu S. Germani, cujus corpus in novam cryptam, quam ob oculis sanitatem redditam struxerat Conradus comes, inferri curavit anno 859, sanctorum die Epiphaniorum post annos sexdecim a priori translatione, diemque illam succiduis seculis perpetuo celebrem esse sancivit. Hæc crypta hoc anno ab Erchenrao Catalaunensi episcopo consecrata multis sanctorum præsulum insignita corporibus, sub majori basilicæ altari hactenus cum magna veneratione visitur & frequentatur, tres habens fornices, quorum in secundo habetur sancti Germani mausolæum affabre elaboratum: at præcipuo, immo unico suo orbatum ornamento, sacratissimo scilicet corpore beatissimi Germani, regibus quondam & Augustis venerando, quod hæretici magno cum tumultu in ecclesiam ingressi seculo decimo sexto in pavimentum ecclesiæ projecerunt. Reservari vix potuerunt aliquot ejus reliquiæ, quæ in vasis seorsim conditæ, uti & sudarium ejus, eorum furori subductæ sunt. Translationis corporis beati Germani solennitate peracta, idem Carolus rex plura huic ecclesiæ eodem anno præbuit dona, & præter diversa privilegia jam ante & post præstita, literas tuitionis & defensionis apud Pistas indulsit an. 864, quas per placitum laudaverunt episcopi eo loci in synodo congregati. Eodem anno monachi ab eodem principe quasdam honorum commutationes confirmari curarunt IV nonas Decembris. Juxta ultimam Lotharii filii sui abbatis voluntatem lampadem unam præter cæteras indeficienter ad S. Germani tumulum accensam fundavit, instituitque quotidianam unius pauperis refectionem, suique filii anniversarium quotannis celebrandum, & ad hæc omnia exequenda villam nomine Bernaicum regio diplomate dimisit X cal. Febr. indict. XIV, anno 866.

Capitul. t. II, c. 1412. — *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 3.* — *Chart. I, col. 97.* — *Chart. II, col. 99.* — *Hist. Aut. tom. II, prob. p. 5.* — *Diplomat. pag. 539.*

Principis hujus ætate apud S. Germanum celebris erat academia ad quam undequaque concurrebant scholares. Quidam eorum numerum ad 5000 extendunt; in iisque præter Lotharium Caroli filium, Attonem & Bosonem eorum consanguineos, necnon Heribaldum, Abbonem & Ebrardum Teutonicos principes studiis vacasse tradunt. Ex ea prodierunt non pauci viri scientia & eruditione insignes, quos inter occurrunt Erricus in gestis pontificum Autissiodorensium, Theosophus jure dictus, septennis Deo oblatus, celebris historicus & poëta insignis. Is Lotharii abbatis præceptor extitit & magister, ejusque hortatu vitam S. Germani versibus cecinit, quam Carolo calvo ejusdem parenti nuncupavit. Sex libros de vita ejusdem, duosque alios de ejus miraculis soluta oratione edidit. Varios item habuit sermones & homilias ad populum vulgato Pauli Warnefridi diaconi homiliario insertas. In quibus sane operibus animadvertere licet singularem istius viri eruditionem, linguarum Græcæ & Latinæ peritiam, omnia metrorum genera, lenem dicendi modum, vehementes pietatis affectus, profundissimam denique rerum philosophicarum, sed maxime theologicarum notitiam. Alter est Remigius Errici discipulus superstes an. 880, vir sane nulli doctrina secundus. Scripsit quinque libros commentariorum in Pentateucum; alterum in Cantica, duodecim in Prophetas qui habentur tom. I Biblioth. Patrum, quatuordecim in Epistolas D. Pauli, unum in S. Matthæum, alterum de divinis officiis. Item de solemnitatibus Sanctorum, unum in canonem missæ qui habetur tom. VI Biblioth. Patrum. Plures etiam de prophanis scientiis edidit tractatus. Tantaque erat illius doctrinæ fama, ut a pluribus Galliarum academiis fuerit vehementer exoptatus, sua singulari eruditione scholas illustraturus. Primum in sui cœnobii lycæo doctrinæ suæ radios diffudit, deinde Parisiis, ubi quidem insignes coluit discipulos, ex quibus emersit S. Odo Cluniacensis vir doctrina & pietate præstantissimus. His merito addendus Glaber Rodulfus qui sui temporis scripsit historiam, vitamque Guillelmi Divionensis abbatis exaravit. Longe alios viros non minus sanctitate quam doctrina conspicuos protulit hæc academia, e quorum numero plures ad episcopatum evecti sunt, & alii diversorum monasteriorum evaserunt abbates. Sed eorum nomina reticere cogit prolixitas. Tot doctorum hominum commercio selecta & ingens bibliotheca creverat, quæ licet incendiis pluries iteratis imminuta, libris tamen optimis referta erat, cum Calvinistæ iis cladem intulere, quorum ex manibus ac facibus vix elapsi codices aliquot Autissiodori servantur, alter Romam deportatus in Christinæ reginæ venit potestatem. Alius optimæ notæ Isaaci Lingonensis episcopi canones exhibens servatur in bibliotheca regia; servatur & alter in bibliotheca Colbertina. Vetustior unus & nonnulli recentiores in Parisiense Ludovici magni collegium

Digitized by Google

collegium irrepserunt. De his satis, nunc eo unde digressi sumus revertamur.

De privilegiis ab imperatoribus regibusque concessis agebamus. Carolomannus dum Meldis versaretur anno scilicet 884, III idus Junii, unum ad preces Hugonis abbatis concessit pro confirmatione portionis bonorum hujus cœnobii monachis assignatæ. In hoc præcepto universæ ejus loci possessiones, earumque donatores recensentur: res quoque quas dederat Herimarus vir nobilis ad stipendia matriculariorum; item aliæ res quas Hugo abbas tradiderat pro remedio animæ genitoris sui Conradi & Adelaidis suæ genitricis; villa quoque Bandiliacus quam cum eodem abbate ipsi fratres commutaverant pro alodo quem venerabilis comes Autbertus S. Germano contribuisse dicitur.

Diplomat. pag. 550. In eodem præcepto memorantur quæ vir nobilis Tedaldus, & nobiles quoque viri Nortgaudus & fratres ejus pro loco sepulturæ eidem abbatiæ contulerant. Per id diploma prohibet rex ne ullus episcopus vel aliquis ex episcopalibus ministris aut judex publicus ibidem aliquod præsumat exercere

Ibid. p. 555. judicium. Idem privilegium Carolus Crassus imperator totidem verbis comprobavit an. 886. Insequenti anno a Normannis incensum fuisse dicunt monasterium. Vix elapso biennio novæ

Ibid. p. 556. ab iisdem strages suburbanis Autissiodorensibus & monasterio illatæ. Ejus loci possessiones auctoritate regis Odonis fuerunt roboratæ an. 889. Ineunte seculo decimo necdum cicurati Normanni prioribus stragibus acerbiores addidere. Dum monachi ex una parte damna perferunt,

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 6. ex altera beneficum experiuntur regem Carolum simplicem qui eis ad instantiam Richardi comitis & abbatis apud villam Irenciacum quasdam res ex eadem abbatia ad eorum usus confert anno 900, indict. III. Ludovicus Ultramarinus item rex in eos munificum se præbet an. 936.

Jampridem principibus laïcis dignitatem abbatis & reditus monasterii occupantibus, monachi sub decani vel præpositi regimine degentes a disciplinæ regularis tramite paulum aberrarunt. Ea re commotus Henricus dux Burgundiæ, ut erat totius religiositatis amator, sacrum illum locum in S. Mayolum Cluniacensis cœnobii abbatem transmisit an. 985, ut ad meliorem frugem revocaret, sicuti per multa loca tam in Italia quam in Galliis fecisse dignoscebatur. Restituta illic disciplina, Mayolus eidem loco præfecit virum honorabilem Heldricum abbatem Henrico duci & Heriberto episcopo ejus fratri acceptissimum; ob cujus amorem Heribertus complures præstitit ecclesias: quasdam etiam Sewinus archipræsul Senonensis. Gerlendis Henrici ducis piissima conjux Heldricum non minori honore prosequens, monasterium S. Leodegarii de Campellis, diœcesis Lingonensis situm in pago Attoariorum a Theodrada Caroli magni filia olim instauratum, huic abbatiæ concessit anno 989; quod postmodum dux ipse monasterio S. Germani in perpetuum subjecit. Idque ratum habuere Hugo & Robertus reges

Diplomat. pag. 578. qui auctoritate regia jusserunt ut nullus apud S. Germanum constitueretur abbas nisi quem elegissent monachi. Quin etiam quasdam consue-

A tudines ab suis marescallis impositas in villis monasterio subjectis, Landrico comite laudante, remisit Henricus. Post ejus obitum qui accidit anno 1002, nata est contentio de ducatu Burgundiæ inter Robertum regem Henrici ex fratre nepotem & Burgundionum primores, qui adversus Rotbertum rebellarunt. Ea de causa Rotbertus anno subsequenti numeroso collecto exercitu Autissiodorum civitatem obsidione cinxit. Adjunctum erat urbi monasterium instar castri cujusdam munitissimum, quod sibi ad oppugnandam urbem opportunum rati milites regales, illud vi occupare constituunt. Heldricus autem abbas

B monasterii direptionem veritus regem supplex adiit eum rogans ut a proposito desisteret. Qui cum a rege nihil impetrasset, cum multis e suis fratribus mœrens in Reomaense monasterium secessit, octo tantum fratribus in monasterio relictis, e quorum numero erat Gislebertus, qui sexto obsidionis die dum in oratorio beatissimæ Virginis hora tertia de more sacra faceret, rex, impetu in castrum facto, multis suorum amissis inde recedere coactus est. Eodem circiter tempore ipse rex sui avi Hugonis magni ducis præ-

ceptum, cæteraque privilegia apostolica, regum- *Diplomat. pag. 580.*

C que prædecessorum, Hugonis præcepto inserta, sua regia auctoritate firmavit in urbe Autissiodorensi. Aliquibus post annis Dodo quidam ecclesiam S. Petri, quæ Berardi monasterium dicitur, cum omni justitia & libertate S. Germano donavit. Similiter Landricus comes Nivernensis monasterium S. Salvatoris ejusdem urbis præstitit. Sed quia nullum hujus donationis instrumentum factum fuerat, Rainardus Landrici filius illud S. Germano abstulit. Quin imo Landricus prioratum S. Petri de Dezisia in pago Nivernensi contulisse fertur. Ad annum 1064 incendium referunt quod monasterium S. Germani cum

D universa civitate in cineres redegit. Eo loci tunc degebat monachus Benedictus nomine qui sancti Germani digitum manu avulsum in Angliam detulit, ac in ejusdem sancti honorem Selebiense monasterium in tractu Eboracensi condidit anno 1069.

Dum Urbanus papa II Nemausi concilium haberet an. 1096, Humbaldus episcopus Autissiodor. ad eum accessit, Guibertum S. Germani abbatem variorum criminum insimulaturus. Quorum convictus Guibertus a summo pontifice dignitate fuit privatus, ejusque pastoralem baculum Urbanus episcopo dedit tradendum futuro abbati,

E quem ex Cluniaco, vel ex Casa-Dei, vel majori Monasterio assumi præcipit ad restituendam eo in loco disciplinam, ea lege ut electus superiorum ditioni eximeretur. Huic conditioni cum refragarentur Cluniacenses aliique eorum exemplo, per annos amplius tres, frustra nitente Humbaldo, abbatia rectore caruit. Sed tandem venerabilis Hugo Cluniacensis abbas Humbaldi episcopi, Stephani Campaniæ & Guillelmi Autrici comitum precibus se exorari passus, Hugonem de Monte-acuto nepotem suum vacanti abbatiæ suffecit. Cujus tempore nihil non tentarunt Cluniacenses, quo S. Germani monasterium contra

Digitized by Google

Urbani decretum Cluniaco subjicerent. Id potissimum curavit Ivo Cluniaci prior cum quindecim monachis qui illuc ab Hugone missi fuerant, ut novo abbati in restituenda regulari disciplina, quæ omnino neglecta erat, essent adjutores; verum eorum conatibus restitere S. Germani monachi, nec monasterii sui libertatem minui passi sunt, tametsi Paschalis II in suo diplomate edito pro confirmatione institutionis Hugonis & bonorum monasterii statuisset ut monasterium sub Cluniacensium abbatum ordinatione perpetuo permaneret. Aimo Matisconensis antistes Paschalis uti & Urbani atque Clementis maximorum pontificum visas a se & diligenter inspectas literas testatur an. 1230, quibus monasterium Cluniacensis abbatis providentiæ ac disciplinæ supponitur.

Miscell. Baluzii lib. VI, pp. 385 & seqq.

Servantur & aliæ literæ in carthophilacio a plurimis aliis Romanis pontificibus in gratiam sancti Germani exhibitæ, de quibus in decursu dicemus. Eorum nomina hic recensere juvat. Eugenius scilicet III 1152, Anastasius IV 1153, Adrianus IV 1155 & 1156, Alexander III 1179, Urbanus III an. 1186 XII calend. Junii insigniis pontificalibus utendi in præcipuis solennitatibus, in Romanorum pontificum & aliorum quorumcumque pontificum synodis, immo in conciliis generalibus, S. Germani abbatibus fecit facultatem. Quæ quidem prærogativa non leve dissidium Hugonem episcopum inter & Radulfum abbatem postea movit. His adduntur Clemens III an. 1188, Cœlestinus III 1194, Innocentius III 1198, Innocentius IV 1253, Honorius III 1285; ex quorum bullis id cœnobium ad Romanam sedem nullo medio pertinere constat. Omniaque hæc privilegia senatus Parif. an. 1525 solenni decreto roboravit. Bullam papæ cujusdam Honorii nomine (quoti non dicitur), Tybure datam III cal. Oct. pontific. an. 1, prætermittendam minime duximus, per quam licet monachis S. Germani succedere in bona parentum ab intestato, acsi in seculo remansissent, feudalibus exceptis. Hos inter pontifices non ultimum obtinet locum Urbanus V ex abbate S. Germani papa factus, ex cujus beneficio amplissima privilegia & beneficia recepit monasterium. Si quidem cum adverteret pius hic pontifex hunc locum ob bellorum clades varias pene facultatibus exhaustum fuisse, ducentos auri florenos ex trecentis quos quotannis decimarum nomine sanctæ sedi persolvere tenebatur, concesso diplomate liberaliter remisit. Jussit præterea ut si illud decimarum jus regi vel principi quandoque permitteretur a summis pontificibus, majorem quam centum florenorum summam tam pro se quam pro sibi subditis membris, suppeditare non teneretur monasterium. Abrogavit etiam jus hospitii quod exigebant per diem integrum Autissiodorenses episcopi noviter electi, cum ea tamen conditione ut quotannis Apostolorum Petri & Pauli natalibus censualem obolum aureum cameræ apostolicæ monachi dependerent. Ecclesiæ thesaurum pro libertate civium recuperanda Anglis oppigneratum, quem Simon de S. Albano & Hugo *de Binant* per vim atque more prædonico abstulerant, dum e civitate Parif. Autissiodorum reportaretur, redemit & gratis restituit monachis an. 1366, in cujus rei memoriam instituta est processio generalis quæ singulis annis mense Martio renovatur. De hujus thesauri recuperatione extat & aliud documentum editum apud *N. le Beuf.* Ingentem denique pecuniæ summam a Petro episcopo Autissiodorensi cameræ apostolicæ debitam monachis legavit.

Ch. XLVII, col. 222.

Hist. Autiss. tom. II, prob. pp. 112 & 113.

Ibid. p. 301 & seqq.

De donationibus huic cœnobio collatis toties locuti, ejus prærogativas juraque referre præstat. Vix reperias alium locum in tota Gallia, imo in toto orbe, si catacumbas Romæ excipias, qui pluribus episcoporum, aliorumque omnis generis sanctorum sacris exuviis glorietur, ob quorum sanctitatis patefactionem Deus crebra edidit miracula. Sed ut ab ipsis primordiis exordium ducam, baptismalis erat hæc ecclesia, ubi primum Germani sacro corpore ditata fuit. Ad sancti præsulis tumbam frequentes omnium ordinum proceres solebant accedere ejus patrocinia ambituri, reges & augusti supra triginta locum subierunt nuncupaturi vota. Itidem rei vel litigantes ad hanc basilicam olim accesserunt innocentiam protestaturi. Neque enim quantumvis certa & vera juraturus quis, ad Germani tumbam sacramentum proferre audebat, tanta inerat fidelium impressa animis loci majestas & reverentia; nec dubium quin miseris aut damnatis tutum & securum hic locus azylum præbuerit, quandoquidem ex Gregorio Turonensi Meroveus Chilperici regis filius, invitis parente Chilperico & Guntchramno patruo per menses duos hic latuit, optime rebus suis ac vitæ consulturus, si longiorem ibi moram traxisset. Vetus mos fuit ut defuncto antistite Autissiodorensi, clerus omnis ad sanctum Germanum conveniret de eligendo successore comitia habiturus. Sic ex tabulis permultos episcopos hoc loco electos legimus, qui omnes ad Germani tumulum accedere, ibique pervigilem ducere noctem tenebantur, quo ad regendas oves optimi pastoris exemplo & suffragio vires haurirent. Multis iisque insignibus ecclesiis aut monasteriis præfuit basilica Germanensis aliarum mater: Saciacum in his, S. Leodegarius in Lingonensi diœcesi, monasterium Heraldi S. Petri vel S. Gervasii, sanctus Salvator in Puysaia abbatiarum titulo perfruebantur. Eidemque ecclesiæ multi prioratus aliaque beneficia erant subjecta. Primo post ecclesiam cathedralem loco semper habita fuit. Publicis in supplicationibus æquo cum canonicis S. Stephani gradu, sinistro tamen procedebant Germanenses, ex qua sede a canonicis inique depulsi sunt seculo decimo sexto post amissionem corporis S. Germani. Nullum fuit in utraque Burgundia tractuque Senonensi vel Aurelianensi cœnobium quod precum & suffragiorum societatem non expetierit. Eorum exemplo monachi Parisienses S. Germani, Augienses, Corbeienses, Remenses S. Remigii & S. Theodorici, Suessionenses, Dervenses, Castrenses, Selchienses in Anglia in easdem fœderis leges jurarunt. Imo etiam Carolus VI rex Francorum in S. Germanum beneficus, inter hujus loci

Digitized by Google

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 119.

monachos nomen suum conscribi non est dedignatus, ipsisque facultatem dedit muniendi pagum Eriacum, quo suos homines tempore belli ab hostium vi incolumes præstarent. Ad hæc adde quod bona & reditus adeo essent ampla ut non modo ingenti monachorum numero & hospitibus, sed & omnium egenorum inopiæ sublevandæ sufficerent. Præter civilem ac criminosam abbatiæ jurisdictionem in urbis Autissiodorensis partem, major pars ædium solvendis ei censibus est obnoxia. Jam vero distracta prædiorum longe maxima parte, limitibus angustioribus continentur abbatis & monachorum latifundia.

Credet forsan aliquis hunc locum per tot secula majoribus nostris adeo venerandum tantummodo Nortmannorum vastitati obnoxium fuisse. Sed id ne amplius crediderit; christiani enim in eum multo immaniores infidelibus se præbuerunt. Calvinistæ, inquam, anno 1567 v calend. Octobris, fugatis & verberibus affectis monachis, basilicam diripuerunt, aras everterunt, sanctorum icones in frusta comminuerunt, chori sedilia, navis laquearia, totamque basilicæ fabricam lignariam, ac plumbeum campanile flammis absumserunt. Fornices omnes dejecerunt, excepto Dei-paræ sacello, cujus evertendi causa cum magno nisu molirentur, ecce soluta fornix gravi impetu decidens plures ex illis ruina sua obruit, cæterosque fugavit. Campanas etiam conflarunt in tormenta bellica; majus ac minus perystilium, B. Magdalenæ oratorium basilicæ vix impar, abbatis, hospitum & infirmorum ædes, refectorium, dormitorium, equilia, cellam vinariam penitus exciderunt. Sanctorum quamplures exuvias, & maxime venerabile S. Germani corpus dissiparunt profanaruntque; cujus ossa a catholicis collecta fuisse asserit recentioris historiæ Autissiodorensis scriptor. Sacram omnem suppellectilem, triginta regum & augustorum, nec pauciora principum & optimatum donaria summi valoris rapuerunt. Denique sacros basilicæ, necnon alios bibliothecæ codices & archivorum authenticas tabulas prophanis ignibus tradiderunt.

Tam luctuosa Germaniani monasterii desolatio, cujus vix possessionem Franciscus *de Baucaire* adierat, graviter ejus animum perculit, ejusque zelum inflammavit ad restituendum Dei sanctuarium, & quanquam plusquam feralia, quæ eo tempore sacra prophanaque miscebant bella, monasterii proventus in nihilum redegissent, totis quibus abbatem egit annis 23 aut circiter, nullis sumptibus pepercit, quibus prostratum erigeret. Octavius *de Bellegarde* archiepiscopus Senonensis & abbas summam manum operi imposuit, nam præter ædificia varia quibus monasterium exornavit, cum sæpius ad meliorem frugem monachos invitare studuisset, & in id collatum suum studium frustra poni advertisset, sancti Mauri monachos Parisiis evocatos in illud immisit calend. Nov. an. 1629, quo die sacris pontificio ritu operatus, concionem ad populum habuit de introductæ a se reformationis suscepto consilio, quam ad mortem usque variis favoribus prosequi non destitit.

Abbates.

I. Vinebaudus primus est qui cum titulo abbatis occurrat, primusque inter octo abbates post Aunarium antistitem Autissiodorensi synodo subscripsit. Huic monasterio præerat cum S. Walaricus a S. Aunario in monasterium est admissus. Ad annum usque 616 pervenisse scribitur.

II. S. Palladius in gestis episcoporum strenuus abbas dictus a Desiderio episcopo plurima prædia accepit, videlicet Orgiacum & Mamarciacum, simulque Nantillam & Pociacum cum omnibus appendiciis. Ejus tempore magnopere sanctitate floruit sancti Germani monasterium. Defuncto Desiderio an. circiter 622, ad infulas episcopales raptus est. Ipse jam episcopus cum S. Juliani monasterium extra urbem condendum suscepisset, illud, detractis a primaria partim æde, partim a sancti Germani monasterio prædiis, abunde locupletavit.

III. Luponus in S. Virgilii episcopi & martyris testamento memoratus, hoc loco a nonnullis inseritur, tametsi vetustiores elenchi nomen ejus reticent, sed illis ad seculum nonum haud integra fides adhibenda, cum vacua spatia non pauca relinquant.

IV. S. Tetricus vel Treticus pluribus annis abbatis munere functus, ob eminentem virtutum famam communi omnium suffragio Scopilioni episcopo mortuo circa annum 694 subrogatus est.

V. Quintilianus ob vitæ meritum laudatus patrem habuit Quintilianum virum nobilem qui suadente filio Meledrense monasterium condidit sub patrocinio beatæ Virginis Mariæ in gratiam Britonum peregrinorum Romam pergentium, ad quod viginti quinque monachos Quintilianus abbas misisse fertur. An Tetrico in regimine monasterii proxime successerit incertum. Candore morum & generis splendore cunctis ordinibus charus ad episcopatum Autissiodorensem evectus est circa annum 736.

VI. Burgoaldus præfuisse creditur sub annum 800.

VII. Alegrecus vir omni laude conspicuus anno 816 a Ludovico pio diploma consecutus est VI idus Martii, quo donum quatuor navium liberarum per Ligerim pro monasterii necessitatibus a Pippino Caroloque magno concessum roboratur. Is Aquisgranensi redux e concilio non solum ejus decreta, sed etiam Euticii sanctiones, hoc est Benedicti Anianensis leges, ritus & consuetudines Autissiodorum invexit. Plurimi eo abbate doctrina conspicui florebant monachi: quin & majorum abbatiarum, puta Corbeiensis, S. Medardi & aliarum more, canonici basilicæ officiis exterioribus inserviebant; qui mos hoc loco ad Hugonem de Monte-acuto abbatem perseveravit.

Capitular. tom. II, col. 1412.

VIII. S. Heribaldus, si recentioribus fidem habemus, priusquam episcopatum Autissiodorensem adipisceretur, hujus monasterii extitit abbas. Quamvis hac de re nihil in historia episcoporum Autissiodorensium legatur, huic tamen

sententiæ favere videntur duo epitaphia ad ejus tumulum apposita quæ eadem sonant, unum Latinis verbis, gothicisque characteribus antiqua manu exaratum; aliud recentiori ac vulgari Gallico idiomate. Primum ita se habet: *Hic requiescit sanctæ recordationis Eribardus, qui fuit abbas istius monasterii, postea episcopus ecclesiam rexit Autissiodorensem annis XXXIII. Obiit autem VII calend. Maiarum, & in basilica S. Germani habuit sepulturam.* His consentiunt *Demochares* & Hugo *Menard;* primus quidem lib. I de missæ Sacrif. his verbis: S. Heribaldus ejusdem loci abbas, ac postmodum Autissiodorensis episcopus, corpus S. Germani in decentiorem locum transtulit. Alter 2 observat. in martyrol. Benedict. mense Aprili: S. Heribaldus fuit monachus & abbas cœnobii S. Germani Autissiodorensis. Sic eruditis auctoribus ex epitaphiorum fide sentire visum: quod tamen suppares ferme Heribaldo actuum episcoporum scriptores omiserunt, ex quibus duo ecclesiæ Autissiod. canonici, tertius S. Germani monachus, nunquam abbatem Heribaldum, nec monachum meminere. Immo in sententiam contrariam vertere videntur, asserentes eum ab ineunte ætate in palatio regio educatum, seculari quoque dignitate potentissimum, archicapellanum effectum fuisse. Nonnulli autumant eum abbatia commendatariorum more fuisse potitum. Quod hisce temporibus non fuit inusitatum uti testatur Lupus Ferrariensis Heribaldi affinis & fortasse frater epist. 25.

IX. Deusdedit ab Heribaldo episcopo atque etiam a Ludovico imperatore obtinuit anno circiter 830 ut decedenti abbati, alius qui dignus esset, canonice eligeretur. Ad ejus tempora referri videtur Ansegisi abbatis Fontanellensis donatio libræ unius ad impetranda precum suffragia. Sub annum 833 desiisse creditur.

X. Christianus præerat ad annum 833, sed paulo post a fœderatis rebellibus, qui Lotharium in patrem concitabant male omnino habitus quod fidem in Ludovicum non mutaret, suo monasterio pellitur, diripitur chartophylacium, auferturque inter alias chartas diploma illud quo monachis fiebat jus sibi abbatis eligendi. Verum an. 834 imperatore restituto, Christianus suum in monasterium rediit, & mox ad Ludovicum se contulit, a quo honorifice exceptus, & de fide quam servaverat laudatus, præceptum de libera eligendi abbatis facultate deperditum ab eodem renovari petiit, impetravitque apud Lucovillam an. 835 IV cal. Augusti. Eodem anno subscripsit literis ejusdem imperatoris pro monachis S. Remigii Senonensis. Ad monasterium Reomense translatus est anno 846. Sub ejus regimine monachi S. Petri Carnotensis ab Helia episcopo multa passi, ad S. Germanum confugerunt an. 845.

§ Sammarthani Carolum Calvum abbatem Christiano substituunt ex partitione a patre facta an. 838. At in illis partitionibus, abbatiarum quidem conferenda dignitas regibus tribuitur, non vero proprietas ipsa, alioquin nullus tum præter Ludovici Augusti filios in toto Gallicano imperio fuisset abbas, quod omnino veritati refragatur. Sæpius quidem apud S. Germanum divertebat Carolus loci monachorumque sanctitate permotus, at munus abbatis vel reditus haud sumsisse constat ex variis ipsius literis, quibus monachorum stipendiis & immunitatibus consulit.

XI. S. Abbo Heribaldi episcopi germanus, ejusdemque in Autissiodorensi sede successor, is est sane de quo intelligenda videtur epistola 95 Lupi Ferrariensis, communis amborum fratris, ex parte Irmendrudis reginæ scripta ad Heribaldum ut Abbonis indigentiam collatis necessariis temperare ne gravaretur. Ipse enim cum Caroli Calvi offensam incurrisset, bonis & honoribus destitutus fuerat. Paulo post rerum humanarum pertæsus monachum induit apud S. Germanum, cujus administrationem tantum spiritualem cum abbatis titulo suscepisse creditur anno 846. Hoc equidem anno subscripsit literis sancti Rodulfi episcopi Bituricensis pro monasterio Solemniacensi. Occurrit & anno 852 in instrumento dato in gratiam monachorum sancti Remigii Senonensis. Unus esse videtur ex duobus abbatibus qui nomine Abbonis synodo Bonoilensi subsignarunt an. 856. Ad superos evocato Heribaldo fratre, pontificias Autrici infulas sumsit circa an. 857.

XII. Conradus imperatricis Judith frater, & Caroli Calvi avunculus, comes Parisiensis & Autissiodorensis, Carolo Calvo a Sammarthanis subrogatus, etsi abbatis titulo decoratus nullibi occurrit, reditus tamen monasterii videtur percepisse dum rerum spiritualium curam gereret Abbo. Erricus hujus loci monachus lib. II de miraculis S. Germani cap. 2, ejus pietatem, munificentiam & liberalitatem prosequens, sententiam hanc firmare videtur. Inter alia notat quod quamvis secularium non pauci ambitionis fovendæ gratia ad ecclesiasticas prælationes inhiarent, hunc primum vel solum principem extitisse, qui sacrorum locorum potestate suscepta, non magis præesse voluerit quam prodesse, nec æstuanti avaritiæ, servorum Dei oppressione satisfecisse. Quatuor prædia ad jus abbatis pertinentia monachorum stipendiis addixit. Is una cum conjuge Adhelaide veterem basilicam quam Chrothildis regina quondam ædificaverat miro cryptarum opere a parte orientis addito decoravit. Quæ ad egregia patranda, cœlestes a S. Germano accepti favores, maxime oculis qui a glaucomate caligabant redditum lumen, plurimum eum inflammarunt. In ecclesia cum Adhelaide conjuge humo mandatur.

XIII. Hugo I dictus abbas, Conradi ex Adhelaide filius, Welfonis Centulensis abbatis germanus, consobrinus Caroli Calvi, & Franciæ regni administer, post patrem Conradum hujus loci temporalia adeptus fuisse merito existimatur. Idque constat ex diplomate Caroli in pago Odonna dato pridie cal. Jul. an. 853, indict. 1, in quo Hugo tunc præfuisse dicitur. Per has literas princeps ille monachis S. Germani quædam prædia eorum stipendiis assignata confirmat, villam Egleniacum cum amne vicino largitur, &

Digitized by Google

indulget ut quiete potiantur bonis, quæ religiosi instituti tyrones monasterio tribuerint. Extat & aliud ejusdem principis placitum in monasterio Magduno editum anno circiter 860 III id. Sept. in quo Hugonem non modo abbatem, sed & propinquum vocat; in eo declarat se more patris sui Ludovici monachorum congregationem ejus monasterii sub sua defensione suscipere, & vetat ut nullus episcopus neque judex publicus illic potestatem exercere præsumat, monachorumque possessiones ab omnibus tributis liberat. Per aliam chartam datam anno, die & loco iisdem, petente Hugone abbate & propinquo, præcipit ut res ad lychnos suppeditandos assignatæ maneant in manu decani ejusdem cœnobii, qui fideliter ecclesiæ lumina præparet. Insequenti anno, indict. 9, XVIII cal. Oct. vineolam confirmavit quam Hugo monachis concesserat de rebus ejusdem monasterii. Anno 862 selectis quibusdam cœnobitis qui maximis de rebus ad Nicolaum I papam a Carolo Calvo legati mitterentur, perfecta legatione, suum ut monasterium soli Romano pontifici subderetur impetrarunt, & pretiosas SS. martyrum Urbani, Tiburtii, Sebastiani & 7 Fratrum reliquias tanta copia, ut suppares authores scribant corpora Urbani & Tiburtii Autissiodorum fuisse deportata. Roma dum in Galliam redirent an. 863, suscepto ad Agaunum monasterium itinere, ab Humberto duce prædicti cœnobii abbate, corporis sancti Mauricii magnam partem, ac Innocentii e Thebea legione Centurionis caput dono accepta, in sancti Germani cryptas detulerunt. Eodem anno Lupus Ferrariensis abbas imperatorem Carolum Autissiodorum secutus, in Germaniano monasterio tanta charitatis significatione exceptus fuit, ut inde discedens, ad monachos scripserit epistolam, qua copiosis laudibus eorum hospitalitatem exornat. Priori hac vice Hugo ferme decem annis vel circiter S. Germani monasterium gessit, quibus elapsis in gratiam sequentis se abdicavit, nisi satius sit dicere quod duo abbatiam simul obtinuerint, ut constat ex historia Francorum Aimoyni asserentis lautiora sæpe monasteria in duos vel tres nonnunquam divisa fuisse.

Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 3. — *Ibid. p. 4.*

XIV. Lotharius Caroli imperatoris ex Irmentrude uxore filius claudus editus fuit. Is ex annalibus Bertinianis, jubente patre, in monasterio S. Johannis Reomensis clericus factus est. Quod de monachatu interpretandum Roverius negat; tametsi passim, inquit Mabillonius, ubi quis in monasterio clericus factus dicitur, id de monastica tonsura, deque monastici habitus susceptione intelligitur. Tum fit abbas ejusdem monasterii sicut & S. Germani, ubi Heirico præceptori custodiendus, erudiendusque committitur. Abbatis titulo donatur in diplomate Caroli patris sui apud Pistas edito an. 864 mense Julio pro confirmatione bonorum monasterii. Venerabilem abbatem eum vocant episcopi in conventu Pistensi congregati in literis quas in gratiam sancti Germani eodem tempore dedere. Carolus Autissiodorum accedens XI cal. Decemb. ejusdem anni permutationem quorumdam prædiorum eum inter &

Charta I, col. 97. — *Chart. II, col. 99.*

A monachos factam, ratam habuit. Pius hic abbas capsulam S. Germani auro & gemmis decoravit. Morti proximus Bosonem venerabilem abbatem & quosdam e monachis miserat ad patrem Sylvanectis degentem, eum rogaturos ut pro animæ ipsius remedio quasdam res proprietatis suæ largiretur S. Germano. Piam carissimi filii petitionem exaudivit Carolus anno 866 X calendas Februarii. Autissiodori morte interceptus anno 865 paucis ante natale Domini diebus grave sui desiderium reliquit, virtutum præconem quem antea præceptorem nactus Heiricum, qui ejus præmaturam mortem luget in prologo ad vitam B metricam S. Germani, quam ipsius Lotharii abbatis sui mandato scribere aggressus erat.

XV. Boso a Lothario missus Sylvanectas ad Carolum accessit & diploma donationis ab eodem obtinuit an. 866 X calend. Febr. Ipse post mortem Lotharii abbatis dignitatem tulit, qui sub principe minorenni forte jam proabbatis officium gesserat. Haud diu in abbatiali dignitate superstes, quæ sequenti non multo post commissa est ex Mabillonio.

XVI. Hugo II, de quo plura diximus, iterum occurrit anno 876, quo Ansegisus Senonensis archipræsul corpus sancti Romani in monasterio C S. Germani asservatum ab eo impetravit, ac in S. Remigii monasterium a se recens conditum, ægre ferentibus monachis Germanensibus, transtulit. A Carolo Calvo firmari curavit possessiones quas monasterium possidebat apud Rivisiacum & Sarmasiam in comitatu Senonensi an. 877. Donatus est etiam a Ludovico Balbo an. 878 IV calend. Febr. quadam villa quam Conradus cum monachis commutaverat. Mortuo Ludovico Balbo, Ludovicus rex Germaniæ incitatus est a rebellibus ut ejus regnum occuparet, eorumque invitatu usque ad urbem Virdunum cum exercitu accessit. His acceptis Hugo abbas ad eum D legatos misit, eique partem Lotharii regni, quam Carolus contra fratrem suum Ludovicum ipsius Ludovici patrem acceperat cum abbatia sancti Vedasti ad locarium seu usumfructum promisit, modo ut, relicto Balbi filiis hereditario regno, in suum ipse reverteretur. Rumore vero in vulgus sparso eum reversurum, Hugo cum Franciæ primoribus ad Ferrarias monasterium convenit, ibique Ludovicum & Carolomannum ab Ansegiso Senonum archiepiscopo reges consecrari & coronari fecit. Eodem circiter anno Johannes summus pontifex ad eum direxit epistolas quibus eum rogabat ut monachis Pultariensibus defen- E sionis auxilium contra eorum adversarios impenderet. Carolomannus paulo ante obitum, anno scilicet 884, indict. II, dum Meldis resideret III id. Junii, sui regni anno 4, postulante Hugone quem pro fidelitate sibi semper servata loco patris se colere dicit, & propinquum suum vocat, portionem bonorum ejusdem cœnobii monachis assignatam, confirmavit. In hoc præcepto in quo Hugo abbas vocatur, recensentur res quas contulerat pro remedio animæ genitoris sui Conradi & genitricis suæ Adelaidis. Præterea cuncta cœnobii privilegia, exemptiones; potissimum vero

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 5. — *Diplomati p. 510.*

Digitized by Google

ab episcoporum officialiumque inspectione immunitas, necnon oblata a viris piis bona accep-tandi facultas, regia auctoritate firmantur. Obiit Hugo, abbas princeps Abboni dictus, Aurelianis anno 887, IV idus Maii ex necrologio ecclesiæ Autissiodorensis. Præter plurimas abbatias quas obtinuit, videlicet S. Bertini, S. Germani, sancti Martini Turonensis & S. Vedasti Attrebatensis, donatus est etiam episcopatu Coloniensi, etsi ordinatione tantum subdiaconus, ubi vide t. III, col. 641.

XVII. Anscherius clara stirpe editus, Tetberti Meldensis comitis frater, Parisiensis antistes & regni cancellarius, Hugoni abbati successit in regimine seu potius in possessione abbatiæ sancti Germani anno 887, cujus monasterium hoc anno a Nortmannis incensum fuisse dicitur. A rege Odone præceptum de plenissima protectione & defensione omnium monasterii rerum obtinuit anno 889 V id. Jul. indict. VI. Eidem regi adeo carus extitit ut priusquam in Aquitaniam expeditionem facturus proficisceretur, Luteciæ a Nortmannis noviter per ipsum liberatæ præmium ei præfecturam demandaverit. De eo jam locuti in episcopis Paris. tom. VII, col. 38. Sub ejus moderamine corpus S. Martini nec non illud S. Mariani e suburbano sui nominis cœnobio, in S. Germani monasterium Normannorum metu delata fuisse dicunt.

XVIII. Richardus dux Burgundiæ, ob æqui justique observantiam justiciarius nuncupatus, inter diversa monasteria abbatias S. Columbæ, & S. Germani obtinebat anno circiter 900; quo a Carolo rege apud Trecas versante diploma impetravit in quo ipse vocatur comes & abbas sancti Germani, ut quasdam res ex eadem abbatia ad stipendia monachorum impenderet. Quiquidem rex post earum enumerationem usibus monachorum decernit sic applicari ut neque abbati aut ulli potestati judiciariæ fas sit quidquam immutare. Sub annum 910 cessisse dicitur.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 6.

XIX. Gualdricus *seu* Waldricus parentes habuit Gualdricum & Hemmenam Autissiodorensis pagi indigenas, prosapia inclitos, a quibus eo in loco a teneris annis consecratus fuerat monachus. Illic literarum scientia eruditus, ita sensim in virtutibus profecit, ut ejus loci abbas fieri meruerit. Quo in munere mediam tenuit viam, ut nec nimium facilem, nec nimium difficilem & austerum se præberet. Præditus erat prudentia in rebus agendis, sagacitate & eloquentia haud vulgari. Quapropter post obitum Bettonis episcopi Autissiodorensis, clero & populo quamplurimum exoptantibus, in ejus locum substitutus est anno 918.

XX. Hugo III Magnus, albus dictus, filius Roberti Francorum regis, & pater Hugonis cognomento Capeti qui caput est tertiæ stirpis regiæ, Galdrico a Sammarthanis sufficitur. Is ad regem Ludovicum Transmarinum dictum, Autissiodori versantem anno 936 VII cal. Aug. cum monachis accessit ab eo petiturus ut monasterii privilegia auctoritate regia firmarentur. Rex petitioni ejus annuens literas edidit in quibus eum ducem & abbatem vocat. Quin etiam decernit; 1.° ut nullus episcopus vel ex episcopalibus ministris ibidem præsumat aliquod exercere judicium, item nullus judex laïcus res aut servos monasterii ubicumque distringere; 2.° ut ipsorum res & homines ab omni teloneo sint immunes; 3.° ut nequidem abbas res monachorum alio retorquere audeat, aut aliquid ex eis requirere; 4.° ut res eis oblatæ a venientibus ad habitum regularem nullo modo abbatis vel alterius sed omnimode monachorum dispositioni subsint. Conceditur etiam ut nullo unquam tempore sub alicujus episcopi dominatione monasterium regatur, & nullus episcopus abbatiam a regia celsitudine exquirere & ipsos monachos inquietare præsumat. Datum quidem est & aliud diploma Novioduni confectum anno 937 IV id. Januarii quo Ludovicus ad preces Hugonis abbatis villam Molaïcum dictam monachis contulit, qui eam cum Conrado pro prædio de recognito tempore Caroli Calvi permutaverant. Patri Roberto, quasi hæreditario jure in abbatiali monasteriorum S. Germani a Pratis, S. Dionysii, & S. Martini Turonensis dignitate successerat.

XXI. Hugo IV Niger filius Richardi, germanusque Radulphi regis id monasterium occupasse dicitur tempore quo Gerlannus ex monacho S. Germani Senonensis archipræsul evasit. Sunt & alii qui existimant eum jam ab anno 937 abbatia potitum fuisse, eo scilicet anno quo Ludovicus monachis restituit Molaïcum. Idque contendunt hoc fundamento fulti, nempe ex eo quod præcedens Hugo ducis titulo in diplomate Ludovici anno 936 Autissiodori conscripto insigniatur, cum e contrario qui Noviodunense diploma impetravit solummodo abbatis titulum obtineat. Unde conjiciunt duas fuisse personas ab se diversas.

5 Aliquibus si credere fas est, Hugone Nigro defuncto anno 951, Hugo Albus iterum regimen suscepit, & post eum Gilbertus dux Burgundiæ tum Otto Hugonis albi filius itemque Burgundiæ dux, qui juvenis apud Autissiodorum extinctus anno 965, in basilica S. Germani se humandum præcepit. His tandem addunt Henricum Ottonis germanum & in ducatu Burgundiæ successorem, qui sub annum 985 Majolo Cluniacensi cœnobii reformationem & abbatis dignitatem permisit. Principes illi abbates necne fuerint, certe reditibus opimis potiebantur, dum interim ut habent vetera monumenta, monasterium absque abbate per præpositos regeretur. Hoc sane munere fungebatur Asper vir sanctissimus, moribusque placidissimis, cui Hilpericus monachus Grandivallensis suum librum de Computo dedicavit circa annum 980.

Vetera Analecta, tom. I, p. 113 & seqq.

XXII. S. Maiolus Cluniacensis abbas, ab Henrico Burgundiæ duce sacri illius loci a præpositis jamdudum ante regi soliti absque abbate regulari, regimen suscepit an. circiter 985, eumque ad meliorem frugem revocavit. Restituta disciplina, eidem loco præfecit abbatem, qui regularem districtionem ibidem sollicite servaret.

XXIII. Heldricus a S. Maiolo abbas institutus

Digitized by Google

anno 989 non alius esse videtur ab eo qui a Syro laudatur in libro secundo de vita ejusdem sancti abbatis, ubi dicitur in laicali potentia præcipuus, quondam in Italia inter cæteros Palatinos honorabilis, qui uxori cum magna rerum copia abrenuntians, deposito cingulo Cluniacum se conferens, B. Benedicti se subdidit proposito. Ob ejus amorem Heribertus episcopus complures eidem monasterio ecclesias contulit; quasdam etiam Sewinus archiepiscopus Senonensis, quicum gravem simultatem pro quibusdam molendinis habuerat super Ermantionem fluvium constructis. Quæ simultas eo usque devenerat, ut partes confligentes, pactis sacramentis, duellum facere pararent, nisi mediantibus bonis viris concordia eo pacto facta fuisset ut molendina inter utramque ecclesiam communia deinceps forent. Quin & opitulante Gersende ducissa, Henrici uxore, Campellense S. Leodegarii cœnobium Heldricus subivit, quod postmodum dux ipse monasterio S. Germani in perpetuum subjecit. Hancque donationem laudarunt Hugo atque Robertus v id. Octob. sui regni an. VIII. Varsiacense quoque monasterium, olim ab Ingunde regina conditum suscepit Heldricus. Sed aliquandiu sævam a rege Roberto tulit procellam, quem a castri S. Germani obsidione nusquam avertere potuit, tametsi supplex illum cum Odilone abbate Cluniacensi frequens adiret. Loco itaque cedere coactus, in Reomaense cœnobium secessit, cujus sicut & Flaviniaci abbas extitit, dum Rotbertus ipse numen sibi ob illam obsidionem iratum sentiens recessit, Heldricumque pristinam in gratiam recepit, cui etiam privilegium largiri dignatus est. Heldricus, exactis in regimine circiter annis 21, decessit XIX cal. Febr. alias ipsis calendis Febr. anno 1010. Eum arte pingendi fuisse peritum demonstrant versus præmissi expositioni in Ezechielem Haimonis Halberstadensis in codice S. Germani a Pratis, cujus initio variæ depictæ sunt imagines, inter quas imago Heldrici abbatis & pictoris prostrati ad pedes S. Germani visitur.

Diplomat. p. 578.

Ibid. p. 580.

XXIV. Achardus vir eruditissimus ex præposito unanimi fratrum consensu abbas electus fuit anno 1010. Ejus tempore Dodo quidam ecclesiam S. Petri, quæ Berardi monasterium dicitur, cum omni justitia & libertate, multaque alia S. Germano donavit. Itemque Leothericus Senonensium archiepiscopus capellam de Masshilo cum decimis largitus est. Obtinuit etiam a Landrico comite Nivernensi cœnobium Desisiense, & S. Salvatoris ejusdem urbis; cujus donationis cum nullæ extarent tabulæ, post mortem Landrici Rainaldus comes Landrici filius hoc ultimum monasterium S. Germano abstulit. Ab eodem comite Landrico clientelæ & patrocinii jura quæ e prioratu Mazilliaco severe illius ministri exigebant, curavit antiquari; ea vero imminui quæ Gaufridus Donziacensis ex aliis locis colligebat. Obiit an. 1020, v cal. Aug.

XXV. Thealdus jubente Heldrico abbate reparando cœnobio Meledrensi, a Quintiliano olim erecto, navavit operam, & in illud corpus S. Desiderii inferri curavit. Factus postea sancti Germani abbas, monasterii statum tam in rebus spiritualibus quam temporariis augere diligenter studuit. Favente Hugone episcopo ecclesiam Abundiaci quam laici vi occupaverant restituendam curavit. Extinctus III nonas Martii anni 1032.

XXVI. Odo a pueritia apud S. Germanum educatus, assentientibus omnibus monachis abbas creatus fuit an. 1032. Quam electionem probavit rex Henricus, ejusque frater Rotbertus dux Burgundiæ cum Constantia regina, & Rainaldus comes Landrici filius, confirmantibus Hugone Autissiodorensi præsule, Leotherico Senonensi archiepiscopo, aliisque episcopis. Præfecturam sibi creditam rite administravit, augendis præcipue, asserendisque monasterii possessionibus. Occurrit an. 1034 in literis Helmuini Eduensis episcopi, quibus ille Corbiniacense cœnobium in obedientiam Flaviniacensis restituit. Ejus tempore Rotbertus Landrici comitis filius alter donavit sancto Germano ecclesiam S. Cæciliæ in oppido Castilionensi cum platea quadam, ubi Odo oratoria in honorem S. Mariæ ac sancti Johannis-Baptistæ cum officinis monachorum usui aptis ædificavit. Rainaldus vero Rotberti frater monasterium S. Salvatoris in Puysaia ab Ermenoldo comite olim exstructum, quod post mortem Landrici patris S. Germano abstulerat, restituit, confirmationemque monasterii S. Petri de Dizezia indulsit, quod temporum successu patribus Minimis cessit. Plures etiam episcopi ei diversas concesserunt ecclesias, Mainardus Trecensis Bretiniacensem, Harduinus Lingonensis Carisiacam & de Ligneroliis, Helmoinus Eduensis Luciacam. A Theobaldo comite Campaniæ sacellum Dei-paræ ac SS. martyribus sacrum in castro S. Florentini constructum, cum monasterio S. Florentini veteris accepit. Donationem a Burnone Dervensi abbate apud villam Discias recepit anno 1051 VII id. Januarii. Demum abbatiali munere functus Odo annis circiter 20, non sine opinione sanctitatis decessit v id. Augusti an. 1052, ad altare S. Martini juxta S. Germani tumulum humatus, quo ex loco reperta ejus ossa an. 1277, dum novæ basilicæ fundamenta jacerentur, in cryptas deportata sunt. Eum simul fuisse abbatem monasterii Reomaensis diximus tom. IV, col. 661.

Tom. IV instr. p. 78.

§ Extincto Odone totis XII annis sedes vacavit, ob ducis Burgundionum & Autissiodorensis comitis dissidia, vel alias ob causas, Bosone interim priore strenue munus abbatis supplente. Hic vir astutus & ingenii perspicacis Desisiæ cœnobium a Gaufrido Hervei Donziacensis nepote vi detentum, favente Gaufrido Autissiodorensi præsule, vindicavit. Ab Hugone Nivernensi episcopo ecclesiam *de Vandenesse* recepit; sylvam quoque juxta Cuciacum ab Alberto Peleto, partim largitione, partim pretio comparavit.

XXVII. Galterus monachus Floriacensis tunc in Patriciaca cella degens a monachis electus est an. 1064, eodemque nonis Julii a Gaufrido episcopo benedictus. Priusquam benedictionem perciperet monasterium sancti Germani totum

Digitized by Google

conflagravit. Ejus tempore Benedictus loci monachus, digito S. Germani furtim rapto, secessit in Angliam, & Selebiense monasterium in Eboracensi diœcesi condidit anno 1069. Obiisse dicitur Galterus XII cal. Novembris, post regimen decem annorum. Attamen, teste Iperio Bertiniani chronici auctore, Heribertus Sithiensis abbas vir celebris a rege Francorum Philippo sancti Germani monasterium una cum Sithiensi regendum suscepit. Equidem de Galtero nihil in instrumentis occurrit totis fere annis quibus præfecturam obtinuisse traditur. Heribertus autem a suo monasterio aberat, & apud Autissiodorense monasterium suum moram trahebat, juxta idem chronicum, quando Robertus Friso adversus regem Franciæ militans, monachis Sithiensibus S. Bertini latifundia abstulit, & Audomarensibus in communes pasturas dedit. *Orta Frisonis*, inquit Iperius, *hac tempestate domnus abbas noster Heribertus hinc absens fuit, intendens suo monasterio Autissiodorensi; & videns res hujus ecclesiæ male disponi, Autissiodorensi monasterio resignavit, & ad hanc suam ecclesiam rediit anno Domini 1072.*

Anecdot. tom. III, col. 579, & 585.

XXVIII. Rotlannus præficitur anno 1074. Magna quoque ab incendiis tulit detrimenta, siquidem regiminis sui anno secundo rursum urbs Autissiodorensis igne a porta Pendente excitato ad molendina Cantantis-ranæ deflagravit feriis Paschæ, absumtis eo incendio majori ex parte ecclesiæ S. Germani ornamentis. Duo hæc incendia aliud alio adeo vicina unum & idem esse contendit *N. le Beuf* in suis commentariis de Historia ecclesiastica & civili civitatis Autissiodorensis. Cellæ S. Leodegarii Campellensis libertatem & confirmationem, necnon exactionum immunitatem ac omnimodam justitiam ab Odone Burgundiæ duce impetravit Rotlannus. Concilio Senonensi an. 1080 præsens fuit, contra quam Labbeus a Sammarthanis, quorum verba exscripsit, tractus in errorem, putaverit, id Guiberto abbati male tribuens: nam Rotlannus ad IV nonas Nov. an. 1085 vitam protraxit.

XXIX. Guibertus a pueritia eo in monasterio institutus abbas evasit an. 1085. Nobilis erat genere, sed pastorali officio impar, quod seculari fastu, vita solutiori, luxu & ignavia inquinavit, tanto regularis vitæ detrimento, ut vix postea excitari potuerit. Subscripsit circa annum 1086 literis Richerii Senonum episcopi pro monasterio S. Remigii ejusdem civitatis. Adfuit anno 1095 concilio Claromontano. Gravem in culpam lapsus anno 1096, a monachis coram Humbaudo Autissiodorensi præsule fuit accusatus, qui eum ad Nemausense concilium citavit, ubi convictus Guibertus, eodem anno ab Urbano dignitate motus fuit, mandatumque Humbaudo ut selectum e Casa-Dei, vel ex Cluniaco, vel e Majori monasterio virum probum S. Germani constitueret abbatem; ea tamen lege, ut qui ad id muneris designatus fuisset, superiorum jugo exsolveretur; quod in causa fuit cur monasterium tribus annis caruerit abbate, inter quos Guibertus Germanenses olim suos assiduis litibus & infestationibus divexans, vitam traxit ad annum 1100.

A XXX. Hugo V de Monte-Acuto filius Dalmacii Montis-Acuti toparchæ ex Aremburge de Vergeio, avunculum habuit S. Hugonem Cluniacensem abbatem, sub cujus disciplina apud Cluniacum a pueritia educatus, ab eodem post trium annorum reluctationem, ut in prœmio diximus, S. Germani abbatiæ vacanti unanimi monachorum consensu sufficitur an. 1100, quo ab Humbaudo episcopo percepit benedictionem. Quam attulerat vitæ innocentiam integram conservavit, nihilo hac auctus dignitate elatior. De tutandis sui monasterii bonis sollicitus, cum Stephano Besuensi abbate pepigit de sancti Leodegarii rebus. B Richardi Albanensis episcopi consilio destructum majus altare sancti Germani reliquias sub eo reclusas palam exhibuit, quas decentissime clausas iterum recondidit. Ab Herveo Nivernensi episcopo ecclesias S. Martini *de Thays* & S. Petri *d'Alleur* impetravit. Hugo dux Burgundiæ consuetudines a ministris suis in prioratu S. Leodegarii exigi solitas benigne ei remisit. Quarto ejus regiminis anno scilicet 1104, indict. XII Hugo Trecensium comes S. Germani monasterium adiit & omnia jura ab omni exactione libera quæ possidebat apud Brecenaium contulit ea conditione ut precum & orationum particeps esset. Hugo C alter cognomento Frangens-lupum dedit quidquid in eadem villa habebat. Quam donationem confirmavit comes Trecensis anno 1114, indict. VII, adstantibus Milone episcopo Trecensi & Lamberto Pulteriarum abbate. Dum Paschalis II Silviniaci moraretur an. 1107 literas ad Hugonem direxit quibus ejus institutionem probat, monasterii bona confirmat, præcipitque ut monasterium in Hugonis Cluniacensis abbatis ejusque successorum ordinatione permaneat. Forte Paschalis hanc clausulam suo diplomati addiderat Cluniacensium impulsu qui tunc temporis omnia tentarunt ut monasterium sibi subjicerent. Postquam D per quindecim annos sapienter præfuisset Hugo, virtutis fama, Humbaldo Autissiodorensi episcopo subrogatus est.

XXXI. Gervasius de Sinemuro Hugonis Cluniacensis abbatis nepos, & a teneris apud Cluniacum alumnus, qui una cum Hugone de Monte-acuto propinquo ad reformandum S. Germani monasterium missus fuerat, eidem in episcopum electo, abbatiali in sede successit, & ab ipso benedictionem accepit anno 1116. Hic factus abbas multa suo monasterio procuravit. Præcipuum altare tabula ex argento conflata, & sacrum ærarium varia ornamentorum suppellectile instruxit. In E ægros bene affectus plurima eis prædia contulit, & monachum qui eorum assiduam curam gereret designavit. Litem habuit super justitia castri & burgorum S. Germani cum Guillelmo comite Nivernensi, qui postmodum abdicato principatu ad Chartusianos migravit. Verum ortam inter se litem hanc terminarunt anno 1121 indict. XIV, Hugone Autissiodorensi præsule arbitro. Multum etiam negotii ei facessivit Hugo Mancellus, qui in prædio S. Germani apud Aunaium ædificavit castrum, quod ut destrueret, & sancto Germano satisfaceret, ecclesiasticis tandem pœnis compulsus est.

Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 10.

Digitized by Google

Ch. XIII. col. 108. est. Ab Hugone episcopo impetravit an. 1123 ecclesiam S. Ferreoli, & anno 1125 ecclesiam de Sanctis in Puisaya. Cum Petro abbate Cluniacensi arbiter fuit an. 1130 concordiæ initæ inter capitulum Bellovacense & monachos S. Luciani. Ipse & Hugo Pontiniacensis abbas fructus molendini *de Espaillard* æquali portione inter sua monasteria dividendos decernunt anno 1133. Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 13. Insequenti subscripsit chartæ Hugonis episcopi Autissiodorensis pro Crisenone. Composuit anno 1136 cum Hugone Pontiniacensi electo in episcopum Autissiodorensem. Ecclesiam S. Florentini ab Henrico archiepiscopo Senonensi traditam, in qua usque ad tempus ipsius remanserant canonici seculares, in monachorum cellam commutavit, confirmante Innocentio summo pontifice IX cal. Apr. an. 1138. Hujus mutationis ergo Odo vicecomes S. Florentini consuetudines, quas ex eo loco exigebat, dimisit. Digiam mœnibus Ibid. cinxit, in eaque arcem extruxit, & a Raynaldo de Narbona Touciacensi equite jura lignationis inique usurpata in Digiensi nemore redemit an. 1142. Plura alia apud Album-cippum & Blagniacum acquisivit. Transegit an. 1147 die 18 octavi mensis super consuetudinibus Villaris-vinosi cum Raherio vicecomite S. Florentini. Ibid. p. 14. Composuit an. 1148 cum Iterio de Melliniaco & ejus fratribus Anselmo & Villelmo de quodam censu. Eodem anno obiit IV non. Aug. sepulturam adeptus in capitulo.

XXXII. Arduinus Gervasii consanguineus, ab Hugone episcopo benedictus anno 1148, XVIII cal. Septemb. monasterium variis incendiis devastatum reparavit. Paulo post suam inaugurationem excitatum ab Itherio de Melliniaco & fratribus Anselmo & Guillelmo litigium ob quoddam prædium a Johanne de Casellis, cum monachum induit, monasterio tributum composuit. Ibid. p. 16. Sopivit & aliam controversiam, tempore Gervasii exortam super salvamento novi burgi de Digia, cum Gaufrido de Donziaco, Hugone episcopo arbitro anno 1151. Ab Eugenio III Ch. CXXI, col. 182. diploma impetravit anno 1152, pontificatus 7, V id. Februar. quo sub sanctæ sedis patrocinio S. Germani monasterium aliaque minora cœnobia sui juris suscipiuntur. Idem pontifex per aliud diploma Catalauni datum III nonas Nov. Petro Cluniacensi abbati id cœnobium subjecit, abbatemque in eo instituendi facultatem fecit, qua ab Hugone episcopo Autissiodorensi fuerat spoliatus. Literas diplomati Eugenii consimiles Arduinus ab Anastasio IV obtinuit anno 1153 V cal. Martii. Eamdem ob causam summus hic Ch. XXXIII, col. 123. pontifex ad Alanum episcopum Autissiodorensem bullam emisit VII cal. Maii an. 1154, uti legere est in instrumentis. Aliud diploma impetravit Arduinus anno 1155 pridie calend. Maii ab Adriano. Eodem anno Aganoni de Narbona, ejusque fratribus Girardo & Gaufredo militibus Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 17. pro quatuor servis ab iisdem acceptis dedit 55 libras monetæ Aurelianensis. Pactionis hujus testes fuerunt Hugo Senonensis archipræsul & Alanus Autissiodorensis antistes, qui solus simi- Ibid. lem transactionem Ogerium militem inter & Arduinum initam laudavit. Eodem tempore hic episcopus, assentiente Arduino, Ingolranno clerico permisit ut divinis operaretur in capella quam in parochia de Venneio juris S. Germani ædificaverat. Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 17. Alteram bullam accepit Arduinus ab Adriano an. 1156 V id. April. qua prohibetur quominus lites in monasterium S. Germani illatæ singulari certamine dirimantur. Jubetur & ipse aliis literis summi hujus pontificis ad Henricum Belvacensem episcopum scriptis, ut restituat Amplis. Coll. tom. II, col. 652. quoddam prædium nepotibus unius canonici Autissiodorensis ecclesiæ, quod injuste detinebat. Quemdam accepit servum Garinum nomine anno 1159 a Willelmo Nivernensi comite, de Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 18. quo inter eos fuerat contentio. Mediam partem Villæ-novæ S. Salvii & jura quæ possidebat Ibid. p. 19. apud Digiam accepit ab eodem, anno 1161. Donationem hanc laudarunt tres filii comitis, ex quibus natu maximus dictus etiam Guillelmus, perscripto diplomate plura contulit, inter quæ jus hospitii quo Digiæ sibi sumebat integrum remisit an. 1163, & patris qui sibi sepulturæ locum delegerat in capitulo S. Germani anno 1161, in annuum funebre sexaginta solidos ex vectigali prædii S. Gervasii quotannis persolvendos instituit. Idem forte qui anno 1165 Ibid. p. 21. quædam jura cessit Arduino, quæ in castello S. Germani, in burgis adjacentibus, & apud villas Iranciacum & Aucepeium ejus homines & milites sumserant. Eodem comite arbitro, Arduinus hoc anno pactiones iniit cum Johanne Ibid. p. 18, & 22. vicecomite Lagniaci & Bochardo de Siliniaco. Donatus est an. 1166 centum solidis ab Alano episcopo pro ejusdem anniversario annuatim persolvendis, qui & ipsi confirmavit jus præsenta- Ibid. p. 23. tionis ad ecclesiam S. Lupi, & in quibusdam festivitatibus jus oblationes accipiendi. Anselmo Rigniaci abbati vineæ quatuor jugera sub annuo censu cessit anno 1169. Eodem anno a Milone milite donatus est decimis *de Blegni* & *de Beines*; cui dono subscripsit Humbaldus Milonis filius. Guido comes Nivernensis ipsi satisfecit anno Ibid. p. 25. 1171 pro vi illata hominibus S. Germani in villa de Escanno; salvamentumque de Digia dimisit & suorum prædecessorum dona laudavit. Daimbertus de Signelayo una cum fratribus & Gaufrido Donziacensi ob damna monasterio illata, Arduini curis anathemate fuit percussus, ejusque ditiones interdicto submissæ. Sylvas & molendina apud S. Amandum & Aunaium propriis nummis comparavit. Cum Trenorchiensibus ac Divionensibus sancti Benigni monachis fœdus iniit, & cum Reomensibus olim sancitum, sed pene obliteratum renovavit. Tandem cum in omnibus tam spiritualibus quam temporalibus monasterio sibi credito & utiliter præfuisset & prudenter, decessit IV id. Jan. an. 1174, ac in capitulo humatus fuit cum epitaphio.

¶ Prorsus ignoramus quis sit P. Hebrardi abbas sancti Germani, cujus epistola legitur tom. IV scriptorum Hist. Franciæ Quercetani, p. 653. Cujus loci extiterit abbas non liquet. Etenim indices abbatum tam S. Germani Autissiodor. quam Parisiensis inter annos 1131 & 1180,

quo tempore ille vixit, nullam sedem relinquunt A quæ ei assignari possit. Numquid est Gerardus abbas S. Germani? Id præstare non ausim. Quisquis sit, Ludovico VII Francorum regi significat se ad laudem honoremque & augmentum ejus coronæ omnimodis invigilasse: in tantum quod fere omnium baronum Arvernorum odium incurrerit. Quin etiam addit se cum nepote suo propter Brivatensis ecclesiæ discordiam captum & usque ad mortem vulneratum, & in carcere compedibusque positum fuisse, unde egredi non licuit, nisi promissa ingenti pecuniæ summa, & datis obsidibus, & cum ea conditione ut ad eumdem carcerem reverteretur nisi regis pietas B ei succurreret, & ecclesiæ Brivatensi pacem præstaret.

XXXIII. Humbaldus natione Burgundus, de pago Charrolensi Arduino sufficitur an. 1174, quo occurrit in charta Drogonis de Mello in gratiam Grandimontensium Veteris-pediculi. Beneficiorum a Guidone Autissiodorensi comite acceptorum non immemor jussit anno 1175 ut missa una pro ejus animæ prædecessorumque salute singulis diebus celebraretur. Subscripsit anno 1176 chartæ Mathildis comitissæ Nivernensis pro Crisenone. Quas Henricus Aper Senonensis archipræsul, necnon Guillelmus, C ejusque filius Guido Nivernenses comites monasterio contulerant donationes, ab Alexandro III confirmari procuravit anno 1179. Eodem anno Matthæus Trecensis episcopus ei concessit medietatem obventionum ecclesiarum Vauchartei & Brecenaii, easque exemit ab omni procuratione sive erga episcopum, sive archidiaconum, cum eo ut ambabus ecclesiis unicus rector episcopo ab abbate præsentaretur. Ab Alexandro III jam privilegiis cumulate exornatus, similiter ab Urbano III literas Veronæ datas XII cal. Junii circa annum 1186 accepit, quibus ei ejusque successoribus conceditur usus mitræ & annuli in D præcipuis solennitatibus & in conciliis tum provincialibus cum generalibus, ut hoc, inquit Urbanus, beneficio monasterium debeat in religione proficere; & beatus confessor cujus corpus in eo quiescit in majori reverentia & honore ab omnibus habeatur. Vetat hic pontifex ne ullus monachus ab irrogata ab abbate pœna, absque capituli, aut sanioris illius partis consensu ad superius aliquod tribunal provocare possit. Imo facultatem facit ut a quovis catholicæ communionis antistite sacrum chrisma fieri, consecrari altaria, ordinibus initiari monachi, abbates benedici possint, si hæc diœcesanus munera obire E aut recusaret aut malo animo procrastinaret. Episcopo tandem inhibetur ne bona hujus monasterii anathemati, suspensioni aut interdicto exponat, nisi legitima causa accesserit, servato juris ordine. Cumque episcopi Autissiodorenses & archidiaconi parochiales ecclesias monasterio subditas in suis visitationibus, contra Laterani concilii decreta, amplissimo comitatu vexarent, edixit summus pontifex ne deinceps ad alios sumtus præstandos tenerentur, quam quos Laterani concilii statuta definiissent. Donatus est Humbaldus a Guillelmo episcopo Autissiodorensi quinquaginta solidis annui census percipiendis in ecclesia de Blagniaco. Cumque adverteret sui monasterii complura prædia, nemora, villas, longe dissita, grassationibus quorumdam nobilium, necnon rusticorum populationibus quotidianis ita patere, ut ex illis nulli pene fructus in cœnobii commodum redirent, Henricum Campaniæ, Stephanum Sacri-cæsaris & Petrum Nivernensem comites, ad medietatem Vauchartei, nemorum de Brueria & de Mombolo, Montis-Bosonis, villæque Pontis-nascentis consociatos vocavit, ut eorum fultus auxilio, cætera tutari posset. Extant hac de re confectæ cum Petro comite in capitulo S. Germani tabulæ, quibus ipse subscripsit anno 1187. Quam per quatuordecim annos abbatialem gesserat dignitatem abdicavit anno 1188.

XXXIV. Radulfus ex diœcesi Nivernensi in pago qui dicitur Baseium ortus, omnium votis Humbaldo se abdicanti substitutus est IV non. Januarii an. 1188, & ab Hugone Autissiodorensi præsule IV non. Febr. in festo Purificationis B. Mariæ consecratus. Eodem anno idib. Maii amplissimo diplomate a Clemente III Laterani conscripto, pontificat. anno 1, monasterii bona, jura, privilegiaque omnia ut confirmarentur impetravit, inter quæ S. Germani de Aveio Nannetensis diœcesis, quod nuper accesserat, monasterium recensetur. Guillelmus sancti Florentini vicecomes ob amorem filii sui Guidonis qui apud S. Germanum monachum induerat, ipsi largitus est anno 1189 centum solidos & tres modios messis, pluraque alia apud Villare-vinosum annuatim sumenda. Varias etiam pactiones cum Henrico comite Trecensi hoc anno sancivit, & cum Mainardo Pontiniaci abbate de quibusdam decimis transegit. Anno 1190 comes Trecensis dum Corbiniaci in monasterio S. Leonardi ageret, Hierosolymitana peregrinatione suscepta, S. Germano quamdam domum Trecensi in urbe concessit. Ecclesias a Matthæo Trecensi episcopo Humbaldo concessas per Garnerium itemque episcopum confirmari curavit Radulfus anno 1193. Verum canonicis S. Stephani Trecensis monachos S. Germani impetentibus eam concessionem non modicum minuit Garnerius anno 1195. Droconi de Melloto medietatem nemoris *de Vairan* sub censu viginti solidorum locavit an. 1196. Varias etiam literas a summis pontificibus obtinuit: a Cœlestino III an. 1194, VI cal. Aug. pontificat. 4, qui ei insignium pontificalium usum confirmavit, & ab Innocentio III an. 1198 XIV cal. Jul. pontif. 1. Eodem anno a Petro Nivernensi comite partem nemoris de Brueria redditam, ad preces ejusdem dedit Droconi de Melloto jam dicto an. 1203, sub iisdem conditionibus quibus comes eam ante possidebat, ita tamen ut fundus remaneret juris monasterii, si nemus extirparetur. Anno 1201 a Pontio Montis S. Johannis toparcha quasdam consuetudines necnon hospitandi jus, quæ ille apud Digiam possidebat, numerata pecunia redemit. Ex monachorum consensu multa quæ ad divinum

Ampliss. coll. t. 1, p. 886.

Anecd. t. 1, col. 586.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 29.

Ibid. p. 34.

Digitized by Google

cultum spectant instituit. Siquidem statuit ut festa Annunciationis B. Mariæ, sancti Amatoris, sanctorum Innocentium & octavæ utriusque festi S. Germani ritu solenni observarentur. Jussit & ut officio duodecim lectionum colerentur sanctorum dies qui apud S. Germanum tumulantur. Societatem iniit cum Ferrariensibus & Tornodorensibus monachis. Apud Betriacum domum & quædam bona ad vitam locavit anno 1202 canonico de Braio. Occurrit anno 1204 in tabulis abbatiæ Barbelli. Herveus Trecensis comes & Guillelmus vicecomes sancti Florentini de rebus plurimis ipsi gratificati sunt. Hactenus satis prospero successu locum hunc gesserat, sed brevi nata sunt dissidia commodis & utilitati monasterii adversa, quibus invidia dedit originem. Episcopus siquidem Autissiodorensis ægre ferens abbates S. Germani ornamentorum pontificalium jure potiri, inde occasionem accepit in abbatia tumultus excitandi. In Radulfum concitavit Constantium priorem cum plerisque monachis; cæteri vero fidem abbati servarunt. Inter utramque partem maxima lite exorta, cujus prosequendæ causa cum reditus non sufficerent, plurima abalienata sunt prædia, inter quæ, cedente Radulfo, vinea obvenit Barbello anno 1207 XVII cal. Febr. eodemque an. XVI cal. Mart. nemora S. Salvatoris vendidit assentiente Herveo comite Nivernensi & barone de Donziaco, cui idcirco cessit medietas pretii. Nec parsum est capsulæ B. Germani olim a Lothario abbate filio Caroli Calvi regis decoratæ, quæ auro & gemmis spoliata fuisse traditur. Capsulæ quoque beatorum Urbani, Aunarii, & Desiderii præsulum fuerunt spoliatæ. Ad hæc adde quod monasterium tanto pondere debitorum pressum fuerit ut nonnisi diu post damna resarcire valuerit. Inter hæc Radulfus ad summum pontificem causam dicturus Romam perrexit, indeque rediens Placentiæ extinctus ipsa die Natalis Domini 25 Decembris ibidem sepulturam habuit anno 1208.

XXXV. Guillelmus I e pago Vastinensi oriundus præfecturam obtinuit anno 1208. Nemus de Viis-albis a comite Joviniaci vi monasterio ereptum, concedente Guillelmo jam dicti comitis filio itemque comite recuperavit anno 1209. Composuit anno 1210 de quibusdam vineis. Eodem anno, teste Guillelmo episcopo Autissiodorensi, presbytero de Escannio commodavit tantum ad vitam domum sitam juxta ecclesiam. Quædam hoc ipso anno recepit a nobili muliere Mabilia Montigniaci domina, Iterii *Borne* militis uxore, quæ in cœmeterio S. Germani sepulturam elegit. Quemdam terræ fundum locavit anno 1211; finem posuit anno 1212 liti quam cum monasterio S. Mariani habebat de decimis Grangiæ S. Mariani dictæ de Capella, statutumque est ut nonnisi unus de viginti manipulis exhiberetur. Eodem anno a Johanne *Berardi* milite emit decimam de Bernaio. Medietatem omnium decimarum parochiæ sancti Germani de Linerolis, necnon censum, terragium, venditiones, medietatem oblationum in tribus præcipuis festis & grangiam cum uno prato ad quinque annos locat an. 1214 mense Octobri. Ultimo die ejusdem mensis occurrit in charta Blancæ comitissæ Trecensis. Eum inter & Adelaidem dominam de Logiis litem exortam de medietate dominii de Coldra disceptarunt hoc ipso anno Wulgrinus abbas S. Euvertii, Robertus cantor & Aimericus scholasticus Aurelianensis, judices a summo pontifice constituti. Eo tandem anno Humbaudus *Fillions* miles Ebrardum de Cereno & ejusdem hæredes servos cessit ecclesiæ S. Germani. Domum apud Pruvinum infirmario præbuit Guillelmus an. 1215, ea lege ut ille die ejus anniversarii 40 solidos annuatim solveret ad refectionem conventus. Eodem rursus anno ab Herveo episcopo Trecensi & abbatibus S. Columbæ & Eschaleiarum a summo pontifice delegatis jussus est ut obediret episcopo Autissiodorensi in visitatione & correctione sui monasterii. Dum præesset, vir nobilis Milo in præsentia Guillelmi episcopi Autissiodorensis omnino abrenuntiavit querelæ quam habebat adversus Bernardum eleemosynarium S. Germani. Sub ejusdem præfectura Petrus Autissiodori comes annuum sibi funebre in Germaniano cœnobio persolvendum instituit 16 Febr. anno 1216. Innocentius pontifex maximus hoc anno literas ad episcopum Autissiodorensem scripsit per quas innotescit monachos S. Germani ut episcoporum Autissiod. visitationes & correctiones vitarent, suum monasterium Cluniaco subjectum dixisse. Adstante Guillelmo episcopo Humbaudus *Fillions* miles, laudante Odierna uxore iterum concessit anno 1219 die Veneris post festum S. Magdalenæ ecclesiæ S. Germani Ebrardum de Cereno, ipsiusque hæredes & quidquid in eisdem habebat. Controversiam terminavit Guillelmus an. 1220 cum Autissiodorensi episcopo. Reginaldum *de Jocevalle* tunc solum ordinatione subdiaconum priorem instituit. Decessit prid. id. Novemb. anno 1220, pro suo anniversario datis triginta solidis.

Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 41.

Ch. LXXVII. col. 153.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 47.

Ibid. p. 25.

Ibid. p. 46.

XXXVI. Reginaldus *de Jocevalle* Harduini quondam abbatis consanguineus, natione Burgundus, matrem habuit nomine Richuldim nobilissimam matronam, & Agnetem sororem. Ex chronici scriptore fuit vir gratiosus, astutus ingenio, competentis litteraturæ, vitæ bonæ & conversationis honestæ, claudus tamen uno pede. Cum ad summum pontificem a monachis legatus fuisset ab eo efflagitaturus ut Savericus abbas Vezeliacensis S. Germano præficeretur, ipse ab Honorio præfectus est, ei adjuncto adjutore Saverico in munere gerendo. Scriptum accepit an. 1220 quo quidam miles triginta solidis super censu de villa Ferreoli erga monasterium S. Germani se obligatum fatebatur. Benedictus est ab episcopo anno 1221 in ecclesia Autissiodorensi. Præsentavit anno 1223 ad ecclesiam S. Lupi Autissiodor. Cum Henrico episcopo pactum iniit an. 1224 mense Martio. Eodem anno Guido Eduensis episcopus ad ejus præsentationem contulit eccle-

Digitized by Google

siam de Disengiaco. Memoratur an. 1225 in charta ubi agitur de vineis de Riveta, comitemque Campaniæ Theobaldum sibi socium adhibet in toto finagio a rivo de Flooniaco ad rivum de Parriciaco, & a rivo de *Ermençont* ad ripam Ermenciæ. Quæ bona circa S. Florentinum sita videntur. Satisfactionem recepit anno 1228 de vi facta in quadam domo quæ erat in justitia sancti Germani. A Gregorio IX delegatus judex eo anno Flaviniacensem abbatem Seguinum inter & conventum xenodochii de Nalleio litem sopivit. Vindicavit anno 1229 mense Dec. decimam Bernaii a Guillelmo abbate emtam adversus heredes venditoris qui eam per vim invaserant. Quanta monasterio commoda curaverit haud facile dictu, namque illud non modo triginta librarum millibus oppigneratum liberavit, sed & ampla proventuum acquisitione ditavit. Villæ S. Georgii medietatem a Johanne de Barris, prædium Blegniaci a nobili fœmina Sara Chevennæ domina, Roverii supremæ justitiæ jus & alia plurima a Ligniaci castri vicecomitissa, numerato pretio comparavit. Multa etiam vinearum jugera acquisivit. Ædes hospitum, & integra ferme ædificia in omnibus monasterii villis & prædiis construxit. Cum Petro abbate Pontiniaci jurgium habuit quod ad proborum virorum arbitrium terminavit. Occurrit anno 1233 mense Februario in charta, ubi talliam apud Eriacum habere dicitur. Eodem anno molendinum de Villeta prioratui de Bellomonte adnexuit ob pretium venditionis sylvæ de Expissia quod receperat. Adeptus est mense Oct. ejusdem anni justitiam apud Rouvetum antea controversam. Venditionem Autissiodorensi episcopo factam una cum abbate S. Petri confirmavit an. 1235 mense Martio. Homines de Villari-vinoso cum Milone milite de S. Florentino partitus est anno 1237, atque ejusdem anni mense Martio recepit homagium de Vineis ad portam de Kalendis Maii sitis. Cum Johanne Pontiniaci abbate pepigit an. 1238, eodemque Jodoino Masiliarum priore & Autissiodorensi monacho coram Roberto fidei quæsitore tanquam hæreticorum fautore accusato, hanc ob causam Parisios accessit Reginaldus, indeque rediens apud villam Guiardi vitam cum morte commutavit non. Septemb. anno 1238, cujus corpus in Germanianum monasterium relatum, in ecclesia a parte australi sepultum fuit, juxta cujus sepulcrum erectum est postea altare S. Elegio consecratum. Ipse moriens in manu Salonis monachi & Laurentii clerici sui pecuniæ summam reliquit pro conficienda tabula argentea majori aræ imponenda, atque etiam pro condendo cellario.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 279.

Charta LXXXVI, col. 159.

XXXVII. Galterius Berardi Autissiodorensis fuit, Acrisii in castro patre, ut creditur, Johanne Berardi milite, a quo Bernaii decumam Guillelmus abbas an. 1212 comparavit; matre Agnete nobilibus conjugibus editus est. Primum monasterii fuit decanus, quo titulo altare sacelli S. Georgii a se extructi dotavit, & suum instituit anniversarium. Mortuo Reginaldo omnium votis suffectus est anno 1239, quo sedes abbatialis adhuc vacabat IV non. Martii anno 12 pontificatus Gregorii IX. Eodem rursus anno mense Junio quædam permutavit cum Johanne de Brenna milite, medietatemque molendini juxta pratum Diderii & aliquot census apud Villamnovam, atque quosdam reditus super molendino & piscatione de Salicibus accepit. Hugo Autissiodorensis miles dictus *Bailledent*, insigni munere eo etiam anno eum affecit, nam prædiatorium vectigal quod in omnes pene urbis Autissiod. ædes indictum obtinebat, in S. Germanum contulit. Portionem oblationum ecclesiæ de Eschano locavit Galterus anno 1240 mense Januario. Ansericus Montis-regalis toparcha fidem ei juravit an. 1241, quo cum abbate Pontiniacensi litem habuit. Ejus tempore canonicis S. Stephani feria 2 Rogationum ad S. Germanum, divina celebrandi causa, ut moris est, progressis, monachi noluerunt ut Blasius quidam semicanonicus hebdomadarius sacra faceret: contendebant enim solis id datum canonicis ut in primario altari divinis operarentur. Quod ægre patientes canonici, recesserunt & Germanianis ad ecclesias SS. Eusebii & Amatoris crastina die pergentibus ut occluderentur fores effecerunt, & quæ per annum apud S. Germanum obire solent supplicia abrogarunt. Vicissim Galterius canonicis præberi solitam annonam, frumenti modium & vini culeum denegavit. Hinc lites, hinc dissidia quæ his tandem conditionibus virorum prudentum arbitrio sopita fuere partim anno 1241, partim anno 1242 mense Februario, nimirum ut canonicis integra annona restitueretur, modo ut intermissas supplicationes deinceps non omitterent, nulli nisi canonico in præcipuo altari sacrum facere liceret & tandem in emendationem supplicationum omissarum feria sexta hebdomadis unius Quadragesimæ sequentis ad S. Germanum sacra celebraturi accedere tenerentur. Composuit an. 1243 mense Maio cum Guillelmo de Melloto de Pastura in nemore de Brueria. Eodem anno mense Septembri cum capitulo S. Stephani pactionem iniisse dicitur. Medietatem portus de Riveta cum domo apud Ianciacum & pluribus vineis comparavit a Baudono Domicello pro trecentis viginti libris Pruvinensibus. Acquisivit etiam justitiam apud Bloaniacum & quædam alia a Guidone & Lietherico de Horto fratribus pro triginta quinque libris turonensibus. Novam ex argento tabulam effingentem iconem Virginis e sinu puerum Jesum exhibentis, ac auro argentoque conflatum caput, quo sanctæ Agnetis reliquiæ concludebantur, variamque ornamentorum copiam in sacrum ærarium intulit. Tandem obesitate nimia & senio præpeditus abbatia sese exuit an. 1243, devixitque Arrisiaci XIII cal. Maii an. 1252, & humatus in capitulo S. Germani.

XXXVIII. Johannes I *de Jocevalle* dictus etiam *de Joyenval* & *de Jusseinval* in diœcesi Eduensi apud Jocevalem Roberto & Agnete nobilibus parentibus editus, Reginaldum *de Jocevalle* patruum habuit. Adhuc subdiaconus per viam compromissi electus, a Bernardo Autissiod. præsule benedictionem percepit. Capitulo &

Digitized by Google

decano Autissiodorensi grangiam sub annuo A censu solvendo ædificare permisit in villa de Rouveio anno 1245 mense Julio. In B. Dei genitricem singulari devotione affectus, qualibet hebdomada majus sacrum ac officium duodecim lectionum singulis Sabbatis in ejus honorem celebrandum instituit. Infirmorum reditus nimium exiles plurimum auxit. Numerum triginta monachorum cultui divino rite persolvendo imparem esse judicans ad quinquaginta perduxit. Variis ornamentis sacrarium instruxit. Assignavit proventus ut quotidie in elevatione sacrificii duo magni cerei accenderentur. Ab Innocentio IV, pontificatus anno 10, idibus Maii, omnibus B pontificum insignibus pro se suisque successoribus ubique utendi facultatem, cæteraque monasterii privilegia confirmari curavit. Idem summus pontifex scribens abbati S. Martini Eduensis eum constituit conservatorem privilegiorum abbatibus S. Germani concessorum. Paucis abhinc annis electus maximam adversus Cluniacenses litem sustinuit, qui sibi imperium in monasterium arrogare cupiebant. Richardus cardinalis ea in causa a sede apostolica judex constitutus, hanc controversiam magna utrinque animorum contentione Romæ diu agitatam terminavit & decrevit ut monasterium S. Germani a Cluniacen- C sium jurisdictione immune remaneret. Quod decretum Alexander IV comprobavit an. 1256 pridie cal. Apr. pontificat. an. 2. Summus idem pontifex per privilegium concessit ut, interdicti generalis tempore, ii quibus nominatim non esset inflicta excommunicationis sententia, eo in monasterio possent humari, & qui gratuito hospitio exciperentur præsules, id veluti jure sibi debitum flagitandi nefas foret, tandemque nec abbas nec monachi, ullis literis apostolicis aliquod beneficium aut pensionem erogare cogerentur absque speciali pontificis mandato, in quo & hujus privilegii & monasterii mentio haberetur D expressa. Johannes reperitur anno 1256 in cartulario Rigniaci. Eodem anno incolis de Perigniaco jus manus mortuæ concessit. Simile jus anno præcedenti monasterii clientibus in urbe Autissiodorensi, & in suburbiis commorantibus vendiderat. Quam venditionem hoc anno laudarunt Henricus Senonensis antistes & Margareta comitissa Campaniæ, quæ suum instituit anniversarium an. 1257 mense Julio die Martis ante Magdalenam. Se excusavit Johannes an. 1263 die Lunæ ante Pentecosten quod ecclesiæ suæ negotiis impeditus synodo interesse non valeret die Martis crastina. Cognoscitur ex literis quas E Clemens papa an. 1266 scripsit ad episcopum Autissiodor. abbatem Cluniaci de jure quod in S. Germani monasterium contendebat submotum fuisse, proindeque abbatiam prædicto episcopo fuisse submissam. Ædes abbatis novis ædificiis & sacello exornavit. Septa monasterii excelsis mœnibus & turribus erectis a monasterio separavit. Meledrense monasterium flammis absumtum, majori ex parte instauravit, & ecclesiæ a Saverico Vezeliacensi abbate inchoatæ coronidem imposuit. Ansericum Montis-regalis dominum, monasteriique clientem qui Curti Arnulphi, dominio juris S. Germani damnum attulerat, & quemdam monachum dictum *Chuart* hujus domus custodem male multaverat, a Theobaldo Campaniæ comite puniri sategit. Mathildem Nivernensem comitissam ad erigenda reorum patibula quæ ejus ministri apud Iranceium disjecerant; Theobaldum *Barri* comitem Touciaci toparcham ad instaurandum prædium quod in ditione prioratus Meledrensis sui diruerant servi, adegit. Stephanumque dominum *de Capolay* dominium de Vaugino infestantem repressit. A Guillelmo episcopo Autissiodorensi sexaginta solidos annui reditus pro anniversario Guillelmi de Melloto recepit an. 1260. Pactum iniit an. 1269 mense Novembri cum Johanne comite Sacri-cæsaris super Ponte-nascente. Laudat anno 1270 donationem septem terræ jugerum apud summam Casam suo monasterio factam. Ab abbate sancti Michaëlis Tornodorensis quosdam census apud Autissiodorum civitatem emit an. 1271 mense Januario. Cum Johanne de Selligniaco milite transegit an. 1275 de justitia villæ de Monte, ubi Gaufridus Johannis prædicti frater, homicida capto, de ejus crimine cognoscere volebat. Cum basilicæ S. Germani a parte orientali tum propter vetustatem, tum propter incendia quibus bis fuerat consumta immineret ruina, eam instaurare decrevit; quamobrem majus altare destrui curavit anno 1277, & adjunctis sibi quibusdam monachis ipso die S. Georgii, reliquias in sarcophago inclusas inde removit, easque super altare missæ matutinalis reposuit. Basilicæ incœptum opus imperfectum relinquere coactus est, nam eodem anno Lutetiam profectus cum Johanne de Cabilone comite Autissiodorensi, qui monasterii justitiam usurpabat, pacturus, illinc infecto negotio rediens, Moreti decessit VII cal. Martii an. 1278, cujus corpus ad cœnobium relatum V calend. ejusdem mensis in meridionali ecclesiæ parte, juxta Reginaldum patruum humatum fuit. Ejus tempore floruit Johannes Frasquetus monachus Autissiodor. qui chronicon a mundi exordio ad annum 1272 perscripsisse dicitur.

XXXIX. Guido *de Munois*, latine Muniacensis, quem MS. de gestis abbatum liber in vita Galcheri, virum prædicabilis memoriæ, & præclarum sanctitate appellat, e pago dicto *Munois* prope Flaviniacum in Eduensi agro originem traxit; decessoris affinis, qui a puero in hoc monasterio monachus pietate & literis imbutus, adolescens Aureliæ & Parisiis novem annis partim juri canonico, partim theologiæ operam dedit. Vix in monasterium reversus erat, cum granetarii munus ipsi a Johanne demandatum fuit. Postea vero factus Meledrensis monasterii eleemosynarius, tum prior, deinde de Recognito decanus, evasit tandem prior S. Germani. Quod munus dum obiret, Johanne abbate defuncto, monachi de electione inter se dissidentes, alii in Johannem de Thiangiis Levensis in Anglia monasterii priorem, alii in Guidonem suffragia diviserunt an. 1278 V cal. Aprilis. Quamobrem

Marginal notes: *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 59.* — *Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 56 & seq.* — Chart. CIV. col. 169. — Chart. CV, col. 170.

Digitized by Google

Guido Romam iter aggressus, post disceptationem septem annorum & aliquot mensium in possessione permansit. Honorius enim IV Tyburi degens an. 1285 VI calend. Septembr. amoto Johanne, Guidonem rite creatum pronuntiavit, & a Latino cardinali Ostiensi episcopo inauguratum V id. Septembr. ac quatuor exornatum diplomatibus Tyburi III cal. Octobr. sui pontificat. an. I scriptis, quibus monasterii jura, privilegia, immunitates confirmantur, novaque adjiciuntur, Autissiodorum remisit. Quo cum Guido reversus fuisset, monasterii clientes in eum insurrexerunt, sed eos ad officium brevi revocavit. Ad ecclesiam de Vauchartetio Johanni episcopo Trecensi præsentavit anno 1286. Post festum S. Bartholomæi ejusdem anni quasdam ecclesias juris S. Germani in Lingonensi diœcesi sitas a Guidone episcopo, abbatia vacante, collatas ab eodem iterum conferri curavit. Fidelitatis sacramentum recepit anno 1288 a Dominico rectore ecclesiæ S. Columbæ. Transegit anno 1289 mense Octobri cum Drocone de Melloto super nemoribus Brueriæ. Cum comite Tornodorensi pepigit an. 1293 mense Aprili. Eum inter & comitem Autissiodorensem litem de justitiæ jure & limitibus ortam arbitri sedarunt anno 1296 mense Januario. Eodem rursus anno occurrit infra octavam Omnium Sanctorum. Non multo post cum suum monasterium insanis sumtibus exhauriri ægre ferret, quos episcopo sedem adeunti præbere tenebatur, hujus oneris deprecandi causa, Romam secundo profectus, ac per annum ibi commoratus, infecto negotio ad suos redire coactus est. Sed ei reduci cum novam litem movisset Petrus episcopus qui de excessibus a monachis S. Germani extra monasterium admissis adversus quemdam presbyterum cognoscere contendebat, Romam tertio reverti coactus fuit, nullo operæ pretio, licet toto pene triennio huic dirimendæ controversiæ hæsisset Romæ. Id tantum a Bonifacio VIII impetravit an. 1302, ut qui deinceps cathedram Autissiodorensem capessituri essent episcopi, nonnisi sex diebus in monasterio exciperentur, assignata in dies singulos decem librarum summa in episcopales sumtus; quod diploma cum reversus Autissiodorum abbas episcopo significari curasset, post aliquot difficultates utrinque, tandem cum de hospitii sumtibus, tum de monachorum excessibus, ubi & quando ab episcopo coercendi forent, transactum fuit VI id. Martii an. 1304. Quædam bona comparavit apud Digiam quæ monasterio largitus est ea lege ut singulis annis fieret ejus anniversarium. Gesta abbatum S. Germani ab anno 989 ad annum 1277 scripsit, veteraque monasterii instrumenta regum & aliorum dominorum ex cribi ac renovari jussit. Annis tandem & infirmitatibus confectus, in manibus Adeodati Latiniacensis abbatis dignitati nuntium remisit an. 1309 III id. Maii, secessitque ad summam Casam monasterii villam, quam ad usus proprios retinuit. Sed cum reditus vix ad vitam sufficerent, Galcherus successor eos duplo auxit. Sic Guido uni Deo per annos circiter quinque lacrymis & obsecrationibus intentus an. 1313 VI cal. Martii spiritum exhalavit. Cujus corpus frequenti omnium ordinum concursu in monasterium relatum, juxta prædecessores Reginaldum & Johannem *de Jocevalle* abbates humatum fuit. Castitatem, cujus superstes assiduus erat cultor, ut innoxiam obtineret, parcissimo cibo utebatur, nodoso fune singulis noctibus lumbos succinctus decumbebat, ac frequenter cilicio carnem macerabat. Orationi impense deditus, præter nocturnas diurnasque horas quas exacte frequentabat, quotidie integrum psalterium, Dei-paræ & defunctorum officia persolvebat. Ejus vita ab Aymone *des Bordes* monacho exarata legitur tom. I Biblioth. Labbæi, p. 586.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 293.

XL. Gaucherus *Dignon de Cheu* Petro *Dignon* milite & Agnete nobilibus parentibus apud Caducum prope castrum S. Florentini in diœcesi Senonensi editus est. Puer literis & bonis moribus instructus, Johanne *de Jocevalle* abbate, habitum monasticum induit an. 1277 tredecim annos natus. Primum cellerarii apud S. Germanum munus gessit, ac successivo cursu Neroniani prædii, Ægriacæ domus, Recogniti & Meledrensis monasteriorum præfecturas obtinuit. Dissidentibus de abbate deligendo Arremarensibus monachis, debilioris partis suffragiis abbas electus, & ad Bonifacium summum pontificem jus suum persecuturus Romam profectus causa excidit. Suum vero in monasterium reversus, cedente Guidone, via compromissi in ejus locum suffectus fuit V id. Junii an. 1309. Summam in se semper austeritatem exercuit; carnem jejuniis, cilicio, vestitu aspero castigavit. Diurnis, nocturnisque officiis assiduus intererat. Ter quaterque singulis hebdomadis rem divinam faciebat. Gregis sibi commissi maximam habuit curam, eumque singulari affectu dilexit. Nec intra domesticos parietes charitas ejus concludebatur, foras etiam in egenos, pupillos, viduas, quos uberi largitione sustentabat, prorupit. Aurelianis & Parisiis complures pauperes scholares collato ære ad prosequenda studia juvabat. Monasterium gravissimis debitis exoneravit. Ecclesiæ fabricam vix inchoatam diuque interruptam, quandiu vixit, ministratis sumtibus continuavit. In sacrum ærarium vestes, pallia sumtuosi operis, ornamenta varia, duas mithras gemmis distinctas, urceolos sex, totidem calices, septem statuas, viginti vasa argentea reliquiis exornata contulit. Germanianum monasterium & loca non pauca ei subdita diversis exornavit ædificiis. Prioratum Masiliensem flammis absumtum instauravit. Latifundia prædia variis in locis comparata, partim mensæ univit, partim in annuos duos funebres sibi, parentibusque persolvendos, conventui addixit. Cum Johanne comite Autissiodorensi & Petro de Gressibus episcopo litem habuit super eo quod firmis, pinnatisque mœnibus & præaltis turribus arcis in modum, monasterium circumcingendum suscepisset. Quæ controversia ejus prudentia sopita est, utroque consentiente ut opus inchoatum perficeretur ad monasterii præsidium. Literas dedit anno 1320, ex quibus constat eum auctoritate

Digitized by Google

apostolica contulisse archidiaconatum Belnensem Petro *de Rieti* in ecclesia Eduensi. Obtinuit anno 1321 mense Junio a Petro episcopo facultatem divinis operandi in capella de Perrigniaco. Eum inter & Johannem comitem *de Sancerre* litem exortam super dominio Pontis-nascentis arbitri sedarunt an. 1322 mense Septembri. Petrus episcopus ipsi denuo concedit an. 1324 facultatem de qua modo diximus, sed vetat ne juribus parochialibus in aliquo derogetur. Homines de Iranceio in libertatem restituit Gaucherus an. 1328. Similem gratiam uni tantum homini de Orgiaco concessit anno 1330 mense Novembri. Acquisitionem quamdam, quam a comite de Barro jure morticinii roborari curaverat anno præcedenti mense Septembri, pari jure donari sategit a Carolo comite Alenconii hoc eodem anno 1330 mense Julio. Negotium ipsi facesserunt decanus & capitulum Autissiodorense, qui jus patronatus in parochiam de Nisiaco, diœcesis Lingonensis sibi vindicabant; sed inspectis juribus & titulis monasterii, lite destiterunt. Is non diu post hæc superstes vixit, nam senio & laboribus fractus, pie uti vixerat, decessit die Dominica ante Conversionem sancti Pauli anno 1334, sepultus in claustri pratello, ut præ animi demissione moriens edixerat. Vitam ejus ab Odone *de Vaucemain* priore scriptam edidit Labbæus Bibl. tom. I, p. 589.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 97.

Ibid. p. 99.

XLI. Stephanus I *de Chitry* ex nobili apud Burgundos familia, quam Petrus a S. Juliano eamdem olim cum Varennensi extitisse perscripsit, traxit originem. Monachorum suffragiis Gauchero decedenti subrogatus, septum monasterii a decessore inchoatum non solum perfecit; sed ab nosocomii parte ampliavit. Per Johannem priorem S. Salvatoris Aymerico episcopo præsentavit Girardum de S. Benigno clericum ad ecclesiam parochialem S. Amandi an. 1336. Sub certis oneribus annuatim persolvendis homines de Villaribus super *Tolon* de servitute liberat an. 1337. In capitulo generali habito an. 1343, Digiæ & Forestæ colonis diversa servitutis onera remisit. Præfuit annis 19, obiitque anno 1353 ex Sammarthanis.

Ibid. p. 102.

XLII. Guillelmus II *Grimoard* in castro Grisiaci in diœcesi Mimatensi patre Guillelmo *Grimoard* e gente de Chrisiaco, matre Felicia *de Montferrand* editus, juvenis Benedictinum ordinem in Chiriaco prioratu juris S. Victoris Massiliensis amplexus est. Emissa professione, tanto ardore studiis incubuit, ut canonum & theologiæ doctor renunciatus, has postea scientias magna celebritate viginti annis Montepessulano, Avenione & Massiliæ docuerit, inde episcoporum Claromontensis & Uticensis vicarius generalis, necnon ordinis Cluniacensis in curia romana factus procurator generalis, ab Innocentio VI abbas S. Germani declaratus est anno 1353, benedictusque est ab Audoino Autissiod. episcopo. Pluribus annis id monasterium se rexisse ipse dicit in bulla quam summus pontifex creatus ad hujus loci monachos direxit. Commendatur ab animi fortitudine qua infracta constantia suæ abbatiæ jura, privilegiaque adversus invasores quoslibet tutatus fuit, maxime adversus Guillelmum Senonensem archiepiscopum, quicum ei multæ & magnæ fuerunt contentiones; ob quarum decisionem Guillelmus Innocentium VI adiit Avenionem, qui & abbatiam S. Victoris Massiliensis ei contulit circa annum 1358. Quo tempore Autissiodorensi urbe ab Anglis & Navarreis capta, cives ex pactione cum monachis sancti Germani facta, maximam thesauri partem hostibus tradiderunt, quo suam civitatem ab incendio liberarent. Attamen Guillelmus etsi Massiliensis sancti Victoris abbas factus, priorem sponsam non reliquit, monachorum enim Autissiodorensium precibus & lacrymis motus, ejus regimen per epistolas continuavit. Equidem Innocentius in epistola ad Bernabovem militem Mediolanensem scripta XIV calend. April. anno pontificatus 9, id est 1362, Guillelmum appellat tantummodo S. Germani abbatem, asseritque eum in Italiam ad gravia negotia a se missum fuisse. Guillelmus hoc titulo ab eodem summo pontifice donatur aliis in pluribus epistolis quas apud Martenium lege si lubet. Ex ultima Avenione data VI non. Jul. pontific. an. 9. constat eum Innocentio adeo fuisse acceptum ut ab eo donatus fuerit facultate quælibet negotia in Italia suo arbitratu nomine sedis apostolicæ componendi. Adhuc versabatur in Italia quando per obitum Innocentii, ipse ad summi pontificatus apicem evectus est anno 1362. De die & mense inter se dissentiunt auctores, non citius tamen mense Septembri. Urbani V sibi nomine assumto, ecclesiam sanctissime gubernavit, ac monasterium S. Germani multis privilegiis exornavit & novis beneficiis plurimum ditavit. Immo thesaurum Anglis oppigneratum, quem prædones civibus Autissiodorens. illum Parisiis suam in civitatem referentibus, per vim in itinere abstulerant, redemit monachis reddendum.

Anecd. t. II, col. 907.

Ibid. coll. 909. 927. 928. 932. 1004. 1005. 1019. 1020.

Hist. Autiss. tom. II, prob. pp. 112 & 113.

XLIII. Stephanus II *de Chitry* a Rouverio dictus *de Varennes*, apud Burgundos nobili familia oriundus & cum Stephano *de Chitry* jamdicto sanguine junctus Guillelmi *Grimoard* in summum pontificem assumti anno 1362, eodem fere tempore ex Reomaensi abbate in Germaniano cœnobio factus successor; apud Reomaum ex monasterii monumentis, habuit ipse successorem Johannem *de Chamesson*. Abbatis munia apud sanctum Germanum dum gereret Stephanus ab Urbano papa V amplissima privilegia & beneficia recepit & ab ipso confirmari curavit statutum Galcheri, quo priores a monasterio pendentes jussi fuerant ut loco pitanciarum, quas certis anni festivitatibus S. Germano solvere tenebantur, quamdam pecuniæ summam quotannis solverent. Cum Johanne sancti Mariani abbate de quibusdam proventibus transegit anno 1364. Sacram suppellectilem & sacrarum reliquiarum thecas Anglis oppigneratas, summa totius urbis gratulatione recuperavit an. 1366, indicta hanc in rem omnium ordinum supplicatione quæ quotannis mense Martio recolitur. Eodem anno pactionem inter Gaucherum de Caduco, & Pontiniaci abbatem initam confir-

Digitized by Google

mavit. Aliquot homines Orgii & de Chevennis, accepto ære, in libertatem vocavit anno 1367, mense Januario. Quemdam servum liberum fecit an. 1368 in octava Omnium Sanctorum. Petro Magalaunensi episcopo, quæstori pontificio duodecim auri florenos in censum annuum, quo monasterium erga cameram apostolicam tenebatur ob (Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 305.) ingentia beneficia ab Urbano collata, numeravit an. 1375 non. Feb. Eodem anno a Johanne Bituricensi duce ob recuperatum ab Anglis Lesiniaci castrum, aureæ marcæ tributum annuum ante S. Germani tumbam solvendum recepit, atque cum (Ch. cxxx pol. 189.) Nicolao episcopo convenit de solvenda marcha argenti episcopis Autissiodorensibus in primo eorum ingressu in civitatem Autissiodorensem. Urbani summi pontificis donis adjutus basilicæ structuram promovit, & Carolum V Franciæ regem translationi corporum sanctorum Gregorii, Felicis & Moderati præsentem excepit, a quo donis quoque nonnullis auctus creditur.

XLIV. Hugo V *de Barlore* ex nobili stirpe in Burgundia natus, superioris nepos, licentiatus in decretis, occurrit anno 1381 in actis capituli generalis. Eodem anno 16 mensis Octobris reliquias S. Theobaldi confessoris exhibuit civibus Pruvinensibus, qui ad recognitionem hujusmodi beneficii suæ civitati collati, pulcherrimum vas deauratum lapidibus & gemmis pretiosis decoratum dederunt ad collocandum ejusdem sancti Theobaldi brachium; prædictique cives abbatem (Hist. Autiss. tom. II, prob. pp. 119 & seq.) & monachos S. Germani horis & suffragiis ac orationibus quæ in ecclesia de Pruvino ad honorem S. Theobaldi fierent associarunt: imo etiam voluerunt & promiserunt religiosos monasterii S. Germani quos scirent per suam civitatem transire, honorare sicut e suis unum. Hugo suum instituit anniversarium anno 1387. Johannes Vivianus & Thomas Jornellus monachi annis 1391 & 1392 nomine Hugonis summum pontificem adierunt Avenionem pro more recepto apud S. Germanum, ut abbates hujus loci singulis annis sanctam inviserent sedem vel delegatis id muneris committerent. Sunt & alia acta capitulorum generalium quæ illius meminerunt ad annos 1393, 96, 98. Corpus S. Theobaldi e cella Bellimontensi in monasterium S. Germani solenni pompa transtulit an. 1399, ac sacri corporis brachium in prædicto vase argenteo inclusit. Insequenti anno 14 Junii diplomate regio Parisiis conscripto Carolus VI sexcentas libras Francicas a Johanne Bituricensi duce patruo, Hugoni & monachis ad comparanda quædam prædia in divini cultus augmentum traditas, jure caduco exsolvit, postulante duce, quo piorum operum quæ in monasterio fiebant particeps redderetur. Cum Michaële Autissiodorensi episcopo Hugo dissidia habuit de monasterii immunitatibus quæ ad ecclesiæ suæ commodum sopivit. Paulo post eidem episcopo ad parochiam S. Salvatoris præsbyterum præsentavit, qui licet munitus literis de monasterii immunitatibus mentionem habentibus, ab episcopo nihilominus admissus est. Adhuc memoratur in instrumento anni 1402. Decessit anno 1408.

A Fornicem, plumbeamque ecclesiæ turrim ædificasse fertur.

XLV. Johannes II *de Nanton* apud Cabilonem illustri cretus sanguine, antea prior Meledrensis, præfecturam jam obtinebat an. 1409, quo juris canonici doctoralem lauream adeptus est, ut e diario civilis Autissiodorensis basilicæ codice discimus, in quo dicitur a gubernatoribus exquisiti vini modio fuisse donatus ad instruendum celebre illud convivium, quod doctoralium sumendorum causa insignium optimatibus apposQiturus erat. Is an. 1414 cardinalem S. Ceciliæ precibus evicit ut Meledrensem cellam, quæ B ipsi cesserat Germanianæ basilicæ tribueret, ea tamen lege ut ibidem certus monachorum numerus resideret, cujus conditionis defectu unio foret irrita. Quod pontificiis literis Johannes XXIII roboravit. Frequenti auditorio canonum mysteria Parisiis explicuit tanta nominis fama, ut cum Gallicanus clerus an. 1415 in sumtus oratorum qui ad concilium Constantiense profecti fuerant, singulis regni ecclesiis vectigal imposuisset, ab hoc tributo eum immunem reddiderit. Per placitum supremæ curiæ parlamenti Parif. confirmari curavit anno 1421 XVI cal. Febr. privilegium per quod monachis sancti Germani C nothorum clientelarium sine prole decedentium in bonorum possessionem venire licebat. Senonensis archiepiscopus evasit an. 1422.

XLVI. Herverius de Lugniaco Matisconensis superioris ex matre nepos, patrem habuit Jacobum de Lugniaco Gessei veteris dominum, matrem vero Johannam *de Nanton*. Jam inde ab an. 1414 S. Germani priorem extitisse civicæ domus Autissiodorensis acta publica testantur. Martini V beneficio S. Germani præfecturam accepit; facta potestate a quovis præsule catholico benedictionis obtinendæ Stephanum Trecensem episcopum delegit, qui ei consecrationis munus, D adstantibus Nicolao Cellensi & Simone S. Lupi abbatibus impertivit XIV cal. Martii an. 1423. Cujus in manibus sanctæ sedi fidelitatis sacramentum vovit Herverius. Eodem anno cum ob quædam impedimenta sui monasterii possessionem per se adire non posset, sex procuratores elegit XVI cal. Novembris, inter quos Johannem *de Courson* subpriorem, Petrum Regium sacristam, & Petrum de Nanthone thesaurarium qui suo nomine possessionem adirent. Locavit an. 1442 nemora *Darviau* Johanni equiti Cabilonensi domino *de Viteaux* & *de Lisle*. Johanni *de Saulx* S. Leodegarii priori sacris interdixit IV calend. E Octobris anni 1448, quod tres monachos ad S. Leodegarium a se missos admittere recusasset. Sancivit an. 1451 ut idem prior ad sarta tecta monasterii instauranda ducentarum librarum summam quotannis impenderet. Digiæ colonis tributorum partem dimisit. Post adversos casus æquanimiter toleratos, quievit ineunte an. 1453.

XLVII. Hugo VI *Tyard* Herverii nepos ex sorore, in Burgundia ex nobili familia hausit originem. A Nicolao V cujus in aula versabatur S. Germani infulas impetravit IX cal. Feb. an. 1453. Possessionem accepit XVII calend. Maii, fuitque inauguratus

Digitized by Google

inauguratus XIII cal. Junii ejusdem anni. A Calixto papa commissus fuit una cum abbate sanctæ Columbæ juxta Senonas, ut bona ecclesiæ cathedralis a canonicis alienata ad jus & proprietatem mensæ eorumdem canonicorum revocaret anno 1457. Servitute exemit incolas de Cussiaco 1456, Herii 1459, & Blegniaci 1478. Cum Autissiodorensis urbis civibus de fluviolo dicto *Orgelenne* litigavit annis 1457 & 1464, ac senatusconsulto impetrato in hujus dominii possessione permansit. Cum Claudio *Bruillac* Coursonii & S. Cyri domino necnon cum prædictis civibus pacta iniit 1469, ipsisque concessit an. 1480 diversa ædificia ac muros qui urbem a S. Simeonis porta ad Villæ-novæ portam occludunt, ea tamen conditione ut nova ac monasterio viciniora suis sumtibus instaurarent. Eodem anno adfuit translationi corporis sancti Cotii factæ a Johanne Autissiodorensi episcopo XIII calend. Decemb. Adstiterat superiori anno benedictioni Johannis abbatis S. Mariani. Anno 1482 exemptionum Caduci literis per SS. Stephani & Mariani canonicos a rege impetratis, iis legibus assensum præbuit, modo ut sibi pecuniæ vis penderetur, & quæ in ditione S. Germani domus & prædia possidebant, vectigalia remanerent. Eodem anno mense Octobri Antonium *du Bueil* Sacri-cæsaris comitem in capitulo clientelam pro Pontis-nascentis feudo profitentem admisit. Cum ob diuturna bella, passim diruta monasterii prædia, villasque adverteret, & finitimos proceres, dilatatis suorum latifundiorum terminis, bona sancti Germani suis innectere præsumsisse: tot injurias apud Carolum VIII conquestus an. 1487 XIII calend. Septemb. diploma regium obtinuit, quo prætoribus Senonum, Autissiodori & Villæ-novæ injungebatur ut lustratis, inspectisque diligenter monasterii ditionibus, agris suos antiquos fines restituerent. Sed ejus infirmitates, absentiaque nobilium qui tum in castris regiis militabant, obstiterunt quominus diploma suum sortiretur effectum. Tandem post regimen annorum circiter 42 senio & morbo gravatus abbatia cessit anno 1495 solo abbatis titulo contentus quem retinuit ad usque mortem quæ accidit an. 1502. Sepultus in ecclesia ante altare S. Petri. Ejus tempore, videlicet anno 1458, Guillelmus de Langis prior & magnus ejus vicarius reliquias sacelli S. Berthæ Castellioni ad Ligerim finitimi, pendentisque a sancto Germano, parocho *d'Adon* tradidit custodiendas.

Ch. CXLI. col. 210.

XLVIII. Claudius *de Charmes* in agro Divionensi nobili ortus prosapia, cum magna sapientiæ fama monasterii S. Benigni Divionensis præfecturam gereret, Hugone *Tyard* abdicante se monachorum suffragiis delectus est abbas S. Germani, ut ex Benigniano chronico his verbis enarrante discimus: « Hic autem reverendissimus pater,
» velut omnibus charus erat, ab omnibus amabatur, suosque potenter tuebatur, ita ab omnibus
» expetebatur: gregis enim dominici apud sanctum
» Germanum Autissiodorensem custos electus fuit, illiusque multis annis prudentissime curam gessit. »
Occurrit an. 1495 in instrumento de locatione dominii S. Theobaldi, ubi abbas sancti Benigni Divionensis & S. Germani commendatarius & administrator appellatur. Forte hunc titulum sibi adscripserat propter suam in Hugonem adhuc superstitem observantiam. Abbatis tamen nomine insignitus reperitur V non. Mart. an. 1497, quo interpellatus est a Nado Babutio Frigidi-fontis toparcha ut locationem quorumdam bonorum ab Hugone ejus decessore anno 1477 V non. Maii Philiberto & Johanni Balbutiis patri & patruo factam præstaret. Anno 1500 ob imminentem pestem supplicationes per urbem indictæ sunt, & monachi ferculum S. Germani circumtulerunt, uti jam fecerant pluribus ante annis. Sexdecim agri jugera apud Villam-novam sancti Salvii posita Claudius ex monachorum consensu locitavit VIII cal. Junii an. 1506. Quo quidem anno, vel sequentis initio abbatiam in Franciscum *de Beaujeu* cognatum transmisit, contentus sancti Benigni administratione. A Reomaensibus posthæc etiam abbas expetitus, assentiri renuit, imo Benignianum monasterium ejeravit. Claudii vitam & ejus res præclare gestas S. Benigni chronici auctor fusius prosecutus est.

XLIX. Franciscus I *de Beaujeu* clara stirpe editus fratres habuit Claudium toparcham Domus-fortis, Antonium hujus loci monachum, necnon Philibertum quoque monachum quem perperam Philippum appellavimus tom. IX, col. 218, S. Germani priorem, qui adversante Jacobo *Joffrin*, pro abbate S. Nicasii Remensis incassum se gessit, & postea Bethleemitanus episcopus evasit. Franciscus ex camerario S. Benigni, per cessionem Claudii cognati sui, abbatum regularium ultimus S. Germani monasterium administrandum suscepit an. 1507, illudque pluribus beneficiis exornavit. Domum abbatialem a fundamentis condidit, sacrum ærarium diversa suppellectile instruxit, jurium ac privilegiorum custos & tutor strenuissimus extitit. Ad publica Burgundiæ comitia a clero Autissiodorensi legatus est anno 1521, quæ cum quinquaginta librarum millia Francisco regi numeranda indixissent, pro se ac suo monasterio centum nonaginta erogavit. Cum monasterio S. Juliani societatem precum iniit an. 1522. Senatusconsulto impetrato anno 1525 monachos ab episcopi Autissiodorensis & ejus magistratuum jurisdictione exemit. Ejus tempore scilicet an. 1538 meliora prædia monasterio, jubente rege, dempta fuere. Quorumdam bonorum Ivanciaci positorum locationi Claudio fratri suo a conventu factæ subscripsit, ac mensæ conventuali Villaris-vinosi dominium univit an. 1539; quo quidem anno nonis Nov. vivere desiit, ut patet ex ejus epitaphio quod tumulo in medio chori posito inscriptum est. Dum præesset Franciscus, artibus theologicis apud Parisios operam navabat Petrus *Pesseliere* monachus Autissiodorensis qui ad eum diversas scripsit epistolas, quibus eum miris laudibus effert, eumque potissimum commendat a nobilitate, pietate, prudentia, charitate, patientia, doctrina & ab eloquentia singulari, quam assidua Chrisostomi lectione excolebat.

Digitized by Google

L. Ludovicus *de Lorraine* cardinalis episcopus Trecensis, tum Albiensis, postea Senonensis, Claudii Guisiæ ducis ex Antonia *de Bourbon* filius, apud Joinvillam editus fuit anno 1527 XII calend. Novemb. Francisci I regis beneficio abbatiam S. Germani primus in commendam obtinuit an. 1539, & anno sequenti post Resurrectionis solennia possessionem accepit. Quatuor diversis temporibus summos vicarios delegit, qui ejus nomine prioratus juris abbatiæ visitarent, nempe Antonium *de Beaujeu* operum monasterii curatorem 1540; Petrum *de Coiffy* sacristam & subpriorem 1541, quo anno 24 Februarii nobilis mulier de Ulmis pro sua matre Christina *Blosset*, B suoque conjuge Claudio *de Beaujeu* ibidem sepultis, assignatis proventibus, annuum funebre quotannis celebrandum instituit. Petrus *Pesseliere* monachus commentaria Claudii Taurinensis in epistolam S. Pauli ad Galatas, vitamque S. Germani ab Heirico item monacho conscriptam, a se edita Ludovico dedicavit an. 1542, qui eodem anno suum instituit vicarium Nicolaum *de Marcomville* Molismensis coenobii cantorem ut patet ex ipsius Nicolai literis editis apud N. *le Beuf*, similiter & an. 1543. Insequenti anno die 21 Maii supplicatione indicta monachi corpus S. Germani ad avertendas publicas calamitates circumtulerunt. C Ipsi una cum abbate Ludovico antiquum jus piscandi diebus quindecim continuis ante festum S. Germani, pro superiori inferiorique Retortæ alveo cum duce Nivernensi hoc anno permutarunt. Transactum est etiam anno 1545 Dec. die 5 cum canonicis ecclesiæ cathedralis de limitibus Crevanni & Iranceii. Vicarii generalis munus commissum quoque fuit ab an. 1548 ad 1567 Laurentio *Petit-fou* S. Petri Autissiod. abbati a Ludovico, qui anno 1551 cum Francisco & Lupo *de Courtenay*, ac domino *de Corquilleray* transegit de dominio summæ Casæ. A monachis exoratus an. 1556 annonariam stipem in prædia D commutavit. Germanum-Bertrandum Castilionensem in Baziensi agro priorem ad solutionem tredecim librarum, quibus ille prioratus erga id monasterium quotannis oneratur, repetito judicio coegit annis 1558 & 1562. Impetrato diplomate a rege Carolo IX anno 1567 XII cal. Febr. compulit toparcham *d'Avigneau* ad restituendas decimas, quas ille sacrilego ausu diripuerat. Eodem anno Petrus *Pesseliere* tunc prior a monachis ad regem missus est ipsum supplicaturus ut restitueretur crux aurea magni pretii, 43 smaragdis eximiis ornata, a pluribus sæculis in monasterio asservata, quæ ob metum hæreticorum canonicis E sacræ capellæ Parisiensis custodienda tradita fuerat. Audita quidem fuit ejus oratio, sed pretiosa crux retenta, ejus loco missa alia ex auro pede uno & sesqui longa gemmis aliquot & unionibus distincta multo minoris pretii, quam regis nomine conventui obtulit, simulque ampla a rege promissa, quæ irrita remansere. Ludovicus hoc ipso anno permutavit abbatiam pro episcopatu Metensi. Potitus est præter sanctum Germanum abbatiis Burgulii, Tenorchii, sancti Petri Cabilonensis, Moissiaci, Trium-fontium, & sancti Victoris Parisiensis, ubi a latere sinistro majoris altaris sepulturam nactus est anno 1578.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 212.

LI. Franciscus II *de Beaucaire* dictus *Peguillon*, dominus *de la Cresle* & *de Chommieres* apud Boios, baro S. Desiderii, commendatarius S. Sigiranni & Rigniaci, cessione Metensis episcopatus, a Ludovico *de Lorraine* S. Germani monasterium accepit anno 1567. Vix hujus loci inierat possessionem, cum civitas a Calvinistis eodem anno capta fuit, idemque monasterium S. Germani cum pluribus aliis ecclesiis ejusdem civitatis dirutum & eversum. Franciscus his commotus omnes curas in restituendum monasterium contulit. Et quidem sarta tecta ecclesiæ, minus campanile, vitrea lumina instauravit, dormitorium & domum abbatialem refecit, & tria ferme nummûm millia pro ea subsidiorum parte quæ ei obtigerat Henrico III regi numeravit anno 1575, 1576 & 1586. Studiorum amœnitate captus ad suum castellum *de la Cresle* secessit, ubi diversa composuit opera, quæ inter commendantur liber de Infantium mortuorum ortu, & Historia Francica quam a Ludovico XI ad Carolum IX eleganti stylo fide magna perduxit. Fato functus est XVI cal. Febr. anno 1591, annos 78 natus, sepultus Audæ in Borbonio.

LII. Petrus *du Lion* libellorum supplicum magister, Henrici IV nominatione Francisco suffectus est anno 1591. Sed quod rex adhuc eo tempore Calvinianam hæresim sectaretur, Gregorius XIV cardinalem Sfondratum nepotem suum abbatem designavit. Creatus eodem tempore a monachis Gilbertus Genebrardus ordinis S. Benedicti alumnus, per Dionysium Perronetum Autissiodor. ecclesiæ professorem theologum a se procuratorem constitutum possessionem adiit circa solemnitatem Paschæ. Tribus itaque de abbatia disceptantibus ac mensæ abbatialis proventus certatim prehendentibus, Petrus *du Lion* felicior ac potentior extitit: siquidem domini *d'Aumont* Franciæ marescalli & in Burgundia castrorum regiorum præfecti fultus præsidio, pinguiores monasterii ditiones occupavit, & anno 1594 reducto in regis obsequium Autissiodoro, novo a Reginaldo *de Beaune* Senonensi archiepiscopo diplomate impetrato, collati beneficii possessionem adeptus est. Exhinc quiescentibus æmulis, pacifice monasterium obtinuit, ac Guillelmum *de Regny* S. Stephani decanum vicarium constituit, qui hoc nomine anno 1598 V idus Augusti, cum monachis transegit. Petrus ipse Perigniaci prœdium Nicolao *Tribolé* causidico, accepta 1931 nummorum summa, mancipavit anno 1602; & anno 1606 S. Germani monasterium pro Rhedonensi S. Melanii abbatia permutavit.

LIII. Octavius *de Bellegarde* filius Cæsaris *de Bellegarde* Sanctonum & Pictavorum propræsidis ex vulneribus acceptis anno 1587 in prælio Curtracensi paulopost defuncti, & Johannæ *du Lion* nascitur anno 1587 mense Februario. Eum mater liberalibus studiis informandum curavit. Adolescens Tholosæ Barclaium philosophiam docentem audivit, Parisiisque quadriennium theologiæ vacavit. Ab Henrico IV Nisesii vel

Digitized by Google

Benedictionis Dei in diœcesi Convenensi abbas renuntiatus est annos 14 natus, tum regi ab eleemosynis & consilii S. Melanii apud Rhedones commenda donatus fuit, quam commutavit anno 1607 cum Petro *du Lion* pro monasterio S. Germani. Hujus vero cessionis confirmationem distulit Paulus V ad usque annum 1610, quo monasterium quasi recens vacuum Octavio contulit, qui illius adiit possessionem XI cal. Septemb. ac VIII cal. ejusdem mensis monasticam vestem in capitulo recepit a Germano *Thienot* monachorum S. Germani antiquissimo, ad quam induendam pontificio diplomate tenebatur. Cum matrimonium, ex quo susceptus fuerat, in controversiam verteretur, eo diplomate hujusce beneficii & aliorum factus est capax, inter quæ monasteria Pultariense, S. Michaëlis Tornodorensis, Vallis-lucentis & Domnatum Aubracens. impetravit. Regia nominatione Conseranensis episcopus designatus, assumti Benedictini instituti legibus, & nuncupandi voti obligatione rescripto pontificio solutus est & inauguratus an. 1614 apud S. Genovefam. Senonensem ad archiepiscopatum vocatus anno 1622 præsulatum Conseranensem dimisit. Id monasterium impenso semper studio coluit, illudque variis ædificiis exornavit, & evocatos Parisiis congregationis S. Mauri monachos illic constituit an. 1629 cal. Novemb. quo die post mysteria pontificio ritu celebrata, ea de re concionem habuit ad populum. Sub hoc abbate nempe an. 1634 facta est visitatio & recognitio reliquiarum S. Germani aliorumque sanctorum in ecclesia S. Germani sepultorum, per dominicum *Seguier* Autissiodorensem tunc episcopum petentibus priore & monachis ejusdem monasterii Benedictini ordinis congregationis S. Mauri. Fato concessit anno 1646 VII cal. Aug. Duorum miraculorum ejus tempore nempe anno 1636 ea in ecclesia patratorum acta edidit *N. le Beuf.*

Ch. CXLIX, col. 225.

Hist. Autiss. tom. II. prob. pag. 236 & seqq.

LIV. Armandus *de Bourbon* princeps *de Conty* jam a rege donatus abbatiis S. Dionysii, Cluniaci, Molismi, S. Sequani, Grandis-sylvæ, S. Leonardi de Corbiniaco, hanc etiam obtinuit anno 1646 mense Julio septemdecim annos natus. Eodem anno XI cal. Januarii bullis acceptis, per Petrum *du Broc* episcopum Autissiod. quem suum constituerat procuratorem possessionem iniit IV cal. April. anno 1647. Ea vero abbatia sicut & cæteris quas tenebat, sese exuit anno 1654 mense Februario uxorem ducturus.

LV. Julius *Mazarin* cardinalis, Franciæ minister primarius, episcopus Metensis, Armandi cessione ad singula ejus beneficia a rege designatus VI cal. Mart. anno 1654, a majori consilio rescriptum impetravit, quo sibi liceret possessionem accipere, cum ea clausula ut intra sex menses bullas obtineret ad novam possessionem accipiendam. Quæ cum a summo pontifice denegatæ fuissent aliud rescriptum priori consimile adeptus est cal. Junii anno 1656; & abbatia potitus est usque ad annum 1661 quo mortem oppetiit VII idus Martii.

LVI. Carolus-Franciscus *de Lomenie* Constantiensis episcopus, filius Henrici Augusti *de Lomenie* equitis torquati, Brennensis comitis, sanctioris consilii commentariensis, a rege renuntiatus in Nativitate Domini anno 1661, possessionem adeptus est mense Julio anno 1662. Extitit etiam commendatarius sancti Eligii Noviomensis & S. Cypriani Pictaviensis. Legitur apud *N. le Beuf* documentum in quo agitur de quibusdam sanctorum sepulcris eo in monasterio die primo Julii anni 1664 repertis.

Hist. Autiss. tom. II. prob. pag. 249 & seqq.

LVII. Henricus *de Charpin des Halles de Fougerolles* presbyter Lugdunensis, vicarius generalis archiepiscopi Viennensis, decanusque S. Petri Viennensis, Sylvæ-majoris commendatarius cessit anno 1721.

LVIII. Johannes-Michaël *de Charpin des Halles* superioris nepos in utraque commenda patruo successit V id. Januarii an. 1721. Romæ fuit confirmatus idib. Mart. 1723. De vita migravit Viennæ in delfinatu mense Decemb. anno 1735.

LIX. Johannes III *Bouhier* e patricia Burgundici senatus familia ortus, germanos habuit Johannem dominum *de Versalieux* senatus ejusdem præsidem infulatum, virum de literis benemeritum, & Guillelmum ordinis Melitensis commendatorem, nepotem Johannem dominum *de Chevigny* senatus quoque præsidem infulatum, cognatos vero famosum illum Johannem præsidem unum e 40 viris Academiæ Franciæ, ejusque fratrem Claudium alterum episcopum Divionensem. Johannes autem quo de agitur primum fuit canonicus tum præpositus sacræ capellæ Divionensis, dein ecclesiasticus parlamenti consiliarius, demum sicut & Benedictus patruus sacræ capellæ decanus evasit an. 1706 ut diximus tom. IV, col. 859, quo nomine a clero comitiorum ducatus Burgundiæ procurator generalis electus est an. 1721. Biennio post novæ jurium facultatis apud Divionem erigendæ instigator, ejusdem primus nominatus est cancellarius anno 1723. Eodem Ludovico XV placuit castrum Divionense ad civitatis dignitatem extolli, cujus primum designavit Johannem episcopum 25 Dec. 1725, huicque ad dotem attributi fructus abbatiarum S. Stephani & Besuæ 17 Jan. 1726. Confirmatus a summo pontifice Johannes 9 Apr. 1731, inauguratus est Parisiis ab archiepiscopo in sacello domestico 16 Sept. assistentibus episcopis S. Papuli & Tarbiensi. Regi fidem dixit 23 eorumdem mensis & anni, a quo donatus est commenda S. Romani de Blavia mense Octobri 1735, & paulopost S. Germani Autissiodor. Huic ad informandum novum S. Claudii episcopatum destinatus cessit anno 1738 pro prioratu de Gigniaco. Cessit & sedi Divionensi mense Sept. 1743 in gratiam Claudii cognati de quo supra & in abbatibus Fontis-Danielis postea & decessit idibus Oct. 1744 Divioni, annos natus 79, sepultusque est in ecclesia cathedrali.

LX. Franciscus III *de Crussol d'Uzès* Blesensis episcopus, dein ad Tolosanam sedem translatus 18 Aug. 1753, abbasque Caroffi, commendam

Digitized by Google

consecutus est an. 1738, obiitque an. 1758, A die 30 Aprilis, ætatis suæ 55.

LXI. Franciscus-Benignus *du Trousset d'Hericourt* in supremo senatu Parisiensi consiliarius clericus nominatus abbas a rege 15 Junii 1758, commendis quoque S. Michaëlis Tornodorensis, S. Petri Molosmensis, & S. Crispini Suessionensis utebatur, at ultimam dimisit quando abbatiam S. Germani consecutus est. Fato functus est prope Genevam quo secesserat sanitatis recuperandæ gratia die prima Augusti an. 1761, natus annos 57.

LXII. N. *d'Argenré* serenissimo duci Bituricensi a lectionibus a rege designatus abbas S. B Germani 1 Novemb. 1761.

CARITAS.

QUI de monasterio B. Mariæ de Caritate ad Ligerim posito tractaverunt recentes scriptores, primam ejus originem ad annum 700 referunt, quo a Rollando principe insignem abbatiam fundatam volunt uno ab urbe hodierna Caritate milliari dissitam in loco *Seyr* appellato extra urbem ejusdem nominis, eamque monachis ad instituta S. Basilii viventibus commissam fuisse, quam a Wandalis anno 743 penitus destructam C restauravit anno 754 Pippinus Francorum rex, deditque monachis ordinis S. Benedicti. Hi vero non longo post tempore fugere coacti sunt, destructo iterum a Wandalis cœnobio, quod postea per 300 circiter annos desertum permansit, donec ecclesiam B. Mariæ a pristino loco ad eum ubi monasterium Caritatis postmodum ædificatum fuit translatam Goffridus Autissiodorensis antistes S. Hugoni dedit. *Chart. IV, col. 102.*

Hic locus aliqua sui parte ad ecclesiam Autissiodorensem pertinebat ad usque pontificatum mox dicti Goffridi, qui eum, annuentibus Guillelmo comite Nivernensi, Bernardo *de Cailant* D vel *Chaillant* aliisque fidelibus ad quos etiam pertinebat Hugoni abbati Cluniacensi concessit, qui cellam in eo per virum mirabilis apud Deum & homines gratiæ Gerardum monachum suum, qui primus illic præpositus seu prior fuit, extruxit posuitque juxta vetus castrum quod [a] Marchia dicitur. Illius cellæ primordia ad annum 1056 referunt chronica Fiscannense & Vizeliacense apud Labbeum, tametsi Goffridi ea de re literæ datæ sint anno duntaxat 1059. *Spicileg. tom. XIII. p. 302.* *[a] les Marches.*

Cella hæc oppido non ignobili originem dedit, cui, aut secus monasterio, nomen Caritatis a caritate, quam illic cum in egenos tum in viatores E impensius exercebant monachi, inditum fuisse communis opinio est. Insignis sane præ cæteris prioratus ille est inter quinque primarios Cluniacensis ordinis princeps, nec infinitis prope & pinguibus quidem abbatiis inferior, quippe qui ducentos olim monachos alebat, cellasque non paucas sibi subditas ab initio habuit & habet etiamnum, præsertim in Gallia ubi quadraginta quinque numerantur, ad cujus etiam splendorem & ornamentum accedit, quod plures ex eo S. R. E. cardinales, episcopi abbatesque Cluniacenses prodierint. Nascentem cellam prædiis, villis, ecclesiis aliisque bonis ditaverunt plurimi tum in ecclesiastico tum in laico ordine viri commendabiles. Huic Humbaldus episcopus Autissiodorensis benemultas e laica manu extractas ecclesias concessit; huic anno 1080 Goffridus Joigniacensis comes, præsente Roberto Autissiodorensi antistite dedit ecclesias B. Mariæ de Joigniaco & sancti Johannis, necnon capellas S. Martini & S. Theobaldi. Sic lapsu temporis dona contulere plures alii, quorum aliqua passim occurret mentio ubi de prioribus. Ecclesiam ejusdem cellæ in celeberrimo archiepiscoporum, episcoporum & monastici ordinis conventu solemni pompa coram nobilioribus regni proceribus dedicavit Paschalis II sum. pont. an. 1107. Innocentius II anno 1132 bulla Petro abbati Cluniacensi data confirmat hunc prioratum, decernitque ut talis semper futuris temporibus remaneat expressius interdicens ut nulli omnino hominum liceat abbatem in eo statuere, sed fratres ibidem domino famulantes Cluniacensis abbatis & proprii prioris contenti sint regimine. Florentissimum perstat etiamnum sub reformata Cluniacensi congregatione illud monasterium, quod rexisse reperiuntur sequentes priores, quorum seriem edidit *Guichenon* anno 1642, sed valde imperfectam. Alteram domnus Henricus *de Beuvron* ad fidem instrumentorum descripsit sed & hæc mendis non caret. *Bibl. Clun. col. 1717 & seqq.*

PRIORUM CATALOGUS.

I. Gerardus in pago Nivernensi natus, Cluniacensis monachus vir apud Deum & homines gratiæ mirabilis, ab Hugone Cluniacensi primus Caritatis prior anno 1056 institutus est ex chronico Fiscamnensi. Erga egenos munificus fuit eximiæque in omnes caritatis, qui cum non minus quam centum fratres quotidie in monasterio alendos haberet, quosvis tamen illac, quæ via publica est, transeuntes hospitio excipiebat, quod ut faceret pauperibusque posset subvenire, tria vel etiam quatuor millia solidorum mutuari non dubitavit. Eo sedente plures cellæ fundatæ fuerunt ejusque monasterio subjectæ, inter alias Radoliensis in diœcesi Meldensi, S. Fidis de Longavilla in Rothomagensi, S. Juliani de Sezanna in Trecensi, sancti Andreæ *de Northampton*, Venelocense & Bremondesiense in Anglia. In charta fundationis S. Juliani de Sezanna anno 1085 confirmata Gerardus dicitur prior & fundator S. Mariæ de Caritate. Hujus regimen annos amplius triginta tenuit ex lib. de miraculis S. Nicolai episcopi adeoque ejus obitus recte collocatur an. 1087 in chronico Vizeliacensi. Tempore Roberti *de Lenoncour* commendatarii, cum ecclesia anno 1559 conflagrasset chorusque postea restauraretur Gerardi corpus in plumbeo sarcophago inventum est prope majus altare cum hac inscriptione: *Hic jacent ossa beati Gerardi primi prioris hujus monasterii.* Sed everso postea a Calvinistis monasterio, ejus ossa deinceps non apparuerunt. *Ann. Bened. tom. V, pag. 230.*

II. Wilencus a S. Hugone Gerardo subrogatus est. Ipsi Hugo de Luriaco, postea Marchiæ dominus, Jerosolymam profecturus dedit terram de

Digitized by Google

Charliaco anno 1088, & Archembaldus de Lameniaco ecclesiam cognominem cum oblationibus, baptisterio, sepulturis, cœmeterio & decimis anno 1089. Robertus Nivernensis comes & episcopus Autissiodorensis omnes donationes monasterio factas ex rebus suæ ditionis an. 1094 confirmavit, Wilenco priore a quo unum equum optimum accepit. Prioris hujus vel successoris tempore Paschalis II ecclesiam de Caritate solemni pompa consecravit an. 1107. Hujus consecrationis meminit Sugerius, qui ipsi interfuit nondum abbas S. Dionysii. Eodem anno Wilencus ad meliorem vitam transiisse dicitur.

Ann. Bened. tom. V, pag. 231.

III. Odo I Arpini vicecomes Bituricensis ac dominus Montisfalconis, regi Philippo I an. 1095 suum vicecomitatum vendidit. Anno 1097 cruce signatus una cum pluribus aliis Jerosolymam proficiscitur. Reversus fit monachus apud Caritatem ibidemque defuncto Wilenco a S. Hugone Cluniacensi an. 1107 prior instituitur. Eodem anno Odoni multa concessit Adam Meschinus. Anno 1111 donum insigne fecit monasterio Bartholomæus *de Muro*, præsente Odone cum monachis suis Henrico filio comitis Stephani & Roberto filio Bartholomæi, &c. Adsuit anno 1114 consecrationi ecclesiæ S. Juliani de Sezanna. Præfuit Odo annum ultra 1121.

IV. Ymarus ex priore S. Arnulfi Crispeiensis anno saltem 1130 prior erat cum Petrus abbas Cluniaci Johanni Comneno imperatori Constantinopolitano scripsit ad recuperandum monasterium *Civitot* juxta urbem regiam situm, quod pater ejus Alexius monasterio Caritatis dederat & in perpetuum abbatis Cluniacensis & prioris de Caritate obedientiæ subjecerat, quodque aut recedentibus, aut mortuis, aut expulsis Cluniacensibus alieni monachi invaserant & per triennium abstulerant. Factus est postea Ymarus Novi-Monasterii apud Pictavos abbas ut diximus tom. II col. 1267, ac demum cardinalis.

V. Oldricus Ymari in locum substitutus est ex Mabillonio.

VI. Petrus I *de Paule* a quo Willelmus Nivernorum comes Caritatem veniens anno 1143 enixe postulavit omnium piorum operum quæ fierent a monachis se participem fieri, multaque proinde monasterio concessit. Eodem, ut volunt, anno Ludovicus VII suum patrisque anniversarium ibidem instituit, pretiumque assignavit frumenti modios aliquot apud Bituricas annuatim solvendos. Is est forte B. male lectus in monastico Anglicano, qui T. (Theobaldo) archiepiscopo Cantuariensi literas dedit, quibus ipsi notum faciebat quod Clarembaldum priorem de Bermundeseia & 12 monachos ejusdem monasterii, Stephano Angliæ rege & uxore ejus Mathilde pio expetentibus desiderio, ab omni obedientia & subjectione quam sibi & ecclesiæ de Caritate, necnon abbati Petro & ecclesiæ Cluniacensi debuerant, absolvit ex parte tam prædicti abbatis quam sua, eosque regi ac reginæ ad construendam abbatiam suam Staurefyam emancipatos omni libertate donavit. Legitur apud Martenium ampliss. collect. tom. I, col. 767 & seqq. Epistola quam H. canonicus regularis

Ch. XXII, col. 114.

Monast. Angl. tom. II, pag. 689.

A anno circiter 1140 ad priorem Caritatis exulcerato animo scripsit, ex eo quod prædictus prior ad Caritatem admisisset canonicum regularem S. Johannis Senonensis.

VII. Guillelmus I *sive* Guido ab an. 1143 ad 1150 præfuisse dicitur. Idem forte est qui una cum monachis Caritatis ad Sugerium sancti Dionysii abbatem epistolam scripsit, ejus auxilium adversus episcopum Autissiodorensem sese molestantem imploraturus.

Thesaur. Anec. tom. I, coll. 420 & 421.

VIII. Theotardus ex priore de Leuriaco Caritati præficitur anno 1150 a Petro Cluniacensi. Hoc ut levaretur onere variis litteris a Petro
B efflagitavit, qui nonnullas quoque ad eum rescripsit.

Biblioth. Clun. lib. I epistolarum Petri venerabilis epist. 14 & 30, & lib. 2 epist. 5, 6, & 7.

IX. Rainaldus præerat an. 1154, quo adsuit compositioni monachos de Caritate inter & canonicos Castri Rainaldi factæ in præsentia Hugonis archiepiscopi Senonensis, &c. Rainaldo sedente Alanus Autissiodorensis antistes monasterio confirmavit omnes ecclesias quas in sua diœcesi possidebat. Ejusdem etiam prioris tempore data dicitur ab Adriano IV bulla protectionis & confirmationis omnium ejusdem cœnobii bonorum ac privilegiorum. Regebat adhuc Rainaldus an. 1161.

X. Humbaldus an. 1162.

C XI. Rodulphus *de Sully* ex antiqua & nobili cognominis familia, nepos Henrici Vintoniensis in Anglia episcopi, Humbaldo successit anno 1164. Ipso sedente Guillelmus Nivernensis comes mille solidos annui reditus pro salute patris & antecessorum suorum anno 1166 monasterio contulit. Ad abbatiam Cluniacensem anno 1173 assumtus Rodulphus tertio anno post huic dignitati sponte renuntiat & ad Caritatem revertitur, ubi defunctus anno 1176 21 Septemb. sepulturam in ecclesia nactus est.

XII. Gaufridus I in locum Rodulfi an. 1173 substitutus recepit anno sequenti Caritatis feodum
D a Guidone Nivernensi comite coram Guillelmo archiepiscopo Senonensi, Bernardo Nivernensi & Guillelmo Autissiodorensi episcopis.

XIII. Rodulphus ad Caritatem redux factus iterum prior anno 1176 confirmavit compositionem factam inter monachos de Joviniaco & *des Escharleis*. Et certe Robertus de Monte in chronico ad annum 1177: *ille exabbas*, inquit, *factus est iterum prior Caritatis*. De eo tom. IV, pag. 1141 & 1142.

XIV. Odo II sedisse dicitur an. 1177 quo Drogo de Merloto & Guillelmus de Garlandia decem libras annui reditus monasterio Caritatis
E dederunt. Præerat adhuc anno 1179, cum Guillelmus abbas Cluniacensis apud Caritatem diem clausit extremum. Prioris ejusdem anno VI Theodericus de Monte Falcone apud Vizeliacum ægrotans bona quædam monasterio contulit.

XV. Guido I de Caritate præfuisse dicitur ab anno 1182 ad 1192, quo Johannes episcopus Nivernensis confirmavit venditionem factam cœnobio Caritatis. Eodem anno abdicata præfectura, eleemosynarii suscepit officium ut gereret pauperum curam, unde eleemosynarii nomen ipsi inditum.

Digitized by Google

XVI. Savaricus anno 1192 Guidoni subrogatus, confirmavit an. 1194 pactiones factas ab antecessoribus suis Humbaldo & Rodulpho cum Gilone de Soliaco.

XVII. Guillelmus II primum prior de Sesanna deinde simul de Caritate centum libras an. 1198 ab Artaudo de Nogento ea lege recepit ut singulis diebus in perpetuum una missa pro seipso, uxore, filiisque suis celebraretur. Eo sedente Sado de Patingiis miles mense Martio 1199 dedit ecclesiæ de Caritate quidquid habebat in censibus, consuetudinibus, terris, &c. seseque prioris hominem ligium fecit; quin & anno sequenti Jerosolymam profecturus alia plurima eidem monasterio dedit. Plurima & ipse Guillelmus acquisivit, qui, sive quod inde æs alienum contraxerat, sive quia utrumque prioratum retinebat a monachis fuit destitutus; qua de re veniam ab abbate Cluniacensi postularunt.

XVIII. Gaufridus II consensit anno 1209 IV cal. Martii ut Guillelmus Autissiod. episcopus tres ecclesias parochiales apud Caritatem constitueret, modo monachi id juris haberent in tribus quod in una antea habebant. De assensu prioris de Sezanna vendidit anno 1210 comitissæ Campaniæ omnes tam viros quam mulieres quos prioratus de Sezanna habebat in castro de Sezanna. Monasterii res male gerens ab abbate Cluniacensi arguitur, rebellisque sententia excommunicationis percellitur, quam confirmarunt primo capitulum generale, deinde designati ab Innocentio III judices, tandem ipsemet summus pont. anno pontificatus sui XV cujus auctoritate coactus fuit loco cedere.

Ch. LXX, col. 150.

Tomus II, epist. Innocentii III, edit. Baluz. l. 15 epist. 144. p. 665, & epist. 193. p. 697.

XIX. Guillelmus III ex priore, ut volunt, Cluniacensi Gaufrido substituitur an. 1212, sed propter ejus rebellionem possessionem ante annum 1214 adeptus non est.

XX. Hugo *de Bourbon* ex subpriore Caritatis prior de Sezanna dicitur anno 1216, Caritatis simul & Sezannæ prior in charta Hervei Trecensis episcopi de collatione parœciæ de Sezanna.

XXI. Elias *de Lopsem* Romam missus ab abbate Cluniacensi ejus causam adversus rebellem Gaufridum defensurus, ab eodem abbate Caritatis prior instituitur. Memoratur an. 1217 in charta conventionis Cluniacenses inter & Angeliacenses monachos. Duobus tantum annis præfuit.

Bibliotheq. Cluniac. pag. 1497.

XXII. B. Memoratur anno 1220 in charta compositionis inter abbatem & canonicos sancti Johannis Senonensis, & priorem ac monachos Caritatis pro prioratu sancti Nicolai de Castro-Rainaldi.

XXIII. Stephanus ex priore Radolii Caritati præficitur circa annum 1224 quo plurima recepit a Mathilde comitissa; quæ Henricus antistes anno sequenti rata habuit. Anno 1230 interfuit dedicationi ecclesiæ Radoliensis. Memoratur anno sequenti in charta transactionis inter Theobaldum Campaniæ comitem & monachos de Sezanna.

Charta LXXXIII, col. 157.

XXIV. Landericus an. 1235 quædam a Petro *de Mornaix* acquisivit.

XXV. Theobaldus ex priore Radolii prior Caritatis an. 1237, suum anniversarium instituit an. 1238 quo plurima comparavit.

XXVI. Guillelmus IV *de Pontoise* ex monacho Flaviacensi prior S. Martini de Campis, tum Caritatis, suum anno 1244 instituit anniversarium quod factus abbas Cluniacensis confirmavit anno 1245.

XXVII. Johannes I, annuente Guillelmo *de Pontoise* abbate Cluniacensi, prior Caritatis eligitur a conventu. Sapienter administravit comitique Nivernensi vassallos monasterii injuste vexanti viriliter restitit. Composuit an. 1249 cum Odone de Bello-joco pro justitia ac juribus de Monesto, & an. 1255 quædam commutat cum Henrico de Soliaco. Denique fato functus anno 1262 apud S. Martinum de Campis, ibidem sepultus est in choro, ut legitur in veteri martyrologio MS. ejusdem monasterii.

XXVIII. Milo *de Vergy* ex priore S. Martini de Campis Johanni successit anno 1262. Fratres habuit Yvonem Cluniaci abbatem, & Hugonem suum in sede Campensi immediatum successorem. Anno 1266 cum decano & capitulo Nivernensi transigit pro nemore de Bertrangia. Eum inter & episcopum Autissiodorensem motam controversiam sedarunt anno 1271 Senonensis archiepiscopus & Cluniacensis abbas. Anno 1273 suum instituit anniversarium. Insequenti naturæ debitum solvit XVI cal. Aprilis, ut fert vetus martyrologium M. S. Campense. Vide tom. VII, col. 529.

Ch. CIX, col. 173.

XXIX. Simon *d'Armentières* camerarius Cluniacensis ex priore, ut nonnulli putant, Coinciaci Caritatis prior electus est die Mercurii ante dominicam palmarum an. 1274 more Gallicano. Insequenti suum anniversarium instituit, & an. 1292 quædam quæ acquisierat dedit monasterio. A Cœlestino V cardinalis tituli S. Balbinæ creatus est X cal. Octob. an. 1294, quo mutuam precum iniere societatem feria 2 post Ascensionem Domini Anselmus abbas & conventus de Orbaco cum priore ac conventu de Caritate. Simon vita cessit Romæ an. 1296, sepultusque est in ecclesia SS. Martini & Silvestri cum epitaphio.

XXX. Bertrandus de Colomberiis nobili editus prosapia antea monachus S. Sequani deinde prior de Nogento, abdicante Simone Cardinali, Caritatis prior instituitur ab abbate Cluniacensi. Ipsum vero, quod non a se ipsis Caritatenses, sed ab abbate fuerat promotus, priorem agnoscere detrectarunt. At prudentia animique mansuetudine compescuit illos motus, possessionemque adeptus est an. 1294, quo exeunte mense videlicet Februario, Philippus rex omnia bona monasterii confirmavit. Anno sequenti die 20 Octobris in abbatem Cluniacensem assumtus cum Caritatensibus de eorum prioris electione sic transegit ut ex tribus a conventu Cluniacensi electis unus ab abbate confirmaretur.

XXXI. Petrus II de Bello-joco ex suppriore Caritatis prior instituitur an. 1296. An. 1314 VII cal. Januarii visitavit monasterium Figiacense cum Henrico abbate Cluniacensi. Eum inter & Bertrandum ac postea Raimundum Cluniacenses abbates nata sunt quædam, sed postmodum composita an. 1322 dissidia tum de supprioris Caritatensis nominatione tum de visitationis

Digitized by Google

privilegio in Caritatis appendicibus. Fundavit anniversarium suum 13 Aprilis 1330. Festum S. Johannis-Baptistæ solemnius instituit. Bona monasterii abalienata ut recuperaret vi brevis Johannis XXII allaboravit. Denique vitæ cursum consummavit apud Caritatem ubi jacet.

XXXII. Johannes II *de Mazières* ex priore Cluniacensi a nobis omisso Caritatis prior possessionem iniit per procuratorem 4 Martii 1333. Obiit anno 1335 apud Cluniacum ibidemque in claustro conditus fuit.

XXXIII. Guillelmus V *de Poitiers* ex Valentinensium comitum gente, frater Henrici Trecensis episcopi & Othonis sui apud Caritatem successoris, ex Cluniacensi monacho prior Caritatis electus est an. 1336, a conventu Cluniacensi & ab abbate confirmatus. De eo sic habet testamentum Aymari patris sui die 22 Aug. an. 1339: *Item religioso viro filio suo monacho Cluniacensi priorique de Caritate relinquit jure institutionis & ejus monasterio centum libras Turonenses reddituales ad vitam suam tantum, quem & dicti testamenti cum aliis nonnullis constituit executorem.* Dum præerat prioratum de Bichiis camerariæ sui monasterii adunavit. Anno 1346 juxta præsentem computandi modum factus est Lingonensis episcopus. Vide tomum IV. col. 623.

XXXIV. Otho *de Poitiers* ex præcedentis fratris sui abdicatione prior, anno 1342, approbante Clemente VI summo pont. nonnulla pro bono regimine statuta edidit. Abbas erat S. Petri Catalaunensis an. 1350, quo præsul Virdunensis creatus sequenti cessit prioratum. Verum abdicata etiam in favorem Hugonis *de Bar* episcopali dignitate ad Caritatem rediit, ibique fato extinctus est an. 1352. Sybilla de Baucio mater ejus anniversarium pro ipso instituit in ecclesia Caritatis.

XXXV. Petrus III de Podio-itherii ex cessione præcedentis possessionem iniit 12 Junii 1350. Johannes rex huic & monachis sigillum & omnimodam justitiam in villa Caritatis confirmavit 6 Martii 1361 nunc 1362. Captam ab Anglis civitatem redemit viginti quinque millibus francorum ad hoc mutuatis, redemptam muris & turribus munivit an. 1364 quo, permutatione facta cum sequenti, fit Boniaci prior.

XXXVI. Bernardus de Podio-cendrati ex priore Boniaci vi permutationis Caritatis prior possessionem adiit 6 Julii an. 1364. Insequenti veniam a rege obtinuit pro civibus Caritatis & aliis qui Anglis faverant, monasterium munimentis cinxit dissipataque prædia recuperavit. Pro anniversarii sui fundatione stagnum dedit monasterio 18 Augusti 1379. Fundationem a Philippo *de Moulins* episcopo Noviomensi factam 2 Maii 1394 approbavit, eodemque anno transiit ad alteram vitam.

XXXVII. Valentinus *du Puy* ex priore Radolii prior Caritatis anno 1394, regularem observantiam pro posse restituit, collapsa restauravit ædificia alienataque bona retraxit. Mense Augusto 1408 Raimundus abbas Cluniacensis Valentinum & Johannem priorem S. Martini de Campis nominavit procuratores suos ad nationale con-

A cilium Parisiis indictum pro schismatis extinctione; ipse vero ad concilium Constantiense procuratores suos nominat Bertrandum S. Flori episcopum & Robertum priorem Celsiniarum anno 1410. Nonnulla pro regulari disciplina statuta edidit Valentinus 10 Julii 1416. Vicarius erat generalis Roberti Cluniacensis in spiritualibus & temporalibus in provincia Franciæ una cum priore de Volta anno 1417, ut patet ex literis ejusdem abbatis ad utrumque priorem datis Constantiæ ad Rhenum 25 Julii ejusdem anni; tandem humana reliquit Valentinus an. 1420.

XXXVIII. Guillelmus VI de Bosco-vario
B nobili in Foresio stemmate editus, sacrista & subcamerarius Cluniacensis, nominatus est ab abbate Cluniaci an. 1421 Caritatis prior. Eodem anno, permutatione facta cum sequenti, prior S. Martini de Campis factus est.

XXXIX. Guido II *de Nourris* vel *de Norris* monachus Cluniacensis, in jure canonico licentiatus, vi permutationis ex priore sancti Martini factus Caritatis prior, confirmatur 1 Aug. 1421 a Roberto abbate Cluniacensi precibus ducissæ de Borbonio & Valentini, quæ morti proxima Guidonem commendaverat.

XL. Johannes III *de Vinnelles*, doctor theo-
C logus, rector collegii Parisiensis, primum prior de Ynimonte, deinde simul de Ancra, postea de Celsiniis, tum major prior Cluniaci quam dignitatem pro prioratu Caritatis permutavit 5 Octob. 1421. Missus est a Roberto Cluniacensi 3 Apr. 1423 ad concilium generale Constantiense. Occurrit in chartis Divionensibus anno 1425. Insequenti propter continuos bellorum tumultus cessit Joigniaci prioratu contentus, ac demum abbas S. Claudii Jurensis creatus est.

XLI. Theobaldus *Duèt* jam memoratus anno 1433 in chartis Divionensibus, suum an. 1439 anniversarium instituisse dicitur; attamen

D XLII. Johannes IV *Quinart* memoratur prior Caritatis in regestis urbis Divionensis an. 1334, forte Theobaldi emulus. Petrarcha *du Blé* de quo jam diximus tom. IV, col. 960 & 1169, prior Caritatis extitisse fertur in catalogo priorum sancti Marcelli Cabilonensis apud Cl. *Perry* ad calcem Historiæ Cabilonensis.

XLIII. Johannes V *Chambellan* Bituricensis laudatus in eisdem regestis anno 1444, præfuisse dicitur ab an. 1439 ad annum 1470, quo in monasterio suo obiit.

XLIV. Philibertus *de Maraffin* toparchæ *de Guerchy* & *de Vieil-Moulin* filius, abbas Mille-
E becci Bituricensis, prior Caritatis efficitur anno 1470, & e vivis ereptus est an. 1486.

XLV. Carolus *de Bourbon* cardinalis tituli S. Martini in montibus, duobus duntaxat annis monasterium administravit, defunctus 17 Sept. 1488. Fuit episcopus Claromontensis & archiepiscopus Lugdun. ubi vide.

XLVI. Antonius de Rupe decretorum doctor, major Cluniaci prior, a Jacobo *d'Amboise* Cluniaci abbate cardinali creatur prior titularis de Caritate anno 1488. Literas protectionis a rege Carolo VIII adversus comitem Nivernensem obtinuit

Digitized by Google

anno 1491. Anno 1494 contulit abbatiam S. A Salvatoris *de Barmondizai* in Anglia a Caritate dependentem. Collegium S. Hieronymi apud Dolam, miræ pulchritudinis ædificium, a fundamentis extruxit an. 1503. Vide t. IV, col. 1170.

XLVII. Johannes VI *de la Magdelaine de Ragny*, doctor utriusque juris, prior Caritatis an. 1504 renuntiatus est. Mortuo Goffrido *d'Amboise* abbati Cluniacensi subrogatus est anno 1518; at pro bono pacis cessit sequenti, ut diximus tom. IV, col. 1160. Devixit apud Caritatem 17 April. 1537. Fuerat etiam abbas S. Rigaldi, prior major Cluniaci, Cariloci, &c. Is sub vitæ finem Johanni *du Blé de Cournatin* filio natu B majori Hugonis *du Blé* ex Anna *de la Magdelaine*, jam a nobis tom. IV, col. 960 memorato resignaverat qui morte correptus est antequam bullæ Roma advenissent; quocirca Johannes a Lotharingia abbas Cluniaci Jacobum *le Roy* abbatem sancti Florentii Salmuriensis & decanum de Gaya priorem Caritatis nominavit, qui mox cedens sequenti archiepiscopatu Bituricensi remuneratus fuit.

XLVIII. Robertus *de Lenoncour* cardinalis episcopus Catalaunensis, tum Metensis, deinde Arelatensis, demum Ebredunensis, per cessionem Jacobi primus fit commendatarius anno 1538. C Obtinuit etiam abbatias Barbelli, sancti Martialis Lemovicensis, Villæ-longæ, S. Remigii Remens. Mosomi. Monachorum numerum sexagenarium dimidio minuit. Ejus tempore ecclesia totumque monasterium 31 Julii 1559 conflagrarunt. Abdicavit in gratiam sequentis sui ex fratre nepotis anno 1561, quo decessit in suo prioratu Caritatis pridie non. Februarii, corpus ejus in medio chori sepultum effossum est anno 1569 & in Ligerim projectum ab hæreticis urbem tunc occupantibus.

XLIX. Philippus *de Lenoncour* cardinalis Catalaunensis, dein Autissiodorensis antistes, abbas Sparnaci, Reomai, Dervi, Resbaci, Ungiaci, D Barbelli & Mosomi, atque monasterii in Argona, per cessionem patrui commendam obtinuit an. 1561, cujus possessionem apprehendit an. 1564. Ejus tempore anno 1569 omne crudelitatis genus cum in urbem tum in monasterium exercuerunt hæretici, quibus expulsis, Philippus ecclesiam, dormitorium aliaque loca regularia reparavit, & monachorum numerum reduxit ad 18. Creatus est postea cardinalis anno 1586, extremumque diem clausit Romæ anno 1591. Eo defuncto Claudius *de Guise* abbas Cluniaci Benedictum *Jacquet* monachum Caritatis virum ignobilem quo ad beneficia commendis subjicienda utebatur E priorem instituit qui in favorem sequentis statim abdicavit.

L. Ludovicus *de Cleves* filius nothus Francisci *de Cleves* abbatis Ulterioris-portus ex Antonia *du Bouchet*, canonicus regularis ordinis S. Augustini, dictus est prior per cessionem Benedicti *Jacquet* a Clemente VIII bulla data mense Augusto 1595, ea conditione ut infra annum monasticen profiteretur, quod præstitit anno dumtaxat 1598, emissis votis in manibus Claudii *Renou* supprioris Caritatis. In capitulo generali Cluniacensi anni 1600 definitorem egit. Anno 1602 Recollectorum in urbe Caritatensi conventum instituit. Consecratus est episcopus Bethleemitanus a Petro *de Gondi* episcopo Parisiensi anno 1606, quo cessit commenda in gratiam sequentis sui ex fratre nepotis. Fuit quoque abbas Boni-radii & Omnium-Sanctorum Catalaunensium. Efflavit animam apud Boniacum 22 Martii 1609 indeque ad Caritatem translatus in medio chori sepulturæ traditus est.

LI. Johannes VII *de Cleves* Ludovici ex fratre nepos, canonicus regularis ordinis sancti Augustini & abbas Omnium-Sanctorum Catalaunensium necnon Boniradii ex cessione patrui commendam obtinuit an. 1606 a Pio V summo pontifice. Quinque B. Mariæ festa & anniversarium suum instituit solemniter celebranda. Obiit 9 Octobris 1619 apud Caritatem ubi in medio chori requiescit prope patruum.

LII. Carolus *de Gonzague de Cleves* Caroli ducis Nivernensis & Rhetellensis filius per obitum Johannis commendam habuit autoritate pontificia, confirmatusque est 9 Martii 1622 edicto privati consilii regis adversus competitores suos Johannem *Michel* a cardinale *de Guise* abbate Cluniaci, & Johannem *Emery* a vicario cardinalis nominatos eoque discordia ipsum inter & cardinalem mota adducta fuerat ut, nisi rex obstitisset, ad singulare certamen venissent. In possessionem autem ab Eustachio *du Lys* episcopo Nivernensi deductus est Carolus, qui fuit quoque abbas Omnium-Sanctorum. Factus hæres anno 1625 ducatus Nivernensis valedixit clero & sequenti cessit. Interim a Francisco *de Broc* domino *du Nozet* & Amata *de Thebaut* ejus uxore institutus est apud Caritatem in domo sua a S. Reveriano nuncupata ordinis S. Benedicti parthenon ad normam Parisiensis abbatiæ Vallis-gratiæ. Illius ecclesiam solemniter benedixit Johannes *Passelaigue* prior claustralis Caritatis & officialis episcopi Autissiod. 9 Dec. 1624 in honorem B. Mariæ de Pietate & S. Benedicti, unde parthenon dictus Mons-Pietatis. Hujus prima priorissa Margarita *d'Arbouze* ex abbatissa Vallis-gratiæ, quæ paulopost factam fundationem cessit e vivis.

LIII. Johannes VIII *de Passelaigue* monachus Caritatensis ex suppriore factus prior per cessionem Caroli, in possessionem venit 19 Jul. 1625. Fuit & abbas de Hambeia Constantiensis diœcesis, prior S. Victoris Nivernensis ac tandem Bellicensis antistes. Post quatuor præfecturæ annos, cum frustra tentasset monasterium reformare, in gratiam sequentis abdicavit.

LIV. Alfonsus-Ludovicus *du Plessis de Richelieu* cardinalis, Lugdunensis archipræsul, ex cessione Johannis possessionem adeptus est 22 Julii 1629. Ad strictiorem regulæ observantiam monasterium an. 1631 revocavit. Post 17 possessionis annos edicto magni consilii sequenti coactus est cedere. Memoratur etiam ad hæc circiter tempora prior Caritatis ad Ligerim Carolus-Ludovicus *de Lorraine* cardinalis a Guisia filius naturalis, cui certum non possumus assignare locum ob ingentes & frequentiores ea tempestate dissensiones.

LV.

Digitized by Google

LV. Petrus IV *Payen des Landes* senator Parisiensis, an. 1646 decreto magni consilii commendam obtinuit. Cessione facta sequenti humana exuit 15 Januarii 1664 apud Caritatem ubi humatus fuit. Tenuit etiam commendam montis S. Martini Cameracensis.

LVI. Johannes IX *al.* Jacobus *Martineau* consiliarius in parlamento Parisiensi ex cessione praecedentis avunculi sui commendam obtinuit, ejusque possessionem adeptus est mense Decembri 1663. Sex elapsis mensibus in favorem sequentis abdicavit, qui vicissim ei transcripsit abbatiam de Virtuto & prioratum S. Vivantii. Obiit Parisiis IX cal. Febr. 1681, abbas etiam Valloriarum.

LVII. Nicolaus *Colbert* episcopus Lucionensis postea Autissiodorensis, ex praecedentis abdicatione commendatarius possessionem adiit anno 1664. Post sex menses cessit sequenti suo ex fratre nepoti. Fuit etiam abbas de Virtuto.

LVIII. Jacobus-Nicolaus *Colbert* Johannis-Baptistae *Colbert* regni administri filius patruum excepit an. 1665. Archiepiscopi Rotomagensis nominatus fuit coadjutor, inauguratusque est in archiepiscopum & primatem Carthaginensem 4 Aug. 1680. Obiit Parisiis 10 Dec. 1707, de monasterio & civitate bene meritus.

LIX. Fredericus-Constantinus *de la Tour d'Auvergne* canonicus Argentoratensis, commenda donatus est a patruo suo cardinale Bullonio, ejusque possessionem iniit anno 1707 per procuratorem Gilbertum *Concion* priorem claustralem Caritatis, abbatiamque S. Orientii Ausciensis dimisit & ecclesiae Leodiensis electus est praepositus.

LX. Fredericus-Hyeronimus *de Roye de la Rochefoucauld* prior Caritatis ad Ligerim, coadjutor Cluniacensis eligitur anno 1738 die 29 Septembris, tum ipse abbas Cluniaci post obitum Henrici-Oswaldi cardinalis *de la Tour d'Auvergne* S. R. E. cardinalis anno 1747. Caetera quae ad eum spectant vide tom. XI inter addenda & corrigenda coll. 948, 949.

LXI. Dominicus *de la Rochefoucauld* vicarius generalis archiepiscopi Bituricensis, ab eodem facto generali Cluniacensium abbate donatur commenda Caritatis, & in coadjutorem abbatiae Cluniacensis, ad modum praecedentis eligitur. Anno 1747 die 30 Aprilis a rege nominatus est archiepiscopus Albiensis, inunctus 29 Julii in sacello seminarii sancti Sulpitii ab episcopo Mimatensi, suffragantibus episcopis Ruthenensi & Carnotensi, regi fidem obstrinxit die 12 Julii ejusdem anni 1747. Tandemque ex Albiensi ad Rotomagensem ecclesiam translatus fuit a rege 5 Aprilis an. 1759. Factus vero abbas Cluniaci post obitum cardinalis *de la Rochefoucauld* anno 1757 die 29 Aprilis pro jure sibi acquisito prioratum Caritatis sequenti contulit.

LXII. Franciscus-Joachimus *de Pierre-Bernis* natus 22 Maii 1715, canonicus & comes Brivatensis anno 1738, in Francicam academiam admissus 29 Decemb. 1744, canonicus & comes Lugdunensis anno 1750, designatus orator regius apud Venetos mense Novemb. 1751, abbas S. Arnulphi Metensis mense Junio 1755, legatus praeter ordinem missus in Hispaniam mense Septembri ejusdem anni, regi a sanctioribus & ordinariis consiliis mense Junio 1756, abbas sancti Medardi Suessionensis mense Augusto, legatus extraordinarius ad Viennam Austriae a rege designatus mense Septembri ejusdem anni, in sanctius augustiusque consilium more caeterorum regni administrorum intromissus mense Januario 1757, rerumque extranearum administrator a rege creatus mense Junio, commendam Caritatis eodem anno adeptus ex collatione abbatis Cluniacensis, regii ordinis S. Spiritus commendator appellatus 2 Februarii 1758, & admissus 14 Maii ejusdem anni, donatus a rege abbatia Triumfontium mense Martio ejusdem anni, dimissa prius S. Arnulphi commenda, ad dignitatem cardinalis diaconi promotus mense Septembri, ab regni administratione cessit mense Novembri 1758; ad Albiensem archiepiscopatum nominatus a rege 29 aut 30 Maii 1764, magno cum apparatu consecratus fuit in ecclesia cathedrali Senonensi die 5 Augusti ejusdem anni ab eminentissimo cardinali archiepiscopo Senonensi Paulo-Alberto *de Luynes*, cui suffragabantur episcopi Autissiodorensis & Biterrensis, dieque 9 ejusdem mensis & anni juramentum fidei regi dixit in sacello castri Compendiensis.

S. JULIANUS.

Quondam in urbe, modo in suburbio conditum S. Juliani monasterium, si traditioni fidem adhibeamus, primum auctorem agnoscit S. Peregrinum primum Autissiodorensem episcopum, qui intra hujusce civitatis moenia domum extruxit, quae sibi suisque clericis foret recessus. Re quidem vera duorum ex his discipulis, SS. scilicet Marsi presbyteri & Corcodomi diaconi pars reliquiarum jam inde ad nostra usque tempora eo loci religiosissime asservata, publica veneratione colitur. Ex quibus inferre licet eam domum ab ortu non fuisse insignitam titulo S. Juliani, quippe qui martyrium passus fuerit tantum ad tempora persecutionis a Diocletiano excitatae, sed B. Dei-genitricis, quae etiamnum prima patrona habetur, proindeque nomen S. Juliani non sumsisse nisi superstite B. Germano, qui, ut tradunt ex Arvernia redux, reliquiarum particulam hujus sancti martyris, quam secum attulerat, ibi reposuit anno 444. Hanc ecclesiam inter basilicas civitatis Autissiodorensis non fuisse minimam cognoscimus ex praescripto S. Aunacharii episcopi in synodo habita anno 578, ut per duodecim mensium capita litaniae seorsim ab urbis ecclesiis apud S. Stephanum celebrarentur, quas rogationes singulis diebus post calendas cujusque mensis rurales ecclesiae cum clero & populo suo facere debebant. Is siquidem basilicae S. Juliani diem assignavit ad calendas Julii. Jam ex eo tempore monachos illic insedisse certissimum est, quibus aetate episcopi Desiderii de hac basilica bene meriti, qui medius sedit inter Aunacharium & Palladium, praeerat Niginaldus abbas. Labb. Mss. t. I. p. 425. & 427.

Palladius autem episcopus anno 635 id mo-

nasterium quod antea virorum erat, extra civitatem transferre, & puellis Deo sacratis, attribuere decrevit, cujus ædificia multum amplificavit, ac muro undique circumcinxit. Extant ejusdem antistitis hac de re literæ in libro sexto de Re Diplomatica, datæ anno octavo Dagoberti in Burgundia regnantis, qui annus, inquit Mabillonius, partim cum hujus seculi tricesimo quinto, partim cum sequente concurrit. In illis proinde literis corrigenda indictio septima quæ convenit anno tricesimo quarto. « His literis Palladius ait » se suis laboribus ac propriis impensis cellam seu » cœnobium in suburbano Autissiodorensi cons» truxisse in basilicis tribus, id est domnæ Mariæ » perpetuæ virginis, & domni Andreæ apostoli & » S. Juliani martyris, cum oratorio S. Ferreoli & » S. Martini, annuente atque opem conferente » domno Dagoberto piissimo rege, atque ordinasse » ut sanctimoniales puellæ ac viduæ Deo ibidem » deservirent, deputatis quibusdam rebus ex ecclesia » S. Stephani, adjectisque tribus prædiis nobilis» simis, sibi a domno Dagoberto concessis. Insuper » statuisse, ut singulis diebus in basilicis tribus » singulæ missæ, absque officio sanctarum horarum, » & diurnali missa, cum oblationibus & oratio» nibus celebrarentur, & duodecim pauperes pas» cerentur : quinta vero feria omnibus hebdoma» dibus cum litaniis & crucibus omnis illa congre» gatio ad seniorem basilicam S. Stephani veniret, » & ibi missas celebraret, & triginta pauperes refi» ceret; in cœna vero Domini sexaginta similiter pasceret ac vestiret. »

Diplomat. pag. 465.

Nonnulli existimant id monasterium extra civitatem a S. Palladio non fuisse extructum tantum in virginum, sed & monachorum gratiam, qui monialibus spiritualia administrarent. Idque probant, 1.° ex numero missarum singulis diebus in cœnobio celebrandarum, 2.° ex præcepto S. Tetrici episcopi qui anno circiter 691 in synodo designans abbates & archipresbyteros qui per annum in cathedrali ecclesia divinis operarentur, abbati S. Juliani quartam hebdomadam Januarii & secundam Novembris præstituit. *Ergo*, inquiunt, *illic fuerunt monachi, & quidem non pauci*, *addunt illi, cum præter eos qui ad ecclesiam cathedralem bis in anno accedere tenebantur, necesse fuerit ut certus remaneret numerus ad onera monasterii exsequenda. In decursu vero temporis monachi facti seculares a monialibus obtinuerunt ecclesiam S. Juliani modo destructam, quæ evasit collegiata, omnesque præbendas abbatissa conferebat. Itaque quisque canonicus in ejus manibus fidei juramentum præstare tenebatur. Instrumentum autem ecclesiæ cathedralis editum anno 1413 nos docet ex illis canonicis tres tunc temporis tantum superfuisse. Quod ad ecclesiam S. Andreæ attinet, etiam nunc subsistit in parochiam juris abbatissæ conversa. Basilicam B. Mariæ dicatam moniales sibi reservarunt.*

Hugo magnus dictus abbas, Caroli Calvi consobrinus, in hunc parthenonem quem in sua potestate habuit, sicut & ante eum alii plurimi ab ætate Caroli Martelli, studiosissimus, auctoritate sua apud eumdem regem usus est ut quædam commutatio facta anno 877 a monialibus

A S. Juliani cum canonicis S. Martini Capleiensis omni tempore inconvulsa haberetur. Item anno circiter 884 curavit ut imperator Ludovicus Balbus monasterii prædia & possessiones necnon privilegia a regibus antecessoribus, nominatim a Carolo Crasso Caroli Calvi filio concessa regio munimine firmaret. Hugone defuncto Humbaldus episcopus nihil non tentavit ut hanc abbatiam suæ ecclesiæ cathedrali uniret, at res male processit. Guido itidem episcopus eadem tentavit, suæque petitionis a rege Ludovico Ultramarino effectum est consecutus anno 940. Qua de re lætitia elatus antiphonas & responsoria die B festo S. martyris Juliani in cathedrali ecclesia canenda composuit. Ea tamen donatione non diu gavisi sunt episcopi Autissiodorenses, nam anno 990 Hugoni & Roberto Galliarum regibus abbatissæ juxta regulam S. Benedicti eligendæ sanctimonialibus licentiam permittere placuit. Gaufridus Nivernensis comes quasdam malas consuetudines ex villa Mitiganna in comitatu Senonensi exactas, quas pater ipsius Gaufredus parthenoni S. Juliani remiserat, & ipse relaxavit anno 1043, exceptis banno, raptu & incendio, interventu Adhelaidis matris suæ, atque consensu fratrum suorum Gilduini videlicet archiepiscopi C Senonensis & Raginaudi : ut qui particeps fuerat in peccato in pœnitentia etiam socius foret. Anno 1164 Hugo Senonensis archiepiscopus, Humbaudus præsul Hostiensis & Odo cardinalis diaconus ab Alexandro summo pontifice Senonis tunc existente judices constituti, querelam inter moniales & Rainardum comitem Joviniaci exortam super quatuor hominibus de Mitiganna terminandam susceperunt. Post diutinam & prolixam ejusdem causæ ventilationem, controversia hæc per concordiam & transactionem hoc modo terminata est : quod comes prædictos quatuor homines & uxores eorum atque filios in perpe- D tuum liberos monasterio dimitteret. Confessusque est se nihil habere in nemore S. Juliani quod est in Otha. Humbaldus & ipse sub nomine Lucii summus pontifex factus transactionem hanc auctoritate sua roboravit anno 1182. Cœlestinus III, pontificatus anno IV, ad Senonensem Nivernensemque præsules bullas direxit quibus eis præcipit ut moniales adversus Autissiodorensem episcopum ipsis molestiam exhibentem deffendant. Willelmus Joviniaci comes Jerosolymitanum iter mox aggressurus, cujus homines quasdam fecerant injurias & exactiones in terra de Mitiganna & in nemoribus ad monasterium sancti E Juliani pertinentibus, id injuste & illicite factum fuisse protestatus est, simulque chartam patris sui Rainardi qui de eadem re cum monialibus pactum inierat, ratam habuit anno 1190, atque prohibuit sub animarum periculo ne quis hæredum & hominum suorum contra hanc suæ confirmationis paginam aliquo modo ire præsumeret. Idem comes post quasdam dissensiones furnum a suo patre monialibus apud Migennam collatum, & ipse cessit anno 1210. Sanctus Ludovicus rex Francorum quem pietas cæteræque dotes maxime illustrarunt inter hujus parthenonis bene-

Chart. III, col. 101.

Ch. XLII, col. 128.

Ch. LIV, col. 137.

Chart. LX, col. 142.

Ch. LVII, col. 139.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 269.

Digitized by Google

factores ultimum locum non est adeptus: hic etenim dominicæ crucis exiguam partem exhibuit. Plurimi etiam ex ejus successoribus in eumdem locum beneficos se præbuerunt. Enim vero Johannes rex VI id. Jul. an. 1358 sanctimonialibus conservavit jus admetiendi frumenti peculiaribus modiis in burgo S. Martini. Ludovicus XI anno 1476 XVII calend. Januarii dedit literas quibus hujus ecclesiæ regios deffensores instituit. Henricus III concessit an. 1580 mense Septembri ut singulis hebdomadis emporium & tres nundinæ per annum apud villam Charentoniacum haberentur. Ludovicus XIII an. 1627 immunitates & privilegia a suis decessoribus indulta, regia auctoritate firmavit.

Calvinianæ hæresis sectatoribus Autissiodorensi urbi imminentibus anno 1592, publica civium deliberatione sancitum est ut hæc celebris domus funditus tolleretur, ne heterodoxi sedem in ea ponentes urbem pessumdarent. Interim moniales in civitatem, tum in villam de Charentiniaco se receperunt, unde a Petro *de Broc* episcopo in suum monasterium a Gabrielide *de la Magdelaine* restauratum solenniter fuerunt reductæ anno 1649.

Seriem autem abbatissarum post varias monasterii fortunas sub secularibus abbatibus & episcopis, qui per multa tempora abbatiam possederunt, qualem ex chartis quæ variis incendiis superfuerunt, eruere potuimus, subjiciemus.

ABBATISSÆ.

I. EMINA, *al.* Emma, memoratur an. 1643, die 1 Martii, Henrici regis anno 12 in instrumento Godefridi Nivernensis comitis, qui confirmat chartam qua pater suus Godefridus comes quasdam consuetudines malas in terra de Mitiganna monasterio S. Juliani remisit. (Chart. III, col. 101.)

II. Hermengardis in necrologio Autissiodorensis ecclesiæ sic consignatur: *Idibus Decembris obiit Hermengardis abbatissa Autissiodorensis.*

III. Anna I sic memoratur in necrologio Nivernensis B. Mariæ parthenonis: *Nonis Februarii obiit Anna abbatissa Autissiodorensis.* Hanc existimant alii Emina & Ermengarde priorem, posteriorem alii credunt, sed ea de re nil plane certum habemus.

IV. Aalix an. 1135 ab Hugone de Monte-acuto episcopo Autissiodor. ecclesias de Migeio & de Charentiniaco ea conditione obtinuit, ut post obitum anniversarium ejus quotannis celebraretur in ecclesia S. Juliani. Vivebat adhuc anno 1143, cathedram Petri occupante Innocentio II.

V. Agnes I anno 1144 molendinum de Charentiniaco cum prædiis adjacentibus, Menfredo, Rainardo, Leterico & Ogero filiis Landerici comitis condonantibus, acquisivit. Anno 1164 cum Rainardo comite Joviniaci, cujus soror apud S. Julianum professionem emiserat, composuit de quibusdam juribus in terra de Migenna, *al.* Mitiganna, quibus comes renuntiat, præsentibus Stephano abbate S. Remigii Senonensis, Guillelmo præposito Senonensi, Guidone præposito Autissiodorensi, &c. Anno 1173 a Guillelmo Senonensi archipræsule & sedis apostolicæ legato confirmationem obtinuit juris parochos de Migeio & de Charentiniaco instituendi.

VI. Helvisa I quæ & Hormisa, Helvis aut Helvidis nuncupatur, atavis edita comitibus *de Joigny* an. 1176 composuit cum Hugone abbate Dei-loci. Anno circiter 1182 XII calend. Febr. a Lucio III confirmationem concordiæ ab Agnete abbatissa cum Rainardo comite de Joigniaco initæ obtinuit. (Ch. LVI, col. 137.) Anno 1190 a Guillelmo Joigniacensi comite nepote suo ad iter Jerosolymitanum sese accingente omnes transactiones Rainardi comitis patris sui cum abbatissis præcedentibus & donationem furni Mitigannæ ab eodem Rainardo apud Crispeium decumbente monasterio suo concessum confirmari curavit. (Ch. LVIII, col. 139.) (Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 269.) Idque ratum habuit Guillelmus Senonensis archiepiscopus an. 1194. Conquesta est apud Cœlestinum III anno 1196 de Hugone episcopo Autissiodorensi quod & parochum de Colangiis a se institutum recusaret admittere, & varias suo monasterio molestias inferret. (Chart. LX, col. 142.) Qua de causa summus hic pontifex pro defensione ejus bullam direxit ad Senonensem & Nivernensem præsules, qui anno sequenti adversus Hugonem sententiam dixerunt. Is autem judicio tantisper obstitit, sed tandem se subjecit an. 1198 mense Maio, præmissa ea conditione ut singulis annis duos solidos census super quadam domo sua abbatissæ solveret. Anno 1208 a Manasse Aurelianensi præsule sopita est & alia contentio eam inter & Guillelmum Autissiodorensem episcopum exorta. (Ch. LXVII, col. 148.) Sedebat adhuc anno 1214, quo Guillelmus comes Joigniaci ipsi satisfecit de damnis quibusdam quæ domui S. Angeli intulerat.

VII. Mathildis de Tociaco filia Narioti eo nomine II baronis de Tociaco & Agnetis sedebat anno 1215. Domum Autissiodori sitam a patre suo anno 1217 accepit Guillelmo episcopo confirmante; eamque cessit monasterio pro suo & patris anniversario; nec diu supervixit.

VIII. Maria I *d'Arcy* ex nobili baronum cognomini gente, nominatur an. 1218 in instrumento quo Guillelmo de Joigniaco ejusque uxori Oleæ, qui bona sua de Mitiganna monasterio legaverant, promittit se singulis annis, quandiu vixerint, modium bladi, fœni carrucam aliaque id genus daturam. Rata habuit annis 1219, 1221, acquisita per canonicos ecclesiæ cathedralis ecclesiæ in censiva S. Juliani. Anno 1228 transigit cum monasterio Dei-loci. Memoratur adhuc anno 1235 in quodam diplomate cum Agnete *d'Arcy* nepte sua in monasterio sancti Juliani religiosa. Maria sedente, Henricus episcopus Autissiodorensis capellam *du Val-de-Marcy,* auxiliarem Colangiarum ecclesiam, parochiæ titulo insignivit, ea lege ut abbatissæ utriusque ecclesiæ parochum instituerent.

IX. Margarita I anno 1241 vineam dictam *la Perriere,* pro alia quæ Thesaurarii vocabatur permutat. In sigillo cereo literis hujus commutationis apposito repræsentatur erecto corpore,

pedum pastorale manu dextera præferens, sinistra vero librum. Limbus sigilli concluditur his verbis: *Sceau Marguerite abbesse de Sainct Julien.* Nemora vendidit anno 1244.

X. Yolandis mense Junio 1262 census *de Valan* cum omni jure justitiæ, excepto censu prædiorum ex quibus decimas percipiunt canonici S. Juliani, Petro Præceptori militiæ Templi de Salico 336 librarum pretio vendidit.

XI. Agnes II an. 1269 5 Februarii a curato S. Martini scriptum exigit quo declararet se cum suis parochianis teneri omnibus festis B. Mariæ, S. Crucis, S. Petri & Andreæ missæ sacrificio adesse in ecclesia B. Mariæ prope S. Julianum, B in qua & servi sancti Juliani nubere volentes, benedictionis sacramentum debebant percipere, assignatis thesaurariæ sancti Juliani oblationibus aliisque juribus.

XII. Margarita II quædam permutat anno 1289 cum Guillelmo *Racine* armigero, ejusque uxore Damerone. Insequenti anno die Lunæ post festum Exaltationis S. Crucis sententiam obtinuit adversus Guidonem *de Chastelus*, ut sesquisextarium farinæ molitæ & dimidium sextarii frumenti super molendino Charentiniaci quotannis solveret.

XIII. Juliana an. 1291, præsentibus Godefrido decano ecclesiæ Autissiodorensis & aliis, C Johannem Joigniaci comitem evangelia jurare coegit se a decessoribus suis inita cum monasterio S. Juliani pacta servaturum. Eodem anno ab officiali Autissiodorensi judicium obtinuit pro percipiendis oblationibus in ecclesia de Colangis-Vinosis in festivitatibus Omnium Sanctorum, Natalis Domini & cathedræ S. Petri.

XIV. Eustachia de S. Verano ex baronibus cognominibus edita cum incolis de Mitiganna pro quibusdam juribus transigit anno 1291, quo die 28 Sept. a mox dicto comite Joigniacensi idem quod Juliana juramentum obtinuit. An. 1293, D die Lunæ post festum apostolorum Jacobi & Philippi, permittente prædicto comite, vendidit 370 jugera nemoris. Stephanum dynastam *de Signelet* anno 1295 in arbitrum elegit judicii ergo dicendi de contentione exorta inter ipsam & Templarios Joviniaci; consanguineam habuit nomine Helvidem monialem & thesaurariam, cujus epigraphe obitum adnotat ad annum 1308. Epitaphium Eustachiæ aliquot abhinc annis e ruderibus ereptum sic legitur:

Hic jacet Eustachia mulier suprema sophia,
Mitibus hæc humilis, perversis ipsa virilis.
Sancti Verani fuit hæc natalibus orta.
Fœderis humani devitans omnia scorta.
Hanc abbatissam Julianus te feret ipsam
In sanctis cœlis ipsam locare velis.
Ter centum... D.... his proponas tempus habebis
Quo nisi........ contigit hanc cineri.

XV. Isabellis I *la Voyere* nobili nata sanguine apud Autissiodorenses, cui an. 1300 die Mercurii post festum S. Dionysii Itherius dominus de A Ulmo confirmat donationem dimidii modii frumenti ex dominio de Ulmo sumendi, a patre suo Itherio sancti Juliani monasterio concessam. Anno 1301 a Johanne comite Joigniaci confirmationem obtinuit pactorum antea initorum de domo S. Angeli. Subditos suos de Charentiniaco in libertatem restituit an. 1303 die festo S. Gregorii. Indulsit an. 1307 mense Decemb. comiti Jovigniaci licentiam incidendæ materiei in saltibus vallis de Lilio. Cum eodem iniit pactionem super pascuis de nemore *d'Othe* anno 1316. Ch. cxx, col. 182.

XVI. Helvisa II anno 1321 die Martis ante Dominicam Palmarum sententiam obtinuit adversus præpositum Autissiodorensem, qui cum officiariis in locum qui vulgo claustrum abbatiæ S. Juliani dicitur irruperat; reperitur adhuc in charta an. 1322.

XVII. Isabellis II *de Sancerre* ex antiqua & illustri comitum *de Sancerre* & Palatinorum Campaniæ comitum prosapia per sanctæ sedis apostolicæ declarationem ad abbatiæ regimen assumta, parochum de Mitiganna sub finem Januarii anni 1324 nominat, & mense Julio die Dominica ante festum S. Magdalenæ ejusdem anni sententiam obtinuit adversus Johannem comitem Joigniaci pro dominio S. Angeli, aliorumque locorum. Variis in instrumentis nobilis domina nuncupatur. Reperitur in chartis annorum 1336 & 1338 die Jovis post festum S. Georgii.

XVIII. Johanna I *la Chanderonne*, cujus nominis reperiuntur abbas Moissiaci & abbatissa B. Mariæ Nivernensis, orta ex inclyta & nobili dominorum *de la Ferté* apud Nivernenses familia, forsan habuit Godefridum *Chauderon* patrem, quem instrumentum hujus abbatiæ editum anno 1293 die Martis post Epiphaniam monialibus S. Juliani vineas dedisse testatur. Pedum obtinuit mense Junio 1339. Insequenti, die Dominica post festum S. Matthæi capellam SS. Trinitatis fundavit, eodemque anno die Jovis post festum S. Luciæ Johannes de Noeriis comes Joigniaci & dominus de Anchigniaco eam scripto rogavit ut donationem duorum nemoris arpentorum in sylva de Jurceio a se factam Guillelmo domino *d'Erbloy* ratam haberet. Idem comes an. 1341 in festivitate SS. Jacobi & Christophori ipsi declaravit se ex eodem nemore ad proprios usus jugerum sumpsisse. Denata anno 1344, die 3 Novembris, sepulta est ante altare SS. Trinitatis quod fundaverat, cum hac inscriptione: Ch. cxxvi, col. 186.

E
Clara jacet Chalderona Johanna abbatissa
Fuit hæc quinis mensibus, annis & quinis
Pace, mente, res & bona rexit hujus ecclesiæ feliciter,
Atque benigne hanc ecclesiam quittam divitemque reliquit.
Affuit assidue frater ejus plenus honore.
Altaris larga fundatrix hæc fuit hujus.
Anno milleno trecenteno quadrageno quarto,
Mense die tertia currente Novembri
Transiit, in pace requiescat spiritus ejus. Amen.

Digitized by Google

XIX. Agnes III *de Pienne* obiit 12 Augusti 1349. Jacet in veteri ecclesia cum epitaphio.

XX. Catharina I *de Nesle* in instrumentis annorum 1351 & 1352 dicitur gubernatrix abbatiæ S. Juliani quoad spiritualia & temporalia.

XXI. Alipidis, *al.* Alix *du Plessis* an. 1369, die Lunæ post festum sancti Martini hiemalis, confert cuidam clerico canonicatum in ecclesia S. Juliani. Ab Aalide domina *de Gisé* quondam apud S. Julianum educata, sex libras annui reditus accepit anno 1377 v cal. Aprilis, ea lege ut pro ea duo obitus in anno celebrarentur. Quosdam incolas burgi S. Juliani libertate donavit anno 1381 1 Augusti.

XXII. Johanna II *de Trainel* nobili in Campania stemmate edita, patrem habuisse creditur Johannem Trianguli toparcham, qui anno 1335 cum Isabelli *de Sancerre* abbatissa de jure dicto *la Chandele de S. Julien* super hominibus & mulieribus de Mitiganna transegit, ea conditione ut dictum jus inter se dispertirentur. Ipsa ex thesauraria in abbatissam electa fuit. Dum præesset anno scilicet 1382 III non. Dec. Guillelmus *Fournier* & uxor ejus Agnes se suaque omnia bona monasterio donarunt. Reperitur adhuc in quibusdam instrumentis annor. 1385 & 1386.

XXIII. Margarita III *de Neuvy* nobili genere orta Charentiniaci cives tum in gratiam felicis sui in hunc locum adventus, tum pestis ac bellorum intuitu maxima levavit vectigalis parte an. 1400 die Dominica post festum Epiphaniæ. De residuo vectigali detraxit, & aliam partem an. 1402. Expleto vitæ cursu mense Septembri 1412, humata fuit in choro veteris ecclesiæ cum hoc epitaphio: *Cy gist le corps de noble dame & très-humble religieuse madame Marguerite de Neuvy jadis abbesse de l'église de ceans, le temps de...... mois de Septembre* M. CCCC & XII. *Priez notre Seigneur qu'il lui fasse pardon de ses péchés.*

XXIV. Maria *de Clugny* ex nobili cognomini in Burgundia sanguine Margaritæ successit. Ipsa an. 1422 XI cal. Aprilis composuit cum curato de Mitiganna, & an. 1427 die 27 Februarii a Petro *de Clugny* fratre suo domum in foro Jovis apud Autissiodorum sitam obtinuit. Devixit mense Augusto 1431, conditaque est in choro veteris ecclesiæ in sepulchro Margaritæ *la Relande* cantricis, quarum hactenus epitaphium legitur in hunc modum: *Ci gist madame Marguerite la Relande jadis chantre de cette église, qui trépassa le 22 du mois d'Août, l'an mil....... Priez Dieu pour elle. Cy gist Marie....... de cette église, qui trépassa...... mois d'Août, l'an* M. CCCCXXXI. *Priez Dieu pour elle.*

XXV. Philippa *de Roudon* an. 1431 Mariæ suffecta est. Inter varias bellorum perturbationes regem inter & ducem Burgundiæ monasterium prudenter administravit. Contulit anno 1467 parochiam de Mitiganna. Anno 1477 die 21 Julii cum Guillelma *de Sully* abbatissa B. Mariæ de Valle-profunda quædam permutavit. Defuncta 1 Januarii 1479, in tumulo sororum suarum sepulta est uti testatur sequens inscriptio: *Religieuse dame Phelippe de Roudon jadis abbesse de l'église de ceans par l'espace de quarante-huit ans, qui trépassa le jour de l'an* M. CCCC...... *& aussi gissent nobles religieuses sœurs de ladite abbesse, qui trépassérent l'an* M. CCCCLXV.

XXVI. Petronilla *de Beauvoir de Chastelux* illustri apud Burgundos dominorum *de Chastelus* sanguine procreata, quam historia magnatum Franciæ tom. VII, p. 5, B. Mariæ Nivernensis, an. 1468 abbatissam extitisse testatur, servata quam possidebat ab an. 1476 abbatia Crisenonis, creatur abbatissa S. Juliani. Transigit 15 Febr. 1486 cum rectore *d'Aunay-la-coste* pro decimis. Anno 1488 pridie calend. Januarii legitur in instrumento domestico, & anno 1491 cum Antonio de Cabilone Augustodunensi episcopo pro quadam insula composuit. Tandem denata in monasterio Crisenonensi 16 Augusti 1503, ibidem sepulta est cum epitaphio.

XXVII. Margarita IV *de Saigny* Helvetia 24 Febr. an. 1505 abbatissa legitur. Franciscus episcopus Autissiod. die 3 Apr. 1515 mandato vetuit ne vel ipsa vel alia quævis e monialibus absque licentia sua extra monasterium egrederetur, nullique in illud, quam soli medico pateret ingressus. Varias tribulationes, quin & ipsum exilium perpessa anno 1522, & postea revocata monasterium prudenter administravit, ecclesiam reparavit, & vasculum dominicæ crucis particulam continens exornavit. Ejus in manibus Germana *de Saint-Quentin* religiosa vota emisit 30 Decemb. 1533. Literas a cancellarii prætorio obtinuit 12 Decemb. anni 1547 ut in pluribus dominiis monasterii liber agrorum vectigalium conficeretur. Anno 1550 die 28 Martii nobili viro Hemiliano *des Royaulx* ejusque conjugi Mariæ *d'Estampes* pro 445 libris Turonensibus ab utroque penuria cogente mutuatis, 89 bladi bichetos in prædiis de Charentiniaco annuatim percipiendos assignat.

XXVIII. Maria III *de Nevers*, al. *de Fontaines*, filia notha ducis Nivernensis, qua sedente Franciscus Autissiod. antistes die 16 Octob. 1553 monasterium visitavit, resque ejus omnes invenit rite dispositas. Chorum sedilibus instruxit. Plurima acquisivit anno 1560 in dominiis *de Bussy* & *de Saint-Ange*; bona dissipata recuperavit. Ad professionem religiosam duas moniales admisit an. 1561, Johannam *de Paris* videlicet 1 Junii, & Ludovicam *de la Magdelaine* postmodum abbatissam 9 Novemb. Quatuor millia librarum Petro *le Chat* causidico commodavit die 27 Martii an. 1567. Pecuniam ab Hemiliano *des Royaulx* mutuatam reddidit an. 1575. Insequenti Leonardæ *de Blanchefort* & Franciscæ *de Lavaine* religiosa vota suscepit. Rexit ad annum 1585, quo, sibi reservato prædio de Mitiganna, cessit sequenti ad S. Johannis Augustod. abbatiam translata, ibi vitam privatam procul dubio ductura. Eo in ultimo monasterio fatis concessit anno 1607.

XXIX. Johanna III *de la Magdelaine* Gerardi domini *de Ragny*, Alexiensis baillivi, & Claudiæ *de Damas* filia nata an. 1530, ex cessione

Digitized by Google

præcedentis pedum obtinuit. Anno 1586 mense Septembri a rege impetravit ut singulis hebdomadis emporium die Martis apud Charentiniacum haberetur, uti & tres nundinæ per annum, diebus videlicet 15 Januarii, 25 Maii & postridie S. Laurentii.

XXX. Mathurina *de Geubles*, alias etiam *de Croisy*, nobilibus atavis edita per difficillima belli civilis tempora suo maximo dolore excidium sui monasterii passa est 28 Januarii 1592, quo a civibus solo æquatum est, ne forte Calvinistis urbi imminentibus faveret. Fato functa est anno 1597, dignitate in favorem sequentis abdicata.

XXXI. Ludovica *de la Magdelaine* Johannæ *de la Magdelaine* neptis, soror vero Claudii episcopi Eduensis, ex præcedentis abdicatione abbatiam tenuit ab anno 1597 ad annum circiter 1603, quo ad aliam vitam transiit.

XXXII. Gabriëlis *de la Magdelaine* præcecedentis soror, patrem habuit Franciscum marchionem *de Ragny* equitem torquatum regi a sanctioribus consiliis, centum militum cataphractorum ducem, baillivum Alexii & Carolesii, castrorum præfectum sub regibus Henrico III & Henrico IV, provinciarum Brixiæ locorumque adjacentium, Nivernensium etiam atque Donziacensium regium gubernatorem, ad generalem post mortem Henrici IV conventum Rotomagum a regni nobilibus legatum, matrem vero Catharinam *de Marcilly-Cipierre*, Imberti *de Marcilly* Caroli IX regis, 1.° gubernatoris, deinde armigerii & cubicularii, provinciarum Aurelianensis ac Blesensis præfecti filiam ex Ludovica *d'Alluin* honoraria Catharinæ *de Medicis* reginæ assecla, obtentam ex regis Henrici IV nominatione an. 1605 27 Junii abbatiam a fundamentis restauravit Gabriëlis, possessiones usurpatas recuperavit, prædiaque ac privilegia a Ludovico XIII curavit confirmari an. 1627. Oculorum dolore meritis S. Juliani feliciter liberata, ejusdem sancti martyris reliquias a canonicis Brivatensibus petitas obtinuit 20 Novemb. 1630, pretiosoque vasculo condidit. A Petro *du Broc* episcopo Autissiodorensi anno 1649 e Charentiniaco quo ipsa una cum sororibus suis, everso an. 1592 veteri monasterio, translata fuerat, ad novum monasterium cujus antistes ille primarium lapidem an. 1647 posuerat, una cum conventu reducta est, in eoque strictiorem observantiam ad normam monialium Vallis-gratiæ instituit. Coadjutricem obtinuit a rege anno 1651 Annam *de la Magdelaine* neptem suam, migravitque e vita 27 Augusti 1656, 72 annos nata. Jacet in nova ecclesia prope majus altare cum hoc epitaphio : *Cy-gist illustre dame Gabrielle de la Magdelaine de Ragny abbesse de ce lieu, qui en cinquante-trois ans de gouvernement s'est justement acquis le titre de restauratrice, tant au spirituel qu'au temporel. Elle décéda le 27 d'Aoust 1656.*

XXXIII. Anna II *de la Magdelaine de Ragny* Gabriëlidis ex fratre neptis, filia Jacobi *de la Magdelaine de Ragny* & Isabellis *de Nicé* familiis Burgundiæ & *de Gondy* consanguinitate affinis, in S. Juliani parthenone miro studio educata in ætate vel tenerrima austeritatis vitæ, eximiæque pietatis præconio floruit. Humilitatis fuit etiam singularis, Benedictinamque in sancti Johannis Eduensis monasterio regulam an. 1646 professa, tanta enituit virtutis fama, ut a Ludovico XIV Gabriëlidis coadjutrix an. 1651 die 3 Aprilis fuerit creata; quam dignitatem primum rejectam, victa tandem multis hujus amitæ suæ precibus accepit. Defuncta Gabriëlide anno 1656 monasterii suscepit curam, sororibusque suis non verbo tantum sed & exemplo præluxit. Maxima fuit ejus in omnes charitas, in ægrotos præsertim ac pauperes ; in pace continuit omnia, subditarumque animos mansuetudine rapuit sibi, mirabiliterque devinxit. Tandem vitæ durioris laboribus confecta ad meliorem vitam transiit 10 Januarii 1693, ætatis 62, sepultaque est in ecclesia cum epitaphio.

XXXIV. Maria-Ambrosia *de Bollé de Chamlay* die 21 Martii 1693 a rege designata bullas obtinuit mense Maio sequenti, initque possessionem 29 Julii ejusdem anni. A teneris in hac schola pietatis ad veram religionem efformata, præcedentisque vestigiis insistens, assidua claruit virtutum exercitatione, & quæ jam vigebat regularum observantiam non verbo tantum sed & opere firmavit. Tandem in brevi consummata multa explevit tempora; defuncta quippe est post sex annos regiminis 14 Junii 1699, jacet in ecclesia cum epitaphio.

XXXV. Anna-Ludovica *de la Magdelaine de Ragny* octo annos nata Annæ amitæ suæ in monasterio S. Juliani educanda traditur. Quantum sub tali magistra profecerit altius prædicant & morum ejus ingenuitas & sanctitas vitæ. Demortua Maria, ex priorissa nominatur a rege abbatissa 15 Augusti 1699, bullisque instructa 24 Sept. possessionem adepta est 19 Nov. ejusdem anni. Austeritate minus quam exemplis præfuit, nativaque benignitate, mansuetudine, charitate, modestia & obvia cuilibet comitate sororum suarum amorem captavit & venerationem. Post 38 regiminis annos dimisit pedum, vitæque terminum attigit 18 Maii 1737, ætatis 80, professionis vero 60. Sepulta est in ecclesia ubi epitaphio decoratur.

XXXVI. Catharina II *de la Magdelaine de Ragny* præcedentis ex fratre neptis ex priorissa nominatur a rege abbatissa 27 Junii 1736. Hactenus summa cum laude præest, nec præcedentibus ex gente sua meritis inferior.

CRISENON.

B. Mariæ de Crisenone puellarum ordinis S. Benedicti monasterium, quatuor Autissiodoro leucis, non procul a Cravanto & Vermentone ad fluvium Icaunam situm, primam sui originem debet Adelaidi seu Adelasiæ filiæ Roberti I, quæ capellam S. Nicolao nuncupatam ibidem ædificavit anno 1030. Clericisne an monachis capella hæc primum commissa fuerit, non satis liquet; illud autem constat eam tempore & de consensu Roberti Autissiodorensis episcopi Ch. VII, col. 104.

datam fuiſſe, & ab Humbaldo ejus ſucceſſore [A] confirmatam, [Ch. VIII, col. 104.] abbati Moliſmenſi Roberto, qui cellam monachorum ſuo monaſterio ſubjectam ibidem inſtituit [Chart. IX, col. 105.] adjutus præſertim beneficiis dominorum de Tociaco qui, lignea eccleſia deſtructa, lapideam ædificaverunt, & ad conſtruendas monachorum officinas variis largitionibus tulerunt opem. Proceſſu temporis, anno ſcilicet 1130 aut circiter, Guido abbas Moliſmenſis aſſenſu totius capituli hoc monaſterium ſanctimonialibus Juliacenſis apud Lingonenſes ſibi ſubjecti parthenonis attribuit, relictis quibuſdam apud Criſenonem monachis, qui ſacra eis diſpenſarent ac procurarent temporalia. Sub Ebrardo Guidonis [B] ſucceſſore Hugo epiſcopus Autiſſiodorenſis, ex mandato Innocentii II, [Ch. XIX, col. 112.] petentibus eiſdem virginibus, hanc cellam circa annum 1134 in abbatiam erexit, primaque ejus loci abbatiſſa inſtituta fuit Adelana; additis his conditionibus ut ſi præfatæ moniales metas ordinis Juliacenſis excederent, hoc comperto, abbas Moliſmenſis monaſterium de Criſenon reaccipere & reordinare ſecundum [Hiſt. Autiſſ. tom. II, prob. p. 12.] formam inſtitutionum Juliacenſium poſſet, & eamdem poteſtatem quam erga Juliacum habebat, ſuper Criſenon nullo contradicente in perpetuum haberet. Ad preces Adelanæ nec non Guillelmi comitis Nivernenſis ſummus pontifex Criſenonenſe [C] monaſterium a poteſtate Moliſmenſium omnino liberum eſſe ſancivit, ratumque habuit quidquid ab Hugone *bonæ memoriæ* Autiſſiodorenſi epiſcopo & mox dicto comite ſtatutum fuerat. Datæ ſunt an. 1134 ea de re Guillelmi literæ, quibus litem abbatem Ebrardum inter & illas ſanctimoniales ortam ſic componit, confirmatque pactum a Guidone abbate factum, qui nihil ibidem ſibi reſervarat, *præter providentiam & curam animarum*, treſque tantum aut quatuor illic commanere voluerat monachos, ne majori ipſorum numero gravaretur monaſterium. Sed tandem nihil omnino juris Moliſmenſibus illic relictum eſt, [D] quorum monachis qui ibidem reſidui erant, cella S. Gervaſii apud Autiſſiodorum ea lege conceſſa eſt, ut Criſenonenſes monachæ Juliacenſium ſtatuta ſemper obſervarent. Eugenius III, pontificatus ſui anno I [Ch. XXIV, col. 117.] ſedente Eliſabeth abbatiſſa, Criſenonis poſſeſſiones confirmavit, quas inter monaſterium de Firmitate diœceſis Nivernenſis, in quo ſororum ſuarum congregationem Criſenonenſes poſuerant. Alia quoque monaſteria ſubjecta fuere Criſenoni, ubi ſanctimonialium numerus, ſeneſcente illo ſæculo, in tantum excreverat, ut Guillelmus Senonum archipræſul vetuerit ne ultra centenarium protenderetur. [E]

Præter dominos de Tociaco plures habuit, eoſque magni nominis, benefactores illud monaſterium, quos inter primas tenent Humbaldus, Hugo de Monte-acuto, Alanus epiſcopi Autiſſiodorenſes; Seguinus abbas & capitulum Caſtricenſorii, qui anno 1182 canonicorum decedentium annualia Criſenoni conceſſerunt; Mathildis comitiſſa Autiſſiodorenſis, Nivernenſis & Tornodorenſis, Willelmus de Curtiniaco cum Adelina conjuge ſua, [Hiſt. Autiſſ. tom. II, prob. pag. 31.] Petrus comes Nivernenſis una cum uxore ſua Agnete anno 1190. Guillelmus comes Joviniaci qui cauſa cujuſdam commutationis cum monialibus initæ, quindecim libras monetæ Autiſſiodorenſis aſſignavit anno 1248; aliique nonnulli ex nobili Nivernenſium proſapia.

Ibi ſepulta creditur Adelaſia prima fundatrix. Anno vero 1176 Garna filia Marioti & ſoror Itherii domini de Tociaco de monaſterio benemerita ibidem conditur, ut & Odo *d'Arcy* filius Godefridi *d'Arcy* militis & Mabeliæ an. 1178, & Nicolaa filia Guillelmi de Curtiniaco domini *de Talay* & Adelinæ an. 1220, etſi nullum jam ſuperſit tam illuſtrium ſepulturarum veſtigium. Ibidem etiam condita jacet Margarita *d'Amboiſe* mater Angelicæ *de Chaſtelus* abbatiſſæ, defuncta anno 1605.

Hactenus perſtat ſub ordine noſtro ille parthenon, ubi monialium numerus æque ac reditus valde imminutus eſt, jaceretque nunc omnino neglectus, niſi Claudia *Larcher* ejus loci abbatiſſa ipſum poſtremo ſeculo utcumque reparaſſet. Seriem autem abbatiſſarum, quam ex chartis & brevi ejuſdem monaſterii hiſtoria decerpſimus juvat nunc evolvere.

Abbatissarum Series.

I. Adelana, cujus ad preces nec non Guillelmi comitis Nivernenſis Innocentius II Criſenonenſe monaſterium a poteſtate Moliſmenſium omnino liberum eſſe ſancivit, ratumque habuit quidquid ab Hugone Autiſſiodorenſi & mox dicto comite factum & ſtatutum fuerat. [Ch. XIX, col. 112.] Datæ ſunt Romæ pontificis ea de re literæ cal. Novembris 1140.

II. Eliſabeth I *de Toucy*, cui ad preces Hugonis epiſcopi Autiſſiodorenſis Eugenius III an. 1145 [Ch. XXIV, col. 117.] conceſſit privilegium protectionis. Anno 1159, agente Alano Autiſſiodorenſi præſule, tranſigit cum Bernardo Remundi pro quibuſdam decimis.

III. Aliſia I præerat tempore mox dicti Alani. Ipſa eſt haud dubie quæ deſignatur per literam A. in charta ejuſdem præſulis, quæ creditur eſſe anni 1160, qua confirmat contractum pro vineis capellanum S. Briccii inter & abbatiſſam ac conventum de Criſenone. Ad hujus etiam abbatiſſæ tempus referendæ videntur bulla Alexandri III, quæ donationes quaſdam ab Autiſſiodorenſi epiſcopo Criſenoni factas approbat, epiſtola Willelmi archiepiſcopi Senonenſis an. 1170, [Ch. XLV, col. 133.] quæ ſtrictius prohibet ne ſanctimonialium in eodem parthenone numerus ultra centenarium excurrat; charta comitis Guidonis donationem in [Ch. XLVII, col. 133.] ſuis molendinis de Autiſſiodoro monialibus largientis anno 1173. Literæ quoque Mathildis [Hiſt. Autiſſ. tom. II, prob. pag. 27 & 28.] comitiſſæ Autiſſiodorenſis donum centum ſolidorum a Guidone ſuo marito Criſenoni factum approbantis anno 1176. Atque etiam literæ [Ibid. p. 29.] Guillelmi comitis duos ſalis modios indulgentis 1181. Nec non duæ bullæ Lucii III, quarum prior data an. 1182 confirmat Criſenoni annuos vacantium eccleſiæ collegiatæ de Caſtro-cenſorii præbendarum reditus a Seguino abbate & capitulo ejuſdem eccleſiæ conceſſos, & altera varias eidem monaſterio factas conceſſiones approbat.

IV. Sara, cujus rogatu Cœleſtinus III anno

Digitized by Google

Ch. LIX, col. 140. 1196 Crisenonis monasterium sub protectione sua suscepit, omnes tum adeptas tum adipiscendas in posterum possessiones confirmavit, liberam in ejusdem monasterii ecclesia decrevit sepulturam, eligendæque abbatissæ conventui privilegium indulsit. Eodem anno Amiciæ comitissæ de Jovigniaco ea conditione stagnum Sara concessit, ut, defuncta comitissa, ad monasterium cum omni augmento reverteretur. Terram suam de Campo-Richardi, Hugone episcopo confirmante, dedit Garnerio de Varziaco, ea lege ut retro quamdam domum & cellarium juris abbatiæ Crisenonensis, nec ædificia construere, nec arbores plantare posset.

V. Elisabeth II, *al.* Isabellis, coram Guillelmo episcopo Autissiodorensi transigit an. 1214 cum cantore de Varziaco pro quibusdam vineis, & anno 1216, præsentibus Galterio Vizeliacensi & G. Rigniaci abbatibus, dat vineas ad manufirmam. Composuit an. 1222 cum Halinaudo cantore & capitulo Varziaci pro decimis *de Verteney*. Memoratur adhuc an. 1225.

VI. Ermengardis præerat an. 1227 ex chartis S. Germani: A. tamen alicubi legitur an. 1229; sed Ermengardis an. 1230 Seguino filio Hugonis vicecomitis de Clameciaco quædam ad manufirmam concedit. Mense Febr. 1234 Achardus *de Monceaus*, sedente eadem abbatissa, testamento suo, cujus testis fuit Willelmus Warziaci thesaurarius, nonnulla Crisenoni legavit. Regebat adhuc Ermengardis an. 1237.

VII. Alisia II mense Novembri 1238 opera Bernardi Autissiodorensis episcopi transigit cum abbate & conventu Rigniacensi pro molendinis de Arsiaco. Præeratne adhuc cum Regnaudus prior S. Eusebii Autissiodorensis constitutus ab abbate suo generalis administrator bonorum ejusdem monasterii tam spiritualium quam temporalium recognovit coram Herberto decano Autissiodorensi ecclesiam S. Eusebii teneri septem libras turonenses abbatissæ & conventui Crisenonensi quotannis solvere, easque sese soluturum promisit die Sabbati ante Ascensionem Domini anno 1249?

VIII. Beatrix *de Bourbon* mense Augusto an. 1252 statuit ut priorissa de Verneta anniversarium patris, matris antecessorumque Hugonis *Rastial* curaret in perpetuum anno quolibet celebrari. Mense Octobri 1256 eidem monasterio attribuit annuam vini ac frumenti eleemosynam, quam pro parentum antecessorumque suorum salute Guido de Edua, miles, monasterio Crisenonensi fecerat. Sententiam obtinuit an. 1262 adversus Odonem ducis Burgundiæ filium, de quibusdam homicidis qui presbyterum de Lexiaco occiderant. Eidem abbatissæ mense Januario 1264 priorissa totusque conventus promisere pro acquisitis ejus prælationis tempore bonis perpetuum, quod enixe postulaverat, anniversarium & ab ipsa obitus die ad usque revolutum annum quotidianam, quæ decantaretur, pro animæ ejus remedio missam. Clemens summus pontifex ad eam scripsit literas an. 1268, quibus eam hortatur ut in monasterium admittat Bonetam de Virziliaco puellam literatam. Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 287. Voluit Beatrix ut monialium apud Crisenonem numerus ultra quinquaginta non excurreret.

IX. Aiglantina I quæ Beatrici successit, Roberto de Hariaco presbytero domum de Verneta sub annuo decem librarum turonensium censu ad ejus vitam, conventu annuente, concessit 8 Septembris 1274. Berengerio & Stephano de Vermentone militibus vineas an. 1276 vendidit. Controversiam habuit cum priore S. Eusebii, quam Hugo decanus & Guillelmus archidiaconus Autissiodorenses arbitri electi composuerunt mense Maio an. 1279. Anno 1281 mense Augusto confirmavit statutum Beatricis abbatissæ, quæ, attendens moniales in pitanciis non modicum habere defectum, diebus Dominicis denarium ad pitanciam assignaverat, quibus Aiglantina diebus Jovis alterum addidit. Eam inter & Thomam archipresbyterum controversiam exortam sopivit Guillelmus episcopus anno 1284. Ipsa anno 1285 mense Januario, quo tempore quinquaginta adhuc apud Crisenonem degebant moniales, pro suo anniversario, quod tunc instituit, quinquaginta solidos annui reditus monasterio assignavit, obiit vero an. 1287. Hist. Aut. tom. II, prob. p. 293.

X. Margarita *de Drees* electa a conventu die Sabbati post Ascensionem Domini an. 1287, confirmatur a Guillelmo Autissiodorensi episcopo die Mercurii sequenti. Ch. CXVIII, col. 181. Transegit an. 1299 cum canonicis de Varziaco pro decimis quibusdam.

XI. Agnes *de Varigny* anno 1238 Gerardo de Tociaco domino *de Bazarne* quædam debita remisit.

XII. Aiglantina II *du Bouchet* memoratur anno 1343.

XIII. Elisabeth III *de Saint-Gervais* an. 1364 componit cum Johanne abbate Rigniaci pro molendino de Arciaco. Eam inter & priorissam ac conventum de Crisenone ortam occasione quorumdam annui reditus bonorum litem amice composuit Petrus Autissiodorensis episcopus 17 Aprilis 1370. Sedebat adhuc Elisabeth anno 1376.

XIV. Alexanda seu Alissanda *de Tanlay*, ex nobili genere de Curtiniaco, filia quippe Philippi *de Tanlay* & Philibertæ *de Châteauneuf* confirmavit 1 Augusti 1398 compositionem litis de qua mox. Superstes legitur die 2 Maii an. 1409 in historia genealogica magnatum Franciæ.

XV. Johanna I *de Montagu* prioratum de Firmitate in diœcesi Nivernensi a Crisenone dependentem sorori Isabellæ de Damocomitis religiosæ professæ ejusdem prioratus contulit die 25 Nov. an. 1400. Regebat adhuc an. 1452.

XVI. Catharina *de Villers* an. 1452.

XVII. Johanna II *de Traisette* memoratur annis 1452 & 1459. Transigit anno 1461 cum Johanne abbate S. Mariani Autissiodor.

XVIII. Petronilla, *al.* Peretta *de Chastelus* ex nobili & antiqua cognomini gente an. 1476 electa confirmatur, sede vacante, a capitulo Autissiodorensi, ac præfuit ad annum usque 1503. Fuit etiam simul abbatissa S. Juliani Autissiodorensis. Ex hac vita migravit eodem an. 1503 die

Digitized by Google

die 16 Augusti, conditaque est apud Crisenonem cum hoc epitaphio: *Cy gist madame Perette de Chastelus, en son vivant abbesse de céans & de Saint-Julien-lès-Auxerre, laquelle a augmenté le bien de l'église, & trepassa le XVI d'Aoust M. DIII.*

XIX. Jacquelina *de Montsaulnyn* 12 Martii 1519 sorori Gilberdæ *de Chassi* moniali Crisenonensis monasterii contulit prioratum seu regularem capellaniam sancti Johannis *de la Vernée* Eduensis a præfato monasterio dependentem. Sedebat adhuc an. 1525, sed in sequentis gratiam neptis suæ, reservata sibi annua pensione, dimisit pedum, & vita cessit 1 Junii 1531.

XX. Catharina *de Montsaulnyn* ex cessione præcedentis bullas obtinuit a Clemente VII 20 Septembris 1526. Coram Carolo *de Montsaulnyn* abbate *de Cervon* capitulo Autissiodorensi anno 1552 quædam dat ad manufirmam. Postea cessit, & obiit 10 Martii 1573, sepulturæ tradita apud Crisenonem cum hac sibi amitæque suæ communi inscriptione: *Cy gissent mesdames Jacqueline & Catherine de Montsaulnyn, en leur vivant abbesses de céans, laquelle dame Jaqueline trépassa le premier jour de Juin 1531, & ladite dame Catherine le dixième jour de Mars 1573.*

XXI. Claudia I *de Fontenay* an. 1555 confirmat transactionem factam nomine conventus a Carolo *de Montsaulnyn* abbate *de Cervon* cum capitulo ecclesiæ Autissiodorensis de juribus quibus apud Cravantum gaudebat Crisenonensis parthenon. Regebat adhuc anno 1575; defecerat autem an. 1580.

XXII. Maria *Briçonnet* ex priorissa Filiarum-Dei Rotomagensium Crisenonis evasit abbatissa juxta Historiam Magnatum Franciæ, tom. VI, pag. 433.

XXIII. Johanna III *de Pont-la-casse* nobili in Neustria sanguine prognata, ex moniali Pissiacensi ordinis S. Dominici per dispensationem fit priorissa Crisenonis, deinde an. 1580 in abbatissam assumitur. Ejus tempore monasterium a conjuratis in regem Henricum IV militibus dissipatum est. Dignitatem abdicavit an. 1590, fatisque concessit 13 Septembris 1613.

XXIV. Diana *de Chastelus* a rege designatur 31 Januarii 1590, verum bullas non obtinuit.

XXV. Claudia II *de Montsaulnyn* pedum tenuit ab anno 1592 ad annum 1602 quo illud sequenti dimisit. Fato fungitur 11 Jun. an. 1614.

XXVI. Angelica *de Chastelus* filia Olivarii *de Chastelus* baronis *d'Avalon*, & Margaritæ *d'Amboise* filiæ Jacobi *de Clermont-Amboise*, religiosam in Crisenonensi monasterio professionem an. 1600 emisit. Anno sequenti in ejus favorem abdicavit Claudia *de Chastelus*, cujus admissa abdicatione an. 1602, bullas obtinuit Angelica, possessionemque adepta est 18 Novemb. 1605. Rexit ad annum 1655, quo cessit in gratiam sequentis. Debitum autem naturæ solvit 18 Augusti anni sequentis.

XXVII. Claudia III *Larcher* Parisiensis, filia Francisci *Larcher* domini *de Bajocour*, baronis *d'Annoy, Pocancy, Coupetri*, &c. & Claudiæ *Godet*, ex moniali Calensis monasterii, in quo religiosam anno 1644 vitam professa fuerat, Crisenonensis regimen anno 1656 ex præcedentis cessione habuit. Monasterium restauravit, cinxit muris, dissipataque ejusdem revocavit bona. Ecclesiæ ornamenta & suppellectilem adauxit, thecis pretiosis sacras inclusit reliquias, multa instituit pia exercitia, precibusque intenta jugiter verbo præfuit & exemplo. Dignitate anno 1694 abdicata, ad Calense monasterium rediit, in eoque piam efflavit animam 10 Julii 1697.

XXVIII. Catharina-Maria-Placida *Apoil de Romainval*, filia Eustachii *Apoil* primarii Meduntæ ad Sequanam prætoris, regi a sanctioribus consiliis, & Agnetis *Cadiou* a rege designatur 1 Novemb. 1694, venitque in possessionem 23 Aprilis 1695.

XXIX. N. *de Beausoleil* a rege renunciatur anno 1711.

XXX. N. *de Semevoy* a rege nominata est mense Decembri 1744.

S. LAURENTIUS.

SANCTI Laurentii haud procul a Conada monasterium, dictum olim Vulfini, dein Longoretense & post de [a] Abbatia, seculo VI jam extabat, ut pote cujus meminit liber de gestis pontificum Autissiodorensium in actis SS. Aunacharii & Tetrici. Primos patronos habuit S. Laurentium martyrem & S. Hilarium, cujus monasterio Pictaviensi in prima sui origine subjectum fuisse conjiciunt viri quidam eruditi. Qua ratione monachis, qui S. Laurentii monasterium primi incoluerunt, substituti fuerint canonici seculares penitus ignoratur; illud autem pro certo habetur Robertum *de Nevers* Autissiodorensem episcopum ab anno 1076 ad annum 1084, ecclesiam illam regularibus S. Augustini canonicis tradidisse atque in abbatiam erexisse. Humbaldus episcopus Roberti successor plures suæ diœcesis ecclesias ipsis concessit, in primis Autissiodorensem S. Eusebii, de qua diximus ubi de veteribus abbatiis, Guerchiensem S. Juliani, Traciensem S. Symphoriani, Troccensem S. Martini, S. Quintini, & Interamnensem S. Cyri, quo tempore Guido Nivernensis antistes eis etiam sanctorum Lupi & Gildardi concessit ecclesiam. Guillelmus item episcopus Autissiodorensis de assensu & voluntate Hugonis archidiaconi iisdem indulsit ecclesiam de Misiaco, ut patet ex ejusdem Hugonis rescripto edito anno 1212. Habuerunt quoque iidem canonici duas in ecclesia Nivernensi præbendas, quarum loco jam ab annis 100 duas in urbe parochias possident. Quibus omnibus aliisque successorum episcoporum donis non parum ditata nobilitataque est abbatia S. Laurentii, quam rexisse reperiuntur sequentes

[a] des Aubeaux

Ch. LXXIII, col. 151.

ABBATES.

I. DONGIO primus dicitur abbas in veteri charta ecclesiæ Nivernensis an. 1100, cui subscripsere Herveus episcopus & Petrus decanus. Abbatis hujus tempore Guido Nivernensis antistes ecclesiam SS. Lupi & Gildardi

Digitized by Google

monasterio S. Laurentii concessit. Sic memoratur in necrologio: *III nonas Februarii obiit domnus Dongio, bonæ memoriæ abbas primus hujus ecclesiæ.*

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 265. II. Hugo subscripsit an. 1130 donationi factæ monasterio Boniradii a Goffrido de Donziaco. Accepit an. 1147 ab Eugenio papa bullam, qua singulæ monasterii possessiones confirmantur. Legitur eodem anno in charta Guillelmi comitis Nivernensis pro monasterio Rupium, in cujus etiam alia charta testis reperitur an. 1150. Plura Hugoni jura ac privilegia concessit Itherius de Thociaco, confirmata postmodum a Nariosto ejus filio. Alanus Autissiodorensis antistes pro prioratu S. Eusebii a monasterio S. Laurentii dependente eidem abbati hoc insigne indulsit privilegium anno 1159, ut vacantium præbendarum ecclesiæ cathedralis reditibus frueretur. Eodem anno aliud obtinuit ab Alexandro III privilegium, quo decimas ecclesiarum suarum a laicis posset redimere. Juxta necrologium, obiit XV cal. Novemb. *Ibid. p. 18.*

Ch. XXXVI, col. 125. III. Dodo præcedentis frater, ex priore S. Eusebii, abbas S. Laurentii, donum præbendarum a mox dicto Alano ecclesiæ S. Eusebii concessum confirmari curavit ab Alexandro III apud Montempessulanum 4 Junii 1162. De eo ita necrologium: *V id. Junii obiit domnus Dodo noster abbas, frater & successor domni Hugonis.*

IV. Gaufridus testis legitur anno 1175 in charta Boniradii. Jura monasterii sui viriliter propugnavit adversus Pictavienses S. Hilarii canonicos, qua in causa a Guillelmo de Tociaco Autissiodorensi præsule & Araldo S. Benedicti Floriacensis abbate optimum habuit judicium. Rescriptum obtinuit ab Alexandro III an. 1180 adversus episcopum & canonicos Autissiodorenses qui vacantes præbendas S. Eusebio denegabant. Eodem anno memoratur in charta monasterii Crisenonensis.

V. Adam anno 1205 permutationi factæ a priore S. Eusebii præbuit assensum. Is est haud dubie abbas qui per manum Hugonis Autissiodorensis episcopi E. abbati Fontis-morignaci cessit quidquid juris habebat in decima de Ceriliaco.

VI. Gacius an. 1231 cum priore & canonicis S. Symphoriani Augustodunensis societatem iniit. Ita memoratur in necrologio: *V cal. Octob. obiit bonæ memoriæ Gacius abbas hujus ecclesiæ, qui per longum tempus rector fuit optimus.* Hæc vero leguntur in necrologio carthusiæ de Bellarido: *Obiit bonæ recordationis III calend. Octob. Gacius abbas S. Laurentii, qui dedit nobis decimam de Montibus.*

VII. Petrus I. mense Januario 1231 transigit cum thesaurario, decano & capitulo S. Hilarii Pictaviensis. In necrologio sic consignatur: *II nonas Novemb. obiit felicis memoriæ Petrus abbas hujus ecclesiæ, qui longo tempore per Dei gratiam istam peroptime rexit ecclesiam, qui pro anniversario suo & sui prædecessoris Guacii abbatis constituit conventui 60 solidos annui reditus.* Sic autem memoratur in necrologio carthusiæ de Bellarido: *pridie nonas Novemb. obiit venerabilis pater Petrus abbas S. Laurentii.*

VIII. Bartholomæus anno 1270 electus, pia pro defunctis statuta edidit in capitulo generali anno 1272. Insequenti allodium ab Odone de Sulliaco milite acquisivit. Ecclesiam ornamentis, bibliothecam mss. codicibus instruxit, monasterium cinxit muris, jura ipsius fortiter defendit, bona auxit. Ejus tempore Guillelmus episcopus Autissiod. interpretatus est an. 1285 privilegium ab Alano olim concessum de præbendis vacantibus in cathedrali ecclesia. *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 70.* Raptus est e vivis anno 1295, ejusque hisce verbis meminit necrologium: *IV id. Aprilis obiit felicis memoriæ Bartholomæus abbas hujus ecclesiæ, qui per 25 annos istam peroptime rexit ecclesiam, & acquisivit multa, videlicet terram* de Montoger *ubi ædificavit duas grangias & emit terram de Fonte-morini, & cavam nostram fecit cum prisione & claustra murorum nostrorum, & multa alia bona tam in libris quam in aliis bonis temporalibus & spiritualibus, quæ longum esset per singula enarrare, pro quo habemus XXX solidos annui reditus sitos super ecclesiam S. Domnoleni.* In necrologio carthusiæ de Bellarido sic occurrit notatus: *III id. Aprilis obiit felicis recordationis Bartholomæus abbas S. Laurentii, qui habebat in hac domo plenum monachatum, cui associatur Robertus successor ejus.*

IX. Robertus *le Blanc de Chauvris* an. 1295 sedere cœpit. Insequenti adfuit Ludovico comiti Nivernensi hominium Petro *de Mornay* Autissiodorensi episcopo profitenti. Cum Stephano priore de Rivillione vineas apud Varziacum sitas pro vinea de Gachiaco permutavit anno 1302 *Ibid. p. 85.* in vigilia S. Laurentii. Johannes episcopus Nivernensis anno 1314 Robertum instituit testamenti sui primum executorem, qui an. 1319 adfuit levationi corporis S. Amatoris. Obiit 1 Martii 1324, & in necrologio his verbis memoratur: *Anno Domini MCCCXXIV prima die Martii obiit felicis recordationis Robertus Albi de* Chauvris, *abbas hujus ecclesiæ, pater & doctor egregius decretorum, qui per XXIX annos & amplius spiritualiter, temporaliter ac laudabiliter ecclesiam istam rexit sano sensu, sano intellectu, integro aspectu atque auditu in Domino confitendo ac in laude ejus gloriando cum patribus suis in Domino obdormivit.*

X. Johannes I de Sancto-Amando, an. 1324 factus fuit abbas. Instituit anno 1339 anniversarium Johannis & Stephani *Arthuis* ob redemtos *Ch. CXXIV, col. 184.* 18 scyphos argenteos, quos, deficientibus pecuniis, in debitum subsidium Philippo regi bellum Anglis inferenti dederat. Fato functus anno 1340, in necrologio sic inscribitur: *Anno Domini MCCCXL ultima die mensis Junii*, alibi vero 2 die Junii, *obiit felicis recordationis Johannes de Sancto-Amando abbas summæ religionis totiusque contemplationis, qui per XXV annos & amplius in spiritualibus & temporalibus huic præfuit ecclesiæ sano sensu ac pie Domino confitendo in ipso feliciter requievit.*

XI. Petrus II de Lanffreyo sic notatus occurrit in necrologio: *XV cal. Januarii anno Domini MCCCXLIX die XVIII Decembris obiit bonæ memoriæ Petrus de Lanffreyo abbas hujus ecclesiæ,*

Digitized by Google

qui per decem annos istam peroptime rexit ecclesiam.

XII. Nicolaus recensetur in veteri instrumento anni 1352. Sedem apostolicam anno 1357 quam ab annis quinque occupabat Innocentius VI visitavit. De ipso hæc leguntur in necrologio: *Nonis Februarii obiit bonæ memoriæ Nicolaus abbas hujus ecclesiæ, qui per longum tempus istam optime rexit ecclesiam, anno Domini MCCCLX die V Februarii.*

XIII. Thomas I *de Bourbon*, anno 1360 electus rexit annis duodecim. Ex necrologio: *VII cal. Decembris, anno Domini MCCCLXXII die XXV Novembris obiit bonæ memoriæ Thomas de Borbonio, abbas hujus ecclesiæ, qui per XII annos istam peroptime rexit ecclesiam.*

XIV. Stephanus I *de Saint-Maurice* ex nobili apud Senonenses stirpe oriundus, ex priore S. Eusebii abbas electus confirmatur a Gregorio XI die 27 Decembris 1373. Societatem cum Autissiodorensi S. Petri monasterio iniit an. 1378. Hæc sunt verba necrologii: *XIII cal. Januarii anno Domini MCCCLXXXVII die XX Decembris obiit bonæ memoriæ Stephanus de Sancto-Mauritio abbas hujus ecclesiæ, qui per XIV annos istam peroptime rexit ecclesiam.*

XV. Johannes II *Rossignol* in necrologio memoratur his verbis: *Anno Domini 1403 die 28 mensis Junii obiit bonæ memoriæ Johannes* Rossignol *quondam hujus monasterii abbas.*

XVI. Petrus III *Naudin* reperitur in instrumentis annorum 1437 VIII cal. Maii, 1445 & 1452.

XVII. Ludovicus *Dadeuf* al. *Daduf* sic consignatur in necrologio: *Obiit domnus Ludovicus* Dadeuf *humillimus abbas hujus ecclesiæ, qui per longum tempus istam rexit ecclesiam anno Domini MCCCCLXV vicesima-nona die mensis Martii.*

XVIII. Johannes III *Rossignol* legitur in instrumento ad annum 1469, 29 Octobris.

XIX. Petrus IV Germani hæc habet in necrologio: *Anno Domini 1500 die 4 Augusti obiit bonæ memoriæ domnus Petrus* Germani *quondam hujus monasterii abbas, qui plurima bona memoriæ commendanda monasterio fecit, nam plures processus dictæ abbatiæ contra nonnullas personas prioratum S. Gildardi detinentes & occupantes prædictam ecclesiam ad utilitatem, &c.... eorumdem ad finem debitum perduxit.*

XX. Reginaldus *Aubert* in necrologio sic consignatur: *Obiit felicis memoriæ Reginaldus* Aubert *abbas hujus ecclesiæ, qui per spatium 18 annos istam peroptime rexit ecclesiam & construxit ac ædificavit domum cum majori parte, murorum hujus abbatiæ ac etiam domum dictam de Villa* de Montoin *cum una parte claustri. Dehinc diei suæ fato concessit anno Domini 1518.*

XXI. Antonius I *des Ruyaux* memoratur in instrumento 27 Januarii 1523, simul abbas S. Laurentii & prior commendatarius S. Eusebii.

XXII. Bernardinus *Bochetel* commendam tenebat anno 1544 ex charta S. Eusebii. Ejus tempore Franciscus *de Dinteville* episcopus constituit vicarios generales Laurentium *Petitsou* abbatem S. Petri & Jacobum *du Coin* ut id monasterium reformarent an. 1548. Superstes adhuc 23 Augusti 1558.

Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 213 & seq.

XXIII. Johannes IV *Dugué* eo modo recensetur in necrologio: *Dominus Johannes* Dugué *abbas commendatarius hujus monasterii, qui per tres annos tali die* (V cal. Octobris) *obiit 1572.*

XXIV. Guillelmus *du Lys* anno 1583.

XXV. Stephanus II *le Roi* Parisinus sacræ Capellæ canonicus ac regis eleemosynarius, abbatiam tenebat annis 1584 & 1603, tenuit & commendam S. Martini Nivernensis.

XXVI. Johannes V *Turle.*

XXVII. Antonius II *de Ruel* præcedentis nepos.

XXVIII. Dionysius *des Champs.*

XXIX. Jacobus *Phelippeaux.*

XXX. Baltazar *Phelippeaux d'Herbault* annis 1656 & 1673. Obiit mense Aprili 1688, etiam commendatarius Burgimedii.

XXXI. Thomas II *Daquin* decanus S. Thomæ de Lupara nominatus est mense Aprili 1688. Occubuit 9 Martii 1725 ætatis 82.

XXXII. N. *Pescard* episcopus Berytensis ex regis nominatione mense Maio 1725, ipso cedente

XXXIII. Johannes-Baptista *Clopin* presbiter Lingonensis nominatur a rege mense Maio 1725.

Hos præter absque chronologia in necrologio notantur.

Stephanus dictus Trouvelli abbas hujus ecclesiæ, qui longo tempore per Dei gratiam istam rexit ecclesiam, obiit die 3 Januarii.

Gaufridus *de Lavau*, XI calend. Martii.

Herveus, V calend. Julii.

Gaufridus de Riviera cognominatus Burelli, cal. Augusti.

David, XV cal. Novembris.

De hujus monasterii alumno quodam hæc in necrologio referuntur: XI calend. Augusti obiit Gaufridus noster, qui cum per multos annos rexisset domum nostram *de Chentose* cum proprietate non indicata decessit, & ideo caruit ecclesiastica sepultura, qui hic scriptus est non ut oretur pro eo, sed ut sit posteris in exemplum.

S. PETRUS.

HUJUS monasterii quæ prima fuerit origo certo non liquet; altius tamen VI sæculo non videtur repetenda, quippe cujus mentio primum occurrat in vita S. Aunacharii Autissiodorensis episcopi, qui basilicæ S. Petri circa annum 596 ad publicas preces calendas Aprilis assignavit, & quartam feriam pro vigiliis in ecclesia majori celebrandis. Eidem basilicæ S. Desiderius Aunacharii successor quædam testamento legavit anno 620. S. Tetricus circa annum 700 basilicæ S. Petri expresse meminit, & postea altum est & longum de illa silentium.

Restauratum quidem referunt Sammarthani hoc monasterium a Gerardo de Rossilione & Bertha ejus conjuge, constructa de novo basilica Apostolorum Petri & Pauli in suburbiis Autissio-

Digitized by Google

dori, & erecto collegio duodecim canonicorum qui regularem degerent vitam sub Angelelmo decano anno 749; verum ipsis hac in re fides habenda non est, quos forsan decepit vel fabula quædam aliquot abhinc sæculis scripta, vel necrologium domus, cujus eo levior est autoritas, quod hæc traditio quam refert ad diem 5 Octobris in ipso fuerit incerta, Gerardumque mortuum exhibeat annos amplius centum quinquaginta ante Carolum calvum, quo tamen regnante, Gerardus circa annum 867 Vizeliacum Augustodunensem, & Pultariam Lingonensem ante annum 868 condidit, ut diximus tom. IV, & mortuus est cum Bertha conjuge anno duntaxat 874. Consulendum igitur potius ecclesiæ cathedralis vetus necrologium ex quo deprehenditur basilicam S. Petri sæculis X & XI fuisse canonicorum sæcularium. Duodecimo vero Humbaldus episcopus canonicos regulares huic ecclesiæ addixit, quibus præerat quoque decanus, quem in abbatem an. 1169 commutavit Guillelmus episcopus. Plurima huic cœnobio progressu temporis accesserunt prædia, ut in decanorum & abbatum elencho notabimus, & tandem a Patribus congregationis Gallicanæ 14 Septemb. 1635 reformatum fuit.

Decani.

I. ANGELELMUS anno 749 ex Sammarthanis.

II. Robertus anno 951 defunctus sic memoratur in necrologio ecclesiæ Autissiodorensis 18 Februarii: *Ipso die obiit Robertus sacerdos atque decanus S. Petri.*

III. Walo obiit 23 Maii 995.

IV. Goffridus, de quo necrologium ecclesiæ Autissiodorensis: *XII calend. Martii Goffridus canonicus S. Stephani & decanus S. Petri obiit*, anno scilicet 1014 ex Sammarthanis.

V. Hincmarus tempore Humbaldi episcopi circa annum 1110, cujus meminit charta monasterii Molismensis.

Decani regulares.

VI. Ulricus circa annum 1118, quo sedente, ab Hugone de Monte-acuto episcopo Autissiodorensi donata est anno 1123 ecclesia *d'Augy* canonicis S. Petri, qui tunc dicebantur canonici S. Petri de ponte, ut distinguerentur a canonicis S. Petri in castro. Vineam monachis Pontiniacensibus concessam approbavit ea lege ut census duodecim denariorum sibi solveretur in festo S. Germani.

Hist. Autiss. prob. tom. II, p. II. *Ch. XVI, col. 110.*

VII. Hugo subscribit chartæ monasterii de Villarigondone an. 1130, quo ecclesiam S. Petri de Sueriis ab Hugone de Monte acuto accepit. Subsignavit chartæ ejusdem Hugonis pro Crisenone anno 1134; alteri vero an. 1136. Insequenti ecclesiam de Ceziaco obtinuit ab Henrico archiepiscopo Senonensi. Extat ad eumdem decanum bulla Innocenti II de donatione ecclesiarum S. Petri *de Sougères* & S. Mauritii *d'Augy* ipsi concessa.

Hist. Aut. Ibid. p. 12. *Ibid. p. 13.*

VIII. Durandus ab Hugone episcopo institutus memoratur anno 1139 a Sammarthanis. Ab eodem episcopo ecclesiam S. Peregrini anno 1143 obtinuit. *Ibid. p. 13.*

IX. Amicus, cui Godefridus Lingonensis antistes dedit ecclesiam Curtævillæ, quam donationem Hubertus ejusdem ecclesiæ decanus, interventu Gauterii episcopi Cabilonensis, in synodo Lingonensi anno 1149 confirmavit. *Ibid. p. 16.* *Ibid. p. 15.*

X. Guarinus memoratur a Sammarthanis an. 1163. Obtinuit ab Alexandro III bullam confirmationis donationum ecclesiæ suæ concessarum ab episcopis Autissiodorensibus, archiepiscopo Senonensi & Lingonensi antistite anno 1165 V cal. Aprilis.

Abbates.

I. ODO ex decano anno 1169 primus fit abbas a Guillelmo episcopo ex consensu Willelmi archiepiscopi Senonensis, sedis apostolicæ legati. Ab Alexandro III obtinuit confirmationem dignitatis bulla Anagniæ data V cal. Martii 1174 indictione VII. Insequenti transegit cum Ascelino abbate Rigniacensi, præsentibus Guillelmo Autissiodorensi & Stephano Eduensi episcopis. Testis fuit anno 1173 donationis a Guidone comite Nivernensi Guillelmo episcopo collatæ. Alteram historicus Autissiodorensis memorat bullam ejusdem summi pontificis anni 1178. Recensetur etiam Odo anno 1175 in charta Crisenonis, & in altera Idæ comitissæ Nivernensis, in gratiam episcoporum Autissiodorensium hoc anno conscripta. Hujus esse ferunt septem epistolas quæ referuntur tom. II spicilegii pag. 525 & seq. conjectandi locum dat domnus Lucas Dacherius. *Ch. XLVIII, col. 134.* *Ch. XLVI, col. 133.* *Ch. LI, col. 135.*

II. Gaufridus præerat an. 1176. Privilegium protectionis an. 1178 ab Alexandro III accepit. Reperitur an. 1180 in literis Willelmi episcopi. Adhuc superstes an. 1193, cui tamen Sammarthani subjiciunt Gauterium an. 1180 & Hugonem an. 1189 omissos ab historico Autissiodorensi, nisi forte duplex distinguendus sit Gaufridus. *Ch. LII, col. 136.*

III. Arnulfus reperitur in pluribus actis ab an. 1195 ad annum 1224. Cum H. Vezeliacensi abbate cognovit de quadam controversia inter Odonem Parisiensem episcopum & Johannem abbatem S. Genovefæ exortam circa an. 1202. Vide tom. VII, col. 728. A Manasse Aurelianensi episcopo jussus de lite quadam orta episcopum Autissiodorensem inter & abbatissam B. Mariæ, inquisivit anno 1208. In arbitrium assumptus, moniales S. Juliani Willelmo comiti Joigniaci conciliavit an. 1210. Pactum iniit anno 1220 cum canonicis S. Amatoris. Insequenti societatem cum Odone abbate Molismensi iniit. Cum Petro Pruliaci abbate vineam sitam apud Augiacum pro altera juxta Autissiodorum posita permutavit anno 1222. Extat ejusdem epistola apud Martenium ad abbatem de Barbello. *Ch. LXVII, col. 148.* *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 269.* *Ibid. p. 274.* *Anecd. t. I, col. 775.*

IV. Bartholomæus, idem sane cum B. abbate S. Petri qui anno 1222 reperitur in charta

Digitized by Google

Crisenonis, memoratur a Sammarthanis anno 1230, quo in crastina B. Laurentii fuit arbiter una cum quibusdam canonicis in controversia exorta episcopum Autissiodorensem inter & ejusdem loci comitem, super eo quod comitis ballivi duos burgenses, unum Senensem & alterum Lucensem comprehensos rebus suis spoliassent. Testis fuit anno 1233 donationis factæ monasterio Pontiniacensi. Occurrit an. 1235 mense Martio in literis de quadam venditione facta episcopo Autissiod. mentionem habentibus. Anno 1255 mense Martio edidit literas fidem facientes de juribus ad abbatiam S. Germani spectantibus super ecclesiis de Rouvreto & de Venossa. Permittente Guidone episcopo, quædam vendidit anno 1258 monasterio S. Johannis Senonensis. Vivebat adhuc annis 1263 & 1267, & tamen Sammarthani dant ipsi anno 1260 Bernardum successorem. An duplex Bartholomæus?

Hist. Aut. tom. II, prob. p. 50.

Ch. LXXXVI, col. 159.

Hist. Aut. tom II, prob. p. 283.

Ibid. p. 285.

V. Johannes I pedum tenebat anno 1271. Eo sedente, Alix uxor Johannis de Cabilone comitis Autissiodorensis, monasterium reparavit anno 1277. Adfuit hominiis quæ Guillelmo Autissiodorensi episcopo reddiderunt Robertus Flandriæ comes anno 1280, & Johannes de Cabilone anno 1290. Permutationem factam a priore Guennæ cum Margarita *Dunay* domina *de Maisy* approbavit an. 1294; superstes adhuc anno 1295.

Ch. CXV, col. 179.

VI. Ægidius recensetur an. 1300. Transegit anno 1304 & etiam 1307 cum Simone abbate Pontiniaci. FF. Prædicatoribus Autissiodorensibus quædam vendidit an. 1308.

VII. Johannes II *Berard* regebat annis 1310 & 1312.

VIII. Robertus interfuit an. 1320 revelationi reliquiarum S. Amatoris; insequenti quædam permutavit.

IX. Gibaudus d'*Estrisi* nobili stemmate editus, in instrumento an. 1338 jam diu se abbatem esse profitetur. Fuit unus ex præsidentibus capituli generalis in monasterio S. Vincentii celebrato mense Martio anni 1340, quo sicut & anno 1346 FF. Prædicatoribus Autissiodorensibus aliquos census remisit. Anno 1350 ad ipsum, tanquam ad recuperatorem, missum est regis Johannis de fœneratoribus edictum. An. 1353, capitulum generale celebravit, in quo suum instituit anniversarium. Primus ex clero nominatur inter eos, qui pro urbe an. 1359 obligaverunt se se pro redemptione abbatiæ S. Germani. Recensetur adhuc in quibusdam actis anni 1360. Obiit exeunte anno 1367 aut ineunte 1368, ac proinde ex abbatum catalogo expungendus Johannes *Assati*, quem Gibaudo Sammarthani subjiciunt.

X. Johannes III de Noyento, non de Noeriis, post obitum Gibaudi ex priore de Rosseio abbas electus fuit. Illius electionis decretum, cum ad Urbanum V delatum fuisset, amici quidam Petri *de la Rochette* abbatiam pro eo postularunt a summo pontifice, & impetrarunt. Verum hic, bullas antequam concederet, cardinali de Carcassona demandavit ut vitam Petri & mores diligentius inquireret. Quod ubi tandem rescivit Petrus, qui quæcumque facta fuerant prius ignoraverat juri suo, si quod haberet, renuntiavit, & electio Johannis mense Augusto an. 1368 confirmata fuit. A Gregorio XI obtinuit anno 1375, ut monasterio suo ad tempus adderentur annui prioratus Ceziaci reditus, quos, sede vacante, perpetuos pro eodem monasterio postulavit anno 1398 Maria Siciliæ regina. Societatem cum abbatia S. Laurentii an. 1378 iniit. Fundationes accepit anno 1380. Juxta nonnullos vivebat adhuc anno 1397.

Ibid. p. 305.

XI. Nicolaus ex priore Castri Reynardi Senonensis abbas renuntiatus est an. 1398.

XII. Guillelmus *Vivien* Autissiodorensis anno 1401 interfuit solemni receptioni Michaëlis episcopi Autissiodorensis. Legitur in chartis an. 1404, & 1 Octobr. 1407 in regestis capituli.

XIII. Johannes IV *Damade* legitur in actis annorum 1426 & 1427.

XIV. Johannes V *Assert* forte *Assati* mense Octobri 1430 excommunicatus fuit propter negata jura archipresbytero de *S. Bry*. Idem sane est qui una cum abbate S. Mariani ab Eugenio summo pontifice commissus fuit anno 1431, ut bona a canonicis cathedralis ecclesiæ alienata ad jus & proprietatem mensæ eorumdem revocare curaret. Præsens adfuit cum Petrus *de Longueil* episcopus Autissiodorensis possessionem iniit an. 1449.

Charta CXXXIV, col. 198.

XV. Petrus *Lemasle* Autissiodorensis præerat an. 1455. Interfuit translationi reliquiarum S. Cotti 19 Novembr. 1480.

XVI. Johannes VI *de Bangis* sedebat anno 1480, quo translationi S. Cotti adfuit. Ejus obitus notatur 28 Maii in necrologio S. Laurentii.

Ch. CXLI, col. 210.

XVII. Hugo *de Boulangiers* reperitur in instrumento 20 Novemb. an. 1485, & in actis annorum 1501 & 1507. Cessit in gratiam sequentis 7 Januarii 1513.

XVIII. Laurentius I *Petitfou*, baccalaureus regularium ultimus, ab anno 1513 ad 1542, quo cessit sequenti nepoti suo. Vivebat adhuc an. 1571.

XIX. Laurentius II *Petitfou*, præcedentis nepos, baccalaureus, canonicus & magnus archidiaconus Autissiodorensis, primus commendatarius, anno 1542 a Francisco *de Dinteville*, episcopo Autissiod. constitutus est vicarius generalis, ut reformaret monasterium S. Laurentii anno 1548. In favorem sequentis nepotis sui abdicavit an. 1595, quo devixit 3 Februarii. In necrologio sic annotatur: *III non. Febr. obiit venerabilis & scientificus vir magister Laurentius* Petitfou, *officialis, archidiaconus & canonicus ecclesiæ cathedralis, & nuper abbas commendatarius S. Petri.*

Hist. Aut. tom. II, prob. pp. 213 & 214.

XX. Laurentius III *Fauchot*, præcedentis nepos, major archidiaconus & canonicus Autissiodorensis, commendam tenebat ex abdicatione præcedentis an. 1595. Moriuus 30 Maii 1608, sepulturam habuit prope avunculum suum in ecclesia S. Petri cum hoc epitaphio: *Cy gisent reverends pères en Dieu, Messires Laurent* Petitfou

Digitized by Google

& Laurent Fauchot, *abbez de l'abbaye de ceans, grands archidiacres & chanoines de l'église d'Auxerre, qui trépassèrent; savoir, ledit Laurent* Petitfou, *le 3 Février 1595; & ledit* Fauchot, *le penultieme Mai 1608.*

XXI. Henricus *de Lambert*, cujus tempore reformatum est monasterium a patribus congregationis gallicanæ 14 Septembr. 1635, obiit 14 Martii 1646.

XXII. Rogerius I *de Harlay* ex regis nominatione possessionem adeptus est mense Novembri 1646. Fuit etiam episcopus Leutevensis, commendatarius Scarleïarum & Perseniæ. Obiit 14 Martii 1669, sequenti nepoti suo decem ante annis cessione factâ.

XXIII. Rogerius II *de Courtenay*, filius Ludovici principis *de Courtenay*, & Lucretiæ *de Harlay* præcedentis sororis, ex cessione avunculi sui commendam tenuit, adeptusque est possessionem mense Februario 1659. Habuit quoque Scarleïarum commendam, fuit & canonicus Lugdunensis. Eo defuncto,

XXIV. N. *de la Chabrerie*, presbyter; quo cedente,

XXV. N. *Hardoin* canonicus Senonensis, regius concionator, designatur a rege 3 Julii 1737.

XXVI. Josephus *de Calviere de Beaucoiran* a rege nominatus est mense Junio 1743.

PONTINIACUM.

SECUNDA Cistercii filia, quadraginta trium & ipsa filiarum mater, conditur an. 1114 ad Sceniam fluvium, quatuor ab urbe Autissiodoro leucis. Abbatiæ percelebris exordia sic refert tabularium domesticum: « Cum Dei misericordia sua gratuita bonitate novum monasterium, id est Cistercium in Burgundia constructum, & regulari disciplina ditaret, & copiosa monachorum multitudine adaugeret, quidam sacerdos, vera religione non mediocriter adornatus, Ansius * nomine, in Autissiodorensi territorio degens, rogavit dominum Stephanum novi monasterii abbatem, & monachos ejusdem loci, ut in loco suo qui *Pontiniacus* dicebatur, monachis ibidem collocatis, abbatiam ordinarent. Qui spe regularis disciplinæ propagandæ incitati, voto supradicti sacerdotis se satisfacturos promiserunt, si antistes in cujus diœcesi locus ille situs erat, hoc amplecteretur. Dehinc domnus Stephanus abbas, & Ansius sacerdos, Autissiodorum venientes, causam ordinandæ in prædicto loco abbatiæ beatæ memoriæ Humbaldo episcopo aperiunt. Quorum studium laudabile pontifex audiens, lætissimus redditur, magnum se sibique commissos spiritualis boni emolumentum nacturos fore, si suo tempore gratia divina sanctæ regulæ amatores in suo multiplicaret episcopatu. Eo tempore, assensu ac dono, autoritateque domini Humbaldi episcopi & totius capituli ecclesiæ suæ ac venerabilis A sacerdotis Ansii, suscepit domnus Stephanus abbas Pontiniacensem ecclesiam ad abbatiam inibi ordinandam, &c ».

* Is est forte Hildebertus Autissiodorensis ecclesiæ canonicus, in cujus allodio Robertus S. Mariani, Jongelinus, Sammarthani, & post eos historicus Autissiodorensis fundatam fuisse hanc abbatiam asserunt.

Rebus ita dispositis, fundatoque & adaucto plurimorum largitionibus monasterio, Stephanus abbas Cistercii duodecim illuc monachos misit, quibus præfecit Hugonem. Errant qui Theobaldum Campaniæ comitem, fundatorem Pontiniaci asserunt, qui præcipuus tantum monasterii benefactor habendus est; sed tanta fuere ejus in Pontiniacenses beneficia, ut pro fundatore a plerisque, nec forte injuria, haberi meruerit. Ipse est enim qui primo eoque angusto destructo B monasterio, omnibus ad illud Cisterciensi instituto daturis nomen confluentibus continendis impari, novum illudque amplissimum condidit circa an. 1150, ecclesiam præsertim insignem, claustrum, dormitorium, aliaque regularia loca quæ & Theobaldi munificentiam & monasterii dignitatem in primis commendant, tametsi plura alia inclytum illud ac famosum omnino reddiderint.

1.° Monachorum in eo degentium vitæ sanctitas per omnem pene terram tantum virtutis spargebat odorem, quo illecti Pontiniacum undique confluebant conversionis gratia & nata- C lium splendore, & scientia & dignitate præstantes, ut ante annum 1157 quinquaginta saltem sacerdotes in eo degerent, uti discimus ex statuto Galonis episcopi Pictaviensis, aliorum tametsi monachorum longe major esset numerus. Inde mirum videri non debet quod ex eo cœnobio tot exierint sanctorum monachorum examina, quæ plures instituti sui aliis in regionibus domos condiderunt.

2.° Viri illustres qui ex eo prodiere, nimirum S. E. R. cardinalis Gerardus; archiepiscopi tres, Guichardus Lugdunensis, Garinus & Guillelmus Bituricenses, quorum hic sanctorum albo meruit D adscribi; episcopi etiam quatuor, Hugo & Garmundus Autissiodorenses, Petrus Atrebatensis, & Galterius Carnotensis, præter abbates non paucos qui aliis monasteriis dati sunt patres.

3.° Sanctorum insigniorumque episcoporum exulum in illud secessus, sed præsertim Cantuariensium archiepiscoporum S. Thomæ an. 1164, Stephani de Langton cum suis suffraganeis anno 1207, & S. Edmundi anno 1239, cujus corpus hactenus ibidem servatur incorruptum, quibus addendus anno 1217 Robertus de Magduno Aniciensis antistes. Hinc duo illi versiculi:

E *Est Pontiniacus pons exulis, hortus, asylum;*
Hic graditur, spatiatur in hoc, requiescit in illo.

4.° Insignes sepulturæ; in eo quippe conditi fuerant archiepiscopi quatuor, Guichardus Lugdunensis, Garinus Bituricensis, S. Edmundus Cantuarensis, & Guillelmus Eboracensis; episcopi etiam quatuor, Hugo III Autissiodorensis, Guillelmus *de Seignelai* Parisiensis, Petrus Atrebatensis & Malgerus Wigorniensis; abbates quoque externi quatuor, Jordanus Cari-campi, Albertus de Pinu, Richardus Miræ-vallis &

Heselinus Cari-campi. Illic etiam quiescunt Guido S. Bernardi frater natu major, Adela Theobaldi Campaniæ comitis filia, Franciæ regina Ludovici VII uxor & Philippi-Augusti mater, Herveus comes Autissiodorensis, Nivernensis & Tornodorensis anno 1222 defunctus. Errant Sammarthani qui Mathildem ejus conjugem ibidem etiam sepultam asserunt; illam enim in Consolationis B. Mariæ parthenone conditam probant & ejus testamentum tom. I anecdot. relatum, & ejus epitaphium quod cernitur in claustro Consolationis, ubi primum tumulata erat, & ante majus altare, quo postea translata fuit. Sed illud forte excusat Sammarthanos, quod apud Pontiniacum sepulturam primum elegerat; ast fundato Consolationis parthenone, primam revocavit voluntatem. Conditur etiam Pontiniaci Johanna de Cabilone Tornodorensis comitissa quæ obiit anno 1400, aliique multi illustres viri.

Præter Theobaldum comitem inter monasterii benefactores præcipuos annumerandi Francorum reges, Ludovicus VI, Ludovicus VII, quorum literæ extant apud Martenium, Philippus-Augustus qui ratum habuit anno 1181 donum a Mathilde Nivernensi comitissa collatum, Campaniæ comites non pauci, comites Autissiodorenses, Nivern. & Tornodor. comites Ebroicenses, comites Barri, Juvigniaci & alii plures quorum nomina in abbatum indice passim reperientur.

Anecd. t. III, col. 1226 & 1227.
Ibid. col. 1239.

Abbates.

I. Hugo Matisconensis comes, unus e triginta sociis quos S. Bernardus a sæculi vanitate conversos secum anno 1113 duxit Cistercium; vix e monasticæ vitæ tyrocinio fuerat egressus, cum a Stephano abbate Cisterciensi primus Pontiniaci creatur abbas anno 1114. Hujus monasterii pater factus ita se gessit, ut virtutis piæque observantiæ longe lateque odorem diffunderet. Confluentibus undique qui sub ejus magisterio sanctæ regulæ darent nomen, adeo copiosam adunavit monachorum congregationem, ut ex iis in varias regni partes examina necessum fuerit emittere, undecimque Pontiniaco subjecta, quæ filiæ vulgo dicuntur, cœnobia fundaverit. Anno circiter 1120 Drogonem Nicasiensis apud Remos abbatiæ monachum, insignem pietate virum in Pontiniacensi, invito ipsius abbate suscepit; qua de re extant D. Bernardi epistolæ 32, 33 & 34. Legitur eodem circiter tempore in charta Hugonis de Tilio Boni-radii monasterio quædam concedentis. Hugonis episcopi Autissiodorensis ecclesiam S. Ferreoli Gervasio abbati S. Germani largientis chartæ subscripsit an. 1123. An. 1126 quasdam decimas Henricus Senonensis archiepiscopus concessit Hugoni, qui circa idem tempus ab Henrico Anglorum rege privilegium impetravit. Is una cum S. Bernardo ad Honorium pontificem maximum anno 1127 epistolam scripsit, in qua conqueruntur apud eumdem pontificem, quod relaxatione interdicti subreptitie obtenta rex Galliæ jam pridem pronus ad pacem factus sit obstinatior. A Cisterciensi capitulo generali ad Ludovicum regem delegatus est. Quædam permutat 1133 cum canonicis S. Martini de Chableia. Testis reperitur anno 1134 in charta Ebrardi abbatis Molismensis pro monasterio de Crisenone, transegitque anno 1136 cum Gervasio S. Germani abbate. Eodemque anno electus est episcopus Autissiodorensis.

Ch. XIII, col. 108.
Anecdot. ibidem, col. 1227 & 1228.
Opera S. Bernardi, t. I, p. 54.
Ch. XVII, col. 111.

II. Guichardus anno 1136 Hugonis successor, ab Innocentio II protectionis privilegio donatus fuit anno 1138. Insequenti Senonum archipræsul Henricus ipsi usum in suis nemoribus concessit. Pridie nonas Augusti anni 1141 occurrit cum Stephano Rigniaci abbate. Anno 1142 aliud privilegium tuitionis ab Innocentio II impetravit, societatemque cum Præmonstratensibus iniit. Donationem, quam Henricus archipræsul Senonensis contulerat, ab Hugone ejus successore roborari fategit anno 1143. Ipso sedente, ut ita est anno 1145 Pontiniaco abbatia de Trisagio diœcesis Lucionensis. Legitur apud Martenium privilegium a Theobaldo Blesensi comite ipsi concessum anno 1149. Cum Guidone Nivernensi comite quædam permutat anno 1156, quo ab Adriano IV literas defensionis excepit. Eodem circiter tempore, Eblo de Maloleone epistolam ad G. verisimiliter Guichardum scripsit, in qua ipsi totique capitulo ejusdem loci gratias agit, ex eo quod permisissent ut in ejus dominio construeretur abbatia quæ nuncupatur *Rea* sive *Reacus*, intra Santonensis diœcesis limites in cognomine insula, quam vulgo *l'isle de Ré* vocant, & a qua id cœnobium nomen suum mutuatum est. Itaque ad hoc perficiendum concessit totum nemus & universam terram insuper, & omnia quæcumque dederat Isaaco sane Stellæ diœcesis Pictaviensis abbati, alterique abbati nomine Johanni, ipsis hoc annuentibus, inquit Eblo, imo votis omnibus implorantibus.... « quatenus hanc abbatiam juxta consuetudines ordinis vestri « cum omnibus eleemosynis suis libere & absolute « possideatis & ordinetis in perpetuum. Hoc autem, « pergit ille, diligenter & affectuose postulamus « ut personas loco simul & ordini congruentes, « atque fideles incunctanter nobis provideatis ». De hoc monasterio jam locuti tom. II, col. 1403, ubi illud abbatiis ecclesiæ Malleacensis perperam adscripsimus. Guichardus anno 1159 donatus est & alio privilegio ab Alexandro III. S. Thomam Cantuariensem archiepiscopum exulantem anno 1164 excepit, habitu monastico induit intimaque cum ipso necessitudine conjunctus est. Eodem anno cum Gotefrido Lingonensi episcopo & Gaufredo abbate Claræ-vallis de juribus disceptantes, Alanum episcopum comitemque Autissiodorensem Wilelmum concordes effecit. Adfuit an. 1165 cum Norpaldo Vallis-lucentis & Hugone Quinciaci abbatibus, Lamberto Cisterciensi abbati concordiam approbanti initam inter monasteria Pontiniaci & Vallis-lucentis, eodemque anno ad Lugdunensem ecclesiam promotus fuit.

Ch. XVIII, col. 111.
Anecdot. t. III, col. 1228.
Ibidem, coll. 1228. & 1229.
Ibidem col. 1242.
Ibidem col. 1231 & seq.

III. Garinus de Girardo, *al.* de Gellardum

Digitized by Google

Ibidem, coll. 1235 & 1236.

bullam ab Alexandro III obtinuit III id. Novemb. anni 1166, pontificatus VIII. S. Thomæ Cantuariensi carus admodum fuit, quem ad S. Columbæ monasterium anno 1167 abeuntem prosecutus est. Circa illud tempus S. Guillelmum Grandimontensis cœnobii monachum ad Pontiniacensem transmigrantem suscepit, cujus occasione egregiam scripsit epistolam num. LXI Stephanus Tornacensis. Is est Guillelmus ille *de Dongeon*, qui postea fuit Bituricensis archiepiscopus. Anno 1170 cum Gerardo abbate Clarevallensi arbiter constituitur ad componendam inter Rigniaci & Boni-radii monachos controversiam. Henricum Trecensium comitem beneficum expertus est an. 1172. Festum S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi & martyris apud Pontiniacum celebrari instituit an. 1174, sub cujus finem ad Bituricensis ecclesiæ thronum evectus est. Consule tom. II, pag. 55.

Ibidem col. 1237.

IV. Willelmus, cui donationem cujusdam vineæ factam a Johanne filio Ludovici, qui fuerat comitis Nivernensis præpositus, W. comes Nivernensis confirmat anno 1176. De hoc prædio Pontiniacensibus concesso extat epistola Willelmi Senonensis archiepiscopi anno superiore scripta. A Sammarthanis omittitur Willelmus sicut & sequens.

Ibidem col. 1238.

V. Petrus I diploma confirmationis bonorum obtinuit a Ludovico rege anno 1177. Decimam de Clauso-comitis accepit anno 1178 a Milone abbate S. Mariani, præsentibus Garmundo Quinciaci & Hugone Dei-loci abbatibus. Eidem an. 1180 Ansericus de Monte-regio Burgundiæ senescallus, laudantibus Sibilla uxore & Anserico ac Johanne filiis, prædia concessit.

VI. Garmundus *Clement*, frater Roberti & Egidii *Clement*, quorum sub Ludovico VII & Philippo-Augusto magna fuit potestas, Henrici *Clement* Franciæ marescalli & Galterii Senonum archipræsulis avunculus, forte ex abbate Quinciaci Pontiniacensis, uno duntaxat anno sedit.

Ibidem col. 1239.

Eo præsente anno 1187 Milo de Noeriis confirmat & auget donum a Milone patre suo Pontiniacensi abbatiæ concessum. Electus deinde episcopus Autissiodorensis, cum ejus promotioni quidam restitissent, Romam profectus, lite indecisa ibidem devixit. Rem sic narrat chronicon Autissiodorense, pag. 87. litera A, & post ipsum Sammarthani, tom. II, col. 282: « Ipso anno „ (1182) Autissiodorenses canonici Garmundum „ IV abbatem Pontiniacensem elegerunt in præ„ sulem, non tam ipsius merito, quam sollicito „ studio fratris ejus Egidii, tunc a rege præ cæteris „ in curia sublimati. Verum cum quædam ex per„ sonis ecclesiæ restitissent, Romam proinde pars „ utraque profecta est, ibique diutius sunt detenti, eo „ quod multis utrinque rationibus allegatis nequiret „ negotium terminari. At illic maxima interim „ mortalitate grassante, Garmundus moritur sicque „ contentio terminatur. Quodque mirandum est, „ per eosdem dies quibus peste in curia Romana „ obiit, frater ejus in Franciæ curia principatum „ amisit. Hujus autem Egidii frater extiterat Ro„ bertus cognomento Clemens, qui regem a prima ætate nutrierat & instruxerat, vir moderatus & « prudens regique fidelis, & qui regalia industrie « satis & strenue administrarat negotia, dum regem « post mortem patris habuit in tutela; huic præ« dictus Egidius in regni administratione suc« cesserat ».

VII. Petrus II anno 1182 electus, biennio post anno scilicet 1184 ad episcopatum Atrebatensem sublimatur; & e vivis ereptus anno 1203 humatus est in ecclesia Pontiniacensi prope majus altare a parte evangelii cum hac inscriptione: *Hic jacet domnus Petrus Quintus, abbas hujus monasterii, postea episcopus Atrebatensis.* Ejus obitus in necrologio Pontiniacensi assignatur 16 Decemb. De eo tom. III, pag. 328 diximus, ubi Cisterciensis abbatis ipsi titulum dedimus post Jongelinum & Albericum, forte quia erat abbas hujus ordinis.

VIII. Mainardus anno 1184 ab Agnete Nivernensi comitissa laudari curavit donum quadraginta arpentorum nemoris *de Bars* ab ejus parentibus Guidone comite & Mathilde comitissa Pontiniacensi ecclesiæ concessum, quam donationem eodem anno confirmavit quoque Petrus de Curtiniaco comes Autissiodori. Legitur apud Martenium charta ejusdem anni ab Hugone episcopo Autissiodorensi edita imponendi finis ergo liti a Johanne *de Lacgni* excitatæ. Reperitur Mainardus & anno 1185, cui anno sequente Clarembaldus de Noeriis prata contulit. Anno 1187 cum Willelmo Cistercii abbate regulam a Calatravensibus militibus observandam composuit. Cum Radulfo S. Germani abbate transegit anno 1189, novaque beneficia a Clarembaldo de Noeriis Jerosolymam mox profecturo recepit. Idem una cum Guidone Prulliacensi abbate a pontifice maximo arbiter constitutus, ortam inter Mauricium Parisiensem episcopum & canonicos S. Exuperii Corboliensis super procuratione episcopo debita litem composuit mense Decembri 1190, præsentibus Hugone Autissiod. & Johanne Nivern. episcopis. Reperitur adhuc anno 1192 in chartis S. Germani Autissiod.

Ibidem col. 1240. — Ibidem col. 1241. — Ibid. — Ibidem col. 1242.

IX. Johannes I paucis dumtaxat mensibus præfuit.

X. Gerardus I memoratur in chartis Dei-loci an. 1196, Quinciaci 1198, quo scripsit pro abbate Morimundi ad Innocentium III. G. occurrit in charta Cadunii IV. non. Maii 1201, quo an. Odo Parisiensis episcopus pro G. abbate Pontiniaci sententiam dixit. Creatum volunt cardinalem diaconum tituli S. Nicolai, deindeque episcopum Prænestinum. Et certe in necrologio Pontiniacensi die 14 Junii sic legitur: Obiit domnus Gerardus VIII abbas hujus monasterii, postea cardinalis & episcopus Prænestinus.

Ughelli Italia sacra.

XI. Johannes II ab Innocentio III an. 1202 epistolam accepit de pace in ordine procuranda, quo item anno Daimbertus dominus de Silliniaco, ejusque uxor Margarita suam apud Pontiniacum sepulturam obtinuere, eidemque monasterio vineas concesserunt. Anno 1204 Petrus comes Autissiodorensis & Theobaldus dominus de

Anecdot. t. III. coll. 1243. — Ibid.

Digitized by Google

[*Anecdot. tom. III, col. 1243.*] de Chanloto suam ibidem sepulturam quoque elegerunt, haud secus ac regina Franciæ Adela, [*Ibid.*] quam eodem anno obtentam ab Innocentio III confirmari curavit. Re quidem vera biennio post 1206 ibidem fuit humo mandata. Anno 1205 a capitulo generali reprehensus fuit Johannes, [*Ibidem, col. 1245.*] quod Franciæ reginam cum multis aliis mulieribus in monasterium introduxisset, ecclesiamque pavimento nimis eleganti stravisset. Hoc ipso anno Herveus Nivernensis comes commutationem a [*Hist. Autiss. prob. tom. II, p. 37.*] suo patre Guillelmo factam laudavit ac quinquaginta arpenta nemoris de Barro eis in perpetuum possidenda tradidit. Stephanum de Langtone Cantuariensem cum suis suffraganeis exulem in monasterio suo Johannes recepit anno 1207. Eodemque ab abbate S. Sulpicii ecclesiam B. Martini recepit. Cum Galchero domino Juvigniaci, Alcide ejus conjuge & Erardo de Brena composuit de nemoribus S. Stephani, quam compositionem ratam habuit Philippus rex an. 1211. Adstitit capitulo generali an. 1214, quo anno occurrit J. III id. Aprilis. Ejus obitus in necrologio consignatur die 20 Martii.

XII. Galterus ex priore Pruliacensi abbas Fontis-Johannis, deinde Pontiniaci. Cum abbate Morimundi adversus abbatem Cistercii de primatia movit litem, quæ in concilio Lateranensi sub Innocentio III anno 1215, eo præsente, composita est. Robertum Aniciensem episcopum tyrannorum persecutiones fugientem apud Pontiniacum suscepit anno 1217, & insequenti Carnotensis electus est episcopus. Vide tom. VIII, pag. 1156.

XIII. Petrus III anno 1218, ab Honorio III judex dicitur ad sedandas quæ inter clericos Grandi-montenses & fratres laicos ortæ fuerant, controversias. Usum in nemoribus de Ota Petro concessit Theobaldus Campaniæ comes 1220 mense Maio, & Theobaldus filius 1225 Aprili. Defuncto anno 1221 Herveo comite Autissiodorensi, Nivernensi & Tornodorensi in castro S. Aniani diœcesis Bituricensis, ipse cum sex sui ordinis abbatibus illo contendit, ut comitis corpus in ecclesia Pontiniacensi sepeliendum honorifice deferret; qui omnes ab hæreticis Albigensibus in itinere constituti lapidibus pene obruti sunt. Anno 1222 Stephanus Cantuariensis archipræsul quinquaginta marcharum [*Anecdot. tom. III, col. 1246.*] sterlingorum annui reditus, ob munus hospitalitatis B. Thomæ prædecessori suo exulanti tam benigne impensum, Pontiniaco concessit, quam [*Ibidem, col. 1247.*] donationem eodem anno confirmavit Honorius III. Eodem quoque anno Mathildis comitissa [*Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 471.*] Nivernensis donationem de nemore *de la Suez*, quondam ab Herveo comite factam laudavit ea lege, ut eorum anniversaria quolibet anno in ecclesia fierent. Guillelmum de Seignelay ex Autissiodorensi Parisiensem episcopum in suo etiam monasterio Petrus sepelivit. Transegit an. 1226 cum fratribus militiæ templi *de Coulors*. [*Ibid. p. 49.*] Anno 1228 Guido Nivernensis comes huic confirmavit quoddam jus a Stephano Selliniaci cessum super molendinis sitis juxta vadum ferreum. Iterum eodem anno ab Alienorde de

A Herviaco centum libras suscepit pro anniversario ejusdem. [*Anecdot. tom. III, col. 1248.*] A Gregorio IX die 23 Octobr. anno 1233, una cum episcopo Tornacensi ad S. Ludovicum Franciæ regem legatus mittitur ad componendam litem quæ ipsum regem inter & archiepiscopum Rotomagensem intercesserat.

XIV. Johannes III Theologiæ doctor vineas acquirit anno 1233, quo Guido comes Nivernensis & Mathildis uxor ejus confirmant donationem nemoris *de la Suez* Pontiniaco factam ab [*Ibid. 1249.*] Herveo comite Nivernensi, quondam ejusdem Mathildis marito. Eleemosynam quam W. de Brena Pontiniacensibus concesserat, quamque B Eustachiæ ejus uxori retinendam monachi permiserant, totam cessit & ipsa anno 1235, quo item anno Agnes de Insula suum anniver- [*Ibid. col. 1249 & 1250.*] sarium in Pontiniacensi monasterio fundavit, suamque sepulturam ibidem elegit. Cum Reginaldo abbate S. Germani Autissiod. pepigit Johannes anno 1238, eodemque decem mar- [*Ibidem.*] chas sterlingorum annuatim percipiendas ipsi concessit S. Edmundus Cantuariensis archiantistes, memor caritatis Pontiniacensium in antecessores suos, S. Thomam ac Stephanum. Memoratur mense Septemb. 1239 in tabulario parthenonis de Ponte dominarum. Prædictum C Edmundum regis Angliæ persecutiones defugientem lætus excepit, sanum & infirmum curavit, sepelivitque mortuum. Ejus obitus in necrologio die 20 Aprilis annotatur.

XV. Johannes IV occurrit in cartulario Pontiniacensi annis 1244 & 1246, unde conjicimus abbatem, quem statuta capituli generalis anni 1242 asserunt hoc anno fuisse electum, Johannis nomine vocatum fuisse. Hæc sunt verba capituli generalis: *Et hoc anno* (1242) *in electione abbatis Pontiniacensis, prior Cistercii non requi-* [*Anecdot. tom. IV, col. 1377.*] *sivit consilium de firmitate & Morimundo abbatum,* D *qui illuc vocati fuerunt, in suum, ut dicunt, præjudicium & gravamen, & super hoc conquesti sunt capitulo generali.* Ejus electio nihilominus ab eodem capitulo confirmata est. Decem libræ a Milone Noeriarum legatæ, ab ejusdem filio an. [*Tom. III, col. 1252.*] 1243 confirmatæ sunt. Anno sequente bullam ab Innocentio IV papa obtinuit monasterium, qua rectoribus ecclesiarum inhibetur ne a monachis Pontiniacensibus decimas lanarum, lactis & agnorum exigere moliantur. Idem sane est, cum J. qui pro canonisatione S. Edmundi ad [*Ibidem, col. 1902.*] R. cardinalem epistolam scripsit anno circiter 1244. Eumdem beatum Edmundum ab Innocentio in concilio Lugdunensi sanctorum numero E adscriptum, præsente S. Ludovico Francorum [*Ibidem, col. 1869.*] rege, e terra levavit an. 1247, & post modicum tempus sponte cessit a regimine abbatiæ, ut legere est in historia translationis S. Edmundi.

XVI. Jacobus I *de S. Florentin* memoratur anno 1249 in charta Tornodorensi, 1251 in charta Rigniaci. Legitur apud Martenium bulla Innocentii IV anno superiore concessa, qua diœ- [*Ibidem, col. 1253.*] cesanus episcopus prohibetur ne apud Pontiniacum extorqueat hospitalitatem tanquam debitam. Ob male administratum aggravatumque debitis monasterium dignitate sua dejectus fuit

Digitized by Google

Tom. IV, col. 1416, 1417 & 1421. a capitulo generali anno 1260 celebrato, cujus mandato Jacobus Rigniaci & Stephanus Vallislucentis abbates judices constituti sunt controversiæ inter abbatem Pontiniacensem & abbatissam Insularum exortæ. Vivebat adhuc anno 1272, quo Erardus de Brena dominus Veneliaci eum una cum Guidone domino Chanloci judicem elegit ad suam cum Pontiniacensibus litem dirimendam.

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 61. XVII. Petrus IV an. 1260, die lunæ post *lætare Jerusalem*, a Guidone episcopo Autissiodorensi altaris habendi in domo S. Prisci facultatem obtinuit. Eodem anno idibus Junii Alexander papa ad eum bullam direxit ne contracta a Jacobo abbate debita solveret. Anecdot. tom. III, col. 1253, & 1254. Ob flagitia quædam eamdem sortem subiisse creditur ac decessor; in statutis enim capituli generalis anni 1267 definitores, pœnis adversus abbates destitutos decretis, statim hæc addunt: *Et huic legi subjicitur Nonnus Petrus quondam abbas Pontigniaci.* Tom. IV, col. 1428 & 1429.

XVIII. Reginaldus 1262 electionem Jacobi abbatis Cistercii absque consensu quatuor primorum abbatum celebratam, cum Philippo abbate Claravallis impugnat. Præerat haud dubie cum Bonifacius Cantuariensis archiepiscopus an. 1264 ecclesiam *de Rumenal* & sexaginta marchas sterlingorum Pontiniaco concessit, in memoriam beneficiorum prædecessoribus suis ibidem exulantibus impensorum. Tom. III, col. 1254. & seq. In gratiam ordinis sub Urbano IV & Clemente IV summis pontificibus plurima præclare gessisse memoratur. R. convenit anno 1274 mense Decemb. cum capitulo Autissiodorensi. Eo sedente, vel successoris tempore Guillelmus Eboracensis archiepiscopus, onere pastorali deposito, factus est monachus Pontiniacensis. Jacet Reginaldus in capitulo ubi hoc ejus cernitur epitaphii vestigium.

. . . . Jacet abbas Pontiniaci
Regnaudus, det ei Dominus sedem requiei.

§ Gerardus *al.* Bernardus quem post Yepesium & Manrique anno 1278, (quo anno ablata ab abbate Boniradii data est Pontiniacensi paternitas monasterii de Callovio) sedisse affirmant, Ibidem, col. 1256. & Johannes de Silvanecto quem ex abbate Caroli loci factum fuisse Pontiniacensem scribunt Sammarthani in serie abbatum Carolicensium & ad annum 1280 vixisse, in chartis Pontiniaci non memorantur.

XIX. Robertus doctor egregius præerat anno 1285. Biennio post quædam acquirit a Johanna Alenconii comitissa Carnotensi. Ad eum scripsit Nicolaus IV anno 1288, & anno sequenti memoratur in literis Nicolai IV. Anno 1291 mense Decembri cum Margarita regina Jerusalem comitissa Tornodori paciscitur. Inde ad abbatiam Cistercii anno 1293 promovetur, & insequenti a Cœlestino V ad purpuram.

XX. Stephanus I Durandus, dictus etiam de Insula, præficitur doctrina clarus & pietate, bisque videtur præfecturam dimisisse ex ejus epitaphio quod in ecclesia Rigniacensi, ubi jacet ante majus altare, sic legitur:

A *Hac Stephanus felix Durandus clauditur urna*
Insula Regniacum quem . . . .
Hic virtute fuit, scientia moribus ingenuis
Bis Pontiniaco præsul honore datus
Novit & æternam Sophiam sparsurus amicam
Cum prece lustralem siste, viator, aquam.
Obiit anno Domini M.CCCI. XX die mensis . . .
Det ei omnipotens cælica regna Deus,
Mariæ Virginis prece
Fruatur æterna luce.

XXI. Simon composuit cum G. Decano & capitulo Autissiod. super decimis de Booilliaco die Veneris post octavas S. Martini 1294. B Memoratur in bulla Bonifacii VIII Romæ data VII id. Julii 1297. Anno 1304 quædam vendidit J. abbati Joyaci. Eodem, sequenti, atque etiam 1307 cum Egidio S. Petri Autissiodorensis abbate transegit. Tumulatus creditur cum parentibus in capitulo Pontiniacensi, ubi hoc legitur epitaphium:

Hic tumulata patris pariter sunt ossaque matris
Simonis abbatis, quos jungas, Christe, beatis.

XXII. Jacobus II *de Tharnes* ex abbate Caroliloci Pontiniacensis, vir sanctimonia vitæ haud secus doctrina spectabilis, anno 1318 sententiam C ferre rogatus ab inquisitore provinciæ & Forcalquerii de quibusdam articulis, quos Fratres quidam Minores hoc ipso anno Massiliæ combusti credere incusabantur, ita subscripsit: « Ego Frater Jacobus abbas Pontiniaci, sacræ Theologiæ pro- « fessor, dico & assero prædictos articulos, prout « proponuntur esse falsos, improbabiles & superf- « titiosos & contradicentes vitæ Christi & Evan- « gelicæ veritati, ac autoritati, unitati ac plenitudini « potestatis summi pontificis, a quo statuta quæ- « cumque regularia suam trahunt roboris firmi- « tatem, ac per consequens dictos articulos judico « esse hæreticos, dic, &c ». D Obedientiæ sacramentum anno 1319 die 7 Novembris præstitit Petro episcopo, additis contra usum receptum his verbis: *Salvo ordine meo.* Insequenti adfuit elevationi corporis S. Amatoris factæ ab eodem episcopo. Devixit 18 Octobr. anni 1321, sepultusque est Pontiniaci in majori sacello ubi hæc legitur inscriptio; Miscell. Baluz. t. I, p. 272. Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 93.

Quem tenet hic fundus, doctor fuit iste profundus,
Sanctus ut Edmundus fuit absque libidine mundus.
Istius ecclesiæ pater & fons Theologiæ,
Vitæ norma piæ, fervens in amore Mariæ.
Cum duplex Jacobus, sic fertur ad astra talentis;
E *In testamentis præclarus scriba duobus.*
Centum ter decies septem ter lumine Lucæ
Migrans ab hac luce, sit sibi, Christe, quies.

§ Manrique & Sammarthani Jacobo subjiciunt Johannem quemdam, cujus obitum ad calendas Martii referunt, tametsi nullam de isto Johanne mentionem faciant Pontiniaci monumenta.

XXIII. Thomas I. an. 1325 transegit cum Galchero abbate S. Germani Autissiodorensis pro quibusdam juribus. Interfuit anno 1331 capitulo generali Cisterciensi. Ibid. pag. 102. Eum inter & Jobertum de Venussia militem querelam sopitam

Digitized by Google

fuisse anno 1335 testantur literæ Bernardi episcopi. Occubuit anno 1339, humatus in capitulo cum inscriptione ubi dicitur XX abbas hujus monasterii.

XXIV. Guillelmus an. 1339, indict. VII transegit cum comitissa Tornodorensi. Fidei sacramentum Autissiodorensi episcopo præstitit an. 1340 die Veneris post festum B. Laurentii, Benedicti papæ XII anno sexto indict. VIII. Anno 1342 mille ducentas libras ab abbate Clarevallensi mutuo accepit. Obitus ejus in Pontiniacensi necrologio consignatur XIV cal. Octobr. ibidemque dicitur XXI abbas. Extant literæ datæ an. 1343 de procuratione pecuniaria non exigenda ab abbatibus Pontiniaci & Rupium.

Ch. CXXV, col. 185.

Ch. CXXVII, col. 186.

XXV. Johannes V *de Rougemont* ex nobili in Burgundia cognomini gente satus præerat annis 1344 & 1345. Definitor fuit in capitulo generali an. 1357. Obitus ejus notatur X cal. April. in necrologio Pontiniacensi ubi dicitur XXII abbas. Attamen Johannes non Clarevallensis sed Pontiniacensis, quidquid in contrarium correxerimus tom. IV, col. 1001, factus est abbas Cistercii bullis ab Innocentio VI datis Villænovæ apud Avenionem 9 Julii 1359, obiitque anno 1 Urbani V, quo ei successit Johannes de Buxeriis, qui abbas Clarevallis Bernardum exceperat an. 7 Innocentii VI. Atque hinc patet 1.° Bernardum abbatem Clarevallensem obiisse non anno 1358 sed 1359; 2.° Johannem de Buxeriis qui ei successit eodem anno, ad Cistercium transiisse an. 1363; 3.° Johannem de Dulemonte creatum non fuisse an. 1360; 4.° Johannem *de Rougemont* quem in serie abbatum Cisterciensium Johanni de Chaudemayo incerti præposuimus, huic successisse an. 1359 9 Julii, obiisse 1363, successoremque habuisse Johannem de Buxeriis.

XXVI. Raimundus abbas Clarevallis in diœcesi Mediolanensi Johanni facto Cisterciensi successit an. 7 Innocentii VI, & obiit an. 3 Urbani V prid. id. Martii.

XXVII. Nicolaus ex cellerario Raimundo successit an. 1365. Pro quibusdam juribus transegit an. 1366 cum Stephano de Varennis abbate S. Germani Autissiod. Defunctus die 1 Novemb. an. 1370. Tumulatus fuit in capitulo cum hac epigraphe: *Hic jacet vir magnæ humilitatis & abstinentiæ dominus Nicolaus XXIV abbas hujus ecclesiæ qui obiit in die Omnium Sanctorum M.CCC.LXX.*

XXVIII. Johannes VI de Cabilone, comitis Tornodorensis Johannis de Cabilone consanguineus, ex monacho Villænovæ Nannetensis ad abbatiam Pontiniacensem assumtus composuit an. 1372 cum abbate S. Germani Autissiod. Obiit an. 5 Gregorii XI.

XXIX. Petrus V *de Jully* abbas Sigilleriarum in diœcesi Trecensi Johanni successit an. 5 Gregorii XI. Huic, spontanea cessione regimine abdicato, capitulum generale oculis lacrymosis cernens ejus senium condolendum, pieque ad memoriam revocans vires ejus in fructuosis laboribus ordinis, consummatas, præcepit an. 1389 ut solveretur pensio sibi ab abbate quondam Cistercii promissa, quo honestius vivere diesque suos finire posset. Non absimilis esse videtur a Petro qui e vivis ereptus anno 1400 prope tumulum S. Edmundi sepulturæ traditus est cum hac inscriptione: *Hic jacet domnus Petrus XXVI abbas hujus monasterii, qui obiit an. M. CCCC. pridie non. Novemb.*

Anecdot. tom. IV, col. 1518 & 1519.

XXX. Jacobus III de Floigniaco ex monacho & cellerario Cisterciensi abbas Bonarum-vallium in diœcesi Viennensi, tum Pontiniaci ac demum Cistercii 1389.

XXXI. Johannes VII sacræ Theologiæ professor, promotus a Clemente VII an. 1389 mense Octobri, anno 1390 die 31 Octob. centum florenos aureos Cameræ Apostolicæ solvit. Occurrit & anno 1392. Cum episcopum inter & capitulum ecclesiæ Autissiod. de spirituali jurisdictione lis moveretur an. 1396, ipsi a Parlamento demandata est provincia canonicorum jurisdictionis conservationi, quandiu sub judice lis esset, invigilandi, quam provinciam exsequi cum non posset, aliis eam transmisit. An. 1397 die 20 Maii Johannes visitator immediatus abbatiæ de Joyaco conventionem confirmat regem inter Joyacensesque monachos initam. Egregiam habuit orationem die 2 Decemb. an. 1401, in qua adversus festum *Fatuorum*, quod celebrabat ecclesia Autissiodorensis, mirum in modum invectus est. A capitulo generali anni 1402 de negligentia increpatus est, uti testantur hæc verba ex statutis ejusdem capituli desumta: « Dominus Johannes abbas monasterii Pontigniacensis, Autissiodorensis diœcesis, utens voluntate sua pro ratione, neglexit contempsitque per totum fere tempus quo præfuit eidem monasterio, & adhuc negligit & contemnit totaliter & modum & formas statutas salubriter vivendi & gubernandi in ordinis nostri monasteriis, a dicto monasterio Pontiniacensi... totaliter profligavit: ita videlicet inter cætera, quod in dicto monasterio a longo tempore nullus extiterit Cellerarius, nec adhuc est, cui ipsum permittat officium exercere ». In eodem capitulo ipsi commissa est cura instituendæ reformationis in monasteriis suæ generationis. Reperitur 23 Maii 1407 in tabulario domestico. Concilio Pisano interfuit an. 1409. In capitulo generali anni 1412 inter alios nominatus est, qui conciliis per triennium celebrandis nomine ordinis adforent. Obiit Autissiodori die 30 Septemb. an. 1413, unde Pontiniacum honorifice delatum fuit corpus ejus, a canonicis ecclesiæ cathedralis ad usque portam S. Simeonis solemniter deductum.

Hist. Autiss. p. 497.

XXXII. Johannes VIII *de Bienville* doctor Theologus adstitit concilio Constantiensi anno 1414, a quo ad Scotos legatus missus est. Fuit etiam haud dubie abbas ille Pontiniaci cui haud secus Cistercii & Claravallis abbatibus capitulum generale anno 1418 tractanda commisit negotia ordinis in Anglia. Multa eruditione vitæque sanctimonia clarum Hector Boetius prædicat hunc abbatem, cui Sammarthani una cum Manrique alterum Johannem & Ludovicum sine fundamento successores addunt, cum aliunde certum sit Stephanum Johanni successisse.

Digitized by Google

XXXIII. Stephanus II Divionæus ex cellerario Cistercii factus Quinciaci abbas, deinde Pontiniaci, Johannam de Cabilone dominam *de Bourepos* vicecomitissam *de Ligny* an. 1421 apud Pontiniacum excepit, eodemque anno a capitulo Autissiodorensi arbiter electus est causæ inter prædictum capitulum duosque ejusdem canonicos. Fato functus sepulturæ datus est in capitulo Cisterciensi cum hoc epitaphio:

Hist. Autiss. p. 514.

Natum Divione Stephanum premit lapis iste
Intus, monachus factus mox Cellerarius
Pergens Quinciacum trahitur ad Pontiniacum,
Quod ter Denis bonus pater rexit annis
Duobusque . . . . . .

Cætera desunt.

XXXIV. Guido *d'Autun* baccalaureus theologus ex Fontanetensi monacho abbas Caroli-loci, tum electus Pontiniacensis, ab abbate Cistercii confirmatus fuit & installatus, cujus electionem, confirmationem & installationem ratam habuit capitulum generale anno 1458. Eodem exeunte ad supremam ordinis dignitatem evectus est ut diximus tom. IV, col. 1004.

XXXV. Thomas II *de Limon* baccalaureus in facultate Parisiensi, monachus Firmitatis, deinde abbas Vallium-Sernaii diœcesis Parisiensis, & postea Pontiniaci anno 1458, capitulo generali adfuit 1462. Præfuit 1463 electioni Egidii abbatis de Joyaco. Devixit 11 Februarii anni 1474, sepultus in capitulo cum epigraphe quam tom. VII, col. 894 descripsimus, ubi perperam in fine columnæ apposita est nota quæ minus ad Valles Sernaii pertinet.

XXXVI. Petrus VI *de la Fin* Burgundo illustri stemmate ortus, baccalaureus theologus regi a consiliis & eleemosynis jam abbas 1474, hujus electionem perturbavit Petrus *d'Aucere*; verum huic facta pensione, sedem deinceps pacifice tenuit. 1200 Libras annui reditus recepit a rege anno 1478, insequenti terram *de Vergilly* a Milerio Borbonio acquisivit, & an. 1487 subscripsit transactioni factæ Cisterciensem inter & Clarevallensem abbates. Adfuisse legitur comitiis generalibus ordinis anno 1493.

XXXVII. Johannes IX *de la Fin* Petri nepos anno 1493 Johanni *d'Usson* comiti Tornodorensi pro terra *de Vergilly* hominium præstitit.

XXXVIII. Petrus VII *de la Fin* abbas Benedictionis Dei a Pontiniacensibus adoptatus, primam in commendam, alteram abbatiam regularis tenuit. Ad an. 1504, quo vita orbatus, humatus est in ecclesia castri *de Montagnet*. De eo tom. IV, col. 307.

XXXIX. Jacobus III *de Viry* ex monacho & abbate Fontis-Johannis Senonensis Pontiniaco præfuit ad an. 1517, quo mortuus est & in capitulo conditus cum hac inscriptione: *Hic conditur frater Jacobus de Viry baccalaureus in theologia, B. Bernardi regulam professus in Benedictione Dei, qui Fontis-Johannis abbas eo usque fuit donec hujus domus XXXIII abbas electus fuerit, & anno sesquimillesimo decimo-septimo* * *id. Junii expiravit.*

Ipsius miserere animæ,
Prole fuit magna, major virtute, sed iste
Qui memori cunctos præstitit ingenio.

XL. Ludovicus I *de Ferrieres* sedere cœpit an. 1517. Alienata a decessore suo prædia recuperavit anno 1519. Præerat adhuc an. 1524, & decessit post novem regiminis annos & sex menses, terræ mandatus in capitulo, cujus elogium profert sequens inscriptio:

Hic tegit ossa lapis Ludovici Ferrariensis
Commissum docte pascere jure gregem.
Dignum præstiterat morum prudentia ductrix,
Viveret ut divi tempora longa senis.
Sed fugitiva patrem media in virtute resolvit
Acta, per æternæ vitæ decoris opus.
Circiter ætatis suæ anno XLII, hujus domus annis IX menses VI abbas XXXIV. Ora lector ut pace fruatur. Amen.

XLI. Jacobus IV *de Jaucour* nobili editus prosapia an. 1527 Ludovicum comitem Tornodorensem, S. Aniani & Cellæ dominum excepit hospitio, eique pro terra *de Vergilly* hominium præstitit. Anno 1543 permutavit cum Johanne cardinali *du Bellay* pro abbatiis Cormeriacensi diœcesis Turon. & Barbellensi Senonensis. Vivere desiit 17 Aprilis 1547 in monasterio Fontanetensi.

XLII. Johannes X cardinalis *du Bellay* de quo jam diximus in episcopis Baionensibus t. I, col. 1320, Lemovicensibus tom. II, col. 539, archiepiscopis Burdegalensibus col. 848, abbatibus Anianensibus tom. VI, col. 851, episcopis Parisiensibus tom. VII, col. 160, ex permutatione cum præcedenti an. 1543 primus commendatarius Pontiniaci, cessit in gratiam sequentis 16 Febr. 1559 ac Romæ decessit 16 Febr. anni sequentis, ætatis 68. De eo fusius in episcopis Parisiensibus ubi vide.

XLIII. Hyppolitus *d'Est* cardinalis Ferrariensis dictus, qui & plures possedit episcopatus, ex superioris cessione abbatiam obtinet an. 1559. Fatis cessit Romæ 2 Decemb. 1562, quo successit illi

XLIV. Ludovicus II *d'Est* cardinalis Ferrariensis litigavit cum hæredibus Johannis *du Bellay* anno 1564. Nominatur adhuc anno 1570. Abdicavit in sequentis favorem an. 1578, & defecit Romæ 30 Decemb. 1586.

XLV. Johannes XI de Vitriaco Italus, doctor theologus, abbas titularis nominatur in instrumento Pontiniaci anno 1578. Obiit Romæ circa an. 1587. Post ejus mortem monachi Pontiniacenses in capitulo congregati Franciscum-Johannem *Marit*, doctorem theologum & monasterii priorem elegerunt sibi in abbatem; verum quia Johannes de Vitriaco in curia Romana obierat, hæc electio non prævaluit, nec ullum tamen summus pontifex abbatem creavit. Henricus III Francorum rex abbatiam dedit marchioni *de S. Sorlin*, & donec obtineret bullas Jacobum *de*

Digitized by Google

Gybrakon bonorum administratorem creavit 11 Januarii 1588; sed nec bullas legimus usquam fuisse datas San-Sorlino qui sequenti dimisit abbatiam.

XLVI. Claudius *Boucherat* monachus Cisterciensis, doctor theologus, frater Nicolai *Boucherat* abbatis Cistercii & nepos alterius Nicolai *Boucherat* etiam Cisterciensis abbatis, ex dimissione præcedentis ab Henrico rege nominatur abbas Pontiniaci an. 1588; at propter excitatas in regno tam religionis causa quam necis cardinalis Guisii turbas non potuit ante ejuratam ab Henrico IV rege hæresim bullas obtinere quæ Romæ datæ sunt anno dumtaxat 1593 30 Augusti. Prioratum Prati-Benedicti contulit 15 Jan. 1595. Defunctus 11 Maii 1613 tempore capituli generalis, sepulturam habuit in ecclesia Pontiniacensi cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendus pater Claudius* Boucherat *in sacra theologia doctor eximius, abbas Pontiniaci Cisterciensis ordinis, qui in Domino obiit anno 1613 die 11 Maii.*

XLVII. Carolus *Boucherat* præcedentis nepos, vir eruditus ac eximius concionator, adhuc novicius eligitur abbas Pontiniaci anno 1613. A cardinali Richelio cui admodum carus erat, mandatum accepit 7 Augusti 1637 strictioris observantiæ patres Cistercium introducendi. Decessit 21 Martii 1643. Jacet apud Pontiniacum in sacello S. Thomæ Cantuariensis cum hac inscriptione: *Hic jacet reverendissimus pater dominus Carolus* Boucherat *abbas XXXVII hujus monasterii, qui obiit die S. Benedicti 1643.*

XLVIII. Mathæus *de Mesgrigny* frater domini *de Mesgrigny* marchionis *de Vandœuvre* Aquensis parlamenti principis, doctor theologus in facultate Parisiensi, ex abbate Quinciaci assumitur ad abbatiam Pontiniacensem die 31 Martii an. 1643, & rem bene gessit. Morte correptus est Lutetiæ Parisiorum mense Aprili 1650, & humi traditus in ecclesia collegii Cisterciensis.

XLIX. Ludovicus III *Martel* doctor theologus in facultate Parisiensi & egregius concionator ex priore abbas renunciatus 29 Aprilis 1651, Divione in ecclesia PP. societatis Jesu mense Sept. ejusdem anni ab abbate Cisterciensi benedictionis munus accepit. Sedit ad annum 1671 quo migravit e sæculo die 6 Martii, sepultus ante majus altare cum hoc epitaphio:

D. O. M.

Hic jacet
Cujus
Egregia eruditio in Sorbonæ doctioribus fuit,
Quod inter literatos magnum est,
Sine fastu enituit religio in hoc, cui an. XX præfuit cœnobio,
Quod inter Christianos maximum
Sine fuco suis præluxit.
Ardens zelus in promovenda sacris Canonibus fidelium salute,
Quod perfectæ caritatis fuit,
Eloquio effulsit.
Effusa liberalitas in sublevanda pauperum inopia,
A *Quod hoc ævo quam rarum,*
Donis emicuit.
Singularis patientia in ferendis quibus diu conflictatus est morbis,
Quod plusquam heroicæ virtutis fuit,
Silentio inclaruit verbo,
Reverendissimus dominus Ludovicus Martel
Pontiniacensis hujus cœnobii abbas;
Quisquis hæc legis mortalitatis memor
Immortalitatem adprecare.

L. Jacobus V le Bourgeois *de la Varende* Cadomensis ex monacho Saviniacensi die 21
B April. an. 1671 abbas electus, præfuit ad annum 1687, quo ad alteram vitam transiit 9 Novemb. Jacet ante majus altare hoc epitaphio decoratus:

D. O. M.

Hic jacet reverendus in Christo pater
Dominus Jacobus Le Bourgeois de la Varende
Hujus cœnobii abbas XLIV,
Ex nobili Burgesiorum gente Cadomi
In Normannia natus
Sancti Bernardi in Saviniaco vitæ regularis professione
Longe nobilior.
C *Quia per eam Christo renatus, morum probitate*
Et candore, paterno erga fratres amore,
Ardenti erga pauperes charitate,
Singulari erga amicos constantia & fide,
Benevolentia in omnes insignis,
Sed sincera in Deum caritate multo insignior.
Testis hæc sacra domus, quam jugi studio
Exornavit, pari amplificavit:
Subito quidem, sed non improviso humana
Exuit
Die IX Novembris M. DC. LXXXVII
Ætatis suæ LVI.
Hæc te volebam quisquis ista legis
D *Quod parum vixerit hoc non dole, immo*
Æternum ut vivat precare.

LI. Orontius *Finé de Brianville* electus est 11 Febr. 1688. Monasterium debitis aggravavit. Explevit mortalitatem in monasterio Caroli-loci die 30 Aprilis 1708, ibidemque jacet exornatus epitaphio.

D. O. M.

Hic e regione jacet reverendissimus in Christo pater dominus
ORONTIUS FINÆUS
E *Brianvillæus, Brigantinus, Delphinas & Pontiniacensis archicœnobii abbas, gentilitia nobilitate*
CLARUS;
Litteratorum ex illa gente hominum, atque imprimis Orontii illius Finæi, quem ut mathematicorum suæ ætatis principem suspexere omnes, nemo æquare potuit: Franciscus I *rex christianissimus idemque litteratorum præmiator munificentissimus regiis stipendiis a se fundati regii collegii primum professorem instituit, laudis ac gloriæ fama*
CLARIOR;
Suo incredibili erga Deum religionis cultu, insigni

Digitized by Google

morum ac vitæ integritate, singulari erga eos quos regimini suo commissos habuit caritate, eximia erga omnes illos quorum familiari consuetudine est usus urbanitate atque observantia

CLARISSIMUS.

Obiit omnibus ecclesiæ sacramentis totus in Deum effusus susceptis, summo adstantium fratrum desiderio, ultimo die Aprilis anno a Christi natali 1708, ætatis 52, regularis vitæ professionis 30, Pontiniacensis archicœnobii regiminis 21.

Hæc quisquis es, qui legis, debitum tot quibus inclaruit virtutibus præmium mortalitatis memor immortalem vitam adprecare, & simile apud Deum officium ab eo expecta.

Amantissimo fratri qualecumque hoc constanter ac perpetuo nexæ invicem amicitiæ pignus posuit mærens amantissimus frater Claudius Finé de Brianville *hujus cœnobii prior.*

LII. Josephus *Caron* 1.um S. Sulpitii Bellicensis, deinde Pontiniaci monachus, ubi cellerarii munus tanta probitate per annos 20 exercuit, ut communi omnium monachorum voto ad sedem abbatialem assumtus fuerit 10 Julii 1708. Adstitit anno 1710 benedictioni abbatis Firmitatis. Sedit ad annum 1719 quo ad alteram vitam transiit mense Novemb.

LIII. Petrus *Calveirac* ex priore Quinciaci in diœcesi Lingonensi, abbas Pontiniaci nominatus anno 1719, obiit 1742.

LIV. Jacobus Gabriel *Grillot* ex priore abbas electus est 17 Aprilis 1742 pedumque tenuit ad annum 1764 quo fato functus est.

LV. Nicolaus *Chanlatte* electus die 4 Augusti anni 1764, nondum benedictionis munus obtinuerat die 13 Octobris ejusdem anni.

§ Ab autore historiæ magnatum Franciæ t. VI pag. 555, his abbatibus additur Petrus *Marillac*, cui locum assignare nequivimus, qui a fide catholica deficiens annos natus 40, Genevam se recepit uxorem ducturus.

BONUS-RADIUS.

BOURAS.

SI in Hervei comitis Nivernensis testamento anno 1118 conscripto nihil irrepserit erroris, profecto jam fundatum erat B. Mariæ de Bono-radio monasterium, ut pote cujus ibidem occurrat mentio; ast Miræus & Jongelinus Cistercienses chronologistæ, & chronologus S. Mariani Robertus primam ejus originem referunt ad VI idus Septembris an. 1119, adductis in illud ex Pontiniaco, cujus prima filia est, primis monachis & abbate. Alii sane hujus non videntur autores quam Hugo de Tilio dominus *de Chanlemy* & Adelais seu Alexis de Monte-Onisio, uxor ejus, qui anno 1120 abbatiæ de Bono-radio quæcumque ad eumdem locum pertinebant, omnes scilicet terras & silvas quæ sitæ sunt inter vias *quæ Nivernis Autissiodorum, & Caritate Varziacum tendunt, cum omni territorio grangiæ Boni-radii & plano usagio in omni toparchia *de Chanlemy*, adeoque & ipsum fundum dedisse reperiuntur. Inclytum sane præconio sanctitatis numeroque monachorum vel ab ipsis incunabulis fuit illud asceterium, ut monasterii de Callorio Bituricensis parens esse meruerit anno saltem 1145; verum ipsi non pepercit impia Calvinistarum rabies, ut ad ipsam pene dirutum vastitatem paucos jam alat monachos. Præter Hugonem de Tilio ejusque conjugem, plures alios Lucium III Romanum pontificem, Hugonem de Monte-acuto Autissiodorensem episcopum, Hugonem Mansellum, dominos de Donziaco, Gibaudum de S. Vezino, comites Nivernenses, &c. benefactores numerat Bonus-radius, in quo sepulturam nacti sunt Alix *de Bourbon* Guillelmi *de Chanlemy* uxor denata anno M. CC. XCVII, Alix *de Chanlemy* conjux Herardi *de Bois-jardin*, Elizabeth vidua Richardi *Ubent* militis an. 1217 mortua, Petronilla *de Marmaigne* ex nobili cognominis prosapia, mater Guillelmi *de Fontenaille* militis defuncta an. 1267, Guido *de Thienges* eques, & prope ipsum filius ejus Odardus, quorum ille anno 1340 occubuit, hic vero anno 1349, Johanna *de Chastillon* relicta Johannis *de Thienges* mortua anno 1388, & etiam alii nonnulli. Hoc monasterium rexerunt qui sequuntur

Hist. Autiss. tom. II. prob. p. 263.

ABBATES.

I. GODEFRIDUS I ex monacho Pontiniacensi primus abbas, anno 1120 plurima recepit ab Hugone de Tilio domino *de Chanlemy* & Alexide *de Montenoison* ejus conjuge, an. 1124 ab Hugone Mansello, & an. 1130 a Gaufrido de Donziaco. Legitur idem abbas an. 1134 in charta Crisenonis. Ejus tempore Dodo de Varziaco & Mauricia ejus uxor vineas monasterio dederunt. Chart. CV, col. 110.

II. Petrus I, cui anno 1146 Hugo *de Largecourroie* de consensu Ascelinæ uxoris suæ, præsentibus Hugone episcopo Autissiodorensi, Godefrido Rupium & Richardo Callovii abbatibus, quatuor frumenti sextarios annuos concessit. Anno sequenti literis Hugonis episcopi subscripsit, bullamque protectionis ab Eugenio III obtinuit, & ipsi T. abbatissa S. Laurentii Bituricensis ad censum dedit anno 1152 ea quæ possidebat in territorio *de Gondegle* ex chartul. Callovii. Martene; thesaur. anecdot. tom. I, p. 42.

III. Umbertus anno 1158 ex chartul. Callovii.

IV. Rainardus memoratur in charta Fontis Morigniaci anno 1162, quo privilegium ab Alexandro III obtinuit. Transegit anno 1164, præsente Harduino Ripatorii abbate, cum canonicis S. Petri Autissiodorensis, eodemque anno donationem accepit a Gaufrido domino de Donziaco & filio ejus Herveo, pariter & a Burdino de Donziaco & a Guidone ejus filio. Hist. Autiss. tom. II, prob. pag. 21.

V. Guillelmus I annis 1169 & 1170 legitur in chartario Callovii. Anno 1172 composuit cum Ascelino Rigniaci abbate, electis arbitris Gerardo Claraevallis, Gilberto Morimundi, Stephano Petrarum & Helia Callovii abbatibus. Eodem anno sicut & anno 1175 memoratur in chartis Boni-radii & Crisenonis, & rursus in chartario Callovii anno 1178, qui fuit ejus ultimus.

Digitized by Google

VI. Godefridus II anno 1178 transegit cum Hugone de Monte.

Charta LV, col. 138. VII. Gerardus amplissimum a Lucio III protectionis privilegium an. 1184 obtinuit. Insequenti Petrus comes Autissiodorensis monasterio remittit custodiam in vineis.

VIII. Guido I cum abbate Callovii Bernardo controversiam habuit.

IX. Petrus II controversiam, de qua modo, sopivit an. 1198.

X. Willelmus II annis 1205 & 1215 ex chartario Callovii. Is est forte W. qui abbas Boni-radii ibidem legitur an. 1227.

XI. Bernardus I an. 1227 ex tabul. Callovii. Anno 1231 opera Henrici Autissiodorensis episcopi cum Johanne de Brocello pepigit.

XII. Petrus III anno 1238 reperitur in charta Pontiniaci.

XIII. Guido II anno 1252 a Guidone de Carusiaco donationem accepit.

XIV. Bernardus II quondam Barbelli cellerarius reperitur abbas Boni-radii an. 1269. Ipso sedente Erardus Autissiodorensis episcopus anno 1273 vini decimas monachis remisit sub annuo quinque librarum turonensium censu. Depositus est anno 1277 a capitulo generali ob neglectos excessus abbatis Callovii, & anno sequenti Johannes abbas Cistercii tempore capituli generalis ablatam abbati Boni-radii jurisdictionem in Callovium addixit Pontiniacensi. *Thes. anec. to. tom. IV, col. 1460. Ibid. t. III, col. 1256.*

XV. Godefridus III anno 1302 transegit cum Margarita *de Dampierre*.

XVI. Joceramnus una cum Martino Morarum abbate electus arbiter, controversiam Rigniacenses inter & Quinciacenses monachos anno 1302 exortam composuit.

XVII. Stephanus ex monacho Pontiniacensi abbas Boni-radii electus, dignitati postea renunciavit, mortuusque anno 1309 sepulturam in claustro nactus est cum hoc brevi epitaphio: *Abbas Stephanus monachus Pontiniaci obiit M. CCCIX.*

XVIII. Johannes I reperitur cum Roberto Caricampi & Johanne Joyaci abbatibus anno 1339 die Veneris ante festum S. Michaëlis.

XIX. Herbertus *al.* Robertus memoratus an. 1373 obiit anno 5 Gregorii XI.

XX. Guillelmus III anno 5 Gregorii XI fuit abbas.

XXI. Johannes II anno 1401 pepigit cum Johanne *de Beaulne* priore *d'Etaix*.

XXII. Robertus I ab Hugone *le Muet* Donziaci ballivo vineas accepit 25 Maii 1414.

XXIII. Galterius Robertum excepit ex veteri instrumento anni 1440.

XXIV. Robertus II *de Varzy* præerat anno 1452 & 1455 die 21 Julii.

XXV. Hugo *Perdrison* reperitur 13 Febr. 1456 & anno 1476. Exeunte anno 1477 aut ineunte 1478 fato fungitur.

XXVI. Jacobus *de la Roche* sedebat annis 1478 & 1481. Postea sequenti cessit suo vel nepoti vel saltem consanguineo.

XXVII. Johannes II *de la Roche* sedebat annis 1484 & 1492. Abdicavit in gratiam sequentis nepotis sui.

XXVIII. Ludovicus I *de la Roche* annis 1502 & 1511 regebat adhuc anno 1513, quo sequenti dimisit pedum.

XXIX. Simon I *de la Roche* die 9 Junii an. 1514 Franciscæ d'Albret viduæ domini *de Nevers* libellum obtulit pro quibusdam Boniradii juribus.

XXX. Simon II *Robert* legitur annis 1516 & 1521, vitæque sortitus finem 22 Octobr. 1536, in ecclesia conditus est.

XXXI. Natalis *Bourgoing* regularium ultimus 1536.

XXXII. Franciscus *de Mailly* commendatarius legitur 3 Maii 1549 in veteri instrumento. Reperitur etiam 17 Septemb. 1557.

XXXIII. Johannes III *de Cleves* ex nobili ducum Nivernensium gente abbatiam tenebat anno 1561.

XXXIV. Ludovicus II *de Cleves* canonicus regularis ordinis S. Augustini, commendatarius an. 1562, cum Alberto *de Lenoncourt* an. 1605 abbatiam permutavit pro prioratu de Boniaco. Fuit etiam episcopus Bethleemitanus, abbas Omnium Sanctorum Catalaunensium & prior Caritatis, ubi vide & tom. IX, col. 951.

XXXV. Albertus *de Lenoncourt* 27 Maii 1605 ex permutatione cum præcedenti.

XXXVI. Johannes IV *de Cleves* Ludovici ex fratre nepos, canonicus regularis ordinis S. Augustini, uno dumtaxat anno commendam occupavit. Fuit quoque episcopus Bethleemitanus, abbas Omnium Sanctorum Catalaunensium & prior Caritatis.

XXXVII. N. *de Lenoncourt* regi ab eleemosynis sanctæque sedis Apostolicæ protonotarius.

XXXVIII. Claudius I *de la Magdelaine de Ragny* commendam tenebat annis 1614 & 1619. Assumtus est anno 1621 ad Augustodunensem cathedram, ubi vide tom. IV, col. 426.

XXXIX. H. *du Bellis*.

XL. Claudius *de la Magdelaine de Ragny* episcopus Augustodunensis secundo commendam obtinuit anno 1623, eamque cum sequenti permutavit pro prioratu S. Symphoriani Augustodunensis.

XLI. Johannes V *de Bourg-dieu* ex permutatione cum præcedenti.

XLII. Antonius *de Edouart* ex nobili in Burgundia gente *de Jouancy*, commendam possedit tribus aut septem annis, eaque cessit anno 1632 in gratiam sequentis.

XLIII. Johannes VI *de Beaujeu du Mesnil-Simon* decanus Bituricensis ex præcedentis cessione commendatarius ad an. 1655 quo cessit & ipse in sequentis favorem. Tenuit quoque Varenarum commendam.

XLIV. Eustachius *le Clerc de Lesseville* regis consiliarius, commenda potitus est ab an. 1655 ad 1658, quo sequenti dimisit.

XLV. Claudius II *Auvry* episcopus Constantiensis, bullas etiamsi non obtinuerit, abbatiæ

Digitized by Google

tamen reditus tribus aut quatuor circiter annis percepit. In gratiam sequentis abdicavit anno 1662.

XLVI. Nicolaus *le Clerc de Lesseville* in magno consilio senator, commendatarius ab anno 1662 ad 1710, quo vitæ finem sortitus est.

XLVII. N. *le Clerc de Lesseville* ex regis nominatione 25 Julii 1710.

XLVIII. N. *Tiraqueau* designatur a rege 24 Decemb. 1712.

XLIX. N. *l'Anglois* 19 Maii 1714.

L. N. *de Chauvigny de Blot* mense Septemb. 1750 a rege nominatus est.

LI. N. *Dailly de S. Vidal* anno 1760 commendam obtinuit.

RIGNY.

RIGNIACUM.

RIGNIACENSE B. Mariæ monasterium filia Claravallis, ad Curam fluvium, non *Armensonem*, ut habent Sammarthani, in campo patenti & amæno non procul a Vermentone situm, initia sumpsit a monasterio de Fontehumido, quod postea, corrupto vocabulo, Fontismus dictum est, gallice *Fontéme* vel *Fontemoi*. Hunc Fontis-humidi Eduensis diœcesis locum ab Anserico milite de Avalone & Guidone de Noeriis anno 1104 obtinuerunt piissimi duo Eremitæ presbyteri Gerardus & Guerinus qui, donationis hujus a Stephano Eduensi episcopo accepta confirmatione, certatim ad se convolantibus discipulis, asceterium ibidem condiderunt, quod rexit omnium primus Gerardus, ac confirmavit Hugo Burgundiæ dux an. 1105, præsentibus Roberto Lingonensi & Norgaudo Eduensi præsulibus aliisque nobilibus viris. Nascentis monasterii reditus non parum adauxerunt Landricus *de Praiz* terram de Ulduno an. 1118, Hugo de Monte-regali terram de Campolivæ an. 1119, Ascelinus de Castro-censorii terram de Polliaco Fontismensibus largientes, quibus merito accensendus est Guillelmus Nivernensis comes, qui Rigniaci locum, quem a Josberto Capello anno 1130 emerat, iisdem monachis concessit, factus postea Carthusianus. Interea instituta Cisterciensium, quorum percelebris sibique probe nota pietas erat, amplecti cogitarunt Fontismenses, atque adeo post Juliani abbatis mortem eorum ordini se suumque monasterium addicentes, ab ipso S. Bernardo Claravallis moderatore & abbatem & fratres quosdam efflagitarunt & obtinuerunt. Abbas autem ille fuit Stephanus *de Toucy* D. Bernardi in Claravalle discipulus, qui Fontismo per annos sex & tres fere menses cum præfuisset, abbatiam inde ad Rigniacum transtulit 30 Novembris 1134, quod esset & convenientior locus & amplum magis in eo construxisset monasterium. Acta sunt hæc regnante in Galliis Ludovico VI, sedente in throno Petri Innocentio II, & Hugone de Monte-acuto in cathedra Autissiodorensi.

Chart. x, col. 106.

Charta XI, col. 107.

Inter Rigniacensis asceterii benefactores etiam annumerandi sunt Humbaldus, Hugo Autissiodorenses episcopi, Philippus-Augustus, Ludovicus IX Franciæ reges, Henricus Trecensis comes Palatinus, Mathildis comitissa Nivernensis, Rainerius *de Chastelus* & Petrus comes Autissiodorensis & Tornodorensis, qui an. 1208 viginti quinque jugera nemoris in bosco *de Bao* monasterio concessit, & 18 remisit annui census denarios, aliique perplures quos esset longius enumerare. Monasterium hoc inter Cisterciensia dives olim ac percelebre a statu pristino sic dejecerunt bella cum civilia tum externa & barbarus hæreticorum furor, ut vix ulla jam supersint præteriti splendoris monumenta. Huic, dum apud Fontismum stetit, præfuerunt B. Girardus, Guerinus, Julianus qui an. 1123 subsignavit literis Hugonis episcopi pro monasterio S. Germani, & Stephanus qui quartus illic & primus apud Rigniacum sedit abbas. Chart. XIII, col. 108.

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. STEPHANUS I *de Toucy* ex illustri baronum cognomini stemmate, ab ipso S. Bernardo cujus a teneris in Claravalle discipulus fuerat, annos natus 38 Fontismensi monasterio, quod post Juliani abbatis mortem ordini Cisterciensi dederat sese, abbas præficitur mense Septemb. 1128. Annis sex tribusque propemodum elapsis mensibus, inde ad Rigniaci locum a Nivernensi comite Guillelmo sibi concessum monachos transtulit 30 Novemb. 1134, literis jam acceptis an. 1131 ab Innocentio summo pontifice, qui eum ab obedientia Eduensi episcopo promissa absolvit, & præcipit ut Autissiodorensi episcopo tanquam proprio tam is quam ejus successores obedientiam & reverentiam humiliter deferant, illucque etiam asportata abbatum qui jam obierant, corpora in capitulo humari curavit. Occurrit anno 1143 in charta Hugonis episcopi pro monasterio S. Petri. Subscripsit compositioni factæ a S. Bernardo anno 1145 inter Hugonem episcopum Autissiodorensem & Willelmum comitem Nivernensem. Prædium a Jocelino *de Arcy*, privilegiumque protectionis ab Eugenio III Autissiodori tunc commorante an. 1147 accepit Stephanus, eodemque anno subscripsit chartæ Hugonis episcopi Autissiodorensis. Anno etiam 1149 terram de Tresillo emit ab Hugone de Petra-pertusa. Chirographum apposuit an. 1151 chartæ Hugonis episcopi litem terminantis inter Arduinum abbatem S. Germani & nobilem virum Gaufridum *de Donzi*. In locum Hugonis *de Macon* episcopi Autissiodorensis defuncti abbatem hunc electum fuisse S. Bernardus innuere videtur epistola 280, tametsi prævalente ambitiosorum factione, electio hæc non habuerit locum. Testis legitur idem abbas in charta Gosleni episcopi Carnotensis pro monasterio de Fontanis. Hunc Eugenius III epistola 59 exortæ inter abbates de Vizeliaco & de Chora controversiæ judicem constituit, eodemque *præsente & cooperante* Alanus Autissiodorensis antistes in cœnobio Vizeliacensi an. 1155 ordines celebravit. Idem summus pontifex ei, Lingonensique episcopo Gaufrido, necnon Petro Trenorchii abbati demandavit curam dirimendæ litis Henricum Eduensem inter & Pontium abbatem Vezeliacensem

Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 265. Ibid. p. 14. Ch. XXIII, col. 115. Ch. XXVIII, col. 120. Anecdot. t. I, pag. 402. Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 17. Tom. X. spicileg. pag. 390. Tom. X. conc. Labbe, col. 1083.

Digitized by Google

Ibidem, pp. 266 & 267. Vezeliacensem ortæ an. circiter 1153. Extant literæ Adriani summi pontificis Laterani datæ idib. Decemb. missæ ad episcopos Lingonensem & Autissiodorensem judices constitutos litis inter eum & Milonem de Noeriis excitatæ. Qui quidem episcopi suam tulerunt sententiam anno 1157. Præsens aderat Stephanus cum Guillelmus de Melloto in abbatem Vezeliacensem assumptus iniit possessionem anno 1161. Reperitur etiam in variis Pontiniaci chartis. Denique 26 Maii 1162 defunctus, sepultus fuit in capitulo cum hoc brevi epitaphio: *Hic jacet domnus Stephanus primus abbas hujus loci.*

II. Ascelinus *al.* Anselmus anno 1162 electus adfuit sententiæ in gratiam Molismensium monachorum ab Hugone archiepiscopo Senonensi & Alano Autissiodorensi prolatæ an. 1163. Idem Ibidem, pp. 19 & 20. Alanus hoc anno chartam edidit ex qua innotescit Gibaudum de S. Verano, ejusque fratrem Rainaldum laudasse quidquid acquisierant Ascelinus & ejus monachi in terra *de Toire.* Constat Ibidem pp. 20 & 21. & ex aliis literis ejusdem antistitis hoc ipso anno datis controversiam super tribus molendinis motam inter monachos de Rigniaco & Sanctimoniales de Crisenone, a Gaufrido Claræвallensi abbate & Ida Nivernensi comitissa sopitam fuisse. Ch. XLIII, col. 129. Insequenti anno privilegium protectionis ab Alexandro III Bituricis tunc commorante obtinuit. An. 1165 Ascelino ejusque successoribus decimas omnes remisit mox dictus Alanus, cui dignitatem præpositi ecclesiæ Autissiodorensis an. 1166 supprimenti testis fuit Ascelinus, qui anno 1169 Johannis Cravanti capellani monasticen amplexantis donationem, atque etiam vineæ quatuor jugera ab Arduino S. Germani abbate sub annuo censu collata accepit. An. 1170 transegit cum Anserico domino de Monte-regali; an. 1171 cum Odone S. Petri Autissiod. abbate, præsentibus Guillelmo Autissiodorensi & Stephano Eduensi episcopis; & an. 1172 cum Guillelmo abbate Boni-radii, dictis arbitris Gerardo Claræвallis, Gilberto Morimundi, Stephano Petrarum & Helia Callovii abbatibus. Testis fuit an. 1173 compositionis factæ inter abbatem Reomaci & abbatissam Rubei-montis, opera Stephani Eduensis & Bernardi Nivernensis episcoporum. Tandem vita orbatus an. 1180 sepultus fuit in capitulo Rigniacensi.

III. Galo pepigit cum Girardo Vizeliacensi abbate anno 1180, & cum monialibus de Crisenone anno 1182, quo missæ quotidianæ sese obstrinxit pro Gaufrido, Guerrico & Iterio filiis Bauduini Grossi, qui donum monasterio concesserant. Quam cum Parisiensibus templi militibus litem habuit Galo, hanc composuit anno 1187 Ansericus de Monte-regali. Gaufridum dominum de S. Verino monasterii benefactorem precum bonorumque operum anno 1189 participem fecit idem abbas, qui memoratur adhuc in quibusdam chartis anno 1192.

IV. Helias, qui anno 1197 ab Anserico domino de Monte-regali donationem, & anno Ch. LXI, col. 143. 1199 ab Innocentio III amplissimum obtinuit protectionis privilegium, præerat adhuc anno 1200, quo cum abbate Claræвallis Guidone chartam condidit qua declaratur eadem esse in monasterio Rigniacensi ex mutua compositione jura Autissiodorensis & Eduensis episcoporum, præter majoris altaris consecrationem & benedictionem ac professionem abbatis, quæ soli reservantur episcopo Autissiodorensi.

V. Johannes I annis 1201 & 1204 memoratur in charta Bernardi domini de Montebarro & Spissa vineas Rigniaco donantis, quo ultimo anno Petrus de Curtiniaco dona quædam eidem monasterio contulit. Jacet in capitulo ubi hæc tantum ejus epitaphii pars legitur: *Johannes abbas Rigniaci.*

VI. Odo an. 1206, quo Iterius dominus *de Toucy* obitum patris sui in Rigniacensi ecclesia fundavit.

VII. Hugo I 13 Decembris 1216 nominatur in testamento Anserici de Tuciaco domini de Bazerna, viginti & octo solidos censuales Rigniaco remittentis, & anno 1218 in charta Molismensi memoratur. Anno sequenti quædam acquisivit.

VIII. Godefridus anno 1221.

IX. Hugo II anno 1222 reperitur in charta Godefridi domini *d'Arcy* ejusque fratris Girardi. Anno 1224 bullam protectionis & confirmationis ab Honorio III impetravit, & anno 1231 executor testamenti Milonis domini de Noeriis designatus est. Roberto de Corbigniaco militi monasterio suo injurias inferenti viriliter restitit, eumque lata excommunicatione resipiscere coegit anno 1233, superstes adhuc anno 1238, quo cum abbatissa de Crisenone transegit.

X. Petrus I anno 1238 a Guidone Nivernensi comite rogatus, permisit incolis Vermentonis ut pontem construerent, cum ea conditione ut justitiæ medietatem, nonnullaque alia jura haberet.

XI. Johannes II, jure quodam apud Vermentonem anno 1240 vendito, molendina de Malliaco acquisivit.

XII. Amauricus a dominis de Tuciaco, de S. Verino, de Bazerna & de Argentulio plurima acquirit, acquisitaque curavit confirmari a Milone de Noeriis 17 Martii 1248. Roberto domino de *Tanlai* anno 1251 burgum construendi inter Jugum & Fontem-humidum facultatem indulsit. Sedebat adhuc anno 1255.

XIII. Jacobus I una cum Stephano Vallislucentis abbate judex a capitulo generali Cisterciensi anno 1259 constituitur ad dirimendam quæ abbatem Pontiniaci inter & abbatissam Insularum orta fuerat controversiam. Anno 1261 a Guidone de S. Florentino milite quædam apud Malliacum castrum & apud Tracium ad Icaunam fluvium acquisivit Jacobus, acquisitaque Odo Burgundiæ dux & comes Autissiodorensis apud Colengias ad Icaunam confirmavit mense Octobri 1262.

XIV. Stephanus II annis 1266 & 1269 quædam comparasse reperitur. Cum Odone abbate Reomensi anno 1270 pro quibusdam decimis pepigit, & anno 1278 cum Milone

Digitized by Google

abbate Vizeliacensi, Godefrido de S. Leodegario milite, & Guillelmo de Marcilliaco pro pascuis S. Leodegarii & S. Freolini.

XV. Hubertus anno 1289.

XVI. Stephanus III anno 1290 adfuit Johanni comiti de Cabilone hominium profitenti Guillelmo de Gressibus episcopo Autissiodorensi.

XVII. Lambertus mense Febr. anno 1292 defunctus quiescit in capitulo cum hoc epitaphio:

Anno milleno, bis centum, bis quadrageno,
Nungeto bis seno, Lambertus transit amœno
Cælo, quem mense Februo mors percutit ense;
Abbas Rigniaci, studens super omnia paci.
Divinum flamen huic requiem det. Amen.
Orate pro eo omnes. Amen.

XVIII. Nicolaus 1295.

XIX. Hugo III sedebat annis 1300 & 1305, a Clemente V bullam protectionis accepit, datam 27 Julii 1307.

XX. Guillelmus anno 1318 transegit cum monachis Reomensibus. Huic anno 1320 die 29 Maii Johannes XXII Avenione commorans privilegium protectionis indulsit.

XXI. Stephanus IV regebat anno 1330 cum duce Burgundiæ & Maria *de Chateauvilain* domina *d'Époisse* anno 1338 pepigit. Extinctus anno 1343 conditur in capitulo cum hac inscriptione: *Anno Domini Millesimo CCCXLIII pridie calend. Septemb. obiit bonæ memoriæ dominus Stephanus vicesimus abbas Rigniaci.*

XXII. Reginaldus anno 1345 cum duce Burgundiæ litigavit, & sententiam adversus eum obtinuit anno 1347. Litigabat etiam cum Johanne de Cabilone domino *d'Arlay* & Insularum prope Montem-regalem anno 1354.

XXIII. Petrus II anno 1354.

XXIV. Johannes III præerat anno 1362 cum Elisabeth *de S.t Gervais* Crisenonis abbatissa composuit anno 1364. Reperitur etiam in variis instrumentis ad annum usque 1369, quo die 7 Septembris a capitulo generali Cisterciensi facultatem postulavit vendendi sylvam *de Veaumarin* ad resarciendas, quas belli pestisque tempore monasterium sustinuerat, injurias, sed maxime cum, expugnata turre de Vermentone, abbas qui in eam se receperat captus fuit, nec nisi ingenti pretio redemptus.

XXV. Johannes IV *Fournier* anno 1391 die dominica, 10 Decembris ad summum Pontificem scripsit se a Theobaldo episcopo Matisconensi, adstante Stephano Firmitatis abbate benedictionem eodem die in ecclesia Matisconensi percepisse. Anno 1402, Julii die 2 transegit cum Margarita *de Saligni* domina *du Blot de Romoy*, &c. Superstes adhuc anno 1407.

XXVI. Dionysius *de Byre* anno 1427.

XXVII. Johannes V de Alteravilla die 4 Augusti 1436 prior factus Claræväallis, inde Rigniacensis abbas creatus est.

XXVIII. Petrus II annis 1448 & 1450.

XXIX. Johannes VI *de Baigneux* anno 1457 pedum tenebat. Anno 1466 a Guillelmo *de* A *Longueil* archidiacono & canonico ecclesiæ Autissiodorensis arbitrario judice sententiam obtinuit adversus capitulum S. Crucis Aurelianensis & parochum de Vermentone, qua remittuntur ipsi decimæ *de Greneteau, de Montmalois*, aliorumque a Rigniaco dependentium locorum.

XXX. Johannes VII *le Prince* 1463 & 1464.

XXXI. Johannes VIII *de Paris* anno 1466. Obiit 13 Julii 1468.

XXXII. Manuel paucis diebus præfuit. Jacet in capitulo cum hac inscriptione: *Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo-octavo, septimo* B *calendas Septembris obiit bonæ memoriæ dominus Manuel abbas Rigniaci.*

XXXIII. Claudius I *de Dinleville* 9 Octobris 1469: vide tom. VII, col. 882.

XXXIV. Simon *Daunay* 18 Febr. 1470 & 5 Junii 1473.

XXXV. Johannes IX *Foucault* al. *de Chalon* doctor & professor in facultate Parisiensi, ex monacho Firmitatis electus abbas Rigniaci sedebat annis 1477, 1489 & 1491. Inde ad Fontanetensem & postea ad Claræväallensem abbatiam anno 1496 translatus est, ubi vide tom. IV, col. 811.

C XXXVI Stephanus V *de Joux* 1495 & 1503.

XXXVII. Stephanus VI *Duram* dictus etiam *de l'Isle*, baccalaureus theologus regebat anno 1509. Obdormivit 12 Aprilis 1526.

XXXVIII. Jacobus II *de Chantemerle* al. *de la Clayette*, monachus Cluniacensis & prior de Curtiniaco, post Stephani mortem eligitur abbas a Rigniacensibus; verum hujus electioni intercessit Edmundus abbas Claræväallis, ac Rigniacenses, quod extraneum el gerant, excommunicatione perculit, a qua postea veniam petentes eos absolvit; Jacobus enim bullam confirmationis D a Clemente VII 25 Aprilis 1526 obtinuit cum obligatione & habitum induendi & observandi statuta Cisterciensis ordinis, retento in commendam prioratu de Curtiniaco. Plurima in monasterii commodum fecit, claustrum ædificavit & amplissimum refectorium. Legitur anno 1544 commendatarius Joigniacensis. Fatis cessit anno 1548 regularium ultimus.

XXXIX. Johannes X Hurault senator Parisiensis legitur in tabulario Caritatis abbas de Rigniaco simul & prior de Sezanna.

XL. Franciscus *de Beaucaire* dominus *de la Cresle* & *de Chommières*, baro S. Desiderati, nobili E in Boiis stemmate natus anno 1513, sedis Apostolicæ protonotarius & reginæ eleemosynarius, Johanni primus commendatarius successit, denatusque est 14 Februarii anno 1591. Fuit episcopus Metensis, abbas S. Germani Autissiodorensis, & S. Sigiranni Bituricensis.

XLI. N. *de la Ferté* vi regii diplomatis, bullas etiamsi non obtinuerit, reditibus abbatiæ duobus annis fruitur.

XLII. Rogerius *de Bellegarde* regii stabuli magisterab Henrico IV designatus, cessit sequenti.

XLIII. Olivarius I *de Chastelus* ex cessione

Digitized by Google

præcedentis. Abdicavit & ipse in sequentis favorem.

XLIV. N. *Biomeau* ex Olivarii abdicatione.

XLV. Claudius II *de Nesure*, Abballonensis ecclesiæ S. Lazari canonicus, v nonas Aprilis 1597 abbatiam adipiscitur a legato per obitum Francisci *de Beaucaire* eamque tenuit annis 1600 & 1608.

XLVI. Olivarius II *de Chastelus* post uxoris mortem protonotarius apostolicus commendam obtinet 28 Junii 1609, superstes adhuc anno 1612.

XLVII. Philippus *Piot* 1615 & 1616.

XLVIII. Lazarus *Liart* 1621.

XLIX. Claudius III *Martin* 1623.

L. Cæsar *de Chastelus* 1630 & 1645.

LI. Johannes XI *Morisot* ex præcedentis, cujus fuerat pædagogus, abdicatione anno 1646. Vivebat adhuc anno 1660.

LII. Basilius *Fouquet* frater episcopi Agathensis, vir Ludovico XIV acceptissimus, vere pius ac probus, qui abbatiæ bona non ut suam, sed ut monachorum ac pauperum substantiam semper habuit. Obiit 31 Januarii 1680 etiam Barbelli commendatarius.

LIII. Franciscus-Ignatius *de Montsaunin de Montal*, filius Caroli comitis *de Montal* equitis torquati, Regis exercituum subpræfecti generalis ex Gabrielide *de Solages*, mense Martio 1680 commendam Rigniaci obtinuit, etiam commendatarius Castriciarum & Fontis-Danielis Cænomannensis. Uxorem ut duceret clero valedixit mense Februario 1687, & Landaviæ in Alsatia ex acceptis vulneribus mortuus est 21 Augusti anni 1691.

LIV. Ludovicus-Claudius *Marion de Druys* præcedentis ex matre nepos, filius Eustachii comitis *de Druys* primæ cohortis stipatorum corporis subcenturionis, nominatus est a rege 29 Martii 1687. Obtinuit quoque commendas S. Sequani Lingonensis & Belli-fontis Rupellensis. Ultimam diem clausit Parisiis mense Decembri 1709.

LV. Flodoardus *Moret de Bourchenu* episcopatu Vinciensi abdicato, commenda Rigniaci donatus fuit mense Januario 1728.

LVI. N. *de Poudens* vicarius generalis episcopi Aquensis, ex regis nominatione 1 Februarii 1744.

LVII. N. *du Chatel* reginæ eleemosynarius, nominatus est a rege mense Novemb. 1754.

RUPES.

Les Roches.

B. Mariæ de Rupibus haud procul a Conada monasterium, si abbatiarum Cistercienslum historiæ, cujus autor Jongelinus, addamus fidem 16 Febr. an. 1136, sedente in Autissiodorensi cathedra Hugone de Monte-acuto, fundatum fuit; ast ejus originem ex altiori repetendam suadent varia quæ antistes ille huic cœnobio contulit beneficia; cum enim 10 Augusti raptus e vivis fuerit, atque adeo sex post Rupium fundationem mensibus, ipsi profecto intra tam breve temporis

A spatium nec locus nec variæ sese dedissent occasiones tanta monasterio huic conferendi. Fundatoris titulum vindicant sibi barones de Donziaco & de S. Verino, nec-non domini de Chasneio.

Pro comitibus Nivernensibus baronibus de Donziaco, præter latam a parlamento sententiam, probat hoc instrumentum : *Charles comte de Nevers & de Rethel, baron de Donzy, sçavoir faisons à tous présens & advenir que comme feu de bonne memoire notre très-chier seigneur & ayeul Monsieur Louis comte de Flandres, de Nevers & de Rhethel, Baron de Donzi, que Dieu absoille, pour* B *le bien & salut de son ame & des siens, eût baillé & délaissé entre autres choses aux Religieux, abbé & couvent de l'église & monastere de Notre-Dame des Roches de l'ordre des Citeaux au diocèse d'Auxerre, en notre chastellenie de Cone, en notre baronie de Donzy pour la fondation & dotation de leur ditte église & monastere; & à cette cause & autrement, étant & procédant de notre fondation, la somme de trente livres* Parisis *de rente sur la prevôté, rentes & revenus de Donzy, jusqu'à ce qu'il leur eût assigné autre part, afin que les religieux célébrassent trois messes des trépassez chaque semaine à l'autel fondé en l'honneur de Dieu, de Notre-* C *Dame, de S.t Georges, &c.*

Dominis vero de Chasneio id favet, quod in eorum fundo conditum fuerit monasterium, sub annuo tamen censu monachis postea remisso una cum decimis *de Vax* al. *de Vaulx* & du *Bordosel*. His autem verbis charta donationis concipitur : *Pro salute animæ meæ & parentum meorum censum terræ in qua prædictum monasterium fundatum erat, & decimas terræ* de Vax *&* de Bordesel *quam tunc tenebant & acquisituri erant in eleemosynam dedi.* Donatio hæc cui nec dies appositus est nec annus ab Odone de Chasneio facta est die Veneris sancta, qua nobilibus viris comi- D tatus ad Rupium abbatiam nudis pedibus accesserat sanctam crucem adoraturus. Hanc autem chartam super altare posuit Odo a se sociisque suis Hugone nepote suo, Rainaudo Bastardo, Trosello & Stephano Trigal subsignatam. Hac lege, si vere fundator ille est qui fundum dat, fundatoris titulum dominis *de Chasne* quis negaverit!

Tandem barones *de S.t Verin* hoc pro se ipsis testimonium exhibent, chartam videlicet sequentem datam 15 Febr. 1455 : *Nous Jean seigneur d'Esgreville & de S.t Verin des Bois, Chevalier, à tous ceux qui ces présentes lettres verront, salut. Sçavoir faisons que pour la grande dévotion que* E *nous avons à l'église de Notre-Dame des Roches de l'ordre de Citeaux au diocèse d'Auxerre, & dont nos prédécesseurs & nous sommes fondeurs, & en faveur de ce que plusieurs de nos prédécesseurs y sont ensépulchrés, & que le service divin y puisse mieux être entretenu, avons donné & octroyé ès religieux, abbé & couvent dudit lieu de Roiches que y nous baille homme pour une terre, fief & homaige tenu de nous ad cause dudit lieu & Seigneurie de S.t Verin des Bois, nommée la terre, fief & Seigneurie de Miennes assise près la riviere de Loire à une lieüe de Cosne ou environ.* Hos etiam versiculos

Digitized by Google

e M. S. codice domini *du Chiron* erutos in testimonium adducunt iidem barones :

L'an mil cent trente-quatre ou trois,
Régnant Louis Duc d'Aquitaine,
Prince souvérain, roi des François,
Et Innocent en Cour Romaine,
L'illustre Seigneur Hugues d'Aveine,
Baron de S. Verin des Bois,
Terre en fief, cens & domaine,
Des plus nobles du pays Auxerrois,
Alla en l'abbaye Pontignienne
Située entre Auxerre & Troys,
D'où dix Religieux il amene
En ces déserts & dedans ces bois,
Pour chacun jour de la semaine
Servir à Dieu le grand roi des rois.
Chars dans ces roches près de Mienne
Le premier abbé fut Godefroy
Sorti de la maison ancienne
Des Comtes & Marquis de Puisaye,
Qui pour la gloire souvéraine
Quitta ce monde sans nul effroy,
Persévérant ici en peine
D'un ferme cœur & de vive foy.

Quidquid sit autem de fundatoribus, constat ante an. 1136 sedente Autissiodori Hugone episcopo fundatum hoc fuisse monasterium, ditatumque a mox dictis nobilibus viris aliisque quampluribus, & in illud a barone de S. Verino adductam ex Pontigniaco coloniam. Anno circiter 1140 Aimericus abbas Villarigondonis canonicorum regularium se suumque monasterium Rupensi addidit. Numerantur etiam præcipuos inter benefactores Philippus Pulcher, Philippus Valesius, barones de Tociaco, comites Joigniacenses, Galterius de Argeno, &c. Illic jacent præter dominos de S. Verino, Rainaudus *de Saligny* episcopus Autissiodorensis, Alips *de la Botilliere* uxor Johannis de S. Verino, Hugo *d'Amboise* miles, dominus de Domoforti sepultus prope matrem aliosque suis e parentibus, Margarita *de Rochechouart* ejusdem Hugonis conjux. Dirutum fuit anno 1567 a calvinistis hoc cœnobium unde monachi Conadam confugerunt ad usque diem 28 Augusti 1570. Divitiis olim monasterii monachorum numerus ex triginta ad duos vel tres nunc minutus est.

Abbatum Catalogus.

I. Godefridus I *de Toucy* ex illustri comitum seu marchionum *de Puisaye* prosapia, nepos Iterii baronis *de Toucy* & Gardæ dominæ saltem ex parte Donziaci, primus omnium sedit. Anno 1138 bona quædam Rainaudus *Bastard* ipsi largitus est, quod donum confirmarunt Hugo Autissiodorensis episcopus & Willelmus comes Nivernensis. Godefrido sedente, Aimericus abbas Villarigondonis se suumque monasterium anno circiter 1140 Rupibus annexuit. Privilegium protectionis & confirmationis anno
Ch. XXI, col. 113. 1142 obtinuit Godefridus ab Innocentio II, quo etiam cavet summus pontifex ne a quovis

A aut archiepiscopo aut episcopo molestiam vexationemque patiantur hic abbas ejusque successores. Simile postea ab Eugenio III privilegium accepit. Subscripsit an. 1143 chartæ Hugonis episcopi pro abbatia S. Petri. Legitur & an. 1145 in literis D. Bernardi discordiam inter episcopum Autissiod. & comitem Nivernensem terminantis. *Hist. Autiss. tom. II. prob. p. 14.*
Eodem anno Gaufridus dominus *de Donzi* plurima huic abbati ejusque monasterio donavit. Ch. XXIII. col. 115.
Memoratur Godefridus in charta Pontigniaci an. 1147, quo ab Andrea de Charitate & a Pagano de Noveio nonnulla prædia recepit. Subscripsit etiam hoc anno literis Hugonis episcopi Autissiod. Ch. XXX, col. 121. *Anecdot. t. I, col. 42.*
B Eodemque an. Iterius baro *de Toucy* Jerosolymam profecturus jus pascuorum in silvis suis *de Puisaye*, annuente Elisabeth uxore, & præsente Richardo abbate Callovii Godefrido nepoti suo concessit, qui anno 1148 a Gimone de Castro censorii, & anno 1151 a Rainaudo *Bastard* varias etiam donationes accepit. *Hist. Autiss. tom. II. prob. p. 15.* Eodem anno occurrit in instrumento Hugonis episcopi pro monasterio S. Germani. *Ibid. p. 17.* Legitur anno 1152 in charta T. abbatissæ S. Laurentii Bituricensis, Petro abbati de Bono-radio donantis ad censum ea quæ possidebat in territorio *de Gondegle*, ex chart. Callovii. Testis etiam scribitur in charta Alani episcopi
C Autissiodorensis.

II. Johannes I anno 1165 ab Alexandro III privilegium protectionis accepit datum Senonis 8 Februarii. Ch. XLIV, col. 132. Anno 1166 testis reperitur in instrumento quo Alanus episcopus Autissiodorensis dignitatem præpositi ejusdem ecclesiæ suppressit.

III. Godefridus II præsens adfuit anno 1173 cum Guido comes Autissiod. dedit Guillelmo episcopo terram de Capella S. Andreæ. Ch. XLVI, col. 133. Insequenti anno a Gaufrido de Nauvigneis avunculo suo prædia quædam accepit. Ch. XLIX, col. 134. Anno 1178 cum aliis abbatibus designatur a capitulo generali judex controversiæ inter Boni-radii & Fontis-Morig-
D niaci monachos exortæ. Reperitur etiam variis in chartis ad annum 1188. Anno 1191 memoratur in charta Gauterii de Argeno terram suam de Monesterello Rupibus concedentis. Ch. LVIII, col. 140.

IV. Petrus I anno 1200 Stephanum *de Grenole* in monachum suscepit, quo anno pater ejus Stephanus *de Grenole* annuentibus Marchesia uxore sua, Rainaudo primogenito hujusque conjuge Maria monasterio concessit usagium in silvis Boni-radii. Anno sequenti S. Guillelmus Bituricarum archipræsul sententia arbitraria Petrum & monachos Rupium damnavit ad solvendum monasterio S. Laurentii heminam frumenti annui
E census pro domo sua Sacri-Cæsaris.

V. Johannes II anno 1210 legitur alter executorum testamenti Stephani de Fenis in tabulario Callovii. Memoratur etiam ibidem an. sequenti.

VI. Petrus II, quo sedente Hugo de S. Verino an. 1219 donum insigne monasterio concessit.

VII. Johannes III recensetur anno 1227 in tabulario Callovii, & anno 1233 in charta Barbelli.

VIII. Guido *de Varzy* mense Januario 1295 transigit cum Johanna de Melloto domina S. Verini.

Digitized by Google

IX. Guillelmus I anno 1300 innotescit ex chartario Callovii. Is haud dubie sedebat cum Philippus Franciæ rex monasterio Rupium manus mortuæ jus concessit.

Hist. Autiss. tom. II, pag. 93.

X. Henricus 7 Novemb. 1319 fidei sacramentum præstitit Guillelmo Autissiodorensi episcopo.

XI. Guillelmus II, die Veneris ante Assumptionem B. Mariæ an. 1373 abbati de Callovio quædam dat ad censum. 5 Jan. 1382 instituit ut calendis cujuslibet mensis missa celebraretur pro Johanne *Mouchet de Tury* ejusque conjuge Margarita, memor donorum quæ monasterio contulerant.

XII. Christinus legitur in veteri instrumento anni 1413.

XIII. Simon 1447 & 1452.

XIV. Bertrandus *Gailoy* præfecturam obtinebat an. 1460 mense Aug. & 1463 VIII id. Decembr. Permutavit postea cum sequenti pro abbatia de Callovio.

XV. Johannes IV *Jaillet*, al. *d'Auxerre*, Autissiod. forsan oriundus, monachus Pontigniacensis, abbas Fontis Morigniaci, tum Callovii & tandem abbas Rupium per commutationem cum præcedenti de autoritate abbatis Pontigniaci & assensu abbatis Cistercii, quam an. 1467 confirmavit capitulum generale. Obtinuit 15 Martii 1469 ut sequestre liberarentur & ager dictus *de Mienne*, & septem libræ Turonenses suo monasterio quotannis debitæ in octava S. Andreæ. Sententiam obtinuit 12 Octobris 1473 adversus Raimundum *de Corquilleray* dominum *de Neufvy* & *des Barres*.

XVI. Guillelmus III *Rudot* obedientiam juravit Ludovico Trecensi episcopo 22 Maii 1474.

XVII. Gilbertus *d'Orvallet* reperitur die 7 Decemb. 1484. Præerat adhuc an. 1496.

XVIII. Guillelmus IV *al.* Claudius *des Escures* 18 Decembris an. 1503 litigavit cum Guillelmo *de Thou*. 11 Septemb. an. 1506 transegit cum Maria *de Fontenay* relicta Gilberti *de S.t Quentin* domini *de Beaufort*, & cum Johanna *de Fontenay* uxore Johannis *de Vieuxbourg* domina saltem ex parte *de Mienne*, *de Bourdoiseau*, *des Barres*, &c. Litem etiam habuit cum Francisco *de l'Espinasse* terminatam 13 Julii 1510. Regebat adhuc an. 1522, quo die 10 Novemb. quædam ad manufirmam tradidisse legitur.

XIX. Antonius *des Rinaux* in decretis baccalaureus memoratur in veteri instrumento 15 Decemb. 1529. Fuit hic aut e regularibus ultimus aut primus e commendatariis.

XX. Petrus III *Crespin*, vir nobilis, doctus, canonicus Parisiensis, commendatarius legitur an. 1539 die 15 Aprilis. Cum Reginaldo *de Vieuxbourg* domino de Bellovisu * transegit 7 Julii 1553. Adversus moniales de Annunciatione Bituricenses decretum parlamenti anno 1556 obtinuit. Superstitem adhuc anno 1560 exhibent instrumenta quædam.

* Beauvoir.

XXI. Jacobus I *Amyot* summus Franciæ eleemosynarius, regiorum ordinum commendator, regi a sanctioribus consiliis, Universitatis Pari-

A siensis conservator, Bellozanæ Rothomagensis ac S. Cornelii Compendiensis commendatarius, Rupium quoque habuit commendam an. 1560 ex munificentia Caroli IX regis discipuli sui, apud quem plurima pollebat gratia. Recensetur Jacobus in charta 7 Augusti anni 1570 quo ad Autissiodorensem infulam assumtus fuit. Commendam cessit sequenti anno saltem 1589.

XXII. Johannes V *de Bourneaux* præcedentis ex sorore nepos, canonicus ecclesiæ Parisiensis, regi a consiliis & eleemosynis, prior S. Sansonis Aurelianensis, 29 Julii 1589 locat reditus abbatiæ, quo tamen anno & quatuor sequentibus
B Renatus *de Poisson* miles, dominus *de Montigny le Sec* in Picardia dono habuit eosdem reditus, quos ipsi rex iterum confirmavit 20 Martii 1592 ex chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

XXIII. Bernardus *de Fortia* consiliarius in parlamento Parisiensi, commendatarius legitur in instrumento 17 Octobr. 1626. Fuit erga pauperes munificentissimus.

XXIV. Ludovicus *Barbier de la Riviere* abbatiam tenebat anno 1630. Provectus postea fuit ad sedem Lingonensem, ubi vide tom. IV, col. 640. Tenuit quoque commendas Sylvæ-Majoris, S. Benedicti Floriacensis, S. Petri Carnutensis,
C Crassæ & Lyræ plurimasque dignitates ex favore Gastonis Aurelianensis germani Ludovici XIII regis.

XXV. N. *du Fretois*.

XXVI. Carolus *Testu de Pierrebasse* Petri *de Broc* episcopi Autissiodorensis ex sorore nepos, ejusdem ecclesiæ decanus, commendam Rupium habuit anno 1670, commendatarius etiam Omnium Sanctorum Andegavensium. Occubuit vero anno 1709 ætatis 82.

XXVII. Jacobus II *de Wisniek* doctor facultatis Parisiensis & vicarius generalis domini *de Caylus* episcopi Autissiodorensis, designatur a
D rege in natali Domini 1709. Obiit 25 Febr. 1754 Parisiis in domo sacerdotum S. Sulpitii, annos natus 85.

XXVIII. N. Adam parochus S. Bartholomæi Parisiensis verbi Dei præco disertus, nominatus est a rege 6 Martii 1754.

S. MARIANUS.

S. MARIANI monasterium, primam si spectemus originem, valde antiquum est, utpote quod primum habuerit autorem ante annum, ut creditur, 429 B. Germanum Autissiodorensem episcopum. Is ad alteram Icaunæ
E fluminis ripam ipsa sub urbe cœnobium monachorum SS. martyribus Cosmæ & Damiano nuncupatum erexerat ditaratque copiose, in quo etiam ejusdem præsulis cella fuerat sanctorum ejus gemituum cruciatuumque conscia. Primus illic ab ipso constitutus est abbas Allodius. Extincto fundatore monasterium primo S. Germani, deindeque S. Mariani sortitum est nomen a Mariano, qui, sedente Mamertino, vitam eo loci tunc de S. Germano nuncupati monasticam amplexus, adeptam dum viveret sanctitatis famam bene multis post mortem miraculis comprobavit,

Digitized by Google

cujus corpus illic primum quievit, deindeque ad monasterium S. Germani translatum est. Destructum temporis lapsu cœnobium illud tam celebre olim, tam inclytum restaurare cogitavit an. 1120 clericus quidam Autissiodorensis ecclesiæ Iterius nomine, vir simplicis quidem animi & minoris industriæ, sed probati testimonii & honestæ conversationis, ad illud operis divina incitatus gratia ac præcipue sua in B. Germanum pietate, cujus illic oratorium in ipsis monasterii ruderibus adhuc supererat. Anno 1130 Innocentium II Autissiodori tunc commorantem Iterius adiit obnixe rogans ut locum, quem jam ex parte refecerat dignanter inviseret, ibique altare in honorem B. Germani dedicaret; quod Pius papa benigne annuit, & altare solemniter consecrans divina ibidem mysteria celebravit. Videns quoque innumerabilem adesse populi concursum sermonem habuit sic exorsus: *vere locus iste sanctus est & ego nesciebam.* Sane extunc cœpit idem locus reverentius honorari, ampliari copiosius. Anno 1138 videns Iterius locum, quem reædificandum susceperat, assidua capere incrementa, cœpit apud se pensare altius seque reputare felicem si conventum ex ordine Præmonstratensi illuc posset adducere. Adit & consulit Hugonem *de Macon* episcopum, Guillelmum II filium Reginaldi II Nivernensem comitem & Theobaldum comitem Campaniæ, eorumque consilio auxiliique promissione munitus Præmonstratum petiit, & ab Hugone qui tunc illic abbas erat, quod petebat obtinuit. Fratres itaque ad conventum deliguntur, eisque dominus Rainerius abbas præficitur ac in locum designatum venerunt anno 1139. Verum angustus cum ipsis videretur ille locus, ad suburbanam S. Mariæ basilicam, quam monachis olim condiderat S. Vigilius episcopus, & quæ tunc collegium erat canonicorum sæcularium, eos transtulit anno circiter 1140 Hugo Autissiodorensis antistes, data canonicis optione ut aut inde recederent, aut supervenientium fratrum regulam amplexarentur. Eo in monasterio quod B. Mariæ rotundæ aut B. Mariæ extra muros *Notre-Dame la dehors* dicebatur, ad usque annum 1169 permanserunt Præmonstratenses; ast cum eos & premeret etiam loci angustia, & ex nimia urbis vicinitate multiplex eis gravamen accederet, sedem inquirere cœperunt quæ paululum & ab urbe & a strepitibus sæculi remotior plus haberet quietis, extruendisq; officinis foret competentior. Ad hoc itaque nulla visa est eis opportunior quam ecclesia S. Martini sibi ab Hugone episcopo jam pridem concessa & ab Alano anno 1163 firmata, quæ monialium olim fuerat extra urbem monasterium. Illuc, cum sibi officinas aliquot, opem ferente solumque necessarium concedente comite Nivernensi, prius construxissent, die dominica 16 Nov. ejusdem anni solemniter progressi sunt, relictis in monasterio S. Mariæ duobus religiosis cum uno clerico, qui populo illius ecclesiæ spiritualia auxilia ministrarent.

Charta XXXVIII, col. 126.

Anno 1358, Anglis bello Galliam devastantibus, Præmonstratenses ex occupata S. Martini abbatia, ad monasterium B. Mariæ extra muros, sed quod tunc a ducentis annis intra muros urbis continebatur, mense Decembri rediere, in eoque remanserunt ad diem 28 Julii 1373, quo ad majorem S. Mariani domum remearunt (minor enim solo fuerat æquata, ne in eam tanquam in vallum hostes recepissent sese urbem inde facilius oppugnaturi). Tandem everso funditus a Calvinistis monasterio an. 1567, rursus ad B. Mariæ cœnobium reversi, quod aliquando retinuit & etiamnum retinet S. Mariani nomen, fixam hactenus sedem in eo statuerunt. Hi fuerunt monasterii antiquissimi status diversi, cujus hoc unum superest vestigium major sanctuarii arcuata columna a qua non procul parva constructa est in honorem S. Martini pro pauculis circumhabitantibus paræcia. Ecclesia S. Mariani merito existimatur prima ecclesiæ cathedralis filia, utpote tribus aliis ejusdem ecclesiæ filiabus, nimirum S. Petro, S. Amatore & S. Eusebio antiquior. Cum vero præbendam cathedralis possideant Præmonstratenses ab Hugone *de Mâcon* episcopo sibi concessam, hinc ex iis unus debet ex ordine in eadem ecclesia hebdomadarii munus exequi.

Historiam illius monasterii ab origine petitam per omnes incrementorum ejus circumstantias, quarum testis ex parte fuerat, ad usque XIII sæculum deduxit Robertus vir multiplici nomine commendabilis. Natus anno 1156, ætatis suæ 16, Præmonstratensi apud S. Marianum militiæ nomen dedit an. 1172, virtutumque non minus quam scientiæ fama conspicuus vitæ sortitus est finem anno 1212. Is est chronologiæ auctor quæ opera Nicolai Camuzæi sub monachi Autissiodorensis nomine anno 1608 primum edita juris publici facta est. Aliis sanctitate & doctrina viris inclitis floruit San-Marianense cœnobium, quos inter non omittendus Hugo percelebris suo tempore chronographus.

Jam abbatum indicem operæ-prætium est contexere. Duos tantum novimus ex iis qui ante Præmonstratenses sederunt. Primus S. Allodius ab ipso S. Germano constitutus abbas. Secundus S. Mamertinus, qui ex idolorum cultu ad fidem christianam conversus & a S. Germano baptisatus, factus est monachus in monasterio SS. Cosmæ & Damiani, deinde S. Allodio substitutus vitam pie & sancte ibidem consummavit. Corpus ejus in ecclesia cathedrali quiescit.

ABBATUM INDEX.

I. RAINERIUS B. Norberti discipulus, ex priore Præmonstrati, Iterii precibus annuente Hugone abbate, novæ ejusdem ordinis apud S. Marianum coloniæ abbas præficitur. Rem sic narrat in suo chronico Robertus S. Mariani monachus: *Præmonstratum petiit* (Iterius) *& a venerabili Hugone tunc Præmonstrati abbate quod petebat obtinuit. Fratres itaque ad conventum deliguntur eisque dominus Rainerius abbas præficitur, prius Præmonstrati prior, & ex magna parte Præmonstratensis ordinis institutor, litteraturæ vero tantæ tamque prudens consilii, ut in toto Præmonstratensi*

Digitized by Google

ordine vix eo posset potior inveniri ; mira gratia pollens in cunctis, nisi quod laborabat incommodo modicæ surditatis. Venit igitur in locum designatum cum fratribus suis anno Domini 1139, Innocentii papæ II decimo, Ludovici junioris Francorum post mortem patris sui tertio. Eugenius III XIV calend. Febr. indictione IX an. 1145 Rainerio privilegium protectionis indulsit. Abbatem hunc S. Bernardus tam regi quam principibus notum fecerat, quippe quem noverat virum multæ virtutis, discretionis eximiæ & præcipuæ honestatis. *Anno 1146*, ait ibidem jam citatus Robertus, *D. Rainerius S. Mariani primus abbas quibusdam de causis Præmonstratum profectus, dum rediret apud Pruvinum ægritudinis lecto decubuit, ubi Theobaldus comes principum illustrissimus eum sæpius visitavit, utpote quem sciebat virum sanctum & justum, & sua visitatione dignissimum. Post paucos autem dies, ingravescente morbo, beatum vitæ finem ibi sortitus est, & in xenodochio quodam pauperum, ut ipse petierat, inter pauperes pauper Christi sepultus est. Postmodum vero eodem xenodochio in abbatiam canonicorum, quæ nunc S. Jacobi dicitur, commutato, contigit ejusdem loci ecclesiam ampliari, & intra ejusdem ecclesiæ ambitum ejus includi sepulchrum, ubi nunc, ut fertur, multæ languentibus curationes præstantur, quibus viri Dei meritum declaratur. Obiit autem pridie calend. Martii, expletis postquam abbas effectus est sex annis, tribus mensibus & viginti diebus.*

Ch. XXV, col. 118.

II. Bertholdus Rainerium excepit. *Is*, inquit Robertus, *Colonia Agrippina oriundus vir vitæ probabilis & mansuetudinis præcipuæ, cum undecim mensibus præfuisset, obiit anno 1147* ineunte Feb. *al.* 15 cal. Aprilis.

III. Osbertus Bertholdi successor, cui anno 1150, efflagitante S. Bernardo, Ludovicus VII *Vallem profundam* dedit cum aliis aliquot prædiis, quam donationem anno sequenti confirmavit Eugenius III. Post 8 regiminis annos abbatiam sponte dimisit Osbertus anno 1155, ut docet ibidem Robertus.

IV. Milo *de Trainel,* ex prænobili in Campania Trenellorum gente, patrem habuit Anselmum baronem *de Trainel*, matrem vero Elisendim. Post Osberti cessionem electus est abbas annos natus 32, dignitatemque suam non vitæ tantum merito, sed & rebus præclare gestis decoravit. Anno 1156 ab Adriano IV, & annis 1162 & 1177 ab Alexandro III bullas protectionis obtinuit. Quas donationes monasterio viva duntaxat voce concesserat Hugo III Autissiodorensis antistes, eas ab Alano Hugonis successore scriptis confirmari curavit Milo anno 1163. Radulfo ecclesiæ Autissiodorensis thesaurario, pietate ac divitiis spectabili extremos agenti spiritus extrema præstitit caritatis subsidia, in suo monasterio suscepit hospitem, ad pœnitentiam fregit cor mire devotum, Christum ut hæredem relinqueret morituro suasit, mortuoque an. 1166 parentavit, & illum honorabili sepulturæ ante majus altare tradidit. Anno 1169 ex monasterio S. Mariæ extra muros fratres suos in novum cœnobium transtulit quod ad ecclesiam S. Martini construxerat. Libris bibliothecam, ecclesiam ditavit ornamentis. Summis pontificibus, episcopis, regibus ac principibus carus admodum fuit. Ludovicum VII Franciæ regem literis convenit ejus ut demereretur erga suos monachos benevolentiam ac protectionem. Milone sedente, Guido comes Autissiodorensis annis 1170 & 1171 monasterium prædiis nonnullis adauxit ; Willelmus episcopus Autissiodorensis anno 1172 ecclesiam de Vincellis, anno 1180 ecclesias de Logniaco & *de Molins*, & decimas aliquot anno 1181 eidem monasterio contulit, in quo eodem anno mortuus non procul a mox dicto Radulfo ante majus altare conditus est. Chartis Guidonis comitis Autissiodorensis & Guillelmi Senonensis archiepiscopi pro monasterio Pontiniacensi anno 1175, & Guillelmi episcopi Autissiodorensis pro ecclesia S. Eusebii anno 1180 subscripsit Milo. Plurimis est donatus an. 1190 a Petro comite Nivernensi & Agnete ejus uxore, cujus anniversarium ab eodem Petro institutum est anno 1193. Extant literæ magistri Petri ad Milonem, quibus vineam & grangium ipsi indulget anno 1200. Cum Radulfo abbate S. Germani & Engenulfo canonico *de Bray* transegit anno 1202. Insequenti die 17 Martii post 47 præfecturæ annos e seculo migravit, ut patet ex ejus vitæ breviario quod edidit *N. le Beuf*, ejusque hoc epitaphio memoria consecratur.

Charta XXXVIII, col. 126.

Hist. Autiss. prob. tom. II, p. 24 & 25. *Ibid. p. 26.* *Ibid. p. 28.* *Ibid. p. 28.* *Anecdot. tom. III. col. 1238.* Ch. III, col. 136. *Hist. Autiss. tom. II, prob. p. 31. 33. & 34.* *Ibid. p. 259. & seqq.*

Hic pater a puero nutritus in ordine crevit,
Ordinis & generis splendor honorque sui.
Cui Milo nomen erat, in quo sita plurima virtus,
Forma decora, genus nobile, sermo placens.
Forma, genus, sunt parva licet, tamen actio sacra
His comitata bonis clarior esse solet.
Ejus erat studium vitii fuga cultus honesti,
Ecclesiæque decor, officiumque sacrum.
Parca manus, modicus habitus, moresque modesti,
Sobria mensa, fides firma, fidelis amor.
Corripiens oleum vino miscebat, eratque
Sub pietate gravis, sub gravitate pius.
Id quoque moris habens non tam terrore minisque
Quam prece vel monitis quæque volebat agi.
Mente sagax, rectique tenax, socialis & æquus,
Corde humilis, fugitans publica, pacis amans.
Tectis rebus egens domus hæc provecta sub ipso est,
Factaque structuris ampla, referta bonis.
Ipsius accumulat laudes laudanda librorum
Theca tot & tantis accumulata libris.
Inter tot dotes fastum non protulit, extans
In grege tanquam unus, de grege forma gregis.
Dum viguit viguere statu bona nostra secundo,
Fama foris florens, intus & ordo vigens.
Præfuit ipse novem lustris annisque duobus,
Post, ubi quindena lustra peregit, obit.
Quem tulit illa dies qua sol de piscibus exit:
Cui sol justitiæ det sine fine diem.
Nec dubium quin jam videat vita bona, cujus
Tam bona vita fuit, clausaque fine bono.

Aliud :

Mars medius medio rapuit de Marte Milonem,
Ut sic post Martem Martha Maria foret.

Digitized by Google

V. Bernoaldus *al.* Bernodalis ex priore anno 1204 abbas electus præfuit annos tres cum novem mensibus. Ejus obitus 16 cal. Martii in necrologio S. Justi.

VI. Norbertus abbas ex priore mense Decemb. 1207 una cum Herberto Selleriarum abbate litem componit anno 1209 inter Johannem Dei-loci & Galterium Vallis-lucentis abbates. Eodem anno cantor Autissiodorensis Galterius domum ipsi legavit. Barbello vineam vendidit Norbertus 3 idus Martii 1216, quo anno memoratur in charta Johannis canonici B. Mariæ de civitate S. Mariano vineam concedentis. An. 1220 cum abbate S. Laurentii composuit, & anno 1222 cessit e vivis. Recensetur in una ex duabus epistolis quas Gervasius abbas Præmonstratensis ad priorem & suppriorem S. Mariani scripsit pro recipiendo Stephano ejusdem loci canonico. Adhuc occurrit in epistola 126 ejusdem, in qua agitur de electione prioris S. Mariani in abbatem Dei-loci, & in necrologio S. Martini Laudunensis ad III cal. Maii.

Sacra Antiquit. monum. tom. I, p. 61 & 62.

Ibid. p. 113.

VII. Rainerius II an. 1223 adfuit apud S. Ferreolum judicio lato adversus Drogonem de Mello in gratiam canonicorum ecclesiæ Autissiodorensis

VIII. Hulderus *al.* Hugo legitur mense Junio 1239 in charta Galterii archiepiscopi Senonensis.

IX. Guillelmus I an. 1246 domum vendidit canonicis ecclesiæ Autissiodorensis. Memoratur adhuc anno 1247.

X. Stephanus I abbas S. Pauli Senonensis postulatus ad S. Marianum, Guidoni episcopo confirmandus præsentatur anno 1251, die Veneris ante festum S. Peregrini. Transegit anno 1257 cum Theobaldo ecclesiæ Autissiodorensis thesaurario.

Ch. CI, col. 168.

XI. Guerricus natus in Burgundia memoratur anno 1261 in charta S. Pauli Senonensis. An. 1265 interfuit levationi reliquiarum S. Mariæ de Bethania, factæ a Guidone episcopo Autissiodorensi coram S. Ludovico Francorum rege. Odo primogenitus ducis Burgundiæ comes Nivernensis hoc anno laudavit pactum eum inter & piscatores Autissiodorenses initum de jure piscationis in Biezio de Brichoto. Anno 1267 arbiter eligitur ad componendam litem Guidonem episcopum & Autissiodorense capitulum inter & cantorem B. Mariæ de Civitate, & an. 1269 ad aliam litem dirimendam inter idem capitulum & Johannem *de Seignelay* dominum de Bellomonte. Mense Septembri ejusdem anni ad sedem Præmonstratensem assumptus est.

XII. Johannes I, anno 1278 transigit cum Johanne de *Seignelay* domino de Bellomonte. Præsens adstitit hominio quod Johannes de Cabilone comes Autissiodorensis mense Martio 1280 & Robertus Flandriæ comes ac Nivernensis die Mercurii post festum Pentecostes an. 1281 Guillelmo Autissiodorensi episcopo professi sunt. Memoratur adhuc in regestis capituli an. 1287, defunctusque est an. 1290.

Ch. CXV, col. 179.

Ch. CXVI, col. 180.

XIII. Henricus I mense Julio anni 1291 A ex Annalista abbas electus est, vitæ finem assecutus an. 1301.

XIV. Martinus I memoratur anno 1302 in veteri ecclesiæ Autissiodorensis instrumento.

XV. Henricus II interfuit anno 1305 capitulo generali apud Præmonstratum, ubi certam fixamque sibi ac successoribus suis cameram, centum pensitatis Turonensibus libris, ab Adamo abbate acquisivit, ad quam tempore capituli generalis sese reciperent.

XVI. Herveus anno 1311 quædam permutavit cum capitulo Autissiodorensi.

XVII. Martinus II interfuit anno 1320 visi- B tationi corporis S. Amatoris factæ a Petro episcopo Autissiodorensi.

XVIII. Franciscus I an. 1322 arbiter electus est in causa domini de Mello.

XIX. Johannes II memoratur an. 1344 in charta S. Pauli Senonensis, ex schedis Martenii.

XX. Stephanus II Theologiæ doctor, belli facem anno 1358 Anglis ferentibus, abbatiam ex S. Martino ad S. Mariæ rotundæ ecclesiam mense Decembri transtulit post ferale incendium quo civitatis suburbia conflagrarunt. Is an. eodem cum urbis & cleri proceribus cautionis literas monachis S. Germani dedit pro recuperatione C capsæ ejusdem sancti præsulis, quam cives Autissiodorenses, captam urbem pacto pretio non valentes redimere, Anglis depopulatoribus obsidem dare coacti fuerant. Publica civitatis acta eadem in causa mentionem faciunt Stephani an. 1360. Insequenti ad Parcensem dioeceseos Mechliniensis abbatiam translatus est, & anno 1368 abbas Præmonstrati factus, ante adeptam possessionem fatis concessit IV idus Septemb. De eo tom. V, pag. 99, & tom. IX, pag. 654.

XXI. Johannes III cum Stephano S. Germani abbate an. 1364 transegit. Comitiis populi D & cleri convocatis 20 Junii an. 1369 intererat, in quibus de recuperanda S. Germani capsa actum est. Cum Sibilla Insularum abbatissa an. 1372 & cum capitulo Autissiodorensi an. 1380 composuit. Idem forte est cum Johanne *Cold'argent*, cujus tumulus in ipsis templi ruderibus anno 1704 detectus hoc præfert epitaphium: *Hic jacet dominus Johannes Cold'argent abbas hujus monasterii, qui recte & laudabiliter rexit istam ecclesiam, & obiit anno MCCCC secundo duodecimo die Februarii.*

XXII. Richardus *Colas* ex parocho B. Mariæ rotundæ assumptus in abbatem S. Mariani, a Michaële episcopo Autissiodorensi benedicitur 2 E Aprilis an. 1402 simulque eidem præsuli obedientiam profitetur. Anno sequenti fratrem Jacobum *de Noyers* parochiæ vacantis invasorem excommunicavit Richardus, sedemque fratri Johanni *Prestat* obtulit, qua de re litem habuit cum episcopo terminatam anno dumtaxat 1410. Præsens aderat anno 1406, cum ad fastigium campanilis ejusdem ecclesiæ plures reliquiæ delatæ sunt. Anno 1410 die 29 Januarii in præsidem ecclesiasticum civicæ basilicæ electus, id muneris annis 1411 & 1412 exercuit. Adfuit cum publicæ pecuniæ anno 1414 reddita ratio est, mortalemque

Ch. CXXXII, col. 196.

Ibidem, pag. 262.

Digitized by Google

mortalemque vitam exuit 13 Novemb. 1419 ex necrologio B. Mariæ rotundæ. Inter ecclesiæ parietinas inventa est anno 1713 delataque ad ecclesiam S. Martini tumba ejus cui hæc insculpuntur verba: *Continet hæc tumba veneralilis ossa Richardi Colasii pastoris istius ecclesiæ, qui fuit & vixit per dictos . . . qua die ecclesiæ sacra dicatio fit.*

XXIII. Petrus I *Aurard* an. 1423 a Philippo episcopo Autissiodorensi, quia synodo tunc temporis habitæ non adstitit, excommunicatione plectitur, cujus absolutionem abbas S. Genovefæ Parisiensis, privilegiorum ordinis Præmonstratensis defensor ipsi 3 Septemb. ejusdem anni *ad cautelam* est impertitus. Memoratur an. 1425 & 1435 in regestis comitatus Autissiodorensis. Sæviente bello inter Carolum VII Franciæ regem & Philippum ducem Burgundiæ urbem prudentia sua provide liberavit. Militum equorumque subsidia Philiberto *de Vaudré* Autissiodori gubernatori Brienonem obsidenti anno 1433 suppeditavit. Præsens adfuit 15 Martii 1449, cum Philippus episcopus Autissiodorensis urbem solemni pompa ingressus est. Composuit cum Philippo *de Savoisi* domino *de Seignelay* anno 1456, postremamque obiit diem 20 Martii ejusdem anni. Sepulcralis ejus lapis anno 1716 effossus his inscribitur versibus:

Egregiæ famæ duro sub silice dormit
Vir Petrus Aurardi moribus ingenuus.
Annis triginta septem quondam fuit iste
Archimandrites istius ecclesiæ.
Mille quadringenti quinquaginta quoque seni
Martis & ipse dies ordine vicesimus.
Hac sub humo Petrum gelida clausere sepultum
Dum mors in thalamo posuit amara suo.
Claustrali sancte quem dat sua cura Mariæ
Spiritus in cælis gaudeat empireis. Amen.

XXIV. Johannes IV *Veraudat* pedum obtinuit anno 1457. Cum Johanna abbatissa de Crisenone transegit anno 1461, eodemque ab Autissiodorensi capitulo ipsi denegata est solemnis corporis Christi supplicationis vacatio. Anno 1469 die 30 Novemb. officium sacristæ instituit confirmatum 21 Maii 1470 a Simone Præmonstratensi abbate. Anno 1472 transegit cum parochianis B. Mariæ rotundæ. An. 1476 nomine Petri Vallis-secretæ abbatis præfuit electioni abbatis Dei-loci. Civicæ basilicæ administrator fuit annis 1477 & 1478, quæ quidem provincia jam ipsi fuerat demandata an. 1453 & 1464. Denique fato correptus 15 Augusti 1479 conditus est in ecclesia S. Mariani. Tumulus ejus, qui nunc est in ecclesia B. Mariæ prope januam claustro contiguam hoc præ se fert epitaphium: *Hic jacet felicis recordationis reverendus pater in Christo dominus Johannes* Veraudat, *de Appugniaco oriundus, hujus ecclesiæ antistes, qui hoc cænobium spatio viginti duorum annorum cum quinque mensibus honorifice rexit. Obiit autem die Assumpt. B. Mariæ an. Domini MCCCCLXXIX.*

XXV. Johannes V. *Bourgeois* ex suppriore abbas renuntiatus 3 Augusti 1479 Parisiis inauguratur a Johanne episcopo Autissiodorensi 24 Octob. sequentis, præsentibus Hugone S. Germani & Johanne Hermeriarum abbatibus. Insequenti anno adfuit translationi S. Cotti. Anno 1485 mense Augusto adstitit concilio Senonensi. Ch. CXLI, col. 210. Ingravescente in dies valetudine, coadjutorem petiit 2 Martii 1496 (1497) sexque post diebus defunctus humatus est prope majorem chori portam. Extractus anno 1733 lapis ejus bipartitus hoc inscribitur epitaphio: *Hic jacet rev. in Christo pater Johannes . . . . Is tranquillus moribus amansque quietis, corripiens oleum vino miscebat, eratque sub pietate gravis, sub gravitate pius, qui hoc cænobium spatio septem decim annorum cum dimidio laudabiliter pieque rexit. Obiit anno MCCCC nonagesimo sexto, die vero VIII Martii.*

XXVI. Nicolaus I *Johannis* nobilis Autissiodorensis, in decretis licentiatus titulo gaudet abbatis per obitum præcedentis, cui datus fuerat ex suppriore coadjutor 2 Martii 1496 (1497). Is disciplinæ tenax & sedulus observator a variis capitulis generalibus Lauduni anno 1498, apud S. Quintinum an. 1503 & Branæ an. 1523 celebratis, & etiam anno 1511 ab ipso Johanne Præmonstrati abbate deputatus fuit ad varia ordinis visitanda reformandaque monasteria, quam provinciam laudabiliter summoque omnium plausu obiit. In urbis archivis legitur civicæ basilicæ præses ab an. 1504 ad 1507. Cum Johanna abbatissa Insularum die 31 Januarii 1512 transegit. Monasterii sui privilegia adversus Franciscum episcopum Autissiodorensem fortiter & victor propugnavit anno 1515. Administrationem basilicæ sibi rursus commissam an. 1518 gessit utiliter Nicolaus, in hoc culpandus quod in clerici sæcularis manus regularem abbatiam transmiserit. Decessit die 31 Octob. 1542, & in ejus tumuli fragmine hæc dumtaxat ipsius epitaphii pars superest:

Nunc quibus & meritis Elisium colis hoc.
Doctrina immensa vir idem quoque sanguine claro
Clarus Johannis & Nicolae jaces.

XXVII. Arnulfus *Gontier* cantor & canonicus ecclesiæ Autissiodorensis, vivente adhuc Nicolao, abbatiam ex resignatione, ut videtur, obtinuit. Anno 1540 in quibusdam literis dimissoriis abbatem S. Mariani se dicit. Fuit is primus commendatarius, sed Præmonstratenses in capitulo generali anni 1551 precum ac bonorum operum participem eum fecerunt, nec multo post cessit in gratiam sequentis. Testamento condito 11 Maii 1553 nonnulla legavit ecclesiis S. Stephani & S. Martini.

XXVIII. Petrus II *Fournier* nobilis Arvernus, Parisiensis sacræ Capellæ canonicus, commendatarius erat 14 Octob. 1552. Ad sedem Petrocoriensem provectus est anno 1561, quo 18 Maii abbatiam S. Mariani aliaque nonnulla beneficia cum sequenti permutavit pro abbatia de Ceriziaco Bajocensi. De Petro ejusque tragico fine diximus tom. II, pag. 1485.

XXIX. Antonius *Dapechon* ex cessione

Digitized by Google

..tam pari titulo transtulit commendam ad sequentem.

XXX. Michael *de Clugny* ex illustri cognominis in Burgundia sanguine, dominus *de Montachon*, legum doctor, legitur commendatarius 30 Januarii 1564. Agnovit 10 Julii 1567 20 solidos deberi sacristæ S. Germani ab abbate S. Mariani.

XXXI. Franciscus *Guerry* Abiensis, regis eleemosynarius, commendam tenebat anno 1571. Die 7 Junii anni 1573 jura quædam abbatiæ S. Germani in suum monasterium recognovit. Ineunte anno 1579 cessit in gratiam sequentis sub annua pensione ac conditione abbatiæ beneficia conferendi.

XXXII. Johannes VI *Lourdereaux* regis eleemosynarius, in utroque jure licentiatus, per cessionem præcedentis adeptus abbatiam anno 1579, hanc sequenti fratri suo anno 1583 transmisit.

XXXIII. Johannes VII *Lourdereaux* præcedentis frater, commendatarius etiam S. Magdalenæ Castrodunensis & S. Justi Bellovacensis, prior Sezannæ ac thesaurarius ecclesiæ Autissiodorensis ex decano & canonico S. Mellonis Pontisarensis. Mortuo an. 1593 Jacobo episcopo Autissiodorensi, totius diœceseos regimen ipsi a capitulo concreditum est. Comitiis provinciæ Senonensis Meloduni celebratis an. 1595 interfuit, indeque ad generalia cleri Gallicani comitia Parisios deputatus est, unde rediens morte correptus fuit ineunte Julio 1598, facta prius cessione in favorem sequentis.

XXXIV. Edmundus *Martin* Autissiodorensis, præcedentis ex sorore nepos, canonicus S. Justi Bellovacensis, baccalaureus theologus in facultate Parisiensi, anno 1598 abbas sedebat regularis opera domini *d'Alincourt*. Henricum IV elogio funebri summo auditorum plausu in cathedrali ecclesia an. 1610 celebravit. Præbendæ ejusdem ecclesiæ suo monasterio ab Hugone *de Mâcon* episcopo addictæ confirmationem anno 1616 lata sententia obtinuit. Abbatiam feliciter & bene rexit ad usque diem 6 Decemb. anno 1627, cujus facta paulo ante in gratiam sequentis dimissione, fatis extinctus est. Jacet in choro ecclesiæ haud procul a tumulo S. Vigilii.

XXXV. Claudius *Gaultier* antecessoris consanguineus ejusdemque ordinis apud S. Marianum professus canonicus, abbatiam ex dimissione obtentam competitori relaxare compulsus est sub pensionis reservatione.

XXXVI. Nicolaus II *Jannin de Castille* Parisinus commendam S. Martini Augustodunensis gerebat, cum San-Marianensem habuit anno 1628. Devixit an. 1639.

XXXVII. Henricus III *Jannin de Castille* præcedenti fratri suo successit, tenuitque commendam ad annum 1670, quo mortuus est, etiam commendatarius S. Martini Augustodunensis.

XXXVIII. Henricus IV *de Barail* canonicus ecclesiæ collegiatæ de Moritonio diœcesis Abrincensis, possessionem adeptus est 24 Augusti 1671 annos natus 13. Vixit ad annum 1719.

XXXIX. Nicolaus-Josephus *Racine* in parlamento Parisiensi senator, filius Michaelis *Racine* regis secretarii, nominatus est a rege 13 Februarii 1719. Obiit Parisiis aqua intercute 6 Augusti 1735 annos natus 59.

XL. Hyeronimus *Lefebvre de Laubriere* vicarius generalis Francisci fratris sui episcopi Suessionensis, a rege designatus 8 Octobris 1735 possessionem adiit mense Aprili anni sequentis. Fuit ecclesiæ Nannetensis decanus.

XLI. N. *du Breil de Pontbriand* ex regis nominatione 29 Octobris 1746.

INSULÆ.

BEATÆ Mariæ dicatur parthenon fundatoremque agnoscit Guillelmum *de Seignelay* episcopum Autissiodorensem. Is circa an. 1219 monasterium virginum, quas ex Parisiensi S. Antonii de Campis arcessivit, uno ab urbe milliari eo in loco condidit, cui nomen olim Cellæ, locum donante Gerardo *Baleine* B. Mariæ canonico, illudque monasterium abbati Cisterciensi subjecit. Henricus ejus successor rata habuit an. *Hist. Autiss. prob. tom. II,* 1222 tria stalla sita in mercato Autissiodorensi *p. 275.* a Petro *Porrete* monialibus collata.

Vix decem a fundatione anni fluxerant, cum Guido comes Autissiodorensis, Nivernensis, Tornodorensis ac Foresiorum una cum uxore Mathilde, novo in terra sua Orgellana ad Icaunam fluvium ædificato cœnobio, moniales Cellarum circa an. 1229 in illud transtulit, quibus *Ibidem;* & quatuor adjacentes dedit insulas, unde monas- *p. 279.* terii Insularum sortitum est nomen & usque nunc servat. Prædicta Mathildis an. 1230 usagium in nemoribus Barri concessit, & donationem septem terræ jugerum quæ contulit Hugo de Malliaco miles, laudavit an. 1254 mense Maio. Innocentius IV papa circa annum 1248 hujus loci monialibus permittit ut hæreditate bonorum a *Ch. XCII* parentibus relictorum fruantur & gaudeant tan- *col. 161.* quam si in sæculo remansissent. Parthenon iste in locum urbis dictum *Lefort* translatus est 25 Augusti 1636 votis ac precibus Helenæ *Boucherat* abbatissæ, annuente Dominico *Seguier* *Ibidem;* episcopo, qui novam in honorem B. Mariæ *p. 283.* consecravit ecclesiam XXII Septemb. 1637.

Generale Cisterciensis ordinis capitulum an. 1399 decretum condiderat, quo parthenonem hunc propter redituum bonorumque mediocritatem incorporabat annectebatque Pontiniacensi *Anecdot.* monasterio, abbati præcipiens ut autoritate dicti *t. IV, collect.* capituli abbatissam, moniales & cæteras regulares *1534 & seqq.* personas ad alia emitteret ejusdem ordinis monasteria, universamque Insularum possessionem sibi suoque monasterio acciperet. Prædictis etiam abbatissæ & monialibus sub excommunicationis & incarcerationis perpetuæ pœnis injungebat capitulum generale ut abbati Pontiniacensi cæterisque commissariis abbatibus parerent, nullamque in negotio præsenti vel per se vel per alias quascumque personas rebellionem facerent aut

Digitized by Google

contradicerent : verum, ut liquet, nihil ad rem ipsam decretum istud contulit.

ABBATISSÆ.

I. ADELINA cum Stephano de Meso canonico Autissiodorensi an. 1268 permutationem fecit. Ea est forsan abbatissa quæ cum Jacobo abbate Pontiniacensi litem habuit, quæ a Stephano Vallis-lucentis & Jacobo Rigniaci abbatibus de mandato capituli generalis anno 1260 terminata fuit. Hoc ipso anno mense Aprili Guillelmus episcopus Autissiodorensis monialibus assignavit sexaginta solidos annui reditus percipiendos super præposituram S. Prisci pro anniversario Guillelmi de Melloto.

Hist. Autiss. prob. tom. II. pag. 60.

Ibid. p. 82.

II. Agnes 1293 nemora *de Monestau* vendidit canonicis ecclesiæ cathedralis.

III. Isabella memoratur in charta anni 1359.

IV. Sibilla *la Souée* annis 1363 & 1372 transigit cum Johanne abbate S. Mariani. Eadem cum Galchero *de Maligny* an. 1377 composuit.

V. Felicia *la Morelle* memoratur in duabus chartis, altera anni 1401, 1408 altera.

VI. Guidona legitur abbatissa in regestis Divionensibus an. 1425.

VII. Johanna I *de Puiszilles* al. *Puisellet* reperitur in eisdem regestis annorum 1430 & 1433, & in chartis Autissiodorensibus 1441, 1447 & 1452.

VIII. Bertelina *de Meliant* Johannæ successit an. 1452. Huic Johannes *de Veraudat* abbas S. Mariani censum remisit an. 1474.

IX. Dionysia *du Sertet* cum Theobaldo *Juilly* priore Brancharum pepigit 1 Junii 1483.

X. Johanna II *de Marrey* filia Bernardi *de Marrey* domini *de Sarrigny* & Antoniæ *de Chambornay* pedum tenebat anno 1485. Cum Carolo *Bourgoing* priore Brancharum 9 Nov. 1495 transegit, & cum Nicolao *Johannis* abbate S. Mariani 31 Januarii 1512. Reperitur etiam in variis actis ad annum 1530, 13 Junii.

XI. Michaëlis I *de Rully* memoratur annis 1535, 1536 & 1538.

XII. Antonia *de S.t Quentin* sedebat annis 1543 & 1553, 5 Januarii.

XIII. Michaëlis II *de S.t Quentin* præerat anno 1559.

XIV. Michaëlis III *de Fontaine* eodem an. 1559 legitur in veteri instrumento.

A XV. Paula I *de Fontaine* regebat an. 1565, 1579 & 1593.

XVI. Paula II *de S.t Étienne* sedere cœpit circa an. 1595 & præfuit 8 annis.

XVII. Johanna III *de S.t Étienne* filia Johannis *de S.t Étienne* domini *de Turgy* & Johannæ *de Chappuis*, post tres tirocinii annos vota religiosa emisit in manibus Paulæ *de Fontaine* 11 Septemb. 1579. Abbatissa facta anno circiter 1604 præfuit annis 18, quibus elapsis, anno 1621 aut 1622 cessit in gratiam sequentis. Vixit tamen ad annum 1655.

B XVIII. Helena I *Boucherat* soror Claudii *Boucherat* abbatis Pontiniacensis, cedente Johanna, abbatiæ possessionem iniit an. 1621 aut 1622. A Majore & proceribus Autissiodori facultatem monasterium in urbem transferendi obtinuit 26 Julii 1626, sed transtulit dumtaxat an. 1636, annuente Dominico *Seguier* episcopo. Sorores suas ad strictiorem observantiam revocavit, & anno 1660 e vivis erepta sepulta fuit in ecclesia cum hoc epitaphio : *Cy gist le corps de très-illustre personne d'heureuse mémoire madame Hélène Boucherat abbesse & première réformatrice de ce monastère de Notre-Dame-des-Isles, qu'elle a gouverné l'espace de 38 ans dans l'étroite &* C *parfaite observance des règles monastiques & statuts du sacré ordre de Citeaux avec grande édification & piété de vie. Elle a établi ledit monastère de cette ville d'Auxerre en l'année 1636, & est décédée le 29 Mai 1660, âgée de 65 ans.*

XIX. Maria-Magdalena *Girard* filia Petri *Girard* domini *de l'Espinay* & *de la Buzardière* soror comitissæ *de Nouveau* & Mariæ uxoris Jacobi *de Castelnau* Franciæ marescalli, ex moniali Gomeri-fontis in locum Helenæ subrogatur. Post 20 & amplius regiminis annos ad Buxeriam Bituricensem transfertur post obitum Carolæ *de Castelnau*.

D XX. Helena II *Colbert* 13 Julii 1682 possessionem adepta est. Naturæ debitum solvit 14 Septemb. 1701.

XXI. Johanna-Maria *de Hangest-Argenlieu* a rege designatur 1 Novemb. 1701. In possessionem venit 29 Julii 1702, qua defuncta

XXII. Carola *Mongault de Nersac* a rege nominata est an. 1724.

XXIII. N. *Le Duc* per cujus obitum

XXIV. N. *Viart de Pimelle* Ursulina designatur a rege Insularum abbatissa exeunte Junio 1743.



Digitized by Google

ECCLESIA TRECENSIS.

TRICASSES Galliæ Lugdunensis IV seu Senoniæ populus, Julio Cæsari, Straboni & Pomponio Mellæ ignotus, quos Plinius *Tricasses* & *Trecasses* appellat, Ptolomæus *Tricases*, & Ammianus *Tricassinos*, Senonum, Lingonum atque etiam Catalaunorum finibus undique clauduntur. Urbs eorum primaria quam Sequana interluit caputque gentis a Ptolemæo vocatur *Augustomana* quæ in tabula Peutingeriana & in itinerario Aethici *Augustobona*, uno eodemque nomine ex duobus latinis *Augusto* & *bono* conflato, quasi Augusti bona vel Augusti mana: *manum* enim veteribus Romanis idem fuisse quod *bonum* docent prisci Grammatici Latini. Ammianus-Marcellinus in libro 16 Augustobonam *Tricassium* nomine gentis cujus caput est *Tricassas* seu *Tricasas* appellat, sicut Aethicus in Itinerario. In veterrima provinciarum & civitatum Galliæ notitia civitas Tricassium in umbilico provinciæ Lugdunensis Senoniæ quarta collocatur media ejus provinciæ civitatibus, ita ut supra se habeat metropolim Senonum a qua supra 13000 passuum Gallicorum abest, Carnutes & Autissiodorum, infra vero Aurelianos, Parisios a quibus 36000 passibus distat & Meldos. Plerique e nostris scriptoribus pro *Tricassis* dixerunt *Trecas*, unde Gallis *Troyes*. Primus omnium Gregorius Turonensis Tricassinam Campaniæ urbem & Trecas Campaniæ urbem usurpavit. Hanc Robertus Veromanduensis comes ineunte sæculo X amplissimi comitatus ac pariatus caput reluctante licet Ansegiso episcopo erexit: civitas sub parlamento Parisiensi decoratur ampla jurisdictionis regiæ præfectura seu balliviatu. Primis Religionis Christianæ radiis illustratos fuisse Tricassinos a SS. Potentiano & Serotino in actis eorum martyrii legitur, qui in urbe ecclesiam parvo opere in honorem apostolorum Petri & Pauli Domino consecrarunt. Hæc exeunte sæculo X in latius ampliusque spatium a Milone episcopo propagata est, & post ab Hervæo anno 1208 cum ecclesia & civitas concrematæ fuissent anno 1188. Eadem tenebroso convoluta turbine ab imis corruit fundamentis an. 1228. Cecidit adhuc eadem in vigilia Nativitatis Domini an. 1389, sed toties e ruinis nobili ac sumptuoso opere consurgens, tot partibus totque numeris absoluta hodie visitur, ut nec mole nec ornatu, splendore & magnificentia metropolitanæ Parisienti cedat. Episcopus primum ad ecclesiam suam facturus ingressum ab antiquo in monasterio B. Mariæ ad moniales pernoctare solet, postridie ab abbatissa, decano & canonicis præsentandus, ac baronibus de Anglura, de S. Justo, de Pousseyo, de Molinis & bannali de Meriaco, & ab archidiacono Senonensi installandus. Capitulum constat octo dignitatibus, decano qui eligitur a canonicis, thesaurario, cantore, archidiacono majore, archidiaconis de Sesanna, de Arceis, de Brienna & de S. Margarita; 37 canonicis, computato priore S. Georgii de Gannayo qui a cœnobio S. Quintini Bellovacensis dependet & quatuor canonicis sacelli B. Mariæ. Præbendæ a rege alternatim conferuntur & ab episcopo.
Camusat 125. Canonici episcopi jurisdictioni non subjacent quos ab ea prorsus exemptos suis ipse literis agnovit an.
Idem 121. 1524 Guillelmus Parvi episcopus. Juris quoque dicundi potestatem plenamque auctoritatem a comitibus Campanis concessam obtinent, nec cuiquam nisi eis paucisque aliis fas est in primario altari
124. missam celebrare, nec jus episcopo est canonicatu in eadem ecclesia potiri. Diœcesis longa 25, lata
123. vero 22 leucis, terminatur ad septentrionem Catalaunensi & Suessionensi, ad austrum Lingonensi & Senonensi, ad ortum Catalaunensi & Lingonensi, & ad occasum Senonensi diœcesibus. In ea numerantur 372 parochiæ & 98 annexæ cum pluribus abbatiis de quibus post episcopos agemus. Multa ad eorum historicam seriem congessit Nicolaus *Camusat* canonicus Tricassinus in promptuario sacrarum antiquitatum diœcesis Trecensis, ubi origines præcipuarum ecclesiarum & vitæ Sanctorum qui in diœcesi floruerunt promiscue continentur. Post Nicolaum Nicolaus alter *des Guerrois* presbyter Trecensis rem ad chronologiam & linguam accommodatius exegit. Uterque operi nostro de ecclesia Trecensi præluxit ac plurimum profuit.

EPISCOPI TRECENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Amator.

AMATOREM primum episcopum Trecensem extitisse probant tum indices antiqui episcoporum Trecensium, tum auctor antiquus vitæ S. Fedoli apud Mabillonium sæc. I. Benedictino p. 197, ubi hæc leguntur: *Trecorum post B. Lupum vicem apostolicam administrabat Camelianus nonus ab Amatore, qui primus illius ordinatus est civitatis episcopus.* In breviario quoque Trecensi primus recensetur Tricassinorum episcopus cal. Maii an. circiter 340, cum jam a SS. Potentiano & Serotino S. Saviniani discipulis fidem recepissent Tricassini.

II. Optatianus.

Optatianus, qui in veteri catalogo Gotacianus, concilio Agrippinensi an. 346 & Sardicensi 347 interfuit. 346. 347.

III. Leo.

IV. Heraclius.

V. S. Melanius.

Hujus reliquiæ asservantur in Monasterio S.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Petri de Cella, ubi translationis ejus festus dies recolitur 22 Aprilis quam ab Otulfo episcopo an. 872 factam quidam volunt.

VI. AURELIANUS.

VII. S. URSUS.

426. Defunctus an. 426 S. Ursus, colitur 26 Julii, de quo in pervetusto Pruvinensi martyrologio legitur: *VIII cal. Augusti in pago Meldensi, in centena Cupedensi, loco qui dicitur* Cuhtas, *depositio S. Ursi Trecassinensis episcopi & confessoris. Corpus vero hujus condigne humatum in marmoreo sarcophago miro opere sculpto.* Ejus tamen reliquiæ partim Trecas relatæ videntur, quarum aliæ in cathedrali, aliæ in ecclesia collegiata S. Stephani asservantur.

VIII. S. LUPUS I.

Inter præcipuos Galliarum præsules merito nominandus Lupus, Tulli Leucorum natalitia sortitus est ex genere nobili patre Epyrichio, ut scribit vitæ ipsius auctor. Postquam bonis literis operam navasset in contubernio Alistichii patrui sui, accepit uxorem Pimeniolam S. Hilarii episcopi Arelatensis sororem, qua post annos septem mutuo consensu dimissa, evangelicæ perfectionis studio S. Honoratum abbatem Lirinensem convenit, Hilarium secutus; post quem eo etiam perrexit conversionis gratia Vincentius Lupi frater natu minor, quem putamus fuisse celebrem illum scriptorem Lirinensem omnibus notum. Anno integro ibi expleto, vitam amplexus est monasticam. Inde Matisconem venit ut quidquid adhuc sibi supererat bonorum divenderet & in pauperes erogaret. At cum cogitaret de reditu, coactus est Trecas accedere, ubi reluctanti onus episcopale impositum est anno 426. Neque vero factus episcopus sollicitudinis pastoralis occasione aliquid vigiliarum jejuniorumque intermisit, cilicio semper indutus, non alium lectum præter asseres habebat. Noctes alternatim ducebat insomnes, in oratione perseverans, sæpe per tres dies integros abstinebat a cibo, nec alio utebatur quam pane hordeaceo. Interea impigre officium episcopale exsequebatur, vitia tam in clero quam in populo tanquam spinas ex agro patris familias radicitus evellere contendens. His piis operibus incumbebat & laboribus, quando legati ecclesiæ Britannicæ advenerunt suppetias a Gallicana flagitaturi adversus grassantem in sua insula Pelagianam hæresim, ad quam profligandam in synodo Trecensi delecti sunt Germanus Autissiodorensis
429. episcopus & S. Lupus. Profecti an. 429 pontificatus Lupi tertio, hanc provinciam egregie obierunt, verbo, exemplo, miraculis nutantem catholicam fidem fulcierunt & oppresserunt hæresim habita Verolamis synodo. Redux in Gallias Lupus urbem suam ab Attilæ Hunnorum regis
451. furore servavit an. 451, qui post vastatas Romani imperii plurimas provincias, Thraciam, Illyriam, &c. Galliam quoque invaserat, ubi Remos, Cameracum, Lingonas, Autissiodorum aliasque urbes ferro flammisque vastarat. Attilam A Rhenum usque comitatus Lupus, inde reversus tum ut se arctius vocationibus divinis implicaret, tum ut civium suæ liberationis gratia eum colentium turmas desereret in Lotisconem montem confugit, ubi transacto biennio videns contemplationi suæ crebro redeuntis populi frequentiam obesse, ad urbem Matisconem tendit, ibique in prædio quodam substitit, quo tempore cum Eufronio Eduensi episcopo Thalasio Andegavensi respondit anno circiter 453 ad quæstiones sibi propositas de solemnitatibus, de clericis bigamis & iis qui conjugati assumuntur. *Gall. Chr. t. IV, Instrum. col. 39.* Exacto quoque ibidem biennio cum finitimos sanctitatis B ejus fama adhuc alliceret, episcopatus sui sedem repetiit vigesimo quinto ante obitum anno. S. Sidonio Apollinari perquam familiaris de suscepto recens episcopatu Claromontano gratulatus est an. 472 epistola quam habes spicileg. tom. v. 472. p. 579. Grandævus obiit ætatis anno 96. 29 Julii 479 post 52 episcopatus annos, relictis 479. in suæ mortis solatium egregiis discipulis Camilliano quem habuit successorem, Polichronio Verdunensi, Albino Catalaunensi, Severo Tungrensi episcopis. S. Lupi virtutes prædicat Sidonius lib. 6. epist. 1, sic loquens: *Benedictus Spiritus sanctus, quod tu pater patrum & episcopus* C *episcoporum & alter sæculi tui Jacobus, de quadam specula caritatis, nec de inferiore Jerusalem tota ecclesiæ Dei nostri membra superinspicis, dignus qui omnes consoleris infirmos quique merito consularis ab omnibus.* Et rursum: *Cum sis procul ambiguo primus omnium toto qua patet orbe pontificum, cum prærogativæ subjiciatur, cum censuræ tuæ attremat etiam turma Collegii, cum in gravitatis vestræ comparationem ipsa etiam Grandævorum corda puerascant, cum post desudatas militiæ Lirinensis excubias & in apostolica sede novem jam decursa quinquennia utriusque sanctorum ordinis quemdam te conclamatissimum primipilarem spiritalia castra venerentur.* Vi- D dendæ etiam ejusdem libri epist. 4 & 9, 14 lib. VII, 13 lib. IX, &c. Sepultus est in suburbana B. Mariæ basilica postmodum dicta S. Lupi ob ejus corporis hospitium & frequentia miracula, de qua sepultura Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessorum, c. 67. De abbatia sub nomine S. Lupi in urbe Trecensi ædificata dicemus infra.

IX. S. CAMELIANUS.

S. Amatoris nonus, S. Lupi vero proximus successor & discipulus S. Camelianus concilio *Secul. I. Bened. pag. 197.* Aurelianensi adstitit an. 511. 511. E Aventinum Bituricæ urbis indigenam Trecas adventantem familiæ suæ ac domesticorum ordini adscripsit, cui postea licentiam dedit properandi in partem quam vellet. *Nonnulla antiqua monumenta memini me vidisse quæ* *Prompt. p. 159.* *ejus e vita discessum an. 525 assignant*, inquit Ca- 525. musatus, cui major adhibenda fides quam cum ejus reliquias in ecclesia majore collocat quæ in ecclesia S. Lupi in pretiosa theca asservantur, vel cum Himerium eum appellat, quod ipse postea retractavit. Cameliani memoria celebratur in ecclesia Trecensi 28 Julii, depositio vero *Tillemont, t. XVI, pag. 141.* notatur 22 Martii in additionibus ad Usuardum.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

X. S. VINCENTIUS.

533. Concilio II Aurelianensi anno 533 habito adfuit Vincentius & Matisconensi I si Thevetio fides, qui non probat; at idem forte est ac
541. Vincentius episcopus qui anno 541 subscripsit concilio IV Aurelianensi. Sepultus est in ecclesia quam S. Aventino extra urbis mœnia ædificarat nullo hactenus cultu publico honoratus.

XI. AMBROSIUS.

549. Aurelianensi V synodo subscripsit anno 549 Ambrosius. Huic successorem tribuit Cointius Chardericum seu Ardericum anno 551 contra fidem omnium catalogorum episcoporum Trecensium, absque ulla auctoritate & sine fundamento.

XII. GALLOMAGNUS.

573. Conciliis Parisiensi 573 & Matisconensi
582. 582 interfuit Gallomagnus. S. Nicetii Lugdunensis antistitis reliquias impetravit quæ in ecclesia ejus nominis custodiuntur, antea S. Mauro sacra.

XIII. AGRECIUS.

585. Ad concilium Matisconense II an. 585 misit Agrecius unum e suis qui vices ejus suppleret. Cum Arthenio Senonico & Verano Cavellicensi præsulibus missus est a Guntchramno rege
586. ad Chlotarium an. 586 ut Prætextati Rotomagensis interfectorem inquirerent.

XIV. LUPUS II.

Vel Lupus non erat Euspicii fundatoris monasterii Miciacensis nepos, nec germanus Maximiani abbatis, ut in mss. S. Euspicii vita legere se testatur Mabillonius, vel in indicibus Trecensibus suo in loco non collocatur. Hunc tamen Cointius post Ragnegisilum rejecit pro libito, ut fictitium antea Chardericum intruserat. Nam cum auctor vitæ S. Frodberti Ragnegisilum 17 numerat episcopum, si Lupum suo reliquisset loco, admisso Charderico, Ragnegisilus 18 fuisset nominandus. *Secul. I. Bened. pag. 583.*

XV. EVODIUS.

Hiccine est Evodius bonæ recordationis quondam episcopus quicum agellum Briennicum juxta agrum Nanturiacensem commutavit Desiderius episcopus Autissiodorensis? ita opinatur Cointius ad annum 631, n. XVI.

XVI. MODEGISILUS.

Egidium hunc pro Modegisilo vocat Pithæus.

XVII. RAGNEGISILUS.

Natione Aquitanus Ragnegisilus Trecassinæ urbis 17 episcopus dicitur in vita S. Frodoberti abbatis Cellensis, qui admodum juvenis ejus scholis parentum studio mancipatus est. Ecclesiam suam hæredem instituit. Honorifice sepultus jacet in ecclesia S. Savinæ martyris quam in fundo sui juris construxerat.

A

XVIII. S. LEUCONIUS.

Parthenonis B. Mariæ ad moniales Trecenses auctor creditur Leuconius, cujus in ecclesia sepultus jacet & colitur I Aprilis.

XIX. BERTOALDUS.

Emmonis archiepiscopi Senonensis privilegiis 658.
pro monasteriis S. Petri-vivi & S. Columbæ an. 658 subscripsit.

XX. ABBO.

In veteri indice episcoporum Trecensium B monasterii Arremarensis Bertoaldo subjicitur Abbo huicque Wandelmarus, quem eumdem cum Vammiro arbitrantur: huic tamen seriei opponi posset vita S. Frodoberti scripta ab antiquo auctore qui asserit Frodobertum sub quinque episcopis vixisse & Abbonem fuisse 21 episcopum Trecensem. Verum Vammirum post Abbonem præfuisse alia produnt argumenta & quidam arbitrantur hoc loco relinquendum esse testimonium ex vita S. Frodoberti erutum, licet ab auctore gravi scripta. Forte etiam distinguendus est Vandelmorus a Wammiro & vigesimo loco ante Abbonem constituendus. Abbo vero sub- C scripsit privilegio quod Drauzius Suessionum episcopus puellari B. Mariæ cœnobio concessit
anno 666. Novæ Cellensis basilicæ consecra- 666.
tionem solemniter peregit calendis Januarii 673 673.
ipsaque die Frodobertum ejusdem abbatem in ea sepulturæ tradidit. Metensis autem non Trecensis Abbo cum Leudegisilo antistite Remensi commutavit apud Flodoardum lib. II, c. 6.

XXI. WAIMERES.

Wandelmarus seu Waimeres dux Campaniæ cum Desiderato Cabilonensi & Bobone Valentiæ D episcopis ab Ebroino missus Augustodunum advolat an. 675, Leodegarium antistitem luminibus orbat & in domum suam abducit, ubi sacris episcopi colloquiis emollitus argentum ecclesiæ quod paulo ante pro Eduensium redemtione acceperat, lubens restituit. Nihilominus Waimeres in perfidiæ suæ pretium Tricassinæ ecclesiæ episcopus per fraudem & dolum constitutus est ab Ebroino, qui ejus potentiam verebatur, si diutius seculari potestate frueretur ut eruitur ex vita S. Leodgarii. Hunc Bercharius Dervensis abbas secum Jerosolymam duxisse fertur. Sed postea Ebroino suspectus & invisus, *Secul. 2. Bened. pag. 644.*
E ab eodem e medio sublatus est, qui fauces illi
strangulari jussit an. 678 ex Pagio qui diversum 678.
eum putat a Waimero tormentorum S. Leodegarii reo, sed absque fundamento, ut quidem existimo.

XXII. WLFREDUS.

XXIII. RAGEMBERTUS.

XXIV. ALDOBERTUS.

Vir summi ingenii Aldobertus nec imparis sanctitatis ex monacho ac forte abbate Cellensi

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

episcopus Trecensis ipsum locum ingentibus beneficiis & sua decoravit sepultura.

¶ Fredebertus desideratur in veteri indice episcoporum Trecensium monasterii Arremarensis, idem forte ac Frodobertus abbas Cellensis.

XXV. Gautcerius.

In veteri catalogo mss. Autissiodorensi dicitur Gaucherus.

XXVI. Arduinus.

XXVII. Censardus.

Hunc anno 722 vixisse asserit Cointius sine teste, ut assolet.

XXVIII. S. Bobinus.

Natione Aquitanus Bobinus ex abbate Cellensi episcopus Trecensis, Cellæ basilicam magnificentius exstruxit ac S. Frodoberti primi abbatis sepulchrum exornavit. Ibidem intra septa basilicæ sepulturam est sortitus, defunctus ut creditur an. 766, unde aliquando dicta est cella Bobini. Natalis ejus dies celebratur 31 Januarii. In veteri breviario non edito monasterii Cellensis nunc S. Michaëlis ad Mosam notatur x cal. Maii translatio SS. Melani & Bobini episcoporum.

XXIX. Amingus.

XXX. Adelgarius.

Creditur episcopus a Carolo rege ad Theodemarum abbatem Casinensem missus circa annum 787 cum literis ut monachos ad docendam in Francia regularis disciplinæ normam transmitteret.

¶ Osulfus desideratur in indice Arremarensi, quem expungendum censet Camusatus, eumdem quippe cum Bertulfo, cui alii suffragantur.

XXXI. Bertulfus.

Vocatur quoque Osulfus in nonnullis catalogis & syllabis, inquit Camusatus.

¶ Paulus non Tricassinæ, sed Tricastinæ civitatis erat episcopus, & certe omittitur in indicibus Arremarensi & Autissiodorensi. Recensetur quidem inter episcopos Trecenses quorum corpora in ecclesia integre quiescunt, sed vereor ne sit error.

Camusat, p. 121.

XXXII. Elias.

829. Synodo Parisiensi an. 829 adfuit Elias, qui in Compendiensi conventu Ludovici imperatoris
833. illicitæ exauctorationi assensum præbuit an. 833. In concilio Senonensi privilegium Aldrici archiepiscopi pro S. Remigio approbavit anno
834. 834. Immissa coelitus lue cum aliis Lotharii
836. amicis interiit an. 836 a die 14 Aug. ad diem 11 Nov.

XXXIII. Adalbertus.

Adremaro monasterii Arremarensis condendi
837. licentiam dedit anno 837. Synodo apud Cari-
838. siacum adfuit anno 838. Subscripsit privilegio monasterio Corbionensi concesso ab episcopis
843. Germiniaci congregatis an. 843. In Senonensi A concilio subscripsit privilegio Wenilonis archiepiscopi pro S. Remigio an. circiter 845. 845.

XXXIV. S. Prudentius.

Galindo cognomento Prudentius, natione Hispanus, primum in Palatinis excubiis inservire coactus, adversam plerumque expertus est fortunam, ita ut perturbationum fluctibus pene obrueretur, quemadmodum ipse testatur in epistola quam scripsit ad quemdam episcopum fratrem suum, quem sospitem esse gratulatur. Forte is sit Galindo Enneconis, inquit Mabillonius, per quem Eulogius presbyter Cordubensis epistolam B suam ad Wilesindum Pampelonensem episcopum postea direxit: quanquam Galindo nomen apud Aragonenses & Navarrenses vulgare tunc erat, testante Morale. His tandem e procellis erutus Prudentius, divina gratia promotus est ad cathedram Trecensem. Synodo Parisiensi adfuit anno 846, ubi consensum præbuit privilegio 846.
Corbeiensi. Insequenti a Leone IV summo 847.
pontifice jussus est consecrare monasterium quod construxerat Adremarus monachus in honorem B. Petri & S. Leonis. Interfuit concilio Parisiensi anno 849 & subscripsit literis synodi ad No- 849.
menoium Britonum ducem. Expurgatam mor- C tuorum quorumlibet etiam Frodoberti abbatis cadaveribus novæ Cellensis basilicæ aream solemniter dedicavit xvii cal. Nov. 850 hujusque 850.
anniversarium decrevit. Circa id tempus S. Mauræ virgini Tricassinæ morienti adstitit, cui eucharistiæ & unctionis extremæ sacramenta subministravit, cujus & elogium tum ab Eutropio præposito, tum a Leone abbate Mentuniacensi rogatus scripsit. In concilio Suessionensi an.
853 statuitur judex controversiæ clericorum Re- 853.
mensis ecclesiæ ab Ebone ordinatorum. Concilio Carisiacensi eodem adfuit anno. Subscripsit privilegio Aninsulensi S. Carilefi cœnobio concesso D an. 855 in synodo Bonogilensi. Recensetur inter 855.
episcopos provinciæ qui ad clerum Parisiensem rescripserunt de electione Aeneæ an. 856. Or- 856.
dinationi tamen ejus infirmitate præpeditus adesse non potuit, sed præsbyterum misit qui ei assensum præberet, modo Aeneas quatuor Carisiacensia capitula quibus ipse tamen subscripserat, Remigii & ecclesiæ Lugdunensis exemplo reprobaret, aliaque quatuor admitteret quæ ipse postea mutata sententia Carisiacensibus opposuerat. Prudentius enim qui Gotescalco primum adversatus fuerat, de quo in ergastulum recluso ex judicio synodi Carisiacensis an. 849 ab Hincmaro Re- E mensi consultus fuerat utrum in cæna Domini vel in Pascha deberet eum admittere ad audiendum sacrum officium vel accipiendam communionem, Prudentius ille in quæstione difficillima & tunc temporis valde obscura anceps & dubius, timensque ne S. Augustini doctrinæ & catholicis dogmatis vulnus aliquod inferretur, Gotescalci partes deinceps suscepit. Johannis Scotti librum de quatuor vulgatis capitulis, ob id quadrivium ab auctore appellatum prolixe refutavit, refutationemque Weniloni Senonum pontifici nuncupavit a quo 19 capitula ex Johannis libris excerpta

Anal. t. nov. IV. p. 324.

Camusat, p. 283.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

acceperat. Scripsit quoque collectaneum de tribus epistolis ad Hincmarum Remensem & Pardulum Laudunensem episcopos, quod synodi Parisiensis anno 849 congregatæ consensu emisit in publicum. Illud habes a Ludovico Cellotio editum ad calcem historiæ Gotescalci cujus jam præfationem ediderat Mauguinus. De Prudentii disceptationibus in causa Gotescalci ejusque adversariorum fuse quoque Bailletus edisserit ad diem 6 Aprilis. Ceterum ut literis apprime eruditus erat hic præsul, principibus æque ac episcopis gratus fuit. Cum Lupo Ferrariensi abbate delegatus aliquando est ad disciplinam in diversis monasteriis restaurandam. Intimus quoque fuit Hincmaro a quo in abstrusis sacræ scripturæ locis explicandis tanquam perspicax divinæ scientiæ interpres consulebatur. Quin & Hincmarus apud Flodoardum hist. Rem. lib. 3, c. 21 conqueritur se præsentia ejus fraudari. Denique Prudentius annale gestorum regum nostrorum composuit, quod aliquibus aliud non est a parte annalium
861. Bertinianorum ab anno 836 ad 861, quorum in altera ad hunc ultimum annum legitur: *Galindo cognomento Prudentius Tricassinæ civitatis episcopus, natione Hispanus, adprime literis eruditus, qui ante aliquot annos Gotescalco Prædestinatiano restiterat, post felle commotus contra quosdam episcopos secum hæretico resistentes, ipsius hæresis defensor acerrimus, indeque non modica inter se diversa & fidei adversa scriptitans moritur, sicque licet diutino languore fatigaretur, ut vivendi ita scribendi finem fecit.* Quæ quidem verba ab Hincmaro annalium continuatore in odium Gotescalci inserta creduntur. Non autem idem sensit de Prudentio ecclesia catholica quæ eum sanctorum numero adscripsit. Ejus reliquiæ, inquit Camusatus, p. 160, lignea capsula insitæ in primaria Tricassium æde asservantur, in qua festum ejus 6 Aprilis peragitur novem lectionibus & officium fit de communi Confessorum. Memoratur quoque in additionibus ad Usuardum & in antiquo martyrologio Morbacensi IV cal. Aug. apud Martenium Anecdoct. t. III, col. 1568. Sanctorum etiam albo Prudentium adscripsere Bollandus &
Aprilis, t. I, p. 531. Bailletus ad diem 6 Aprilis, unde mirum Bollandianos de ejus sanctitate dubitasse, eumque prætermisisse.

XXXV. Folchricus.

Folchricus *al.* Fulcarius & Fulchericus ecclesiæ Remensis alumnus Prudentio episcopus successit, quo tempore Normanni Sequanæ insulam sub Meleduno sitam applicuerant. In hoc rerum articulo Lupum Ferrariensem abbatem ægrotantem invisit, asylumque alio quærenti locum ipsi & monachis in sua parochia humanissime obtulit, Aquense prædium septem leucis ab urbe Tricassina distans, sed etiam commeatum suppeditavit, de quo epistola 125 gratias Folchrico debitas egit Lupus. Folchricus vero adsuit mense
862. Junio 862 concilio Pistensi, ubi subscripsit epistolæ synodicæ pro monachis S. Dionysii & privilegio S. Martini Turonensis, eidemque Suessionas translato anno eodem. Biennio post

A in concilio Pistensi anno 864 sua subscriptione munivit privilegium pro monasterio S. Germani Autissiodorensis & donationem villæ Alsonis 864.
factæ S. Petro-vivo. In concilio Vermeriensi an. 866 subscripsit privilegio pro S. Vedasto 866.
Atrebatensi, & in Suessionensi anni ejusdem in subscriptione epistolæ synodicæ de Britonum infestationibus legitur episcopus Tricassensis. Adsuit concilio Tricassino an. 867, Carisiacensi 867.
pro examinando Willeberto Catalaunensi episcopo 868 & Vermeriensi 869, ubi confirmata 868.
præcepta regia pro cœnobio Carrofensi. 869.

Extat apud Flodoardum lib. 3, cap. 23 epis-
B tola Hincmari Fulchrico episcopo Tricassino ecclesiæ Remensis alumno gratias referens pro epistolis quibusdam S. Augustini ab eo sibi missis, de libro Didymi quem sibi Fulchricus mitti petebat & de ecclesiis monasterii Orbacensis, admonens eum ne contra matrem suam ecclesiam scilicet Remensem & patronum suum S. Remigium aliquid perverse agere præsumeret.

XXXVI. Ottulfus.

Concilio Attiniacensi interfuit Ottulfus anno 870 ex Pithæo. Subscripsit vero post Fulchri- 870.
cum ipsius decessorem privilegio monachis San-
C dionysianis concesso in concilio Pistensi anno 862, quamvis diu postea ordinatus fuerit episcopus: at multa habentur exempla episcoporum qui conciliis diu post eorum celebrationem subscripserunt approbationis ergo. Ad Duziacense concilium legatum misit Eliam presbyterum mense Augusto 871. Corpus S. Frodoberti in 871.
Cellensi monasterio ad preces Bodonis abbatis levavit an. 872. Subscripsit privilegio Trenor- 872.
chiensibus monachis concesso anno 875. Sedit 875.
in concilio Pontigonensi an. 876. Captus est 876.
anno eodem in prælio quod Carolus adversum nepotem Ludovicum dedit ad Rhenum prope
D Andernacum nonis Octobris, ac paulo post a Ludovico liber est dimissus. In concilio Tricassino anno 878 reclamationis libellum obtulit 878.
super Isaac de villa Venderevensi, quam suam dicebat obtinere parochiam. Eodem in concilio cum aliis episcopis subscripsit canonibus a Johanne pontifice præsente conditis & in synodo approbatis, ubi Johannes papa Ludovicum regem coronavit. De Ottulfo quoque Flodoardus: idemque (Hincmarus) Octulfo Trecassino rescripsit de reliquiis Sanctorum quas ille significaverat ostensis mirabilibus se reperisse qualiter easdem disponat, & de ecclesia S. Petri quam
E restituere tractabat qualiter ageret ac de infirmitate & evasione sua. Item de villis Boletico & Fago quæ debitas presbyteris decimas recusabant dare, quid esset agendum. Item pro mandatis papæ Johannis de Hincmaro Laudunensi ad eumdem Octulfum ab ipso papa directis, quid illi sit observandum.

In chartulario quoque S. Lupi legitur ecclesiæ cathedralis S. Petri fundamenta jacta fuisse anno 870 tempore Octulfi episcopi.

XXXVII. Bodo.

Ex abbate Cellensi 39 episcopus Trecensis dicitur

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

882. dicitur Bodo in antiquis S. Lupi monumentis. Huic Carlomannus anno regni quarto Christi 882 ad preces Roberti comitis Trecensis dedit de suis honoribus qui erant e comitatu Tricassino, ipse vero inde transegit cum abbate
889. Arremarensi. Anno 889 a Normannis civitas
890. incendio deformata est. Insequenti de Bodonis consensu e suburbio in urbem translatum est corpus S. Lupi anno tertio Odonis regis.

Ac proinde evanescit hucusque ignotus Domnolus quem corpori S. Martini revertenti adstitisse an. 887 fingunt.

XXXVIII. Rieveus.

De eo Frodoardus in fragmento de pontificibus Romanis sec. III Benedict. part. 2, p. 604 in Formoso papa qui sedit ab anno 891 ad 896.

Walterium Senonum temerantem oracula legum
Corripit increpitans, Trecassinæ intulit urbi
Regmina non lecti cur præsulis, atque recepti
Ex alia ecclesia contra decreta paterna;
Quem removens, lectum statuit, moderamina tradit,
Sacratoque sacrum Rieveo impertit honorem.
Nullus ut obsistat scitis, comitatur euntem.

Ex quibus facile intelligas Rieveum electum passum fuisse æmulum ex alia ecclesia a Walterio Senonum archiepiscopo intrusum, quo post increpitum Walterium remoto Rieveum restituit Formosus papa. Memoratur adhuc Rieveus in vita Herifredi episcopi Autissiodorensis.

XXXIX. Otbertus.

912. Obiit calendis Maii 912 ex brevibus annalibus monasterii S. Columbæ Senonensis in codice Romano, ita Mabillonius, seu cal. Ja-
914. nuarii 914 ex brevi chronico ejusdem monasterii apud Martenium Anecdot. t. III, col. 1450.

XL. Ansegisus.

Ansegisus, in indice Arremarensi Ansersus, forte Anseisus & Ancigisus ordinatur idibus Junii 912 seu idibus Maii 914 ex locis citatis. De-
924. cennio post Rodulfus rex calendis Martii 924 basilicæ S. Symphoriani ecclesiam villæ Alsiaci
925. ad preces Ansegisi restituit. Anno 925, ex Flodoardo Ansegisus in certamine ad Montem Calaum cum Normannis inito acri animo pugnans vulneratus est. Rodulphi regis cancellarius subscripsit ejus chartis pro Cluniaco & Monte Olivo an. VIII, pro Tutelensi monasterio an. IX, de donatione & restitutione claustri ecclesiæ S. Petri apud Suessiones an. XI. Ludovici quoque transmarini in diplomate pro ecclesia Eduensi anno I summus cancellarius dicitur. Ansusi episcopi & Gausfredi comitis ad preces Rodulfus regni
933. an. XI, indict. VI, V cal. Januarii Adelardo fideli suo & uxori ejus Plectrudi ac nepoti Geiloni confirmavit caput abbatiolæ S. Pauli Senonicæ civitati contiguæ. Recensetur inter Burgundiæ

A præsules qui quoddam commonitorium scripserunt ad Manassem Arelatensem archiepiscopum an. circiter 956. Orta inter Ansegisum episcopum 956.
& Robertum comitem contentione, e civitate ejectus Ansegisus a Roberto perrexit in Saxoniam ad Otonem Imperatorem, adductisque Saxonibus mense Octobri 959 obsedit Trecas 959.
civitatem longo tempore. Venientes autem in prædam Saxones voluerunt vastare totam regionem: occurrerunt vero illis Archembaldus archiepiscopus & Rainardus comes vetulus cum exercitu maximo in loco qui vocatur *Villare*, interfectisque Saxonibus cum duce suo Elpone, *Spicileg. tom. 2, p. 725.*
B Senonenses victores rediere, ex chronico S. Petri.
An. 960 Bruno Coloniensis episcopus ab Othone 960.
imperatore fratre missus in Galliam ad reconciliandos filios duarum sororum suarum, Ansegisum episcopum expulsum restituit, a quo secum asportandum obtinuit corpus S. Patrocli martyris. Memoratur Anseisus pridie calendas Januarii in martyrologio Autissiodorensi.

XLI. Walo.

Walo seu Galo duo altaria de Summa-vera & de Braus Dervensi monasterio concessit VIII
C id. Septembris, anno 17 Lotharii regis, Christi *Camusat 84.*
971. Decessit III non. Martii ex martyrologio 971.
Autissiodorensi.

XLII. Adricus seu Ayricus.

XLIII. Milo I.

Privilegio Seguini archiepiscopi pro monasterio S. Petri vivi anno 980 subscripsit Milo, 980.
qui cum Rocleno Nivernensi & Heriberto Autissiodorensi episcopis consecrationi ecclesiæ S. Stephani Senonensis interfuit anno 982. Ipsius 982.
D temporibus B. Mastidiæ virginis corpus in ecclesia Trecensi inventum est, quam vetustate collapsam restituit & dilatavit Milo.

XLIV. Manasses I. D'ARCIES.

Hilduini comitis Arceiensis germanus Manasses Adsoni Dervensi abbati se suæque parochiæ curam fere uni commisit, cui tria altaria concessit v id. Aprilis an. 991 Laderciacæ curtis, Dodi- 991.
niacæ curtis & Regniacæ curtis. Religionis ac *Camus. 83.*
pietatis cultor præcipuus in analectis historiæ Adraldi illius archidiaconi dicitur, vir vero sanc-
E titate plenus a Glabro Rodulfo qui ejus obitum recenset ad annum 991, sicut & Hugo Flaviniacensis in chronico apud Labbeum. Defunctus est III id. Junii.

XLV. Rainaldus I.

XLVI. Frotmundus I.

Præcepto Roberti regis pro monasterio S. Dionysii anno regni I, VIII cal. Febr. indict. XI, hic est 998 subscripsit Frotmundus, qui 998.
synodo Calensi adstitit an. 1008. De eo scribit 1008.
Fulbertus ad Leuthericum Senonensium præ-

ANNI CHRISTI

sulem: *Nec illud sane tibi tacere debeo quod ad tuas ordinationes dominum F. Trecacensem episcopum periculose tibi socium addis, quem certam ob causam esse non dubitas imparatum. In qua re dupliciter te delinquere constat, cum eum ad tantam præsumptionem animando de pœnitentia prioris culpæ facis esse securum*, epist. 28; ac proinde adstitit Frotmundus ordinationi Th. Aurelianensis epis-
1016. copi an. 1016. Adstitit & Remis anno 1027
1027. coronationi Henrici filii natu majoris Roberti regis post Hugonis mortem quæ facta est ipsa die Pentecostes, quo etiam tempore subscripsit privilegio Roberti pro Dervensi cœnobio. Huic
Camus. 83 & 84. ipse dedit ecclesiam de Sigiffronte VII id. Aprilis rege Roberto, & monachos monialibus substituit in puellari monasterio pridie cal. Maii rege Henrico. Obiit circiter anno 1034, inquiunt Sammarthani post Camusatum, qui citant vetus chronicon. S. Petri vivi.

XLVII. MAINARDUS.

Archiclavis S. Stephani Senonensis Mainardus, qui archiepiscopus post mortem Leotherici ab omni populo expetitus, Gilduini muneribus & voluntati regis cedere cogitur anno 1032, biennio post defuncto Fromundo successit: nam ad preces Gualteri comitis Breonensium altari Requiniacæ curtis libertatem largitus est V cal.
1035. Jan. regnante Henrico rege anno 5. Eodem ad preces Isembardi comitis canonicis in capella castri
Ch. VII, col. 251. Rosnaicensis Deo servientibus concessit altare cum ecclesia B. Mariæ dedicata. At postea favente Mainardo Manasses consulatus Rosnaicensis advocatus monachis Dervensibus eadem qua prius libertate contulit ecclesiam ejusdem castri majorum suorum facultatibus stabilitam regularibusque antea traditam canonicis, tunc autem a Widone apostata, qui monastico habitu abjecto & clericali usurpato, eidem ecclesiæ præerat, repudiatam cæterisque canonicis penitus destitutam. Bernardum abbatem Cellensem ab Alberto Majoris monasterii abbate oblatum confirmavit an.
1048. 1048. Eodem subscripsit diplomati Henrici
Ch. VIII, col. 251. regis pro cella S. Aigulfi Pruvinensis unita monasterio Cellensi. Insequenti Gelduinus archiepis-
1049. copus a Leone IX exauctoratus Mainardo episcopo locum fecit, ut diximus col. 37.

XLVIII. FROTMUNDUS II.

A Leone IX papa in Italiam remeanti Lingonis exeunte an. 1049 ordinatus Frotmundus,
1050. eumdem anno sequenti post concilium Vercellis celebratum corpus S. Gerardi e tumulo levantem, qui in basilica S. Mansueti Tullensis sepultus fuerat, comitatus est die Dominica XII calend. Nov. Anecdot. t. III, col. 1085.

PARISIUS.

XLIX. HUGO I.

1059. Synodo Romæ a Nicolao papa anno 1059 mense Aprili habitæ adstitit Hugo, ubi definita monachorum Vindocinensium adversus Andegavenses S. Albini de cella Credoniensi causa, definitionemque significavit Bartholomæo Turonensi & Eusebio Andegavensi episcopis epistola quam habes Anecdot. t. IV, col. 91, & lecta fuit in synodo Burdegalensi cal. Aprilis 1068. Sacro Philippi regis die S. Pentecostes anni 1059 adstitit Hugo, qui subscripsit diplomati regis ejusdem canonicos regulares in ecclesiam S.
Martini a Campis Paris. inducentis anno 1060. 1060.
Monachis Caziacensibus villam Caroli confir-
mavit an. 1063. Cum aliis episcopis consensit 1063.
privilegio Alexandri II in gratiam Rainerii ab- Chart. IX, col. 252.
batis S. Dionysii pridie nonas Maii pontificatus
IV. Testis fuit donatæ VIII cal. Febr. 1064 1064.
monachis Majoris monasterii a Theobaldo co-
mite ecclesiæ de Juviniaco. Subscripsit an. 1067 1067.
diplomati Philippi I regis pro monasterio S. Martini Campensis, & adsuit dedicationi ecclesiæ. Adsuit quoque dedicationi ecclesiæ S. Quintini
Bellovacensis an. 1069. Ecclesiam S. Andreæ 1069.
monasterio Cellensi dedit, quam Philippus rex
confirmavit an. 1071, cujus in literis eodem 1071.
anno eidem cœnobio ecclesiam S. Savinæ do- Camus. 23.
nantis subscripsit. Subscripsit & eodem anno præcepto Burcardi Corboliensis pro abbatia Corboliensi. Utrum pervenerit ad annum 1075 non liquet.

L. WALTERIUS.

In omnibus catalogis omissus Walterius interfuit confirmationi bonorum ecclesiæ Compendiensis factæ a Philippo rege in concilio Parisiensi an. 1092. Ita legitur spicileg. tom. II, pag. 604. Sed in Parisiensibus jam monuimus
annum solum 1075 huic synodo propter præ- 1075.
sentes episcopos convenire.

LI. HUGO II.

DE DAMPIERRE

Witerii de Damnopetro filius Hugo, princeps ipse & dominus de Damnopetro ex canonico Catalaunensi episcopus Trecensis, Willelmo abbati Floriacensi duo altaria a decessoribus col-
lata ita confirmavit an. 1075, ut episcopus & Camusat, p. 169.
fratres ecclesiæ Trecensis haberent societatem Floriacensium & ab eis honorifice apud Floriacum susciperentur: quod Hugo episcopus in concilio Senonis habito in ecclesia S. Stephani ratum haberi curavit ab episcopis. Friderici mi-
litis ad preces ecclesiam Waiæ & altare Sesannæ Chart. X, col. 253.
monachis Cluniacensibus dedit an. 1079. Con- 1079.
cilio Meldensi adsuit an. 1082, & subscripsit 1082.
duobus instrumentis pro Dervensi monasterio. Eodem an. Oyense monasterium quod S. Godo in confinio Campaniæ & Brigensis pagi prope
Sesannam oppidum exstruxerat, lapsu temporis Ch. XII,
attritum Hugoni Cluniacensi restaurandum or- col. 254.
dinandumque commisit Hugo episcopus.

LII. PHILIPPUS seu MILO II.

DE PONS.

Philippus qui & Milo, binomen enim fuit, filius Pontii Pontium supra Sequanam domini,
Trecensis episcopus 1083 subscripsit chartæ Ri- 1083.
cherii Senonensis archiepiscopi ecclesiam S. Baldi
donantis monasterio S. Remigii Philippi regis Camus. 373.
an. 23. Sancte & strenuissime regens laudatur in Ch. XI, col. 254.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI charta qua fundationem monasterii S. Juliani de Sesanna confirmavit an. 1085. Canonicis regu-
1085. laribus S. Quintini Bellovacensis a canonicis S.
Spicileg. XI, 301 & 302. Petri Trecensis institutis in ecclesia S. Georgii assignavit redditum unius præbendæ Trecensis
Camuz. 117 & 118. IV non. Mart. 1090. Destinatus an. 1092 qui Bertradam Philippi I regis superinductam sacraret,
1090. facti pænitens a summo pontifice veniam obtinuit,
1092. jussusque Lugdunensis archiepiscopus eum in communione suscipere & osculo. Triennio post cum Lambertus Atrebatensis episcopus ad concilium Claromontanum pergens in manus fratris ejus Garnerii militis de Castello *Pons* prope Pruvinum incidisset qui eum in vincula conjecit, Philippus fratrem suum increpavit, qui pæni-
1095. tentia ductus, V id. Nov. 1095, summo mane ad pedes episcopi & archidiaconi ejus Clarembaldi prostratus cum lachrymis veniam postulavit. Ad Philippum scripsit Ivo Carnotensis epistolam synodicam nomine Stampensis concilii anno
1099. 1099, eumque redarguit quod ad concilium venire contemsisset, citatque ad aliam synodum proxime celebrandam pro consecratione Hervæi Nivernensis episcopi. Memoratur Philippus an.
1100. 1100 in charta donationis Hugonis comitis Trecensis factæ monasterio Arremarensi cum Walterio Meldensi episcopo & Arnulfo abbate Latiniacensi ecclesiam Columbariensem Conchensibus monachis adversus Resbacenses adjudicavit
1101. V cal. Februar. 1101. Bona ecclesiæ S. Georgii
1102. confirmavit III id. Mart. 1102. Trecis habitum
1104. an. 1104 a Ricardo Albanensi episcopo mense Aprili concilium, ubi Hubertus Silvanectensis episcopus de simonia diffamatus sese purgavit, ubi confirmata electio Godefridi Ambianensis,
Camusat, 121. ubi Hugo comes libertatem domorum canonicarum ecclesiæ Trecensi concessit. Huic autem
Ch. XIII, col. 255. concilio adfuit & subscripsit Philippus qui prioratum de Insulis eodem instituit anno, & ecclesiam S. Theobaldi concessit in gratiam Roberti
Idem, 170 & 172. abbatis Molismensis diplomate dato 1104 Trecis in capitulo, quod confirmavit Daimbertus Senonensis archiepiscopus eodem anno codicillis re-
Idem. pag. 173. latis apud Camusatum, qui notat Philippum cessisse canonicis jura quatuor parochiarum.
1107. Alterum an. 1107 præside Paschali II papa coactum Trecis concilium, cujus decreta habes Ampliss. collect. tom. VII, col. 67. Con-
1110. firmavit anno 1110 Molismo factam donationem ab Ugone Bardulfo. Denominatur Milo
1112. in documento fundationis factæ an. 1112 abbatiæ Puteolorum in Vastinensi pago & diœcesi Senonensi. Composuit anno eodem monachos Molismenses apud Peiacum cum canonicis Bre-
Idem, 367. censibus. Episcopatus ejus annus 29 componitur
1113. cum an. 1113 in charta qua Osberto & Alardo
Ch. XIV, col. 256. ecclesiam de Bervilla concessit. Subscripsit eodem diplomati Ludovici VI regis abbatiam Puteo-
Idem, 373. lorum S. Victori Paris. aggreganti. Ecclesiam
1114. S. Juliani de Sesanna consecravit anno 1114. Eodem dedit ecclesiæ S. Bercharii altare S. Re-
Idem. 351. Ch. XV, col. 257. migii Sigifontis. Eodem ecclesiæ S. Sepulcri dedit ecclesias S. Johannis B. & de capella Val-
1115. lonis. Concilio Catalaunensi adfuit an. 1115 &

A subscripsit synodicis literis inter monachos S. Quintini de Monte & S. Vedasti. Monachis Majoris monasterii confirmavit an. 1118 omnia ANNI CHRISTI 1118.
quæ in diœcesi possidebant. Dedit anno 1120 1120.
Omnium SS. fratribus canonice viventibus presbyteratum & circadam Listriensis ecclesiæ. Dedit eodem monachis Majoris monasterii ecclesiam S. Petri & ecclesiolam de Maso alarici. Dedit quoque eis Theobaldus dominus Castelli Domni-Petri ecclesiam S. Martini quam terreno jure possederat, data charta Trecis XV cal. Januarii in ecclesia S. Petri, præsidente Philippo episcopo in consilio suo sicut in plenaria synodo.
B Occurrit adhuc Philippus annis 1120 & 1121 1121.
III cal. Sept. in chartis Arremari. Annus autem 1121 quo obiit, dicitur episcopatus ejus 38 in charta Iterii de Capis cognomine Monachi pro monasterio S. Martini Trecensis. Philippi meminit Ivo epistola 166, occasione Pontii ejus nepotis qui filiam Hugonis albi nomine Mathildem traditam a parentibus Galeranno camerario regis, flentem ac renitentem sibi in conjugium usurpaverat. Scripsit adhuc ei epistolam 257. Denique memoratur Philippus VII id. Nov. in necrologio Molismensi.

C

LIII. Rainaldus II. DE MONTLERY.

Milonis de Montlhery & Lithuesæ vice-comitissæ Trecensis filius Rainaldus ex præposito ecclesiæ S. Petri vicecomes Trecensis post Milonem *de Bray* germanum, ecclesiæ Arremarensi benefecit anno 1120. Defuncto Philippo successit, ac paulo post decessit. Recensetur ab Aimoini continuatore lib. V, cap. 46, & in veteribus indicibus Arremarensi & Autissiodorensi. Memoratur VIII id. Januarii in obituario Parisiensi.

LIV. Atto.

D

Atto qui & Hato ex decano & archidiacono Senonensi Trecensis episcopus erat an. 1122, 1122.
qui primus pontificatus ejus annus legitur in charta Hugonis comitis Trecensis pro monasterio Ch. XVI, col. 257.
Arremarensi, sicut 1123 annus 2 in altera ejusdem charta. Majorem decimam de Buciniaco Camusat, 374.
monachis S. Juliani de Sesanna concessit 1123. 1123.
Cum W. abbate S. Martini memoratur 1126 1126.
in chartis Pontiniaci. Præsens fuit anno 1127 1127.
institutis in ecclesia S. Salvatoris Senonensis canonicis regularibus a capitulo Senonensi, ut & ipse Senonensis canonicus. Habita anno 1128 1128.
E Trecis synodus in qua Templariorum ordo comprobatus, eisque regula & habitus nono post institutionem anno præscripta sunt. Eodem anno Hatto Simoni abbati Caziaci ecclesiam *de Saron* concessit. Eodem monasterio omnium SS. Catalaunensi confirmavit presbyteratum villæ de Lustra. Eodem dedit ecclesiæ S. Quintini Bellovacensis ecclesiam de Baldimento ad usum fratrum quorumdam regulariter ibidem degentium, liberam, quietam & ab omni exactione exemtam, quibus etiam dedit ecclesiam de Tumbis testibus Guidone *de Boi* S. Petri archidiacono & S. Lupi præposito, Guillelmo abbate sancti Martini,

ANNI CHRISTI
Hugone de Jonvilla decano S. Petri. Eodem con-
firmavit ecclesias quas Molismenses habebant in
Ch. XVIII, col. 258. diœcesi Trecensi. Circa id tempus S. Bernardus
scripsit epistolam 23 ad Attonem, qui positus
inter confinia vitæ & mortis omnia sua in pau-
peres erogaverat. Pro eo quoque scripsit ad
Innocentium papam epistolam 152 cum a cle-
ricis suis vexaretur. Coronationi Philippi regis
1129. adstitit an. 1129 Atto, & subscripsit diplomati
Ludovici & Philippi regum pro restitutione
monasterii Argentoliensis S. Dionysio facienda.
1131. Datis anno 1131 literis testatus est Ainardum
comitem apud Philippum decessorem suum con-
questum fuisse quod in Breonensi ecclesia loci
comes præbendas clericis secularibus dare consue-
visset, eumque obsecrasse ut traderentur mona-
chis Dervensibus, quod monasterium Briennæ
comitum specialem sepulturam esse attestatur.
1134. Synodo Pisanæ adfuit an. 1134, cumque rever-
teretur ab Italia, haud longe a Ponte Tremulo
graviter sauciatus est in capite & in carcerem
conjectus, de quo conquestus est Petrus vene-
rabilis epistola 27, lib. III. Attonis ad preces
Guillelmo abbati S. Lupi bullam concessit Inno-
Camus. 305. centius papa an. 1136. Querelam habuit cum
Iosleno Suessionensi episcopo de limitibus utrius-
que diœcesis in ecclesia Fontis-Aabran, quam
1138. arbitri terminarunt an. 1138 IV non. Octobr.
Camusat, 267. Controversiam quoque habuit cum Hugone epis-
copo Autissiodorensi ob ordinationes quas Atto
in monasterio Caritatis ad Ligerim fecerat, qua
de re expostulavit quidem Hugo, sed paulo post
inter utrumque convenit. Extant hac de re
epistolæ Attonis ad Petrum venerabilem quem
consuluerat, & Petri ad Attonem lib. 2, epist.
35 & 333, pag. 1407. Anno 1140 sedit
Atto in concilio Senonis celebrato in octava Pen-
tecostes, ubi rursum condemnata est Petri Abe-
lardi doctrina. Ea de re S. Bernardus scripsit
epistolam 337 ad Innocentium II sub nomine
Camus. 317 & 318. Henrici archiepiscopi Senonensis, Attonis Tre-
censis episcopi, &c. Anno eodem Ripatorio dona-
Ch. XXI, col. 260. tiones fecit factasque confirmavit. Recensetur
1141. 1141 in literis confirmationis Theobaldi Ble-
sensis comitis pro canonicis S. Georgii de Al-
mosneriis. Pontiniacensibus monachis concessit
usum in silva Otta quem eis confirmavit Inno-
1142. centius II anno 1142. Ecclesiam Lusigniaci ca-
1143. nonicis S. Lupi concessit an. 1143 cum decima
Ch. XXV, ejusdem villæ. Confirmavit fundationem Bassi-
col. 264. fontis, eidemque factas donationes a Waltero
1145. comite Branæ 1145. Eodem Alberici legati ad
Camus. 364. preces Cluniacensibus tres ecclesias & præbendam
in ecclesia Trecensi concessit; chartæ subscribunt
Theobaldus abbas S. Columbæ Senonensis,
Ch. XXVIII, Guillelmus S. Martini, Erardus S. Lupi, Hugo
col. 265. Criciaci, Balduinus Noviomensis decanus, Odo
præpositus, &c. Iisdem adhuc dedit ecclesias de
Barbona, de Lintis & de Lintellis. Eodem li-
beram electionem sacerdotis in ecclesia Char-
chericurtis concessit Præmonstratensibus Capellæ
ad Plancas. Eodem dolens in ecclesia sua cano-
nicorum absentiam, in solemni capitulo, cui
aderat Albericus sedis apostolicæ legatus ad preces

A canonicorum statuit, ut præter 20 solidos an- ANNI CHRISTI
nuos nihil de præbendis reciperent ii qui se non
exhiberent *stationarios* ad ecclesiæ servitium.
Decretum refert Quercetanus. Denique anno Biblioth. Cluniac. p. 1042.
1145 Atto Cluniacum secedens illic monas-
ticam induit cucullam. Ad quem ea de causa Ch. XXIX, col. 266.
scripsit Petrus prior S. Johannis Senonensis
epistolam, quam habes apud Severtium in
episcopis Matisconensibus, pag. 135; & certe
hoc anno vacabat Trecensis episcopatus, ut
constat ex epistola 246 S. Bernardi abbatis.
Atque hinc patet quam turpiter allucinatus est
Albericus in chronico, ubi ait Attonem Tre-
B censem in synodo Remensi anni 1148 depo-
situm fuisse. Ejus anniversarium notatur in
obituario Arremarensi IV calend. Sept. quo die
interiisse legitur ac dedisse huic monasterio eccle-
sias de Clareio, de Follis & de Angledura. In
calendario abbatiæ Ripatorii quam fundaverat
& ubi sepultus traditur,. ejus commemoratio
habetur 30 die Sextilis.

LV. HENRICUS. DE CARINTHIIS

Comitibus Carinthiorum editus Henricus ex
monacho Morimundi Lingonensis primus abbas
Villaris-Berhnak in diœcesi Metensi, Hatoni
C suffectus est ad preces Mathildis Carinthiacæ
uxoris Theobaldi Campaniæ comitis, cujus erat
gentilis, circa annum 1145, siquidem eodem
anno memoratur præsens in charta Henrici Tre-
censis comitis in gratiam canonicorum S. Petri Ch. XXVII, col. 264.
majoris ecclesiæ. Monasterii Vallis-lucentis spe-
cialis patronus cessit ei an. 1146 decimas pa- 1146.
rochiæ Berneriarum. Circa id tempus legatus a
rege Franciæ ad imperatorem, post reditum de Camusat, p. 175.
Hungaria Petro Comestori clerico suo ad preces
Alani abbatis de Ripatorio ecclesiam de Arbro-
cello concessit anno quo rex contra Saracenos
iter aggressus est 1147. Ad Henricum scripsit 1147.
D epistolam 25 Nicolaus notarius S. Bernardi
nomine prioris Rivallis in gratiam abbatis Cel-
lensis qui abbatiam invenerat deformatam. Do-
nationi factæ Ripatorio an. 1151 a Theobaldo 1151.
comite Blesensi subcripsit Henricus, qui misit
1152 S. Bernardum abbatem Claraevallis in 1152.
possessionem Bulencuriæ. Stephano Molismi Spicileg. tom. X, p. 640.
abbati liberam sacerdotis electionem in ecclesia
Villaris ursi concessit 1153. Ecclesiam S. Fla- 1153.
viti de Villamauri monachis Cellensibus confir- Ch. XXXIV, col. 269.
mavit 1154. Benedixit IV non. Maii 1158 1154.
ecclesiam Novi-castri cum Burchardo Argen- 1158.
tinensi præsule. Eodem ecclesiæ S. Nicolai &
E S. Bernardi de Monte Jovis donatam domum
Dei in foro Trecensi sitam confirmavit. Domum
Rainerii militis de manso Tecelini factum mo-
nasterio S. Petri confirmavit anno 1161. Me- 1161.
moratur 1163 in literis Henrici comitis de Camusat, 401.
concordia inter priorem & dominum de Sam-
bleriis. Anno 1164 Henrico Stephanus Clunia- 1163. Camusat, 333.
censis abbas reddidit præbendam Trecensem
quam concesserat Atto, illudque anno sequenti 1164.
ratum habuere Theobaldus prior & monachi.
Concilio Bellovacensi adfuit an. 1166 Henricus, 1166.
cujus in gratiam Henricus Trecorum comes

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Palatinus ejus consanguineus episcopi defuncti supellectilem novo dimisit an. 1167. Subscripsit
Camusat, pag. 176. eodem chartæ Willelmi Carnotensis electi præposituræ Trecensis reditus capitulo cedentis. Faræ
1167. monasterio concessit an. 1168 quidquid habebat
Idem, 122. inter terram S. Petri Cellensis & Pontem-Musoc.
1168. Eodem confirmavit factam Recluso donationem ab Hugone Brecarum domino. Ad Henricum uti ad Hugonem Senonensem, Godefridum Lingonensem & Theobaldum Parisiensem episcopos
Spicileg. tom. III, p. 451. scripsit Eugenius III ut Vizeliacenses Burgenses proditores & rebelles in dominum suum Pontium abbatem pro excommunicatis haberent, & suis ipsorum parochianis præciperent ut eos qui-
Ibid. p. 495. buscumque in locis reperire possent, rebus suis spoliarent. In eumdem fere modum ad eosdem scripsit Anastasius IV. Fato fungitur Henricus circa 1169. Sepultus in monasterio Bulencuriæ, notatus III cal. Feb. in necrologio Villaris.

LVI. Mathæus.

Ch. XLIII, col. 275. Decanus erat S. Quiriaci Pruvinensis anno 1160 Matthæus, qui 1169 electus Trecensis
1169. in chartis Escarleiarum, sacratus est a Guillelmo archiepiscopo Senonensi. Insequenti primo consecrationis suæ anno præsens legitur in charta Cla-
1170. rembaldi de Capis, data anno 1170. Chartam
1172. confecit anno 1172 pro monasterio Cellensi. Eodem de mandato summi pontificis conciliavit abbatem monasterii in Argona cum Arnulfo presbytero super terra Martini *de Freisville*. Eodem testis fuit in charta donationis Girardi Brenensis comitis factæ monasterio Arremarensi,
1173. cujus in chartis occurrit adhuc annis 1173 & 1174. Transegit 1173 cum Guillelmo Vapincensi abbate S. Dionysii de parochia *de Marnay*. Ecclesiam de Marayo abbati & conventui S.
1174. Martini de Areis concessit anno 1174 ut in festis Paschæ, Pentecostes & S. Petri solemniter ad ecclesiam cathedralem procederent, & cum duobus pueris symphoniacis & succentore laudes coram episcopo decantarent. Judex a summo pontifice delegatus est an. eodem inter archiepiscopum Turonensem & abbatem Cormeriaci qui fidem & reverentiam præstare ei recusabat. Eodem conciliavit abbates Dervensem & Cellensem.
1175. Transtulit an. 1175 de assensu Girardi abbatis Cellensis parochiam ecclesiæ S. Patrocli ad ecclesiam B. Nicolai de Nemore. Eodem Lucianæ abbatissæ Faræ monasterii annuit ut in ecclesia de Valcellis idoneum institueret sacerdotem, charta data apud Pruvinum in domo episcopi Trecensis qui decanus erat adhuc S. Quiriaci. Eodem Meldensi vacante ecclesia vocatus, corpus B. Pelagiæ capite excepto dominica post octavas Pentecostes in novam thecam transtulit in monasterio Jotrensi. Ebalo Caziacensi abbati concessit & confirmavit totam decimam territorii
1176. de Caroli-villa 1176. Præsens fuit anno 1177
1177. concordiæ Latiniaci initæ inter Simonem episcopum Meldensem & abbatem Fossatensem.
1178. Matthæo & capitulo scripsit anno 1178 Alexander III de 14 canonicis assiduis in ecclesia
Amplis. collect. t. 1, col. 906. & de eligendo decano. Concilio Lateranensi adfuit an. 1179. Eodem delegatus a summo pontifice ad terminandam quæ inter Archembaldum presbyterum & Petrum fratrem suum, necnon Brunonem canonicum S. Clodoaldi super patrimonio Brunonis vertebatur controversia, compositionem initam confirmavit Trecis in palatio episcopali. Eodem Humbaudo abbati S. Germani Autissiodorensis concessit ut in duabus ecclesiis Vaucharti & Brecenai unicus constitueretur rector episcopo præsentandus. Canonicis B. Lupi concessit an. 1180 ecclesiam 1180.
de Bucey. Occurrit eodem in chartis Vallis-lucentis. Obiit eodem ex chronico S. Mariani, ubi sapientia & animi strenuitate famosus celebratur. Cadaver sepulcro humatum est juxta antecessorem suum Henricum in monasterio de Bullencuria. Anniversarius ejus dies quotannis 28 Septemb. in ecclesia Trecensi celebratur, cujus episcopus hac die panem & vinum singulis viritim canonicis aliisque ecclesiæ ministris dispensare tenetur.

ANNI CHRISTI 1179.

LVII. Manasses II. DE POUGY.

E gente toparcharum de Pougeio in diœcesi Tricassina satus Manasses, Manassis episcopi Lingonensis consanguineus, a teneris unguiculis in ecclesia Trecensi educatus, ex archidiacono ejusdem ad dignitatem pontificiam evectus 1181, 1181.
confirmavit an. 1182 quatuor ad altare B. Ma- 1182.
riæ quod ædificavit fundatos ab Haycio decano canonicos. Literis suo sigillo munitis decrevit Camusat; 180.
anno 1183 ut decanus a canonicis eligeretur, 1183.
fundavitque anniversaria pro decessoribus Mat- Camus. 178.
thæo & Henrico & pro se ipso. Bullam accepit a Lucio III ne laïci in claustro canonicorum habitare permitterentur, datam Anagniæ v cal. Amplis. collect. t. 1, col. 1136.
Decemb. Composuit cum capitulo anno 1184 1184.
pro archidiaconatu Banleucæ Trecensis. Nonnulla quoque dedit hoc anno canonicis de Pugeio. Camusat; 178.
Moniales ordinis Fontis-Ebraldi apud Fussiacum benedixit XII cal. Januarii anni ejusdem. Tom. IV, col. 589.
Nonnulla quoque dedit hoc anno canonicis de Pugeio. Confirmavit 1185 donationem factam Bullencuriæ. Manassi Lingonensi episcopo consanguineo suo mutuo dedit 1200 libras Pruvinenses super castrum Gurgei an. 1186. Adstitit anno 1188 1186.
benedictioni Petri *de Grancey* abbatis S. Benigni 1188.
Divionensis. Monialibus B. Mariæ parochiam Ch. XLIV, col. 276.
in earum ecclesia confirmavit anno eodem. Capitulo adhuc benefecit & testis fuit venditionis Camus. 179.
decimarum *de Geauroles* factæ capitulo Lingonensi a Philippo *de Chalatian* milite & in charta H. Burgundiæ ducis. Eodem anno, ut legitur in chronologia monachi Autissiodorensis, pag. 92. *In crastinum festi S. Mariæ Magdalenæ Trecæ civitas populosa, referta opibus, tectis amplissima, repentina conflagratione fere funditus est eversa. Celebrabantur ibi tunc nundinæ, in quibus diversas congesserant opes, qui de diversis partibus confluxerant institores. Ita vero de nocte subitum emersit & invaluit vorax incendium, & circumquaque ventorum turbine rapiabatur, ut dum volunt unusquisque vel sua vel aliena eripere, aut eos interciperet flamma, aut quæ servare volueram desererent exurenda. Facta*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI *est perinde inæstimabilis rerum deperitio, & periere*
quamplurimi mediis ignibus intercepti. Episcopalis
ecclesia tegulis plumbeis decenter operta, illo tunc
incendio conflagravit. Necnon & S. Stephani basi-
lica quam Henricus comes fundarat & dotarat redi-
tibus aurique & argenti & ornamentorum varia
suppellectile adornarat; periit & cum ea tota illa
ornamentorum insignium congesta varietas. Incen-
dione illo periit quoque Manasses? nam anno
1189 Henricus Trecensis comes homines Tre-
1189. censis episcopi vacante sede ab omni tallia &
Consf.176. exactione immunes esse concessit, modo per
manus decani & capituli S. Petri 200 libras
comitibus persolverent. Defunctus tamen dicitur
1190. an. 1190, & quidem 11 Junii ex obituario
S. Lupi.

DE PLANCY.

LVIII. Bartholomæus *al.* Haicius.

Henrici Campaniæ comitis cancellarius Bar-
tholomæus qui & Haicius de Planceio, ex decano
S. Petri & S. Stephani, necnon præposito S.
Quiriaci Pruvinensis creatus episcopus an. 1190.
Insequenti quatuor canonicatuum a se ipso de-
cano fundatorum collationem quam capitulo
dimiserat, episcopus sibi & successoribus attribuit.
Ibidem pag. 182. Villæ Vennæ partem alteram & ecclesiam de
1191. Rameruco ecclesiæ suæ largitus est an. 1191.
Ibid. 183. Eodem molendinum de Prato episcopi emit a
monialibus de Foisseio quibus decimam dedit
pro anniversario suo. Eodem a monachis Arre-
marensibus rogatus electioni abbatis interfuit,
contestatus nihil inde juris successoribus acqui-
situm. Eodem datas ecclesiæ S. Stephani ab Hen-
rico decessore ecclesias de Verreriis, de Essartis
Consf.184. & de Bercenayo confirmavit. Molendinum de
1192. Prato episcopi dedit capitulo an. 1192. Eodem
domum Dei de Paganis monialibus B. Mariæ
Ch. XLVI. col. 277. Trecensis ordinandam commisit. Eodem deci-
Ch. XLVII, col. 277. mam *de Loan* canonicis S. Quiriaci Pruvinensis
dimisit, cujus ipse fuerat canonicus & præpo-
Ch. XLVIII, col. 278. situs. Triennio vel circiter gregi suo præfuit
1193. exstinctus 20 Febr. 1193. Terræ mandatur in
ecclesia Ripatorii e regione majoris aræ, ac cæ-
notaphio quod semipedem supra terram erigitur
adjecta hæc brevis inscriptio: *Hic jacet Bartho-*
lomæus Trecensis episcopus.

DE TRAISNEL.

LIX. Garnerus.

Vetusta ac nobili baronum Campaniæ pro-
sapia dynastarum Trianelorum oriundus Garnerus
Trecensem ecclesiam suscepit administrandam
anno 1193 decessoribus præsulibus in ea locu-
pletanda haud impar. Monachis S. Germani
confirmavit anno eodem quæ concesserat Mat-
Ch. XLIX, thæus decessor. Ratas habuit 1194 Parthenonum
col. 278. Paracliti & Aveniaci possessiones eodemque
Ch. L, col. 278. reperitur in chartis Fossatensibus & Michaëlis
1194. archiepiscopi Senonensis, sicut & in Arrema-
rensibus 1196, 1197, 1199, 1200, 1201,
T. IV, instr. col. 93. 1202 & 1205. Judex a Cælestino papa cum
Galtero Eduensi constitutus in causa divortii inter
1195. Galcherum de Salinis & M. de Borbonio sen-
Ch. LI, col. 281. tentiam tulit anno 1195. Dedit mense Junio

A 1196 monialibus B. Mariæ de Bosco ecclesiam
de Castellione. Ecclesia Trecensi indebitis gravata ANNI CHRISTI
angustiis & pressuris ad Henricum Campaniæ 1196.
comitem in ultramarinis partibus agentem ut *Innocentii III epist. tom. I.*
eidem ecclesiæ subveniret, licet senescens pro-
posuit accedere, ac in signum peregrinationis
crucem Dominicam assumpsit, sociosque ut iti-
neris adsciseeret sermonem ad populum habuit.
Placentiam cum pervenisset, defunctum 1197
comitem accepit. Progressus tamen in Thusciam,
Gallos omnes redeuntes audivit. Nolens vero
absque Romani pontificis consilio ad propria re-
B meare, Romam ingressus, ab Innocentio III voto
absolutus est id. Mart. an. 1, modo expensas quas
in itinere cum sex famulis facturus fuisset in subsi-
dium terræ orientalis transferret. Dedicavit 1198 1198.
ecclesiam Paracliti. Testis fuit an. 1199 dona- 1199.
torum a Theobaldo Campaniæ comite septem
castellorum in dotalitium uxori ipsius Blanchæ.
Donationem factam domui Dei de Quercu si-
gillo suo firmavit an. 1200. Eodem Succentorem
cum capitulo instituit mense Januario. Calcu- 1200.
lum apposuit suum bullæ Innocentii III pro
legitimis habentis filium & filiam quos ex Agnete
filia ducis Meraniæ susceperat Philippus Augustus,
mense Januario 1201. Collata a Philippo deces- 1201.
C sore ecclesiæ Belli-loci confirmavit an. 1202, *Consf. 368 & 369.*
ejusque debita solvit. Insequenti cum sacræ mi-
litiæ tesseram crucem assumsisset, memoratur 1202.
in literis Alexii imperatoris ad Innocentium
III datis VIII cal. Septemb. anni 1203. Aderat 1203.
in una e duabus navibus quæ Constantinopolim
applicuerunt & expugnarunt V id. Aprilis fer.
6 ante passionem anni 1204. Unusque fuit e 1204.
duodecim qui Balduinum Flandriæ comitem
imperatorem elegerunt 9 Maii anni ejusdem, de
quo idem Balduinus scripsit ad principes chris-
tianos. Garneri in manibus de mandato legati
apostolici & episcoporum depositæ sunt reliquiæ
D quæ capta urbe Constantinopoli inventæ sunt.
His ad diversos directis obiit Constantinopoli
14 Aprilis 1205, ut prodit liber obituariorum 1205.
ecclesiæ. De eo sic legitur in necrologio S. Ste-
phani Autissiodorensis: *VII id. Aprilis obitus*
Garnerii Trecensis episcopi, pro cujus anniversario
Henricus nepos ejus quondam archidiaconus Tre-
censis & canonicus Autissiodorensis dedit 40 solidos.

LX. Herveus.

Post mortem Garneri contraria in studia scissi *Innocentii III epist. tom. II.*
Trecenses canonici duplicem instituerunt elec-
tionem & utriusque acta ad Innocentium III
E summum pontificem per delectos e suo collegio
viros direxerunt. Ille autem utramque rescidit
electionem, delectisque canonicis injunxit ut
idoneum eligerent pastorem, qui secundum pon-
tificis consilium, Herveum, inquit Innocentius,
vita, scientia & fama præclarum nominarunt,
qui a summo pontifice confirmatus est, data X
cal. Martii pontificatus anno 9, id est, 1207 1207.
bulla Trecensi capitulo ut eum archiepiscopo
Senonensi præsentarent presbyterum ordinandum
& episcopum consecrandum. Doctor erat theo-
logus Academiæ Paris. Factus autem episcopus

Digitized by Google

ANNI CHRISTI
præbendas ecclesiæ quæ sede vacante vacaverant
contulit, unde orta inter eum & Philippum
Cartul. 156. regem controversia, cum Philippus comperisset eas
futuro episcopo reservari, eas ei concessit diplo-
mate anni 1207, quo confirmavit ei quidquid
prius Matthæo episcopo concesserat genitor suus
Ch. LV, col. 283. Ludovicus. Diploma ratum habuit Innocentius
III VII id. Febr. pontificatus 10, qui bullam
Ch. LVI, col. 285. ei concedit XV calend. Febr. an. 11. Herveus
autem laudavit donationes factas hospitali de
Quercu an. 1207 & capellam in honorem B.
Mariæ sacravit. Eodem anno composuit litem
inter R. abbatem Arremarensem & Hugonem
Cartul. 63. de Fresneio militem. Permutationem fecit pro
1208. dilatanda ecclesia S. Petri anno 1208. Eodem
domui Dei S. Nicolai dedit unum modium
bladi perpetui reditus, donatamque huic eccle-
siam *de Creney* approbavit. Huic scripsit Inno-
centius III III cal. Maii pontificatus 13 de præ-
benda quam dimidiatam fuisse conquestus fuerat.
1211. Statuit an. 1211 ut in ecclesia Trecensi certis
diebus cereus arderet ante altare B. Mariæ. Ca-
nonicis de Firmitate Galcheri confirmavit anno
eodem jus patronatus ecclesiæ *de Mont-daufin.*
1213. Occurrit hoc anno & 1213 in chartulario Cam-
1214. paniæ. Anno 1214 cum H. S. Columbæ &
R. Escalleiarum abbatibus a summo pontifice
judex est delegatus inter episcopum Autissiodo-
rensem & abbatem S. Germani. Misit anno
1215. 1215 in orientem Johannem Anglicum pro
recuperanda S. Helenæ historia, cujus corpus
inde Trecas allatum fuerat post obitum Garneri.
Johannes autem retulit historiam cum literis
Angermeri Herveo episcopo & Nicolao decano
datis IV non. Maii. Confirmavit anno eodem
concordiam inter domum Dei de Quercu &
presbyterum ejusdem villæ initam a Nicolao
Trecensi decano. Parochiam Sezannæ contulit
1216. an. 1216 ad præsentationem Hugonis de Bor-
bonio prioris de Charitate, Sezannæ gerentis
administrationem. Approbavit eodem anno con-
ventionem quam fecerat cum Rollando abbate
1218. Arremarensi. Adstitit an. 1218 Senonis reve-
lationi corporum S. Potentiani & S. Altini in
ecclesia S. Petri vivi. Querelam habuit cum B.
comitissa Trecensi quæ gagia capi fecerat ab
hominibus episcopi, pro quibus episcopus civi-
tatem supposuerat interdicto. Hos conciliavit
1219. sedis apostolicæ legatus IX cal. Aprilis 1219
redditis gagiis quæ remiserat comitissa, suspen-
soque interdicto & relaxato ad Nativitatem S.
Johannis B. qui terminus utrique datus est ad
pacem reformandam. Monachis S. Germani Au-
tissiodorensis de patronatu ecclesiarum Vaucharti
& Brecenai movit litem anno eodem quæ epis-
copo & monachis tributæ sunt a Willelmo
episcopo Autissiodorensi arbitro. Controversiam
Cartul. 189. habuit cum capitulo S. Stephani de nonnullis
1220. capitibus quæ ab arbitris terminata est an. 1220.
Confirmavit eodem anno donationem factam
Ripatorio ab Hugone domino Brecarum. Oc-
1221. currit adhuc hoc anno in tabulis Arremari
1222. & 1221 Pontiniaci. Transegit 1222 cum
Ibid. 188. Petro S. Dionysii abbate. Dedit eodem chartam

A de compositione facta inter capitulum & fratres
Scholarium B. Mariæ in Insula. Hervæo scripsit ANNI CHRISTI
Innocentius III C. Dilectis 55 de appellatio-
nibus, per legitime interpositam appellationem
principale cum accessorio ad judicem appellatum
deferri & sententiam excommunicationis post
appellationem non valere. In illius vero capituli
epigraphe in veteri codice nominatur cantor &
archidiaconus major. Sed & C. Dilecto 25 de
præbendis huic præsuli ab eodem papa dirigitur,
in quo memoratur ipsius episcopi antecessor in par-
tibus Constantinopolitanis olim agens. Est vero
notabilis illa decretalis decisio duorum ad unum
B eumdemque canonicatum receptionem esse irri-
tam, illudque Herveus censuerat utpote in
utroque jure peritus & longævus apud Vincen-
tium. Explevit mortalitatem episcopatus 16 Do-
minica die 2 Julii ad vesperam 1223, huma- 1223.
tusque est in die translationis S. Martini in sacello
Dei-paræ Trecensis tumulo æneo pedem a
tellure extante in quo epitaphii vice incisi sunt
hi versus:

Præsul Trecensis, prius autem Parisiensis
Verbi divini doctor, de curte Morini *, * Villemorum
Paupere gente satus, jacet Herveus hic tumulatus.
C *Cilicium, cordæ, jejunia, lamina ferri*
Cum rectis corde faciunt me ad sydera ferri.
Anno milleno bis centenoque viceno
Terno reddo polo spiritum & ossa solo.
Anno septeno denoque pontificatus
Et sexto nonas Julii transmigro beatus.

LXI. Robertus.

Ex decano ad pontificatus apicem meritorum
suorum gradibus ascendit Robertus an. 1223,
inunctus a Galtero Senonensi archiepiscopo.
Donationes factas monialibus B. Mariæ de Gratia
D ratas habuit annis 1224 & 1226. Recensetur
1224 inter præsules qui ex debito pastoralis 1224.
officii militabant in castris regiis apud Turones.
Litem composuit an. 1225 quam habebat cum 1225.
cantore Trecensi super jurisdictione clericorum Cartul. 191.
chori. Sigillo firmavit suo anno eodem transac-
tionem inter Nicolaum parochum de Vignacello
& fratres domus Dei de Quercu. Cum rege Na-
varræ diversas exercuit lites, pro quibus termi-
nandis arbitros elegerunt B. comitissam Trecen-
sem, M. decanum &c. approbante G. Senonensi
archiepiscopo sabbato ante Dominicam *Invocavit*
E *me* 1227. Insequenti basilica S. Petri violentis 1227.
ventorum turbinibus concussa subito corruit, 1228.
quam ad relevandam fideles hortati sunt Roma-
nus de S. Angelo cardinalis sedis apostolicæ
legatus 21 Nov. anni ejusdem & Gregorius X
bulla data pontificatus 3. Memoratur Robertus
1228 mense Martio in chartis Arremari. Dedit
literas an. 1231 de concordia inter capitulum 1231.
& moniales B. Mariæ Trecensis. Anno 1232 Idem. 379.
Dominicani stabiliuntur Trecis a Theobaldo co- Anecd. t. 1, col. 968.
mite Campaniæ in domo Guidonis de Cappis
mense Junio 1232. Eodem Robertus dedit 1232.
literas mense Martio de pactis matrimonialibus

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Theobaldi comitis Campaniæ cum Margarita filia
Archembaldi de Borbonio. Obiit anno 1233
1233. ex chronico Alberici, & die 3 Junii ex necro-
logio. De eo vide Vincentium lib. 31, c. 124.

LXII. Nicolaus.

Defuncti Roberti in locum eligendi episcopi facultatem a rege petierunt canonici Trecenses mense Maio 1233 ex chartis Thesauri. Elegerunt autem Nicolaum archidiaconum patria Briensem, regemque rogarunt ut ei electo regalium copiam faceret. Rex vero cui Nicolaus fidem juravit mense Julio, regalia ei restituit, idemque ut præstaret comiti Theobaldo mandavit eodem mense. Nicolaus quoque adhuc electus hominium recepit Garnerii de Morigniaco die Veneris ante festum S. Petri ad vincula 1233, episcopus vero Isabellam de Colaverdei primam abbatissam de Pietate benedixit 1233
1234. in festo S. Hieronymi. Literis an. 1234 datis declaravit moniales B. Mariæ de Prato pro fundatoribus & patronis agnovisse Hugonem de S. Mauricio & Margaritam uxorem. Concessit an. eodem ut nundinæ S. Laurentii de Nogento in halis regiis remanerent ea lege ut presbyter S. Laurentii more solito haberet totum teloneum eorum quæ tunc venderentur. Ecclesiam Sigille-
1235. riarum dedicavit an. 1235. Statuit an. 1238
1238. ut fratres hospitalis de Quercu regulam S. Augustini amplecterentur. Eodem anno monachi Arremarenses in die S. Bartholomæi adunati ad electionem faciendam, hanc provinciam demandarunt episcopo qui eam suscepit protestatus nil inde juris seu sibi seu successoribus acquisitum
1240. velle. Dedicavit anno 1240 4 Nov. ecclesiam
1242. ejusdem monasterii. Occurrit annis 1242 mense
1243. Febr. 1243, 1244, 1245, 1246 & 1247
1244. in chartulario Campaniæ. Donationem factam
1245. S. Thomæ de Lupara apud Parisios approbavit
1246. an. 1248. Domum Dei de Quercu propter
1247. pravos inhabitantium mores monasterio S. Re-
1248. migii Remensis univit an. 1250. Concilio a
1250. Gilone Senonensi archiepiscopo Parisiis habito
1253. mense Nov. 1253 adstitit & subscripsit literis ejusdem ad Th. Navarræ regem. Adfuit ibidem alteri concilio ab Henrico archiepiscopo celebrato
1255. an. 1255, aliique 1256 ubi cum aliis episcopis dedit literas pridie cal. Augusti de submissione legatorum apostolicorum decreto concilii. Unus est ex episcopis qui testati sunt an. 1255 Ludovicum regem prohibuisse ne Petrus Catalaunensis vexaretur. Cellense monasterium visitavit
1256. & reformavit annis 1255 & 1256. Occurrit
1257. an. 1257 die Mercurii post Brandones in char-
1259. tulario Carnotensi. Anno 1259 ad Nicolaum misit Alexander IV lapidem benedictum pro fundamento ecclesiæ Fratrum Minorum, qui Trecis admissi an. 1237 a Theobaldo comite juxta portam urbis dictam *Compostè*, post annos 20 ab eodem in urbe in domo longe ampliori
Camus. 427 & 429. collocati sunt. Prior vero domus cessit an. 1260 Religiosis ordinis SS. Trinitatis, quæ ab ipsis incolis veritis ne obsessoribus urbis faveret, eversa est anno 1590, religiosi autem in

A prioratum ordinis Cluniacensis sese receperunt. Nicolaus vero scripsit cum aliis episcopis anno 1259 ad Ludovicum IX regem ut quæ ignotis restituere nequibat bona, pia in opera impenderet. Urbanus IV Trecis ortus 40 dies de injunctis pœnitentiis relaxavit III non. Julii
pontificatus II iis qui adjuvarent canonicos eccle- 1262.
siam opere sumtuoso ædificantes. Idem pontifex *Camusat,*
anno sequenti V id. Sept. misit ad Nicolaum *191.*
400 marchas sterlingorum distribuendas ecclesiis, *Auct. tom. II,*
cathedrali in qua conversatus a pueritia fuerat, *col. 28.*
S. Stephani, B. Mariæ Trecensis in cujus parochia natus & renatus fuerat, & B. Mariæ in
B Pratis in qua sepulta ejus mater, ut quamdiu viveret, missam de Spiritu sancto & post mortem vigiliam & missam solemnem de defunctis pridie nonas Sept. decantarent. Quin & anno
sequenti 1264 fundavit & dotavit ecclesiam 12 1264.
canonicorum Trecis in domo paterna in honorem S. Urbani. Nicolaus vero a S. legato apos-
tolico delegatus VI cal. Aprilis 1267 mandavit 1267.
mense Januario 1268 Giloni de Columbariis 1268.
canonico Meldensi ut pro rege Navarræ colligeret & conservaret redemtiones votorum crucis & alia ipsi a sede apostolica concessa pro subsidio terræ sanctæ. Eodem anno visitavit & reformavit
C parthenonem B. Mariæ. Omnibus collectoribus votorum crucis & aliorum pro rege Navarræ mandavit 1268 die Martis ante festum S. Petri ad vincula ut contradictores ac rebelles pro posse compellerent. Emit anno eodem a Johanne domino de Arceis villam *de Primefait*, quam venditionem confirmavit Theobaldus rex Navarræ an. 1270, sed jam obierat Nicolaus qui
fato functus die 24 Aprilis 1269, sepultus est in 1269.
odeo ecclesiæ, ubi hoc ei appositum epitaphium:

Anno milleno bis centenoque noveno
Cum sexageno sub Aprilis tempore pleno
D *Præ Marci festo, tu qui legis hæc, memor esto*
Quod linquens mundum miserum nimis & moribundum
Præsul Trecensis Nicolaus, sede Briensis,
Fons decretorum, patriæ lux, forma bonorum,
Annis terdenis numero junctis sibi senis
Nobilis amissa patria præfulsit in ista.
Vos qui transitis, totiensque venitis & itis
In prece vos sitis, quod Christus sit sibi mitis.

LXIII. Johannes I. DE NANTEUIL

E Post obitum Nicolai petita eligendi licentia canonici elegerunt Johannem Philippi toparchæ de Nantolio filium, nepotem autem Reginaldi & germanum Theobaldi Bellovacensium episcoporum, qui confirmatus est a Petro archiepiscopo Senonensi, a quo exoratus rex ut restitueret Johanni regalia, restituit ei postquam Johannes die Lunæ post festum S. Martini æstivalis 1269
fidei juramentum ei præstitisset & regi Navarræ *Camusat,*
Theobaldo mandavit ut & ipse idem præstaret. *192.*
Johannes vero subscripsit testamento domini *de Goucort* mense Aprili 1270. Cum Theobaldo 1270.
fratre

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

fratre arbiter electus ab abbatissa Calensi litem A
componit mense Martio 1271. Clientelare Ma-
1271. riæ *de Marigny* excepit obsequium an. 1277.
1280. Consilio Senonensi adfuit an. 1280. Memoratur
1284. in chartulario Campaniæ mense Januario 1284.
1296. Consilio regis Parisiis adstitit 21 Januarii 1296.
Cum Guichardo Cellensi abbate transegit anno
1297. 1297. Clientelare sacramentum recepit a Roberto Burgundiæ duce pro feodo S. Justi 1293. Obiit die Inventionis S. Stephani 3 Augusti
1298. 1298, memoratus 27 Junii in obituario Trecensi, 31 Julii in Meldensi & IV cal. August. in Bellovacensi. Tumulatur in choro S. Petri Bellovacensis cum hac inscriptione: B

Ecce sub hoc tumulo sunt præsulis ossa Johannis,
Trecensi populo qui multis præfuit annis,
Cujus Nantolium fulsit per progenitores:
Nam genus egregium, sed census nobiliores.
Hic humilis, mundus, largus fuit atque jocundus,
Moribus Angelicus, clemens cunctis & amicus.
Si duo demantur, trecenti milleque dantur
Anni, tunc moritur quando Stephanus reperitur.

LXIV. Guichardus.

Ex abbate Cellensi episcopus Trecensis electus Guichardus adstitit parlamento Parisiensi 1298. Episcopus autem non fuit ante annum 1299; episcopatus enim Trecensis erat in regalia a Dominica ante Inventionem S. Stephani usque
1299. ad diem Veneris..... 1299 ex regestis Roberti *Mignon.* Hoc autem anno Guichardus præsens fuit donationi factæ a Blancha regina Navarræ. Sed insequenti in regalia rursus involavit Guillelmus *de Hangest* junior, qui reddidit rationem de bonis dicti episcopatus a festo beati Lucæ
1300. Evangelistæ 1300 ad Pascha 1314. Attamen D
Camusat, 191. Guichardus cum canonicis ecclesiæ Trecensis transactionem iniit de multis controversiis die
1304. Mercurii ante festum S. Laurentii 1304. Subscripsit testamento Margaritæ reginæ Siciliæ an.
1305. 1305. Triennio post, Clemens V bulla Pictavis
1308. data v id. Augusti pontificatus 3 archiepiscopo
Baluz. vit. Pap. Avenion. tom. II, col. 102. Senonensi, episcopo Aurelianensi & Petro electo Autissiodorensi mandavit ut inquirerent de criminibus Guichardi. Guichardus enim insimulatus & suspectus quod Johannam Franciæ reginam fecisset *invultari*, &c. Nullius privilegii fretus vel fultus juvamine, audita etiam super hoc, inquit Nangii continuator, quorumdam depositione testium videlicet falsorum, prout sequentia, E quamvis longo tempore probaverunt, capitur an. 1308, diutiusque sub carceris arta custodia, etiam de voluntate summi pontificis prout ferebatur, maxime postquam ad ejus notitiam testium
1313. ipsorum pervenit depositio, detinetur: sed postea anno 1313 per confessionem cujusdam Lombardi cognomine *Noffe* Parisius ad mortem judicati pro suo crimine & suspensi, innoxius est repertus, sed non ideo restitutus. Obiit ex eodem continuatore an. 1316, die 22 Januarii terræ mandatus in ecclesia Bosiniæ.

LXV. Johannes II. — d'Auxois,

ANNI CHRISTI

Juris legumque antecessor Johannes ex cantore Aurelianensi & canonico Eduensi Trecensis renunciatur antistes anno 1314. quo electus 1314. legitur penultima Maii in regestis Vaticani, forte per cessionem aut depositionem Guichardi. Memoratur an. 1316 in regestis cameræ computorum, qua fortasse die regi fidem juravit. Confirmatus a Philippo metropolita decessit consecrationis suæ ipsa die Dominica post festum Epiphaniæ 1316 * modo 1317. Quiescit in 1316. ecclesia S. Petri e conspectu majoris aræ sub æneo tumulo. Memoratur 4 Dec. in necrologio Augustodunensi & IV cal. Martii in Aurelianensi, 13 vero Januarii in Trecensi.

Johanne sedente Carthusiani anno 1315 stabiliuntur prope Trecas in loco dicto B. Mariæ de Pratea media ab urbe leuca.

LXVI. Guillelmus I. — Mechin.

Non ex episcopo Pampelonensi sed ex vicecamerario papæ Trecensis electus Guillelmus a Johanne XXII & regi commendatus pontificatus an. 1, cameræ apostolicæ promisit 4 Martii 1317 ex regestis Vaticani. Legatus ab eodem 1317. C est in Siciliam v id. Mart. anni ejusdem ut inter Robertum Siciliæ & Fridericum Trinacriæ reges pacem conciliaret. Eodem anno memoratur in regestis Roberti *Mignon* in vigilia S. Georgii. Insequenti cum Petro Textoris delegatus fuit 1318. ut interrogaret Fr. Bernardum Delitiosi. Præsens adfuit consiliis pacis inter regem Franciæ & comitem Flandriæ ineundæ an. 1319. Guillelmo 1319. concessit indulgentias Johannes XXII pro capella B. Mariæ Deauratæ anno 1322 Martii 1. 1322. Ad preces cardinalis S. Mariæ de Aquiro admissus est 21 Nov. anni ejusdem ad clientelare jusjurandum decreto Caroli regis. Monialibus B. Mariæ ad moniales benedictionis a quocumque episcopo catholico recipiendæ facultatem Camusat, 197. indulsit Avenione 9 Febr. 1324. Translatus 1324. ad Dolensem ecclesiam ex regesto Roberti *Mignon*, cameræ apostolicæ promisit 24 Apr. anni ejusdem ex regestis Vaticani.

LXVII. Johannes III. — de Cherchemont,

De Johanne jam diximus in Ambianensibus. Ex decano S. Germani Autissiodorensis apud Parisios, ubi nos latuit, electus Trecensis annum agens 24 cameræ apostolicæ promisit die 11 Maii 1324 ex regestis Vaticani. De eo quoque lego in instrumentis litis inter eum & capitulum Ambianense: *Item ponit & probare intendit* (procurator capituli Ambianensis) *quod eodem domino Johanne detinente decanatum præfatum S. Germani Paris. vacante episcopatu Trecensi per mortem tunc ultimi Trecensis episcopi, idem dominus Johannes se eidem ecclesiæ præfici & ad ipsam Trecensem ecclesiam promoveri procuravit & fecit eamdemque ecclesiam Trecensem & episcopatum præfatum per certum tempus, videlicet per tres annos & ultra tenuit & disposuit pro suæ libito*

* Sedes Trecensis vacat anno 1316 in charta Arremarensi.

ANNI CHRISTI

voluntatis & tunc minor erat novem-decim annorum ætatis suæ. Verum quidem est non mortuo, sed translato Guillelmo successisse Johannem, quod latere potuit procuratorem capituli Ambianensis, sed reditibus episcopatus Trecensis potiri jure potuit ab anno 1324 ad 1327 quo ecclesiæ Ambianensis iniit possessionem. Nam in diario thesauri ad diem 10 Febr. 1326 nunc 1327 sic legitur: *Episcopus Trecensis quondam dominus* Cerchemont *pro medietate sua financiarum factarum per Baillivum ibi & magistrum Johannem de Borbonio commissarium super financiis usuris & aliis in dicta baillivia cum clericis usurariis dictæ bailliviæ non.... rusis tempore quo idem Johannes erat ibi episcopus eidem reddita per dictos commissarios per literas de mandato IIII*^{xx}.lt *Paris. Idem episcopus pro eodem & per easdem literas pro tertia parte sua financiarum omnium aliorum usuariorum dictæ baillivia LIII.*lt *VI.*s *VIII.*d *valentes XLII.*lt *XIII.*s *IV.*d Ac proinde cum
1325. Trecensis episcopus esset Johannes an. 1325, ipse est, non sequens, qui Parisiensem Cartusianorum ecclesiam consecravit VI cal. Julii hujus anni. Verum sequenti translatus est ad Ambianensem ecclesiam, ut diximus tom. X. col. 1192.

D'AUBIGNY.

LXVIII. JOHANNES IV.

Ex abbate S. Martini ad Gemellos apud Ambianos & proto-præside in camera computorum Paris. Johannes electus Trecensis cameræ
1326. apostolicæ promisit mense Martio 1326 ex regestis Vaticani. Novum fieri monachum in monasterio Arremarensi ad preces Petri decani petiit a Girardo abbate 25 Januarii 1326
1327. (1327) indict. 10 an. XI Johannis XXII.
Camusat. Controversiam habuit cum abbatissa B. Mariæ
197. ad moniales quam arbitris dirimendam demandarunt mense Febr. qui sententiam dixere an.
1328. 1328. Adfuit 12 Februar. 1330 dedicationi
1330. ecclesiæ S. Ludovici Pissiacensis præsente Philippo VI rege ac frequenti episcoporum con-
Ib. 200. ventu. Comprobavit statutum divisionis fructuum & redditum præbendarum in castro suo de Aquis mense Junio. Testamentum condidit in domo episcopali de S. Leone die Martis post
1341. festum omnium Sanctorum 1341. Defunctus 6 Novemb. sepultus est in sacello S. Salvatoris Trecensis sub loculo nigri marmoris. De eo in necrologio Cartusianorum Paris. ad diem 6 Nov. *Obiit D. Johannes de Aubigneio episcopus Trecensis, qui dedit nobis in testamento suo medietatem suorum mobilium & alia multa bona nobis fecit.*

D'AUXOIS.

LXIX. JOHANNES V.

Johannis *d'Auxois* superioris cognominis & nepos Johannes vir nobilis e prosapia de Turnella in comitatu Nivernensi, in utroque jure peritus, canonicus Eduensis tum Trecensis ex cantore post 27 annos in ecclesia Trecensi exactos ad episcopatus apicem ascendit via S. Spiritus quæ a longinquis temporibus in Francia in ecclesiis cathedralibus effectum non habuerat. Electus
Ch. LXV. col. 291. adhuc Cellensi monasterium Oyense univit, sed sedes vacabat 3 Dec. 1341 quo rex mandavit

A regaliæ exceptori ut ecclesiæ Trecensi luminare traderet. Civitatem in suam consueta invehitur pompa an. 1342, redemitque palefredum super 1342.
quem intraverat a monialibus B. Mariæ ad quas jure pertinebat pro summa 60 librarum die Camusat. 204.
Martis ante festum S. Remigii. Transtulit 9 Augusti 1343 caput S. Berchari in monasterio 1343.
Dervensi. Cum archidiaconis transegit 16 Jan. Ibidem.
& 17 Novemb. anni ejusdem. Interfuit concilio Senonis habito a Guillelmo archiepiscopo 14 Martii anni nunc 1347. Postquam Trecensi 1347.
ecclesiæ annis 10 præfuisset, ad Autissiodorensem a summo pontifice translatus est an. 1352
B modo 1353 quo incepit regalia die Martis 1353.
post Dominicam Ramorum. Quamdiu autem Trecensem occupavit sedem, singulis annis Visitationis officium perfecte exercuit & officium episcopale tam in ordinum celebratione quam aliis indesinenter & in propria persona extitit exsecutus & ibidem cum magnis sumtibus corpus S. Syriæ transtulit & in altum collocavit honorabiliter in theca condecenti, ita scriptor Autissiodorensis.

LXX. HENRICUS.

DE POITIERS.

Aimaro Valentinensium comite & Sibilla de Baucio Francisci Andriæ ducis, Avellini comitis
C ac Margaritæ Tarentinæ principis nata, parentibus ortus Henricus, germanum habuit Guillelmum Lingonensem & Othonem Virdunensem episcopos. E Vapincensi translatus cameræ apostolicæ pro ea solvit 9 Dec. 1354 & pro Tre- 1354.
censi 8 Julii 1361. Electus confirmatus Tre- 1356.
censis ratam habuit fundationem ecclesiæ de Camusat. 422.
Lireio Sabbato 28 Maii 1356. Reperiuntur literæ quibus gubernator urbis ac baillivus Trecensis inscribitur, quibus forte dignitatibus a rege insignitus fuerat propter Anglos qui Campaniæ provinciam infestabant, quos militari robore præditus conserto sæpe prælio profligavit
D an. 1358, eorumque impetus fregit cum comite 1358.
de Vaudemont domino de Joinvilla. Ejus tamen tempore Aquense castrum quod ad jus episcopi spectat, incendio ab Anglis est devastatum. Excepit homagium Johannæ de castro Villani an. 1362. Parisiis interfuit Henricus baptismo filii Caroli V regis anno 1368. Biennio post 1368.
testamentum condidit 21 Augusti 1370, quo 1370.
varia ordinavit legata. Hujus exsecutor Carolus Camusat.
de Pictavia Henrici frater & heres capitulo ra- 207.
tionem reddidit anno 1378, cujus ex residuis fundatæ certæ capellaniæ pro anima episcopi, qui
E defunctus 25 Augusti 1370, sepulturam acceperat in majori S. Petri ecclesia e regione summi altaris sub æneo cœnotaphio varia cælatura decorato, cui inscriptum hoc epitaphium: *Hic jacet nobilis & potens vir dominus Henricus de Pictavia olim Dei gratia episcopus Trecensis filius quondam nobilis & potentis principis domini Aimari de Pictavia comitis Valentinensis & Diensis, qui obiit in civitate Trecensi in suo hospitio vocato gallice* de la Montée *die 25 mensis Augusti anno 1370.*

LXXI. JOHANNES VI.

BRAQUE.

Nicolao Gallici ærarii quæstore genitus Johannes,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI
ecclesiæ Parisiensis canonicus, Trecensis electus A
dicitur 16 Novemb. 1370 in regestis ejusdem
capituli. Synodalia decreta in unum corpus coacervavit & admisit clientelare hominium Ogerii
1371. de Anglura pro terra sua 1371. Fatis cessit 1375
1375. *al.* 1374 die festo S. Laurentii 10 Augusti ut
ferunt acta capitularia, sepultus pone majus altare
sub tumulo olim æneo nunc marmoreo.

DE VILLIERS.

LXXII. Petrus I.

Oppidulo Villaris *les Herbices* decem a Tricassinæ urbe leucis oriundus Petrus, frater Nicolai
Camusat. 215. quem rex nobilem creavit mense Nov. 1372,
professione Dominicanus Trecensis, in academia B
Paris. doctor laureatus, verbi divini concionator
insignis & Carolo V regi a sacris confessionibus
ex Nivernensi ecclesia ad Tricassinam translatus
promisit & recognovit pro Johanne decessore
12 Octobr. 1374 ex regestis Vaticani, ubi
legendum forte 1375. Ecclesiam suam primo
1376. solemni ritu pedes invisit 29 Aprilis 1376 ob
Ibid. 268 & 217. præsentiam Philippi Burgundiæ ducis. Memoratur
26 Augusti anni ejusdem in chartis authenticis
D. de Gaignières. Præsulem Trecensem per 20
tantum menses gessit, quo tempore prædicatorum
suorum Trecensium cœnobium cellulis ædificiis
& ornamentis ditavit. Quatuor vero anniversaria C
in majore ecclesia instituit. Denatus 11 Junii
1377. 1377 humatur in ecclesia Dominicanorum e
regione ad dextram principis aræ, ubi lapidea
episcopi effigies supina cernitur juxta quam prostat
tabella continens epitaphium vetus gallicis rytmis
elucubratum, quod apud Camusatum reperies
214.

D'ARCIES.

LXXIII. Petrus II.

Ab oppidulo de Arceis Tricassinæ diœcesis
unde erat oriundus cognomen sortitus est Petrus,
Nicolaus ter dictus in regestis Vaticani. Nicolai
Autissiodorensis episcopi germanus & vicarius D
generalis, ex canonico Catalaunensi thesaurarius
S. Stephani Trecensis & in ecclesiastica curia
Trecensi cognitor juridicus, episcopus creatur
anno 1377. Cameræ apostolicæ promisit 14
1378. Maii 1378 & recognovit pro Johanne decessore
1379. 12 Maii 1379. Motam a tempore decessoris
sui de juribus in adventu episcopi litem a barone
de Meriaco uno e quatuor paribus episcopatus
Trecensis diremit concordato facto & confir-
1383. mato 1 Febr. 1383. Collegiatam S. Urbani
Ibid. 218. ecclesiam dedicavit an. 1389. Ambonis ecclesiæ
1389. primum posuit lapidem. Laudabiliter casteque
& integre in episcopatu per plures annos in E
Ibid. 220. omnibus versatus, testamentum condidit 18
1395. Aprilis 1395, in quo cognatos & propinquos
plures commemorat, in his Johannem de Arceis
ejus germanum, regi a consiliis, plurimaque
ecclesiis maxime pro anniversariis legavit. Obiit
Dominica Quasimodo 18 Aprilis, sepulturæ
illatus in odeo majoris ecclesiæ sub nigro marmore juxta tumbam Nicolai decessoris, prout
præscripserat.

DE GIVRY.

LXXIV. Stephanus.

Apud Givriacum Remensis diœcesis viculum
ortus & baptizatus Stephanus, indeque cognominatus, ex senatore Paris. Trecensis electus
promisit & recognovit pro Nicolao decessore
24 Julii 1395. Ecclesiam suam ingressus est
die Sabbati 2 Octobr. assistentibus archiepiscopo
Senonensi necnon præsidibus aliisque magnos
dies tenentibus ac maxima multitudine aliarum
gentium villæ Trecensis, accedensque ad ecclesiam
B. Mariæ ad moniales, ibi tota nocte pernoctavit.
Sententiam dixit anno 1398 de via cessionis 1398.
& substractionis tempore schismatis. Ogerum *de*
Sens Cellensem abbatem dixit 21 Oct. 1401, 1401.
rescissa monachorum electione. Legatum misit Camus. 30.
ad concilium Pisanum anno 1409. Concordatum 1409.
iniit cum parochis urbis, quod confirmatum in
majoribus diebus apud Trecas 12 Octob. anni
ejusdem. Suppressit an. 1411 unam de præbendis 1411.
ecclesiæ majoris ad alendos pueros symphoniacos
chori. Benedixit 20 Maii 1425 ecclesiam S. 1425.
Lupi. Excepit obedientiam abbatum Ripatorii,
Cellensis, S. Martini in areis & Bassi-fontis.
Testamentum condidit 26 Aprilis 1426, in Ibid. 228.
quo episcopis Trecensibus legat domos quas 1426.
habebat Parisiis in vico Bivriæ, ut dum irent
Parisios, haberent ubi possent reclinare & vineas
apud Arculium, nepotes & neptes commemorat
& multa facit legata. Appositus est ad patres suos
in cathedrali ex adverso majoris altaris cum hoc
epitaphio: *Hic jacet excellentis memoriæ Stephanus
de Givriaco Remensis diœcesis, quondam Trecensis
episcopus qui postquam annos 20 Parisius in regio
parlamento sedit, & in episcopali cathedra 31
gregem suum laudabiliter rexit, ætatis anno 92
spiritum reddidit Domino anno Domini 1426 die
Aprilis 26. R. I. P.*

LXXV. Johannes VII.

L'ÉGUISÉ.

Trecis natus Johannes parentibus Hugone
infectore & Guillelmeta, in artibus magister,
in jure civili baccalaureus & in canonico licentiatus, necnon Tricassinæ ecclesiæ canonicus,
adhuc archidiaconus ad concilium Basileense ab
universitate Paris. deputatus fuit. Post obitum Ibid. 234.
Stephani canonicorum calculis electus est episcopus 5 Junii 1426. Indulgentias concessit
visitantibus ecclesiam Bassi-fontis certis diebus
24 Novemb. 1428. Parisiis interfuit concilio
a Johanne metropolitano in collegio Bernardinorum convocato mense Martio 1429. Eodem,
ut scribit Amelgardus Leodiensis presbyter, in
historia Caroli VII. *Rex aggressus Trecas Campaniæ urbem consilio atque opera probatissimi &
sapientissimi viri M. Johannis Acuti, qui illius
urbis episcopalem cathedram tenebat & ecclesiastica
strenue ac nobiliter administrabat, in eam urbem
cum pace & lætitia est receptus;* hujusque memor Ibid. 235.
beneficii tam episcopum quam parentes, fratresque ac sorores eorumque progeniem nobilitate
donavit mense Martio 1430, quo anno Johannes 1430.
dedicavit 9 Julii ecclesiam Trecensem. Dedicavit quoque 10 Octobris 1437 ecclesiam S. 1437.
Exuperii Corboliensis de licentia Jacobi episcopi
Paris. Ad synodum Basileensem a rege legatum
fuisse auctor est Æneas Silvius, lib. I, cap. 2.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Huic Amedeus Lugdunensis archiepiscopus literis anno 1438 in hac synodo datis, mandavit ut
1438. de matrimonio dispensaret inter Petrum *Angelin* & Giletam diœcesis Trecensis cognatos, qui illegitimam contraxerant copulam. De exemtione
1440. contendit cum abbate Arremarensi an. 1440,
1441. & convenit 1441 quo monasterium visitavit. Eodem anno ab ipsis monachis Ripatorii administratio ei demandata est 18 Nov. Eodem incolis de Insulis & de Lustria de reliquiis B. Tanchæ virginis & martyris disceptantibus silentium imposuit. Defunctus Parisiis 3 Augusti
1450. 1450, Trecas relatus est & sepultus in sacello S. Salvatoris sub æneo tumulo, cui hoc prostat epitaphium gallicum sic latine versum: *Hic jacet cadaver prudentissimi & nobilis domini magistri Johannis* l'Éguisé, *quondam episcopi & nati de Trecis, quam ecclesiam administravit laudabiliter per 24 annos usque ad 3 Augusti 1450 quo decessit Lutetiæ, & corpus inde elatum subtus sepelitur.*

Camusat, 257. Ibid. 337.

LXXVI. Ludovicus I.

Raguier.

Filius erat Ludovicus Amedei Isabellæ Bavaræ Caroli VI regis sponsæ, ærario præfecti, quæ Amedeum secum e Germania in Galliam adduxit, & amplissimis facultatibus auxit, qui cum uxore in ecclesia Albellorum-mantellorum Parisiis sepultus est. Ludovicus autem ex canonico Parisiensi & Trecensi, via electionis episcopus subrogatus, & a Ludovico Senonensi archiepiscopo confirmatus regi juravit fidem 3 Dec. 1450, qui provisus tantum legitur per obitum Johannis x calend. Januarii in regestis
1461. Vaticani. Concilio Senonensi adsuit an. 1461, quo anno vicarii ejus generales visitarunt capsam S. Syriæ. A Ludovico XI cum aliis ad Leo-
1467. dienses missus est an. 1467, quos ab eorum episcopo avocarunt. Reliquias S. Lupiani anno
1469. 1469 & S. Frotberti anno 1470 transtulit.
1470. Officialis & exsecutor testamenti sui dicitur a Johanne Juvenali *des Ursins* Remensi archiepis-
1472. copo 18 Sept. 1472. Benedixit an. 1474 in
1474. vigilia S. Andreæ Hermanum *le Moine* abbatem S. Victoris in ecclesia Paris. Assensit an. 1481,
1481. ut parochia S. Saviniani capitulo uniretur. De mandato regis Franciæ, corpus Fr. Johannis Gandavensis S. Claudii eremitæ e terra levavit
1482. 13 Nov. 1482. Ecclesiam suam multis muneribus locupletavit, & reliquiis Sanctorum variaque supellectile sacra necnon ædificiorum structura honestavit. Denique ætate simul & onere fessus, Jacobo ex fratre nepoti pontificale munus
1483. transmisit an. 1483. Biennio post testamentum condidit 28 Apr. 1485, cujus clausulas refert Camusatus, p. 239. Defunctus 1488 conditur terræ juxta altare majus cathedralis sub ænea tumba, cui inscriptum epitaphium quod latine sic sonat: *Hic jacet reverendus pater in Domino nobilis dominus Ludovicus* Raguier *episcopus hujus ecclesiæ, imperante christianissimo principe Carolo rege Franciæ septimo hujus nominis. Fuit senator in parlamento, deinde præses in curia juvaminum Lutetiæ, qui obiit 19 Augusti 1488. Animam* A *ejus possideat Dominus.* De eo in martyrologio ecclesiæ Parisiensis legitur: XIII cal. Sept. obitus R. P. Ludovici Raguier episcopi Trecensis, quondam hujus ecclesiæ canonici, qui suis sumtibus demta materia fecit reparare organa hujus ecclesiæ, quæ multis & magnis indigebant reparationibus, & dedit ultra manualiter centum scuta auri fabricæ, &c.

Ibid. 393. Ibid. 324.

LXXVII. Jacobus.

Raguier.

Ludovici ex fratre nepos Jacobus, filius quippe Antonii *de Thionville* & Jaquettæ Budeæ, legum doctor, canonicus Parif. per cessionem B patrui Trecensis electus III non. Dec. 1483, cameræ apostolicæ promisit & solvit 30 mensis ejusdem *. Regi juravit fidem 11 Januarii 1484. 1484.
Bullis donatus in capitulo lectis 27 Februarii. Postridie solita pompa ecclesiam suam invisit, & die 3 Apr. ejus præbenda in ecclesia Paris. Petro *de Refuge* collata fuit. Convenit anno
1485 ad concilium Senonense. Anno eodem 1485.
a patruo Ludovico dictus est testamenti sui exsecutor. Reliquias cœnobii Bellilocensis perlustravit an. 1490. Transactionem iniit cum 1490.
canonicis 15 Aprilis 1496, cujus exemplar 1496.
exstat apud Camusatum, p. 240. Eodem anno C de licentia episcopi Lingonensis dedicavit ecclesiam Franciscanorum de Tanlayo 22 Septembr. Caput S. Lupi in aliam thecam transtulit 6 Apr.
1505. Monasterium Paracliti in muris & cra- 1505.
ticulis reformavit anno 1509. Nepotum in 1509.
gratiam cessit commendis Arremari & S. Jacobi
Pruvinensis anno 1515. Nicolaus Bona-spes 1515.
Jacobo dicavit novam editionem Sophologii
Jacobi magni an. 1516, eumque commendat 1516.
de nobilitate generis. Sacra quædam officia in cathedrali annuatim celebranda instituit. Defunctus an. 1518, quiescit in ecclesia majore 1518.
D Trecensi juxta patruum sub æneo loculo cum hac inscriptione latine reddita: *Hic jacet Reverendus pater in Deo nobilis dominus Jacobus* Raguier, *quondam episcopus Trecensis & administrator perpetuus abbatiarum Arremarensis & S. Jacobi Pruvinensis, qui excessit 14 Nov. 1518.*

Camusat, 153.

LXXVIII. Guillelmus II.

Petit.

De Guillelmo jam diximus in ecclesia Silvanectensi, ad quam e Trecensi translatus est. Hanc autem privato suffragiis electionis capitulo virtute concordatorum adeptus est auctoritate regis, qui audita Jacobi morte nullaque E habita juris canonicorum ratione literas ad summum pontificem dedit in gratiam Guillelmi ejus confessarii, cui ne æmulum opponerent, canonicos primo monuit 20 Nov. iterumque 7 Decembris sequentis datis ad delegatos literis. Ab electione interim abstinuerunt canonici, quibus confirmatum 24 Januarii 1519 a summo 1519.
pontifice Guillelmum per episcopum Castrensem aliosque rex significavit 10 Febr. quibus denique quartis gratias egit literis 4 Maii, quas ex archivo capituli descripsit Camusatus, p. 243

* Johannes *Verne*, Trecensis idibus Junii 1483 in libro obligationum Vaticani.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

& seq. quod episcopum admisissent, rogatque A ut procuratores ejus in possessionem inmittant, quia eum ad conciones coram se quadragesima illa habendas aliaque negotia detinebat. Igitur magister Odardus *Hennequin* presbyter, ordinarius regis eleemosynarius, Trecensis canonicus, Guillelmi nomine possessionem iniit die Jovis 10 Martii 1519. Posteraque die sigilla curiæ episcopalis generalibus Guillelmi vicariis concredita sunt & consignata, & 30 Martii residua ex sigillis emolumenta recenti episcopo adscripta fuere. Eodem anno Guillelmus ex inquisitore generali destinatus a rege archiepiscopus Bituricensis passus est repulsam. Trecensis autem episcopus de cathedralis ecclesiæ B decore ejusque sacrario vasis ac vestibus sacris instruendo sollicitus fuit, necnon de pastoralis curæ & diœceseos regimine administrando. Interfuit concilio Senonensi, in quo peroravit vir multijugæ eruditionis. Non enim in philosophia tantum, sed in omni disciplinarum genere versatissimus fuit, unde nec immerito a Claudio Seissello in vita Ludovici XII regis prædicatur.
Canonicos hujus ecclesiæ episcopi jurisdictioni
Camuzat. 125. non subjacere, sed ab ea prorsus exemtos esse & immunes suis peculiariter agnovit literis an.
1524. 1524, quo civitatem media plus parte 25 Maii C ignis absumsit. Episcopo Parisiensi in ecclesia S. Maglorii Guidonem Magarensem episcopum
1526. consecranti 24 Junii 1526 adstitit Guillelmus, qui cum episcopo Silvanectensi permutavit anno
1527. 1527, ut diximus tom. X. col. 1441.

HENNEQUIN.

LXXIX. ODARDUS.

E Silvanectensi ad Trecensem patriæ episcopatum permutationis gratia traductus 1527
Ibid. 255. Odardus, qui & Odoardus, possessionem adeptus
1528. est die Dominica 29 Martii 1528. Abbas S. Lupi, S. Martini, Bassi-fontis & de Virtute, prior Joviniaci, S. Sepulcri & Cellæ opulentas D sacerdotiorum pecunias exstruendis ac sarciendis episcopatus ædificiis & operibus piis impendit.
1544. Animam exhalavit 13 Nov. 1544, ætatis 60, humatus die 14 in ecclesiæ medio navi sub æneo sepulcro.

DE LORRAINE.

LXXX. LUDOVICUS II.

Adolescens 18 annorum Ludovicus, a Francisco I nominatus, administrator in spiritualibus & temporalibus Trecensis ecclesiæ per obitum Odardi, donec ætatis annum 27 attigisset, a Paulo III summo pontifice creatus est bulla
1545. data v id. Maii 1545, & possessionem adeptus E
Ibid. 249. est 13 Julii per procuratorem G. Juvenis ecclesiæ Trecensis canonicum. Quinquennio post, permutavit cum Antonio abbate S. Victoris Paris.
1550. & transiit ad Albiensem 27 Junii 1550 ex regestis Vaticani, dictus postea cardinalis Guisius. Quandiu autem Trecensem tenuit, vices gerentem seu suffraganeum habuit Andream *Richer* episcopum Chalcedonensem, qui ecclesiam de Rumiliaco dedicavit 20 Sept. 1549.

ANNI CHRISTI

DE MELPHES.

LXXXI. ANTONIUS.

Johannem Caracciolum principem Melfitanum in regno Neapolitano, Franciæ marescallum & Subalpinæ regionis sub rege Francisco I proregem parentem sortitus est Antonius, qui eum liberalibus disciplinis imbuendum ad ætatis annum 18 eruditissimis præceptoribus tradidit. Antonius vero cum custode remoto manum ferulæ subduxisset, palatinam aulicorum vitam sectaturus ad ejusdem Francisci regis aulam se contulit. Sed deficientibus ad expensas necessarias facultatibus aulæ pertæsus, in Phocensem provinciam concessit, ubi aliquandiu austeram & solitariam egit vitam, eo in loco ubi B. Magdalenam illustre pœnitentiæ specimen tradidisse fama est. Inde in Cartusiam Parisiensem secessit; sed antequam tirocinium religionis explevisset, posita cuculla in Victorinum cœnobium se contulit an. 1538, cujus regularis abbas an. 1543 a rege nominatus, cum religiosis litigavit. Inde tædio affectus, inquietus homo abbatiam suam Ludovico *de Lorraine* cessit an. 1550, a quo vicissim Tricassini episcopatus jura accepit, dictus electus Trecensis per cessionem Ludovici 5 Octobr. 1551 in regestis 1551.
Vaticani. Inauguratur antistes in sacello infirmorum S. Victoris Dominica 15 Nov. anni ejusdem. Duodecim post dies Henricus II rex literas ad canonicos Trecenses dedit 27 Nov. ut ne Antonium barbam prolixam resecare cogerent, quæ necessaria ei erat pro quibusdam negotiis extra regnum. Ecclesiam suam more *Camuzat. 261.*
majorum ingressus est die Dominica 13 Dec. ejusdem anni. Praeclaris animi dotibus præditus hic præsul & verbi divini prædicatione conspicuus, primum inclaruit, unde & a Joachimo Bellaio celebri poëta tergeminæ facundus linguæ munere laudatur. Verum vix factus episcopus a fide catholica defecit; sed cogente populo Trecensi in suggesto parochialis ecclesiæ S. Johannis in foro hæresim palam ejuravit Dominica Sexagesimæ 1552. Postea vero ad vo- 1552.
mitum reversus, in ædibus Hieronymi *Girardin* in tributario foro Trecensis judicis, prope cimeterium parochialis ecclesiæ S. Magdalenæ, in vico qui dicitur *des Lorgues*, ubi conventicula agebant novatores, iterum fidei catholicæ nuncium remisit, vir quamdiu episcopatum Trecensem tenuit modo catholicus modo hæreticus. Ecclesiam B. Mariæ de Prato dedicavit 14 Febr.
1554. Triennio post Romam concessit anno 1554.
1557, specie quidem Pauli IV summi pontificis 1557.
sibi cognatione conjuncti invisendi, re autem vera ad purpuram aliquodve insigne beneficium impetrandum. Verum spe delusus sua, Gallias ocius repetit. In regressu Genevæ aliquandiu commoratus Calvini & Bezæ familiarissima usus est consuetudine, & jam tum cœpit a recto fidei tramite deflectere & ad novas sectariorum opiniones sese convertere non quidem palam & aperte, donec ad calamitosa Caroli IX tempora pervenisset, quo impubere fore sibi promittebat ut insignis aliqua mutatio in regno fieret, hancque

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

viam sibi expeditam esse ad rem domesticam augendam ampliore sque facultates novis accessionibus cumulandas. Tunc enim publice hæreticæ pravitati nomen dedit, quin & in ipsa ecclesia Trecensi sectariorum dogmata pro concione tradidit & professus est, & impius Calviniani erroris minister effici voluit. Solemni ingressui Philippi *de Lenoncourt* Autissiodorensis episcopi astitit 8
1560. Dec. 1560. Insequenti, abjectis episcopalibus infulis, retenta tamen annua 4500 librarum pensione, novatorum se antesignanum præbuit
1561. an. 1561 Gallicanæ ecclesiæ gravissimo scandalo. Nominatur inter præsules qui anno 1563 ab inquisitoribus citati sunt, ad eluendum crimen hæreseos Romæ coram summo pontifice. Ut ut sit paucis post annis, milesne an pœnitens apud Castellum-novum diœcesis Aurelianensis oppidum Corneliæ sorori a rege donatum, exstinctus est sub finem anni 1569, humatusque in ecclesia hujus loci.

§ Nescio autem quis sit Fredericus Cornelius præceptor præceptoriæ S. Johannis Jerosolymitani insulæ Cypri, factus episcopus Trecensis per obitum ultimi episcopi, 27 Martii 1560 in regestis Vaticani.

DE BAUFREMONT.

LXXXII. CLAUDIUS.

Claudio *de Baufremont* & Antonia *de Vienne*, ex nobilissimo utroque stemmate parentibus natus Claudius abbas Aceii, Balernæ & Longivadi, necnon thesaurarius Lingonensis aut Turonensis, sub pacto pensionis solvendæ Antonio ad hæreticorum partes deficienti, Trecensis episcopus a rege nominatus 17 Febr.
1562. 1562, confirmatur a Pio IV III non. Martii
Camus. 251. pontificatus an. 3, qui electus adhuc Trecensis per cessionem Antonii Caraccioli legitur 16 Dec. 1562 in regestis Vaticani. Nicolaus *de Villemor* in legibus licentiatus, parochus in urbe
1563. Trecensi, capitulo præsentavit 9 Martii 1563 bullam provisionis de regimine Trecensis ecclesiæ Claudio concessam, qui solemni more in ecclesia
Idem, 262. exceptus 23 Maii ibidem, consecratus est die sacra Virginis assumptæ a suffraganeo Bisontinensi, Carolo *d'Escars* Pictaviensi & Nigropontino præsule suffraganeo Lingonensi. E vivis
1593. exemtus 24 Sept. 1593, ætatis 64. Jacet in sacello Sceyi ad Ararim, quod est oppidum Baufremontiæ gentis in Sequanis seu Burgundiæ comitatu, cum corpus ejus propter civilium bellorum æstus referri Trecas non potuisset.

§ Post obitum Claudii, Henricus IV nominavit 29 Septembris 1593 Renatum *Benoist* Andegavensem, doctorem ac decanum facultatis theologicæ Parisiens. parochum S. Eustachii in eadem urbe, regique a lectionibus, concionibus & confessionibus, qui inter theologos doctores subscripsit instrumento universitatis Paris. qua Henricum IV regem agnoscunt die Veneris 22
1594. Apr. 1594, eique jurant obedientiam. Ecclesiæ Trecensis possessionem nactus 3 Maii sequentis, fructibusque potitus est ad annum 1604; sed quia legato apostolico contrarius erat, ejusque opera usus non fuerat ad Henricum IV reducendum, institutionem pontificiam obtinere nequivit, sedesque toto hoc tempore vacasse legitur in regestis legati. Renatus itaque an. 1604 1604.
jus suum cessit in manibus regis, obiitque 9 Maii 1608 post adimpletum per quadragesimas 50 prædicationis onus.

DE BRESLAY.

LXXXIII. RENATUS.

Ecclesiæ Andegavensis canonicus majorque archidiaconus Renatus, necnon in eadem urbe abbas SS. Sergii & Bacchi, per cessionem Renati regia donatus scheda, & a Paulo V summo pontifice creatus episcopus Trecensis, inauguratur mense Octobri 1604, possessionemque per procuratorem adiit 20 Sept. 1605, ipse vero 1605.
solenni more 23 Octobris. Capsam S. Mastidiæ *Camus.* 265.
aperuit 20 Maii 1606 sabbato in vigilia SS. 1606.
Trinitatis anno episcopatus I. Synodo Parisiensi adfuit 13 Martii 1612, ubi damnatus liber 1612.
Edmundi *Richer* de ecclesiastica & politica potestate. Generalibus cleri comitiis Parisiis a clero Balliviatus Trecensis deputatus adstitit an. 1614 1614.
& 1615. Hoc ultimo Henrico Paris. episcopo 1615.
Guillelmum Regensem episcopum consecranti adfuit. Consecravit ipse cum Ambianensi & Sagiensi episcopis Guidonem *Champion* Trecorensem episcopum anno 1620. Insequenti per- 1620.
mutavit cum sequenti, & sponte cessit. 1621.

Jacobus *Vignier* Jacobi in sanctiore consistorio consiliarii, baronis de Riceio, de Villamauri & de S. Liebaudo in Campania, ex Maria *de Mesgrigny* filius, prior S. Martini a campis & B. Mariæ de Argentolio, permutatione cum Renato facta ejusdem successor designatus anno 1621, præmoritur an. 1622 Romæ. In cathedrali Trecensi S. Petri, ad columnam sub lamina cuprea hac inscriptione insignitus est: *Sacrum æternæ memoriæ Jacobo Vignier doctori theologo Parisiensi, nominato episcopo Trecensi, priori commendatario S. Martini a campis & B. Mariæ Argentoliensis, castissimo moribus, amœnissimo ingenio, nobilissimo gene, ditissimo sacerdotiis, doctissimo utraque lingua, literatissimo divina & humana scientia, sapientissimo supra ævum & ætatem, qui raro tot dotium consortio, paulum vicenario major, raptus simul & ostentatus orbi est, adeo præcox fatum omnia dedit & rapuit. Is intra supremum vitæ biennium quatuor publicis & nominatissimis actibus omnia theologiæ mysteria evolvit & exhausit in schola Parisiensi, & ibi Galliam nominis sui stupore implevit, e cineribus Johannis Pici redivivus phœnix. Eadem cum illo olim meditatus Romam venit, sed heu! Post sesquimensem adventus didicit homines hic mori. Sub dies supremi morbi doctor theologus Paris. renunciatus est, quod uni usquam omnium hominum adolescenti & absenti, ob singularis ingenii miraculum concessum est. Interfuit augustæ quinque sanctorum apotheosi sub Gregorio XV pontifice, & statim morbo letali recumbens, occubuit postridie Paschæ, resurrectionem cogitans, anno M. D. XXII. Vixit annos XXII menses III indole maturus, funere acerbus spem magis quam rem fruendam præbuit urbi & orbi. Pio erga carissimum filium affectu mæsti parentes posuere.*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Nicolaus *de Mesgrigny* avunculus, ratus episcopatum per obitum Jacobi *Vignier* nepotis vacasse, regio quidem diplomate designatur præsul, sed cui contradixit Renatus *de Breslay*. Convenit itaque inter eos sub debito pensionis annuæ, pauloque post defunctus Nicolaus tumulatur in cathedrali juxta Jacobum nepotem, cum sequenti epitaphio: *Deo sacrum & piis manibus, Nicolao* de Megrigny *nobili & in præfectura Calvimontium & Tricassium per avitos fasces illustri familia nato, regi christianissimo Ludovico XIII a consiliis, piarum & sacrarum largitionum comes, eleemosynarius per octennium fuit; quo in munere gratiam principis ample demeritus, singulari ipsius judicio & nominatione factus est abbas & dominus S. Mauricii Blasimontis in Aquitania, & post acerbam mortem incomparabilis juvenis D.* Vignier, *ex sorore nepotis, designatus est Trecensis episcopus. Verum ita volentibus fatis, tum avunculus, tum nepos, invidiam a se formidandæ dignitatis amolitus maluit spoliari quam supervestiri. Itaque sub pontificiis merito vixit canonicus insignis hujus ecclesiæ, & prior S. Gondulfi ad Ligerim. Is supremo vitæ biennio, dum regi & regno ptochodochiis Castrensibus in obsidione Monspessulana sedulo inserviret, gravem contraxit morbum, & deinceps nusquam bene confirmata valetudine, lenta paralysi afflictus, annos æternos in mente habens, obiit Trecis 24 Januarii anno 1624, ætatis 30, & elegit in hac matrice ecclesia domum æternam. H.* de Megrigny *mærens frater posuit amoris monumentum æterni.* Sub tumba marmorea tumuli legitur: *Hic jacet Nicolaus* de Megrigny *resurrectionem expectans, obiit 24 Januarii anno 1624.*

Renatus ergo via regressus, procurationem episcopatus iterum assumsit. Huic Dionysius *le Blanc* vicarius generalis episcopi Paris. licentiam
1622. dedit 25 Julii 1622, benedicendi cœmeterium monialium Calvarii in suburbio S. Germani. Gravis annis Renatus, sollicitudinis in
1636. partem adscivit an. 1636 Franciscum sequentem, plenusque dierum, decessit Trecis 2 Nov.
1641. 1641, ætatis 84, sepultus in cathedralis sacello S. Salvatoris.

Renato sedente, Trecis admissi Jesuitæ anno 1610, missi sunt an. 1624. Eodem, Capucini instante Carolo Gonzaga, duce Nivernensi & Mantuæ, in suburbiis inducuntur. Carmelitarum virginum conventus Incarnationis stabilitur 13 Sept. 1620. Congregationis oratorii D. Jesu sacerdotes possessionem ineunt ptochodochii S. Spiritus 11 Octobr. 1622, probante rege & annuentibus majore eleemosynario, civitatis communia ac capitulo S. Petri. Iisdem anno 1630, rege tum apud Trecas existente, donatum collegium cognominatum Trecopithœanum dotatore Francisco Pithœo viro clarissimo doctissimoque, qui una cum Petro ipsius germano quiescit in sacello Passionis apud Franciscanos Trecenses. Ursulanæ virgines in urbem inducuntur 14 Aprilis 1628. Eodemque anno, mense Nov. moniales Congregationis B. Mariæ. Carmelitæ suburbii de Croncellis in conventu B. Mariæ de Pietate 18 Julii 1630; moniales Visitationis in suburbiis admittuntur 1633, & Missionarii in eodem suburbio de Croncellis 1638 dotantibus ex parte Renato episcopo & Natali *Brulart de Sillery* ordinis Jerosolymitani equite.

LXXXIV. FRANCISCUS.

MALIER DU HOUSSAY.

Claudii Tarbensis episcopi germanus Franciscus abbas S. Petri Melodunensis, coadjutor a Renato accitus, episcopus Augustopolis cum futura successione, summo pontifici fidem juravit 1 Julii 1636 Parisiis in manibus Octavii *de Bellegarde* archiepiscopi Senonensis, a quo Dominica 6 eorumdem mensis & anni ibidem consecratur apud Cœlestinos, assistentibus Carnotensi & Meldensi episcopis, præsentibusque nuncio sedis apostolicæ & aliis Gallicanis præsulibus. Solemnem ingressum Trecis celebravit 5 Aprilis 1642, ac triennio post Lutetiam 1642.
convenit ad generalia cleri Gallicani comitia annis 1645 & 1646. Hoc ultimo, adstitit consecrationi Gilberti episcopi Convenensis, 1645.
Jacobi Encolismensis 1637, eodemque anno 1646.
Petri Lucionensis. Claudium germanum Tarbensem episcopum Parisiis consecravit Dominica 25 Aprilis 1648. Jacet in choro ecclesiæ 1648.
Trecensis cum hoc epitaphio. *Hic jacet reverendissimus in Christo pater D. D. Franciscus* Malier, *Trecensis episcopus* LXXXV, *qui obiit* XI *Octobr. ætatis* LXXV, *anno vero a Verbo Incarnato 1678, a consecratione 44.* 1678.

Cor ejus ad moniales Visitationis B. Mariæ conditur cum hac inscriptione: *Hunc intra parietem exultat in Deum vivum Francisci* Malier du Houssay, *Trecensis episcopi cor angustum seculo, quia Deo occupante magnum; cor sibi mortuum, quia in amata ecclesia animatum; cor facultatibus pauper, quia affectibus in pauperes dives; cor huic domui hæreditarium, quia paternam; cor virginum intra septa conclusum; quod virginum pectoribus virtutes jam dudum inseruerant. Felices virgines quæ convertuntur ad cor ejus, quod sit semper in manu Domini, qui salvos facit rectos corde. Dum anxiatur desiderio tui cor meum in petra exaltasti me.*

Funebrem Francisci *Malier* orationem adornatam a Nicolao *Denise* canonico & præcentore Trecensi typis mandatam Trecis consulere possunt, qui plura de eo scire voluerint.

LXXXV. DIONYSIUS-FRANCISCUS I.

BOUTHILLIER.

Leonem *Bouthillier*, comitem *de Chavigny*, regi a secretis & commentariis ejusque ordinum thesaurarium, & Annam *Phelipeaux* parentes habuit Dionysius-Franciscus, qui doctor Sorbonæ, regi ab eleemosynis, abbas Ungiaci & Sigilleriarum, prior Bellimontis & Chosiaci, doctrina præcipuus & utriusque juris præsertim peritissimus, episcopus Redonensis primum tum Trecensis a rege designatus mense Octobri 1678, consecratur Parisiis in sacello Institutionis sacerdotum Oratorii an. 1679 die Dominica *Quasimodo* ab archiepiscopo Senonensi. De licentia 1679.
Paris. archiepiscopi benedixit 22 Aprilis Juliam

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Bouthillier abbatissam Issiaci in ecclesia de Triangello; ecclesiæ suæ possessionem iniit 18 Mai anni ejusdem. Abdicavit in gratiam nepotis an.
1697. 1697, & secessit in seminarium; majoris quoque solitudinis amore cellulam sibi construxit in Trecensi Cartusianorum monasterio. Sed tandem Parisios reversus, factus est comes Consistorianus Rege ætatis minore, donatusque commenda Vallis lucentis exeunte Nov. 1730. Tandem annos natus 89 Parisiis moritur 15 Sept. 1731, ibique in parochiali S. Cosmæ ecclesia sepelitur.

LXXXVI. Dionysius-Franciscus II.

Bouthillier de Chavigny.

Superioris ex fratre nepos Dionysius-Franciscus, filius quippe Armandi-Leonis *Bouthillier*, comitis *de Chavigny*, magistri requæstarum, & Elisabethæ *Bossuet*, doctor sorbonicus, per cessionem spontaneam patrui, cujus erat vicarius generalis, episcopus Trecensis & abbas Ungiaci à Rege designatur 22 Aprilis 1697. Inauguratur in sacello seminarii S. Sulpicii ab archiepiscopo Senonensi, assistentibus Cabilonensi & Forojuliensi episcopis, 20 April. 1698, possessionemque 1698.
iniit 16 Maii. Adfuit 1 Junii 1699 cœtui 1699.
Cleri provinciæ Senonensis, jubente christianissimo rege, habito ad consensum præbendum constitutioni Innocentii XII, qua condemnavit librum archiepiscopi Cameracensis inscriptum; *Explication des maximes des Saints*, &c. Anno sequenti missus est à comitiis provinciæ suæ ad comitia generalia apud fanum S. Germani in Laia, ubi delectus est ad salutandam reginam Angliæ. Multum laboravit ut sarta-tecta suæ ecclesiæ, quæ
1700. igne cœlesti conflagrarat die 8 Octob 1700, procuraret: hoc incendio consumta sunt campanile intra chorum & navem ecclesiæ super materiariam structuram erectum altitudine 150 pedum, deinde omne tectum ligneum, postremo plerique fornicum. Statuta synodalia edidit anno
1707. 1707; Marguaritam-Elisabetham *de Chavigny* abbatissam Clareti germanam suam benedixit
1708. ultimo Septembris 1708; adstitit 1710 gene-
1710. ralibus cleri gallicani comitiis, in quibus decretum ut novæ galliæ christianæ cudendæ provincia Benedictinis congregationis S. Mauri demandaretur. Idem ab hoc augustissimo cœtu delectus est, qui in fine comitiorum totius cleri nomine christianissimo regi gratias ageret, quod summa cum eloquentia præstitit. Fuit abbas S. Lupi Trecensis, Mortuimaris & Vallis lucentis, denique traductus ad metropolim Senonensem, ineunte Februario 1716. 1716.

LXXXVII. Jacobus-Benignus.

Bossuet.

Antonii *Bossuet*, magistri requæstarum & renatæ *Gaureaul du Mont* filius Jacobus-Benignus, nepos que famosi illius episcopi Meldensis cognominis, abbas S. Luciani Bellovacensis, in locum N. *de Castres* deprecantis à rege suffectus episcopus Trecensis 7 Martii 1716, Parisiis inunctus est 31 Julii 1718 in sacello archiepiscopi a 1718.
Cardinali *de Noailles*, assistentibus Autissiodorensi & Abrincensi episcopis. Regi fidem juravit 14 Aug. anni ejusdem; cessit ineunte anno 1742, 1742.
Parisiisque obiit 12 Julii 1743, annos natus 82.

LXXXVIII. Mathias.

Poncet de la Rivière.

Sagiensis episcopi vicarius generalis Mathias, per cessionem Jacobi Benigni a rege designatus mense Aprili 1742 inauguratus est 2 Sept. ab archiepiscopo Senonensi, regique fidem juravit die XI ejusdem mensis & anni; factus est postea magister sacelli regis Poloniæ ducis Lotharingiæ. Adeptus est abbatiam Montisburgi 3 Julii 1745, quam cum Petro *Desmarets* permutavit pro abbatia sancti Benigni Divionensis 27 Martii 1758. Eodem anno ab episcopatu Trecensi se abdicavit.

LXXXIX. Johannes-Baptista-Maria.

Champion de Cicé.

Vicarius generalis Bituricensis archiepiscopi Johannes-Baptista-Maria Rhedonensis, abbas commendatarius Landevenechi in Armorica ab anno 1745, in locum Mathiæ a rege suffectus, inauguratur Romæ a Clemente XIII summo pontifice die 3 Septembris 1758 in sacello Paulino palatii Quirinalis, assistentibus Constantinopolitano & Alexandrino patriarchis. Traductus ad Autissiodorensem ecclesiam 8 Januarii 1761.

XC. Claudius-Mathias-Josephus.

de Barral.

Gratianopoli natus die 6 Septembris anno 1716; regi ab eleemosynis, factusque abbas commendatarius S. Geraldi Auriliacensis anno 1752; nominatus episcopus 8 Januarii 1761, inunctus 29 Martii, regi sacramentum dixit die 20 Aprilis ejusdem anni.

DECANI TRECENSES.

Ut in aliis plerisque, ita in capitulo Trecensi primas olim tenuit præpositus, sed hac suppressa an. 1167 dignitate, ejus locum occupavit decanus. Fuere tamen antea decani, sed qui ad institutum non pertinent nostrum, ut pote tunc præpositis postpositi. Aliquot præpositorum nomina sequetur decanorum qui a capitulo eliguntur catalogus.

Præpositi aliquot.

I. Eutropius præpositus S. Mauræ virginis Tricassinæ germanus, cujus elogium ab eo rogatus scripsit Prudentius episcopus, circa annum 850. Illud habes apud Camusatum, pag. 40.

II. Stephanus 1075.

III. Normannus 1090.

IV. Reginaldus *de Montelhery* 1102, 1104, 1120, anno sequenti episcopus.

V. Odo 1125, 1126, 1128, 1137, 1140, 1147.

VI. Villelmus *de Champagne*, electus Carnotensis præpositusque Trecensis, præpositurae reditus capitulo cessit anno 1167, qua dignitate sic extincta, successere Camus. f. 122.

Decani.

DECANI.

I. PETRUS I Comestor vir seculo suo eruditione famosus, presbyter & decanus Trecensis annis 1147 & 1152, quo ultimo privilegium obtinuit ab Eugenio III; subscripsit literis extinctionis præpositurae anno 1167. De eo sic Petrus legatus ad Alexandrum III, epistola quæ est inter ejus papæ epistolas tertia. *Litteraturam & honestatem magistri petri manducatoris decani Trecensis, vos non credimus ignorare.* Is est sane Petrus ad quem Nicolaus Claraevallensis scribit epistolam 17, postulans ab eo mutuo epistolas domini Cenomanensis, haud dubie Hildeberti, quia volebat eas transcribere. Postea ecclesiæ Paris. fuit Cancellarius anno 1164; sed tranquillioris vitæ desiderio hoc munus abdicavit, secessitque ad S. Victorem Paris. an. 1173, ubi mortuus est an. 1179, ex chronico S. Mariani, *magistrorum Parisiensium primas, vir facundissimus & in scripturis divinis excellenter instructus, qui utriusque testamenti historias uno compagens volumine, opus edidit satis utile, satis gratum, ex diversis historiis compilatum*, cui utinam tot non inspersisset fabellas & opiniones ex philosophorum & profanorum scholis depromtas easque pro theologicis dogmatibus non vinditasset. Extant 80 sermones ejus nondum editi in Victorina apud Parisios bibliotheca, & in aliis etiam Anglicanis. Sepultus jacet apud Victorinos in capella S. Dionysii, cum hoc epitaphio:

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comestor,
Nunc comedor. Vivus docui, nec cesso docere
Mortuus, ut discat qui me videt incineratum,
Quod sumus iste fuit, erimus quandoque quod hic est.

II. Haicius qui & Bartholomæus *de Plancy* affinis,& Cancellarius Henrici Campaniæ comitis, necnon præpositus & canonicus S. Quiriaci Pruvinensis, decanus S. Stephani, decanus erat & S. Petri, quo tempore transactionem iniit cum capitulo S. Georgii, quam confirmavit Mauricius Paris. episcopus. Quatuor canonicos presbyteros ad altare B. Mariæ in ecclesia Trecensi fundavit anno 1182; bullam obtinuit a Lucio II datam Velletri IV cal. Martii confirmante statutum a M. quondam episcopo ratum ne extranei in majori altari ecclesiæ Trecensis missam celebrarent. Memoratur in charta Manassis episcopi anno 1184, controversiam habuit cum canonicis S. Lupi, quæ terminata est anno 1189. Factum sequenti diximus episcopum.

Camusat. 124.

Idem, 303.

III. Johannes I collationem quatuor præbendarum a decessore fundatarum episcopis Trecensibus una cum capitulo restitui assensit 1191 ex chartis capituli, ubi legitur anno 1194. Querelam habuit cum Th. abbate Arremarensi, quam a sede apostolica delegati judices Mauricius Paris. episcopus, G. abbas S. Victoris & Petrus cancellarius Paris. conciliarunt mense Novembri 1195. Johanni idem abbas domum ad vitam Trecis concessit anno 1198, ex chartis Arremari,

Camusat, 182.

A ubi reperitur adhuc 1199 mense Februario & 1200 mense Aprili, 1197 in chartis Ripatorii & 1199 episcopi Trecensis. Arbitro Michaële archiepiscopo Senon. transegit 1198 cum Theobaldo comite super justitia hominum suorum; fœminas permutavit cum Blancha comitissa anno 1202 sicut & 1203. Pepigit 1204 cum Henrico de Chenegeio super justitia viæria, &c. in tribus villis ecclesiæ Trecensis. Una cum capitulo dedit anno 1205 hospitali S. Nicolai unam sigillinis minam de qualibet præbenda. Camusat, p. 398.

IV. Milo I de Capella subscripsit donationi factæ monasterio Arremarensi a Theobaldo de B Chalnaunanilo & Ida uxore 1205, permutavit cum B. comitissa 1206 mense Aprili; benefecit xenodochio S. Nicolai 1208. Memoratur 1210 in chartis Vallis lucentis. Idem, 399.

V. Nicolaus permutavit cum B. comitissa annis 1211, 1212 & 1213. Legitur 1214 & 1218 in chartis Arremari.

VI. Stephanus I Legitur 1218 num. 3115 Bibliothecæ regiæ.

VII. Robertus paciscitur cum Blancha comitissa Campaniæ 1223 mense Augusto, inde fit episcopus, ut diximus.

C VIII. Milo II de S. Albino componit cum Th. comite Campaniæ 1224 die octava SS. Petri & Pauli sede vacante & 1225. Occurrit 1227 in charta de Cella, 1228 in chartis capituli & 1229 in tabulis capituli. Memoratur III non. Aprilis in necrologio Trecensi.

IX. Petrus II reperitur 1235 mense Januario in chartis Pontiniaci. Xenodochio Trecensi munificum se præbuit ineunte Aprili 1236. Idem, 400.

X. Radulfus de Rumiliaco decanus & officialis Trecensis 1242 & 1247 in chartis capituli, 1243, 1245 & 1250 in chartulario Cam- D paniæ; interfuit dotationi capellæ S. Vincentii in ecclesia S. Stephani 1254. R. adhuc decanus 1256 in charta Claraevallis.

XI. Guido I reditibus auxit sacellum sancti Johannis B. fundatum in ecclesia S. Remigii Trecensis. Obiit 31 Julii.

XII. Simon 1261 in charta Claraevallis, 1263, 1266 & 1268 in chartis capituli, IV Id. Maii in necrologio.

XIII. Dionysius *de Chamguyon* 1270, 1285, 1290. Obiit 1299 ex Sammarthanis & historia Trecensi.

XIV. Galterius 1295 in chartis Arremari.

E XV. Andreas *de S. Fale* nobilis toparcha oppiduli de S. Fidolo juxta Trecas, electus 1299 ætate gravis interiit 1302.

XVI. Petrus III de Cella successit 1302, & occurrit 1305. Camusat, 281.

XVII. Henricus *de la Noë* 1312 mense Junio in charta Arremari, de ecclesia Trecensi benemeritus obiit 1327, die veneris post festum S. Barnabæ. Jacet in sacello Assumtionis B. Mariæ sub ærea lamina.

XVIII. Petrus IV *de Molay* arbiter fuit anno

Digitized by Google

1318 inter monachos Arremarenses & rectorem parochiæ de Loschiis & de Landrivilla ex chartis Arremari, ubi reperitur adhuc mense Januario 1326; arbiter anno 1327 inter episcopum & moniales B. Mariæ. Obiit 1333 13 Octobris, & in ædei introitu ante stallum decani terræ mandatur cum hoc epitaphio.

Hic de Molayo Petrus jacet iste decanus
Trecensis spatio longo vivens, homo planus.
Nobilis, urbanus, pulcher, sapiens, neque vanus,
Sed satis humanus, moderatus, tempore canus
Hic flendus graviter mortis inivit iter.

XIX. Johannes II *de la Ferté* canonicus Bisunticensis ac Virdunensis, legumque professor in academia Aurelianensi, Trecensis decanus legitur anno 1334 in chartis capituli. Fuit executor testamenti Johannis d'*Aubigny* episcopi mense Nov. 1341; unus fuit ex iis qui quædam pacta fecerunt inter Yolandam comitissam Flandriæ, Johannam *de Bar*, Hugonem *de Bar* episcopum Virdunensem, &c. 2. Aprilis 1353. Obiit 13 Maii 1354.

XX. Guido II *de S. Sepulcre* regi a consiliis 1357 ex chartis S. Basoli, & 1360 apud Sammarthanos.

XXI. Adam *Cochart* de Brillicuria 1366 & 1368. Executor fuit testamenti Henrici *de Poitiers* episcopi 1370; defunctus 1373 jacet in vestiario Trecensis ecclesiæ.

XXII. Martinus *Heliot* 1395 & 1402, 1405 & 1421 in chartis Autissiodorensibus.

XXIII. Guillelmus I de Novo-castro à Stephano episcopo confirmatus, debitum ei fecit juramentum anno 1416.

XXIV. Johannes III *de Foissi* sepelitur anno 1420 ante sacellum S. Johannis B.

XXV. Johannes IV *Pougeoise* rector ecclesiæ S. Dionysii Trecensis, extinctus 3 Maii 1448; memoratur v. Id. Octobr. in necrologio.

XXVI. Johannes V *Crassi* electus per obitum Johannis *Pougeoise* anno 1448.

XXVII. Stephanus II *Plasance* professor juris in academia Aurelianensi, 1450 ex historia Trecensi.

XXVIII. Nicolaus I *de la Place*, Cellensis abbas obiit 1488. Jacet in ecclesia Trecensi.

XXIX. Nicolaus II *Coiffart* defunctus 1494 7 Maii, & sepultus in navi ecclesiæ.

XXX. Nicolaus III *le Bacle* electus 27 Junii 1494. Adfuit translationi capitis S. Lupi 1505; hoc habet epitaphium ante altare Annunciationis: *Hic jacet probitatis & prudentiæ vir M. Nicolaus* le Bacle *sinceræ famæ jurisperitus, licentiatus, qui primum ex conjuge Babelonna susceptis liberis eaque præmortua, a præsule Trecensi accitus, necnon hujus ecclesiæ canonicus inde sacerdos effectus, tandem decanus canonice creatus est; obiit 15 Januarii 1509.*

5 Johannes *Mailly* per cessionem Nicolai decanus obiit ante adeptam possessionem.

XXXI. Nicolaus IV *le Bacle* Nicolai ultimi filius factus decanus anno 1509, adstitit solemni ingressui Odardi episcopi 29 Mart. 1528; defecit 15 Oct. 1538.

XXXII. Nicolaus V *Guillemet* per cessionem Nicolai avunculi decanus evasit anno 1536, & fato sublatus est 3 Maii 1556.

XXXIII. Jacobus *Guillemet* Nicolai germanus, invitus a capitulo electus 22 Maii 1556; æmulum passus est Johannem *le Gruyer* a rege nominatum, quem evicit senatusconsulto 29 Octob. 1557. Ortodoxæ fidei amantissimus, impiis conatibus Antonii Caraccioli episcopi Trecensis religionis desertoris restitit, & obiit 1569. *Camusat. 129.*

XXXIV. Johannes VI *Guillemet* duorum superiorum nepos, obiit 1572.

XXXV. Guillelmus II *de Taix* parentibus N. *de Fresnay* ex nobilibus *de Taix* in Turonibus & Johanna *de Thiville* in parochia de Cloya agri Vindocinensis natus, Melfitani episcopi contubernio usus, ei in primis carus erat. Abbas Bassi-fontis, ex cellerario ecclesiæ Trecensis, decanus a canonicis creatur 1572. Comitiis Blesensibus 1576, Melodunensibus 1579, & Parisiensibus interfuit annis 1585 & 1586, de quibus commentarium scripsit editum postea in lucem a Camusato anno 1619; Trecis secessit & Catalaunum aufugit exeunte Dec. 1588, quadriennioque post 5 Dec. 1592 a Senatu Paris. delegatus fuit, qui conferret beneficia sita in diœcesibus Senonensi, Meldensi & Suessionensi, quorum collatores rebellabant. Obiit 7 Sept. 1599 annos natus 67, & sepultus est in ecclesia Trecensi.

XXXVI. Claudius *Vestier* civis Trecensis & baccalaureus Paris. canonicus Trecensis fuit per annos 65, & decanus per annos 54; dignitati cessit in gratiam nepotis 19 Febr. 1653, & obiit die 24 sequenti. Jacet in ecclesia prope capellam Conceptionis.

XXXVII. Nicolaus VI *Vestier* decanus receptus 19 Febr. 1653, obiit 17 Dec. 1667, sepultus in ecclesia prope sacristiam chori.

XXXVIII. Florentinus *de Hauom Lamiroye* canonicus & archidiaconus Trecensis decanus electus 4 Januarii 1668, cessit sequenti 30 Nov. 1686, & in monasterio Bassi-fontis cujus erat abbas obiit 25 Sept. 1687.

XXXIX. Petrus V *de Vienne* diaconus diœcesis Trecensis, baccalaureus in facultate Paris. decanus ab anno 1686 ad 1697 quo resignavit 12 Aprilis.

XL. Franciscus *Vinot* doctor theologus facultatis Navarræ, canonicus & decanus Trecensis, officialis & Vicarius generalis patrui & nepotis episcoporum, decanum egit ab anno 1697 ad 1709 quo obiit 3 Maii, ab ipso episcopo fidelium precibus commendatus. A multis annis vacat decanatus.

Digitized by Google

COLLEGIATA S. STEPHANI ECCLESIA.

INter plurimas quas fundavit ecclesias Palatinus Campaniæ comes, Henricus cognomento largus, insignis illa est quam in honorem sancti Stephani protomartyris construxit, tum ob canonicorum qui in eâ divinis officiis operantur numerum, nam ultra 60 progreditur, tum variis quibus eam locupletavit prædiis & donariis, tum corpore ipsius auctoris qui in ea sepeliri voluit. Hanc ad radices palatii sui quod tunc extra muros erat exstruxit an. 1157, xenodochiumque contiguum condidit quod amplissimis redditibus dotavit. Hanc aliquando igne absumptam alibi diximus anno 1188, comitis quoque mausolæum argenteis quibus prætextum erat laminis spoliatum fuit anno 1583. Sed utrumque canonicorum cura in pristinum splendorem est restitutum. Capitulum novem constat dignitatibus, decano, subdecano, præposito, cantore, succentore, thesaurario, capicerio, scholastico & cellerario.

Camusat, 331.

Decanorum Series.

I. MANASSES de villa Mauri Trecensis Archidiaconus & decanus S. Stephani præbendæ ejusdem ab Henrico comite Guitaro abbate S. Lupi concessæ assensit anno 1163, occurrit adhuc 1164 & in charta anni 1170.

Camusat, 304.

II. Haicius qui & Bartholomæus I ex familia *de Plancy* affinis & cancellarius Henrici Campaniæ comitis ex subdecano decanus, decanus quoque S. Petri & præpositus S. Quiriaci Pruvinensis, factus est episcopus anno 1191.

III. Herbertus annis 1193, 1197, 1199.

IV. Iterus, idem forte ac J. anno 1200, occurrit anno 1207.

V. Galterus I anno 1210.

VI. Bartholomæus 1212, 1214, 1217, 1218, 1221, & B. 1232 in chartis Arremari. Consensit ut Theobaldus Campaniæ comes posset mutuari 2000 libras ab abbate S. Dionysii pro quibus capitulum impignorat S. Dionysio tabulam & cruces aureas retinendas ab abbate, donec mutuum fuerit redditum.

VII. Milo 1248, 1254.

VIII. Stephanus de Luxovio 1280, testamentum condidit 1286.

IX. Garnus de Briceolio 1296.

X. Johannes I dictus *Ofenne*, 1302, 1306.

XI. Arnulfus *de Turch* præsens adfuit hominio quod J. de veteri ponte R. episcopo Carnotensi præstitit 1315 mense Martio. Idemne ac Arnulfus de Catalauno qui reperitur 1334.

XII. Galterus II de Insulis 1343 ex ipsius testamento quod in capitulo S. Stephani asservatur.

XIII. Johannes II de Barbona 1365 in charta S. Stephani.

XIV. Johannes III *Buridan* primo sui decanatus annô obiit 1401.

XV. Nicolaus I Burgundi sive *le Bourgoin* 1401, 1425.

XVI. Nicolaus II *Clément* 1444.

XVII. Odardus I *Hennequin* primogenitus 1481.

XVIII. Johannes IV *Pinet* licentiatus in decretis & canonicus S. Urbani, decanus erat S. Stephani 1486.

XIX. Johannes V *Veclu* electus via S. Spiritus 2 Martii 1492. Præerat adhuc 1501.

XX. N *Jacoti*.

XXI. Egidius *Guillermi* 1527 adstitit solenni ingressui Odardi episcopi 28 Mart. 1528, & occurrit 1529 & 1533.

XXII. Johannes VI *le Tartier* 1563.

XXIII. Antonius *de Jours* 14 Dec. 1564.

XXIV. Ivo *le Tartier* prioris nepos licentiatus in decretis vir doctissimus glande plumbea e sclopeto emissa obiit anno 1590.

XXV. Johannes VII *le Maignan* doctor theologus Paris. electus est decanus an. 1590.

XXVI. Odardus II *Hennequin* in decretis licentiatus cessione Johannis decanus, generalibus regni comitiis Lutetiæ habitis adstitit an. 1593. Obiit 1613: fuit vicarius magni Franciæ eleemosynarii in nosocomio Trecensi.

XXVII. Claudius I *Paillot* in legibus licentiatus, electus est 1613.

XXVIII. Nicolaus III *de la Ferté* abbas de Crista Lingonensi cessione Claudii fit decanus 1617.

XXIX. Petrus *Guignard* Turonensis diœcesis in utroque jure licentiatus per cessionem Nicolai decanus 1635 & 1638.

XXX. Claudius II *Germain* abbas S. Johannis in Monte cedente petro decanus 2 Martii 1656.

XXXI. Ludovicus *Misson* Catalaunensis diœcesis.

XXXII. Alexander *Rolin* Tricassinus, doctor theologus Paris. per cessionem Ludovici decanus 1698.

XXXIII. N. *Gouault* hodiernus decanus. Cæteri inter ipsum & præcedentem intermedii desiderantur.

COLLEGIATA S. URBANI ECCLESIA.

Anecdot. tom. II, col. 204 & 208.

URBANUS IV summus pontifex Trecis oriundus ecclesiam in honorem S. Urbani in fundo seu solo paternæ suæ domus construxit dotavitque circa annum 1264, & singularibus illam privilegiis plenisque libertatibus insignire meditabatur, sed quod morte præventus anno eodem perficere non potuit, hoc Clemens IV successor sequenti ad effectum perduxit. Secularem sancti Urbani ecclesiam in jus Romanæ ecclesiæ assumsit eamque ab omni jurisdictione tam episcopi Trecensis quam archiepiscopi Senonensis exemit, duodenarium canonicorum numerum

Digitized by Google

computatis decano, cantore & thesaurario statuit, thesaurariæ & cantoriæ collationem decano, electionem vero decani canonicis ejusque confirmationem summo pontifici attribuit totumque præsidio Theobaldi regis Navarræ Campaniæ comitis commendavit literis pridie cal. Octobris anni 1265 datis. Orta tamen aliquanto post comitem inter & Ancherum cardinalem Urbani IV nepotem de dote canonicorum controversia, ne avunculi operi noceret cardinalis, mediam præbendarum & dignitatum, decano excepto collationem comiti concessit, mediamque retinuit decano post obitum cardinalis vindicandam anno 1273, mense Augusto. Quin & ipsi attribuit collationem matricularii laici, cui annuos assignavit reditus, ut canonicis sacra officia celebrantibus adesset 1284 2 Maii.

Camusat, 375. Idem, 376.

DECANORUM ORDO.

I. JOHANNES I *de Brueres* ex charta B. Mariæ ad moniales sabbato ante festum sancti Barnabæ 1266.

II. Adam *de Sarc* 1277.

III. R. 1296 ex chartis Pontiniaci, idem forte ac Renatus *de Columbé* canonicus ecclesiæ Trecensis, qui decanus sancti Urbani obiit 29 Nov. 1336.

IV. Johannes II *Garnier de Superarcus* fundator Cartusianorum Trecensium circa annum 1336, 1341, 1353 in charta fundationis B. Mariæ de Lireio & 1355.

Idem, 412.

V. Stephanus *Morsi* canonicus etiam sancti Stephani, decanus S. Urbani 1375 & 1389 obiit 13 Oct. 1397.

VI. Johannes III *Hennequin* 1398, 1405, 1414.

VII. Nicolaus I *de Lintelles* 1429

VIII. Gerardus *Jubert* 1441, 1445.

IX. Johannes IV *Closier* 1467.

X. Simon *Hennequin* consiliarius in senatu Paris. & archidiaconus de Sesanna 1473.

XI. Odardus I *Hennequin* 1497 obiit 15 Maii.

XII. Nicolaus II *Hennequin* per cessionem Odardi 2 Maii 1497. Obiit 1518.

XIII. Johannes V *Hennequin* archidiaconus de Arceis & S. Stephani canonicus, electus decanus S. Urbani anno 1518 obiit 1530.

XIV. Odardus II *Hennequin* electus 28 Julii 1531, cessit 1534, postea episcopus Silvanectensis & Trecensis.

XV. Nicolaus III *Hennequin* in legibus licentiatus per cessionem Odardi fit decanus ab anno 1534 ad 1590 quo obiit 4 Aprilis.

XVI. Jacobus *le Fevre* electus 1590.

XVII. Nicolaus IV *Martel* per cessionem Jacobi 1603 & 1638.

XVIII. Nicolaus V *le Maitre*.

XIX. Philippus *Pepin* doctor in jure canonico, archidiaconus & officialis Suessionensis, eligitur decanus S. Urbani 12 Martii 1646.

XX. Ludovicus *de Menau* receptus 29 Dec. 1653.

XXI. Johannes VI *le Noble* canonicus Trecensis, electus est decanus 9 Dec. 1654.

XXII. Franciscus *Barrat* permutationis causa fit decanus 5 Oct. 1677. Ab eo ignorantur cæteri usque ad sequentem hodiernum.

XXIII. N. *Alexandre*.

VETERA DIŒCESIS TRECENSIS MONASTERIA.

I. INsula oppidum est duabus ab urbe Tricassina leucis ad Ozam fluviolum. Ibi sedente Cameliano Aventinus abbas monachorum gregem pascebat. Huic successit Fidolus Arvernus inter Manubrias a Theodorico rege abstractus a patria, qui in Trecensem pagum advenit, Aventini disciplinæ sese mancipavit, præpositi officium sibi impositum gessit & suffectus est S. Aventino, qui in proximum Insulæ locum secessit ubi ad mortem usque solus perseveravit. Fidolus vero migravit in cœlum XVII cal. Junii. Ejus reliquiæ in monasterio Cellensi asservantur. Nunc est prioratus Molismo subjectus.

II. MANTENAY S. LIÉ. Mentuniacum monasterium fuit ad Sequanam duabus leucis infra Trecas. Erectum fuit anno circiter 530 in honorem sanctorum Gervasii & Protasii à B. Romano qui primus illius abbas exstitit, postea Remensis episcopus factus post S. Remigium, non sedit ultra biennium. Romano S. Leo successit circiter annum 533, qui obitum suum prædidicit a sanctis Hilario, Martino & Aniano. Leoni Baudomandus suffectus est. Excisum est monasterium ab annis fere 600, quod nunc S. Leo ab incolis loci prisco nomine relicto appellatur.

III. S. GON. Sanctus Godo comitis Virdunensis & sororis S. Wandregisili filius, ejusdemque discipulus & in condenda Fontanella adjutor, Romam ab eo missus reliquias detulit quas S. Audoënus in variis Fontanellæ basilicis reposuit, expleto tyrocinio Oyam in confinio campaniæ & Briegensis pagi ad Sezannam oppidum petiit, ubi primam fundavit in honorem S. Petri abbatiam anno 676 ex chronico Alberici, melius circa 661 primusque præfuit abbas. Eversum a Normannis Hastingo duce monasterium instaurasse dicitur Eva comitissa ob receptam S. Godonis meritis sanitatem. Lapsu temporis non modo ædificiis sed & religione fere destitutum Hugo Trecensis episcopus Hugoni Cluniacensi abbati restituendum in pristinum statum ordinandumque commisit monasterium anno 1082 literis quas edidit Mabillonius Annal. tom. V, p. 188. Bona illius confirmavit & ampliavit Hato episcopus anno 1128. Bullas concessere Honorius II, Alexander III pontificatus 16, Innocentius III anno 1200 & Honorius III anno 1224. Diplomata etiam indulsit Henricus Campaniæ comes annis 1155, 1156, 1171 & 1173. At reditus paulatim a magnatibus occupati adeo tenues & exiles erant medio seculo 14 ut opere pretium duxerit Johannes electus Trecensis id quod supererat

Digitized by Google

monasterio Cellensi annectere monasteriumque Oyense in prioratum conventualem Cellæ redigere, quam apostolica roboravit auctoritate unionem Clemens VI x cal. Sept. 1342. (Ch. LXV, col. 292.) Claudius Espenacæus celeberrimus theologus Paris. qui prioratum S. Godonis sic unitum in commendam tenuit grati animi causa carmen edidit de S. Godone orsus a loci descriptione. Deinde convenarum in eum religionem describit, atque frequentes istuc cum donariis convenire solitos. Tum relatis S. Godonis actis, eversionem ab Hastingo Normannorum duce factam & consequenter loci restitutionem per piam illam comitissam commemorat, ac demum S. Godonis reliquiarum delationem occasione pestis quæ Briegense campanumque solum dire depopulata sacri loculi gestatione penitus repressa est. Prioratus anno 1698 seminario Trecensi unitus est. En aliquot abbatum nomina.

S. Godo de quo supra in vetusto breviario Fontanellensi IX cal. Augusti, at in necrologio Benedictino V cal. Junii colitur. Hujus habes vitam ampliss. collect. t. VI, col. 795.

Evrardus anno 1127 in charta Theobaldi Campaniæ comitis pro Dervensi monasterio occurrit. Bullam obtinuit ab Honorio II 21 Martii & chartam ab Hatone episcopo anno 1128. (*Des Guerrois*, 278.) Eodem anno reperitur in ejus charta pro monasterio Omnium sanctorum Catalaunensi & 1131 pro Dervensi.

Odo in charta Atonis ejusdem pro Cella.

Guillelmus impetravit ab Alexandro III amplissimum privilegium pontificatus an. 16.

Renaudus 1185 in charta Manassis episcopi pro Cella & 1195 in charta Garnerii episcopi.

Engelmerus 1120 in charta Ripatorii.

A. 1222 in charta Joyaci.

G. 1234 in charta Igniaci.

IV. Radonis villaris olim abbatia, nunc prioratus Molismo subjectus in decanatu Brenæ, ortum habuit sub finem seculi XI, quo S. Roberto ipsius donatio facta est præsente comite Brennensi Walterio & filio ejus Engelberto postea monacho, regnante Philippo rege & præsidente apud Trecas Hugone filio Witerii de domno Petro. Huic monasterio præerat anno 1164 Nivelo abbas Raidonis villaris, ex charta Bassi-fontis.

V. B. Maria de Planceyo abbatia dicitur in testamento Hodealdis dominæ de Planceyo an. 1206. Nunc est simplex prioratus.

VI. PELLERMONTIER. Præter Dervense aliud itidem ad Vigeram una tantum leuca a Dervo dissitum in diœcesi Tricassina erexit Bercharius sub patrocinio B. Mariæ monasterium in loco cui tunc erat nomen Mangisvillare pro octo puellis captivis quas pretio redemtas ad professionem monasticam admisit, quibus abbatissam præfecit Waltildem A neptem alterius Waltildis nobilis ac locupletis matronæ quæ fundum suppeditavit. Locus hodie quoque vulgare Puellaris monasterii vocabulum retinet. Monachos tamen monialibus substituit Bruno Dervensis abbas seculo XI regnante Henrico rege, ut videre est apud Camusatum, p. 84.

VII. Sancti Quintini intra urbem abbatissa erat Rocula quæ S. Frodobertum abbatem Cellensem, cujus eruditioni ac regimini speciatim commendatus erat Parthenon ad festivitatem S. Quintini invitavit. Gibitrudi quoque abbatissæ S. Frodoberti obitum nuntiavit Waldinus Frodoberti nepos & post eum abbas Cellensis, quæ ad B S. Viri exsequias quam citissime properavit. Ab Odone gestorum sancti Frodoberti auctore id tantum de puellari S. Quintini monasterio rescimus, quod in simplicem prioratum redactum nunc subjacet Molismo.

VIII. Prope Bullencuriam Parthenoni Cisterciensi præfuit Ascelina sancto Bernardo cognatione conjuncta, quæ defuncta 1195 sepelitur sub altari Bullencuriæ. Parthenoni vero destructo successit sacellum.

IX. Ordinis Cisterciensis Parthenon de Gratia B. Mariæ fundatus circa 1223 prope Montem mirabilem, benefactores expertus est Johannem C comitem Carnotensem, Matthæum *de Montmirel*, Guidonem *de Nully*, Ingerranum *de Coucy*, Agnetem *de Noyers* & alios qui monialibus bona contulere quæ confirmavere Robertus episcopus 1224 & 1226, Nicolaus episcopus 1239, Gregorius papa 1228 & Theobaldus Campaniæ comes 1251. Aelidi abbatissæ de Gratia domum suam concessit Renerius *de S. Quentin* cantor S. Stephani anno 1225. Hæc eadem aut A. abbatissa legitur anno 1240 in chartis Joyaci. Iisdem virginibus Johannes de Castrovillani vendidit 1263 mense Martio terram quam habebat in villa de curia Bertrodi subtus Montem D mirabilem. Exstinctus hic Parthenon cessit abbati Cisterciensi.

X. Cisterciensis alter Parthenon de Jardino prope locum dictum *les Pleurs*, via qua ad Sezannam itur, fundatus erat anno 1229 quo abbatissæ de Gratia & de Jardino duas quæque moniales ad condendum Parthenonem de pietate concesserunt. Johanna de *Cheny* abbatissa B. Mariæ *dou Jardin les Pleurre* memoratur anno 1362 in chartis Joyaci, cui monasterio unitus fuit Parthenon de Jardino à capitulo generali anno 1403. (Ch. LXVI, col. 294.)

XI. Bella-aqua Parthenon ordinis Cisterciensis E in decanatu Sesannæ, a qua quatuor leucis distat, fundatur ad tres fagos & dotatur a Matthæo domino de Monte mirabili & de Oysiaco an. 1242. Destructum volunt ab Hæreticis anno 1567, forte multo citius, ut duo superiores. Nunc est simplex prioratus.



Digitized by Google

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ numero 19, quibus adjungitur prioratus sancti Juliani de Sezanna.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Nigella.
Cella.
Monasterium Arremarense.
Prioratus S. Juliani de Sezanna.

Feminarum.

S. Maria.
Paraclitus.
Bricolium.

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Virorum.

S. Martinus.
S. Lupus.
Cantumerula.

ORDINIS GRANDIMONTENSIS.

Macheretum.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Ripatorium.
Reclusum.
Bullencuria.
Sigilleriæ.
Pietas Dei.

Feminarum.

B. Maria de Prato.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Bellus-locus.
Bassus-fons.
Capella ad Plancas.

NIGELLA ABSCONDITA.

NESLE LA REPOSTE. MOnasterium de Nigella vel Nigello quod vulgus Nigellam repostam seu absconditam vocat, prope Villam-noxam, Briegii tractus oppidum, primitus conditum fuit. Ejus originem ad Chlodovei magni tempora plerique referunt, sed nullo idoneo testimonio adducto. Auctoritatem habent a veterrimo basilicæ portæ majoris frontispicio ubi introeuntibus ad dextram, a latere episcopi cujusdam, forte Cameliani Trecensis, visitur effigies reginæ tabulas manu tenentis. Reginam hanc non aliam quam Chrotildem Chlodovei senioris conjugem, id argumento est quod pingitur cum dextro pede anserino, qualis conspicitur in aliis nonnullis locis: unde conjicit Mabillonius monasterium illud a Chrotilde regina fuisse ædificatum, uti innuunt tabulæ quas manibus gestat. Hujus ecclesiæ agnoscuntur patroni sacra Deipara Virgo, nec non & princeps Apostolorum Petrus, ut constat primum ex veteri sigillo cujus hæc est inscriptio, *sigillum S. Petri Nigellani.* Deinde ex diplomate Lotharii imperatoris in quo monasterium de Nigella in honore principis Apostolorum Petri & sanctæ Dei Genitricis constructum quod Ludovicus pius ejus genitor sub sua defensione & immunitatis tuitione receperat, & ipse ad ejus exemplum suscipit. *Annal. Bened. t. II, p. 624.* Post varios bellorum eventus, furorem etiam Hereticorum expertum est illud cœnobium, & ad nihilum fere redactum congregationi sancti Vitoni à Jacobo le *Hardy* commendatario anno 1659 aggregatum fuit; & paulo post ad Villamnoxam translatum. Cum cartarum maxima pars perierit, sequentes dumtaxat abbates ex scrutatis archivis reperire potuimus.

SERIES ABBATUM.

I. GEROUS interfuit concilio Attiniacensi anno 765.

II. Adalardus a Ludovico pio imperatore litteras regiæ defensionis obtinuit quarum mentio fit in diplomate Lotharii ejus filii.

III. Sigoaldus ab imperatore Lothario regiæ tutelæ ac immunitatis confirmationem petiit & impetravit 842 vel anno insequenti. Has litteras Clothario Chlodovei magni filio perperam tribuit Martinus Retellius. *Ibid.*

IV. Radulfus I subscripsit cartæ Attonis episcopi Trecensis pro monasterio Cellensi. Memoratur in necrologio Cellensi IX cal. Septembris.

V. Walterus reperitur anno 1153 in charta Ansculfi episcopi Suessionensis pro Brana. Subsignat 1156 cartæ Hugonis Senonensis archiepiscopi pro monasterio S. Petri de Cella.

VI. Arnulfus occurrit anno 1182 cum Petro abbate Clarævallensi, Johanne Belli-loci & Theodorico Bullencuriæ abbatibus in donatione a Simone de Bello-forti facta monasterio de Capella.

VII. Gauterius innotescit ex charta Joyaci anno 1199.

VIII. Ansellus chirographum apponit anno 1202 chartæ Paracliti, 1205 chartæ Vallislucentis, occurrit adhuc 1210 mense Julio in crastino S. Jacobi cum Gaufrido decano sancti Quiriaci Pruvinensis.

IX. Galterius transigit anno 1212 pro quibusdam decimis.

X. J........ anno 1221 mense Novembri Campaniæ comitissæ significat se emendasse abbatissam & conventum *de Bicor* propterea quod absque ejus licentia abbatissam eligere præsumpserant.

XI. Anselmus occurrit 1227.

XII. Johannes I memoratur diversis in locis annis 1228, 1230, 1233 die dominica ante festum S. Petri ad vincula, & 1236: Ipse testatur anno 1237 mense Septembri cum Petro abbate de Virtuto Jacobum Cantumerulæ priorem coram se petiisse & obtinuisse a Johanne Castellano Noviomensi vices gerente Theobaldi

Digitized by Google

regis Navarræ facultatem abbatis eligendi. Reperitur etiam 1239.

XIII. Iterus 1242 mense Decembri in archivis episcopi Trecensis.

XIV. Guido anno 1249 cum Henrico Cantumerulæ abbate subscribit chartæ Jacobi de Camporotundo militis in gratiam Arnulphi de Escrevalla. Alius non videtur a Guidonio qui anno 1252 quædam acquirit a Simone domino de Castrovillano. Ratam habuit donationem factam monialibus de Bricolio an. 1254.

XV. Petrus I sedebat tempore Anserici II Resbacensis abbatis. Reperitur anno 1267 mense Junio cum Nicolao abbate Cantumerulæ.

XVI. Radulphus II scripsit anno 1282 die dominica in vigilia B. Laurentii litteras commendatitias in favorem Petri *de Mautebleux* ejusdem loci monachi.

XVII. Nicolaus Juventius 1407.

XVIII. Johannes II *le Fevre* regebat annis 1472, 1486, 1489.

XIX. Stephanus Coulon 1490, 1493, 1502, 1504.

XX. Johannes III *le Fevre* 1504, 1509.

XXI. Stephanus *Olivier* frater Johannis *Olivier* episcopi Andegavensis necnon Jacobi *Olivier* in Curia suprema Parisiensi primi Præsidis, ac patruus Antonii *Olivier* episcopi Lombariensis, & Francisci *Olivier* Franciæ cancellarii, ex infirmario sancti Dionysii Nigellensis abbas evasit. Pro se & suis successoribus jus ornamentorum pontificalium obtinuit anno 1509 13 Sept. Occurrit & annis 1513, 1518. Jacet in monasterio S. Medardi; ante mortem uno vel duobus annis abdicasse videtur, nam

XXII. Arthus *de Bakines* jam abbatis titulo gaudebat anno 1517, & gavisus est ex diversis instrumentis usque ad annum 1532.

XXIII. Bernardus *de Ruthie* 1535, 1538.

XXIV. Ludovicus *d'Autru d'Anjou* Renati baronis *de Maizieres* ex Antonia *de Chabanes* filius reperitur in chartis 1540, 1549, 1551. Sed annum 1555 non excessit, nam eo anno abbatia vacare reperitur.

XXV. Gaufridus *de Caumon* seu *de Cosmon*, utroque enim modo scribitur in variis instrumentis 1561, 1567. Postea ad nuptias convolans abnegavit circa annum 1572, quo abbatia vacare dicitur.

XXVI. Pojurus *de Salignac* obtinebat 1573.

XXVII. Matheus *le Bossu* historiographus regius 1584, 1588.

XXVIII. Petrus II *Dinet* canonicus Lingonensis regi a consiliis, reginæ ab eleemosynis, necnon & concionator 1594.

XXIX. Bertrandus *Serain* 1606.

XXX. Carolus *de Villemontée* potitus est ab anno 1616 ad 1630. Monasterii bona dissipavit, ac tandem ut matrimonium contraheret ab abbatia cessit.

XXXI. Sebastianus *Naud* ab anno 1630 ad 1636.

XXXII. Johannes IV *Ragois* dominus de A *Bretonvillier* senator Parisiensis rem bene gessit ab anno 1636 ad 1642.

XXXIII. Jacobus *le Hardy* per cessionem Johannis commendam obtinuit 1642, monachosque congregationis S. Vitoni accivit anno 1659, qui monasterium ad Villam-noxam transtulere anno 1673. Obiit 1684 5 Februarii ætatis suæ 62.

XXXIV. N. *Gueste* Franciæ thesaurarius resignavit in gratiam sequentis commendam quam tenebat ab anno 1684.

XXXV. N. *Gueste* superioris germanus canonicus S. Quintini per cessionem obtinebat B 1726. Obiit 1745, etiam abbas S. Afrodisii Biterrensis.

XXXVI. N. *du Barail* nominatus est a rege 11 Novemb. 1745.

Hos præter sine chronologia reperiuntur
Odo in necrologio Cellensi XI cal. Januarii.
Johannes Eustasii historiam elevationis SS. trium Mariarum rithmice recitavit.

CELLA.

Sancti Petri cœnobium, ordinis S. Benedicti, congregationis S. Vitoni, in suburbio Tricassino situm, passim præcise Cella, nonnunquam C vetus Cella, post sæculum octavum a tumulo S. Bobini monachi quondam & abbatis, Cella Bobini, & vulgo monasterium S. Petri de Cella nuncupatum, fuit constructum anno circiter 650. Primus ejus auctor S. Frodobertus Tricassinas, qui humana perosus consortia, de condendo monasterio, in quo ipse cum aliis ejusdem instituti & habitus sociis seorsum viveret, consilium cepit. Quamobrem quemdam locum palustrem, bestiarum potius ac serpentum quam hominum frequentiæ competentem, qui antiquitus insula germanica dicebatur, cujus fundi circuitus ad decem terræ jugera porrigebatur, a Clodoveo II D Francorum rege impetravit. Quam donationem, eodem Frodoberto rogante, Clotarius III Clodovei filius, cum sua matre Bathilde ratam habuit. Ex cujus diplomate monachos ibidem sub sancta regula vixisse cognoscitur. Frodobertus igitur illic oratorio cum aliquot cellulis constructo, cum paucis primo fratribus habitare cœpit; sed brevi monachorum numerus plurimum auctus est, adeo ut majorem ecclesiam construere coactus fuerit, quam Abbo Tricassium antistes consecravit anno 673, ipso die ejus obitus. Eo defuncto crevit loci celebritas tum ex miraculorum frequentia tum ex devotione fidelium qui ejus E tumulum frequentabant, & collatis donis ac possessionibus, eo in loco se humari cupiebant. Ex ejusdem monasterii cœnobitis complures postmodum in Tricassina urbe antistites in primis sæculo octavo Aldobertus vir summi ingenii & præcipuæ sanctitatis; atque Bobinus, qui ambo magna eidem monasterio commoda, cum in ædificiis, tum in aliis rebus contulere, & intra septa basilicæ sepulturam ibidem elegere. Hanc basilicam magnificentius exstruxit, ac S. Frodoberti sepulcrum exornavit Bobinus ob cujus in eum locum merita, Cella Bobini appellata est. Multo

MONSTIER LA CELLE.

Charta I, col. 147.

Digitized by Google

post, anno circiter 850 cum monasterium præ senio jam omnino ruinæ proximum esset, restitutum fuit, vetusque ecclesia senio collapsa renovata & a Prudentio episcopo dedicata, qui non prius dedicationis ritum aggredi voluit; quod regulæ ecclesiasticæ præcipiunt, quam omnia mortuorum cadavera eliminarentur. Nec parsum est corpori S. Frodoberti abbatis, quod in crypta prioris basilicæ immotum remanserat. Ignorabat quippe pontifex merita tanti viri, temporum longinquitate & socordia jam obscurata, nec ejus acta unquam legendo perceperat. Expurgata itaque novæ basilicæ area, facta est dedicatio calendis Novembris: quo die insignis ejus commemoratio in pervetusto Adonis martyrologio, ante septingentos annos exarato habetur. Corpus autem sancti Frodoberti, morte præventus levare non potuit. Rogatus hac de re Otulfus Tricassinæ ecclesiæ antistes, quod Prudentius exsequi non potuerat, per se ipsum exsecutus est anno 872, XII cal. Martias.

Clodovei & Clotarii fundatorum liberalitatem & pietatem proxime imitati sunt qui post eos regni gubernacula susceperunt, sed potissimum Carolus calvus qui uberrimis reditibus, immunitatibus & privilegiis hocce monasterium exornavit. Villam Silviniaci a comite Aleranno usurpatam anno ejus regni decimo nono restituendam curavit. *Camusat, p. 21.* Contulit etiam anno 877 quarto calendas Aprilis sylvam quamdam villæ Juviniaci in comitatu Tricassino cum duobus mansis apud Leriacum. *Id. p. 22.* Denique donationes pristinas veteresque possessiones deprecante Aledranno comite rescripto constabilivit, ac ratas fixasque esse mandavit. *Id. p. 20.* Cum vero illud cœnobium amplissimis reditibus auctum esset, plurimosque monachos omni pietatis genere illustres sinu suo foveret, inter quos inprimis effulsit divus Robertus qui postea primus Molismensis abbas exstitit, & ordini Cisterciensi originem dedit, Theobaldus Trecarum comes prioratum conventualem sancti Aigulfi apud Pruvinum oppidum diœcesis Senonensis instituit 1048, *Ch. VIII, col. 251.* ubi antiquitus ecclesia erat sancto Aigulfo abbati Lerinensi & martyri sacra, quam a rege comes in beneficium tenebat. Hic a rege Henrico petiit ut sibi liceret monachos de monasterio domni Petri Trecassini, Cellensis cognominati primitive, ponere & ad Dei servitium, quod inibi prius negligenter agebatur, administrandum destinare, ea tamen ratione ut quod archiepiscopus Senonensis in eadem ecclesia possidebat, videlicet altare, ab eo impetraret. Rex petenti annuit, & regio munimine novam sancti Aigulfi cellam firmavit anno 1048. *Ch. VIII, col. 251.* Hactenus subest Cellensi monasterio & ei præfuit S. Robertus de quo superius egimus. Idem comes monasterio Cellensi parochialem ecclesiam sanctæ Savinæ cujus reliquiæ illic servantur, sitam in suburbio Tricassium adscripsit & assignavit. *Camusat, p. 24.* Quam quidem donationem ratam esse jussit rex Philippus anno 1071.

Præter S. Aigulfi prioratum a comite Campaniæ cellæ subjectum, longe alia sunt membra ab eodem monasterio pendentia, quorum enu-A meratio recensetur in carta die 26 Septembris anno 1457 scripta & a Camusatio edita p. 33. Inter hæc notatu dignissimum, occurrit prioratus S. Godonis in Oya in diœcesi Trecensi a Sezanna duabus leucis dissitus. Fuit olim abbatia ab eodem divo Godone anno circiter 660 erecta; hoc titulo gavisa est usque ad annum 1342, quo a tractus optimatibus oppressa, Johannes Trecensis episcopus eam sub prioratus titulo Cellensi monasterio univit. Hunc unionem ratam habuit Clemens VI anno primo sui pontificatus. *Ch. LXV, col. 292.* Quamvis hic locus bonis commodisque fuerit cumulatus, incommodis tamen non fuit expers, nam anno B 1348 ab Anglis fuit ita dirutus ut monachi coacti fuerint in domum RR. PP. Dominicanorum se recipere, & ibi divinis officiis incumbere, donec ædes collapsæ restituerentur, ex actis domesticis innotescit monachos aliquot e congregatione Casalis Benedicti ab episcopo Vaurensi fuisse accitos, & ibidem ad reformandum monasterium constitutos anno 1543. Hos inter & veteres monachos lite exorta, vicarii generales episcopi Trecensis in hac causa judices electi, decreto sanciverunt anno 1548 ut novi incolæ veteribus locum cederent, quibus discessis, Cellenses ordinatiori disciplinæ se dederunt, & C postea congregationi S. Vitoni se addixerunt.

INDEX ABBATUM.

I. S. FRODOBERTUS apud Trecas mediocri loco natus, confestim ut ætas pertulit a parentibus erudiendus traditur Ragnegesilo ejusdem urbis antistiti, qui egregiam in adolescente animi puritatem contemplatus, eum ordinavit clericum. Post navatam pietati ac litteris operam sub disciplina tanti magistri in Luxoviense monasterium vitæ religiosæ studio se contulit, ubi quantos progressus fecerit, postea sanctitas ejus satis declaravit. Forte tunc temporis illic versa-D batur Teudolenus abbas sancti Sequani prope Divionem qui eruditionis causa illuc accesserat. Hunc frequens conveniebat Frodobertus, miram præ se ferens simplicitatem; quam ille probaturus ludibrii & experimenti causa Frodobertum rogavit, ad alterius fratris cellulam ut pergeret, circinum sibi ad scribendum necessarium delaturus, sed frater ille doli conscius pro circino medium molæ ejus collo imposuit. Onus ad Teudolenum deferebat, cum ecce Walbertus abbas Luxoviensis gestanti & pondere prægravato occurrit, facti causam interrogat, eaque audita, hujus colludii auctores acriter objurgat, laudata discipuli obe-E dientia. Annis pluribus interjectis ad urbem Tricassium pro episcopi sui desiderio remeavit. Aliquantum temporis apud eum commorari coactus est, nihil interim de religiosa severitate remittens, immo tempore quadragesimæ in privatam cellulam se recludens, ubi orationis & vigiliarum instantia, ac jejuniis ad plures dies continuatis, se ipsum pene conficiebat. Quibusdam tamen malevolis fictam & simulatam ejus abstinentiam suspicantibus, episcopus eum in cellulam porticui ecclesiæ adhærentem reclusit, ejus jejunia accurate exploraturus, sed mox criminatorum fallacia

Digitized by Google

fallacia evanuit, & concepta de ejus sanctimonia opinio plurimum est aucta. Tandem humana perosus consortia Frodobertus, sollicita secum frequentius mente volvebat quonam loco suæ professioni ac proposito opportunum habitaculum collocaret. Quamobrem palustrem quemdam locum in suburbio Tricassinæ urbis, qui antiquitus insula Germanica dicebatur a Clodoveo II rege obtinuit. Quam donationem Clotarius III ejus filius cum Batilde matre confirmavit. Locum hunc virgultis erutis lacubusque siccatis, Frodobertus humanæ habitationi aptavit. Ibi oratorio cum aliquot cellulis constructo, cum paucis primo fratribus habitare cœpit. Eo moderante cœnobium Cellense evasit usquequaque famosum, adeoque possessionibus & monachorum numero auctum est, ut majorem ecclesiam construere fuerit coactus, ad quam consecrandam, cum gravi morbo corriperetur, imminente die Nativitatis, misit duos e suis discipulis, Leonem scilicet ejusdem suburbii abbatem; itemque Lupellum qui breve de ejus gestis compendium scripsit ad Abbonem ejus urbis episcopum, eum rogaturos ut novam ecclesiam ipsa die Nativitatis consecrare dignaretur. At pontifice solemnitatis occupationes excusante, hæc celebritas dilata est in octavum diem, quo expletis nocturnis vigiliis, vir sanctus universos adesse jussit discipulos: dumque coram ipso textus dominicæ passionis legeretur, feliciter ad Deum migravit anno 673 kal. Januariis, sui regiminis anno vicesimo aut circiter. Eodem die Episcopus Abbo cleri ac populi agmine comitatus, peracta novæ basilicæ dedicatione, corpus sacrum in eam intulit, & in lapideo monumento quod ab illustri viro Walberto emptum fuerat, reposuit. Ejus tumulo patrata sunt innumera miracula, quæ cecinit illius temporis poëta minime malus. Eo loci quievit divus Frodobertus donec Tricassinæ ecclesiæ antistes Otulfus cellam adiens anno 872 initio Quadragesimæ XII kal. Martias, effosso tumulo, sacra ossa cum abbate Bodone & sacerdotibus reverenter extulit, ac postridie in paratam capsam sub pontificali annulo reclusit. Demum crescente populorum in eumdem sanctum devotione, episcopo & abbati visum est ut dies ejus obitus, qui ob Circumcisionis dominicæ festum minus celebris ac solemnis esse videbatur, in octavum abhinc diem transferretur. Quod ut non sine aliquo fundamento fieret, S. Frodoberti sacrum corpus VI idus Januarias in vicinam B. Michaëlis ecclesiam defertur, indeque die insequente in sancti Petri basilicam relatum; statutumque ut in posterum hic translationis dies solemni ritu coleretur. Tandem anno 1470 sancti viri reliquias in elegantem capsam intulit Ludovicus *Raguier* Trecensis episcopus & Cellæ commendatarius.

Charta 1, col. 247.

II. Waldinus sancti Frodoberti nepos & in regimine monasterii successor, ejus obitum Gibetrudi Parthenonis sancti Quintini abbatissæ nuntiavit, quæ ad sancti viri exsequias quam citissime properavit.

III. Aldobertus qui ex monacho Cellensi Trecensis episcopus evasit, monasterii hujus abbas extitisse creditur.

Annal. Bened. t. III, p. 6.

IV. Bobinus ex abbate Cellensi Trecensis episcopus factus, sui suburbani monasterii basilicam magnificentius exstruxit, ac S. Frodoberti abbatis primi sepulcrum exornavit. Unde cœnobium Cellense aliquando dictum est Cella Bobini. Florebat circa annum 760.

V. Haldegingus ex Adonis martyrologio vir clarus ingenio & moribus pollens justis decimum locum sortitus est inter abbates Cellenses. Cœnobium totum præ senio jam omnino ruinæ proximum in pristinum statum restituit, veterem basilicam senio collapsam renovavit, eamque a Prudentio episcopo in honore beatorum Petri & Pauli apostolorum dedicari sategit anno 850 XVII cal. Novembris. Memoratur in instrumento Caroli calvi regis de restitutione villæ Silviniaci in pago Tornodorensi, dato apud Cellam Bobini anno 19 ejus regni. Camuzat. p. 21.

VI. Bodo monasticæ disciplinæ studiosissimus male a Camusatio Aldegingo præpositus, reperitur in diplomate ab eodem auctore absque chronicis notis edito, quod Aledrannus comes & cœnobii Cellensis advocatus obtinuit a Carolo rege pro confirmatione possessionum ejus loci. Rogavit anno 872 Otulfum Tricassinum antistitem ut levaret corpus S. Frodoberti. Ipse post eum sedem episcopalem subiit. Nomen ejus suggerit anonymus poëta hujus temporis qui diem & annum factæ elevationis notat. Idem, p. 20.

VII. Arembertus ex Sammarthanis vixit an. 878. Procul dubio monachus ille Cellensis qui virtute & sanguine clarus dicitur a prædicto poëta.

VIII. Benzo vir nequissimus e monasterio Dervensi cui præerat expulsus, in cellam Bobini insulæ Germanicæ cujus abbas itidem erat, se recepit anno circiter 936, sed non sine maximo Dervensium damno: nam privilegia atque ornamenta invisæ sibi ecclesiæ secum asportavit. Ex chartulario monasterii pedum adhuc tenebat circa annum 950. Exinde fuit etiam ejectus.

IX. Valo Benzoni successit juxta Desguerroisium; legitur in necrologio decimo-sexto calendas Februarii.

X. Odo rogante Adsone abbate Dervensi restituit villam Dreias *(Droyes)* & puellare monasterium, ejusque privilegia, quæ Benzo abbas ad monasterium Cellense furtim asportaverat. Ad preces Odonis Adso vitam sancti Frodoberti scripsit circa annum 970.

XI. Guarinus seu Warinus memoratus in epistola 107 edit. 1608 Fulberti Carnotensis obiit circa annum 1038.

XII. Bernardus morum probitate ornatus juxta præfatam epistolam paulo post obitum Warini electus est consilio atque auctoritate Alberti Majoris monasterii abbatis, qui ab Odone comite ejus rei curam susceperat. Electione facta idem Albertus electum obtulit Hermengardi comitissæ & Stephano ejus filio, a quibus donum rerum temporalium ad idem pertinentium cœnobium suscepit. Deinde eumdem electum

Albertus obtulit Mainardo Trecassinorum præsuli confirmandum, ut ab eo curam animarum & abbatis benedictionem acciperet. Bernardo abbate, Robertus qui in posterum extitit Molismensis abbas, prioris officium gessisse videtur. Ejus tempore, rogante Theobaldo Campaniæ comite, Henricus Franciæ rex consensit anno 1048 ut Cellenses monachi ecclesiam sancti Aigulfi sub Pruvinensi oppido sitam occuparent, ad ibidem Deo perpetualiter serviendum. Donationem ecclesiæ S. Savinæ & S. Andreæ a Theobaldo monasterio Cellensi factam, confirmari curavit Bernardus a Philippo rege anno 1071, VII cal. Maii. A Burdino de Belloforti feodum quoddam apud Fontanetum accepit 1089, indictione 12.

Ch. VIII, col. 251.

XIII. Gauzmarus ex monacho Majoris-monasterii insulæ Germanicæ factus abbas, occurrit cum Lamberto Pultariensi, Othone Arremarensi, Aimerico Oiensi, Hugone S. Sepulcri abbatibus in charta fundationis Cellæ S. Petri de Domno Petro factæ a Theobaldo ejudem loci toparcha. Interfuit anno 1095 concilio Claromontano.

XIV. Radulfus subscripsit anno 1104, IV nonas Aprilis donationi ab Hugone Campaniæ comite factæ monasterio Molismensi. Eodem anno interfuit concilio Trecensi. A Pascali summo pontifice privilegio donatus est 1107. Adhuc superstes anno 1117 ex Camusatio.

Spicil. t. IV, pag. 241.

XV. Walterius I seu Gualtherius occurrit 1132 in charta Majoris-monasterii, 1134 in charta Attonis Tricassium episcopi. Dedit anno 1138 monachis de Quinceio sex terræ jugera apud *Belenou* in perpetuum possidenda. Privilegium obtinuit 1139 ab Innocentio II, quo anno Henricus Senonensis archipræsul concessit ei medietatem ecclesiæ de Moncellis.

Thes. anecdot. tom. IV, col. 139.
Chart. XX, col. 260.

XVI. Petrus I ab ipso loco dictus Cellensis, natione gallus, in Campania natus est. Eum nobili genere ortum esse testantur ejus propinqui. Neptem habuit Hawidem, cujus connubium cum Petro de Tornella, ab incestus criminatione vindicat in suis epistolis. Hugonem quoque canonicum Remensem *cognatum* & *amicum suum appellat;* & in epistola ad Berneredum sancti Crispini abbatem apud Suessionas meminit cujusdam *dominæ cognatæ suæ*. Cætera de ejus genere ac parentibus incomperta. Quo in loco vitæ monasticæ rudimentis informatus sit non facile dictu. Eum tamen adolescentulum in monasterio S. Martini de Campis aliquantum temporis egisse satis innuit in epistola ad Cluniacenses quos vitæ remissioris arguit, an vero ordinis Cluniacensis professus fuerit, non liquet. Immo primos juventutis annos in cella Trecensi exegit, cujus in abbatem est electus. Hoc munere dum fungeretur, erga Johannem Sarisberiensem a rege Henrico ex Anglia ejectum hospitalitatem exercuit. Litem composuit 1148 cum Milone filio Theobaldi. A B. Bernardo epistolam hactenus ineditam accepit 1152, qua donatur furno ab abbatia de Moris pendente & apud Trecas posito. Privilegium protectionis & confirmationis obtinuit ab Anastasio papa IV anno 1153. Henricus Trecensis antistes an. 1154 ei restituit ecclesiam

Ch. XXXII, col. 268.

A S. Flaviti de Villa-maura ab iniquis possessoribus diu occupatam. Extat & alia ejusdem pontificis epistola absque chronicis notis, in qua Petrus dicitur permisisse Adelaidi de Capis, ut capellam *de Cemel* construeret, ea lege ut post ejus obitum hæc capella cum omnibus ornamentis suis ad ecclesiam Cellensem pertineret. Eodem anno scilicet 1154 occurrit Petrus in charta Meldensi ubi dicitur abbas de Alneto. Cum Simone de Belloforti litem terminasse perhibetur. Ad eum bullam direxit Adrianus IV summus pontifex anno 1155. Plura ipsi confirmavit Henricus comes 1158, & 1161, quo anno in chartis B Pontiniaci memoratur. Ad sanctum Remigium Remensem translatus est 1162. Postea Carnotensis evasit episcopus. Eum fuisse longe doctissimum probant epistolarum libri IX a Jacobo Sirmundo publici juris facti, aliaque ejus vulgata opera.

Ch. XXXIII, col. 269.

XVII. Walterius II anno 1163 VII cal. Septembris ab Alexandro III, pontificatus an. 4 privilegium impetravit.

XVIII. Drogo occurrit anno 1163 IV id. Novembris in charta S. Quiriaci. Ad eum misit bullam Alexander III summus pontifex anno 1164. Hunc de abbatis dignitate fuisse dimotum C designat Petrus Cellensis epist. 7. lib. 5. sic enim de eo loquitur: jam Drogo ejectus est, ne dicam draco, qui se terram & cœlum non solum concussurum, sed etiam evulsurum armis Judæ proditoris, id est, pecunia minabatur. Idem Petrus monachos Cellenses hortatur ut timorem Dei habeant, & cor apponant in his quæ de Drogone facta sunt, ne similia faciant.

XIX. Girardus I in locum Drogonis suffectus subscripsit anno 1170 litteris tum Matthæi Trecensis episcopi, tum comitis Trecensis pro sancto Remigio. Anno sequenti testis est in litteris ejusdem comitis pro eodem loco. Occurrit 1172 D in charta Odonis decani ecclesiæ Senonensis in gratiam Matthæi episcopi Trecensis. Eodem anno confirmavit idem episcopus donationem ab ecclesia Cellensi factam in gratiam Constantii presbyteri. Quædam cedit Girardus 1173 canonicis regularibus de Cantumerula. Reperitur in charta Arremarensi 1174, quo anno Matthæus episcopus eum inter & Dervensem abbatem controversiam exortam sopivit. Eodem anno testis adducitur in litis compositione inter Johannem de Argentolo & magistrum Nicolaum priorem S. Johannis de Castello. Chirographum E apponit chartæ Matthæi episcopi pro monasterio Omnium SS. Catalaunensi 1175. Quo anno etiam Rainaldo abbati Capellæ ad Plaucas aliquid sub annuo censu concedit. Adhuc præerat 1176 & 1177. Transigit anno 1180 cum fratribus de domo Dei montis jovis. In arbitrum assumitur in conventione facta monachos Arremarenses inter & Ripatorium anno 1183. Forte pluribus annis ante mortem cesserat, nam

Chart. XL, col. 274.
Ch. XLI, col. 274.

XX. Hugo gubernaculum jam tenebat anno 1180 ut constat ex charta B. Mariæ. Transigit 1184 cum Erardo comite Brennensi super nemore de Brocis. Eodem anno invenitur in

Digitized by Google

charta Dei-loci. Pactum iniit 1185 cum Gertrude abbatissa B. Mariæ coram Guiterio abbate S. Lupi & Rainaudo abbate Oyensi. Hoc anno jura quæ monasterium Cellense in parochia *de Moncelles* ab Hugone Senonensi archiepiscopo acceperat, & possessiones in diœcesi Trecensi contentas a Manasse episcopo roborari fategit. Guido Catalaunensis antistes ipsi confirmavit quidquid monachi Cellenses in sua diœcesi possidebant anno 1188. In Dervensi necrologio notatur VIII idus Junii. A

XXI. Guillelmus I quædam dat sub annuo censu anno 1191.

XXII. Petrus II occurrit 1191 in charta Arremarensi, 1192 in charta Clarævallensi. Memoratur etiam annis 1193 & 1195, quo anno Garnerius Trecensis episcopus ipsi confirmat præsentationem ad ecclesiam Rumiliaci, aliaque jura, testibus Guiterio S. Lupi & Rainaudo Oyensi abbatibus. Cum Drogone S. Lupi abbate judex delegatur a summo pontifice dirimendæ causa litis motæ monachos Arremarenses inter & Haimonem *de Maignat*, totamque Furnariorum societatem super usuario nemoris de Trochouda an. 1198 mense Decembri. Reperitur 1202 in charta B. Mariæ, 1203 Pontiniaci, 1204, 1205 Vallis lucentis, & 1206 Claræ-vallis. B C

XXIII. Guillelmus II dedit anno 1210 mense Junio litteras in gratiam ecclesiæ sancti Quiriaci Pruvinensis. Eodem anno transegit cum Theobaldo Cantumerulæ abbate. Pacificitur 1212 cum Herveo episcopo. Memoratur etiam anno 1214 mense Decembri in cartulario Campaniæ. Statuto decrevit 1217 ut omnes decimæ de S. Johanne de Bona valle infirmorum necessitatibus destinarentur. Quin etiam jussit ut horum redituum œconomia uni ex monachis demandaretur, qui eos in usum impenderet. Confirmavit anno 1220 decimam & consuetudines quas Odinetus Rufus concessit magistro militiæ templi apud saltum Giraudi. D

Ch. LVIII, col. 288.

XXIV. Letericus pepigit anno 1220 mense Aprili cum abbatissa & conventu B. Mariæ Trecensis super decima de S. Potamio & super usuario nemoris de Junigniaco coram judicibus ad hoc delegatis. Arbitris vero bonis viris, compromiserunt in comitissam Campaniæ, & ex utraque parte plegii dati sunt inter quos Bartholomæus S. Stephani decanus pro abbatissa fuit plegius. Comitissa monialibus adjudicavit quintam partem decimæ, & in nemore lignum ad ardendum quantum biga vehitur. Memoratur 1221 & 1222 in chartis Vallis lucentis, 1225 episcopi Trecensis, 1226 Claræ-vallis, 1231 Pontiniaci, & ecclesiæ Trecensis 1232 mense Nov. Pontiniaci. Pactionem iniit 1235 mense Aug. cum Theobaldo Campaniæ comite de quibusdam hominibus. Eodem anno in societatem bonorum, quæ apud Drotum S. Mariæ possidebat, censu & consuetudinibus exceptis, regem ascivit. Societatem iniit 1236 cum monachis Reomensibus. E

XXV. Johannes I *Rigaut* cum Galterio sancti Lupi abbate reperitur 1239 mense Januario. Eo defuncto monachi Cellenses a comite Campaniæ eligendi abbates facultatem petierunt anno 1241 dominica Sexagesimæ.

XXVI. Petrus III cum Johanne priore sancti Aigulfi Pruvinensis compromisit anno 1242 die dominica ante natale Domini. Occurrit etiam 1244 in charta B. Mariæ de Moris.

XXVII. Girardus II 1246 mense Aprili.

Prior & conventus facultatem petunt 1249 abbatem eligendi a rege, die veneris post octavam S. Martini; & a comite Campaniæ, die lunæ post dominicam Palmarum, & iterum in quindena Pentecostes.

XXVIII. Willelmus III componit 1251 cum Præmonstratensibus Dei-loci. Memoratur etiam 1252 mense Octobri; in manibus Urbani IV regimini cessit.

XXIX. Felisius I consanguinitatis linea Urbano conjunctus, monachus S. Vincentii Laudunensis electus est a quatuor monachis Cellensibus apud sedem apostolicam constitutis, delegatisque ab Urbano summo pontifice qui ejus electionem confirmavit, & regi Navarræ, comiti Campaniæ eum commendavit nonis Maii 1262. Locavit 1267 mense Martio de consensu regis decimas vinearum quas cum eo pluribus in locis habebat. Occurrit 1270, 1271 in chartis B. Mariæ de Prato. Litteras dedit pro ecclesia sancti Quiriaci 1279, quo anno cum Gaudrico abbate Reomensi societatem renovavit.

Thesaur. anecdot. t. II, col. 3.

XXX. Guischardus anno 1284 cum priore S. Aigulfi scribit ad Gilonem archiepiscopum Senonensem. Ab Edmundo Henrici regis Angliæ filio & Blanca Navarræ regina, Campaniæ Briæque comitissa Palatina ejus consorte emit anno 1290 villam de Verdeyo cum omnibus appenditiis. Hanc acquisitionem anno 1294 ratam habuit Philippus rex Francorum. Memoratur in charta 1296. Transegit 1297 cum Johanne Trecensi episcopo super præsentatione ad capellanias de Verdeyo. Ipse episcopus Trecensis electus est 1298.

XXXI. Horricus, gallice *Horri*, in quibusdam chartis etiam dictus Henricus, aliquot domos emit anno 1311 a Guillelmo *de Charrui* milite. Alia quædam acquirit annis 1313 & 1314. Jacet in ecclesia cum hoc epitaphio : *Hic jacet Horricus quondam abbas hujus monasterii Cellæ qui rexit feliciter per viginti annos, & obiit anno 1319 die martis quarta mensis Decembris.*

XXXII. Guillelmus IV dictus *Rabustians* 1320. Reperitur 1321 executor testamenti Jaqueti Naaleti. Privilegium adducendi in urbem 50 dolia vini monachis Ripatorii concessum ab abbate ejusdem loci emit anno 1322. Extant litteræ datæ anno 1324 die veneris ante festum S. Dionysii in quibus Gerardum de Cutexo priorem de sancta Cruce Pruvinensi, Johannem *de Bruillicur* eleemosynarium, & Stephanum de Vonis Cellensem præpositum suos constituit procuratores generales. Jacet in ecclesia epitaphio donatus.

XXXIII. Felisius II 1325 in charta B. Mariæ de Prato si bene legitur.

Digitized by Google

XXXIV. Stephanus Aldobrandi anno 1337 fidelitatis juramentum a Johanne *Gonesse* parocho de Moncellis accepit. Fuit thesaurarius & cubicularius Clementis VI: a quo in Italia primum episcopus Casinensis eligitur 1342 idibus Martii. Trienno post S. Pontii Tomeriarum episcopus evasit. In necrologio notatur III nonas Martii.

XXXV. Guillelmus V *de Leschemel* 1342 transigit cum Johanne milite Domino sancti Memorii. Eodem anno ab abbate & monachis Oyensibus rogatus, eorum abbatiam in prioratum conventualem a Cella pendentem ab episcopo Trecensi redigi sategit, idque a Clemente summo pontifice confirmari curavit. Reperitur & annis 1344 & 1348 quo suum instituit anniversarium.

XXXVI. Aimericus Orlhuti quem abbatem fuisse S. Genulfi Bituricensis nonnulli volunt, anno 1348 fuit electus Cellensis. Eodem anno cœnobii Cellensis ædificia hostili Anglorum deprædatione diruta sunt, adeo ut monachi coacti fuerint in Dominicanorum Trecensium domum commigrare, & ibi divinis officiis incumbere, donec collapsæ ædes restituerentur. Transigit 1351 cum Gaufrido de Charneio domino de Livreio. Occurrit 1352 in chartis B. Mariæ Trecensis, & anno 1360 die ultima Aprilis. Excepit 1363 hominium Drogonis de Capis. Adhuc præerat 1385, eo moderante monasterium fuit reformatum.

XXXVII. Henricus *de Vianne* 1387 recipit hominium Johannis *de la Porte* militis domini *de Beaurepaire*. Memoratur & an. 1389. Circiter annum 1391 diplomate dato Avenione 18 Maii a Clemente VII impetravit jus mitræ, annuli, cæterorumque ornamentorum pontificalium, ea lege ut Cancellariæ tres florenos aureos solveret.

XXXVIII. Petrus IV *Marsault* obiit 1401.

XXXIX. Ogerus *de Sens* post obitum Petri, & priusquam in abbatem assumeretur, a senatu Parisiensi ad regimen monasterii fuerat commissus, illudque sapientissime rexit. Præpositi munere fungebatur cum monachi Cellenses legitime in capitulo congregati abbatis electioni processuri, elegerunt alii Ogerum, alii vero Audibertum priorem sancti Aigulfi Pruvinensis. Hanc electionem propter defectus tam juris quam facti fecit irritam Stephanus episcopus Trecensis. Verumtamen abbatiam de legitimo pastore providere cupiens, omnes & singulos monachos ad se convenire jussit, eisque præcepit ut nominarent aliquem monachum de suo gremio, vel aliunde magis habilem & sufficientem ad regendum monasterium. Omnes singulariter, deinde uno consensu Ogerum nominarunt an. 1401 die 21 Octobris, & ejus electionem ab episcopo eodem die confirmari curaverunt. Ecclesiam & turrim ædificavit anno 1403. Recognovit die 7 Octobris anno 1414 se esse subditum episcopi Trecensis, confessusque est se teneri singulis annis adesse synodo Trecensi. Addidit quod si infirmitate non fuisset impeditus, synodo ab episcopo nuper celebratæ interfuisset.

Camusat. p. 30 verso & seqq.

Id. p. 36.

A In ecclesia quiescit hoc epitaphio decoratus: *Ogerius abbas, qui readificavit ecclesiam, obiit anno 1422.*

XL. Nicolaus I de Logia decretorum doctor anno 1423 fidelitatis obsequium recipit a curatis a Cella pendentibus. Memoratur anno 1428 indict. 7. Et in variis cartis usque ad 1435, quo anno propter infirmitates coadjutorem assumpsit.

XLI. Johannes II *Joyat* prior S. Sepulcri, Nicolai de Logia coadjutor efficitur 1435.

XLII. Johannes III *Richard* cujus anniversarium in necrologio notatur calendis Julii, in B capitulo generali jussit ut apud Cellam & prioratus conventuales ab ea pendentes, Visitatio B. Mariæ annuatim celebraretur. Jacet in ecclesia.

XLIII. Johannes IV *Raulin* defunctus 1457.

XLIV. Petrus V Michaëlis ex priore sancti Aigulfi Pruvinensis a monachis abbas electus est anno 1457. Actus ejus electionis visitur apud Camusatum, p. 33 & seqq.

XLV. Ludovicus *Raguier* episcopus Trecensis commendam obtinebat 1470. Eodem anno 23 Aprilis sancti Frodoberti reliquias in capsam elegantem, imaginibusque ornatam transtulit.

XLVI. Nicolaus II *de la Place* Ludovici nepos, C decanus ecclesiæ Trecensis, decessit 1488.

XLVII. Carolus I *de Refuge* possessionem iniit 14 Maii 1488. Adfuit translationi capitis S. Lupi anno 1505. Claustrum construxit. Denatus 1517, jacet in ecclesia.

XLVIII. Antonius *Girard* regularium ultimus fuit electus 1517. Adstitit 28 Martii an. 1528 solemni ingressui Odoardi episcopi Trecensis. Pedum tenuit decem & septem annis, per quos ecclesiam a fundamentis restaurari curavit, & eam variis ornamentis elegantibus & pretiosis decoravit. Missam & quinque anniversaria fundavit 1534. Eodem anno vitam finivit 20 Junii. D Jacet in choro cum epitaphio.

XLIX. Carolus II *de Lorraine* Claudii ducis Guisiæ ex Antonia *de Bourbon* filius, Joinvillæ nascitur XII cal. Martii anno 1524 & abbatia Cellensi donatus est in cunis. Occurrit 10 Februarii 1536. Resignavit sequenti anno 1538 quo archiepiscopatum Remensem est adeptus.

L. Franciscus *de Dinteville* episcopus Autissiodorensis, invita cessione Dervi, Arremarensis & Cellensis commendatarius evasit anno 1538. Sed non diu potitus est, nam e regno egressus, omnes ejus reditus in manus commissariorum a rege traditi sunt. Paucis annis post reversus, E priusquam bonorum possessionem recuperaret, ab episcopo Vaurensi uno ex commissariis fuit coactus abbatiam Cellensem in eum transmittere. Resignatione peracta oppositionis scriptum a duobus notariis apud Joinvillam accepit 26 Junii an. 1542, eodem die & anno quibus resignaverat. Extant litteræ Francisci Galliæ regis datæ die 28 Junii ejusdem anni, quibus veniam ei impertitur, eumque in singula bona restituit. Immo rex præcipit ut de reditibus perceptis ei rationem accuratam referant commissarii.

Camusat. p. 25 & seq.

Ibid.

LI. Petrus VI *de Mareuil* episcopus Vaurensis

Digitized by Google

a summo pontifice confirmatus, abbatiam cessione minime voluntaria extortam aliquandiu retinuit. Senatusconsultum obtinuit 1541 ut reformaretur monasterium. Memoratur anno 1542 mense Novembri in litteris Francisci regis, quibus ille rex imperat ut Cellenses ei obedientiam exhibeant. Quapropter tum regis, tum curiæ supremæ Parif. auctoritate fultus, monachos e congregatione Casalis benedicti, Cellensibus adversantibus, causa reformationis introduxit anno 1543, qui ibi remanserunt usque ad annum 1548, quo anno a vicariis generalibus episcopi Trecensis in hac causa judicibus delegatis, statutum est ut inde discederent; locum & ipse sequenti cedere coactus est.

Camusat, p. 28 & seqq.

LII. Franciscus *de Dinteville* supremæ curiæ Parisiensis decreto in possessionem est restitutus 1548. Adhuc fruebatur 1551. Obiit v cal. Octobris an. 1554.

LIII. Benjamin *Duplessis* commendam obtinebat 1564, 1566. Ecclesiam vitris elegantibus decoravit. Adhuc superstes 1608.

LIV. Jacobus I *Godard* senator Parisiensis, filius Francisci *Godard* itemque senatoris, regi a consiliis & eleemosynis, capellanus sacræ Capellæ Parif. prior de Ulmis, commendatarius S. Leonardi de Calmis, occurrit 1638, 1651 & 1653. Ejus tempore reformatur monasterium & congregationi S. Vitoni unitur. Obiit 1662.

LV. Jacobus II *Godard* superioris nepos, filius Johannis *Godard* senatoris Parisiensis ex Claudia *Touchet*, nominatur 1662. Possessionem adipiscitur 1663. Diem extremum clausit 1684. Potitus est quoque commenda sancti Leonardi de Calmis.

LVI. Renatus *de Mornay* Henrici Marchionis *de Montchevreuil* & Margaritæ *Boucher d'Orsay* filius 1684 & 1689. Cessit anno 1700 quo Ursicampum est adeptus. Nuncii extraordinarii apud regem Portugalliæ munia gessit. Cessit e vita anno 1720 designatus archiepiscopus Vesuntionensis.

LVII. N. *de Berard de Villebreuil* 24 Decemb. 1700. Fit etiam Sosmensis commendatarius 5 Aprilis 1709.

Præter istos abbates in necrologio leguntur

Robertus IV nonas Februarii.

Johannes Rigaudus qui Jugerum vineæ in clauso Chableiarum concessit VIII cal. Martii.

Rainaldus XVII kal. Julii.

MONASTERIUM ARREMARENSE.

Monstier-Ramey.

Quatuor leucis ab urbe Tricassina semotum Arremarense cœnobium, originem nomenque suum debet Adremaro presbytero, qui munificentia Aledranni Trecensis comitis, locum in silva Dervensi situm, *Mansus-Corbonis* dictum adeptus, ibi annuente Adalberto Tricassium antistite cellam construxit anno 837. Ad eumdem annum hujus monasterii primordia refert perantiquus codex cujus verba sic habent: Anno ab incarnatione Domini DCCCXXXVII, indictione secunda fundatum est cœnobium in silva quæ vocatur Dervus, in loco qui dicitur Mansus-

Charta II, col. 247.

A Corbonis, postea Nova-cella, in pago Tricassino, a presbytero quodam Adremaro, existente tunc Tricassino antistite Adalberto, comite Aledranno. Ubi Cointius recte monet indictionem corrigendam & pro secunda reponendam indictionem decimam-quintam. Et certe in ipsa notitia fundationis quam ex chartulario assumptam in appendice referimus, legitur indictio non secunda, sed decima-quinta. Ex hoc loco patet, triplex fuisse olim hujus monasterii vocabulum, quod ab auctore *Adremarense*, ab antiquo possessore *Mansus-Corbonis*, a condito recens monasterio *Nova-cella* nuncupatum est, rarissime B *Dervense*, tametsi in saltu Dervo conditum, ne cum sancti Bercharii Dervensi monasterio confunderetur. Quorum alterum positum ad Vigeram fluvium in Pertensi pago diœcesis Catalaunensis; alterum ad Barsam amnem in agro Tricassino. Ubi structura cœnobii perfecta & absoluta fuit, a Leone summo pontifice Adremarus expetiit ut illud consecrandum mandaret. Hic autem ipsius pietate concitatus, litteris datis anno 847, sui pontificatus primo juxta Baronium, hortatus est Prudentium Tricassinum antistitem ut monasterium quod construxerat Adremarus monachus consecraret, jubetque pontifex ut sanctæ Trinitati C ejus loci basilica dedicetur, sub titulo B. Apostoli cui illud subjicit, atque S. Leonis papæ. Carolus calvus compluribus litteris prædia monasterio collata firmissima esse & jus perpetuæ stabilitatis habere mandavit. Id patet primum ex diplomate quod Odo illustris comes obtinuit septimo calendas Maii indictione duodecima anno ejus regni vigesimo-quarto. Is regiæ serenitati exposuit quod tempore prædecessoris sui Aledranni quondam comitis in comitatu Tricassino, quidam virorum religiosorum Adremarus, reverendus Dei sacerdos in eodem pago & in silva quæ vocatur Dervus, super fluvium Barsan, per licentiam venerandi D pontificis Tricassinæ civitatis Adalberti in loco inculto, sibi ad expurgandum & excolendum concesso, cellam ædificaverit, scripto hac de re instrumento ab episcopo & comite prædictis roborato. Quod Odo ipse a Carolo rege confirmari petiit, obtinuitque, ita ut post excessum ejusdem venerabilis patris Adremari monachis suis libera esset eligendi abbatis facultas secundum regulam S. Benedicti, absque alicujus comitis interrogatione, cum eo tamen, ut partibus comitis, quia de suo jure res quondam fuisse noscuntur, abbas ejus loci in festivitate S. Petri denarios viginti persolveret, sicut in primario E illo privilegio continebatur. Dum Compendii eodem anno versaretur Carolus, eum interpellavit idibus Maii carissimus ejus avunculus Radulfus comes, ut sanctis fratribus sub monastico ordine in cellula quæ Dervus vocatur, super fluvium Barsan seu Barsich a quodam viro religioso Adremaro initiata in honorem B. Petri, conferret stirpes quasdam ex rebus Tricassinensis comitatus, quas ipsi proprio labore ad agriculturam perduxerant. Petenti rex annuit, ejusque rei limites disterminat. Imo quasdam res in pago Tricassino, id est campum unum apud Tanoelarias situm

Camusat, p. 283.

Charta III, col. 248.

Charta IV, col. 248.

Digitized by Google

concessit alteris litteris datis in monasterio sancti A Dionysii sui regni anno 31. Quin etiam in Burgundiæ pago Atoariensi diœcesis Lingonensis, monasterium Alsa nuncupatum, in honorem sancti Salvatoris cum Ludovico filio exstruxit, prætermissum a nobis in veteribus monasteriis diœcesis Lingonensis. Huic autem Rotfridum abbatem ex Manso-Corbonis præfecit. Post Rotfridum suffectus est Sadrabertus qui illud a Carolo rege impetrare decertaverat. Defuncto Sadraberto cœnobii Alsæ monachi a Carolomanno rege petierunt ut loco ipsius Sadraberti abbatem nomine Rotfridum sibi ipsis annueret. Quod indulsit Carolomannus, sanxitque præcepto dato B 883, quinto idus Februarii, anno sui regni quinto, indictione prima, ut nullus alterius loci monachum eis præficeret, sed solum ex ipsis qui regulariter ibi ab infantia nutriti fuissent: ut quieti ac molestiæ expertes illic degerent monachi, & pro se, suisque parentibus, ac pro regni statu liberius Deum precarentur.

Chart. V, col. 249.

Non ita multo post quidam monachus nomine Agnius, ex eo quod Sadrabertus prædictam Cellam a Carolo rege impetraverat, eam occupare aggressus est. Quamobrem Odonem regem, Vermeriæ ad solemne placitum residentem adiit, C causam dicturus. Assignati sunt ei judices, qui causa diligenter examinata, monachi proclamationem tanquam inanem & frivolam rejecerunt; & sanxerunt ut Cella Alsa monasterio ex Manso-Corbonis, uti ante, subesset, & sub abbatis Adremarensis ordinatione regulariter consisteret, neque deinceps Agnius in illam se intromitteret. Verum is hoc decretorio judicio haud contentus, iterum novas lites movit, & eamdem Cellam invasit. Quapropter adeundum ratus Adremarensis abbas Conedam seu Conadam, ubi tum rex versabatur, profectus, præcepta superiorum regum, atque apostolicæ sedis privilegia regi exhibuit, quibus constabat hanc Cellam suo D monasterio primitus fuisse subjectam; petiitque ut id novo diplomate rex denuo approbaret. Quod eum regia tuitione & libera ex ipsis eligendi abbatis facultate princeps incunctanter indulsit pridie calendas Octobris, indictione x anno 892.

Ibid.

Charta VI, col. 251.

Adremarensis cœnobii facultates auctæ fuerunt an. 898 liberalitate Roberti Cadusiæ toparchæ, pro quo illic jacente missa quotidie celebratur. Hugo Campaniæ comes contulit anno 1100 justitiam & quidquid possidebat in suburbio S. Martini Tricassinæ civitatis. Præterea idem comes ab abbate Adremarensi rogatus, monachis E cujusdam prioratus juxta muros Tricassium positi, ab eodem cœnobio pendentis, qui olim sancti Johannis de Castro titulum prætulit, nunc vero S. Blasii nomine insignitur, concessit an. 1122 sextarium frumenti atque vini & alia quædam, quæ singulis annis monachi ejus loci dare tenebantur ad portam civitatis quæ versus abbatiam Arremarensem versa est. Cæterorum prioratuum ab hoc loco pendentium numerus exhibetur in probationibus libertatum ecclesiæ Gallicanæ editis anno 1651, p. 575.

Camusat, p. 286.

Ch. XVI, col. 257.

Non alienum esse videtur hic pauca dicere de Nicolao Arremarensi monacho, qui tempore Bernardi abbatis Clarævallensis extitit adeo celebris. Is litteris humanioribus pro tempore plurimum fuit excultus. Bernardi modum scribendi imitari studuit ut se in ejus familiaritatem insinuaret. Hinc sæpe eum tentavit ut se apud Claram-vallem admitteret, at sæpe repulsus est, sive ejus ingenium odoraretur Bernardus, sive ejus translationi Guido abbas obsisteret. Tandem remotis omnibus impedimentis, in Claram-vallem admissus est cum Theobaldo priore Arremarensi. Vix in Clarævallensium societatem receptus erat, cum Bernardus eum sibi notarium adoptavit. Hoc in munere magistri sui indulgentia & facilitate abusus, non tantum epistolas ejus nomine, eo inconsulto ad diversos scripsit; sed etiam ejus sigillum in malos usus adulteravit, & demum Claram-vallem fœdissima defectione deseruit. Post diversos hinc illincque discursus, mortuo Bernardo, in pristino suo monasterio substitit, ubi licet tam turpi labe inustus, tantam sibi postea famam fecit, sibique adeo principum, episcoporum, summorum etiam pontificum devinxit animos, ut ipsis carus evaderet. Testes sunt epistolæ Adriani IV & Alexandri III quas edidit Martenius ampliss. collect. t. II. Hoc in cœnobio congregationi sancti Vitoni unito ab anno 1655 servantur reliquiæ sancti Victoris presbyteri Trecensis, cujus officium composuit S. Bernardus.

Abbatum seriem descripsimus tum ex manuscripta historia ejusdem monasterii, tum ex archivis quæ lustravimus.

Catalogus Abbatum.

I. Adremarus in territorio Tricassium natus ab ineunte ætate in eadem urbe sanctæ religionis institutionibus fuit educatus. Tum erat presbyter cum quemdam elegit locum in silva Dervensi qui dicebatur Mansus-Corbonis, super fluvium Barsam situm, ubi contemplationi vacaturus, monasterii ædificandi consilium cœpit. Ejus proposito favit Aledrannus Trecensis comes, eique sub censu viginti denariorum quotannis in festivitate B. Petri solvendorum, locum cessit an. 837 indict. xv. Quam quidem donationem laudavit Adelbertus Tricassinus antistes ab Aledranno rogatus. Jam forte monachus ante conditum cœnobium erat Adremarus, sed presbyter tantum dictus pro more illorum temporum. Cum post aliquot annos cœnobii structura perfecta & absoluta esset, Romam perrexisse dicitur a summo pontifice suppliciter efflagitaturus ut illud ad perpetuum Dei honorem & in monachorum sedem consecrandum mandaret. Leo qui tunc temporis ecclesiæ Romanæ præerat, votis ejus accedens, litteris Prudentium Tricassinum antistitem hortatus est, ut monasterium quod construxerat Adremarus monachus in honorem SS. Trinitatis sub titulo S. Petri atque S. Leonis consecraret, eoque reconderet reliquias eorumdem Sanctorum, quas Adremarus dum Romæ versaretur ab ipso acceperat. Romam iterum profectus

Chart. II, col. 247.

Camusat, p. 283.

Digitized by Google

anno 850 Viterbii decessit decimo calendas Aprilis ejusdem anni, hoc epitaphio donatus a posteris.

Dux gregis & lampas mirabilis omnibus abbas
Domnus Arremarus est vitæ carnis ademptus.

Non prætereundum quod in chronico Alberici de isto Adremaro refertur, scilicet quod is diceretur fuisse unus ex septem gemellis fratribus quos domina de Triangulo uno partu peperit.

II. Rotfridus a Johanne VIII summo Pontifice Trecis concilium celebrante anno 878 decimas de Curte argenterii confirmari curavit. Monasteriolo in pago Atoariensi quod quondam Alsa vocabatur, ab ipsis fundatoribus Carolo Augusto ac Ludovico præfectus est.

III. Erchengerus vel Archangerus successit anno 886. Cellam pagi Atoariensis Alsa dictam evindicavit adversus quemdam monachum nomine Agnium, qui eam repetebat, eo quod Sadrovertus abbas post Rotfridum a Carolo rege eam impetraverat, aliusque post Sadrovertum Rotfridus. Causa cecidit Agnius in placito Vermeriensi anno 892. Cumque eamdem Cellam adhuc repeteret, ab Odone rege eodem anno adversus eum privilegium obtinuit Erchengerus pridie cal. Octobris, quo monasterium Alsa jam dictum ipsi, ejusque successoribus in perpetuum pareret.

IV. Bertoldus seu Bertradus laudatur tempore Manassæ Divionensis comitis in præcepto Richardi Burgundiæ ducis in quo agitur de vexatione villæ Cadusiæ per Ragenoldum. Memoratur etiam in synodo Trecis habita anno sexto Rodulfi regis 928, XII calendas Junii; seditque annis 22.

V. Vandelricus monachos ad synodum Lingonensem, sedente Henrico episcopo, misisse dicitur, ac 16 aut 20 annis locum rexisse.

VI. Gratianus legitur præfuisse, Ansegiso episcopo Trecensi, obiit 962.

VII. Orlandus e vivis abscessit 987.

VIII. Guido I seu Wido, ad eum extat epistola 36 Gerberti ex persona Adalberonis archiepiscopi Remensis ubi dicitur abbas Andervensis, id est, S. Petri in Dervo.

IX. Bozo.

X. Adoldus levita.

XI. Oldericus I.

XII. Guido II.

XIII. Oldericus II obiisse dicitur 1045.

XIV. Valerannus vir in sæculo nobilissimus, Gilduini Britoliensis comitis filius, fratrem habuit Hugonem episcopum Lingonensem. Primo militiam professus est, sed in Barrensi prælio, a Godefrido filio Gozelonis, in calcaneo graviter vulneratus, unde claudus remansit, vitæ incolumitate petita & accepta, Virduni sub disciplina Richardi abbatis sancti Vitoni, uti voverat, monachum induit anno 1034. Ubi vero in cœnobitica vita sese ad tempus exercuisset, vitæ remotioris studio, secessit primum in locum a Romarici monte quindecim millibus semotum; indeque ad locum qui Rombecus dicitur. Jam decimum annum in hac palæstra agebat cum Richardo in regimine monasterii successit. Rexitque abbatiam Arremarensem ubi veneno periit, ibidemque sepultus est. De eo ita scriptum in necrologio: VI cal. Julii anno Domini 1060 obiit domnus Walerannus, abbas hujus loci ex comite conversus.

XV. Odo obiisse dicitur 1099 ex Sammarthanis, 1095 juxta Martenium.

XVI. Otho ab Hugone Trecensi comite donatus est anno 1100 indict. VIII justitia & omnibus quæ possidebat in villa S. Martini juxta muros Tricassinæ civitatis. Subscripsit 1104 mense Aprili litteris Hugonis Campaniæ comitis, datis in gratiam monasterii Molismensis. Guillelmus episcopus Bisuntinus dedit ei ecclesiam *de Salnetz* anno 1110, & Joceranus Lingonensis ecclesiam sancti Remigii fundatam a Roberto decessore. Demum occurrit cum Gauzmaro Cellensi, Aimerico Oyensi, Hugone S. Sepulcri abbatibus in charta fundationis Cellæ de Domno-Petro. Obiit 1116. *Spicil. t. IV. p. 241.*

XVII. Galterius I a Pascali II summo pontifice sui monasterii bona confirmari curavit 1117. Eidem Jocerannus episcopus Lingonensis anno 1120 sexto idus Maii concessit ecclesiam sancti Laurentii de Villeio, & confirmavit alias ecclesias quibus fruebantur Arremarenses in Lingonensi diœcesi. Circa idem tempus Renaudus de Monte-Lherici ipsi gratificatus est de parte justitiæ quam habebat in pago S. Martini. Item anno 1121 III calendas Septembris indict. XIV donationem accepit a Rocelino & Hilduino fratribus de Vandopera. Ab Hugone Campaniæ comite jam secundum iter Jerosolymitanum aggresso donationem obtinuit apud civitatem Æduensem, quam coram legitimis testibus Tricassinæ urbis ab eodem comite Jerosolymis reverso firmari fategit anno 1122 VII idus Octobris. Donatus est etiam anno 1134 quinto calendas Maii ecclesia S. Germani de Mareolis a Guillenco episcopo Lingonensi. Huic tandem Gualterius comes Brennensis & Rametucensis dedit 1136 XII cal. Julii sedem super Albam ad molendina construenda. Eodem anno e vita migrasse dicitur. *Camuzat. p. 286.*

XVIII. Guido III jam præerat anno 1137 uti constat ex privilegio quod eo anno ipsi indulsit innocentius II. Attoni episcopo Trecensi fuit carus & Bernardo Clarævallensi dilectus & familiarissimus, qui ad ejus preces officium & duos sermones composuit de sancto Victore confessore. Quod patet ex epist. 398. Ab eodem abbate aliam accepit epistolam in ordine 297, qua rogatur ut recipiat monachum, qui rejecto habitu, e monasterio evaserat. Transegit 1138 cum Hugone de Maseriis. Ipsi ad precem Hugonis episcopi Autissiodorensis & divi Bernardi Atto episcopus dedit ecclesiam de Clareio; quam donationem sua auctoritate firmavit Innocentius nonis Maii. Paulo post eisdem rogantibus aliam addidit Atto ecclesiam nempe de Follis; in cujus donationis confirmationem ad eum misit rescriptum Lucius II XV calendas Aprilis. Hæc ecclesia specialiter data est in gratiam Nicolai

Digitized by Google

monachi Arremarensis qui episcopo fideliter & A efficaciter tum Romæ, tum aliis in locis servierat. Idem forte est Nicolaus ille qui ab abbate extorto consensu, ad Claram-vallem se recepit; ubi a B. Bernardo notarii officium ipsi commissum est, sed magistri fiducia abusus, in turpissimam defectionem prolapsus est. In Ripatorium recens fundatum munificum se præbuit Guido, nam ad petitionem S. Bernardi, donis huic monasterio jam collatis, addidit etiam villam Bruseliacum cum appenditiis anno 1141. Præterea monachis de Moris donavit terram quæ vocatur Monsmedius. Capsulam fabricari curavit anno 1149 in quam intulit reliquias SS. Martyrum Mauritii, B Stephani, Laurentii, Vincentii, Leodegarii, Gengulphi, & sanctorum confessorum Athanasii, Martini, Mauricii, Anthonii, Benedicti, & S. Felicitatis virginis & Martyris. Occurrit 1151 in chartis monasterii Omnium sanctorum Catalaunens. atque etiam in chartis Trecensibus. Dum apud Claram-vallem versaretur anno 1152 a Godefrido Lingonensi episcopo obtinuit ecclesias de Landrevilla & de Lochis quas munimine roboravit Adrianus IV II nonas Februarii. De quadam grangia pactionem iniit 1158 mense Februario cum Willelmo abbate de Maseriis. C Ab Henrico comite Campaniæ quibusdam apud Barrum donatus est 1161. Fato functus est 1163. In necrologio consignatur idibus Julii & XIV cal. Novembris.

XIX. Gualterius II pactus est tempore Henrici episcopi cum Odone constabulario Henrici Campaniæ comitis. Quædam accepit anno 1170 a Clarembaldo de Capis, & anno 1172 a Girardo comite Brennensi. Eodem anno Godefridus Furnerius teste Matthæo Trecensi episcopo dedit partem villæ Clareii, & Henricus Trecensis comes ad preces dilecti & familiaris sui magistri Nicolai Arremarensis monachi, & posthac sancti D Johannis de Castello prioris, remisit gistum in villa de Fraidvalle. Pactionem iniit Galterius 1174 cum Harduino Ripatorii abbate. Eodem anno, mediatore episcopo Trecensi Matthæo, controversiam sopivit cum abbate Cellensi. Obiisse dicitur 1176.

Ch. XLI, col. 279.

XX. Nicolaus ab Alexandro III pro confirmatione possessionum monasterii bullam obtinuit 1178 VIII idus Novembris. In quadam charta dicitur abbas monasterii sancti Petri siti in loco qui dicitur Mansus-corbonis.

XXI. Stephanus præerat inquiunt anno 1178. Reperitur 1181 in cartis B. Mariæ *de Moris*. E Composuit 1182 coram Petro Carnotensi episcopo & de consilio Alani Autissiod. episcopi de quibusdam juribus cum monachis de Ripatorio. Donum accepit 1190 ab Odone domino de Vandopera. Dies ejus obitus consignatur in necrologio Dervensi VIII calendas Martii forte anni 1191 quo episcopus Trecensis Bartholomæus sede vacante ad electionem alterius abbatis se vocatum fuisse testatur, salvis tamen monasterii privilegiis.

XXII. Theobaldus ex priore S. Johannis de Castello abbas Arremarensis erat anno 1191. Ad ejus præsentationem Bartholomæus Trecensis episcopus anno 1192 ecclesiam de Rulliaco cuidam Matthæo contulit. Donum ab Odone de Vandopera recepit 1193, & a Godefrido *de Fulcharmesnil* 1194, quo anno memoratur in charta Mariæ comitissæ Trecensis. Composuit 1195 cum Johanne decano & capitulo Trecensi coram Mauricio Paris. episcopo, Roberto abbate S. Victoris & Petro cancellario Parisiensi a summo pontifice judicibus delegatis. Privilegium obtinuit 1197 a Garnero antistite Trecensi, quo anno confirmatæ sunt omnes ecclesiæ quas cœnobium Arremarense in diœcesi Trecensi possidebat. Donum accepit 1198 ab Odone de Clareio, & a Godefrido de Fonschardimaisnilio 1199. Cujusdam donationis confirmationem obtinuit a Garnerio episcopo Trecensi 1200. Quædam commutat eodem anno cum Gertrude abbatissa B. Mariæ, & donum recipit a Johanne de Colaverdeyo. Cum Erardo domino Rameruci super justitia Novigenti, testibus Hugone episcopo Parisiensi & Johanne abbate S. Genovefæ, pactum iniit 1203. Quod Blanca Trecensis comitissa ratum habuit. Arbitrio Petri Carnotensis episcopi cum abbate Ripatorii composuit 1204, quo anno mense Decembri ad ejus præsentationem archidiaconus Trecensis curam ecclesiæ de Clareio contulit Oberto presbytero. Helisendi dominæ de Capis & Clarembaudo ob quædam beneficia anno præcedenti accepta, precum & bonorum operum suffragia indulsit 1206. Eodem anno transegit cum Erardo domino de *Chacenay* & cum fratribus *de Moris*. Tandem post multa monasterio acquisita cessit e vita 1207. Jacet ante altare S. Mauritii hoc epitaphio decoratus: *Anno Domini 1207 hic tumulatus est Theobaldus abbas qui obiit V calendas Decembris, cujus anima requiescat in pace.*

In necrologio ita consignatur: obiit Theobaldus ex priore sancti Johannis in Castro abbas vicesimus electus, qui multa bona huic monasterio comparavit, & nostram ecclesiam incœpit, sed morte præventus successoribus consummandam reliquit.

XXIII. Rollandus anno 1207 VII idus Augusti coram Herveo Trecensi episcopo transigit cum Guidone milite cognomento *Boquerel* pro quibusdam decimis. Mense Martio paciscitur cum Hugone milite de Frasneyo, 1208 cum Bochardo de Vandopera. Litem terminat anno 1209 mense Maio cum Guidone de Melliguiaco. Blancæ comitissæ & successoribus Campaniæ comitibus mense Martio concessit medietatem villæ de Pargis ad faciendam novam villam. Controversiam eum inter & Johannem presbyterum de Chaorsa exortam sopiverunt 1210 mense Junio Johannes S. Germani & Johannes S. Genovefæ apud Parisios abbates in hac causa ab apostolica sede judices assumpti. Transegit etiam hoc anno cum Nicolao priore de Gaya. Ab Erardo domino *de Chacenay* aliquid accipit, & cum eodem de quodam jure disputat 1211. Herveus episcopus Trecensis ei cessit 1212 quidquid habebat in ecclesia S. Lupi de Cappis. Cum

Digitized by Google

Cum abbatibus Vallis lucentis & Quinciaci a R. S. Stephani in Cœlio monte presbytero cardinali delegatur mense Julio 1213 ut testium depositiones accipiat de cognatione inter Erardum de Rameruco & Philippam Henrici comitis filiam. Occurrit 1214 in charta Rameruci. Paciscitur 1215 mense Maio cum Urrico, 1216 cum Lamberto presbytero de Novigento super Auson. Habuit 1217 querelam adversus Herveum episcopum Tricassinum. Pactum iniit 1218 cum Hermanno Ripatorii abbate, & anno sequenti cum Perrino de Moncellis Domicello, anno scilicet 1219, quo dimisit mense Januario Blancæ comitissæ medietatem super mortuis manibus hominum & feminarum commorantium in præpositura Meriaci. Memoratur 1220 mense Maio. Ratam habuit 1222 conventionem quam anno 1209 cum Blanca comitissa fecerat. Composuit 1223 cum Erardo de Brenna. A Guidone de Univilla & Gaufrido *de Lesmons* quamdam impignorationem accepit 1224. Quædam dona recepit 1225 mense Maio a Bartholomeo curato de Novigenio & mense Augusto ab Henrico episcopo Trecensi. Eodem anno mense Octobri transegit cum Ermengarde relicta Milonis de Colaverdeyo. Post regimen annorum 17, abdicavit 1225 & diem suum obiit 1229. Vicesimus primus vel septimus abbas dictus. Vitam S. Petri Roma reportasse fertur.

XXIV. Jacobus I ab E. domino de Capis donum accepit 1225 mense Februario. Ipsi quædam prata largita est Agnes Campaniæ comitissa mense Junio anno 1226, quo toparcha de Capis ei aliquid concessit. Pepigit eodem anno cum Guillelmo presbytero de Capis. Anniversarium instituit 1229 pro Jacobo canonico Cameracensi. Quædam acquisivit in villa sancti Saturnini & pactionem iniit cum Dinanno presbytero anno 1230. Ad ejus præsentationem Robertus episcopus Lingonensis curam ecclesiarum de Lonchis & de Landrevilla Nicolao presbytero contulit anno 1237. Obiisse dicitur anno 1238 quo Nicolaus episcopus alterius abbatis electioni interfuit. De eo sic habet recens necrologium: *Die VII Julii commemoratio obitus domini Jacobi hujus nominis primi & hujus loci abbatis 22 qui in prosequendis majoris ecclesiæ inceptis ædificiis expensas non paucas & curas suas magnifice contulit.*

XXV. Jacobus II electus 1238 cum Laurentio abbate Resbacensi societatem iniit 1240. Ecclesiam perfecit, & a Nicolao Trecensi episcopo dedicari curavit anno eodem pridie nonas Novembris. Id innuit sequens distichum:

Bis sexcentenus erat annus bisque vicenus,
Cum consummasti pater abba Jacobe nostram
Ecclesiam: quam tu præsul Nicolae sacrasti.

S. Victoris sacras reliquias in thecam argenteam 1243 reposuit. Excepto brachio quod argenteo vasculo inclusit cui inscripta leguntur hæc verba: *Anno 1240 repositum est hic brachium S. Victoris, corpus ejus in capsa argentea tempore abbatis Jacobi secundi, & eodem anno facta est grangia S. Victoris.*

Protege Philippum victor benedicte magistrum
Virtus Victoris sit multis meta doloris.

Quædam acquisivit 1248 ab Erardo de Brena Rameruci domino. Duobus post annis obiit, sepultusque est in ecclesia ante majus altare hoc epitaphio decoratus: *Anno MCCL nonis Februarii obiit Jacobus secundus nomine abbas monasterii Arremarensis, natusque de hac villa cujus anima requiescat in pace.*

XXVI. Robertus in oppido Arremarensi natus ex facultate Theobaldi Campaniæ comitis monachis Arremarensibus concessa anno 1250, sabbato post Purificationem B. Mariæ, paulo post obitum Jacobi, in abbatem est electus, uti constat ex pacto quod iniit mense & anno eisdem cum vicecomite de Lineriis. B. reginæ Navarræ in festo Decollationis S. Johannis-Baptistæ 1255 donavit medietatem 460 librarum. Guillelmo vicecomiti de Molendino & Aalidi ejus conjugi 125 libras Pruvinenses solvit 1261 de quadam pecuniæ summa sibi credita die dominica post festum apostolorum Petri & Pauli. Occurrit etiam annis 1261, 1269 mense Februario, 1272 mense Januario, 1277 mense Julio in chartulario Campaniæ. Henricum de Cahorsia anno circiter 1280 præsentavit Guidoni de Gebenna Lingonensi episcopo ut ipsi curam ecclesiæ parochialis de Cahorsia conferret. Societatem precum iniit 1287 pridie idus Maii cum G. Agaunensi abbate. Præterea ab eodem abbate unum Thebeæ legionis corpus accepit. Eodem anno VI idus Junii monasterium muris cinxit, & refectorium condidit. Primus mitra donatus est a Pontifice Maximo intercedente Theobaldo Campaniæ comite. Obiit 1289 III nonas Maii. Jacet ante altare B. Mariæ æreo donatus sepulcro & sequenti decoratus epitaphio.

Ch. LXIII, col. 291.

Ch. LXIV, col. 292.

Nomine Robertus jacet hic bonus atque repertus
Arremarensis abbas fuit ægis & ensis, &c.
Totius patriæ mundus avaritiæ
Qui silicis clausit muris cœnobia duris
Ut patet in zona murorum proxime dona
Christe rogemus ei tecum sedem requiei.

Et in circuitu tumbæ:

Abbatum lumen, flos cleri, legis acumen
Primus mitratus inter hos hic tumulatus
Robertus sexta Maii fuit apocalista
Anno milleno bis centeno atque noveno
Octogeno locet hunc Deus æthre sereno
Hic qui sistis amen tibi donet ut alpha levamen
Nam tua jam merita retributio multa sequatur
Omnis mutatur vili putredine vita.

XXVII. Johannes I de Villeio occurrit 1292 tempore Johannis de Rupeforti Lingonensis episcopi, cui Thomam de Villeio fratrem suum ad ecclesiam parochialem de Chaorsia

Digitized by Google

præsentavit. Sepultus jacet ante majus altare ubi hoc habet epitaphium: *Anno Domini MCCXCX in festo S. Blasii obiit frater Johannes de Villeio abbas cujus anima requiescat in pace.* Notatur in necrologio 3 nonas Februarii.

XXVIII. Simon transegit 1303 mense Maio cum abbate majoris monasterii super præsentatione ad ecclesiam parochialem Novigenti super Albam. Eodem anno feria quarta ante Nativitatem S. Johannis-Bapt. fratrem Jacobum *Baume* nominavit priorem S. Johannis in castro Trecensi, eumque instituit procuratorem generalem tam pro se quam pro conventu. Sententiam obtinuit 1310 adversus homines *de Frevault.* Memoratur & annis 1312, 1314, quo anno præsentat ad ecclesiam de Gigneio. Ecclesiam parochialem de Chaorsia Johanni de Montochia presbytero conferri curavit 1315 a Guillelmo episcopo Lingonensi. Adhuc occurrit 1321 in chartis Arremarensibus & Clarævallensibus, & anno 1324. Tandem compromisit 1325 cum Guillelmo abbate Cellensi. Cessit in gratiam sequentis. Anno 1328 dicitur quondam abbas.

XXIX. Girardus anno 1326 indictione decima 25 Januarii, rogatu Johannis episcopi Trecensis, unum ex suis monachis ad nominationem Petri de Molayo decani ecclesiæ Trecensis eidem episcopo concessit. Pepigit 1328, die martis in festo S. Luciæ cum Petro abbate Qinciaci. Adhuc præerat 1331. Obiit ante Simonem qui in ejus gratiam cesserat.

XXX. Petrus I de Renello anno 1334 feria secunda post festum S. Mariæ Magdalenæ juramentum fidelitatis a pluribus tam viris quam mulieribus recepit. Eodem anno statuta condidit pro victu monachorum. Cameræ apostolicæ 522 florenos auri, novem solidos & quinque denarios solvisse dicitur die 7 Martii anno 1335 indict. III. Præsentavit 1337 ad parochialem ecclesiam de Sigifonte in diœcesi Lingonensi. Religiosis S. Antonii Viennensis facultatem fecit 1338 conventus construendi in urbe Trecensi & in loco a prioratu S. Johannis de Castello pendente, ea tamen conditione ut iidem religiosi singulis annis in festo sancti Remigii abbati Arremarensi duos solidos Turonenses solverent. Quædam acquisivit 1342 Sabbato sancto. Sigillum apposuit litteris Henrici de Jovisvilla, datis sabbato ante natale Domini anno 1343. Interfuit 1359 translationi reliquiarum sancti Lupi. In honorem S. Victoris confraternitatem institui permisit 1369. Eodem anno e vita migravit mense Junio. Fecit fossata & deambulatoria; aulam etiam pingi fategit cum *camera paramenti.* Sammarth.

XXXI. Guillelmus I de Pomeriis ante possessionem defunctus, cujus nomen in necrologio hoc modo notatur: *21 Julii commemoratio obitus domini Guillelmi de Pomeriis, qui ex archipriore Cluniacensi hujus loci abbas electus post duos menses e vivis excessit 1369.*

XXXII. Guillelmus II *de Vaudrey* ex nobili prosapia dominorum de S. Fidolo ortus, præfuit A ab anno 1369 usque ad 1374 quo ad Dominum migravit.

XXXIII. Johannes II *Damas de Cousan* nobilis Segusianus filius non Amedei ut diximus to. IV, col. 1156 sed Hugonis IV & Alisiæ, &c. Arremaro præerat anno 1380 quo cum Guidone germano testamentum matris suæ exsecutioni mandavit. Prioratum S. Johannis de Castello mensæ abbatiali univit. Factus est Cluniacensis abbas bulla Clementis VII data 7 Augusti 1383.

XXXIV. Johannes III *Vervin* aliis *Walin* ærarii regii præfectus, vices gerens episcopi Lemovicensis, an. 1392 a Clemente VII summo pontifice B per cardinalem de Ambacia visitationum episcopi Trecensis, ejusque synodorum vacationem obtinuit. Verum huic privilegio reclamarunt episcopi Trecenses, & in posterum senatusconsulto sancitum est ut res in pristinum statum restituerentur. Designatus est 1402 executor codicillorum testamenti Johannis cardinalis Ambianensis. Reperitur & annis 1404, 1406, 1407. Rexit annis circiter 40. A Petro episcopo Trecensi in spiritualibus & temporalibus constitutus est vicarius generalis, quamdiu idem episcopus a sua diœcesi abesset. *Camusat, pag. 287 & seq.*

C XXXV. Galterius III *de Lavoncour* non vero *de Lenoncourt* ut in Gallia christiana Sammarth. præerat 1422. Prioratum de Pargis 1438 contulit Egidio *Gouffin.* De quibusdam miraculis S. Victoris anno 1445 testimonium perhibuit. Sedit annis fere 26 mortuus 1449.

XXXVI. Egidius *Gouffin* antea prior de Pargis electus est anno 1449 decima-quinta Maii. Reperitur in veteri instrumento & in pluribus aliis usque ad annum 1483 quo obiit. Sepultus ante altare sancti Nicolai cum hoc epitaphio: *Egidius* Gouffin *abbas hujus loci natus de hac villa qui obiit 5 die mensis Julii anno Domini 1483.* Annis 33 præfuisse legitur. *Prob. liber. Eccl. Gallic. p. 575.*

D XXXVII. Guillelmus III *de Dinteville* filius Claudii & Johannæ *de la Baume*, germanus Ludovici S. Benigni Divionensis, & Claudii Firmitatis ad Gronam abbatum, monachus S. Benigni Divionensis & prior S. Belini, regi a consiliis & eleemosynis electus die 7 Julii 1483. Obiit 25 Junii 1501, post regimen fere 18 annorum. Quamvis in veteri instrumento sancti Urbani Trecensis scripto 1485, Nicolaus *Herault* abbas Arremarensis dicatur, tamen abbatis titulo tenus functus est sicut & ipse Guillelmus solum S. Sequani titulum habuisse videtur.

E XXXVIII. Jacobus III *Raguier* episcopus Trecensis administrator postulatus abbatiam obtinuit in commendam, ab Alexandro VI confirmatus diplomate dato Romæ anno 1501, V idus Augusti, pontificatus nono. Reperitur annis 1503, 1505, 1508. Cessit in gratiam nepotis anno 1515. Fuit etiam commendatarius S. Jacobi Pruvinensis. Mortem subiit 1518.

XXXIX. Johannes IV *Raguier* Jacobi ex fratre nepos, Lutetiæ natus, archidiaconus Sezannæ, per cessionem patrui commendam obtinuit 1515. Ejus tempore duo celebrata sunt capitula generalia annis scilicet 1519 & 1520. Memoratur anno

Digitized by Google

1522 die 7 Januarii quo monachi cum oppidanis pagum Arremarensem a prædonibus vi captum defenderunt. Occurrit etiam 1532. Fruitus est quoque abbatia de Moris. Lutetiæ vitam finivit 1537 XI cal. Maii.

XL. Carolus I *de Lorraine* qui postea archiepiscopus Remensis & cardinalis evasit, pauco tempore commenda potitus est & cum sequenti permutavit.

XLI. Franciscus I *de Dinteville* episcopus Autissiodorensis per coactam cessionem Dervi, factus est 1538 Cellensis & Arremarensis commendatarius. Invenitur variis in actis 1543, 1545, 1547, 1553. Cessit anno 1554 in gratiam nepotis, & eodem anno vitam finivit. In necrologio die 22 Augusti hoc elogio donatus: *Commemoratio obitus reverendissimi domini domini Francisci de Dintevilla episcopi Autissiodorensis, abbatis commendatarii, qui domum per temporum injurias reparavit, & ecclesiam sedilibus, columnis æreis, necnon pretiosis ornamentis decoravit 1554.*

XLII. Joachimus *de Dinteville* filius Antonii ex Barbara *de Sainte-Maure* superioris nepos fruebatur annis 1554, 1558, 1559, 1562.

XLIII. Erardus *de Dinteville* 1566. Dum studio Patavii operam navaret extinctus.

XLIV. Carolus II *de Bourbon* Caroli Borbonii ducis Vindocini ex Francisca Alenconensi filius, cardinalis legatus Avenionensis & archiepiscopus Rotomagensis reperitur annis 1567, 1568, 1571. Cum sequenti permutavit.

XLV. Ludovicus I *de la Chambre* Sabaudus magnus Arverniæ prior, Catharinæ Mediceæ consanguineus 1576. Abbatiam Vindocinensem obtinebat etiam in commendam.

XLVI. Vespasianus *Gribaldy* Pedemontanus, nobilis Cheriensis, privignus Renati Biragi Franciæ cancellarii, filiusque Valentinæ Balbianæ ejus uxoris, archiepiscopus Viennensis fruebatur simul abbatiis Athanaci, S. Memmii Catalaunensis, Eschalei, & Arremari. Occurrit annis 1579, 1582, 1595, 1597. Postea cessit.

XLVII. Franciscus II *de Vaudetar* filius Ludovici baronis *de Persan* ex Anna *Nicolai* cessit 1623 in gratiam sequentis.

XLVIII. Franciscus III *de Vaudetar* superioris nepos, filius Henrici baronis *de Persan* & Ludovicæ *de l'Hospital* præerat 1624, aliquot annis potitus est, post ejus mortem

XLIX. Ludovicus II *de Vaudetar de Bournonville* præcedentis germanus 1635. Reservata sibi pensione cessit.

L. Remundus *de Renouard* 1647. Congregationi S. Vitoni abbatiam univit 1655. Duobus post annis facta est nova reliquiarum S. Victoris translatio 1657. Obiit 1679 1 Januarii. In ecclesia humo mandatur.

LI. Petrus-Henricus-Theobaldus *de Montmorenci-Luxembourg*, filius Francisci-Henrici & Magdalenæ-Carolæ-Bonnæ-Theresiæ *de Clermont-Talard de Luxembourg* nominatus 1679 cessit 1693, quo anno Ursi-campi commendam obtinuit.

LII. Johannes-Baptista-Ludovicus-Gasto *de Noailles*, cardinalis & archiepiscopi Parisiensis germanus, renuntiatus mense Martio 1693, possessionem iniit 31 Octobris. Dehinc factus episcopus Catalaunensis abbatiam dimisit 1696.

LIII. Johannes-Baptista *de Beaumanoir de Lavardin* Claudii & Renatæ *de la Chapelle* filius, commendam obtinuit 12 Aprilis 1696. Fuit postea Redonensis episcopus. Simul obtinebat Belli-loci commendam. Diem extremum clausit 23 Maii 1711.

LIV. Petrus II *de Goudrin de Pardaillan d'Antin* Antonii ducis *d'Antin* ex Ludovica Julia al. Julia-Francisca *de Crussol d'Uzès* filius, canonicus Parisiensis, necnon Argentinensis e numero capitulantium designatur 14 Augusti 1711. Obtinuit etiam abbatiam Liræ 1713. Demum consecratur episcopus Lingonensis die 27 Decemb. 1724. Obiit 2 Octob. 1733.

LV. N. *de Chauvelin* consiliarius parlamenti Parisiensis 1734.

Præter hos abbates in necrologio Divionensi occurrunt

Rainaldus XIX cal. Febr.
Clarembaudus XV cal. Februarii.
In Dervensi
Bernardus nonis Februarii
Gobertus nonas Junii
Evrardus Idibus Julii.

SANCTUS JULIANUS.

Cœnobii S. Juliani de Sezanna dignoscitur auctor Hugo Bardulphus Brehearum miles qui ecclesiam in honore S. Juliani constructam prius a patre suo Bartholomæo injuste occupatam, & post ejus obitum, a comite Stephano Henrico ejus tutore, cum omnibus reditibus ad eam pertinentibus, monachis de Caritate concessam, factus vir a comite admonitus, largitus est pro animæ tam suæ quam patris salute. Hanc donationem ut solemniorem redderet, ad eamdem ecclesiam accessit anno 1081, & cultellum nigrum altari imposuit. Quæ quidem donatio confirmata est anno 1085, Philippo episcopo Trecensi, qui anno eodem quidquid juris habebat in parochia S. Dionysii eis cessit. Addidit etiam quod si in posterum intra ejusdem parochiæ limites novæ ædificarentur ecclesiæ, a monachis penderent. Præterea eisdem alteram concessit ecclesiam d'*Esclavolles* cum decimis & oblationum medietate. Simon Breharum dominus consuetudines & reditus dimisit anno 1121. Biennio post Hato Trecensis antistes largitus est decimam de Bucigniaco & de S. Remigio prope Sezannam. Ipse anno 1140 confirmat & aliam donationem cujusdam Hescelini & Margaretæ ejus uxoris in gratiam eorumdem monachorum. Circa idem tempus eos inter & canonicos de Virtuto fuit arbiter. Priorum seriem ex chartis monasterii contexuimus ut sequitur.

S. JULIEN.

Chart. XI, col. 154.

Ordo Priorum.

I. Isembertus sub quo ecclesia a Philippo Trecensi episcopo dedicata fuit anno 1114.

Digitized by Google

Duchesne, pr. de l'hist. de Broyes, p. 13. II. Alboinus præpositus Sezanniæ subscribit chartæ Theobaldi comitis Blesensis anno 1131.

III. Henricus comitis Sacrocæsaris filius anno 1107 factus monachus apud Caritatem, prioratum de Sezanna regebat 1140.

IV. Robertus 1179.

V. Guillelmus I 1193. Postea factus prior Caritatis.

VI. Hugo *de Bourbon* ex subpriore Caritatis prior de Sesanna. In charta Hervei Tricassini antistitis data anno 1216, utriusque loci prior dicitur.

VII. Philippus I *d'Auvilley* 1340; ejus tempore urbs muris cingitur.

VIII. Johannes I *de Beaujeu* 1363.

IX. Guillelmus II *Chrinel* 1409.

X. Guillelmus III *Chevreau* 1446.

XI. Everardus *Rolant* doctor theologus 1475, 1477.

XII. Petrus I. *Enguerand* doctor theologus 1480.

XIII. Henricus *de Roches* 1504.

XIV. Robertus *Girard* 1511.

XV. Antonius I *Geoffroy* abbas Clari-fontis & prior de Sezanna 1512.

XVI. Antonius II *de Bar* 1521.

XVII. Franciscus *de Poncher* episcopus Parisiensis, commendatarius 1524.

XVIII. Stephanus *de Poncher* episcopus Bayonensis & postea archipræsul Turonensis 1551.

XIX. Johannes II *Hurault* senator Parisiensis abbas de Rigniaco 1551.

XX. Johannes III *Miron* senator Parisiensis 1567.

XXI. Philippus II *de Marnac* 1570.

XXII. Petrus I *de l'Épine* 1572 monachus & prior.

XXIII. Petrus II *de Possekeres* major prior S. Germani Autissiodorensis 1576.

XXIV. Claudius I *de Possekeres* monachus & prior 1595.

XXV. Edmundus *Lordereau* monachus, prior 1620, 1627.

XXVI. Ludovicus I *de Baye* 1636.

XXVII. Albertus *Belin* monachus & prior anno 1652. Postea episcopus Bellicensis.

XXVIII. Ludovicus II *de Godron* 1654.

XXIX. Carolus-Franciscus *de Godron* ex cessione prior 1660, permutavit cum sequenti.

XXX. Claudius II *du Bellai* monachus Molismensis, factus abbas de Recluso anno 1652, permutavit 1671 pro prioratu de Sezanna.

BEATA MARIA.

NOTRE-DAME. PArthenonis B. Mariæ auctor creditur B. Leuconius Trecensis episcopus superstes anno circiter 657, qui ibidem fuit tumulatus; & quidem ejus reliquiæ illic asservantur, memoriaque ejus ritu duplici colitur calendis Aprilis. Illud etiam conjicere licet ex lectionibus officii nocturni, quæ eum ut patrem & patronum A astruunt. Volunt etiam nonnulli illic ab initio non moniales fuisse, sed puellas quæ nuncium idololatriæ remittebant, fidemque Christi ab episcopo edocebantur. Idque opinandi locum præbent eædem lectiones in quibus B. Leuconius perhibetur fide christiana illuminasse quos idololatriæ tenebræ caligabant. Quamvis tamen nulla supersint monumenta quibus hujus monasterii antiquitas primaria certo probari possit, constat tamen antiquissimum esse, tum ex epistola Alcuini quam mox proferemus, tum ex prærogativa antiquioribus attributa monasteriis, qua ab omni ævo perfruuntur moniales. Episcopus B enim Trecensis in suo jucundo adventu, pridie quam in urbem ingressum solemnem suscipiat, ad B. Mariæ cœnobium accedit, vectus equo quem abbatissa ad usus monasterii retinet. Illicque recubat episcopus in lecto quem ipse etiam tamquam ad se pertinentem accipit. Crastina vero die ornamentis pontificalibus ab abbatissa in capitulo induitur, & ab eadem præsentatur decano qui cum totius civitatis clero episcopum excepturus ad B. Mariam venire tenetur. Sunt & alia quæ parthenonem commendant & splendorem ejus designant. Præter moniales in eo C olim extiterunt oblati vel conversi veste monastica induti, fratresque exterioribus ministrantes, necnon & canonici etiamnum ad quatuor redacti, ex quibus bini sacra mysteria singulis diebus celebrare debent. Sæculo duodecimo eo in loco innovata est religio, teste S. Bernardo epist. 115, ubi hac utitur ratione ut moniali eremum dissuadeat, quam illa temere appetebat.

Monasterii hujus in parochia natus, & per lavacrum baptismatis renatus Urbanus IV, domum paternam donationis titulo monialibus concessit post obitum patris, cujus primum inibi sepulti ossa postmodum in capsa reclusa servantur D in capitulo. Eamdem domum factus summus pontifex ab eisdem emit XIII cal. Junii 1262 ad ecclesiam erigendam in honorem S. Urbani papæ & martyris cujus nomen assumpserat. Dedit quoque monialibus 100 marchas sterlingorum pro anniversario suo V idus Septembris 1263. Ejus successor Clemens IV anno 1268 misit litteras ad archidiaconum de Luxovio in ecclesia Bisuntina, & ad decanum ecclesiæ S. Stephani Trecensis, ut ad satisfactionem compellerent moniales quæ tam per se quam per viros armatos impedierant quominus archiepiscopus Tyrensis, ab apostolica sede delegatus, benediceret cimeE terium apud eamdem S. Urbani ecclesiam ad opus canonicorum & clericorum ipsius ecclesiæ, suorumque familiarium decedentium. Martene, Thes. anecdot. t. II, col. 3. Ibid. col. 616.

De hoc parthenone bene meritus est Henricus Trecensis comes qui eum a fundamentis restauravit flammis absumptum anno 1182. Ludovicus X rex Francorum anno 1315 facultatem præstitit adducendi in urbem 40 dolia vini. Hujus celebris domus cum antiquissimæ chartæ incendiis & aliis infortuniis perierint, ex his quæ supersunt, sequentes tantum eruere potuimus abbatissas. Has decem quæ sine temporis nota sequuntur præmittendas duximus.

Digitized by Google

ABBATISSARUM INDICULUS.

I. IDA occurrit 14 Januarii.
II. Rifondis 7 Februarii.
III. Fridebargis 12 Februarii.
IV. Nicolaa 13 Februarii.
V. Cecilia 25 Maii.
VI. Letuidis 29 Maii.
VII. Martha 12 Junii.
VIII. Sybilla 21 Junii.
IX. Ledendis.
X. Adelaidis I. Hæ duæ ultimæ memorantur in rotulo Mathildis abbatissæ Cadomensis.

XI. N. ad quam Alcuinus epistolam 55 alias 56 scripsit ineunte sæculo nono. Quamplurimum exoptat ut brevi cum illa cordis sui conferat angustias ut ex ejus pietate consoletur animus. Significatque illi quam grata fuerit crux quam ab ea acceperat.

XII. Gertrudis I ex charta Cellensis monasterii præerat 1135.

XIII. B. Occurrit 1182 in charta Ripatorii.

XIV. Gertrudis II. 1183 canonicis S. Nicolai de Sezanna servum quemdam Maubertum nomine cedit. Transigit cum Hugone abbate de Cella 1185. Memoratur in litteris Guiterii S. Lupi abbatis 1188, quo anno Manasses episcopus Trecensis ad ejus preces confirmavit donationem parochiæ B. Mariæ a suis prædecessoribus monasterio collatam. Ab eodem episcopo donata est 1189 beneficio in ecclesia S. Johannis pro anima matris ejus in cœnobio B. Mariæ sepultæ. Eodem anno pacem iniit cum Humberto de Lueriis. Litem terminavit 1191 ad arbitrium Mariæ comitissæ campaniæ cum Philippo *Baccant*. Domum Dei dictam *de Paaine* reformandam & perpetuo possidendam a Bartholomeo episcopo accepit 1192. Memoratur etiam mense Augusto anno 1200, quo subscribit chartæ Cellensis monasterii, eodem anno commutat quasdam servas cum Theobaldo abbate Arremarensi.

Ch. XLIV, col. 276.

Ch. XLVI, col. 277.

XV. Aalix II quæ Aelix & Adelidis de *Vandeuvre* filia comitissæ Senonensis occurrit 1211. Ratam habuit 1213 venditionem factam domui de Quercu. Ex ejus litteris datis anno 1216 mense Januario de quadam muliere Droicia nuncupata bene merita est, & ab eadem sex solidos annui reditus accepit. Memoratur annis 1219 & 1220 quo decimas *de Montaublein* sitas in feodo Johannis *de Valery* militis, ab ipso confirmari curavit. Eodem anno mense Maio, Henrico Trecensi cantore & Stephano parocho de S. Leone arbitris, jurgium terminavit cum Richardo curato de Sanciaco super decimae jusdem loci. Ab Hugone Brecarum domino donatur 1222 mense Decembri sexaginta solidis solvendis in tribus terminis, nempe 20 in Nativitate Domini, in Pascha 20, & totidem in festo S. Johannis. Dedit anno 1224 mense Decembri litteras in quibus de re quadam ad suum monasterium spectante loquitur. Occurrit an. 1225 in litteris B. decani S. Stephani inter eam & Ansoldum presbyterum mediatoris. Contentionem sopivit 1228 cum Theobaldo comite

A Campaniæ. Instituit anno 1230 mense Januario anniversarium pro matre sua vicecomitissa Senonensi. Obiit circa annum 1231, quo Gregorius IX delegavit Galterum abbatem S. Johannis de Vineis & archidiaconum Suessionensem dirimendæ controversiæ gratia exortæ inter cantricem a maxima monialium parte & priorissam a minima electas.

XVI. Aalix III seu Alaidis de Villa-Harduini filia Godefridi *de Villardhuin* Campaniæ marescalli qui cum Theobaldo comite Campaniæ 1199 cruce signatus est, & Agnetis de Curtiniaco, componit 1233 cum abbate Ripatorii de viro nomine Herveo. Occurrit 1235 mensibus Martio & Junio in chartis Stephani officialis Trecensis pro monasterio B. Mariæ, & in charta Theobaldi Campaniæ comitis mense Maio. Die lunæ ante Ascensionem Domini 1236 in aliquod prædium a se venditum Campaniæ comitem inducit. Occurrit etiam mense Octobri. Jacobo clerico quædam vendidit 1239 mense Maio in perpetuum possidenda pro 12 libris Pruvinensibus. Litteras edidit 1240 mense Decembri in quibus meminit Henrici cantoris a quo acceperat 20 solidos Pruvinenses annui reditus. Pactum iniit 1245 mense Martio cum Bernardo de Monte & Margareta ejus uxore. Transegit 1248 pro justitia *de Champigny*. Composuit tandem 1249 cum Ripatorio. Obiisse dicitur 10 Maii. In ecclesia visitur ejus tumba epitaphio adscripta ubi repræsentatur cum corona a duobus angelis sustentata.

B

C

XVII. Mathildis I de Valeriaco soror Erardi de Valeriaco Philippi III regis Francorum Camerarii, cum Galtero de Barro anno 1249 transigit pro quibusdam decimis, & cum Milone decano 1252. Cum Ripatorio paciscitur 1258. Abbati Claravallensi medietatem domus vendidisse dicitur. E vita migravit 1262. Jacet ante majus altare hoc epitaphio honestata: *Hic jacet Mathildis de Valleriaco quondam hujus monasterii abbatissa quæ hic sepulta fuit anno Domini MCCLXII die veneris post Pascha.*

D

XVIII. Hermengardis *du Chastel* electa die martis post Ascensionem 1262 consignatur in necrologio 12 Julii.

XIX. Isabellis I vel Elisabeth *de Chasteauvillain* soror Johannæ *de Chasteauvillain* dominæ *de Barbery S. Sulpice* obiit 17 Januarii 1264. Hæc est ejus epigraphe quæ in ecclesia legitur.

E

Hic Isabellis jacet abbatissa rebellis
Semper avaritiæ, dedita munditiæ.
Mitis amans humilis, simplex vetus & juvenilis,
Largaque pauperibus, fit sacer inde cibus.
M jungas bis C simul LXI tria misce
Hoc Marisque dies summa fuit requies.

Defuncta Isabelli Aalidis priorissa facultatem petiit ab Eustachio *de Conflant* milite, Marescallo, vices gerente comitis Campaniæ eligendi abbatissam an. 1263 die martis post *lætare Jerusalem* modo 1264.

XX. Oda I *de Pougy*, filia Reginaldi *de Pougy*,

Digitized by Google

Manassis episcopi Tricassini neptis, de consensu monialium vendidit 1267 mense Februario terram & nemus abbati & conventui Arremarensi ut posset solvere decimas regi Siciliæ a summo pontifice concessas. Obiit 1272. Ejus epitaphium in ecclesia hoc modo legitur:

Anno milleno c bis LX duodeno
Hæc abbatissa fuit ad cælestia missa
Oda suum nomen, felix fuit illius omen
Ordinis & claris, pia, sobria justa suavis.

XXI. Isabellis II 1275 mense Februario.

XXII. Oda II præerat 1282, sed non excessit 1284 quo sedem vacasse reperimus.

XXIII. Johanna *Gasteblet* 1289.

XXIV. Hermina 1290. Notatur in necrologio 22 Novembris.

XXV. Isabellis III de S. Fidolo 1292. Ex ejus epitaphio obiit anno 1293 die martis post Pascha.

XXVI. Gila de Valle Johannis interiit 1297 die dominica post festum S. Dionysii uti constat ex ejus epigraphe.

XXVII. Isabellis IV de S. Fidolo neptis superioris anno 1301 die jovis ante festum S. Barnabæ, sui monasterii procuratorem generalem & nunciam specialem constituit Jacobum *de Selerus* majorem suum, ut vocat, civem Trecensem, a sæculo migravit 1314 31 Martii.

XXVIII. Isabellis V de S. Fidolo 1315 & 1320. Eam inter & Trecensem antistitem jurgium terminarunt arbitri 1328 13 Junii exortum super equis episcoporum Trecensium post eorum consecrationem de novo in civitatem intrantium, quos sibi pertinere contendebat abbatissa. Petitionis suæ sortita est effectum ea lege ut episcopi Tricassini more solito lectum plumeum acciperent. E vita cessit 1328 die sexta Aprilis paucis mensibus ante litis definitionem. *Camusat, p. 198 & seqq.*

XXIX. Mathildis II *d'Anglure* reperitur 1348. Vitam finivit anno sequenti 4 Novembris. Jacet ante majus altare epitaphio decorata.

XXX. Beatrix anno 1352 a Clemente VI litteras obtinuit quibus numerum monialium B. Mariæ ad quinquagesimum reducit.

XXXI. Helvis *de Troyes* moritur anno 1357 in festivitate sanctarum Ursulæ & sociarum.

XXXII. Maria I de S. Fidolo filia Stephani militis de S. Fidolo defuncti anno 1348 20 Januarii, & in cœnobio B. Mariæ cum uxore Guillelma *de Rey* sepulti, obiit & ipsa 15 Septembris anno 1368.

XXXIII. Johanna I *de Ricey* electa dicitur anno 1369.

XXXIV. Margarita de S. Fidolo occurrit annis 1380, 1391, 1393, 1394 in chartario Cellensi, 1407 & 1409 quo anno decessit 30 Decembris.

XXXV. Blanca de Brecis electa 1410 obedientiæ juramentum præstitit Stephano episcopo. Transegit 1435 cum decano & capitulo Trecensi de quibusdam retributionibus dandis his qui divina celebraverant in monasterio B. Mariæ feria 3 post Pascha. Interiit 17 Januarii 1438. Sepulta jacet in claustro cum epitaphio.

XXXVI. Johanna II de Brocia electa 1438 Johanni episcopo juravit obedientiam.

XXXVII. Johanna III *de Vezelize* obiit 24 Februarii 1447.

XXXVIII. Isabellis VI de Novavilla præerat 1448. Obedientiam promisit Johanni episcopo.

XXXIX. Huguetta *de Baissy* ex thesauraria facta abbatissa obedientiam juravit Ludovico episcopo. Vivere desiit 4 Februarii 1465. Jacet in claustro ubi epitaphio donatur.

XL. Catharina I *de Lusigny* ex cantrice in abbatissam assumpta Ludovico obedientiæ sacramentum dixit 20 Julii 1466. Reperitur in quibusdam instrumentis 1467, 1471. In gratiam sequentis cessit anno 1475. Obiit 14 Novemb. 1479. Jacet in claustro cum epitaphio.

XLI. Isabellis VII *de Rochetaillee* die 24 Augusti 1475 obedientiam promisit Ludovico episcopo Trecensi. De vita migravit 1480.

Claudia *de Bercenay* cum abbatissæ titulo reperitur 1482. Sed titulo tenus functa fuisse videtur, nam

XLII. Catharina II *de Courcelles* filia Johannis *de Courcelles* militis domini de S. Theobaldo, Paraclitensis abbatissa anno 1482 IV idus Octobris bullas obtinuit pro abbatia B. Mariæ vacante per obitum Isabellæ. Utramque retinuit abbatiam. Clausuram apud B. Mariam instituit anno 1518. Fato fungitur 1519, VII idus Julii.

XLIII. Maria II *du Moutier* juramentum præstitit Guillelmo episcopo 9 Octobris 1519. Odoardum *Hennequin* episcopum Trecensem in jucundo suo adventu 28 Martii 1528 excepit, ac decano & capitulo Trecensi per abbatem Clarævallensem præsentavit. Cessit 1542 in gratiam sequentis. Breviarium ad usum sui monasterii typis mandari curavit 1543, quo anno vitam finivit 17 Julii.

XLIV. Maria III *du Foulx* vel *de Folz* possessionem iniit 21 Junii 1543. Occurrit etiam 1545. E vivis abiit 13 Novemb. 1557.

XLV. N. *Manthelon* Mariæ successit, sed jam anno 1560 abbatia cesserat uti constat ex veteri instrumento ejusdem anni.

XLVI. Maria IV *de Luxembourg*, Caroli *de Luxembourg* comitis *de Brienne*, Picardiæ progubernatoris, ex Carola *d'Estouteville* filia, & soror Antoniæ Ederensis abbatissæ, variis in instrumentis occurrit annis 1565, 1569, 1570, 1571, 1596. Vivere desiit 1597, 16 Martii die dominica qua apud Trecas celebrabatur jubileus. Jacet in choro ubi legitur ejus epitaphium.

XLVII. Ludovica I *de Luxembourg* neptis superioris, filia Francisci ducis Luxemburgensis & Pineii, principis *de Tingry*, paris Franciæ, & apud summum pontificem oratoris, ex Diana a Lotharingia, a rege designatur 1597. Benedictionem a Ludovico *le Magnen* Niciensi episcopo accepit 1600. Decessit 1602 mense April. 22 annos nata. In choro tumulatur ubi Henricus dux Luxemburgensis ejus frater eam epitaphio decoravit anno 1613.

Digitized by Google

XLVIII. Ludovica II *de Dinteville* Guillelmi domini d'*Escheneis* equitis torquati, ac Trecensis baillivi ex Ludovica *de Rochechouart* filia, breve regium accepit 17 Aprilis 1602, & bullas 16 Augusti ejusdem anni. Possessionem iniit 8 Januarii 1603. Coadjutricem sibi adscivit Claudiam *de Choiseul* 1610. Vitam cum morte commutavit 1617, & in choro humo mandata, hac epigraphe honestatur:

Hic jacet Ludovica a Dintevilla in Remensi divi Petri monasterio professa, primum in claustro dñæ de Pietate Joinvillensi prior, deinde in cœnobio Argentollensi ordinis S. Bernardi, demum in isto abbatissa, ubi regularis vitæ instaurationem inchoavit, solitudinem coluit, jugiter orans & egentium mater, miræ paupertatis fuit. Obiit ætatis an. 60, salutis 1617, quinto calendas Decembris.

XLIX. Claudia *de Choiseul de Praslain* filia Caroli Franciæ marescalli & Claudiæ *de Cazillac*, post mortem Ludovicæ bullas obtinuit datas 1618 7 idus Januarii. Præfuit usque ad annum 1667 quo apoplexia obiit 4 Augusti 65 annos nata. Jacet in medio chori ubi meritissimum habet epitaphium. Ejus laudes & nobilissimas virtutes insigni oratione publicas fecit 13 Septembris N. *Coquery* Oratorii D. Jesu presbyter.

L. Anna *de Choiseul de Praslain* superioris germana & coadjutrix, & virtutum perinde ac dignitatis hæres, benedictionem ab episcopo Tricassino suscepit, possessionemque iniit 1667. Obiit 29 Augusti 1688 eodem cum sorore donata tumulo, atque etiam epitaphio decorata.

LI. Ludovica-Scholastica *le Pelletier* soror Claudii *le Pelletier* regii ærarii præfecti, a rege designatur abbatissa 1 Novembris 1688. Benedictionis munus accepit 9 Julii 1689 ab episcopo Trecensi, & possessionem iniit 20 ejusdem mensis. Postea cessit.

LII. Maria-Magdalena-Margareta *la Chaussée-d'Eu d'Arrest* monasticen in regali Vallis-gratiæ parthenone professa, renuntiatur abbatissa 24 Decemb. 1697. Bullas obtinuit 1698 mense Martio, & possessionem accepit 9 Julii.

N. *de Montmorin* nominata est a rege anno 1756 die 8 Augusti.

PARACLITUS.

LE PARACLET.

Decem leucarum interstitio a Tricassina civitate remotus est parthenon Paraclitensis, & in parochia Quinceii super via qua Lutetiam pergitur institutus, loco valde amœno, cujusque interiora Arduco exiguus amnis irrigat. Ipsius autem parthenonis primus parens & institutor agnoscitur famosus ille Petrus Abælardus, Heloysæ quondam sponsus, dehinc sancti Dionysii monachus, qui cum in Suessionensi concilio damnatus esset, ob scripta obscuræ, meritoque suspectæ doctrinæ in vulgus ab eo emissa, quæ a nonnullis hujus ætatis, potissimum a B. Bernardo & B. Norberto improbata sunt, cum permissu Sugerii abbatis sancti Dionysii, ad solitarium quemdam locum Trecensis pagi, sibi ante cognitum, se contulit. Illic assensu Attonis episcopi in prædiolo ipsi a quibusdam concesso, oratorium A in nomine sanctæ Trinitatis ex calamis & culmo primum construxit, ibidemque cum quodam clerico suo non diu latitavit. Id enim ubi rescivernnt scholares, relictis urbibus & frequentibus locis, undique ad eum concurrere cœperunt, casulas sibi ædificantes, pro delicatis cibis, herbis agrestibus & cibario pane victitantes, ita ut eremitæ potius quam scholares viderentur. Cum autem oratorium angustius esset, quam ut omnes posset capere, iidem scholares magis amplum ex lapidibus & lignis construxerunt. Quod cum in nomine sanctæ Trinitatis primitus conditum esset & dedicatum, quia divinæ gratiæ B consolatione illic recreatus fuit Abælardus, Paraclitum placuit appellari. Quæ res alias rixas in eum concivit. Huic loco cedere cogitabat quando, mortuo abbate S. Gildasii Ruyensis in Britannia, ipse ejus successor a monachis electus est. Hoc munere dum fungeretur, Sugerius abbas sancti Dionysii Argentolium suo monasterio adjunxit, & moniales ob morum pravitatem expulit 1129. Abælardus cum Eloysam ejusque socias Argentolio expulsas, & diversis locis exules esse rescivisset, ex Britannia ad quem fundaverat Paraclitum reversus, eam cum quibusdam aliis ipsi adhærentibus ad suum invitavit oratorium, C eisque ipsum oratorium cum omnibus ad illud pertinentibus donavit. Hanc donationem Innocentius II in perpetuum corroboravit IV cal. Decembris anno 1131 pontificatus anno 2. Summus ille pontifex suo diplomate monasterium SS. Trinitatis sub apostolicæ sedis protectionem suscipit, ejusque possessiones tam præsentes quam futuras confirmat, eo pacto ut sex nummos quotannis Lateranensi palatio persolvant. Idem duas alias concessit litteras; in prima quæ est anni 1136, statuit ne propter benedictionem & consecrationem percipiendam moniales de monasterio exire cogantur, laudat in altera donationem cujusdam Guidrici sacerdotis. Lucius II D dedit etiam litteras consimiles priori diplomati Innocentii anno 1144 idibus Martii, sui regiminis anno 1, indictione 7. Non omnes tamen Argentolii sanctimoniales ad Paraclitense oratorium se contulerunt, sed aliæ in diversis locis dispersæ sunt. Ex his non paucæ ad locum quemdam pagi Parisiensis, qui Malanoa vulgo appellatur, se receperunt, sex leucis positum inter Sequanam & Matronam. Quæ ad Paraclitum migrarunt, illic primum in magna penuria vixere, sed eas brevi consolatus est Deus qui E eis circumadjacentes populos propitios effecit, ut apparet ex privilegio Eugenii III dato kal. Novembris anno 1147, in quo comprobat omnia beneficia in Paraclitum collata, singulorumque beneficorum nomina per ordinem recenset, quos inter enumerantur Theobaldus Campaniæ comes, Henricus Senonensis archiepiscopus & Atto Tricassinus antistes.

Ch. XVIII, col. 259.

Ch. XIX, col. 260.

Opera Abæl. pag. 348.

Ibid.

Etsi regulam S. Benedicti professæ sint initio Paraclitenses, peculiarem tamen eis regulam scripsit Abælardus ob quam ab eis etiamnunc *Magister* appellatur. In hac regula etsi quædam haud probanda occurrant, non pauca tamen

Digitized by Google

observatu digna continentur. Ad monasterii administrationem septem constituit personas, portariam scilicet, cellerariam, vestiariam, infirmariam, cantricem, sacristam, & diaconissam vel abbatissam. His omnibus sua officia assignat. Ad victum quod attinet, usum carnium & vini monialibus indulget, nihil in alimentis nisi superfluitatem interdicens: sed tamen esum carnium, semel tantum in die concedit, nec plus quam ter in hebdomada, prima videlicet feria, tertia & quinta. Non alios esse intendit, nisi monachos qui de rebus spiritualibus & temporalibus monialium curam suscipiant. Itaque decernit ut monasteriis feminarum, monasteria non desint virorum, & qui præerit monachis, præsit quoque monialibus. In oratorio nihil esse vult ex auro vel argento compositum, præter unum calicem argenteum, vel plures, si necesse sit, ornamenta serica excludit. Quaslibet imagines sculptas prohibet, nisi in cruce lignea quæ ad altare erigitur, in qua poterit Salvatoris imago depingi. Occasione hujus statuti abs re non erit paucis dicere de figura SS. Trinitatis ex uno lapide sculpta, notatuque digna, etiamnum apud Paraclitum existente, quam Abælardus insolito modo fabricari curavit. Tres personæ sunt ejusdem vultus, speciei & formæ. Pater in medio positus est, cum corona clausa in capite, pallio superindutus, cujus e fibula pendet limbus deauratus his verbis adscriptus *filius meus es tu.* Ad dextram stat filius cum corona spinea, manibus gestans crucem pectori appositam; ad ejus sinistram leguntur hæc verba: *Pater meus es tu.* Ad patris sinistram extat Spiritus sanctus cum corona oleari, decussatas super pectus habet manus, cum hoc dicto: *Ego utriusque spiraculum.*

Quod ad Abælardum spectat, cum iterum in concilio Senonensi fuisset damnatus, ad Cluniacum se recepit, ubi teste Petro venerabili, vitæ suæ errata reparavit, magnaque humilitatis & pœnitentiæ edidit exempla. Et post biennium in cœnobio sancti Marcelli Cabilonensis, quo a Petro venerabili sanitatis restaurandæ causa fuerat missus, pie defunctus est 21 Aprilis anno 1142. Ejus corpus Cluniacensis abbas ad Paraclitum transferri fategit, gerulosque comitatus est.

Ex parthenone Paraclitensi orta sunt & alia cœnobia ex quibus ordo Paraclitensis conflatus est, unum erat Pomereiense translatum ad suburbium Senonense, sed modo ordini Paraclitensi subtractum, a Mathilde Campaniæ comitissa fundatum, ob cujus munimen Hugo Senonensis archipræsul litteras expedivit, quibus prohibet quominus moniales hujus cœnobii nullibi abbatissam eligant nisi in ordine Paraclitensi. (*Opera Abæl. p. 355.*) Monasterii hujus meminit Anastasius III in litteris datis 1154 ind. 2 pro confirmatione bonorum Paracliti. (*Ibid.*) Alterum est S. Magdalenæ de Triangulo primo Milidunum, dein Parisios translatum. Tertium est Noctortense apud Meldas. Inter hæc duo monasteria & Paraclitense archidiaconi Senonenses anno 1255 discordiam sedarunt exortam super electione abbatissæ Paraclitensis. Statuerunt ut quandocumque contingeret abbatiam vacare,

A unusquisque conventus ad electionem mitteret priorissam cum septem monialibus. Quartum est sancti Thomæ *de Lavalle* Latiniacum translatum. (*Dom Duplessis, hist. de l'Hist. de Meaux, pag. 162.*) Quintum sancti Flaviti non ita pridem Ambianum translatum a loco Paracliti dicto. Hæc quinque monasteria ad capitulum generale quotannis venire tenebantur. Ea firmavit Adrianus anno 1157. (*Opera Abæl. pag. 353 & 354.*) In duabus aliis litteris idem pontifex dat monialibus licentiam sepeliendi fratres proprium nihil habentes, id est fratres exterioribus servientes, (*Ibid.*) & eos a quibus beneficia acceperint, modo non fuerint interdicti proprio reatu. (*Ibid.*) Extat quoque diploma ab Alexandro III
B datum 1163 pro confirmatione eorumdem monasteriorum. Tandem Lucius III anno circiter 1182 litteras in gratiam Paracliti dedisse perhibetur. In Paraclitenses se præbuit etiam munificum Garnerius Trecensis episcopus, qui an. 1193 parochialem ecclesiam S. Albini cum pertinentiis ejusdem jure perpetuo possidendam indulsit, (*Ch. XLIX; col. 278.*) singulasque monasterii possessiones auctoritate sua firmavit anno sequenti, quo ecclesiam consecrasse dicitur. (*Ch. L, col. 278.*) In ejus diplomate referuntur nomina benefactorum quos prolixitas enumerare non finit. Inter præcipuos occurrunt Milo dominus de Novigento, Ansellus dynasta
C Trianguli, Salo de Suleyo & Hugo de Regiis.

Abbatissas autem eruimus tum ex albo Andreæ Quercetani, tum ex aliis monumentis.

ABBATISSARUM SERIES.

I. HELOYSA quæ Heloyssa, Helvidis & Helwisa in nonnullis locis dicitur, fuit filia cujusdam mulieris nomine Hersendis. Pater ejus quis fuerit non liquet, nisi fides adhibenda sit Papirio Massono qui lib. 3. annal. nescio quo fundamento fultus, contendit eam notham fuisse Johannis canonici Parisiensis. Cum ipsa polleret ingenio a natura ad scientias comparato, Fulbertus
D canonicus Parisiensis ejus avunculus apud quem degebat, eam in omnem quam poterat scientiam litterarum promoveri studebat. Jam erat trium linguarum notitia instructissima, latinæ videlicet, hebraïcæ & potissimum græcæ, cum Petro Abælardo, qui hujus ætatis doctor celeberrimus tunc temporis apud Parisios, non sine auditorum plausu sacras litteras profitebatur, a suo avunculo erudienda temere committitur. Inter studia litterarum facile in juveniles animos se insinuarunt insani amores, non diu innocentes. Hæc ubi in cognitionem Fulberti venerunt, in iram exarsit,
E summoque dedecore domo expulit Abælardum. Interea Heloysa se concepisse comperiit, significavitque Abælardo, consulens quid de hoc ipse faciendum deliberaret. Quadam itaque nocte, avunculo absente, eam de domo furtim sustulit, & in patriam Nannetensem transtulit; ibique ipsa apud Abælardi sororem tamdiu remansit, donec masculum pareret, quem nominavit Astrolabium. Ea re accepta furens avunculus, neptem e Britannia reduci cogit, eamque Abælardo, illa non approbante, conjugio clanculum alligari. Matrimonio inito, contra fidem datam, id divulgare cœpit avunculus; illud palam negabat Heloysa,

Digitized by Google

Heloysa, quæ ob id crebris ab eo contumeliis afficiebatur. Id ægre ferens Abælardus, ad Argentoliense monasterium, tunc sanctimonialium, ubi ipsa olim educata fuerat, eam misit, & veste religiosa, excepto velo, indui curavit. Hoc comperto, Fulbertus ejusque affines supra modum indignati, quasi a se Heloysam ablegare vellet Abælardus, eum per subornatum famulum atrociter mutilari fecerunt. Tantam confusionem ut devoraret infelix amasius, in abbatiam S. Dionysii se recipere constituit, sed Heloysam prius velari curavit, quæ inter lacrymas & singultus ad altare properavit. Paulo post, cum ipsa inter moniales ingenio & doctrina fulgeret, priorissa instituta est. Prioritsæ munia gessit usque ad annum 1129, quo Sugerius S. Dionysii abbas, obtento ab Honorio II Argentolii parthenone, tamquam ad jus monasterii sui antiquitus pertinente, Heloysam cæterasque moniales expulit. Id ubi cognovit Abælardus, eam ejusque socios ad suum oratorium Paraclitense accersivit. Eoque illis adductis ipsum oratorium concessit anno ut ferunt tabulæ Paraclitenses 1130. Hanc Abælardi cessionem a summo pontifice Innocentio II anno 1131 calendis Julii firmari curavit Heloysa, quæ in diplomate dicitur priorissa. Ipsa cum suis sociabus ibic initio vitam inopem sustinuit, sed Deus se eis brevi verum exhibuit paraclitum, ut loquitur Abælardus; tantam autem gratiam, ait ille, in oculis omnium illi sorori nostræ, quæ cæteris præerat, Dominus annuit, ut eam episcopi quasi filiam, abbates quasi sororem, laici quasi matrem diligerent; & omnes pariter ejus religionem, prudentiam, & omnibus incomparabilem patientiæ mansuetudinem admirabantur. Et sane sibi omnium animos ita devinxit, ut Paraclitense cœnobium ex inopia & egestate ad copiam & ubertatem quasi subito transierit. Circa id tempus cum Abælardi epistola de calamitatibus suis in ejus manus devenisset, inde sumpsit occasionem ad eum scribendi. Adhortatur eum suis ut litteris consoletur, non tantum amicitiæ conjugalis titulo, sed maxime quod Paracliti post Deum solus sit fundator. Imo eum rogat ut quamdam vivendi normam paulo mitiorem regula sancti Benedicti conscribat. Heloysæ ad Abælardum epistolas puro & eleganti stylo scriptas nemo inficias ibit; sed amoris motibus latiorem campum præstitit, & limitum religiosi status nimium est oblita. Unde conjicere licet Heloysam non statim post egressum ex Argentolio mores & animum omnino mutasse. Duas etiam scripsit litteras ad Petrum venerabilem Cluniaci abbatem, totidemque Petrus ad eam. De morte Abælardi Petrus eam certiorem facit, narratque quam sancte ille apud Cluniacum vixerit, & vitam consummaverit; eam solatur, miris laudibus extollit, significatque se plurimum gavisurum, si ad Marcigniacum Cluniacensis ordinis parthenonem cum suis monialibus transmigrare vellet. Quoad Heloysæ epistolas, prima non extat. In altera Petro abbati gratias agit quod ad suam parvitatem ejus magnitudo descenderit, quod XVI calendas Decembris apud Paraclitum missam celebraverit, & in capitulo sermonem habuerit; quod corpus magistri (sic apud Paraclitum vocatur Abælardus) ipsis dederit: quod se tam scripto quam verbo sororem vocare dignatus sit, quod beneficium Cluniacense concesserit, quod denique Tricenarium sibi defunctæ in Cluniacensi conventu pollicitus sit. In fine postulat ut aliud sibi sigillum, id est, alteram epistolam sigillo consignatam mittat, quo in sigillo magistri absolutio litteris apertis contineatur, ut sepulcro ejus suspendatur. Tandem Petro venerabili suum commendat Astrolabium, ut aliquam ei vel a Parisiensi, vel alio quolibet episcopo præbendam procuret. Ab Hugone Metello canonico regulari duas etiam accepit epistolas in quibus Heloysa nominatur & ob litterarum studium extollitur.

Ch. XVIII, col. 259.

Sacra Antiquit. monum. hist. t. II, pp. 348, 349.

Ab Abælardi obitu adhuc diu Paraclitum rexit Heloysa, rexitque adeo prudenter, ut illud non modo caput ordinis instituerit, sed & reditibus amplissimis auxerit, in quorum confirmationem a variis summis pontificibus plurimas obtinuit literas, nempe a Lucio II anno 1144 idibus Martii, ab Eugenio III 1148, Anastasio IV 1154, Adriano IV 1157, Alexandro III 1163. Ex his pontificibus, eadem rogante, nonnulli confirmarunt constitutionem quorumdam monasteriorum a Paraclito pendentium, videlicet Pomeriani quod Mathildis Theobaldi Campaniæ comitis vidua, pro sua in Heloysam amicitia, ex assensu Hugonis Senonensis archiepiscopi condiderat, & super cujus decima cum monachis S. Columbæ Senonensis dimidium terminavit Heloysa circa annum 1144; S. Magdalenæ de Triangulo vel Triagnello ubi transegit cum Norpaldo abbate Vallis-lucentis anno 1142, Noefortensis, S. Thomæ *de Lavalle*, & sancti Flavidi. Plures etiam ad sui exemplum pertraxit virgines quas inter duas Abælardi neptes, Agnetem priorissam & Agatham. Tandem postquam vitæ sanctimoniæ diu inhæsisset, animam Deo reddidit anno 1164 XVII calendas Junii, quo die in necrologio de ea sic legitur: *Mater nostræ religionis Heloysa prima abbatissa, documentis & religione clarissima, spem bonam ejus nobis vita donante, feliciter migravit ad Dominum.* Non in eodem quo Abælardus tumulo, sed tantum in eadem crypta tumulata fuit. Horum ossa anno 1497 2 Maii ex loco dicto *le petit Monstier* in chorum ecclesiæ fuerunt translata, hinc indeque reposita, scilicet Abælardi a dextris & Heloysæ a sinistris. Et postea sub arca majoris altaris condita, licet recens inscriptio apposita figuræ Trinitatis non ita pridem translatæ prope craticulas chori, mendose testetur ibidem ambos requiescere.

Hæc est Heloysæ epigraphe:

Hoc tumulo abbatissa jacet prudens Heloysa.
Paraclitum statuit, cum Paraclito requiescit.
Gaudia sanctorum sua sunt super alta polorum,
Nos meritis precibusque suis exaltet ab imis.

II. M..... quædam cessit anno 1179 monasterio Ripatorii, forte Melisendis est quæ omnium

Digitized by Google

bonorum cœnobii Paraclitensis confirmationem (A) obtinuit a Lucio III summo pontifice anno circiter 1182. Composuit 1185 cum Guiberto abbate Cantumerulæ. A Garnerio episcopo Trecensi obtinuit ecclesiam parochialem S. Albini anno 1193. Donata est etiam anno sequenti pluribus ab eodem episcopo, cum dedicata est ecclesia Paracliti, & in eam fuerunt introductæ moniales. Adhuc superstes erat Melisendis anno 1202; memoratur in calendario Paraclitensi XIV calendas Novembris.

Ch. XLIX, col. 278.

III. J..... sub anno 1203. Forte ista quæ occurrit 1209 in cartis Vallis-lucentis.

IV. Ermengardis eadem forte cum E. quæ (B) anno 1210 reperitur in cartis Vallis-lucentis. Componit 1214 cum Hemerico de Lesinio de quibusdam decimis. Eodem anno mense Decembri memoratur, sicut & annis 1215, 1219 in tabulario sancti Quiriaci, 1220 in carta Joyaci. Litteras dedit anno 1228 mense Augusto in quibus mentionem facit cujusdam venditionis factæ a Ludovico IX priorissæ *de Borenc*. Petrus Meldensis antistes jussus a summo pontifice, annuente Ermengardi, præcepit ut in prioratu de Noaforti apud Meldas, moniales non essent ultra 25, mense Octobri 1229. Ipsa cum Theobaldo Campaniæ comite de (C) quadam controversia compromissum facit anno 1233 mense Maio. Cum eodem comite, anno eodem mense Augusto paciscitur super usuario nemoris de monte Morvei, & nemoris quod vocatur *Aschampenois*, quo etiam anno sibi satisfactum fuisse a comite recognoscit. Reperitur etiam 1234 & 1239 quo vendit duodecim denarios censuales Petro de Carteriaco domino de Castello. Minuit 1244 mense Maio numerum sanctimonialium prioratus de Bosrenco, numerum quoque monialium de Triangulo ad 25 determinavit. Significat anno 1245 mense Septemb. se a comite Campaniæ accepisse 160 jugera nemoris (D) in parco *de Pons*. Tandem occurrit 1248. Ex calendario obiit IV cal. Septemb. Jacet in choro.

Martene ampl. Coll. tom. I, col. 1234.

V. Maria I soror Odonis Rothomagensis archiepiscopi cœpit regere circa annum 1249. Ab Innocentio IV, anno XI ejus pontificatus, VII cal. Maii 1254 impetravit ut si in casu infirmitatis abbatia cedere cogeretur, locum quem antea occupabat in monasterio, ad vitam retinere valeret. Concessit etiam illi idem pontifex quod in monasterio ipso Paraclitensi unam mulierem idoneam in monialem instituere valeret, non obstante statuto de certo monialium numero, ejusdem monasterii juramento, vel confirmatione (E) sedis apostolicæ, seu quacunque firmitate vallato. Dies ejus obitus in calendario Paraclitensi consignatur III nonas Septembris.

Ch. LXII, col. 291.

VI. Heloysa II ex charta Paraclitensi præerat 1266.

VII. Maria II litteras dedit anno 1278 super testamento nobilis dominæ Mariæ de Ellernayo quæ suam elegit sepulturam apud Paraclitum. Quamdam domum vendit 1280. Reperitur & anno 1282. Eadem esse videtur cum M. quæ ex chartis Paracliti, regebat annis 1295, 1298.

VIII. Catharina I quædam commutat anno 1320 mense Novembri cum Ægidio Sandionysiano abbate, ex tabulis S. Dionysii, ubi aliæ reperiuntur ejusdem litteræ mense & anno eisdem datæ. Dies ejus obitus notatur in calendario IV cal. Decemb.

IX. Alix *des Barres* cum Guidone abbate Vallis lucentis discordiam composuit an. 1337. Cum Cellensi monasterio quædam permutavit 1339. Occurrit in charta Paracliti 1347, in charta S. Thomæ de Valle 1348, feria secunda ante natale Domini.

X. Elisendis *des Barres* anno 1371 in charta Paracliti.

XI. Johanna I *des Barres* anno 1403 transegit cum Theobaldo abbate S. Jacobi Pruvinensis.

XII. Johanna II *de la Borde* 1415 in chartis Regalis montis.

XIII. Catharina II *des Barres* 1420.

XIV. Guillelmeta I *de la Mothe* juxta calendarium vivere desiit calend. Januarii 1431. Sepulta ante majus altare.

XV. Guillelmeta II *de la Mothe* præerat annis 1457 & 1474 ex chartis Paraclitii. Juxta necrologium Nocfortis obiit 14 Decemb.

XVI. Catharina III *de Courcelles* filia Johannis *de Courcelles* militis & domini de S. Theobaldo jam erat Paraclitensis abbatissa anno 1482 quo bullas obtinuit datas 4 id. Octobris pro abbatia S. Mariæ Trecensis. Struxit claustrum, refectorium, dormitorium, & alia ædificia. Ossa Petri Abælardi & Heloysæ ex capella S. Dionysii, quæ vulgo dicebatur *le petit Moustier*, cum licentia Jacobi episcopi Trecensis anno 1497 2 Maii transtulit in chorum ecclesiæ, Abælardi a dextris & Heloysæ a sinistris. Sed jam pridem exinde extracta, in subterraneo specu sub altari sanctæ Trinitatis quod est pone chorum monialium quiescunt. Obiit Catharina VII idus Julii anno 1519. Qua sedente Jacobus *Raguier* episcopus Trecensis hoc monasterium reformavit in muris & craticulis anno 1509.

XVII. Carola *de Coligny* per cessionem Catharinæ bullas obtinuit a Leone papa X tertio idus Octobris 1513. Sorori Herberdæ *de Melun* contulit 1531 prioratum montis S. Dionysii prope Meldas. Sic memoratur in calendario; *9 cal. Maias obiit bonæ memoriæ Karola* de Coligny *abbatissa nostra anno Domini 1533.*

XVIII. Anthoneta *de Bonneval* per obitum Carolæ *de Coligny* bullas obtinet pridie idus Maii 1533. Eodem anno die 6 Novembris prioratum S. Thomæ de Valle contulit sorori Herberdæ *de Melun*, tunc priorissæ Montis S. Dionysii prope Meldas. Dies ejus obitus sic adnotatur in calendario XIII cal. Junii: *Hac die veneris in crastino Ascensionis Domini 1547 obiit sapiens & prudens domina domina Anthoneta* de Bonneval *hujus cænobii abbatissa.*

XIX. Renata *de la Tour* Francisci vice-comitis Turenæ, & Annæ *de la Tour-Bologne* filia, monialis Pisciacensis cœnobii, Paraclitum non adiit, quia cita morte de medio sublata est XII calendas Maias anno 1548.

Digitized by Google

XX. Emunda seu Emedea *de la Chastre* bullas obtinet IV idus Maii 1548 per obitum Renatæ *de la Tour*.

XXI. Leonarda alias Bernarda *de Turenne* occurrit in charta S. Thomæ de Valle anno 1556 9 Junii. Obiit prima die Septembris anno 1583.

XXII. Johanna III *Chabot* ex vetusta & antiqua stirpe, Philippi *Chabot* comitis *de Busançois* & *de Charny* Franciæ admiralis, Burgundiæ præfecti regii, ex Francisca *de Longvi-Givri* filia, neptis cardinalis *de Givry*, monialis Jotri bullas adipiscitur a Pio IV, anno 1560 IV idus Octobris forte per cessionem superioris. Possessionem accipit 29 Decembris sequentis; defecit posthæc a religione, defuncta 25 Junii 1593.

XXIII. Maria III *de la Rochefoucaud*, alias *de Chaumont dicta* a Jesu, Antonii Rupifucaldii dynastæ Calvimontis ad Ligerim, & Cæciliæ *de Montmirail* filia, Antonii Engolismensis episcopi germana, defuncta Johanna *Chabot*, bullas obtinuit VI calendas Septembris 1598. Benedicitur Parisiis a Renato Potier episcopo Bellovacensi in ecclesia S. Martini a campis 12 Septemb. 1599. Construxit capellam, novitiarum ædes, cæteraque domus abbatialis ædificia resarcivit & de novo reparavit. Ossa Abælardi & Heloysæ curavit transferri sub arca majoris altaris. Præfuit 45 annis, 2 mensibus. Excessit 19 Februarii anno 1639.

XXIV. Anna-Maria *de la Rochefoucaud de Langeac*, dicta a S. Spiritu, neptis superioris ex fratre Jacobo toparcha *de Langeac* & Franciscæ *de Langeac* in Arvernis, hujus dynastiæ hæredis, monialis Paracliti, bullas accepit idibus Octobris 1624. Die 3 Augusti anno 1641 præbuit assensum ut Margarita *Thiersault* prioratum S. Thomæ de Valle transmitteret in Magdalenam *Miron*. Memoratur & anno 1642 24 Martii quo consentit translationi prioratus S. Thomæ in urbem Latiniacensem. Rexit annis 7 & tribus mensibus. Demortua 28 Maii 1646.

XXV. Gabrielis-Maria *de la Rochefoucaud* Francisci ducis de Rupefulcaudi, principis *de Marcillac*, equitis torquati, Pictonum proregis, ex Gabrielide *du Plessis-Liancourt* filia nata 13 Decemb. 1624, soror Francisci ducis Rupifucaldii, & Ludovici præsulis Lactorensis, monialis B. Mariæ Xantonensis ex coadjutrice anno 1644, Annæ-Mariæ successit. Dein fit abbatissa B. Mariæ Suessionensis per obitum Armandæ *de Lorraine* mortuæ 19 Maii 1684.

XXVI. Catharina IV *de la Rochefoucaud* nata 25 Octobris 1619, superioris germana, primum Carentonii abbatissa anno 1674. Deinde Paraclitum translata anno 1675. Cessit in gratiam sequentis.

XXVII. Maria IV *de Roye de la Rochefoucaud de Roucy* filia Frederici-Caroli comitis *de Roye* & Helisabethæ *de Durfort* monialis B. Mariæ Suessionensis bullas obtinet datas cal. Octobris 1705, possessionem adipiscitur 9 Februarii 1706. In ejus manibus Elisabetha *le Coq* abdicavit prioratum S. Thomæ de Valle 25 Julii 1727.

Præter has sine temporis nota in calendario reperiuntur

Ælipdis, prid. cal. Martii.
Jacoba, VIII id. Martii.
Agneta de Bordis, XIV cal. Junii.
Isabella, III cal. Septemb.
Johanna, pridie nonas Octob.
Helisendis, VIII id. Octobris.
Johanna, VIII cal. Januarii.

BRICOLIUM.

Bricot, aliter Notre-Dame-de-Sezanne.

Locus gallice *Bricol* ab urbe Sezanna duabus leucis distans, ab omni hominum consortio alienus, palustribusque & densissimis sylvis horridus, olim prædonum latibulum fuisse perhibetur. Sed ut ubi abundaverat iniquitas, ibi superabundaret gratia, placuit, inquiunt, circa duodecimum sæculum, principi feminæ e regia stirpe eo loci in honorem B. Mariæ parthenonem ordinis S. Benedicti erigere. Verum ineunte an medio an exeunte hoc sæculo fundatus fuerit difficultas est. Nam & alii Petrum Cellensem abbatem parthenonis tradunt auctorem, qui medio sæculo locum in sylva S. Medardi in quo solus degebat heremita Fromundus, Hersendi comitissæ de Bricolio ea lege concessit ut parthenonem institueret ibidemque prima præesset. At hujus donationis mirum nullam in epistolis Petri Cellensis fieri mentionem. Denique nonnulli a Garnerio Trecensi episcopo hujusce parthenonis fundationem repetunt, qui, monialibus quæ in novella ecclesia B. Mariæ de Bosco se Deo sacrificium obtulerant, ecclesiam de Castellione concessit anno 1196. Quæ demum sententia ipsius saltem instrumento donationis nititur. Hujus monasterii singulas possessiones confirmavit Theobaldus Campaniæ comes 26 Martii 1270. Circa finem decimi-sexti sæculi ab hæreticis adeo desolatum fuerat cœnobium ut nulla præter abbatissam ibi monialis superesset, reditus adeo tenues ut ipsa sola miserrimam ibi vitam traheret. Id cognovit Jacobus *de la Rouere de Guedon* cui duæ erant filiæ virtute plurimum præstantes. Abbatissam convenit a qua sub pensione in gratiam natu majoris cessionem obtinuit. Qua obtenta reparando monasterio statim insudavit. Decennio post abbatissa ipsa monasterium sub nomine beatæ Mariæ de Bosco in suburbium Sezannæ transtulit 1 Julii 1629, episcopi & incolarum assensu præmisso, faventeque rege Ludovico XIII qui nemora a suis prædecessoribus concessa privilegio firmavit. Abbatissarum seriem ex paucissimis texuimus instrumentis.

Ch. LI, col. 181.

ABBATISSÆ.

I. Hersendis ex comitissa de Bricolio ejusdem loci abbatissa medio circiter sæculo duodecimo omnia sua parthenoni novello concessit.

II. Ida a Garnerio Trecensi antistite donata est ecclesia de Castellione anno 1196. Biennio post R. miles ipsi dedit quidquid possidebat in terra de Castellione.

Moniales ex eo quod abbatissam elegerant

absque petita a comitissa Campaniæ licentia A mulram solvunt anno 1221 mense Novembri.

III. Margareta I 1275 fundavit anniversarium pro Theobaldo rege Navarræ, Campaniæque comite & Isabella ejus uxore. Occurrit in alio instrumento anni sequentis.

IV. Coleta obedientiam promisit Petro episcopo ante annum 1395.

V. Johanna *de la Heuse* præsentavit ad curiam parochialem Castellionis anno 1471.

VI. Ludovica *de Blou* abbatissa de Bosco 1497, 1508. Ex diversis instrumentis 1515, 1516. Dat ad censum plurima prædia.

VII. Catharina *de Tourcy* 1518, 1524. B

VIII. Isabellis *de Givry* 1527. Eadem forte cum Isabelli quæ fato fungitur 1534.

IX. Reginalda *de Danailli* electa 1534 mense Septembri.

X. Anna *de Butor* cum sequenti commutavit.

XI. Stephana *de Duyt* ex abbatissa S. Stephani Suessionensis, erat abbatissa de Bosco anno 1549. Huic successit

XII. Maria I d'*Humblieres* monialis Jotrensis, bullas obtinuit vacante monasterio de Bricolio per obitum Stephanæ *de Duyt* anno 1552 XVIII calendas Octobris.

XIII. Margareta II *Després* vendidit anno C 1573 hortum in burgo Sezanniæ. Dedit anno 1579 ad censum unum mansum in loco *de Bricol.*

XIV. Gabrielis I *de Marle* sub annuo censu dedit agrum 1588.

XV. Carola *le Boullanger* ex diversis chartis præerat annis 1599, 1607, 1614. Cessit 1617 14 Septembris. Sola tunc erat in monasterio pene destructo, omnibusque reditibus spoliato. Sanctissime diem clausit ultimam.

XVI. Paula *de Guedon* filia Jacobi *de la Rouere de Guedon*, vicecomitis *de Sacconnet* ex Johanna *de Marmiers*, monialis erat B. Mariæ D de Andeccio, quando a rege nominata, per cessionem Carolæ, possessionem iniit 23 Octobris 1618. Translationis sui monasterii in urbem Sezannam, in locum quem magnis acquisivit expensis, consensum obtinuit ab incolis 29 Novembris, ab episcopo Trecensi 21 Decembris anno 1627, & tandem a rege 1629 mense Februario. Ibi parthenonem fere construxit integrum, in quo moniales 30 non multo post recepit. Sed priusquam eas reciperet, apud Montem-martyrum tres menses integros Strictioris observantiæ exercitiis incubuit, ut sic edocta posset alias verbis & exemplis docere, quod & fecit. Obiit anno 1644, ætatis suæ E 44. Jacet in ecclesia hoc epitaphio donata: *Ici gît très-illustre & révéreme dame Paule de la Rouere-Guedon, première abbesse de cette abbaye de Notre-Dame de Césanne, dite* du Bricol, *de fondation royale, duquel lieu elle a esté transférée & le service divin fait audit Césanne par la permission du Roi & de Monseigneur l'évêque de Troyes, & est décédée le 30 jour de Mai: Priez Dieu pour elle.*

XVII. Gabrielis II *de Guedon* superioris germana successit anno 1644 quarto nonas Octobris, bullas anno sequenti obtinuit, possessionem accepit 18 Januarii, ædificia quæ Paula reliquerat imperfecta absolvit. Ædes abbatissæ, infirmarium & novitiarum a fundamentis ædificavit. Vitam finivit ætatis suæ anno 60, regiminis 23, professionis 45. Jacet prope sororem sub eadem tumba cum hac inscriptione: *Ici gist encore très-illustre & révérende dame Gabrielle de la Rouere-Guedon, qui a succédé à la susdite dame sa sœur en ladite abbaye, continué l'establissement par elle commencé, & fort édifié la Communauté par ses vertus & par sa sainte mort, & est décédée le 27 de Juillet 1667.*

XVIII. Maria II *Ragnier de Poussé* filia Gasparis *Ragnier* marchionis *de Poussé* & Claræ *de la Rouere-Guedon* vacante abbatia per obitum Gabrielidis, a rege renuntiata 20 Septembris anno 1667, bullas obtinuit IV idus Julii anno 1668. Possessionem apprehendit 8 Octobris ejusdem anni, dignissima prædecentium neptis, multa acquisivit, sacram auxit supellectilem & sancti Prumiani reliquias assecuta de vita cessit 16 Martii 1729 ætatis 87.

XIX. N. *d'Estampes* ex abbatissa de Consolatione, evasit abbatissa de Bricolio mense Maio 1729.

XX. N. *de Melun* primogenita Guillelmi *de Melun* marchionis *de Richebourg* e Bricolio ad S. Petrum Lugdunensem translata est mense Septembri 1738.

XXI. N. *d'Auxy* nominata est abbatissa Sezannæ 18 Septembr. 1738.

XXII. N. *le Sage de Ferrieres* monialis beatæ Mariæ de Pentemonte abbatiam a rege consecuta est anno 1757 ineunte mense Septembri.

SANCTUS MARTINUS.

EX vetere S. Lupi basilica, sola remanserat ædicula S. Martino nuncupata, in qua B. Lupus sepultus fuisse tradebatur, olim in suburbio, nunc juxta portam S. Jacobi, in urbis ambitu sita, quia Tricassina civitas hac parte dilatata est & longius producta. Hanc qui administrabant ab initio præpositus & canonici S. Lupi quatuor sacerdotibus ecclesiæ ejusdem vicariis, qui secundum regulam B. Augustini vivere disposuerant, ad Deo serviendum concesserunt anno 1104, quibus bona contulerunt. Paulo post fidelium largitionibus ampliata sancti Martini ecclesia proprium sortita est pastorem. Quin & cum ecclesia S. Lupi per negligentiam quorumdam a divino cultu torpuisset, hanc ut in meliorem statum revocaret Theobaldus comes, regulares sancti Martini canonicos elegit III cal. Septemb. 1135, & in ecclesiam S. Lupi transposuit quibus ipse S. Martini abbas præfuit, donec Girardus præpositus S. Lupi in abbatem prælatus est.

SAINT-MARTIN-DES-AIRES.

Camusat, p. 297.

ABBATUM ELENCHUS.

I. GUILLELMUS anno 1121 ab Itero de Capis cognomine monacho donationem accepit. Cum Hatone Trecensi episcopo reperitur 1126. Cartis ejusdem subscribit 1128 pro Catalaunensi omnium SS. monasterio, &

Digitized by Google

pro Bullencuria; 1131 pro Dervensi cœnobio. Auctoritate summi pontificis, faventeque Theobaldo Campaniæ comite, præpositus fuit reformationi ecclesiæ S. Lupi, ac regulæ S. Augustini in eam introducendæ anno salutis 1135. Cui institit anno uno, mensibus sex, diebus duodecim. Ab Hattone Trecensi & Grosselino Suessionensi episcopis, in controversia arbiter eligitur anno 1138. Eodem anno testis est in compositione inter Manassem & Risendim Faræ monasterii abbatissam. Diversis in chartis Arremarensibus, Dervensibus, Majoris monasterii, Claravallis occurrit ab anno 1140 ad annum 1154, quo subscribit litteris Henrici episcopi Trecensis pro monasterio S. Petri de Cella. Testis adest 1159 in diplomate Henrici comitis pro Foissiaco. Ad eum divus Bernardus in his terminis scripsit: Amico & conservo domino W. abbati canonicorum clericorum Trecensium. Obiit sexto idus Decembris.

II. Jacobus I testis adhibetur anno 1161 in charta Henrici præsulis Trecensis pro Bassofonte. Eodem anno subscribit cum Witterio abbate S. Lupi chartis Pontiniaci. Reperitur etiam annis 1162, 1166 in chartis Erardi comitis pro Bassofonte, 1171 in charta S. Petri de Cella, quo eodem vices episcopi Matthæi egisse dicitur in litteris xenodochii Trecensis. Jacet in medio chori denatus 6 Augusti ex necrologio S. Lupi.

III. Vitalis anno 1172 præfuisse reperitur in chartis episcopi Trecensis. Occurrit etiam 1173 & 1174 quo a Matthæo episcopo donatus est ecclesia *de Maraies* ea lege ut ter in anno cum suo conventu ad ecclesiam cathedralem processionaliter veniret. Testis est 1175 in litteris Matthæi episcopi pro monasterio omnium Sanctorum Catalaunensi. Ipsi comes Brennæ Erardus confirmat 1179 dona Galteri patris sui. Sublatum e medio 1184 & jacere in introitu chori aiunt Sammarthani; in necrologio S. Lupi consignatur VII idus Decembris.

Veter. script. collect. t. 1, p. 890.

IV. Odo testis ac judex delegatur 1188 a summo pontifice circa litis compositionem de eleemosyna data Theobaldo priori & monachis sancti Johannis per Eschebam relictam Garini. Memoratur 1189 in charta B. Mariæ Trecensis 1192. Bartholomæus episcopus, rogatu Odonis curam ecclesiæ de Rulliaco contulit de consensu Theobaldi abbatis Arremarensis ad quem dictæ ecclesiæ præsentatio pertinebat. E vivis excessit IV nonas Octobris. Tumulum habet in capella B. Virginis.

V. Lambertus Garnerio episcopo obedientiam promisit. Litem composuit 1200 inter sancti Memmii & Cheminonis monasteria. Eodem anno mense Februario confirmationem accipit domus sancti Abrahæ a Theobaldo Campaniæ comite. Componit 1201 cum monachis Arremarensibus quibus factæ donationi subscribit 1202. Ejus obitus in necrologio sancti Lupi notatur VII cal. Octobris.

VI. Petrus I præerat 1207 ex charta sancti Stephani. Cum a quibusdam canonicis simoniæ fuisset accusatus, ab ipsorum impetitione eum absolvit Innocentius III anno 1208 kal. Septembris, pontificatus XI. Componit 1209 cum Ripatorio. Reperitur 1213 in charta episcopi Trecensis, & anno 1215 mensibus Aprili & Maio quo a Theobaldo Cantumerulæ abbate accipit donationem quam confirmat Blancha Campaniæ comitissa. Eum adhuc fuisse superstitem annis 1220 & 1222 chartæ capituli S. Petri fidem faciunt. Excessit 20 Octobris. Jacet in capitulo.

VII. Johannes I de Boulagiis 1228 ex Sammarthanis, componit 1231 cum Ripatorio. Obiit XII cal. Aprilis.

VIII. Renaudus 1233.

IX. Johannes II forte *de Chantemerle* memoratur anno 1239. Idem esse videtur cum J. qui anno præcedenti subscribit chartæ episcopi Trecensis.

X. P. occurrit 1239 die crastina nativitatis B. Mariæ in chartario Campaniæ.

XI. Johannes III forte *de Fleiz* 1246 chirographum apponit chartæ Stephani episcopi, idem sane est ac J. quem commemorat charta capituli S. Petri 1251.

XII. Guillelmus reperitur 1253 in charta Dei-loci.

XIII. Hodoynus ex canonico S. Lupi, 1.° fuit abbas S. Martini, deinde S. Lupi an. 1281.

XIV. Johannes IV occurrit 1287 in charta B. Mariæ ad moniales.

XV. Radulfus 1307. Componit cum priore S. Johannis in castro Trecensi anno 1326 27 Julii. Diem obiit 29 Aprilis. Jacet ante crucifixum.

XVI. Johannes V 1330.

XVII. Petrus II de Montemirabili interfuit translationi S. Lupi anno 1359. Obiit V idus Junii 1373 ex necrologio S. Lupi.

XVIII. Johannes VI de Molinis in Arvernia præfuit 1401. Migravit a sæculo 11 Septemb.

XIX. Lambertus Haberti a Stephano *de Givry* benedicitur circa annum 1411. Adfuit anno 1415 die ultima mensis Junii, Dominica post festum S. Johannis-Baptistæ, solemni translationi reliquiarum S. Mauræ in monasterium S. Martini. Obiit 1421 19 Julii.

XX. Felisius *Hardy* ex priore de S. Maura in abbatem eligitur 23 Julii 1421 & confirmatur 4 Augusti ejusdem anni. Stephano episcopo juravit obedientiam.

XXI. Johannes VII *Chevreau* Ludovico episcopo obedientiam promisit.

XXII. Nicolaus *le Gros* a Ludovico fuit benedictus 1463, 15 Januarii. Adfuit 1470 23 Aprilis translationi S. Lupiani.

XXIII. Jacobus II *de Barbonne* obedientiæ juramentum præstitit Ludovico episcopo 21 Septembris 1483.

XXIV. Ludovicus *de Melun* 1495.

XXV. Edmundus *Erard* primo vicarius generalis Ludovici *de Melun*, deinde anno 1499 sancti Martini reperitur abbas. Interfuit anno 1505 translationi capitis S. Lupi.

XXVI. Johannes VIII *de Chamigny* sive *de*

Digitized by Google

Chauvigny benedicitur a Jacobo *Raguier* 1516 27 Julii. Reperitur etiam in veteri instrumento 1517. A

XXVII. Michaël *Martin* ordinis Prædicatorum sacræ paginæ doctor occurrit 1523, 1525, 1528.

XXVIII. Odoardus *Hennequin* episcopus Trecensis in commendam obtinuit abbatiam S. Martini sicut & abbatias S. Lupi, Bassifontis, & B. Mariæ de Virtuto in diœcesi Catalaunensi. Reperitur annis 1534, 1542.

XXIX. Franciscus I de Prima-diei præerat 1551.

XXX. Renatus *d'Amoncourt* utriusque juris doctor, prior S. Columbæ & abbas Firmitatis regebat 1566. B

XXXI. Guillelmus *de l'Aubespine* quem Sammarthani in catalogum abbatum Bullencuriæ referunt.

XXXII. Elyon *d'Amoncourt* occurrit annis 1574, 1577, 1579, 1580, 1587. Fuit etiam abbas Bullencuriæ & Bassifontis.

XXXIII. Johannes IX *Thevignon* Trecis oriundus apud S. Martinum vitam regularem professus est, deinde factus abbas ædificia reparavit. Pedum tenebat annis 1604, 1608, 1609, 1610, 1611. C

XXXIV. Ferricus *de Choiseul du Plessis Praslain* simul obtinebat abbatias de Cantumerula, de Bullencuria & de Bassofonte.

XXXV. Gilbertus *de Choiseul* Ferrici frater easdem abbatias per cessionem obtinuit. Mox ut episcopus Convenensis factus est, omnibus sese exuit, retenta sola abbatia S. Martini quam in pristinum splendorem restituit, tum in accersendis canonicis regularibus e congregatione Gallicana, tum in ædificiis veteribus reparandis.

XXXVI. Franciscus II *de Grammont* dictus *Malet de Graville de Drubec* superioris nepos, filius Johannis Malet ex Magdalena *de Choiseul*, regi ab eleemosynis, doctor Sorbonicus, commendam obtinebat 1690. Fruitus est etiam commendis S. Petri Melodunensis, Bullencuriæ & Bassifontis. Vitam finivit Rotomagi an. 1701. D

XXXVII. Jacobus III *l'Allemant* doctor Sorbonicus nominatur anno 1701.

XXXVIII. Jacobus-Carolus-Alexander *l'Allemant* episcopus Sagiensis a rege designatur 1732. Cum a provincia Normanniæ ad comitia cleri Gallicani fuisset deputatus, de vita cessit Parisiis an. 1740 die sexta Aprilis annum agens 51.

XXXIX. N. *Macheco de Premeaux* nominatur mense Septembri anno 1740. E

XL. N. *de Savollian* renuntiatur 1741.

XLI. Michaël-Franciscus *Coret du Vivier de Lorry*, vicarius generalis episcopi Aurelianensis, nominatus est a rege mense Junio 1754. Deinde vicarius generalis archiepiscopi Rotomagensis renunciatus est a rege episcopus Venciensis sub finem mensis Decembris anni 1763, inunctusque 1 Maii 1764 in sacello Castri Gallionis ab archiepiscopo Rotomagensi, suffragantibus episcopis Ebroicensi & Matisconensi, & die 7 ejusdem mensis regi sacramentum dixit.

SANCTUS LUPUS.

Quo tempore divus lupus e vivis excessit fuit humo mandatus in sacello B. Martini intra basilicam Deiparæ Virgini dicatam, positamque extra Tricassinæ civitatis mœnia, quam ab eodem conditam fuisse tradunt. Quæ sane basilica semper inclyta & frequenti hominum concursu celebris extitit, hoc præsertim quod in ea sancti antistitis corpus servabatur. Paulatim vero mutato priore titulo ob crebra quæ singulis diebus in ea patrabantur miracula, divi Lupi solius nomen induit. Hanc a Carolo Calvo uberrimis redditibus amplissime dotatam instrumenta monasterii & a monachis primum fuisse administratam acta sancti Winebaldi probant. His successere canonici sæculares, qui in ea commorabantur cum Normanni pene totam populantes Galliam, urbem Tricassinam simul & ecclesiam S. Lupi flammis adusserunt circa annum 889. Clerici autem qui corpus B. Lupi diligenti cura servabant ut paganorum furorem devitarent, illud ad tuta detulerunt loca. Recedentibus vero Normannis, cum urbem muris & turribus obfirmarent oppidani, clerici S. Lupi ex facultate quam ab Adelerino Trecorum comite & ejusdem loci abbate impetrarant, una cum consensu Bodonis episcopi, in proprio sui juris solo intra muros urbis construxerunt ecclesiam: & in ea condigno honore sacrum corpus posuerunt anno 891, cal. Martii, regni Odonis anno 3. Capellam vero S. Martini juxta clausum sitam, in qua prius sepultum fuisse tradebatur, quæ sola ex vetere basilica remanserat, quatuor sacerdotibus ecclesiæ S. Lupi vicariis postea concesserunt, qui secundum regulam sancti Augustini vivere disposuerant.

Ecclesiæ sancti Lupi tunc temporis reditus, abbatisque dignitatem usurpaverant Trecenses comites, qui de præbendis ad arbitrium disponebant, hos secuti Castellani de Capis usque ad Clarembaudum a quo Petrus de Mareio præpositus, data multa pecunia, præbendarum donum redemit, & a subjectione domini de Capis ecclesiam emancipavit 1114. Verum cum per negligentiam quorumdam canonicorum a divino cultu torpuisse videretur ecclesia S. Lupi, hanc ut ad religionem converteret Theobaldus Campaniæ comes, consultis Hugone Altissiodorensi & Attone Trecensi episcopis, Bernardo Claræ-vallensi & Guillelmo S. Martini abbatibus, in ordinem canonicorum regularium adscribere decrevit. Quapropter anno 1135 III calendas Decembris ex S. Martino ad S. Lupum accersiti sunt nonnulli regulares, qui inibi fuerunt sine proprio abbate decem & octo mensibus & duodecim diebus, Guillelmo S. Martini abbate utrique monasterio præsidente, ex auctoritate summi pontificis Innocentii III, qui per litteras datas anno 1136, præcipit ut decessioni sæcularium fratrum subrogentur regulares, & si una ex his duabus ecclesiis a sui status integritate & religionis vigore deciderit, per disciplinam & ordinem alterius ad honestatem & religionem

Saint-Loup.

Camusat, p. 296.

Camusat, p. 306.

Camusat, pag. 305 & 306.

Digitized by Google

pristinam reparetur. Inter hujus cœnobii benefactores in primis eminent Campaniæ comites ex quibus Hugo dedit anno 1103 libertatem domorum canonicorum, videlicet ut nemo deinceps eas violare propter furem ibi repertum, nec aliquo modo ipsum extrahere præsumat. Concessit quoque consuetudines Rulliaci, omniumque membrorum ei adjacentium. Donationes ab Hugone factas confirmavit comes Henricus anno 1154. Præter plurima jura quæ largitus est anno 1161, concessiones Caroli Calvi recognovit. De S. Lupo etiam bene meriti sunt plures alii quos inter numerantur canonici S. Stephani qui anno 1179 præbendam donarunt, & cum eadem ecclesia intimam inierunt societatem: Garnerius de Triagnello qui tres modios avenæ condonavit 1179: Et tandem Gaufridus de villa Harduini a quo acceperunt canonici anno 1209 idibus Septembris cœnobium Saphadini in honore S. Salvatoris dicatum, situm in Achaia in diœcesi Mothonensi, quod prius sancto Lupo in eleemosynam concesserant Simon de Legniaco & Gerardus de Germignone. Quæ quidem donatio a Gervasio patriarcha Constantinopolitano firmata est anno 1216.

Camusat, p. 302. — Id. p. 301. — Ibidem. — Id. p. 307. — Id. p. 304. — Ch. LVII, col. 287. — Ch. LVII, col. 287. — Id. p. 313.

Abbatum S. Lupi seriem præsertim eruimus ex manuscripta historia quam erudite concinnavit Jacobus *Cousinet* congregationis Gallicanæ canonicus regularis.

Series Abbatum.

I. Audericus primus cum titulo abbatis in vita S. Vinebaldi memoratur.

II. S. Winebaldus Novigenti in Tricassina diœcesi natus, vitam ducebat eremiticam in loco prope pagum *de Boursenay* ab urbe Trecis octo leucis distito, ubi nunc est prioratus ejus nomine insignitus, a S. Lupi monasterio pendens, cum a Gallomanno antistite Trecensi Auderico subrogatur. Ipse B. Lupo episcopo Senonensi fuit valde familiaris & dilectus, eumque Lothario offenso reconciliavit & ab exilio revocari sategit. Quin etiam ille princeps in ejus gratiam, veniam & libertatem dedit reis qui in carceribus detinebantur. Ejus festum occurrit XV calendas Januarii. Florebat circa annum 620.

III. Theudecarius in actis sancti Frodoberti Cellensis abbatis, dicitur abbas ejusdem suburbii.

IV. Leo S. Frodoberti discipulus, & in Tricassinæ civitatis suburbio abbas, imminente festo Nativitatis Christi, a B. Frodoberto ad episcopum Abbonem fuit missus, eum rogaturus ut novum quod condiderat oratorium ipsa die nativitatis Dominicæ consecrare dignaretur.

V. Alcuinus seu Albinus Flaccus natione Anglus Caroli-magni præceptor non modo præfuit monasterio sancti Lupi, verum etiam monasteriis Ferrariarum, S. Martini Turonensis, S. Judoci ad mare, necnon & Cormeriaci. Obiit anno 804 die 19 Maii in festo Pentecostes. Post ejus obitum monasterium invaserunt Trecenses comites abbatis titulo gaudentes fisco & reditibus.

Camusat, p. 296.

VI. Adelerinus comes Trecensis litteras edidit anno 893 mense Martio in quibus abbatis sibi nomen arrogat, quibusque post cladem Normanicam Ragenario thesaurario ejusque clericis, Bodone tunc Trecensi episcopo assentiente, facit facultatem reliquias S. Lupi ex suburbio in urbem transferendi, & monasterium reædificandi in urbis ambitu ubi nunc existit.

VII. Petrus I præpositus S. Lupi occurrit in necrologio XVI calendas Decembris.

VIII. Johannes I præpositus sub Hugone Capeto floruisse dicitur. In necrologio XIV calendas Maii consignatur.

IX. Willancus præpositus reperitur in necrologio V idus Julii.

X. Sylvester præpositus tempore Theobaldi comitis patris Hugonis a quo condonationem quarumdam consuetudinum accepit.

XI. Girardus I ex archidiacono Trecensi, S. Lupi præpositus evasit. Capellam B. Martini ubi nunc existit monasterium S. Martini in Areis contulit quatuor presbyteris qui secundum regulam B. Augustini vivere disposuerant, & ad eorum sustentationem plurima prædia largitus est 1104. Ejus obitus in necrologio refertur XII cal. Septembris.

XII. Petrus II de Mareio archidiaconus Trecensis & sancti Lupi præpositus abbatiam a sæcularibus redemit, effecitque ut Clarembaudus comes Castellanus de Capis eam restitueret canonicis anno 1114. Ejus obitus in necrologio hoc modo consignatur *II. Calendas Septembris obiit Petrus S. Petri archidiaconus & S. Lupi præpositus, qui ecclesiam B. Lupi a dominatione domini Capuensis emancipavit & alia beneficia ei contulit.*

XIII. Guido præpositus vixit ante annum 1135. Eo defuncto canonici S. Lupi auctoritate Theobaldi comitis Trecensis, consilio Hugonis Autissiodorensis & Hatonis Tricassini episcoporum, atque etiam S. Bernardi abbatis Claravallis, institutum Augustinianum amplexi sunt, & in eis informandis ad disciplinam regularem Guillelmus sancti Martini in Areis abbas totus incubuit annum integrum, menses sex, & dies 12.

XIV. Girardus II dum præerat Guillelmus, prior institutus fuerat, & in abbatem cooptatus anno 1137, pridie idus Junii. Locum qui Buxeiacus dicebatur ubi fundatum est Ripatorium ad preces Theobaldi comitis anno 1140 Cisterciensibus concessit ut patet ex charta Attonis a Camusato edita p. 317; pro qua cessione ab eodem episcopo ecclesias Ausonii & Luxodi eodem anno accepit. Transactis in regimine 4 annis, mensibus 5, diebus 12, dignitati cessit anno 1141, 24 Octobris, & ad S. Martinum se recepit. De eo sic habetur in necrologio: *III cal. Augusti obiit dominus Girardus bonæ memoriæ canonicus & sacerdos S. Martini, qui & istius ecclesiæ multis diebus abbas extitit in initio canonicæ religionis.*

Camus. p. 318. verso.

XV. Everardus qui & Ebrardus antea cantor S. Lupi, non multo post Girardi cessionem unanimi fratrum consensu abbas eligitur. Ipsi, rogante S. Bernardo, Atto Trecensis episcopus ecclesiam Lusigniaci concessit anno 1143. Eum inter & abbatem S. Martini litem exortam

Ch. XXV, col. 264.

Digitized by Google

composuerunt 1145 idem Atto & Hugo episcopus Autissiodorensis. Eodem anno ab Eugenio summo pontifice bullam protectionis & prædiorum confirmationis obtinuit. Occurrit in chartis Pontiniaci 1146 & 1147, quo anno suis expensis capsam elegantem ad recondendas S. Lupi reliquias fabricari curavit. Composuit 1150 cum Petro abbate Cellensi. Occurrit 1151 in charta monasterii omnium Sanctorum Catalaunensis. Domum hospitum nec non cellarium cum aliis ædificiis a fundamento construxit, ediditque librum usuum sui monasterii. Præfuit annis undecim, totidem mensibus & tribus diebus. Obiit anno 1153 x cal. Decemb. sepultusque est in choro, præsente Henrico episcopo, assistentibus & condolentibus abbatibus suburbanis.

XVI. Guiterus electus anno 1153, non multo post decessoris sui obitum, præfuit annis circiter quadraginta quatuor; in eodem monasterio a teneris fuerat educatus. Litteras edidit quibus sub excommunicationis pœna prohibet ne sui successores quidquam rerum monasterii abalienent. Ejus tempore Henricus Trecensis comes S. Lupo concessit præbendam in ecclesia S. Stephani, largitus est etiam librum evangeliorum gemmis & laminis argenteis instructum. Annulum Mariæ comitissæ filiæ Ludovici regis, quem in emendationem delicti unius ex ejus domesticis ab ipsa acceperat, aureo textui inseruit Guiterus. Chartæ Henrici episcopi Trecensis pro monachis Cellensibus subscripsit 1154. Privilegium obtinuit 1155 ab Adriano papa IV quo variæ monasterii possessiones confirmantur. Henricus episcopus eum investivit 1158 de annualibus canonicorum ecclesiæ S. Nicolai de Pogeiaco. Eodem anno quamdam donationem accepit ab Henrico comite qui singulas S. Lupi immunitates confirmavit 1161, & omnia bona ejusdem monasterii in tutelam recepit 1163. Eodem anno occurrit in litteris Manassis decani S. Petri datis in gratiam S. Lupi. Ab Alexandro III privilegio donatus est 1164. Testis occurrit 1175 in charta Matthæi episcopi pro monasterio omnium Sanctorum Catalaunensi. Ipsi anno 1177 ecclesiam Villæ-lanceæ ad nemus Matthæus episcopus concessit. Subscribit 1178 chartæ ejusdem Matthæi pro tribus fontibus. Quoddam beneficium accipit 1179 ab Hugone domino *de Vougy*. Reliquias S. Winebaldi eleganti capsa inclusit 1180; quo anno Matthæus episcopus ecclesiam de Buciaco ipsi indulsit. In quadam controversia a monachis Arremarensibus & Ripatorii in arbitrum assumitur 1183. Testis est 1185 conventionis actæ inter Hugonem abbatem Cellensem & Gertrudem B. Mariæ abbatissam. Judex & testis a summo pontifice fuit delegatus super litis compositione aut eleemosyna data Theobaldo priori & monachis S. Johannis ab Elchiba relicta Garini 1188; quo anno dedit litteras pro monasterio B. Mariæ ad moniales. Sopita est anno 1189 discordia mota inter capitulum B. Petri & canonicos regulares S. Lupi. Reperitur 1194 in chartis Vallis-lucentis. Ejus obitus in necrologio ita consignatur: *Nonis Decembris obiit piæ memoriæ domnus Guiterus hujus ecclesiæ tertius abbas qui per 44 annos miro moderamine pacifice rexit ecclesiam.*

Camusat. p. 309.

Ibid. p. 304.

Ch. XLII, col. 275.

Camusat. pp. 303 & 304.

XVII. Drogo Garnerio episcopo Trecensi in primis carus, ab ipso benedictionem accepit, & quasdam ecclesias anno 1196, quas a Celestino III confirmari curavit anno sequenti. Eodem anno mense Decembri a summo pontifice judex instituitur in controversia inter monachos Arremarenses & Haymonem Furnarium *de Maignant*. Ipse una cum Petro Cellensi abbate inter eosdem pacem restituit anno 1198 mense Decembri. Auctoritate apostolica litem terminavit 1199 mense Februar. XIV cal. Martii inter Arremarense cœnobium & Jacobum militem. Anno sequenti mense Aprili in eadem causa memoratur. Conciliavitque hoc anno canonicos sancti Memmii monachis Cheminonis. Subscribit 1201 calendis Maii donationi Menardi militis de Masleriis factæ monasterio Arremarensi. Ab Innocentio III bullam obtinuit 1202. Reperitur 1203 & 1204 in chartis Arremarensibus. Litteras edidit 1206 quibus agnoscit se a Milone decano & capitulo Trecensi accepisse domum Dei de Chaleta cum omnibus pertinentiis.

Ch. LIV, col. 283.

XVIII. Manasses seu Manasserus diversis in locis memoratur 1208. Subsignat mense Maio conventioni factæ inter monachos Arremarenses & quosdam homines. Commutat mense Augusto homines sui juris cum Blanca comitissa Campaniæ. Reperitur etiam in litteris Hervei episcopi. A Simone de Ligniaco donatus est 1209 abbatia Sacadini. Eodem anno subscribit chartæ Rollandi abbatis Arremarensis. Pedum adhuc tenebat 1210. Sub eo vixisse dicitur Johannes Faber episcopus Liddensis canonicus regularis S. Lupi. Ex necrologio obiit Manasses IV nonas Augusti.

Ch. LVII, col. 287.

XIX. Philippus I anno 1211 mense Septembri dedit Blancæ comitissæ sui monasterii advocatæ, ejusque successoribus totum se dum de Richevilla quod Odo dominus Granciaci a se tenebat. Eodem anno composuit cum archidiacono Trecensi. Concilio Lateranensi an. 1215 non levibus conjecturis interfuisse creditur. Commutavit 1217 mense Junio cum Blanca Campaniæ comitissa. Ipse cum Guiardo archidiacono in judicem assumitur 1217 mense Decembri in controversia exorta inter Herveum episcopum & monachos Arremarenses. Præerat adhuc 1221. Dignitate abdicata apud Claram-vallem monachum induit.

XX. Philippus II de Triangulo nobilis genere, patrem habuit Garnerium factum conversum apud Prulliacum, sororem Thecelinam dominam *d'Ermel*. Habitum religionis apud S. Lupum induit circa annum 1194. Deinde præfuit annis circiter duobus abbatiæ B. Mariæ de Viriaco in diœcesi Catalaunensi, inde translatus fuit ad S. Lupum, cui præerat 1224, quo anno litteras edidit in quibus a Camusato & Sammarthanis allata diruit, nempe quod apud Claram-vallem amplexus fuerit monasticen, quod ejus decessori competit, uti constat ex eisdem litteris in quibus meminit Philippi sui decessoris, *quondam*, inquit, *abbatis nostri, nunc vero Claræ-vallensis monachi.*

Cum

Digitized by Google

Cum Milone priore sanctorum Geminorum A
societatem iniit 1226. Adhuc occurrit 1227.

XXI. Simon reperitur annis 1227 & 1228. De eo sic legitur in necrologio: *III idus Julii obiit Simon bonæ recordationis hujus ecclesiæ octavus abbas.*

XXII. Bernardus anno 1229 mense Martio composuit cum Erardo *de Chaunay*. Eodem anno societatem iniit cum Garcia Oscæ episcopo & canonicis regularibus ecclesiæ Jacenensis in Hispania Tarraconensi.

XXIII. Rainaudus in aliquibus chartis occurrit 1231. Anno sequenti finem fecit controversiæ inter monasteria sancti Lupi & Arremarense, subscripsit etiam chartæ episcopi Trecensis. B

XXIV. Galterius præerat 1237 & 1239. Iter Jerosolimitanum suscepit 1240. Adhuc occurrit 1243 mense Maio. Ejus obitus consignatur in necrologio his verbis: *Nonis Augusti obiit Galterus bonæ memoriæ istius ecclesiæ abbas undecimus in recessu subsidii Terræ sanctæ.*

Prior & conventus S. Lupi a Theobaldo Campaniæ comite facultatem abbatis eligendi petierunt anno 1249.

XXV. Milo reperitur 1255 in cartario episcopi Trecensis. Ad eum litteras scripsit anno 1258 officialis Trecensis. Chartæ episcopi Tricassini subscribit 1261. Sic notatur in C
necrologio: *VII idus Decemb. obiit Milo felicissimæ recordationis, hujus ecclesiæ abbas duodecimus.*

XXVI. Isambaudus seu Isambartus chirographum adscripsit 1269 mense Aprili testamento domini *de Gaucort*. De eo verba hæc in necrologio leguntur: *XIV cal. Decembris obiit Isambaudus abbas hujus ecclesiæ tredecimus.*

XXVII. Hondoninus seu Hodoynus *du Fay* ex canonico regulari S. Lupi, S. Martini factus abbas, juxta archivum episcopi Trecensis abbatiam S. Lupi obtinebat 1281. Memoratur annis 1285 & 1292 quo ipse & abbas Cellensis inter se partiuntur homines & feminas sibi subjectas, D
commorantes in duabus ecclesiis ad se spectantibus. Adhuc occurrit 1295, 1297. Cum laude memoratur in necrologio v idus Aprilis.

XXVIII. Johannes II de S. Aventino abbatis titulo gaudet in charta anni 1307; sed eum non ita multo post vixisse probant hæc necrologii verba: *IV nonas Junii obiit Johannes de S. Aventino quondam abbas & canonicus regularis hujus loci pro quo habemus viginti solidos annuatim apud S. Naborem anno Domini M. CCCIX.* Memoratur etiam in eodem necrologio III nonas Decemb.

XXIX. Nicolaus I de Marigniaco occurrit 1323. In necrologio de eo sic habetur: *XIV* E
calendas Aprilis obiit piæ recordationis Nicolaus de Marigniaco hujus ecclesiæ abbas quatuordecimus anno Domini M. CCCXXV.

XXX. Jacobus *Muete* reperitur 1331. In necrologio consignatur his verbis: *X calendas Februarii obiit Jacobus dictus* Muete *sacerdos & canonicus regularis hujus loci, qui etiam hujus ecclesiæ pluribus annis extitit abbas.*

XXXI. Johannes III de Challeio in decretis licentiatus præerat 1356. Occurrit 1358 in charta S. Petri de Cella. Reliquias S. Lupi in pretiosiorem capsam reposuit 1359, & juxta N. *Desguerrois* 1364. Huic capsæ, teste Camusato, insculpta erat hæc epigraphe: *Ista capsa fuit incœpta & perfecta cum Dei adjutorio tempore Johannis de Chailleyo abbatis hujus monasterii licenciati, orate Deum pro eo.* Ex necrologio diem extremum clausit 9 Octobris anno 1365. Post cujus mortem Reginaldus de Varigniaco prior claustralis communibus fratrum suffragiis electus est, sed ejus electio irrita fuisse creditur, eo quod solo prioris claustralis titulo in necrologio notatur.

XXXII. Nicolaus II in abbatum indicibus a Sammarthanis post Camusatum Johanni de Challeyo subjicitur.

XXXIII. Gaufridus ab iisdem hoc ordine ponitur.

XXXIV. Johannes IV *Persin* ex canonico regulari B. Mariæ de Virtuto sancti Lupi abbas evasit 1373. Carolo V regi Francorum fuit a consiliis. Ecclesiam vetustate pene collabentem in novam & elegantiorem formam restaurare suscepit 1380. Societatem iniit 1382 cum Hugone de Marchia abbate B. Mariæ de Castellione, & anno 1391 cum Adamo *Chafiet* abbate Virtudensi. Obiit 1410 IX calendas Februarii. Jacet in sacello B. Mariæ hoc epitaphio decoratus: *Hic jacet venerabilis pater M. Johannes* Persin *natus de Virtute, juris canonici eximius doctor, qui hanc capellam cum multis ædificiis in hac domo ædificavit, diesque suos in eadem terminavit die 24 Januarii anno M. CCCCX.*

XXXV. Alardus de Saviniaco ex priore de Chaleta eligitur abbas circa annum 1412. Sed ejus electionem confirmare renuit summus pontifex. A Stephano *de Givry* episcopo nihilominus benedictus fuisse traditur, obedientiamque ei revera promisisse reperitur. Ejus obitus in necrologio notatur die 21 Martii, ubi abbas vicesimus primus dicitur. Præfuit decem annis.

XXXVI. Nicolaus III præerat 1415, quo anno 16 Maii cum aliis pluribus tam episcopis quam abbatibus a synodo Constantiensi specialiter deputatus, citat Johannem XXIII quatenus in judicio personaliter se sistat.

XXXVII. Simon *Portuelli* e diœcesi Lucionensi oriundus societatem iniit 1422 cum priore B. Mariæ de insula Trecensi. Ecclesiam S. Lupi a Michaele *de Givry* episcopo dedicari curavit 1427 die 20 Maii. Adhuc præerat 1427.

XXXVIII. Guillelmus I *Andoilette* ex canonico regulari Castellionensi, S. Lupi abbas electus 1429, a Martino V confirmatur. Johanni *l'Eguisé* juravit obedientiam. Incœptum ecclesiæ ædificium continuavit. Societatem iniit cum variis monasteriis & multa in commodum sui monasterii præstitit. Sequenti cessit 1454. Fatis fungitur 1461. Jacet in navi.

XXXIX. Petrus III *Andoilette* superioris nepos ex cessione patrui obtinuit 1454. Adfuit 1470 die 23 Aprilis translationi S. Frodoberti. Obiit 1491. Sepulti sunt Petrus & Guillelmus in navi ecclesiæ sub eadem tumba hac inscriptione ornata: *Cy gissent dévotes personnes maître Guillaume*

Andoilette licentié en decret, lequel étant abbé de céans feist faire les voustes des croisées & nef de cette eglise, qui trespassa le jour de S.t Crespin M. CCCCLI. Et maistre Pierre Andoilette licentié en decret & abbé de céans qui feit faire le petit clocher de la dicte croisée qui trespassa le XXVI jour de Septembre M. CCCCXCI. Priez pour eux.

XL. Nicolaus IV *Forjot* apud Planceium humilige nere natus, abbatiam S. Lupi ex cessione Petri anno 1486 obtinuit. Disciplinam regularem restituit. Jus ornamentorum pontificalium ab Innocentio VIII assecutus est 1487 11 calendas Aprilis. Reliquias SS. Cameliani & Evodii e veteri capsa in novam transtulit anno 1496 in festo SS. apostolorum Simonis & Judæ. Ecclesiam structuris & possessionibus ampliavit. Caput S. Lupi in theca pretiosissima & mirabili opere constructa inclusit 1505. Anno 1508 ind. XI 28 Aprilis, tamquam Vicarius Johannis de Foresta administratoris præpositura S. Nicolai & S. Bernardi Montis-jovis ordinis S. Augustini, pro Philippo de Sabaudia episcopo & principe Gebennensi ejusdem præpositura commendatario, fratri Nicolao *Prunel* contulit hospitale seu rectoriam pontis S. Vincentii Tullensis diœcesis. Tandem anno 1513 decima-quinta die Martii in manibus Jacobi *Raguier* episcopi cessit in gratiam Nicolai *Prunel*. Ipse vero virtutibus magis quam ætate gravis pie obdormivit in domino anno 1514. Jacet in ecclesia hoc epitaphio donatus: *Sub hac tumba inhumatum fuit corpus fratris Nicolai Forjot theologiæ doctoris, hujus ecclesiæ religiosi & abbatis, qui hanc capellam & eam quæ stat in altera parte cum medio rotundo chori construxit. Hic obiit anno M. CCCCCXIIII, XVIII Decembris:* Ad parietem hæc verba leguntur: *Cy-devant gist Nicolas Forjot, natif de Plancy, Religieux de céans, docteur en théologie de l'Université de Paris, qui en son temps fut Prieur de S. Bernard de Luans de l'Hostel-Dieu-le-Comte 34 ans, abbé de céans 28. Il trespassa le 18 jour de Décembre M. DXIIII.*

XLI. Nicolaus V *Prunel* in jure canonico baccalaureus cessione superioris efficitur abbas anno 1513. Cum fere tota Tricassina civitas succenderet anno 1524, 25 Maii, reliquias S. Lupi per urbem efferri jussit. Adfuit anno 1528, 28 Martii solemni ingressui Odoardi *Hennequin* episcopi. Sacram ecclesiæ supellectilem auxit. Obiit ultimus regularis 1533, 20 Septembris. Jacet in choro cum epitaphio.

XLII. Odoardus *Hennequin* episcopus Trecensis primus abbatiam in commendam obtinuit. Fuit etiam commendatarius S. Martini in Areis, Bassi-fontis & B. Mariæ de Virtuto in diœcesi Catalaunensi. Obiit 1544, 13 Novembris.

XLIII. Johannes V *Erault* dominus *de Chemans* Francisci *Erault* regiorum signorum custodis ex Maria *de Loynes* filius, in senatu Parisiensi consiliarius obtinebat 1555. Obiit Parisiis 1614 annos 89 natus.

XLIV. Stephanus *de Nicey* monachus Molismensis vitam finivit 1585.

XLV. Johannes VI *de Vulcob* fato functus 1608.

A XLVI. Nicolaus VI *de Neufville* nothus Nicolai domini *de Villeroy* regi a commentariis in sanctiori consilio, in curia suprema Parisiensi senator clericus renuntiatur anno 1608. Ædificia monasterii reparavit. Potitus est usque ad annum 1613. Fuit quoque commendatarius Casæ-Dei, Caziacensis & Fontanellensis.

XLVII. Guillelmus II *Fouquet de la Varenne* episcopus Andegavensis occurrit 1613.

XLVIII. Johannes-Aristides *Remundi de Modene* carpentoratensis nominatur anno 1621. Diem ultimum clausit 17 Januarii 1646, canonicis regularibus simul & pauperibus scriptis B hæredibus. Jacet in capella S. Winebaldi quam construxerat.

XLIX. Franciscus *Leblanc du Rollet* filius Annæ *du Rollet de la Croisette*, regi a sanctioribus consiliis, Cadomi gubernatoris, baronis *d'Aquigny* & *de la Bonde*, possessionem accepit 1647. Postea cessit & obiit 1657.

L. Ludovicus *le Blanc du Rollet* præcedentis frater, per cessionem commendam adeptus ipse sequenti cessit 1656.

LI. Robertus *le Blanc du Rollet* Abbavillæus, Francisci & Ludovici patruus, Cantumerulæ commendam assecutus, permutavit pro abbatia C de Fontanis comitis in diœcesi Pictaviensi. Postea vero sancti Lupi commendam per Ludovici cessionem nactus 1656 mense Augusto, possessionem non accepit defunctus Cadomi 1658, mense Martio ætatis suæ 60.

LII. Georgius *d'Aubusson de la Feuillade* Francisci ex Isabella *Brachet* filius, doctor Sorbonicus, archiepiscopus Ebredunensis, regi a sanctioribus consiliis, commendam sancti Lupi nactus, possessionem accepit 29 Augusti 1658. Simul obtinebat commendatariam administrationem S. Johannis Laudunensis.

D LIII. Joachimus *Faultrier* regi a consiliis, Malbodii olim præfectus, a rege nominatus 31 Maii 1697, cessit 1708 in gratiam sequentis. De vita cessit 1709.

LIV. Dionysius-Franciscus *le Bouthiller de Chavigny* episcopus Trecensis, dehinc Senonensis archipræsul a rege designatur 15 Augusti 1708. Vitam finivit 1716.

LV. Nicolaus *Pajot de Dampierre* canonicus Parisiensis & in curia suprema senator, abbas renuntiatur mense Januario 1731, & moritur Parisiis 11 Maii 1757 annum agens 69.

N. *de Radonvilliers* vicarius generalis archiepiscopi Bituricensis a rege nominatus est anno E 1757, exeunte Junio.

CANTUMERULA.

Villa seu pagus qui Cantumerula dicitur, loco eminenti situs, in finibus Campaniæ ad occidentem, in decanatu Pontium, Villam-noxam inter & Barbonam extitit olim castrum propugnaculis munitum, in quo a Campaniæ comitibus fundata est ecclesia pro canonicis sæcularibus. His successere regulares qui, quo tempore canonici S. Lupi, eodem regulam S. Augustini amplexati sunt anno 1135. De his bene meriti

CHANTEMERLE.

Digitized by Google

sunt Henricus Tricassium comes, Adrianus IV & Alexander III summi pontifices, Atto & Henricus episcopi Trecenses.

Ch. XXXVI, col. 271.

Seriem abbatum contexuimus ex variis monumentis.

A B B A T E S.

I. GIRARDUS testis est in charta Henrici comitis Trecensis pro monasterio Septemfontium 1155.

II. Poncius 1161 in charta S. Petri de Cella. Obiit v idus Junii.

Ch. XXXVI, col. 271.

III. Gregorius bullam obtinuit ab Alexandro III, XVIII calendas Maii 1165 ad exemplar alterius bullæ Adriani. Societatem iniit cum Guillelmo abbate Sosmensi & ejus fratribus. Reperitur 1171 & 1173 in chartario Cellensi. Fato fungitur 15 cal. Novembris.

IV. Guibertus anno 1185 de decimis de Villegruis cum Melisende Paraclitensi abbatissa composuit. Memoratur in necrologio S. Lupi VI idus Julii.

V. Theobaldus de Brecenaio anno 1210 in charta monasterii Cellensis. Vitam finivit ex necrologio S. Lupi III nonas Julii.

VI. Henricus 1218 in archivis episcopatus Trecensis.

VII. Johannes I Herveo episcopo obedientiam juravit. Reperitur 1223 in charta Joyaci. Petrus ejusdem loci præpositus, Johanne forte defuncto, a Johanne Castellano Noviomensi & Tortosæ vices gerente Theobaldi regis Navarræ & Campaniæ comitis, licentiam abbatis eligendi obtinet 1237 mense Septembri.

VIII. Johannes II memoratur 1239 in charta episcopi Trecensis.

IX. Guido 1242 in charta Claræ-vallis, & 1243 in charta Tricassini episcopi.

X. Henricus cum comite de nonnullis transigit 1250. Adhuc præerat 1259 mense Julio.

XI. Nicolaus I una cum Petro abbate de Nigella abscondita, suscipit a Guillelmo de S. Quintino donationem factam abbatissæ & conventui de Gratia subtus Montem-mirelli mense Junio 1267. Memoratur XV cal. Augusti.

XII. Petrus I *Belle* ex Sammarthanis e vita migravit 22 Octobris 1325.

XIII. Robertus de Puteolis interiit 1326 V calendas Junii.

XIV. Nicolaus II de Banna vitam finivit 1332, V idus Novembris.

XV. Johannes III de Puteolis præerat 1347. E vivis excessit IV idus Augusti.

XVI. Theobaldus de Puteolis reperitur 1362 in charta Cellensi. Adhuc præerat 1384. Ejus obitus in necrologio S. Lupi consignatur IV id. Augusti.

XVII. Petrus II *Belle* sacerdos & canonicus S. Lupi Trecensis occurrit 1385. Fidem Petro episcopo juravit. Obiit juxta necrologium S. Lupi XI kal. Aprilis 1399.

XVIII. Ægidius I *Bruchié* benedictus est a Stephano *de Givry* post annum 1411.

XIX. Johannes IV *d'Avesne* 1415, e medio sublatus 1416, IX cal. Martii.

XX. Michaël I *Joly* alias *des Granges* benedictus est a Stephano episcopo. Reperitur 1417 in veteri instrumento Cellensi. A Martino V, pontificatus 3 bullas obtinuit pro Omnium sanctorum & B. Mariæ Virtudensis abbatiis in Catalaunensi diœcesi.

XXI. Ægidius II Stephano obedientiæ sacramentum præstitit.

XXII. Johannes V *d'Avesne* benedictus est a Johanne *Leguisé* antistite Trecensi post annum 1427. Ludovico *Raguier* episcopo obedientiam promisit. Adhuc superstes 1463.

XXIII. Julianus *le Mayrat* occurrit 1461 & 1479 die 9 Februarii. Obiit 1491, III cal. Januarii.

XXIV. Johannes VI *Chevrier* a Jacobo *Raguier* benedictus 1391, 27 Februarii. Adhuc præerat 1497.

XXV. Claudius *Chevrier* obtinebat die 17 Martii 1516. Cessit in gratiam sequentis. Defunctus 1553, XV cal. Februarii.

XXVI. Sebastianus *Sonnelon* clericus Parisiensis per cessionem Claudii obtinuit.

XXVII. Michaël II *de Strozzi* regi ab eleemosynis fruebatur 24 Junii 1569. Atrium domus ædificavit.

XXVIII. Johannes VII *Gobinet* abbas regularis per Michaëlis abdicationem 6 Septembris 1598. Cessit & ipse, & adhuc superstes erat abbas veteranus 15 Maii 1632. Vixisse traditur ad annum 1636, quo obiit 10 Junii. Jacet in ecclesia Cellæ subtus Campanerulam.

XXIX. Ferricus *de Choiseul du Plessis Praslain* regi a consiliis & eleemosynis per cessionem superioris commendam impetravit die 8 Januarii 1625. Fuit etiam commendatarius Bullencuriæ, S. Martini Trecensis & Bassi-fontis.

XXX. Gilbertus *de Choiseul* Ferrici germanus per ejus cessionem commendam obtinuit 15 Martii 1631. Postea ad episcopatum Convenensem nominatus pene omnibus beneficiis sese exuit.

XXXI. Robertus *le Blanc du Roller* Ebroicensis diœcesis, primum ecclesiæ Meldensis deinde Senonensis decanus, fit per cessionem commendatarius, & ipse cessit.

XXXII. Ludovicus *Bourgeois d'Heauville* Constantiensis diœcesis, Baccalaureus in theologia facultatis Parisiensis, decanus ecclesiæ Ebroicensis, commendam per abdicationem obtinuit. Ipse canonicum institutum prorsus collapsum restauravit advocatis canonicis regularibus congregationis Gallicanæ anno 1661. De vita migravit 1680, mense Septembri.

XXXIII. Henricus *de Briqueville de la Luzerne* Bajocensis a rege nominatus 1680, bullas obtinuit ab Innocentio XI kalendis Januarii 1682. Cessit 23 Decemb. 1706, quo anno factus est commendatarius Gardæ in diœcesi Cadurcensi, cujus erat episcopus ab anno 1693.

XXXIV. N. *de Montenoy* 1706, Obiit anno 1760 die 29 Februarii. Natus annos 81.

XXXV. N. *de Cicé* vicarius generalis episcopi Trecensis abbas a rege nominatus est die 3 Augusti anni 1760.

Digitized by Google

Hos præter plurimis in locis sine chronologia reperiuntur

Guido cal. Januarii.
Guido alter VII cal. Aprilis.
Odeardus VI idus Aprilis.
Petrus XII cal. Maii.
Mullinus III cal. Maii.
Richardus IV cal. Maii.
Galterus non. Augusti.
Philippus de Brayo VII cal. Septemb.
Guido de Villanova VII id. Septemb.
Johannes de Esclavolla XVII cal. Octobris.
Johannes de Fagis pro cujus anima possidet Gantumerula octo solidos super prata *d'Esclavolles*, III id. Novembris.
Haimo XV cal. Novembris.
Theobaldus *de Mongiron* pridie cal. Decemb.
Theobaldus XVII cal. Januarii.

MACHERETUM.

MACHERAY. Charta XXXVIII, col. 273.

GRandimontenses in nemore *de Macheray* septem leucis ab urbe Trecensi remoto instituti fuerunt a Guillelmo de Dampetra & Hugone de Planceio, qui ad eorum sustentationem omnia necessaria suppeditarunt anno 1168. Lite vero mox exorta inter eumdem Guillelmum atque etiam Hugonem de Planceio qui nemus eis concesserant, & Cluniacenses monachos S. Justi, qui usuarium in nemore reclamabant, agentibus episcopo Trecensi & Henrico Campaniæ comite, illud Grandimontensibus relaxarunt exeunte 1168 vel ineunte 1169. Pluribus interjectis annis, cum Guido de Dampetra, antecessorum liberalitate fratres de Machereto ditatos indigne ferret, irruit in monasterium, adjunctoque sibi nefariorum sicariorum satellitio, correctorem & fratres universos jugulavit; sed pœnitentia motus e Grandimonte alios fratres accersivit, quibus non solum ablata, verum etiam multo ampliora præstitit an. 1237. De hoc loco omnes bene meritos enarrare longius esset; Campaniæ comites Henricus II & Theobaldus IV inter præcipuos enumerari possunt, aliique plurimi quos videsis in ordinis annalibus * Trecis editis anno 1662 a Johanne *Levesque* ordinis alumno pag. 430 & seqq. Huic domui tres cellas univit Johannes XXII anno 1317; cellam scilicet de Hervico juxta Trecas Theobaldi Campaniæ comitis liberalitate constitutam & ab Henrico ejus filio confirmatam; cellam de Castrovillano quam Hugo Brecarum & Castrivillani toparcha in diœcesi Lingonensi, in sua domo erexit 1194; cellam denique de Mastone prope Joinvillam quæ in Mastonis nemoribus munificentia Gaufridi de Joinvilla in diœcesi Catalaunensi fuit constructa 1108. Eo loci primum præfuere correctores, deinde priores ad usque tempora Nicolai de Ponte Renoponte, qui monasterium in abbatiam erexit. Jam pridem episcopi Trecenses mensa abbatiali perfruuntur.

Ch. XXXIX, col. 273.

Correctorum atque Priorum necnon Abbatum indicem repræsentare juvat.

I. GUILLELMUS I eleemosynarius cum correctoris nomine primus reperitur 1186.

II. Guillelmus II de Trahaingnaco ex priore Grandimontis sponte sua Machereti corrector evasit 1188.

III. Elias I.

IV. N. qui a Guidone de Dampetra barone S. Justi interemtus sanguine innocuo Macheretum purpuravit.

V. Elias II *de Cossac* 1226.

VI. Grimoardus 1244.

VII. Guillelmus III *d'Ongres* primum prior Grandimontis, qui cum dignitati cessisset 1248 factus est corrector Machereti ubi obiit VII cal. Julii, sed annus mortis ignoratur.

VIII. Stephanus *Haymars* 1300.

IX. Petrus I Cathedræ 1308. Is primus titulo prioris insignitus reperitur uti constat ex actis capituli generalis anni 1320, ubi dicitur P. Lacheza; nam postquam Johannes XXII Grandimontense cœnobium erexit in abbatiam, qui antea dicebantur in cellis correctores, postmodum priores appellari cœperunt.

X. Henricus Beraud 1336.

XI. Guido Servientis in decretis licentiatus 1345.

XII. Raymundus 1372.

XIII. Rampnulfus Ithierius 1372. Is postmodum fuit abbas Grandimontensis & totius ordinis generalis 1385.

XIV. Cardinalis Sanctæ crucis in Jerusalem 1390. Forte Guido de Malo-sicco quondam episcopus Pictaviensis.

XV. Petrus II 1393.

XVI. Bernardus *Jobert* 1402.

XVII. Johannes I *Frenault* 1411.

XVIII. Antonius 1443.

XIX. Nicolaus I *Menesson* 1445.

XX. Guillelmus IV *Primaust* visitatoris munus exercebat anno 1447, & eo nomine indixit capitulum generale. Memoratur ad annum 1450. Domum ab Anglis incensam 1462 reparavit, ecclesiam sacris quam plurimis decoravit ornamentis, & campanile quod nunc cernitur extruendum curavit.

XXI. Tristandus *de Salazard* Senonensis archipræsul missam apud Macheretum in Paschate celebravit anno 1474. Vitam apud Senonas finivit 1518, 11 Februarii. Anno eodem cor ejus illuc translatum una cum Johanne & Margareta parentibus deponitur.

XXII. Franciscus I *de Boucherolles* 1501.

XXIII. Desiderius *Gaubin* ortus ex pago *Cleesles* non procul a Machereto, reperitur 1517. Prioratum in sequentem transmisit.

XXIV. Johannes II *Vertat*.

* Hoc in opere disquisitum fuerat utrum Grandimontenses ad ordinem Benedictinum vel ad Augustinianum pertinerent, & ab utroque ordine prorsus alienos comprobatum. Nihilominus religiosi veteris observantiæ ut beneficiorum essent capaces, recusaverant annalistam, dictitantes se esse modo ordinis Benedictini, modo ordinis Augustiniani, prout dabatur occasio. At decreto majoris consilii dato an. 1758 mense Septembri sancitum est ordinem Grandimontensem esse ordinem peculiarem, cujus religiosi beneficia aliorum ordinum appetere non valerent.

Digitized by Google

XXV. Odoardus *Hennequin* episcopus Trecensis Macheretum in commendam primus obtinuit. Obiit 1544 die 13 Novembris.

XXVI. Johannes III *de Brion* commendatarius uti & sequentes, obiit 28 Decembris 1558. Isti duo ad finem usque vitæ prioratum tenuisse non videntur, nam

XXVII. Johannes IV *de Salazard* archidiaconus in ecclesia Senonensi, prior Machereti reperitur 1538: quo anno cessit in gratiam sequentis.

XXVIII. Johannes V *le Gruyer* per superioris cessionem obtinebat 1538, sexdecim annis præfuit, totidem diebus, & tribus mensibus. In favorem sequentis abdicavit. Obiit 1564, 26 Augusti.

XXIX. Alexander *le Gruyer* Johannis germanus 1554. Qui cum esset Calvomonti præses, Curiæ supremæ decreto obtinuit ut tres annexæ domus Machereti ab omnibus solvendis decimis eximerentur, solo Machereto solvente, sepultus in ecclesia S. Mammetis de Barro super Albam.

XXX. Johannes VI *de Gennes* in jure canonico baccalaureus 1572 campanam conflari curavit. E vivis apud Macheretum sublatus.

XXXI. Simon *Heurepoil* ab Henrico Poloniæ & Franciæ rege dilectissimus & fidelissimus consiliarius vocatus, litteris ejusdem regis datis Parisiis anno 1579 admonetur ut illud quod in sua tutela est, conservet & deffendat.

XXXII. Johannes VII *Rivier* parochus ecclesiæ de monasterio in Insula in Lingonensi diœcesi obtinebat 1582.

XXXIII. Claudius *Cornet* capellanus de Fontanis prope Barrum super albam occurrit 1606.

XXXIV. Nicolaus II *Truchot* 1613.

XXXV. Nicolaus III de Ponte-Renoponte 1615. In gratiam sequentis cessit, & monasticen apud Claram-vallem professus est anno 1617, 22 Martii annos 17 natus.

XXXVI. Franciscus II de Ponte-Renoponte potitus est usque ad annum 1621 quo fratri suo cessit.

XXXVII. Nicolaus IV de Ponte-Renoponte ex monacho Claræ-vallensi iterum prior Machereti factus anno 1621, prioratum in abbatiam erexit, primusque mitra annulo & cruce pectorali usus est, domum in spiritualibus & temporalibus restauravit. Rexit usque ad annum 1650 quo cessit in gratiam nepotis. Adhuc superstes erat in cella de Hervico 1662.

XXXVIII. Edmundus de Ponte-Renoponte superioris nepos occurrit 1650, strictioris observantiæ fratres apud Macheretum introduxit.

RIPATORIUM.

Larivour. Claræ-vallis filia Ripatorium, duabus ab urbe Tricassina distans leucis, originis suæ auctorem agnoscit Hatonem Trecensem episcopum, qui divi Bernardi ad preces anno 1139 fundamenta jecit in loco monasterio sancti Lupi proprio, quem Buxeiacum nuncupabant. Fundationis hujus anno sequenti chartam edidit Hato, A in qua beneficia Ripatorio collata comprobat; beneficosque per ordinem recenset, quos inter in primis eminent Girardus abbas de S. Lupo qui Buxeiacum cessit, & Guido Arremarensis Brusiliacum: aliique quos causa prolixitatis omittimus, quosque videsis in charta Hatonis edita inter instrumenta. Ch. xxv. col. 260. In Ripatorium munificum etiam se præbuit Clarembaudus de Capis, qui an. 1205 mense Aprili genitoris sui donationes confirmavit & plurimum auxit. In hoc monasterio habentur corpora sociorum B. Mauritii, quorum fit commemoratio jussu capituli generalis anno 1250. Habetur & corpus famulæ Christi, dictæ B Johannæ Reclusæ, eo translatum anno 1246 die 4 Maii indict. IV, quæ nullo cultu publico honoratur. Hæc ab omni hominum consortio sejuncta in arcta solitudine viginti annos degerat.

Abbatum Index.

I. Alanus natione Flander, in divinis humanisque litteris in civitate Insulensi fuit institutus. Adhuc adolescens, solitudinis amore ductus Claram-vallem secessit, ubi a B. Bernardo habitu monastico donatus est; & postmodum in abbatem Ripatorii anno 1140 cooptatus, rexit usque ad 1152, quo exeunte post duodecim C annos regiminis factus est episcopus Autissiodorensis, ut diximus. Ch. LIII. col. 136. Testamentum condidit anno 1182 in gratiam Ripatorii. Præter plurima prædia quæ largitur, addit septem calices, omnes suos libros, Camusat. p. 321. & præcipit ut de libris & calicibus nullus extra Ripatorium efferatur.

II. Harduinus Alano successit. Reperitur 1157 in chartis Pontiniaci. Testis fuit anno 1164 compositionis Rainardi abbatis Boni-radii cum Canonicis S. Petri Autissiodorensis. Subscribit 1172 litteris Matthæi Trecensis episcopi pro monasterio in Argona. Composuit 1174 cum Walterio abbate Arremarensi coram eodem D episcopo, Girardo Cellensi & Guiterio S. Lupi abbatibus. Occurrit 1176 in charta Vallis-lucentis. A Frogerio de Masterolo aquæ pedagio donatus est 1177. Quo etiam anno memoratur in charta Vallis-lucentis. Chirographum adscripsit anno 1178 litteris Matthæi Trecensis episcopi pro Tribus fontibus. Inter monachos de Cheminone & fratres S. Petri de Montibus cum Petro abbate S. Remigii anno 1179 arbiter evasit. In litteris Petri Clarevallensis abbatis super discordia Tres-fontes inter & Cheminonem exorta testis adest 1180. Legitur 1182 in charta B. Mariæ de Moris. Litem componit E 1183 cum monachis Arremarensibus. Occurrit tandem 1189 in charta Fusniaci. Jacet in capitulo hoc epitaphio donatus: *Hic jacet domnus Harduinus II abbas hujus loci.*

III. Haimo reperitur 1192 in charta Clarembaldi de Capis, anno 1193 in Arremarensi & Clarevallensi chartis. Humo mandatur in capitulo cum hoc epitaphio: *Hic jacet domnus Haimo III abbas hujus loci.*

IV. Jacobus I occurrit anno 1197 mense Octobri in charta Claræ-vallis.

V. Radulfus 1199. Memoratur 1203 in

Digitized by Google

charta Cheminonis, & anno 1205 in litis compositione motæ inter abbatem Arremarensem & Galterum clericum. Componit 1206 mensibus Junio & Decembri cum Theobaldo abbate Arremarensi. Eodem anno transigit cum Girardo milite de Drocho S. Basoli, & reperitur in charta B. Mariæ de Moris.

VI. Hugo de Nigella ex monacho Ripatorii abbas Ursicampi, postea Ripatorii memoratur anno 1208 in chartis Vallis-lucentis & Pontiniaci. Transigit 1209 cum Garino de Meriaco milite. Invenitur & anno 1212 in charta Giroldi abbatis Molismensis. Sepelitur in capitulo ubi hoc habet epitaphium: *Hic jacet domnus Hugo sextus abbas hujus loci.* In necrologio tamen ad VII cal. Octobris dicitur septimus abbas Ripatorii.

VII. Simon paciscitur cum monasterio Arremarensi 1214 mense Aprili.

VIII. Hermannus occurrit cum abbate sancti Petri de Cella 1216 in charta episcopi Parisiensis & abbatis S. Dionysii super aqua & molendinis S. Clodoaldi. Memoratur 1217 in charta Arremarensi, transigit 1218 mense Octobri cum Rollando Arremarensi abbate. Invenitur 1222 & 1224 mense Septembri in chartis Ripatorii & Arremari. Largitus est 1225 mense Septembri monachis Adremarensibus jugerum prati ea lege ut singulis annis in festo nativitatis S. Johannis-Baptistæ unum denarium censualem solverent. Forte idem est cum H. qui ab Henrico abbate S. Dionysii duodecim arpenta prati sub annuo censu accepit anno 1230. De eo sic habet necrologium: *Sexto cal. Februarii obiit domnus Hermannus nonus abbas de Ripatorio.* Et in capitulo legitur hoc epitaphium: *Hic jacet domnus Hermannus octavus abbas hujus loci.*

IX. Stephanus 1230 in charta capituli Trecensis.

X. Evrardus 1233. In abbatem Clarevallensem electus 1235.

XI. Gilbertus 1258 in charta B. Mariæ ad moniales.

XII. Theobaldus I 1271 visitator erat B. Mariæ de Prato ex charta Cellensi. Obiit 1272. Jacet in capitulo cum hoc epitaphio: *Hic jacet domnus Theobaldus XVII abbas de Ripatorio.* Obiit anno M. CCLXXII.

XIII. Theobaldus II pro Petronilla abbatissa de Pratis composuit 1279 mense Maio cum Felice abbate Cellensi super decima quam ratione privilegiorum Cisterciensium denegabant solvere moniales.

XIV. Jacobus II conditur in capitulo hoc epitaphio donatus: *Hic jacet domnus Jacobus octavus-decimus abbas de Ripatorio.* Sepultusque fuit cal. Maii.

XV. Thomas 1291 in charta S. Stephani Trecensis.

XVI. Johannes I anno 1322 mense Novembri abbati Cellensi vendit privilegium suo monasterio concessum a Theobaldo Campaniæ comite, adducendi Trecas & vendendi singulis annis absque ulla exactione 50 dolia vini.

XVII. Edmundus memoratur 1327 mense Junio in litis compositione ipsum inter & abbatem Arremarensem. Eodem anno die veneris ante festum B. Clementis papæ & martyris reperitur in actu solutionis ipsi factæ a monachis Arremarensibus. In necrologio notatur XV cal. Januarii & dicitur abbas vicesimus-quintus.

XVIII. Stephanus memoratur in necrologio XII cal. Decemb. & dicitur abbas XXVI.

XIX. Johannes II ex necrologio exstitit 28 abbas & obiit IV id. Novemb.

XX. Guillelmus in necrologio sic notatur II cal. Novemb. domnus Guillelmus XXIX abbas.

XXI. Johannes III in necrologio II idus Novembris, domnus Johannes XXX abbas.

XXII. Hodo etiam dicitur in necrologio XXX abbas, obiit III cal. Aprilis.

XXIII. Johannes IV in necrologio XII cal. Maii. Obiit domnus Johannes XXXVI abbas.

XXIV. Nicolaus Stephano episcopo obedientiam promisit. In necrologio VII cal. Aprilis dicitur abbas XXXVII.

XXV. Rogerius fidei sacramentum Stephano præstitit. In necrologio IV nonas Novembris dicitur abbas XXXVIII.

XXVI. *Fierabras* de Felinis etiam Stephano obedientiam promisit ac proinde sedere cœpit ante annum 1426. In necrologio XI cal. Decembris. Dicitur abbas XXXIX.

XXVII. Johannes V Johanni obedientiæ juramentum præstitit.

XXVIII. Petrus I quoque obedientiam Johanni pollicitus est.

XXIX. Johannes VI Ludovico *Raguier* sacramentum dixit.

XXX. Johannes VII *Sauvage* 1471, 9 Junii Ludovico episcopo obedientiam promisit. Transegit 1479 cum Ægidio abbate Arremarensi.

XXXI. Johannes VIII Harduinus XL abbas. Consignatur in necrologio V cal. Junii.

XXXII. Bernardus 1493 interest Parisiis comitiis generalibus sui ordinis mense Februario celebratis. In necrologio II nonas Aprilis XLI abbas dicitur.

XXXIII. Savinus *Gilot* die 6 Aprilis 1497 Jacobo episcopo obedientiam juravit. Adfuit translationi Capitis S. Lupi anno 1505. In necrologio memoratur X cal. Sept. XLII abbas.

XXXIV. Jacobus III *du Broullat* Clericus Meldensis, juxta quoddam instrumentum anni 1524 in commendam obtinuit abbatias sancti Symphoriani Bellovacensis, S. Petri Latiniacensis, & Ripatorii. Fuit postea archiepiscopus Arelatensis.

XXXV. Victor *Thiron* occurrit 1527. Interfuit 28 Martii 1528 solemni ingressui Odoardi *Hennequin* episcopi Trecensis. In necrologio III idus Februarii dicitur XLIII abbas.

XXXVI. Johannes IX *de Luxembourg* præter abbatiam de Ripatorio adhuc obtinebat abbatias S. Mauri & Ivriaci. Fuit etiam episcopus

Digitized by Google

Apamiensis. Vitam finivit Avenione 1548, sepultus apud Celestinos.

XXXVII. Odo *al.* Odardus *Molé* filius Johannis *Molé* ex Magdalena *Menisson* quam duxerat 13 April. anno 1505.

XXXVIII. Claudius *Carpentin* primus commendatarius sepelitur in ecclesia Parisiensi cum hoc epitaphio latine reddito: *Hic jacet venerabilis & discretus vir M. Claudius* Carpentin *Abbavillaeus quondam primus abbas Ripatorii Trecensis & postea S. Fusciani Ambianensis, canonicus hujusce ecclesiae qui obiit in aedibus suis canonicis annum agens 66 die 27 Julii 1582.*

XXXIX. Paulus *Cenamy* regi a consiliis & eleemosynis breve obtinuit a summo pontifice 9 Septembris 1617.

XL. Johannes-Baptista *Adhemar de Monteil de Grignan* archiepiscopus Arelatensis abbatia cessit 1691.

XLI. Andreas-Hercules *de Fleury* episcopus Forojuliensis 24 Decembris 1691 & 1711.

XLII. Petrus II *de Vienne* presbyter & doctor Sorbonicus, abbas Ripatorii & sancti Martini Nivernensis, senator in aula majori Curiae supremae Parisiensis, reginae ab eleemosynis, rei librariae inspector generalis. Obiit Parisiis 22 Aprilis 1726, aetatis 64.

XLIII. N. *Portail* canonicus Parisiensis protopraesidis Senatus Parisiensis germanus, a rege designatur anno 1726 post Pascha.

XLIV. Palamedes-Paulinus-Telesphorus *de Forbin d'Oppede de Janson* presbyter Aquensis, doctor theologus, filius Johannis-Baptistae *de Forbin de Maynier* marchionis *d'Oppede*, praesidis infulati in parlamento Provinciae ex Carola-Maria *Marin*, comitiis generalibus cleri Gallicani delegatus adfuit subdiaconus & rector capellae sancti Johannis-Baptistae apud Ferrarias. Regi ab eleemosynis mense Novembri 1725. Commendam Ripatorii obtinuit mense Augusto 1726. Obiit Trecis 5 Martii 1741 annos natus circa 46.

XLV. Ludovicus-Valentinus *de Vougny* subdiaconus, canonicus ecclesiae Parisiensis 27 Augusti 1725, senator Parisiensis 15 Martii 1726, per obitum Palamedis a rege designatur 24 Augusti 1741. Obiit Suessionis 25 Januarii 1754.

XLVI. N. *Quelen* Gratiae portus parochus in dioecesi Rotomagensi, nominatus est a rege 17 Febr. 1754. Et mense Maio ejusdem anni a Nivernensi duce nominatus a rege confirmatus est episcopus Bethleemitanus.

RECLUSUM.

LE RECLUS.

VAllis clarae filia Reclusum, Hattone episcopo Trecensi & sancto Bernardo Claravallensi abbate, fundatur VII idus Januarii 1141, id est, 1142 ut volunt. Exordium sumpsit in loco qui *domum comitis* seu *fons Balimi* antiquitus dicebatur, ubi Hugo reclusus cum nonnullis fratribus morabatur, unde postea Reclusi nomen monasterio, quod exinde propter penuriam ariditatemque loci anno 1164 ab Henrico Campaniae comite fuit aliorsum translatum in gratiam ordinis Cisterciensis. Primum benefactorem expertum est Simonem Brecarum dominum qui anno 1144 plurima largitus est Hugoni Recluso, quae Hugo filius ejusdem confirmavit 1147. Alia Cisterciensibus apud Reclusum monachis contulit Hugo beneficia litteris anno 1168 datis, & ab Henrico Trecensi episcopo roboratis, in quibus aedificatorem se & institutorem ecclesiae nuncupat Hugo. De hoc monasterio etiam benemeriti sunt Campaniae comites, toparchae de Commerciaco, de Brecis, de Castrovillano & alii quam plurimi. Praecipuas hujus loci chartas habes apud Jungelinum in notitia abbatiarum ordinis in regno Galliae, p. 56.

(Ch. XXVI, col. 264. — Ch. XXXV, col. 270. — Ch XXXVI, col. 264. — Charta XXXVII, col. 272. — Des Guerrois, p. 300 verso.)

ABBATES.

I. RICHARDUS subscripsit 1145 donationi a Bartholomaeo Laudunensi praesule factae Valli-clarae. Huic Hugo Brecarum dominus suscepturus iter Jerosolymitanum anno 1147, ipso die Pentecostes genitoris sui Simonis donationem confirmavit *ad fenestram domui Hugonis Reclusi.*

II. Arnulphus occurrit 1164 cum Radulpho Vallis-clarae, Tesselino de S. Portu, & Johanne de Virtuto abbatibus, in litteris Henrici Campaniae comitis quibus ille comes monasterium de Recluso in locum commodiorem transferri permittit, & plurima monasterio largitur. Ch. XXXV, col. 270.

III. Petrus I anno 1168 ab Hugone Brecarum domino plurimas accipit donationes, quas Henricus episcopus Trecensis confirmat. Liberalitatis hujus testes sunt Poncius Clarae-vallis, Radulphus Vallis-clarae & Harduinus Ripatorii abbates. Charta XXXVII, col. 272.

IV. Galbertus praeerat anno 1186.

V. Johannes I obedientiam promisit Bartholomaeo sive Haicio. Occurrit 1192 in tabulario Resbacensi. Testis adhibetur in controversia quam Hugo dominus Brecarum terminavit 1194 inter monasterium de Recluso & Gislebertum militem de Belo. Adhuc reperitur anno 1195.

VI. P. occurrit 1213.

VII. Guillelmus anno 1220, Decembris 5 donum accepit a praeposito capituli S. Quiriaci Pruvinensis. Invenitur 1228 in charta S. Nicolai de Cezanna.

VIII. Ulricus mense Junio 1239 quaedam permutavit cum comite Campaniae. Adhuc reperitur 1243 in tabulis Oigniaci.

IX. Pontius ex veteribus Vallis-clarae instrumentis ex abbate de Recluso a conventu Vallis-clarae in abbatem assumitur 1259 in die Nativitatis S. Johannis-Baptistae. Ejus electioni praefuit Johannes abbas Clarevallensis. De eo sic habet necrologium: *Septimo idus Junii obiit domnus Pontius primo de Recluso, postea Vallis-Clarae, postremo de Ellantiis abbas.* Quando autem inceperit vel quandiu tenuerit Reclusi praefecturam siletur.

X. Aegidius praeerat 1264 mense Maio, quo domum Catalauni sitam suo monasterio comparavit.

Digitized by Google

XI. Petrus II 1266 subscribit chartæ quæ habetur in capitulario Vallis-claræ.

XII. Mathurinus regebat 1297.

XIII. Matthæus occurrit 1301. Transigit 1306 cum capitulo ecclesiæ Catalaunensis & cum canonicis regularibus de Virtuto. Quam transactionem ab Ægidio *d'Estrouvelles* Vallis-claræ abbate roborandam curavit.

XIV. Jacobus I regebat 1325.

XV. Johannes II *d'Estriffi* contraxit cum priore ecclesiæ *de Peatz* 1378.

XVI. Geraudus reperitur 1387. Petro episcopo obedientiam juravit.

XVII. Johannes III 1394.

XVIII. Ægidius de Douello Petro episcopo dixit sacramentum.

XIX. Bartholomæus Stephano episcopo obedientiam promisit.

XX. Michaël obsequii juramentum præstitit Johanni episcopo.

XXI. Arnulphus obedientiam Johanni promisit. Pedum tenebat 1451. Contraxit 1464 de domo Catalauni sita.

XXII. Johannes-Antonius memoratur 1481. Decreto senatus Parisiensis litem obtinuit 1492 die 8 Junii contra dominum *d'Anglure*.

XXIII. Nicolaus I *du Catel*, alias de Duaco jam sedebat 16 Februarii 1495, ad Vallem-claram translatus 1503 mense Septembri.

XXIV. Augerius *de la Grange* successit Nicolao. Rexit usque ad annum 1521.

XXV. Nicolaus II *Boucherat* doctor theologus facultatis Parisiensis præfuit ab anno 1521 ad 1532 quo 27 Aprilis de quibusdam negotiis transegit.

XXVI. Merlinus *de Saint-Gelais* poëta haud ignobilis, sedis apostolicæ protonotarius, regi ab eleemosynis, primus Reclusum in commendam obtinuit 1532. Quamdam donationem suæ ecclesiæ factam acceptavit 1546, 27 Martii. Adhuc memoratur 1554, quo anno itidem erat Frenadæ commendatarius. Sepultus est apud S. Thomam de Lupara.

XXVII. Jacobus II *Poisieux* dominus *de Chalery* commendam tenebat 1556. Ejus tempore prioris munere fungebatur Nicolaus *Boucherat* qui postmodum in Cisterciensem abbatem fuit assumptus.

XXVIII. Jacobus III *du Fay* factus est commendatarius 1559, cujus tempore ecclesia, totumque monasterium fuit ab hæreticis direptum & incendio concrematum anno 1567.

XXIX. Carolus *d'Ailleboust* vel *Albert* successit Jacobo. Factus vero Æduensis antistes 1572, in gratiam sequentis abdicavit circa annum 1574 post Æduensis ecclesiæ acceptam possessionem.

XXX. Gilbertus *de Corroy* per superioris cessionem obtinuit & sequenti cessit.

XXXI. Timotheus *de Noirefontaine* filius vicecomitis *de Vausienne* obtinebat 29 Aprilis 1578. Qui & cessit in favorem sequentis.

XXXII. Claudius I *Husson* obit an. 1600.

XXXIII. Johannes IV *Loureau* commendam tenuit ad annum 1607, eamque sequenti tradidit.

XXXIV. Jacobus IV *du Chat* sese exuit mense Martio 1608.

XXXV. Petrus III *Collart* ex commendatario factus est regularis abbas, professus monasticen circa 1610. Enim vero 20 Junii ejusdem anni jam præfecturam agebat, præfuitque usque ad annum 1624 quo exeunte obiit.

XXXVI. Nicolaus III *Formé* commendam obtinuit 1625 ad annum 1634.

XXXVII. Johannes V *Formé* superioris nepos anno 1652 permutavit cum sequenti priore *de Thous*.

XXXVIII. Claudius II *du Bellay*, Molismensis monachus per cessionem præcedentis factus abbas anno 1652. Quo sedente & assentiente in monasterio strictior observantia restituta est anno 1661 mense Octobri. Tandem permutavit 1671 abbatiam pro prioratu sancti Juliani de Sezanna.

XXXIX. Carolus-Franciscus *de Godron* ex priore de Sezanna per cessionem Claudii commendam obtinuit 1671. Adhuc obtinebat 1707.

XL. N. *Doé* canonicus Trecensis obtinebat 1726.

XLI. Augustinus-Felix *Barrin de la Galissonnière* vicarius generalis episcopi Trecensis nominatur 23 Decembris 1747. Obiit Trecis 18 Novemb. anno 1762 annos natus 58.

XLII. N. *de Ventoux* vicarius generalis archiepiscopi Cameracensis commenda donatur a rege 1 Februarii 1763.

BULLENCURIA.

Bullencuria quam Vallecurtem appellat Johannes Saresberiensis epist. 115, monasterium est ordinis Cisterciensis decem leucis ab urbe Trecensi semotum, quod a canonicis Augustiniani instituti occupatum primo fuit. Cella erat & dicitur S. Petri-montis in bulla Innocentii II data 1141 pro hocce monasterio sito in diœcesi Metensi, de cujus auctoritate eodem anno a Constantino abbate & canonicis de sancti Petri-monte in abbatiam erecta est Bullencuria. Hujus utcunque fundationis annus innotescit ex sententia a Matthæo sedis apostolicæ legato anno 1124 lata in gratiam Bullencurianorum canonicorum qui partem in Longavilla ipsis a Philippo Trecensi episcopo & aliis donatam ab annis 31 a monachis Dervensibus repetebant; unde concluditur anno 1093 institutos fuisse canonicos. Philippi decessoris exemplum secutus Hato successor de canonicis quoque benemeritus est anno 1128. At viginti circiter post annos cum disciplina penitus defecisset, regnaret insolentia, honestasque deperiret, vocatus a loci indigenis, qui se ipsos jam sustinere non poterant, Henricus episcopus & rogatus, ecclesiam Bullencuriæ & possessiones ordini Cisterciensi in manibus abbatis Claræ-vallis tradidit. Annum

BOULLENCOUR. Ch. XXII, col. 262. Ch. XXIII, col. 262. Ch. XXXI, col. 268.

Digitized by Google

Annum hujus concessionis indicant numeri gallico idiomate concinnati qui in tabella, quæ in odeo delubri apposita est, sic leguntur.

L'an mil cent quarante-neuf
A Saint Bernard par bon amour
Le bon Henri de Troye pasteur
Donna ce lieu de Boulencour.

Donationis tamen indices litteræ quas post Camusatum, Sammarthanos, Acherium & Mabillonium in appendice subjecimus datæ sunt anno 1152, quo forte Bernardum Claravallensem abbatem Bullencuriæ in possessionem misit Henricus episcopus. Amplissimis reditibus donisque munifice locupletatum cœnobium tum a comitibus Campaniæ, tum a toparchis de Joinvilla, de Bello-forti & Villa-Harduini cartophilacii quam plures tituli produnt. Quin & aliquando 160 monachos aluisse concluditur ex decreto capituli generalis in quo statutum ut nullatenus in eadem domo numerus hic deinceps augeretur. Sed quantum mutata nunc rerum facies, cum vix quinque monachi vitæ ibi stipendium habeant! Humatos in ecclesia jam diximus Henricum & Matthæum Trecenses episcopos quorum monumentis adjacet Martinus primus abbas. In ea etiam custoditur corpus B. Ascelinæ virginis, S. Bernardo consanguinitate conjunctæ, quæ in proximo virginum monasterio, quod hodie omnino deletum est, sanctimonialis vixerat & obierat circa annum 1195.

ABBATES.

I. ROGERIUS S. Augustini canonicus regularis dicitur abbas 1124 a Nicolao *des Guerrois;* forte prior aut præpositus sicut & sequens.

II. Radulfus I ex eodem ordine assumptus successit anno 1124. Litem habuit cum Rogerio Arremarensi abbate super decima Longævillæ, quæ eodem anno terminata est a Matthæo Albanensi episcopo sedis apostolicæ legato. Huic an. 1128 Hato episcopus ad exemplum Philippi decessoris nonnulla donavit, testibus Guillelmo S. Martini, Odone S. Georgii abbatibus, &c.

III. Giraudus præerat anno 1148 auctore Nicolao *des Guerrois:* ac proinde ipse est qui anno sequenti abbatiam dimisit in manu Henrici Trecensis episcopi & cœnobio Claravallensi subjecit.

IV. Martinus primus abbas post abbatiam erectam anno 1141. Jacet ante altare sub tumulo elevato a latere evangelii, ubi legitur hæc epigraphe: *Hic jacent tres venerabiles viri Henricus & Matthæus episcopi Trecenses, & Martinus abbas hujus domus.*

V. Theodoricus I cum abbatibus Johanne de Bello-loco & Oberto de Septem-fontibus chartæ Simonis Belli-fortis capellæ quamdam largientis subscribit anno 1152.

VI. Robertus ad quem scribit epist. 9, lib. II, Petrus abbas Cellensis.

VII. Radulfus II memoratur 1155 in litteris Simonis de Brecis donationes a suo patre factas

A confirmantis. Recensetur 1157 in litteris Henrici comitis pro monasterio Omnium sanctorum Catalaunensi. Reperitur testis in charta Godefridi episcopi Lingonensis pro Dervensi monasterio anno 1160.

VIII. Odelinus 1158; ita Sammarthani, sed huic chronologiæ repugnat charta Godefridi Lingonensis episcopi pro Dervo modo citata. Itaque loco 1158, forte legendum 1168.

IX. Theodoricus II occurrit 1178 in charta Claræ-vallis & in charta Matthæi episcopi Trecensis pro Tribus fontibus. Reperitur 1182 in litteris Simonis domini Belli-fortis.

B X. [illegible] præerat anno 1186. Cum abbate careret Bullencuria anno 1192, prioris nomine administrator fuit Guiardus.

XI. N. Bartholomæo episcopo Trecensi obedientiam juravit.

XII. Johannes I Garnerio episcopo Trecensi obedientiæ juramentum præstitit. Præerat 1200.

XIII. Bernardus litem habuit cum monachis Arremarensibus, quæ composita est mense Septembri 1200 ex chartis Arremarensibus.

XIV. Evrardus 1203 in charta Cheminonis, 1206 in charta Trium-fontium, cujus sigillum C appendet litteris Guidonis Claravallensis abbatis litem Cheminonem inter & Tres-fontes terminantis. Idem sane est ac Guerardus qui anno 1207 1 Octobris in chartis Fulcardi-montis legitur.

XV. Thomas innotescit ex charta Arremarensi anno 1221 mense Januario. Litem habuit cum priore de Insula quæ eodem anno ac mense terminata est. Idem esse videtur ac Th. abbas Bullencuriæ qui anno 1221 in charta Dervensis monasterii præfuisse reperitur. Memoratur XII cal. Novembris in necrologio.

XVI. Theobaldus 1223. Ex charta Trium-D fontium 1226. In chartis Claræ-vallis 1228 & 1229.

XVII. R. in charta Claræ-vallis 1240.

XVIII. Henricus 1247. Præfuit anno 1248, rediens a capitulo generali, electioni Edelinæ *de Vesaunes* in abbatissam de Pietate Dei assumptæ die 27 Septembris. In charta Trium-fontium arbiter fuisse dicitur cum Roberto Arremarensi inter monachos de Moris & milites Templi anno 1263. Adhuc præerat 1266.

XIX. Jacobus obiit anno 1304. Jacet in capitulo hoc epitaphio honestatus:

E *Spiritus abbatis Jacobi consors deitatis*
Sit, corpus cujus moles lapidis tegit hujus.
Quatuor adjicies annos cum mille trecentis,
Sic sine nube scies tempus morientis.
Obiit nonas Augusti.

XX. Hugo innotescit ex epitaphio suæ matris quod legitur in claustro his verbis: *Hic jacet Emelina uxor Johannis quondam præpositi de Chamscio, mater fratris Hugonis tunc abbatis hujus abbatiæ quæ obiit octavo die Maii anno Domini 1338.*

Digitized by Google

XXI. Johannes II Petro episcopo obedientiam promisit.

XXII. Matthæus Stephano episcopo obedientiæ juramentum præstitit.

XXIII. Johannes III obedientiam juravit Johanni episcopo.

XXIV. Johannes IV etiam Johanni jurat obedientiam.

XXV. Johannes V Ludovico episcopo sacramentum dicit.

XXVI. Ogerius de Seranca obedientiam promittit Ludovico.

XXVII. Droco de Edua Ludovico fidem juravit 27 Novembris 1463.

XXVIII. Johannes VI *de Flequières* Ludovico obedientiæ sacramentum præstitit 25 Martii 1479.

XXIX. Johannes VII de Jenduno 1481 die 22 Julii Ludovico obedientiam jurat.

XXX. Nicolaus *Picard* de Hempigneio de quo hæc leguntur in codice Bullencuriæ: Frater Nicolaus de Hempigneio introivit in sacrum concilium anno Domini 1502 10 die mensis ...... Novitii habitum cepit in anno prædicto 12 mensis...... Anno 1506 ordinatus fuit presbyter, celebravitque in die apostolorum Petri & Pauli. Prior hujus monasterii fuit 1508. In die S. Johannis Evangelistæ electus in abbatem dicti monasterii anno 1512. Eodem anno 13 die mensis......

Adstitit solemni ingressui Odoardi antistitis 29 Martii 1528: ac proinde quinque aut sex annis ante mortem cessit. E vivis abiit 1554. Ejus epitaphium spectatur e regione præcipui altaris hoc titulo: *Hic jacet frater Nicolaus de Hampigneio humilis abbas Bullencuriæ & primus mitratus, qui obiit anno Domini 1554 die 5 Martii. Abbatizavitque hic annis 36 & tribus mensibus.*

XXXI. Guillelmus *de l'Aubespine*, quem Sammarthani in catalogis abbatum Bullencuriæ & sancti Martini inserunt, si rexerit, pauco rexit tempore, nam

XXXII. Elio *d'Amoncourt* benedictus est Parisiis cum Renato *d'Amoncourt* abbate B. Mariæ de Firmitate juxta licentiam datam Carolo episcopo Megarensi mense Decembri 1549. Prior insimul erat de Fulcheriis & abbas S. Martini. Dedit aquilam cupream anno 1573 quæ nunc extat apud Molismum. Obiit anno 1587. Ipse sibi paraverat superbum mausolæum quod spectatur e regione præcipui altaris.

XXXIII. Robertus *de S. Claude* 1588, per cujus obitum

XXXIV. Stephanus *de Vienne* bullas a Clemente VIII obtinuit 1604 VIII cal. Maii. Obiit 1615.

XXXV. Ferrucius *de Choiseul* primus commendatarius cessit anno 1629.

XXXVI. Gilbertus *de Choiseul* possessionem iniit 1630. Factus episcopus Convenensis, in gratiam sequentis cessit.

XXXVII. Franciscus *de Grammont* dictus *Malet de Graville de Drubec* Gilberti nepos, possessionem adipiscitur 1662. Simul obtinebat abbatias S. Petri Melodunensis, S. Martini Trecensis & Bassi-fontis. Vivere desiit Rothomagi anno 1701.

XXXVIII. Johannes VIII *de Catelan* Tolosanus, episcopus Valentinensis ab anno 1701. Interiit 1725.

XXXIX. Johannes-Maria *de Catelan*, defuncto Johanne ejus avunculo, a rege designatus, possessionem accepit 3 Augusti 1725. Obtinebat etiam commendam S. Pauli Narbonensis.

XL. Nicolaus *Regnauld*, vicarius generalis archiepiscopi Parisiensis & officialis, a rege nominatur ineunte Novembri 1747. Obiit Parisiis 22 Augusti 1761, cum annum ageret 79.

XLI. N. *de Castelane*, episcopi Carnotensis vicarius generalis, a rege nominatur 1 Novembris anno 1761.

Hos præter legitur in necrologio:

Petrus *Picard* pater abbas hujus domus X cal. Octobris.

SIGILLERIÆ

Cistercienses e Joyaco accersiti monachi anno 1167 idibus Januarii in insulam Sigilleriarum, quæ tota paulatim eis cessit, dotantur anno 1179 ab Henrico Campaniæ comite. Attamen decennio post tum ex defectu temporalium, tum ex immoderato debitorum gravamine monachi dispersi, hac illac vagabantur anno 1190. Hos ut colligeret, locumque restauraret Henricus idem, hoc anno memoratæ assignavit ecclesiæ decem modios frumenti apud Novigentum super Sequanam & apud Fontem-Macon, decem libras pro vestimentis monachorum & sex sextarios vini apud Barbonam *ad opus sacramenti missarum*, tam pro sua, quam pro animabus Henrici & Mariæ ejus parentum. Præter Henricum monachis bona alii contulerunt, quæ Haicius episcopus Trecensis confirmavit anno 1192. Basilica a Nicolao ejus successore dedicata est anno 1235 in festo SS. apostolorum Simonis & Judæ. En qualiscumque abbatum series quam ex chartis elicere non licuit, quas videre non potuimus.

SCELLIÈRES. Ch. XLV, col. 177.

SERIES ABBATUM.

I. Laurentius I hoc habet epitaphium in capitulo his verbis:

Primus in hoc tumulo Laurentius intitulatur
Abbas: sub tumulo vermibus esca datur.
O Bone rex juste, nos suppliciter petimus te,
Da regnum cœli, quia vixit mente fideli.

II. Johannes I cui Urbanus III confirmat fundationem & dotationem anno 1186 Veronæ calendis Maii per manus Alberici cancellarii.

III. N. Bartholomæo episcopo obedientiam promisit.

IV. Johannes II Garnerio episcopo obedientiæ juramentum præstitit.

V. Herbertus anno 1206 transigit cum Galchero abbate Molismensi coram Ansello episcopo

Digitized by Google

Meldensi. Adhuc occurrit anno 1209 in charta Dei-loci.

VI. Odo innotescit ex charta Albæ-ripæ anno 1210.

VII. Letericus præerat anno 1215. Commutavit mense Junio 1216 quosdam homines suos cum hominibus ad Blancam Campaniæ comitissam pertinentibus.

VIII. Herbertus 1216 vineam vendidit Sacro-portui.

IX. Girardus 1222 in charta Paraclitii.

X. Garnerius 1230 ex tabulis domesticis.. Cessit regi Navarræ nemus suum de Monte *Morvois* & quosdam homines suos de Barbona 1231 mense Januario. Adhuc occurrit annis 1234 & 1238.

XI. Nicolaus pepigit 1241 mense Decembri cum Theobaldo comite Campaniæ super justitia villæ & finagii *de Menay*. Memoratur etiam 1243 in charta Joyaci & 1244.

XII. Laurentius II 1246. Reperitur 1252 in chartis Joyaci, & eodem in charta Molismi.

XIII. Petrus *de Juilly* ex abbate Sigilleriarum evasit abbas Pontiniacensis 1375 pontificatus Gregorii XI anno 5.

XIV. Matthæus Stephano episcopo obedientiam juravit.

XV. Johannes III Stephano quoque episcopo obedientiam promisit.

XVI. Guillelmus etiam Stephano pollicetur obsequium.

XVII. Ægidius Johanni episcopo sacramentum dixit.

XVIII. Johannes IV *de Rosac* Ludovico episcopo obedientiæ juramentum præstitit 21 Decembris 1466.

XIX. Ludovicus I *de la Saulsoye* Ludovico episcopo obtemperationem vovit.

XX. Bertrandus *de la Vernaude* sive *Vervande* prior B. Mariæ de Marnaio 1545.

XXI. Ludovicus II *d'Ancienville* dominus *de Villiers aux Corneilles* 1652.

XXII. Dionysius-Franciscus *le Bouthillier de Chavigny* episcopus Trecensis commendam obtinebat 1711. Potitus est etiam S. Lupi commenda.

XXIII. Ludovicus-Franciscus-Gabriel *d'Orléans-la-Motte* a rege commenda donatus 14 Decembris 1731, ab eodem Ambianensis episcopus renuntiatur 1733 ineunte Septembri. Postea cessit.

XXIV. Marcus-Renatus *des Ruaux de Roussiac* vicarius generalis episcopi Sarlatensis, designatur a rege 20 Dec. 1742 commendatarius, quo superstite domus tota subito corruit 4 Martii 1755. Cecidit & ipse Versaliis 25 Maii anni ejusdem, annum agens 45.

XXV. N. *Mignot* consiliarius clericus Majoris consilii renuntiatur a rege mense Junio 1755.

PIETAS-DEI.

LA Piété-Dieu.

BEatæ Mariæ de Pietate-Dei parthenon juxta Rameruсum, medio itinere Victoriacum Francicum inter & Trecas, septem leucis ab

A urbe distans utraque, suam debet originem Philippo militi domino *de Meeringes*, qui anno 1229 coactis tredecim puellis, quas nuncupavit *Filias-Dei*, locumque Pietatem B. Mariæ, ab episcopo habitum religiosum colore album donari curavit. Earum consecrationi adfuerunt abbatissæ de Gratia & de Horto quæ novellæ plantationi singulæ duas ex suo monasterio sanctimoniales reliquerunt, ex quibus monialis de Gratia Flagria nomine priorissa constituitur, quæ post annum ad Gratiam rediit. Huic successit priorissa Isabella *de Colaverdey* prima post eam futura abbatissa. Paulo post moniales litem habuere cum canonicis

B S. Petri Trecensis, qui decimam aliaque prædia Rameruci possidentes, ipsas cogere voluerunt ut inde discederent. Episcopus autem qui eas singulari diligebat affectu, ipsas tutius est adversus canonicos quandiu vixit. Post ejus decessum moniales exinde se recipere cogitantes, tum ad finem controversiæ constituendum, cum propter incommodum loci, qui ob earum de die in diem numerum increscentem, jam erat arctior quam ut amplius inibi remanerent, locum emerunt super Albam situm ad ædificandum monasterium. Interea ab abbate & capitulo generali Cisterciensi eidem ordini aggregantur. Triennio post, ecclesia

C regularibusque locis completis, e veteri monasterio ad novum commearunt moniales numero viginti quinque anno 1236, die dominica in vigilia B. Michaëlis. Inter hujus parthenonis benefactores merito numerantur Erardus Brennensis comes & Philippa Campaniæ ejus uxor, qui præter amplissimas donationes quibus illum cumularunt, etiam addiderunt valetudinarium, & quidquid a quadam muliere Clara nomine fuerat legatum, confirmarunt & immune reddiderunt. Defunctis eorum filiis, Sedilia facta hæres & domina de Rameruco, monasterium Alba obrutum altius transferre voluit, novæque ecclesiæ fundamenta

D jecit; quin & monasticen amplexa, post Adelinam fit abbatissa, ut dicemus in serie tum abbatissarum tam abbatum quam ex veteribus monasterii monumentis eruimus. Monialibus autem omni destitutis auxilio, alioque translatis, successere monachi anno 1440.

ABBATISSÆ.

I. ISABELLA *de Collaverdey*, primum priorissa, deinde abbatissa prima benedicitur a Nicolao episcopo Trecensi in festo S. Hieronymi anno 1233. Ejus tempore Beatrix de Dampetra domina de Amangina habitum religionis apud

E Pietatem accepit. Obiit Isabellis anno 1248 in festo Assumptionis B. Mariæ.

II. Edelina *de Vesaunes* ex priorissa electa fuit 27 Septembris 1248. Ejus electioni præfuit Henricus abbas Bullencuriæ rediens a capitulo generali. Benedicta fuit in festo S. Dionysii apud S. Lætam.

III. Sedilia vel Sybilla filia Erardi Brennæ comitis, domini Rameruci, Venisiaci, &c. & Philippæ Campaniæ, quam Blanca regina consanguineam suam vocat, præfuisse reperitur anno 1267. Decem accepit libras Turonenses legatas

Digitized by Google

ab episcopo Bellovacensi per manum Petri cambellani Franciæ 1268 die lunæ post dominicam *Lætare Jerusalem.*

IV. Maria 1302. Eadem forte cum Maria *de Beures* consanguinea Galterii comitis Brennensis, quæ ex veteri charta Pietati præerat anno 1308.

V. Alix *du Bois* 1338.

VI. Johanna *de Bouy* 1428. Post eam nullam reperimus abbatissam, sed monasterium a viris administratum.

A B B A T E S.

I. JACOBUS *Salomon* 1450, cujus tumulus in capitulo visitur.

II. Simon I de Vaisseyo obedientiam promisit Ludovico episcopo Trecensi.

III. Johannes I *Haloix* ab officiali Trecensi anno 1463 obtinuit facultatem deferendi sacras reliquias per urbes & villas ad colligendas eleemosynas fidelium.

IV. Simon II *Bricart* 1483. Obiit 1498 die 13 Julii ex necrologio.

V. Simon III *Boucherat* 1490 Parisiis interest comitiis ordinis generalibus 1490.

VI. Johannes II de monasterio Arremarensi assumptus, abbas Pietatis 1497 15 Augusti, obedientiam juravit Jacobo episcopo Trecensi. Adhuc erat abbas 1509.

VII. Johannes III *Mulat* anno 1512 20 Februarii obedientiam promisit Jacobo episcopo Trecensi. Occurrit 1544. Ex Sammarthanis vivere desiit 3 Januarii 1553, cœnobii instaurator.

VIII. Petrus I *Bertrand* 1555, 1559; pessimus monasterii administrator plurima prædia dissipavit. Decessit 12 Septembris 1578.

IX. Johannes IV *Dodieu* Carolo IX regi a consiliis & eleemosynis, ex priore de Rameruco factus est abbas de Pietate.

X. Petrus *Bourgeois* major prior S. Dionysii 1577 16 Decemb. anno sequenti Elisabetham Caroli IX filiam funeravit. Postmodum factus abbas de Rameruco obiit 16 Decemb. 1583.

XI. David *Oudat* occurrit 1583. Cessit in gratiam sequentis.

XII. Claudius I *Dodieu* obiit 1585.

XIII. Claudius II *de Gand* 1598, 1600. Decessit 26 Maii 1608.

XIV. Desiderius *Remy* 1608.

XV. Henricus *Quinot* ex monacho Claravallis Pietatis abbas licentiam fecit anno 1632 scriptori historiæ ecclesiasticæ Tricassinæ propinquo & amico suo perscrutandi vetera monumenta monasterii, ut patet ex testimonio dato die 26 Junii ejusdem anni. Tale est ejus epitaphium : *Jacet in hoc sacello reverendus pater dominus Henricus* Quinot *qui primis prælaturæ annis licet juvenis familiam suam rexit ut senex, crescente ætate & sapientia factus est ordinis syndicus: quo in munere fideliter se gerens annum 63 agens obiit die 26 Martii 1648.*

XVI. Stephanus *Adam* monasterium reformavit & strictiori regulæ observantiæ subjecit. Obiit Trecis sepultus in ecclesia S. Lupi ante aquilam hoc decoratus epitaphio : *Jacet sub hoc tumulo reverendus pater dominus Stephanus* Adam *B. Mariæ de Castellione ordinis Cisterciensis in diœcesi Virodunensi religiosus monachus, restauratæ disciplinæ regularis in prædicto ordine cultor observantissimus, monasterii B. Mariæ de Pietate prope Rameruceum in episcopatu Trecensi abbas vere pius, dum hic in meliorem formam reducendo totus incumberet, e vivis ereptus est, ut meliori vita poiiretur. Obiit in hocce divi Lupi cœnobio, cujus canonicos, sicut dum prædictam domum gubernavit, singulari dilexit affectu, ita suum eis corpus post exitum juxta religiosos ritus humi recondendum, tamquam perenne initæ cum eis amicitiæ pignus consignavit die 16 mensis Septembris anno Domini 1655. Hujus vitæ temporaneæ exitus ei terminus, & æternæ initium. Requiescat in pace.*

XVII. Johannes V *Ferrat* 1656 & 1681.

XVIII. Claudius III *Bochet* 1681. Sequenti cessit 1698. E vivis ereptus 1702.

XIX. Hieronymus *Berin* ecclesiam penitus collapsam reparavit.

XX. N. *Morice* nominatur a rege mense Julio 1749, & ad Charmeiam Catalaunensem transfertur mense Nov. 1751.

XXI. N. *d'Artois* nominatus est a rege mense Decembri 1751.

BEATA MARIA DE PRATO.

STephanus de Campo Guidonis civis Trecensis in grangia sua de Chicheriaco capellam extruxit in justitia & censiva capituli Trecensis, infra limites parochiæ S. Andreæ, quæ ad jus patronatus ecclesiæ Cellensis pertinebat, irrequisito utriusque capituli consensu; in qua capella collocavit moniales habitum album gerentes, filias-Dei vulgo nuncupatas. Unde ex parte utriusque capituli jurgia & lites. Trecense tamen capitulum præbuit assensum sub iis conditionibus; ut Tricassium episcopis subjicerentur moniales, ne quidquam in censiva & justitia ecclesiæ Trecensis, absque capituli consensu, acquirere valerent: & a summis pontificibus nihil impetrarent in quo jus & honor ecclesiæ Trecensis tum in spiritualibus, tum in temporalibus minueretur. Tandem sancitum est ut si aliquando locum illum pro alio, inconsulto capitulo, permutarent, ad capitulum cum omni jure reverteretur. Præterea capitulum condonavit monialibus justitiam & censum sex denariorum quæ antea eodem in loco possidebat : huncque capituli assensum ratum habuit Robertus episcopus mense Augusto 1231. Cellenses vero monachi ægre ferentes a Stephano infra limites ipsorum parochiæ capellam constructam, & in ea moniales intrusas, a Gregorio IX expostulaverunt & capellam dirui, & moniales exinde removeri. Summus pontifex delegavit v nonas Julii pontificatus anno 4 abbatem S. Jacobi Pruvinensis, & priorem S. Jacobi de Calestria parva, qui de hac lite cognoscerent. Hi causam instructam ad sedem apostolicam remiserunt. Gregorius autem judicem constituit cardinalem Sinibaldum , qui utriusque partis

NOTRE-DAME-DES-PREZ. Ch. LIX, col. 288.

Chart. LX, col. 289.

Digitized by Google

rationibus diligenter auditis, in monialium gratiam tulit sententiam die 16 Martii an. 1234. Quam quidem cardinalis sententiam confirmavit Gregorius IX nonis Martii 1235. pontificatus anno 8. Abbates de Ripatorio, de Bullencuria & de Moris a G. Cistercii abbate delegati parthenonem hunc ordini suo addixerunt; ita tamen ut episcopo Trecensi subjectæ forent moniales, ejusque mandatis parerent. Has conditiones exegisse videtur Nicolaus episcopus, cujus in litteris anni 1234, præter Stephanum fundatores & patronos Hugonem *de Saint-Maurice* & Margaretam uxorem agnoscunt moniales.

Ch. LXI, col. 291.

Seriem abbatissarum ex paucis chartis quas nobis lustrare licuit, eruimus in hunc modum.

ABBATISSARUM INDICULUS.

I. AGNES 1235.

II. Maria I 1250. Ejus tempore in Pratensi ecclesia sepulta fuit Urbani papæ IV mater, qui monasterio ejus rei gratia dedit centum marcas argenti sterlingorum.

III. Isabellis I 1251.

IV. Petronilla occurrit in charta S. Petri de Cella 1271. Memoratur etiam anno 1272 mense Novembri. Adhuc superstes 1279 mense Maio.

V. Isabellis II 1282.

VI. Emelina 1300, 1304, 1310.

VII. Guillelma 1364.

VIII. Melinotta *de Villacerf* 1430, 1450.

IX. Anna *de Gambelain* 1450.

X. Christina I 1470.

XI. Sarra *de Mons* 1485, 1502.

XII. Christina II *de la Rue* 1518, 1520.

XIII. Catharina *Pitois* facta abbatissa 1522, ecclesiam construere incœpit, & monasterium recte administravit.

XIV. Barbara *de Lannois* præerat 1548 triginta sex monialibus, ecclesiam absolvit, & ab Antonio de Melphis episcopo Trecensi 14 Februarii 1554 dedicari curavit.

XV. Giletta *de la Chaussée* annis 1556 & 1569 præfuisse reperitur. Multa prædia dissipavit. Ejus tempore monasterium conflagravit. Occurrit & anno 1591.

XVI. Maria II *de la Chaussée* præerat jam anno 1598. Monasterium restauravit & adscita sibi coadjutrice, decessit anno 1646.

XVII. Maria III *du Chastellet* coadjutrix anno 1645, abbatissa regebat 1658.

XVIII. Anna-Chrysanta *de Pardaillan de Gondrin*, filia Antonii-Arnaldi *de Pardaillan* baronis *de Gondrin*, marchionis *de Montespan*, &c. ex Paula *de Bellegarde*, soror archiepiscopi Senonensis claustrum reparavit. Obiit 13 Junii 1687.

XIX. Anna-Ludovica *Martin de Laubardemont* ex moniali liberæ abbatiæ in Bosco apud Parisios a rege designatur 15 Augusti 1687. Decessit 12 Junii 1697.

XX. Magdalena-Theresia *Arnoul* filia Nicolai *Arnoul* rei maritimæ præfecti & Genovefæ *Sanger* ex moniali Lilii 15 Augusti a rege nominata bullas obtinuit XIII cal. Octobris 1697, possessionem accepit 5 Februarii 1698. Ab episcopo Trecensi benedicitur mense Maio 1700.

XXI. N. *Arnoul de Rochegude* a rege nominata an. 1762.

BELLUS-LOCUS.

BEAULIEU.

DUabus & semi-leucis ab urbe Barrensi distans Bellus-locus, Præmonstrati ipsius filia, parensque Carthovori in diœcesi Suessionensi, Bassi-fontis & Capellæ in Trecensi, positus est ad Albæ ripas in amœna & suavi temperie cœli solique, ac fundo jucundissimo, unde Bellus-locus. Primam sui debet originem Osberto & Alardo sacerdotibus qui vitæ rigidioris cupidi, a Philippo episcopo Trecensi vetustam desertamque Bervillæ flagitaverunt ecclesiam sancto Salvatori & B. Marco Evangelistæ sacram, ut inibi Deo libere servire & secundum S. Augustini regulam degere valerent. Votis eorum favens Philippus, ipsis ecclesiam & facultatem illius reædificandæ in parochia Bervillæ ubicumque vellent, concessit anno 1112 indictione IV. Eodem anno Airardus Brennensis comes amplam patrimonialis fundi partem in villa *Jassens* contulit. Hanc donationem, cæterasque factas Belloloco confirmavit Innocentius II anno 1131. Subinde Bellilocenses, accitis e Præmonstrato cœnobitis, eorum ordini cura & studio potissimum sancti Bernardi se associaverunt circa annum 1140. In eos etiam munificos se præbuerunt Brennæ comes Walterus qui anno 1147 donationibus sui patris Airardi plurima adjunxit, necnon & Johanna uxor Gualtheri e nobilissima comitum Brennensium stirpe prognati, quæ anno 1364 molendina de Jouvanzeio largita est, ea lege ut singulis diebus peculiare sacrum celebraretur pro anima sui conjugis in exercitu regis occisi 20 Septembris 1356, & inibi sepulti. Beneficos adhuc experti sunt Eugenium III, Alexandrum III & Clementem III summos pontifices, necnon episcopos Trecenses Hatonem & Garnerium, quorum alter debitis prægravatam Belli-loci ecclesiam ita de mandato summi pontificis & assensu ordinis liberavit anno 1202, ut quandiu viveret, de temporalibus ipsius ad libitum disponeret. Cum chartas monasterii perscrutari nobis non licitum fuerit, seriem abbatum ex libro N. Desguerroisii, ex annalista ordinis, & ex aliis monumentis aliunde perquisitis contexere coacti fuimus.

Ch. XIV, col. 256.

Aliàs 1113, ind. V. Prob. annal. Præmonst. col. 254.

TABULA ABBATUM.

I. ODO bullam obtinuit 1131 ab Innocentio summo pontifice, qua confirmantur donationes in Bellum-locum collatæ. Litteras etiam obtinuit a Gaufrido episcopo Catalaunensi. Reperitur 1128, 1137 & 1138 in litteris Hatonis episcopi Trecensis. Ejus tempore anno circiter 1140 Bellilocenses ordinem Præmonstratensem susceperunt, & ipse in dignitate quam prius laudabiliter obierat, ex Præmonstratensis abbatis judicio fuit instauratus. Ad eum S. Bernardus scripsit epistolam in ordine 407, in qua eum

Digitized by Google

monet depositum pauperi sine dilatione reddendum. Moritur ex annalista 21 Aprilis 1146. Memoratur in necrologio S. Johannis Ambianensis 1 Aprilis.

II. Radulfus I alodium dimittit monasterio S. Petri Catalaunensis 1145. Eodem anno testis est in charta Attonis episcopi Trecensis pro Bassofonte. A Waltero Brennensi comite litteras impetravit 1147 quibus laudat Airardi sui patris donationes. Anno eodem bullam accepit ab Eugenio III. Occurrit 1148 in charta Ramerici, 1152 in instrumento Simonis domini Bellifortis pro Capella.

III. Johannes I Walteri Brennensis comitis filius, anno 1158 abbas electus, eodem subscripsit chartæ compositionis factæ inter Galterum episcopum Laudunensem & abbatiam Præmonstrati. Mortuo Philippo, anno circiter 1170 in abbatem Præmonstrati cooptatus, & post paucos menses ab Alexandro III exauctoratus ad Bellum-locum rediit, ubi ab eodem summo pontifice bullam protectionis & tuitionis impetravit 1175. Subscribit 1182 chartæ Simonis Belli fortis pro Bullencuria & Capella. In variis chartis Bassifontis, Bullencuriæ, Capellæ reperitur 1181, 1182, 1185, 1186, 1189. Huic Clemens III bullam inscripsit 1188. Circa id tempus a Manasse Lingonensi & Manasse Trecensi episcopis parochiis *de Saucourt*, & *de Blaignicourt* fuit donatus. Reperitur 1189 in charta B. Mariæ Trecensis. Memoratur 1190 in charta Claræ-vallis, 1192 in historia Trecensi N. *Desguerrois.* Obiit VI idus Junii ex necrologiis Domni-Martini & Ambianensi.

Marrene, Ampl. Coll. t. II, pag. 930.

IV. Radulfus II abdicata dignitate successorem habuit Hugonem. Laudavit anno 1197 venditionem cujusdam grangiæ ab abbate & conventu Belli-loci factam monachis Clarevallensibus.

Ch. III, col. 282.

V. Hugo vendidit anno 1196 grangiam Claræ-valli. Occurrit 1197 in charta Sparnacensi.

Ibid.

VI. Radulfus III post Hugonem a summo pontifice curam pastoralem iterum sumere jussus est. Præerat 1197. Innocentius III confirmavit II cal. Junii anno 1198 episcopo Trecensi compositionem super abbatia Belli-loci quoad vixerit ordinanda factam eum inter & Alesmum abbatem Calmontensem, aliosque Præmonstratenses.

VII. Guido I Garnerio episcopo obedientiam promisit. Quædam vendidit Sparnaco 1202.

VIII. Johannes II, Garnerio episcopo Trecensi arbitro, pacem resarcivit 1202 cum fratre Simone *de Jassaine* Tornodorensi monacho super tractu decimarum de Branna & *Jassaine*. Obiit 1203 VII cal. Junii & sepelitur a latere evangelii cum epitaphio.

IX. Robertus 1205 ex N. *Desguerrois.*

X. Girardus seu Giraudus 1205 & 1214. Obiit 12 Septembris ex eodem.

XI. Garnerius 1213, forte per cessionem præcedentis, reperitur in charta episcopi Trecensis.

XII. Guillelmus I 1216, cujus obitus 4 Martii assignatur a N. *Desguerrois.*

XIII. Reginaldus 1217, defunctus 8 Septembris ex eodem.

XIV. Guido II idem esse videtur cum G. qui anno 1221 in charta S. Michaëlis Tornodorensis occurrit. Reperitur & anno 1223 ex eodem.

XV. Guillelmus II 1226 defunctus 6 Augusti ex eodem.

XVI. Petrus moritur 1230 & humo mandatur a latere epistolæ cum epitaphio ex annalista.

XVII. Guido III 1238 & 1239. Interiit 9 Septembris ex N. *Desguerrois.*

XVIII. Thomas 1241 componit cum abbate Tornodorensi & priore *de Jassaut.*

XIX. Nicolaus I 1242. Occurrit in charta B. Mariæ de Moris & 1243 in charta Molismi.

XX. Johannes III 1257 in charta Claræ-vallis. Reperitur etiam 1265. Fato fungitur 7 Decembris ex N. *Desg.*

XXI. Radulfus IV 1299 in charta Septem-fontium.

XXII. Guido IV nominatur abbas in chartis annorum 1303 & 1310 ex Annalista.

XXIII. Johannes IV *de Vaudeuvre* 1321. Moritur 25 Maii ex N. *Desg.*

XXIV. Johannes V *Jonquereuil* Stephano episcopo Trecensi obedientiam promisit. Obiit 24 Decembris ex eodem.

XXV. Johannes VI Stephano obedientiam jurat.

XXVI. Gilbertus Stephano obedientiæ præstat juramentum.

XXVII. Petrus I reperitur 1442. Johanni episcopo juravit obedientiam.

XXVIII. Alanus *le Maronier* in veteri instrumento 1464. Idem forte ac abbas Bassi-fontis qui circa id tempus præerat.

XXIX. Jacobus *Perrin* 1469 25 Junii. Obedientiam Ludovico episcopo promisit.

XXX. Ferricus *de la Ruelle* 5 Junii 1474. Obsequium Ludovico pollicetur. Consignatur ejus obitus 21 Septembris.

XXXI. Nicolaus II *Jonquereuil* 1477 ex N. *Desguerrois.*

XXXII. Petrus II 1492 ex eodem.

XXXIII. Philippus *Marchant* 25 Septembris 1496 obedientiam promisit Jacobo episcopo Trecensi. Obiit anno 1514 epitaphio donatus.

XXXIV. Johannes VII *Huchier* sacramentum dixit Jacobo episcopo 1514 die 28 Octobris. Reperitur in quibusdam instrumentis annis 1516 & 1520. Diem extremum clausit penultima Aprilis 1527. Jacet in ecclesia cum epitaphio.

XXXV. Desiderius *Silvestre* obedientiæ juramentum præstitit Odoardo episcopo 5 Julii 1528. Domum ædificari & concamerari curavit, campaniliaque construxit. Temporalis suæ administrationis rationem feria quinta in cœna Domini quotannis reddere consueverat. Obiit 23 Octobris 1557. Sepelitur in medio sanctuario epitaphio donatus.

XXXVI. Antonius I *Carraciole* commendatarius 1557, 1560. ex N. *Desg.*

XXXVII. Petrus III *Senneton* 1573 ex eodem.

Digitized by Google

XXXVIII. Johannes VIII *Gobinet* 1580. Cessit in gratiam sequentis. A

XXXIX. Sebastianus *Senneton* 1591. Abdicavit 1600 ex Annalista.

XL. Carolus *de Bordeaux*, senator Parisiensis, per cessionem factus abbas Belli-loci professionem emisit. A summo pontifice primus usum pontificalium obtinuit 1601. Interfuit 1605 & 1618 capitulis generalibus. Abbatiam in nepotem transmisit 1622. Adhuc superstes anno 1632 die 4 Julii juxta testimonium scriptoris ecclesiasticæ Trecensis historiæ ab ipso datum in quo senior abbas dicitur. Jacet in ecclesia cum epitaphio. B

XLI. Petrus IV *le Brun* 1622. Præerat annis 1635 & 1641. Fuit vicarius seu visitator Circariæ Arverniæ. Cessit autem circa annum 1653 in gratiam sequentis.

XLII. Franciscus *le Brun* Petri Germanus jacet in ecclesia hoc epitaphio decoratus: *Reverendus admodum pater, pater Franciscus* le Brun. *Prælaturam decennio ea sapientiæ integritatisque fama eaque officiorum in omnes propensione in hoc monasterio cumulavit, ut sui desiderium unicuique reliquerit, qui post multos exantlatos labores amplaudæ domus suæ cura consummatus, viam universæ terræ virtutibus clarus anno Domini 1661 Decemb. 25, ætatis suæ 61 ingressus hic conditur, &c. In memoria æterna erit justus.* C

XLIII. Petrus V *le Brun* adhuc superstes abbatiam per regressum obtinuit, sed non diu retinuit, cessit enim sequenti. Humo mandatur in ecclesia hoc epitaphio donatus: *Reverendus admodum Petrus* le Brun *hujus monasterii quondam abbas, vir vere mitis & humilis corde, Dei cultor devotissimus, pauperum parens amantissimus, abbatiali dignitate jam semel resignata eamdem sibi a rege pietatis & meritorum intuitu post mortem resignatoris restitutam, iterum pro Christo libentissime resignavit. Dierum bonorum tandem plenissimus obiit 7 Februarii anno 1675 ætatis 82.* D

XLIV. Nicolaus III *Aubert* fuit syndicus & procurator generalis totius ordinis in Gallia, vicarius generalis Campaniæ & Burgundiæ. Conditur in ecclesia cum hoc epitaphio: *Hic jacet reverendus Nicolaus* Aubert *ex canonico regulari ecclesiæ de Brenna hujus domus ob virtutum omnium encyclopediam abbas factus, præcipua ordinis munia, syndici, procuratoris & vicarii generalis sancte & utiliter obiit, vir plane apostolici zeli, pater optimus, sibi pauper & modicus, basilicam hanc & monasterium restauravit & ornavit. Extincta est tanta lucerna die 29 Septembris 1685 ætatis 62.* E

XLV. Antonius II *Hardy* canonicus Præmonstrati ex pastore *de Javecourt* fit abbas Belli-loci post obitum Nicolai. Sed ante possessionem initam sexto à nominatione sua mense e medio sublatus.

XLVI. Henricus *du Cauroy* canonicus S. Martini Laudunensis, ordinis procurator syndicus, septemdecim annis præfuit, & subitanea morte præoccupatus moritur 10 Augusti in festo S. Laurentii 1702. Jacet in ecclesia epitaphio honestatus.

XLVII. Johannes-Christophorus *Mathon* doctor Sorbonicus, Burgundiæ & Campaniæ vicarius generalis, a rege designatus 1 Novembris 1702, benedictus 24 Februarii 1703. Eodem die possessionem iniit. Dignitatem exuit spontanea cessione 1730.

XLVIII. N. *de Maisons* hodie præest.

Præter hos abbates in historia Trecensi N. *Desguerrois* & in annalibus Præmonstratensibus recensentur Stephanus anno 1185, Nicolaus defunctus 1188, aliique permulti quibus locum assignare nequivimus.

BASSUS-FONS.

WALTERUS Brennensis comes peculiari quodam studio in Præmonstratensem ordinem affectus, in suæ dynastiæ solo & suæ civitati quodam modo adhærentem voluit habere inquilinorum Belli-loci coloniam. Quapropter in finibus nemorum Brennæ juxta fontem pulcherrimum, Bassi-fontanam nomine, qui passibus abhinc quindecim in Albam influit, monasterium in honore B. Mariæ ad eos excipiendos extrui procuravit & dotavit 1143 x calendas Februarii. Fundatoris liberalitatem Hato Trecensis episcopus confirmavit anno 1145 ad preces abbatis, cujus successor Balduinus anno 1148 ab Eugenio pontifice pro firmiori stabilimento impetravit litteras, quibus laudat firmatque donationes ipsi factas. Inter suos benefactores etiam merito recensent Præmonstratenses comites Brennenses Erardum & Johannem qui annis 1185 & 1210 huic cœnobio plurima largiti sunt & concessa ab antecessoribus suis approbarunt.

BASSE FONTAINE. Ch. xxiv col. 263. Frob. annal. Præmonst. col. 150. Ibid.

Abbatum seriem ex annalibus ordinis aliisque passim monumentis confectam habes.

ABBATES.

I. ANSCHERUS cujus in gratiam donationes a Gualterio comite Brennensi factas confirmavit 1145 Hato Trecensis episcopus. Godefridus Lingonensis antistes ei dedit 1146 decimam de Vitriaco, addidit & decimas de Cepeio, *de Corveignon*, *de Freuval*, & approbavit decimam *de Blainni* datam a Jacobo domino *de Cachencour* annuente Agnete ejus uxore. Memoratur 1147 in charta Walteri comitis pro Belloloco. Ejus obitus in necrologio S. Lupi Trecensis recensetur pridie idus Decembris & in necrologio S. Johannis Ambianensis 10 Decembris. Desiit 1148 ex Annalista.

II. Balduinus privilegium obtinuit 1148 ab Eugenio III pro confirmatione donationum Walteri conditoris. Subscripsit 1152 chartæ Simonis domini Bellifortis pro Capella. Occurrit 1155 testis in charta Henrici comitis Trecensis pro Septem-fontibus. Præfuit juxta Mauritium *Dupré* ad annum 1158. Memoratur in necrologio S. Lupi idibus Augusti ubi dicitur secundus abbas.

III. Johannes I ab Erardo comite Brennæ quibusdam prædiis donatur, quæ rata habuit Henricus Trecensis episcopus 1161. Quo anno Henricus Campaniæ comes domos & prædia,

Digitized by Google

quæ Bassus-fons apud Brenam possidebat, immunia reddidit. Adhuc abbatem agebat 1166. Vita cessit 28 Novemb.

IV. Guiterius 1174 transigit cum Aimone abbate S. Sequani coram Galtero Lingonensi episcopo. Consignatur in necrologio sancti Lupi idib. Augusti.

V. Rainoldus testis reperitur 1186 in charta Erardi comitis Brenensis pro Ripatorio. Privilegium obtinuit 1188 a Clemente III. Idem esse videtur cum R. abbate Bassi-fontis qui occurrit 1185 in charta Arremarensi. Legitur in necrologio Moncelli 15 Aprilis.

VI. Odo sedebat 1188 ex historia Trecensi N. *Desguerrois*.

VII. Rainaudus quædam commutat 1200 cum J. milite de Blandovillari. Memoratur in necrologio Moncelli 27 Augusti.

VIII. Gaufridus cui anno 1214 mense Januario Alix de Mastolio nobilis mulier, relicta Willelmi de Chaleta, dat prædia. Recensetur in necrologiis S. Lupi & Marchasii-Radulfi XIV cal. Augusti.

IX. Willelmus I 1232. Componit 1235 cum priore Radonisvillaris pro terminis parochiarum. Eodem anno memoratur in charta Molismi. In necrologio S. Johannis Ambianensis ejus obitus notatur 6 Aprilis.

X. Nicolaus I *de Longueville* 1240. Consignatur ejus obitus in necrologio S. Lupi V idus Decembris.

XI. Radulfus I 1241. In charta Molismi 1243.

XII. Fulco 1245 cum Guioto de Vacheria domino Prisciaci transigit coram Nicolao episcopo Trecensi. In necrologio Moncelli de eo fit commemoratio XVI cal. Februarii.

XIII. Radulfus II 1250. In necrologio S. Lupi IX calendas Februarii legitur.

XIV. Eustachius 1252. Ejus obitus notatur in necrologio Moncelli 28 Aprilis.

XV. Guillelmus II ex S. Johannis Ambianensis monasterio assumptus 1282. Ejus obitus in necrologio S. Lupi assignatur IV non. Martii.

XVI. Johannes II 1299 in charta S. Stephani Trecensis.

XVII. Johannes III *de Sommevoir*, ille forte qui de monasterio Dervensi factus Bassi-fontis abbas, occurrit 1372 & 1374. Petro episcopo obedientiam promisit.

XVIII. Nicolaus II de Dervo abbas Petro episcopo jurat obedientiam.

XIX. Johannes IV de Buxeriis electus circa annum 1404.

XX. Jacobus I *de Champigny* Stephano episcopo promittit obedientiam.

XXI. Nicolaus III Johanni episcopo jurat obedientiam.

XXII. Alanus *le Maronier* 1460, 1470 & 1473.

XXIII. Simon *Lallemant* Ludovico episcopo promittit obedientiam.

XXIV. Petrus I *Plicatoris* Ludovico sacramentum dicit.

A XXV. Laurentius *Bachelier* 1488 9 Novembris obedientiæ juramentum præstat Jacobo episcopo. Præerat adhuc 1503.

XXVI. Claudius *Thailier* 1514 & 1518.

XXVII. Odoardus *Hennequin* 1526. Fuit etiam abbas S. Lupi Trecensis, B. Martini in Areis, de Virtuto in diœcesi Catalaunensi & tandem episcopus Silvanectensis, postea Trecensis.

XXVIII. Petrus II *Vincent* Odoardo promittit obedientiam 10 Augusti 1531. Obiit 31 Januarii 1538 regularium ultimus. Jacet ante B majus altare.

XXIX. Johannes V *Hennequin* dicitur abbas Bassi-fontis 1545 in regesto S. Urbani Trecensis.

XXX. Sebastianus *de Laubespine* filius Claudii & Margaritæ *le Berruyer* abbas commendatarius Bassi-fontis, Massiaci & S. Martini Pontisarensis, postea episcopus Venetensis & demum Lemovicensis, occurrit annis 1549, 1559 & 1564. Obtinuit etiam abbatias S. Martialis Lemovicensis & S. Eligii Noviomensis.

XXXI. Elyo *d'Amoncour* 1587. Fuit etiam abbas S. Martini in Areis & Bullencuriæ.

C XXXII. Guillelmus III *de Taix* decanus S. Petri Trecensis 1592, quo anno a rege Henrico IV fuit constitutus ut conferret beneficia in diœcesibus Senonensi, Trecensi & Meldensi toto tempore interdicti.

XXXIII. Johannes VI *Chalon* 1603. Interfuit solemni ingressui Renati *de Breslai* episcopi 1605. Obiit 1616.

XXXIV. Ferricus *de Choiseul* 1627.

XXXV. Gilbertus *de Choiseul* simul fruebatur abbatiis S. Martini Trecensis, Bullencuriæ & Cantumerulæ. Occurrit 1630 & 1643. Postea factus Convenensis episcopus cessit.

D XXXVI. Franciscus *Malet de Graville de Drubec* regi ab eleemosynis, doctor Sorbonicus, nepos præcedentis 1657. Sequenti cessit. Simul obtinebat commendas Bullencuriæ, sancti Petri Melodunensis & S. Martini Trecensis. Obiit 1701.

XXXVII. Florentinus *de Hanom de Lamivoir de Jouy* S. Petri Decanus & Vicarius generalis Trecensis, honor sacerdotum, hic moritur vix abbas & jacet in sanctuario ad latus Petri *Vincent* 23 Septembris 1687.

XXXVIII. Dionysius-Franciscus *le Bouthillier de Chavigny* doctor Sorbonicus ipsi succedit nominatus 24 Decembris 1687, cessit 1716. Potitus E est quoque abbatia Mortui-maris, & episcopus Trecensis, deinde Senonensis archipræsul evasit.

XXXIX. Jacobus II *Langlois* vicarius generalis Trecensis per cujus obitum

XL. Nicolaus IV *Lefevre* archidiaconus, canonicus S. Petri & vicarius generalis Trecensis nominatus est 17 Maii 1720.

XLI. N. *de Ciceri* 1733. Avenione moritur 6 Maii 1759.

XLII. Stephanus-Carolus *de Lomenie de Brienne* vicarius generalis Pontisarensis abbatiam a rege consecutus est mense Augusto 1759.

Hos

Digitized by Google

Hos præter memorantur in diversis necrologiis

Helias VI idus Januarii in necrologio sancti Martini Laudunensis.

Michaël in necrologio S. Lupi XIV calendas Martii.

Andreas XVI cal. Junii in necrologio sancti Martini Laudunensis.

Galterus nisi idem sit ac Guiterius ex necrologiis Ressionensi & Albæcuriæ VI idus Augusti.

CAPELLA AD PLANCAS

LA CHAPELLE-AUX-PLANCHES.

SIMON de Bello-forti cum in sua dynastia, intra diœceseos Trecensis limites, Capellam possideret tabulis compactam, ab urbe Bello-forti duabus distitam leucis, ad quam orationis causa divertebant Christiani, illic in gratiam ordinis Præmonstratensis, annuente matre Emelina sua, construxit & dotavit ecclesiam quæ his abhinc temporibus Capellæ nomen sortita est. E Bello-loco primos accersivit incolas, quibus Hato Trecensis episcopus liberam sacerdotis electionem in ecclesia Cachericurtis concessit. Eugenius III dum Parisiis versaretur, constitutam ecclesiam & bona eidem collata apostolico munimine roboravit anno 1147. Simon fundatoris filius quidquid ab iisdem fuerat traditum confirmavit 1152 indictione XV & postea plurima concessit quæ libera & immunia reddidit. De Præmonstratensibus etiam bene meriti sunt Goffridus Joinvillæ toparcha, qui terras a Patre Rogero Capellæ præstitas collaudavit & auxit 1157; necnon & Olivarius de Droniaco miles, qui largitus est partem cujusdam terræ in finibus S. Audoeni pro remedio animæ & pro filia sua quam in ecclesia Capellæ Dei servitio mancipaverat.

Ch. XXX, col. 167. *Anal. Præmonst. col. 356.* *Ibid.*

Seriem abbatum contexuimus ut sequitur.

TABULA ABBATUM.

I. GALTERUS occurrit 1145 in charta Hatonis episcopi pro Basso-fonte. Bullam accepit ab Eugenio III 1147. Reperitur & anno 1152. A Gauffrido Joinvillæ domino plurimis est donatus 1157. Ex necrologiis domni-Martini, Albæcuriæ & Marchasii-Radulfi obiit 25 Aprilis. Sepultus in medio sanctuarii.

II. Rainaldus 1172 & 1175 in charta Cellensis monasterii.

III. Obertus subscribit 1182 chartæ Simonis domini Belli-fortis pro Bullencuria. Occurrit 1187 in charta Trium-fontium. In basilica sepultus.

IV. Johannes I 1188. Memoratur IV idus Martii in martyrologio Marchasii-Radulfi.

V. Richerius 1192.

VI. Odo memoratur 1196 in charta Garneri Trecensis episcopi de venditione grangiæ Belli-loci facta Claræ-valli.

VII. Noë electus 1197 in charta Sparnaci.

VIII. Bertrandus 1202 quidpiam vendit Sparnaco.

IX. Guillelmus I 1212. Idem sane ac W. qui

A societatem iniit 1220 cum Sparnaco. Quiescit in capitulo.

X. N. 1225 in charta Dervensis monasterii. Idem forte ac Nothus qui in necrologiis S. Justi, domni-Martini & Albæcuriæ reperitur III nonas Januarii.

XI. Isembardus 1232. Jacet in capitulo.

XII. Herbertus 1242.

XIII. Fulco promittit missam unam de Spiritu-sancto quolibet anno Th. comiti Campaniæ in crastino B. Nicolai hiemalis celebrandam, quæ in die obitus sui convertetur in missam de
B defunctis 1257 in vigilia Ascensionis Domini.

XIV. Johannes II *Danisy* decessit ultima Martii 1336. Humatus in ingressu chori.

XV. Johannes III obedientiam promisit Petro de Arceis episcopo.

XVI. Nicolaus I obtemperationem pollicetur Johanni *Léguisé* episcopo.

XVII. Guillelmus II obedientiæ juramentum præstitit Ludovico *Ragnier* episcopo.

XVIII. Stephanus I sacramentum dicit Ludovico 3 Januarii 1472.

XIX. Hugo de S. Siria X calendas Octobris 1481 in charta Dervensis monasterii.

XX. Stephanus II *Remy* electus 1501.
C Memoratur XVII cal. Junii in necrologio Dervensi. Jacet ante majus altare.

XXI. Johannes IV *Nanthier* al. *Manthier de Droye* electus 1519 præfuit ad annum 1528. Cessit in favorem sequentis ex Annalista ordinis. Mortuus ex Sammarthanis 1536.

XXII. Johannes V *le Sellier* al. *Ceiclant* e Morolio diœcesis Ambianensis oriundus, a rege nominatus, confirmatur ab abbate Belli-loci. Moritur 1545 1 Novembris. Jacet in medio chori.

XXIII. Ludovicus *Dauvet* filius Roberti domini *de Rieux* ex Anna *Briçonnet* quam duxerat
D uxorem 1524. Fuit etiam prior Longi-pontis.

XXIV. Jacobus I *du Plessis* Francisci & Annæ *le Roy* filius, regi ab eleemosynis, Lucionensis episcopus, habuit administrationem commendatariam abbatiarum Niolii ad Altisiam & Capellæ ad Plancas.

XXV. Jacobus II *Genovillac* protonotarius apostolicus, commendatarius.

XXVI. Claudius *Lhoste* qui post aliquot annos sequenti cessit.

XXVII. Nicolaus II *Lhoste* Claudii filius, Præmonstrati professionem emisit. Interfuit 1618 capitulo generali.

E XXVIII. Jacobus III *Lescot* nominatur mense Octobri 1638. Fuit deinde episcopus Carnotensis. Cessit in gratiam sequentis.

XXIX. Jacobus IV *Lescot* superioris nepos, canonicus Carnotensis, ex patrui cessione commendam obtinebat 1670.

XXX. N. *de Brevedent* dominus *de Berville* frater senatoris Rotomagensis 1680 & 1691.

XXXI. Henricus *Guichard* dominus *du Vouldy*, filius N. regi a cubiculo & N. *Largentier de Chapelaines*, canonicus Trecensis. Obtinebat circa annum 1691. Obiit 1699.

Digitized by Google

XXXII. N. *Bourfault* dominus *de Viantais* A filius marchionis *de Viantais*, nominatus 24 Decembris 1699.

XXXIII. N. *de Fusée de Voizenon* presbyter, decanus & vicarius generalis episcopi Boloniensis. Nominatus est a rege mense Decembri 1733. Cessit 1742 pro abbatia Jardi.

XXXIV. Johannes-Baptista-Natalis *le Rouge* presbyter & doctor syndicus facultatis theologiæ Parisiensis, reginæ capellanus & canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Nicolai de Lupara, per cessionem præcedentis a rege designatur abbas 2 Aprilis 1742. Obiit 14 Januarii 1753 annos natus B 75.

XXXV. N. *Gouault* Vicarius generalis episcopi Trecensis, commendam a rege obtinuit 27 Januarii 1753.

Præter hos abbates sine chronologia reperiuntur in historicis N. *Desguerrois*, Hugone & Sammarthanis

Nigellus IV nonas Februarii in necrologio Marchasii-Radulfi.

Bernardus XIV cal. Martii in necrologiis S. Martini Laudunensis & S. Justi.

Arnoldus VI calendas Martii in necrologio S. Martini Laudunensis.

Ricardus IV nonas Julii in necrologio Domni-Martini.

Godefridus quiescit ante majus altare.

Ingelrammus ante majus altare.

Veremundus a latere evangelii.

Dodo etiam a latere evangelii.


Constantius jacet in claustro.

Philippus *d'Esparnay* jacet ante altare quod extat chorum inter & sacristiam.

Balduinus jacet prope Philippum.

Johannes *d'Ulcheri.*

Balduinus *de Lentilles.*



Digitized by Google

ECCLESIA NIVERNENSIS.

NIVERNUM urbs ad Ligeris & Niveris in Æduis confluentes sita Decetiam inter & Caritatem ab Elaveris & Ligeris affluente 3000 passibus distans, a Nivere amniculo qui 10 leugas aut 3000 circiter passus percurrit, seseque ad urbis mœnia immiscet, nomen accepit novum. Noviodunum enim oppidum Æduorum a Cæsare, lib. VII, cap. 10 appellatum volunt Aimoinus & Hugo Floriacenses monachi, ac Robertus Autissiodorensis, qui tres Nevedunum corrupto nomine pro Noviodunum dixere, Josephus *Scaliger*, Sanson, Massonus, Guido Coquillius & Adrianus Valesius. Sunt tamen qui dubitant, nec sine fundamento. Et certe in vetustissima olim Notitia provinciarum & civitatum Galliæ circa Honorii Augusti principatum composita & omnium manibus trita, necnon in tribus aliis Notitiis ab Andræa Chesnio vulgatis nulla Niverni fit mentio, propterea quod civitati Æduorum tum parebat stante adhuc imperio Romano: unde non absurde colligi posse videtur Nivernum imperante Honorio civitatum numero minime habitum esse. Laudantur quidem duæ in bibliotheca Thuanea notitiæ manuscriptæ, quarum altera in provincia Lugdunensi IV civitates octo & earum ultimam seu recentissimam civitatem Nivernensium ponit; in altera civitas Nevernus quarto loco constituitur ante Tricassium, Aurelianorum, Parisiorum Meldorumque civitates: sed recentiores forte sunt illæ notitiæ, temporisque illius quo post Chlodovæanos triumphos distracta ab Æduis regio Nivernensibus attributa est & in civitatem erecta sub finem seculi quinti, cujus postea meminere Gregorius Turonensis lib. VIII hist. Jonas in vitis S. Columbani & S. Eustasii, Fredegarius scholasticus a quo castrum antiquissimum nuncupatur, Gervasius Tisleberiensis & alii.

Nivernum ex comitatu & pariatu a Francisco I Francorum rege anno 1538 in ducatum & pariatum erectum, nomen dat pago ducatuique Nivernensi. In eo sunt urbes, oppida ac castella & pagi; quæ quidem omnia Nivernensis ditionis, sed diversæ diœcesis, alia Augustodunensis, alia Autissiodorensis, Nivernensis alia, ut S. Petri monasterium, Decetia, Castellio, Molinæ-Engilbertorum, Premeriacum, &c.

Cæterum Nivernum ad ripam Ligeris dextram situm quasi medium inter Lutetiam & Lugdunum & qua Augustoduno Lutetiam itur, e Borboniensi tractu adventantibus magnificum ostentat aspectum propter turrium & mœnium celsitatem. Octo portas habet, in his unam Nivernensem dictam a fluvio Nivere. Niverni pons est impositus flumini Ligeri, nondum recepto Elavere amni, 20 arcubus & pilis lapideis constans, omnium ad Ligerim pontium latissimus, celsissimus atque pulcherrimus. Hinc & inde pars pontis extrema turre valida munitur. In superiore urbis parte eminent arx & ducale palatium dominorum qui ibidem rationum cameram habent. Eadem videntur Niverni christiani ac Nivernæ civitatis exordia, nec ante seculum sextum aut civitatis aut episcopatus ulla apparent vestigia. Licet enim dixerimus t. II, col. 225 S. Austremonium medio seculo III Novioduni Æduorum religionis christianæ fundamenta jecisse, Noviodunum illud idem esse ac Nivernum ad Ligerim non constat, nec proinde hinc sequitur S. Austremonium Nivernensium episcoporum catenam orsum fuisse. Episcopus toparcha Premeriaci, Urziaci & Parziaci in solemni ingressu devehi solet a baronibus *de Druy, Poiseux, Cours-lès-Barres* & *Givry* episcopii feudatariis. Ecclesia cathedralis amplæ & insignis structuræ choro affabre ædificato prius SS. Gervasio & Protasio dicata, S. Cyricum tutelarem patronum agnoscit jam a tempore Caroli magni, qui ejus reliquias donavit, cum S. Julitta. In ea extant magno sumptu e marmore sculpta cenotaphia principum Nivernensium. Capitulum constat 35 canonicis, quinque dignitatibus, decano qui a capitulo eligitur & confirmatur ab episcopo, majore archidiacono, thesaurario, cantore, archidiacono Decetiæ, unoque personatu theologo, qui omnes instituuntur ab episcopo & nominantur. Tota diœcesis dividitur in octo archipresbyteratus, nempe vallium Nivernii, S. Petri de monasterio, Premeriaci, Lurciaciburgi, Decetiæ, Molinæ-Engilberti, Castellionis & de Thiengiis cum 271 parochiis quarum 11 in urbe, 3 abbatiis, 42 prioratibus, 6 collegiatis ecclesiis quarum in una tantum celebratur divinum officium, & 3 præceptoriis ordinis Melitensis, cœnobiisque Benedictinorum, Cartusianorum, Augustinianorum, Grandimontensium, Dominicanorum, Recollectorum, Capucinorum, Minimorum, Patrum societatis Jesu, Presbyterorum oratorii, Carmelitarum discalceatorum, monialium Benedictinarum, Visitationis, Ursulinarum, Carmelitanarum, Clarissarum & Sororum de Caritate christiana. Ut nulla fere est ecclesia quæ pluribus ditetur veteribus chartis, ita nulla quoque est de qua minus meriti sint scriptores, Widonem Coquillium dico, Michaëlem *Cotignon* canonicum & archipresbyterum, Robertum Lingonensem, Sammarthanos ac nuperis hisce temporibus Petrum *de Frasnay*. Horum a vestigiis quantum potuimus recessimus, ut veritatis indagationi toti incumberemus. Hujus autem adipiscendæ modum in multis subministravit nobis eruditus & supra fidem studiosus vir D. *Parmentier* qui vetera instrumenta ad eam regionem spectantia vidit fere omnia, diligenter collegit, nobiscumque humanissime communicavit. Quod in grati memorisque animi nostri testimonium libenter eo loci profitemur.

Digitized by Google

EPISCOPI NIVERNENSES.

I. S. EULADIUS.

ANNI CHRISTI

S. SEVERINUS abbas Agaunensis dum ex Agaunensi cœnobio in Franciam proficisceretur ut regi Chlodovæo I a duobus jam annis ægrotanti pristinam restitueret valetudinem, Nivernum transiens, Euladium episcopum ab anno surdum & mutum, infirmumque in cubiculo jacentem sanavit anno Chlodovæi 25 qui res-
506. pondet anno Christi 506, ut discimus ex vita S. Severini a Fausto ejus discipulo scripta, quam ex bibliothecæ S. Germani a Pratis apographo edidit Mabillonius Act. SS. ordinis t. 1, p. 568. Pro Sancto habetur in ecclesia Nivernensi, ubi festum ejus quotannis celebratur 26 Augusti. Ex Euladio tamen & Æladio qui mox sequitur unum efficit Coquillæus, & post eum Sammarthani, idque aliquatenus subdubitasse videtur Mabillonius, sed Fausto quomodo abnegari possit fides non video.

II. TAURICIANUS.

Subscripsit canonibus concilii Epaonensis an.
517. 517.

III. RUSTICUS.

Rusticus qui & Rustitius sua subscriptione
538. probavit acta synodi Aurelianensis III an. 538
541. & IV an. 541.

IV. S. AREGIUS.

Aregius, Aridius & Ardericus signum appo-
549. suit synodo Aurelianensi V an. 549 & Parisiensi
552. 552. Niverni defunctus, sepultus est apud Disesiam Niverno septem leucis dissitam, coliturque 16 Augusti. In quibusdam catalogis Clementinus dicitur qui duabus his synodis subscripsit Nivernensis episcopus.

V. EUFRONIUS.

Noscitur ex privilegio concesso a B. Germano Parisiensi episcopo ecclesiæ S. Crucis & sancti Vincentii, hodie S. Germani a Pratis, cui cum aliis episcopis subscripsit his verbis: *Eufronius Nivernensis episcopus rogante domno Germano episcopo, &c.*

VI. S. ÆOLADIUS.

567. Interfuit concilio Lugdunensi II anno 567.
Quiescit in ecclesia S. Stephani intra parietem altaris, his versibus inscriptis:

Quisquis ab occasu properas huc, quisquis ab ortu
Corpus in hoc tumulo quod venereris habes.
Præsul Æoladius, hujus quondam pater urbis
Adventum gaudens sustinet hic Domini.

Memoratur die 26 Februarii in supplemento martyrologii Gallicani apud Saussayum, & 28 Augusti in Nivernensi.

VII. S. AGRICOLA.

Alexiæ in Burgundia natus Agricola interfuit synodis Matisconensi I anno 581, Lugdunensi 581.
III anno 583, & Matisconensi II anno 585. 583. 585.
Cum Ætherio Lugdunensi aliisque episcopis
scripsit anno 589 pro sedando monialium Pic- 589.
taviensium tumultu. Extat apud Fortunatum carmen Agricolæ episcopo inscriptum. Obiit IV
cal. Martii 594, coliturque a Nivernensibus 3 594.
Julii. Sepultus fuit in ecclesia S. Vincentii, quæ nunc S. Agricolæ nomen obtinet. E terra levatus ab Arnaldo *Sorbin* episcopo anno 1590, & in theca conclusus est.

VIII. FULCILIUS.

Admissus a Coquillæo, Roberto & Cointio post Agricolam Fulcilius, omissus fuit a Sammarthanis. De eo præter nomen nihil nobis occurrit.

IX. RAURACUS.

S. Austregisilum Bituricensem archiepiscopum 624.
sepulturæ mandavit anno 624 Rauracus, qui concilio Cabilonensi sub Chlodovæo II adstitit ante 648. Subscripsit diplomati Chlodovæi filii Dagoberti pro san-Dionysiano monasterio, regni anno 16, Christi 653. Extat ejus epistola ad *Vide vitam S. Austregisili & Acta SS. ord. S. Ben. tom. II. Diplomatic. p. 467.*
Desiderium Cadurcensem episcopum in collec- 653.
tione scriptorum rerum Gallicarum & Francicarum, t. IV, p. 44.

X. LEODEBAUDUS.

Privilegio quod concessit Emmo Senonensis antistes monasterio S. Columbæ anno 3 regnante Chlotario, subscripsit Leodebaudus Nebarnensium, hoc est Nebernensium seu Nevernensium episcopus. Vide Mabillonium Annal. Benedictin.
ad annum 658, n. 63. 658.

XI. HECHERIUS.

Innotescit ex altero privilegio paulo post concesso ab eodem Emmone monasterio S. Petri apud Senonas Vivi dicto, cui subscripsit anno 3 Clotarii regis. Vide Mabill. in Annal Benedict. ad annum 658, n. 64, & Acta SS. ord. S. Ben. sæcul. III, p. 2, pp. 613 & 614.

XII. S. DEODATUS.

Nobilibus in occidentali Francia natus parentibus Deodatus, Nivernensis episcopus pontificatu se ultro abdicavit & cum aliquot sociis e Nivernensi oppido egrediens, voluntarium sibi ipsi e natali solo exilium indixit. In Alsatiam primo, postea in Vosagum secessisse traditur, ubi quædam ædificavit monasteria, tempore Garibaldi episcopi Tullensis, à quo conversandi locum obtinuit. Familiaritate quoque conjunctus fuit cum Arbogasto Argentinensi episcopo, ejusque successore Florentio. Relicto primo domicilio quod condiderat in eremo, ad vallem Galilæam penetravit, ubi constructo monasterio anno 669 obiit anno 679. Colitur 19 Junii.

ANNI CHRISTI

XIII. Gilbertus.

Sedit anno circiter 665 ex manuscriptis ecclesiæ Nivernensis, inquiunt Sammarthani.

XIV. Rogus.

672. Memoratur anno 672 ab eisdem.

XV. S. Itherius.

S. Itherii festum colitur 8 Julii. In ecclesia
* Nogent. Novigenti * vico natali diœcesis Senonensis
691. quievisse dicitur ab anno 691. Habebat ecclesiam collegialem in ejus honorem dicatam Soliaci ad Ligerim, aliam habet in diœcesi Bituricensi.

XVI. Ebarcius.

S. Deodato subjectus a Coquillæo Ebarcius, ad annum 766 summovetur a Cointio, sed perperam ab utroque: nam Ebarcius nominatur in privilegio Agirardi Carnutensis episcopi pro
696. monasterio B. Mariæ anno 696 & in præcepto
697. Childeberti III de Nocito-villa anno 697. Utrumque habes in diplomatica pag. 478 & 479, nisi sit Ebarcius Turonensis aut Ebarcius Pictaviensis qui hoc sedebant tempore.

XVII. Opportunus.

702. Recensetur anno 702 a Sammarthanis.

XVIII. Nectarius.

726. Invenitur in tabulis anno 726, auctoribus iisdem.

XIX. Chebroaldus.

Subscripsit testamento Widradi abbatis Fla-
747. viniacensis anno 747 ex Mabillonio t. II Annal. p. 138.

XX. Raginfredus.

Charta IV, col. 301. Ragenfredus quondam vocatus episcopus monasterio S. Martini quidquam in villa Bordenago dedisse legitur in charta IV Appendicis.

XXI. Waldo.

Hujus sola nominis memoria in antiquis cathedralis documentis reperitur.

XXII. S. Hieronymus.

Waldoni successisse legitur Hieronymus in
Charta II, III & IV, col. 297, 298, 299, 300, 301 & 302. ejus vita, cui Carolus magnus restituit villas & cellulas cum mancipiis aliisque facultatibus, quibus tempore rebellionis spoliata fuerat ecclesia Nivernensis, ad sacra loca restauranda vel munienda. Hæc autem dum canonice restaurare vellet, migravit ab hac vita. Oratorium S. Stephani
Charta I, col. 297. apud Salviniacum ædificavit. S. Cyrici reliquias in ecclesiam cathedralem transtulisse dicitur. Sepultus est 5 Feb. obitus die in ecclesia sancti Martini, ubi in theca reconditur. Colitur 8 Octobr. cum octava.

XXIII. Jonas.

Chart. I, col. 297. Jona episcopo Antidius, Odilo & Bernoicus oratorio S. Stephani de Salviniaco res suas in

A Leobarnago sitas ab Hieronymo acquisitas dedere 13 Octob. an. IV Ludovici Pii 817. Ab eodem 817.
Charta I, col. 297. Imperatore obtinuit confirmationem restitutorum a Carolo magno & teloneum de duabus navibus
Chart. II, col. 297. Ch. IV, col. 300. in imperio suo pro ecclesia Nivernensi. In ecclesia restauranda quantum potuit & per tempus licuit laborare non distulit. Nominatur inter antistites qui anno 829 adsuerunt concilio Parisiensi. Obiit 829.
11 Maii.

XXIV. Gerfredus.

In concilio Senonensi Gerfredus subscripsit privilegio Aldrici archiepiscopi pro monasterio
B S. Remigii anno 833. 833.

XXV. Hugo I.

Ex pervetusto episcoporum catalogo in antiqua liturgia inserto Gerfredo succedit Hugo.

XXVI. Herimannus.

Diplomata a Carolo magno, Ludovico pio
Charta II, col. 297. & Pippino, Hieronymo & Jonæ decessoribus indulta, quibus Nivernensis ecclesiæ instrumenta amissa renovantur & donationes factæ confirmantur, a Carolo calvo confirmari obtinuit Heri-
C mannus pridie idus Januarii anno 1, 841. 841.
Chart. III, col. 299. Obtinuit & ab eodem ut nullus ibi episcopus institueretur, nisi ab ipsis loci incolis electus, pridie idus Januarii anno 3 843. Eodem anno 843.
Chart. IV, col. 300. concilio apud Germiniacum habito adstitit. Quod Hieronymus decessor morte præventus absolvere non potuit, Jonasque prosecutus est, id Herimannus absolvere conatus est, instituendo in
* forte 40. ecclesia 60 * canonicos, quibus prædia attribuit, in his ex proprio Hermodi abbatis avunculi sui sex mansos in pago Nivernensi & unum in Avalensi. Præterea in monasterio S. Martini constituit 16 canonicos eisque reditus attribuit, in his in
D villa Bordenago quidquid prædictæ ecclesiæ Ragenfredus quondam vocatus episcopus dedit. « Ad hæc in monasterio, inquit, S. Aniani constituimus «
Ch. IV, col. 300. monachos & in monasterio S. Genesii sancti- « moniales eisque res ad easdem cellas pertinentes « reddimus & confirmamus. Volumus ut habeant « licentiam cum consensu & voluntate pontificis « sui ex se ipsis eligendi abbatem vel abbatissam ». Hæc autem beneficia confirmari curavit a patribus concilii Parisiensis anno 849 mense Novemb. 849.
Diplomatic. p. 530. quibuscum ad Nomenoium Britanniæ ducem synodicam scripsit epistolam. Quin & donationum
Chart. V, col. 302. E earumdem confirmationem obtinuit a Carolo rege IX cal. Junii anno regni X 850. Circa id 850. tempus subscripsit chartæ Lamberti comitis & abbatis pro monasterio S. Albini Andecavensis. *Postmodum*, ut legitur in canone 2 synodi Suessionensis II X cal. Maii 853, *Wenilonis Senonicæ* 853. *urbis metropolitani episcopi suffraganeus Nivernensis ecclesiæ nomine Herimannus pro suis excessibus, quos corporali molestia sæpe dicebatur admittere, a sanctis præsulibus modeste & acriter increpatus est, quod prius frequenter correptus ordini sacratissimo perseverantia levitatum adhuc injuriam faceret, & in præsentia principis infirmitatem pastoris nequaquam*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

fastidientis injunctum est metropolitano ejus ut adjunctis secum aliquot episcopis ad oppidum Nivernense accederet & omnia ibi negotia ecclesiastica sapienter componeret, ipsum vero co-episcopum suum Herimannum apud urbem Senonum secum haberet, donec æstivum tempus quod valde contrarium infirmitati illius ferebatur pertransiret, & sic Domino annuente abstinentia competenti assuetum, episcopali gravitate instructum, apostolicis moribus informatum clerus & populus eum ad sedem propriam utiliter favente Dei gratia revocaret. Revocatus quidem est anno eodem postquam a morbo convaluisset & ecclesiæ suæ moderamini ab episcopis concilii Vermeriensis VI cal. Sept. restitutus est. Cum aliis episcopis subscripsit electioni Æneæ Parif. episcopi anno 857. Biennio post Carolus calvus ecclesiam S. Vincentii apud Magniacum, cujus ope victoriam adversus fratrem retulerat, restituit, privilegiis ornavit & Nivernensi matri subjecit XIII cal. Januarii 859. Perfecta tamen deinceps non semper usum sanitate Herimannum probant & quæ Nicolao papæ suggessit Wenilo in concilio Senonensi calamo Lupi abbatis Ferrariensis & quæ ad Wenilonem archiepiscopum rescripsit Nicolaus. *Suggerit sanctitas vestra Herimannum episcopum morbum incurrisse quo diu impeditus est episcopale recte implere officium. Sensus enim, ut vestra ipsa verba ponamus, aliquoties integritate privatus, quædam insano simillima admittebat...... Miramur reverentiam vestram eum venire ad synodum coegisse, præsertim cum ipsi testemini insano hunc similem & in eadem adhuc infirmitate manere, quem si ita gravatur, magis conveniebat sanctimonium vestrum sublevare quam pondus ejus ponderi superaddere...... Indicatis autem illum super quibusdam excessibus fuisse frequenter accusatum. Pro quibus, quia ex parte ipsius persona deest, nos uni parti ad alterius discrimen credere procul dubio non possumus, quamvis nec usque adhuc qui fuerint illi excessus dixeritis, nec utrum sana erat mente idem amisistes necne cum ipsos excessus perpetrabat evidenter ostenderitis.* Defunctus 22 Julii Herimannus humatus est, ubi humari voluerat, in capella S. Johannis Evangelistæ in ecclesia sanctimonialium Nivernensium ubi lapideus visitur ejus tumulus. Huc quotannis convenire solent canonici sacrum pro anima defuncti benefactoris celebraturi mense Julio. Huc quoque supplex accurrit plebs beatum, quem sic opinatur, veneratura Herimannum.

Charta VI, col. 303.
857.
Ch. VII, col. 304.
Ch. VIII, col. 304.
859.

XXVII. Raginus.

Ragini gesta oblivione vetustatis obliterantur, inquiunt Sammarthani.

XXVIII. Abbo I.

862. Synodo Suessionas Pistis translatæ anno 862 subscripsit Abbo. Vide Diplomaticam, p. 454.

XXIX. Luido.

Luido vocatus episcopus Nivernensis, an designatus? anno 864, indict. XI, Caroli 24, in synodo Pistensi subscripsit privilegio S. Germani Autissiodorensis apud Acherium, Spicileg. t. II, p. 591, & Mabillonium Diplomat. p. 154.

864.

XXX. Abbo II.

ANNI CHRISTI

Synodo Suessionensi 866 ejusque epistolæ de Britonum infestationibus subscripsit Abbo, 866.
qui adstitit Trecensi anno 867, ubi donationes 867.
ecclesiæ S. Vincentii a Carolo calvo factas anno Chart. IX,
859 & postea ab Adelardo sacerdote, confirmari col. 305.
curavit. Probavit an. 869 privilegium ab Egilone 869.
Senonensi archiepiscopo concessum monasterio S. Petri Vivi, eodemque anno præcepta quædam regalia pro Vedastino monasterio. Abbonis nomine ac vice Ansoldus archidiaconus subscripsit synodo I Duziacensi mense Aug. 871. Confirmavit & approbavit privilegium Trenorchiensi cœnobio concessum a synodo Cabilonensi anno
875. Adfuit Pontigonensi anno 876 & Tre- 875.
censi II 878, ubi privilegium obtinuit IV id. 876.
Sept. a Ludovico Balbo de rebus ad ecclesiam 878.
Nivernensem spectantibus. Eodem anno hono- Chart. X,
rifice excepit reliquias sancti Baudelii martyris col. 306.
Nemauso ad Saxiacum monasterium translatas. Biennio post anno regni 3 Ludovicus Balbus aliud ei diploma indulsit quo villam Caziacum super ligerim S. Cyrico reddi præcipit. Abbonis quoque ad preces Carolomannus ecclesiæ Niver- Chart. XI
nensi restituit villam Curtis pridie idus Januarii, col. 307.
indict. XIV, regni 3, 882. Abbonem Ansegisus 882.
Senonensis archiepiscopus ad abbatem & monachos sancti Germani Autissiodorensis direxit postulaturum S. Romani corpus, ut legitur in ejus vita a Gisleberto monacho conscripta. Obitus Abbonis notatur VII id. Dec. in necrologio.

XXXI. Emmenus.

Monasterium in Cuciaco villa S. Martini de Ch. XII,
suburbio in comitatu Arvernensi pro virginibus col. 308.
fundavit Emmenus, quibus privilegium a Carolo
Crasso obtinuit anno 886, indict. IV. Impe- 886.
rator idem Willelmi comitis ad preces ecclesiæ Ch. XII &
S. Cyrici concessit cellam sancti Reveriani in XIII, col.
comitatu Nivernensi & abbatiam S. Petri de 308 & 309.
Ifodro sitam in Augustodunensi, indict. VI, XV Ch. XIV, col. 310.
cal. Sept. Imperatorem Carolum ad obsidionem 886.
Parisiensem secutus Emmenus præceptum ab eo Ch. XV,
obtinuit de omnibus ad ecclesiam Nivernensem col. 311.
pertinentibus XV calend. Januarii anni ejusdem.
Convenit ad synodum Magdunensem an. 891. 891.
Obiit pridie cal. Nov. ex necrologio, circa 892.

XXXII. Adalgarius.

Notatur in necrologio pridie cal. Nov. cum Vide t. IV,
Emmeno quem antecedit ibidem. Sed idem mihi pag. 366 &
esse videtur cum Adalgario Æduensi episcopo. seq.

XXXIII. Franco.

Ex abbate S. Petri Vivi, ut volunt nonnulli,
successit Franco anno 894. Cum Rancone com- 894.
mutationem fecit, quam ratam habuit Odo rex Ch. XVI,
V id. Julii anno regni 7. Teutgrino canonico col. 312.
meliorem faciendam tradidit ecclesiam S. Sym- Ch. XVII, col. 313.
phoriani anno 5 regnante Carolo simplice. In 897.
publica synodo anno 903, Caroli regis 6, ordi- 903.
nationis suæ 9, V cal. Maii de consilio canonicorum cardinalium, &c. Attoni archidiacono &

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Ch. XVIII, col. 313. domus suæ protocapellano nonnihil indulsit pro capella sancti Vincentii in villa Calioveti sita. Defunctus notatur v id. Dec. in necrologio.

XXXIV. Atto.

908. Cujus memoratur charta an. 908 Atto ex archidiacono, is est forte peccator episcopus, cujus subscriptum nomen legitur testamento Willelmi ducis Aquitanorum Cluniaci fundatoris cum
910. Willelmo comite nepote ejus an. 910. Canonicis S. Cyrici abstulit alodum situm in villa
Ch. XXII, col. 316. Calioveti, quod eis restituit postea nepos ejus Atto archidiaconus & thesaurarius. Majus templum instauravit quadrataque absolvit structura, inde dictus cooperator. Obiit IV id. Dec.

XXXV. Launo.

916. Floruit anno 916, memoratus VII id. Aug. in necrologio.

XXXVI. Tedalgrinus.

Ch. XXII, col. 316. Attonis quoque archidiaconi avunculus Tedalgrinus alodum Calioveti canonicis eripuit, quod
Ch. XIX, col. 314. ipsis Atto restituit. Huic Gozfredi comitis ad preces Rodulfus rex plurima concessit pridie id.
935. Dec. regni 13. Ipse vero mense Augusto an. 12
947. Ludovici IV regis Norduino militi suo, filio
Chart. XX, col. 314. Eptini vicecomitis & Grimaldis uxoris, bona quædam sita in villa Tuciaco concessit. Partem capitis & brachium S. Cyrici obtinuit a Guidone episcopo Autissiodorensi. Obiit ex necrologio III id. Maii.

XXXVII. Gaubertus.

Gaubertus *al.* Gozbertus Grinserio vasallo suo dimidium mansum dedit in terra S. Agricolæ
948. mense Martio Ludovici IV anno 12. Circa
Ch. XXI, col. 315. idem tempus, nempe regnante Ludovico an. 12 mense Octobri canonicis sancti Cyrici plurima donavit Liutgardis. Dedit Siguino & uxori ejus
Ch. XXIII, col. 316. Hilariæ id quod S. Cyrici ecclesia habebat in comitatu Nivernensi in villa Artado & in comitatu Autissiodorensi in villa de Patriniaco anno
Ch. XXIV, col. 317. 2 Lotharii mense Aprili. Eodem anno Theoderico clerico quasdam res subditas S. Cyrico in pago Matisconensi concessit. Recensetur inter Burgundiæ præsules qui anno 955 miserunt commonitorium ad Manassem Arelatensem archiepiscopum & ejus provinciæ episcopos. Biennio ante nempe 953 Nevernis civitas capta fuit & incensa ex chronico Masciacensi. Obiit Gaubertus calendis Septembris ex necrologio Nivernensi.

XXXVIII. Gerardus.

Pro anima Gerardi episcopi Ardebaldus & Eremburgis uxor ejus dederunt ecclesiæ S. Cyrici res de sua hereditate, consentiente Natranno episcopo an. 25 Lotharii regis.

XXXIX. Natrannus.

Ex abbate S. Petri Vivi, S. Remigii Senonensis ac Ferrariensis soluta magna pecunia quam ex dilapidatis dictarum abbatiarum bonis collegerat, si fides Clario scriptori chronici S. Petri

A Vivi, Nivernensem obtinuit episcopatum Natrannus anno saltem 959, quo Johannes papa XII 959.
ad eum transmisit excommunicationem a se latam in Isnardum invasorem bonorum S. Symphoriani Æduensis. Natranno Nivernensem eccle- Ch. XXV, col. 317.
siam regente, duas curtes ecclesiæ sancti Cyrici donavit Berta comitissa mense Maio Lotarii regis anno 12 nempe anno 966. Quædam 966.
dedit Adraldo ex hereditate quam sibi Antidius cognatus ejus dimiserat, anno 15 Lotharii regis, Ch. XXVII, col. 319.
mense Februario 969 vel 968. Ipsius ad preces 969.
Rodulfus S. Symphoriani prælatus canonicis S. Cyrici quædam largitus est. Occurrit adhuc in
B charta de qua in Gerardo mense Novembri anno 25 Lotharii regis. Denique Natrannus ut penuria 978.
laboranti ecclesiæ suæ succurreret, plures canonicis Ch. XXVIII, col. 319.
ecclesias donavit ea lege ut anniversarium suum celebrarent & communiter viverent anno 32 Lotharii regis mense Martio; qua de re laudatur in chartis duorum successorum. Sed hæc epocha conciliari nequit nec cum morte Lotharii qui obiit 2 Martii 986, nec cum morte Natranni qui defunctus legitur VI cal. Martii in necrologio; charta autem data legitur mense Martio, nec cum Rocleno successore qui occurrit jam anno 982, nisi dicamus errasse chronographos Cla-
C rium & Odorannum, quorum alter dedicationem ecclesiæ Senonensis tribuit anno 983, alter ante annum 999 factam scribit; nec cum Gindrico Lingonensi qui chartæ subscriptus obiit 980. Melius forte legitur in alio apographo, quod præ manibus habemus, annus 25 Lotharii regis, id est 979. Obiit autem Natrannus VI. calendas Martii ex necrologio, ut diximus modo, & sepultus est in ecclesia monialium B. Mariæ.

XL. Roclenus.

Hugonis III quintus antecessor Roclenus consecrationi ecclesiæ Senonensis adfuit. Altaria Ch. XXIX, col. 320.
D quoque Natranni ad exemplum ad supplementum victus canonicorum largitus est anno 1 Ludovici V mense Aprili. Eodem ferme tempore quædam 980.
jugera terræ dedit Bercherio cuidam & ejus Ch. XXX, col. 321.
uxori. In concilio Romano suspensus est anno 998 quod Stephanum Aniciensem episcopum 998.
cum Dagoberto Bituricensi archiepiscopo consecrasset. Dedit Ermengardi vineam in villa Patriniaca anno 2 Roberti regis mense Septembri. Dedit Evrardo nepoti suo canonico S. Cyrici ecclesiam S. Germani in villa Germiniaco an. 5 1001.
regis ejusdem mense Julio. Ecclesiam de Verenis, de dominio episcopatus sequestratam, suis paren-
E tibus ad periculum animæ suæ dispertiisse legitur Roclenus nomine tantum episcopus, in notitia ecclesiæ Nivernensis apud Mabillonium diplomaticæ p. 595, quam eidem restitui curavit Hugo III.

¶ De Gerardo, quem post Coquillæum & Cotignonem Rocleno substituunt anno 1013. Sammarthani, diximus post annum 955.

XLI. Hugo II.

Hugonis vicecomitis Nivernensis & Elisa- DE CHAMP-ALEMAN.
bethæ filius Hugo, germanus autem Hugonis vicecomitis, Leonis & Raginaldi, & patruus

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Hugonis decani & post episcopi Nivernensis, ex canonico Autissiodorensi episcopus Nivernensis factus anno 1013, Cluniacensibus Aureæ-vallis
Ch. xxxi, col. 322. monachis terram S. Cyrici sitam in pago Autissiodorensi dictam *Vivenz* concessit mense Julio
1016. Roberti regis anno 20. Subscripsit litteris Hel-
1023. moini episcopi Æduensis Flaviniaco donantis
1026. cellam S. Georgii Colchensis anno 30. Albuino terram in villa S. Benigni, ut olim Gausbertus
1028. decessor, Adelardo largitus est anno 32. [Herimanni & Natranni antecessorum quoque ad
Ch. xxxii, col. 322. exemplar ecclesiæ suæ abbatiam in honorem S. Troesii confessoris consecratam & ecclesiam S. Francovei in pago Nivernensi cum duobus ibi altaribus, de quorum uno charta a Roeleno
1023. antecessore suo facta fuerat, ut canonici communiter viverent, dedit anno ordinationis suæ XI].
Ch. xxxiii, col. 324. Duo altaria canonicis concessit mense Decembri
1029. Roberti regis anno 33. Subcripsit fundationi
1032. ecclesiæ S. Dionysii de Vergiaco anno 1032, indict. XV, Henrici regis anno 2. Subscripsit & chartæ Helmuini episcopi Æduensis Corbiniacense cœnobium Flaviniacensi restituentis anno
1034. 1034. Concilio Bituricensi adfuit anno 1040
1040. & subcripsit donationi ab Aymone archiepiscopo factæ monasterio S. Sulpicii. Subscripsit anno
1041. 1041 donationi factæ capitulo ab Isherio. Subscripsit chartæ Hugonis archiepiscopi Bisuntini
1044. pro canonicis S. Pauli VII cal. Aprilis 1044.
1045. Insequenti Henrici regis 15 præposituram, quam
Ch. xxxv, col. 325. Hugo præpositus perverse gesserat & episcopi in manibus dimiserat, canonicis tribuit, qui eidem in compensationem ecclesiam S. Troesii dederunt, quod in Synodo Vercellensi anni 1050
Ch. xxxiv, col. 324. confirmavit Leo IX. Odiloni Cluniacensi abbati reformandam commisit abbatiam S. Salvatoris
1047. anno 1045, VIII id. Nov. Interfuit anno 1047 dedicationi S. Mariæ Santonensis. Adstitit synodis
1048. Senonensi & Trecensi an. 1048 subscripsitque diplomati Henrici regis pro cella sancti Aigulfi Pruvinensis unita hoc anno cœnobio S. Petri
1049. Trecensis. Concilio Remensi adfuit an. 1049, ubi confessus est à suis parentibus plurimum pecuniæ pro episcopio datum se tamen inscio, eoque adepto nonnulla ecclesiasticæ religioni contraria commisisse ....., ideoque officium episcopale velle dimittere potius quam in ejus retentione animam suam pessumdare. Quæ ubi dixit, pastorale pedum ante pedes ipsius apostolici posuit. Ille vero tanti viri flexus devotione ... illi per aliud pedum ministerium episcopale reddidit post datum sacramentum quod absque suo consensu pecunia hæc data fuisset. Leonem post concilium secutus Hugo, synodo Romanæ adfuit
1050. an. 1050 & paulo post Vercellensi. Ejus obtentu Henricus rex concessit B. Roberto fundatori Casæ-Dei ut istud monasterium abbatia fieret anno
1052. 1052. Memoratur in litteris regis ejusdem pro
1053. restituenda S. Victoris abbatia anno 22 regni calendis Maii. Sacro Philippi regis interfuit X cal.
1059. Junii 1059 eodemque anno concilio Romano, ubi ipsi & aliis episcopis injunctum, ut monachorum Vindocinensium & sancti Albini causam cognoscerent, de qua ejus litteræ in synodo Burdegalensi anni 1068 lectæ fuerunt. Litteris quibus Isembardus episcopus Aurelianensis præbendam in ecclesia sua Cluniacensibus circa id tempus largitus est, subscripsit Hugo episcopus Nivernensis & ecclesiæ Aurelianensis abbas & canonicus. Ecclesiam S. Stephani a S. Columbano pro monialibus in suburbio Nivernensi fundatam, tunc vero partim vetustate, partim incendio aliisve necessitatibus eo redactam, ut vix parietes superessent, cujus mediam partem Hugo nepos suus clericus & decanus a Willelmo comite tenebat, canonicis B. Silvestri papæ Romani regulam tenentibus concessit an. 1063. Hæcque donatio in concilio Cabilonensi anno 1064 confirmata fuit XVI cal. Sept. in octavis B. Laurentii, cui adfuit Hugo & lecta in festo sequenti Nativitatis B. Mariæ in ecclesia S. Stephani. Denique subscripsit Hugo an. 1065, Philippi regis V, VII cal. Febr. chartæ Gauzberti militis pagi Wastinensis ecclesiam nomine Kadelatam Floriacensibus monachis donantis. Eodem anno Roma rediens, ubi duobus conciliis adfuerat, obiit in via anno episcopatus 54, & in Parodiana abbatia honorifice sepultus est VIII id. Maii. Memoratur nonis Maii in martyrologio Autissiodorensi.

(Spicil. t. VI, p. 452. — Ch. xxxvi, col. 326. — 1063. — 1064. — 1065.)

XLII. Malguinus.

Ex archidiacono episcopus Malguinus cum Willelmo comite Hugone decano patruisque ejus Hugone vicecomite & Leone ecclesiam S. Stephani, dono Geraldi canonici eidem loco præsidentis, Cluniacensibus concessit an. 1068. 1068.
Obiit calendis Junii ex necrologio, anno 1074 & sepultus est in ecclesia S. Stephani, prout jusserat.

(Charta xxxvii, col. 329.)

XLIII. Hugo III.

Hugonis II qui canonicis abbatiam S. Troesii largitus est, nepos Hugo tertius, per syncopen aliquando dictus Hugertius, necnon Godefridi episcopi Autissiodorensis, qui eum presbyterum initiavit, ac Hugonis vicecomitis & Leonis ac Ragenaldi, ex decano Nivernensi & præposito Autissiodorensi, communi cleri & populi consensu licet invitus & coactus Nivernensem suscepit episcopatum, cujus possessionem iniit calendis Nov. 1074, eademque die in ecclesia S. Cyrici 1074.
testamentum suum condidit, quo mediam bonorum quæ de episcopatu suo proventura erant partem legat canonicis noctu diuque Deo servientibus, alteriusque medietatis partem unam peregrinis & viduis in domo Dei S. Desiderii infirmis, aliam monachis S. Stephani, quorum in ecclesia sepulturam eligit. Abbatiam sanctorum Vincentii & Agricolæ de consensu Gaufridi Autissiodorensis episcopi patrui sui qui eam de ipso tenebat, canonicis S. Cyrici dedit apud Aurelianos in crastino Paschæ VIII id. Aprilis 1075.
rege Philippo concedente. Gaufrido patruo Autissiodorensi episcopo animam exhalanti vocatus adstitit 1076. Subscripsit litteris Philippi regis 1076.
ecclesiam S. Symphoriani Æduensis Floriaco donantis an. 1077. Consuetudines ab antecesso- 1077.
ribus injuste impositas in villa Viringia dimisit canonicis,

(De Champ Alleman. — Charta xxxviii, col. 329. — Ch. xxxix, col. 330.)

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

canonicis, quibus & dedit ecclesiam SS. Lupi A
& Gildardi, sicut & filios Alehesii de valle xv cal.
1079. Sept. 1 feria cum sub ulmo sua sedens consideret.
1080. Concilio Meldensi adfuit 1080 & subscripsit litteris Gaufridi Mauritaniæ comitis monasterium S. Dionysii de Nogento Rotrodi Cluniacensibus
1081. largientis. Concilio Exoldunensi adfuit an. 1081 & subscripsit chartæ Richardi Bituricensium archiepiscopi majori monasterio donantis ecclesiam de Briva. Alteri adstitit concilio Meldensi anno
1082. 1082. Terram in burgo S. Stephani, censum
Charta XL, col. 331. & parochiam sancti Agricolæ una cum capitulo tradidit monasterio S. Stephani, & Willelmus comes qui illud rædificare nitebatur concessit B ecclesiæ S. Cyrici terram Parigniaci XIII cal.
1083. Junii 1083. Subscripsit litteris Willelmi Niver-
Char. XLI, col. 331. nensium comitis abbatiam S. Victoris in suburbio sitam monachis B. Mariæ de Charitate subjicientis
1085. anno 1085, postquam Henricus Francorum rex eam penitus liberam fecisset & ab omni requisitione de se & de suis successoribus reddidisset absolutam, dum ad Podium sanctæ Mariæ exer-
Ch. XLII, col. 332. citum duceret. Dedit monachis de Parriciaco terram in villa Poliaco in territorio Augustodu-
1089. nensi & societatem cum iis iniit anno 1089 v id. Januarii, fer. IV. Ejurato episcopatu monasticam induit cucullam in monasterio sancti C Stephani, ubi defunctus IX cal. Dec. cum Roberto Autissiodorensi episcopo & Johanne *Leclerc* regni cancellario sepultus jacet in sacello S. Sepulcri ubi nunc coquina. Reliqua quibus de canonicis & ecclesia sua bene meritus est vide apud Mabillonium diplomaticæ pag. 595, ubi pro anno
1110. 1110 lege circa 1090.
1090. Robertus ille de quo diximus modo, erat episcopus Autissiodorensis, non Nivernensis, ut volunt Sammarthani, qui eum Hugoni subjiciunt
1094. in Nivernensibus ad annum 1094, quo anno eum etiam in Autissiodorensibus annumeraverant.

XLIV. WUIDO *al.* GUIDO.

Metropolitano a consecrationibus tunc suspenso, Hugonis in locum electum Widonem apud
1096. Æduos consecrare disposuerat an. 1096 Hugo Lugdunensis primas, hancque ad consecrationem invitavit Ivonem Carnotensem, qui epistola 61 proximam provinciæ synodum VII cal. Nov. celebrandam causatus & potestatem cathedræ non sacris locis propter personas, sed propter sacra loca personis concessam, infert episcopum intra provinciam & a comprovincialibus consecrandum esse. Wido autem Hugonis III successor
Ch. XLIII, col. 332. interfuit donationi ecclesiæ sancti Stephani factæ E Cluniaco a Guillelmo Nivernensi comite &
1097. dedicationi ejusdem idibus Dec. 1097. Widone
Ch. XLIV, col. 336. sedente canonici S. Cyrici abbatiæ S. Laurentii & S. Hilarii per manum Dongionis primi abbatis dedere ecclesiam SS. Lupi & Gildaldi, quam ab Hugone III habuerant. Obiit Wido III cal. Maii.

XLV. HERVÆUS.

In electione Nivernensium, inquit Ivo Carnotensis ep. 76, se studia partium diviserunt, itaque Daimberto Metropolitano auctor fuit Ivo ad futuram synodum differendam, ut tunc evidentius discuterentur & eligentium studia & electorum merita, illeque modis omnibus præferretur qui majoribus studiis juvaretur & meritis. Habita quidem est synodus illa anno 1099, 1099.
ut liquet ex epistola ejusdem 79, in eaque ad Ivo Carnot. ep. 79
Dominicam proximam ante Natale Domini indicta Nivernensis episcopi consecratio. Hervæus ille est ex archidiacono factus episcopus, qui adstitit canonicorum generali capitulo IV non. Ch. XLIV, col. 336.
Maii fer. 6 indict. VIII anno 1100 secundum 1100.
Dionysium. Querelam habuit anno eodem cum Guillelmo comite, qui homines S. Cyrici in expeditionem duxerat, pro quibus satisfecit comes XIII cal. Julii fer. 3. Querelam habuit & cum Leoterico de villis Caloveo & Ars, qui calumniam dimisit in domo episcopi XIX cal. Sept. fer. 3 Guillelmo comite ad latus episcopi sedente. Ad- Ch. XLV, col. 337.
stitit capitulo VII cal. Julii fer. 5 anno 1103. 1103.
Concilio Trecensi interfuit anno 1104, ubi 1104.
subscripsit privilegio monasterii Molismensis IV non. Aprilis. Adfuit an. 1108 sacro Ludovici 1108.
Crassi, & ejusdem chartæ subscripsit multa conferentis ecclesiæ Floriacensi, ubi nuper Philippus rex ejus pater sepulturæ mandatus fuerat. Cum Humbaldo episcopo Autissiodorensi & Guillelmo comite Nivernensi composuit lites, quæ inerant inter Pontium abbatem Cluniacensem & Norgandum episcopum Æduensem, de ecclesiis Cluniacensibus sitis in diœcesi Æduensi, an. 1109 1109.
mense Februario. XVI cal. Maii, & VI id. Augusti memoratur in necrologio.

XLVI. HUGO IV.

Ex eremo assumptus Hugo IV, subscripsit chartæ Willelmi comitis jus spoliorum defuncti episcopi post mortem Hervæi pro se & heredibus suis dimittentis. Transegit anno 1111 VIII id. 1111.
Aprilis cum Bernardo Matisconensi episcopo de D jure in ecclesiam Candaverris. Huic & aliis vicinis episcopis scripsit XII cal. Januarii Paschalis II ut monachos Vizeliacenses protegerent. Huic & scripsit Cono sedis apostolicæ legatus anno 1119, ut Nivernensem comitem moneret 1119.
perpetrata a suis in ecclesiam Vizeliacensem sacrilegia emendare. Una cum capitulo duos instituit præbendarios qui quotidie sacrificium pro Ch. XLVI, col. 337.
defunctis offerrent, *quatenus pro illis quorum quotidiano*, inquit, *beneficio sustentamur, quotidianum sacrificium corporis & sanguinis Christi offerretur.* Querelam habuit cum canonicis de duobus prandiis ab episcopo seu præsente seu absente debitis in festis Omnium sanctorum & Natalis Domini, quæ eis firmavit Hugo. Ecclesias quoque de Disesia, S. Parisii de Castro, &c. ipsis dedisse legitur in necrologio, ubi memoratur v cal. Martii.

XLVII. FROMUNDUS.

Religiosus erat sancti Martini Nivernensis ex decano S. Cyrici, cum cathedram episcopalem consequi meruit Fromundus. Adfuit donationi factæ monasterio beatæ Mariæ de Charitate an. 1121 in Assumptione B. Mariæ. fundavit 1121.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

anniversarium Hervæi decessoris patronatumque A plurium ecclesiarum donavit canonicis, qui prandium commune in die ipsius anniversarii statuerunt.
Ch. XLVII, col. 338. S. Martini ecclesiam multis beneficiis, decimis
1129. & ecclesiis auxit, quas probavere Honorius II
Ch. XLVIII, col. 339. bulla data v cal. Maii 1129 & Innocentius II
1130. anno 1130. Memoratur hoc ultimo anno in
1142. charta Cluniacensi & 1142 in Matisconensi.
Ch. XLIX, col. 340. Donatam a canonicis ecclesiam de Chosma
1143. confirmavit 1143, sicut & decimam de Sar-
Ch. L, col. 341. masia monachis S. Stephani, quibus plurima contulit bona. Moniales in abbatiis S. Agricolæ, S. Laurentii, S. Troësii & S. Genesii seu S. Mariæ viventes in unam S. Mariæ, quæ etiam sancti B Genesii dicitur adunavit. Exemtus est e vivis III cal. Dec. ut fert necrologium S. Martini, ubi jacet ad latus sinistrum ante altare S. Martini. Martyrologii hæc sunt verba: *Obiit piæ recordationis dominus Fromundus Nivernensis episcopus, qui una cum magistro Bernardo ecclesiæ S. Cyrici præcentore, cum ipse esset decanus ejusdem ecclesiæ, domum istam ab Vuandalorum persecutione penitus destructam, sancto præventus Spiritu, reparavit: in qua etiam religionis habitu suscepto, sub regulari tramite aliquandiu vitam suam & mores coercens, postmodum cathedram episcopalem in hac urbe, divina providente clementia consequi meruit, quam strenue* C *regere satagens, plantationem suam pia sollicitudine fundatam, Domino incrementum dante, radicatam assiduis beneficiis rigare non destitit, ipsam possessionibus quibus potuit, ampliando: eos quos hic Domino serviendos aggregaverat, omni diligentia exhortando, ut professionis suæ memores, ad æternam patriam toto mentis affectu ac desiderio festinarent, in incessu, statu, habitu, in omnibus motibus suis nihil agentes, quod fraternam caritatem & oculos divinæ Majestatis offenderet: & sic plenus operibus bonis, & eleemosynis digne administrato episcopatus sui officio, propitia sibi superna pietate, & B. Martini, cui omni devotionis studio servierat, subvenientibus meritis, ad* D *cælestem gloriam creditur pervenisse.*

XLVIII. GAUFRIDUS.

1146. Nivernis non erat episcopus anno 1146, auctore S. Bernardo epist. 246, quia forte tres erant. Id colligitur ex ejusdem epistola 275 ad Eugenium III papam, in qua sic loquitur de ecclesia Autissiodorensi: *Mementote quomodo actum sit Nivernis, & videte si non simili arte, imo fraude non dissimili eodemque auctore* (comite Nivernensi) *ut aiunt, & nunc secunda electio præsumta est, ut scilicet uno nominato duos ejiciant, & sic denum tertium quem volunt subinducant.* Et E in fine epistolæ 276: *Dixi & iterum dico, mementote quod factum est Nivernis, ordinatissimum est minus interdum ordinate aliquid fieri.* Unde colligi posse videtur tres anno 1146 electos fuisse Nivernenses episcopos, Raimundum qui hoc anno memoratur a Sammarthanis aliisque, Hugonem aut Bernardum qui cum Bartholomæo Catalaunensi præcentoris functus est officio in dedicatione ecclesiæ Catalaunensis facta ab Eugenio III, VII cal. Nov. 1147, & Gaufridum qui duos evicerit.

Gaufridus itaque cum aliis episcopis aderat quando Humbertus episcopus Æduensis aperuit capsam S. Lazari 20 Octob. die dominica post festum S. Lucæ anno 1146. Cum Aimerico Claromontensi sigillo suo munivit conventionem factam inter Archembaldum dominum Borbonii & Petrum abbatem Cluniacensem pro libertate Silviniaci anno 1147. Præsens fuit donationi 1147.
factæ monasterio Caritatis a Pontio filio Theoderici de Monte-podio in cœmeterio B. Mariæ de Collingis anno 1148. Testimonium tulit 1148.
coram Eugenio III in causa inter episcopum Chart. LI,
Æduensem & abbatem Vizeliacensem. Anno col. 341.
1156 approbavit fundationem prioratus de 1156.
Guispeio per Seguinum de Tornella factam, ejusdemque confirmationis testis fuit. Unus est ex episcopis quibus idem pontifex & Anastasius successor mandarunt ut denuntiarent sententiam excommunicationis adversus comitem Nivernensem. Dedit anno 1158 ecclesiæ Nivernensi 1158.
decimas de Chevenone pro suo anniversario. Superstes adhuc an. 1159, quando Guillelmus 1159.
comes Nivernensis filius Guillelmi comitis in Carthusia conversi, ecclesiæ S. Cyrici satisfecit pro injuriis ipsi illatis ab exercitu suo. Obiit XVI cal. Martii.

XLIX. BERNARDUS.

De S. Salvio dictus Bernardus ab oppido DE S. SAUGE.
cognomine sito in comitatu Nivernensi, cujus erat aut dominus aut oriundus, constitutionem edidit cum capitulo de censibus ecclesiæ debitis an. 1160, III id. Febr. Cum thesaurario & 1160.
sacrista cathedralis dotavit luminaria quæ ante primarium S. Cyrici altare die noctuque accenduntur anno 1161. Confirmavit eodem factam 1161.
inter Rodulfum de Bosco & Rainaldum priorem Caritatis conventionem. Alexandro III apud Montempessulanum aderat an. 1162 excom- 1162.
municanti in festo Ascensionis Octavianum antipapam. Ad Bernardum tresque alios præsules exstat Alexandri III epistola apud Clarummontem nonis Julii data de vexatione facta Vizeliacensibus per Willelmum comitem Nivernensem quam dicit summus pontifex interdicto in terram comitis comprimendam esse. Eadem de re scripsit Bernardo Hugo Senonensis archiepiscopus ut excommunicatum comitem denuntiaret. Missus est Bernardus cum Rotrodo Rotomagensi archiepiscopo in Angliam a Ludovico juniore ad Henricum regem pro reconciliatione S. Thomæ Cantuariensis. Idem etiam utrique mandavit negotium Alexander III. Concilio Bellovacensi adfuit an. 1166. Adstitit judicio apud Vize- 1166.
liacum lato anno 1167 contra hæreticos Popli- 1167.
canos deprehensos. Alexandro III suis testatus est litteris anno 1169 legatos ipsius Gratianum 1169.
& Vivianum promissis regi Angliæ datis non stetisse in negotio reconciliationis Thomæ Cantuariensis archiepiscopi cum hoc principe. Paulo post a summo pontifice mandatum accepit instandi apud dictum regem ut pacem Thomæ redderet & quæcumque ablata restitueret, qua in legatione Rotroco archiepiscopo Rotomagensi datus est

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

collega, quorum industria & zelo anno 1170 A
mense Julio sedem suam & regis gratiam recu-
1170. peravit Thomas. Hoc autem 29 Decemb. anni
ejusdem occiso, novum ab Alexandro mandatum
accepit Bernardus pergendi in Angliam cum
archiepiscopo Bituricensi ad absolvendum nomine
pontificis quosdam episcopos qui infirmitate
prohibebantur mare transfretare ad absolutionem
a pœna recipiendam. Subscripsit confirmationi
omnium bonorum a Willelmo comite avo do-
Char. LII, col. 343. natorum monasterio S. Stephani factæ a Guidone
1171. comite anno 1171, ab eoque Cluniacensibus
restitutæ eidem ecclesiæ. Biennio post Wido
comes pro bono servitio quod sæpe ipsi fecerat B
Char. LIII, col. 344. Bernardus, dedit ei Premeriacum castrum cum
1173. facultate illius muniendi anno 1173. Cum
Stephano Æduensi episcopo arbiter fuit anno
eodem inter abbatem Reomaensem & abbatissam
Rubei-montis. Eodem tempore subscripsit chartæ
ejusdem comitis pro advocatia abbatiæ Corbi-
niacensis. Adfuit venditioni feodi de Caritate
factæ a Widone comite monachis Cluniacensibus
1174. anno 1174. Subscripsit anno eodem concordiæ
& paci inter ducem Burgundiæ Hugonem &
Widonem comitem Nivernensem initis. Adfuit
donationi Pontiniacensibus a Widone comite
1175. factæ anno 1175. Occurrit anno eodem in C
1176. charta S. Martini. Præerat adhuc anno 1176.
Canonicis suis legavit ecclesias S. Leodegarii,
de Fogeray, *de Belisnes*, Possignolii, Domni
Martini & S. Perusii, & consuetudines in cœ-
meterio de Varennis. Obiit XIX cal. Febr. cujus
anniversarium notatur mense Augusto.

L. THEOBALDUS.

Ex decano episcopus Theobaldus cum Ste-
phano Æduensi episcopo memoratur in charta
Hugonis *de Châteauchinon* & Aremburgæ uxoris
1177. pro Rigniaco anno 1177. Concilio Lateranensi D
1179. interfuit anno 1179. Guillelmo episcopo Autis-
1180. siodorensi testamentum condenti adstitit 1180.
Memoratur eodem in charta Rainaldi Nivernensis
pro Fonte-Morigniaco. Præsens fuit eodem de-
1182. cimæ restitutæ S. Stephano. Occurrit an. 1182
in charta sancti Martini. Unde mirum *Johannem*
episcopum Nivernensem cum Theobaldo abbate
Cluniacensi convenisse Henricum juniorem An-
gliæ regem cum litteris ipsis a summo pontifice
directis ut patrem & filium ad pacem provocarent,
sin minus rebelles auctoritate apostolica compes-
cerent; sed rege decedente ejus exsequias cum
aliis episcopis apud Grandimontem celebrasse
1183. fer. 3. post octavas Pentecostes 1183, annoque E
eodem Johannem adstitisse VII calend. Octobr.
consecrationi Henrici archiepiscopi Bituricensis.
Id legitur in chronico Gaufridi Vosiensis apud
Labbæum, t. II, pag. 337. 338 & 339. Ast
vel error est chronographi, vel binominis erat
1185. Theobaldus, qui testis fuit anno 1185 confir-
mationis privilegiorum & jurium monasterii S.
Ch. LIV, col. 345. Stephani factæ a Widone comite. Fundavit eodem
anno cartusiam de Aponayo. Fundamenta jecit
1187. & altare consecravit anno 1187 ecclesiæ S.
Valeriæ in suburbio sitæ, ad ecclesiam S. Troësii
translatæ an. 1601. Judex anno eodem a summo ANNI CHRISTI
pontifice dictus est inter Johannem priorem S.
Stephani Belnensis & fratres hospitalis Jerosoly-
mitani. Ecclesiæ S. Cyrici tecta lapide fictili
resarcivit anno 1188. Terram Charneiam datam 1188.
anno eodem monachis de Caritate confirmavit.
Eodem Theobaldo nepoti thesaurario S. Cyrici
confirmavit servum quem ipse olim capitulo
dederat. Obiit Theobaldus VII cal. Maii. Sanctæ
recordationis dictus in charta successoris pro
ecclesia S. Valeriæ.

LI. JOHANNES I.

Ex decano quoque episcopus Johannes, T.
Cambonensi præposito confirmavit ecclesiam
S. Valeriæ a Theobaldo inchoatam 1188.
Coram Johanne episcopo Petrus comes & uxor
Agnes agnoverunt die Pentecostes 1190 se 1190.
non habere *gistum* in terra canonicorum sancti
Cyrici, ut jam professi fuerant Willelmus pater
& Willelmus filius comites, & ratam habuerunt
donationem pro anniversario Guidonis comitis &
capellani institutionem. Eodem anno Johannes
cum Hugone Autissiodorensi episcopo arbiter
fuit compositionis inter episcopum Paris. &
ecclesiam S. Exuperii. Approbavit anno 1192 1192.
factam monasterio Caritatis venditionem. Adfuit
testamento Agnetis uxoris Petri comitis in gra-
tiam monachorum de Caritate anno 1193. 1193.
Memoratur eodem in charta Bellæ-vallis. Laudavit
1195 donationem factam monasterio de Fonte- 1195.
Morigniaco ab Hugone de sancto Leodegario.
Fundavit 1196 & instituit collegium canoni- 1196.
corum ecclesiæ S. Marcelli de Premeriaco, ubi
defunctus XVII cal. Julii, jacet in choro ante Ch. LVI, col. 346.
majus altare sub tumulo lapideo, cui superposita
pontificis figura.

LII. GALTERUS.

Ex archidiacono Trecensi Nivernensis epis-
copus Galterus memoratur in chartis B. Mariæ
de Caritate annis 1196 & 1199. Dedit hoc 1199.
ultimo chartam de dono quod Guillelmus de
Brena fecit Pontiniaco. Memoratur anno 1200 1200.
in chartis Fontis-Morigniaci. Eodem subscripsit
chartæ Hervæi comitis & Matildis uxoris pro
monasterio de Caritate. Insequenti ordinavit 1201.
fundationem præbendarum sancti Leodegarii de Ch. LVII, col. 347.
Tanneo. Mense Januario anni 1202 ad instar 1202.
Petri Senonensis archiepiscopi & aliorum episco-
porum comprovincialium scripsit pro recipienda
bulla Innocentii III data in gratiam liberorum,
quos Philippus Augustus ex Agnete susceperat.
Obiit Galterus anno eodem II Januarii.

LIII. GUILLELMUS I.

Galtero defuncto, electus est a canonicis DE S. LAZARO.
Guillelmus de Silligniaco decanus Autissiodo-
rensis, qui præ modestia recusavit; Guillelmus
autem de S. Lazaro Nivernensis episcopus, sedi
apostolicæ satisfacturus, quam ob rem nescimus,
nuncium ad summum pontificem destinavit.
Innocentius vero itineris quidem laborem ei
relaxavit, sed archiepiscopo Senonensi scripsit

Digitized by Google

ANNI CHRISTI ut eum ad cautelam suspenderet, XVII cal. Aprilis A
indict. V. Occurrit Guillelmus anno 1205 in
1205. charta Fontis-Morigniaci. Adstitit elevationi cor-
poris S. Benedicti apud Floriacum mense Julio
1207. 1207. Memoratur anno eodem mense Octobri
Ampliss. collect. t. 1, col. 1080. in chartis thesauri. Jus in regalibus a Philippo
Augusto mille libris emit an. 1208, qui illud ei
Ch. LVIII, col. 348. cessit præter exercitum & procurationes, & con-
1208. cessit ut præbendæ sede vacante remanerent in
manibus decani & capituli ad opus futuri episcopi.
Cum H. decano & G. cantore discordantes
conciliavit M. abbatem Castriduni & priorem
1209. de Nogento anno 1209. Eodem confirmavit
mense Julio factam a Gaufrido de Pagis dona- B
tionem monasterio Caritatis. Eodem adversus
Albigenses cruce signatus est. Regi cessit anno
1212. 1212 omnes homines *de Berry & Aubigny*,
Ampliss. collect. t. 1, col. 1109. quos impetebat super servitute propriorum cor-
porum per curiam christianitatis, ea lege ut rex
alios redderet, vicissimque spopondit rex illi
redditurum homines de corpore qui ab ipso
1213. recederent. Memoratur anno 1213 mense Ja-
nuario in chartis Chalivei & S. Martini. Inter
præsules sui temporis illustris Guillelmus non
minori pietate quam effusa in pauperes caritate
& munificentia effloruit. Cathedralem S. Cyrici
multis bonis locupletavit & auxit. Structuram C
chori ex opere lapideo suis impensis affabre
admodum & ornate ædificavit eo quo nunc
conspicitur schemate ad orientem, cum prius
esset ad occidentem. Sub ejus pontificatu statuitur
inter canonicos panis distributio. Eximiam ejus
& miram in pauperes caritatem plerique coætanei
chronographi celebrant, paucos aut nullos sibi
similes relinquentis: nam cum dira fames per
Galliam grassaretur, singulis diebus eum duo
millia pauperum aluisse produnt. Migravit ad
Dominum XIV cal. Junii in vigilia Ascensionis
1221. 1221, qua die anniversarium ejus in ecclesia
majore solemniter recolitur ejusque elogium in D
capitulo ab uno e canonicis pronuntiatur decreto
& fundatione ejusdem capituli seculo XVII factis.
Sepultus est in choro cathedralis tumba lapidea
eminenti, ubi in signum sanctitatis (pius enim
a Galesinio dicitur in martyrologio ad 5 Martii)
cœnotaphio ejus in festis solennibus thus adoletur.
Circa tumbam hoc ejus legitur epitaphium:

Quem lapis iste premit, regale perenniter emit.
Jura sequens, lenis, parcus sibi, largus egenis.
Solvitur in cineres Petri non degener heres
Gratia quem Christi domni præfecerat isti.

LIV. Gervasius.

DE CHÂTEAU-NEUF. Gervasio barone nobilissimo & Mabilia Hu-
gonis domini de Castello-novo in pago Time-
rensi filia parentibus natus Gervasius, ex canonico
Carnotensi creatus episcopus Nivernensis, ab
1222. Honorio III consecratus est an. 1222. Eodem
anno una cum capitulo permutavit annualia pro
duabus præbendis mortuorum mense Julio cum
abbate & conventu sancti Laurentii. Multa in
commodum ecclesiæ suæ acquisivit. Obiit pridie
nonas Dec. anni ejusdem. Anniversarium habet ANNI CHRISTI
cum Hervæo fratre domino Brueroliarum in
ecclesia B. Vincentii de nemore fundatum ab
Hervæo anno 1222 litteris in quibus Gervasius Ch. LIX, col. 348.
episcopus Nivernensis jam tum mortuus dicitur.
Legavit 20 solidos cœnobio *de Bellomer* mo-
nialium ordinis Fontebraldensis, quos confirmavit
Hugo III dominus Castri-novi ejus germanus
1224 mense Maio. Legavit ecclesiæ Carnotensi
centum solidos annui reditus super pedagium de
Braioto, quos Hugo idem ratos habuit 1224
mense Februario. De Gervasio sic legitur, in
necrologio Carnotensi: *Pridie calendas Martii*
obiit vir nobilis bonæ memoriæ Gervasius de Castro-
novo canonicus Carnotensis, postea episcopus Niver-
nensis, nepos Hervæi comitis Nivernensis qui caput
B. Matthæi apostoli & evangelistæ apud urbem
Constantinopolim acquisitum & inde allatum huic
sanctæ ecclesiæ præsentavit & dedit.

LV. Reginaldus I.

Electus a canonicis Reginaldus, qui electionem DE NEVERS.
suam regi significarunt anno 1222, consecratus
est a Galtero X, Senonensi archiepisc. Cum multis
aliis præsulibus sedebat in synodo Parisiis adversus
Albigenses coacta, quando defunctus est Philippus
Augustus pridie calendas Julii 1223, cujus exse- 1223.
quiis adstitit. Turonis regem Ludovicum cum
turmis militaribus convenit anno 1224 ex jure 1224.
servitii in propria persona regi debiti. Transegit
anno eodem cum capitulo Premeriaci pro decimis.
Concessit anno 1225 incolis loci usum in nemo- 1225.
ribus illius parochiæ. Memoratur anno 1127 1227.
in charta Bellævallis. Animam exhalavit 28 Julii
1230, fundatis duobus anniversariis. 1230.

LVI. Radulfus.

Destituta pastore Nivernensi ecclesia, canonici DE BELVACO.
in unum congregati elegerunt 13 decanum &
18 cantorem: quia vero cantor scientiæ litteralis
expers erat, appellarunt illi ad sedem apostolicam.
Summus autem pontifex Silvanectensi episcopo
& aliis mandavit ut cantorem interrogarent &
capacem si repertus foret confirmarent. Vide de-
cretales, lib. 1, tit. VI de electione & electi potestate,
capite 53, sin minus decanum ecclesiæ præficerent.
Hiccine est qui « anno 1232 Romæ episcopatum 1232.
Nivernensem suscipit quidam magister Radulfus «
Bellovacensis », de Belvaco cognominatus in
necrologio, ita Albericus in chronico. Galtero
Senonensi archiepiscopo obedientiam promisit &
E in suam urbem exceptus est eodem anno 1235. Sammarth.
Memoratur in chartis B. Mariæ Nivernensis annis
1231 & 1233. Dissidium habuit cum monachis 1233.
sancti Stephani quorum in gratiam Guillelmus
sancti Martini Æduensis abbas sententiam tulit
annis 1233 & 1234. Occurrit anno 1237 1234.
in charta Archembaudi de Borbonio. Extat apud 1237.
Fontem-Morigniaci charta anni 1238, quæ sic 1238.
incipit: *Radulfus sola miseratione divina Nivernensis*
ecclesiæ minister. Instituit ad XVII cal. Januarii
festum S. Barbaræ novem lectionum ex necro-
logio, ubi memoratur XIII cal. Dec. VIII vero

Digitized by Google

ANNI CHRISTI cal. Dec. in Bellovacensi, & die VIII Febr. in A
Meldensi.

LVII. ROBERTUS I.

CORNUT. Galteri Senonensis & Alberici Carnotensis
præsulum nepos Robertus episcopus & ipse Ni-
1240. vernensis consecratus est anno 1240 ex Alberici
chronico, eodemque anno reperitur mense Dec.
in chartis thesauri. Circa id tempus Innocentio
IV scripsit pro canonisatione sancti Edmundi
Cantuariensis archiepiscopi epistolam quam habes
Anecdot. t. III, col. 1904. Apud Biturigas
1246. anno 1246 IX cal. Julii statuta quædam sunt
a quo nescio pro ecclesia Nivernensi quæ videsis B
t. IV Anecdot. col. 1069. Robertus autem
occurrit an. 1248 in chartis Fontis-Morigniaci,
1249 in charta B. Mariæ Nivernensis, & 1251
in tabulis Nivernensibus. Obiit 1252 XIX cal.
Febr. forte 1253 ex necrologio.

LVIII. HENRICUS.

CORNUT. Roberto defuncto eligendi in ejus locum epis-
copi facultatem petierunt anno 1252 canonici
Nivernenses a nobilibus viris gerentibus vices
domini regis absentis in regno Franciæ, ex chartis
thesauri; qua obtenta, elegerunt Henricum Ro- C
berti germanum, Senonensem archidiaconum,
quem volunt aliqui nondum consecratum Niver-
nensem biennio post promotum fuisse in Seno-
nensem archiepiscopum, ubi de eo vide. Huic
successit ex actis abbatum S. Germani Autissio-
dorensis, apud Labbæum biblioth. t. I, p. 584.

LIX. GUILLELMUS II.

DE GRANPUY. Ex thesaurario Senonensi electus confirma-
tusque Nivernensis episcopus Guillelmus anno
1254. 1254 monasterio S. Germani Autissiodorensis
1255. restituit anno 1255 domum & dominium *de
S. Caize*, quæ ab annis plus 30 invaserant domini
de Grandpuy. Pridie calendas Augusti in vigilia D
1256. B. Petri ad vincula anno 1256 adfuit concilio
Parisiensi ab Henrico Senonensi archiepiscopo
convocato in causa dissensionum Universitatem
inter & Dominicanos orta ex consiliis Guillelmi
de Saint-Amour, subscripsitque cum cæteris præ-
sulibus litteris datis legatis ab Universitate Paris. ad
papam Alexandrum IV missis eadem de re. Vide
epistolam ejusdem papæ datam 13 Julii anni
1255 ad abbates S. Columbæ Senonensis &
S. Saturi Bituricensis, in qua de eo plura. Scripsit
1259. anno 1259 ad S. Ludovicum regem una cum
multis aliis præsulibus, ut quæ restituere bona E
non poterat pia in opera impenderet. Ecclesiæ
suæ 20 jugera prati Urziaci sita legavit ex necro-
logio Nivern. pro anniversario suo quotannis
celebrando, obiitque die Maii 31 1260 ex
eodem.

LX. ROBERTUS II.

DE MAREBIS, seu DE MARISIIS, al. DE MARZY. Canonicus Nivernensis Robertus jam sedem
episcopalem obtinebat anno 1262, ut constat
ex instrumento ejusdem anni, quo Odo comes
1262. Ch. LXII, col. 350. Nivernensis cum eo & capitulo Nivernensi com-
ponit super valore, pondere ac legalitate monetæ
die martis ante festum Nativitatis B. Mariæ ANNI CHRISTI
Virginis. Anno 1264 cum fundaretur capella
seu vicaria in honorem B. Virginis Dei genitricis 1264.
Mariæ in ecclesia S. Aregii de Dysesia, litteras Ch. LXIII, col. 350.
dedit mense Junio quibus eamdem fundationem
approbat & confirmat. Anno 1265 acriter 1265.
controversum episcopum inter thesaurarium &
sacristam in quem cadere deberent ecclesiæ cathe-
dralis reparationes, quæ controversia ab arbitris
decano, archidiacono & cantore dirempta est.
Fabricæ S. Cyrici centum solidos per singulos
annos in synodo æstiva percipiendos attribuit
anno 1266. Cœmeterium S. Martini benedixit 1266.
anno 1269. Ipso sedente Agnes domina Bor- Ch. LXV. col. 351.
bonensis religiosis ordinis Prædicatorum pro- 1269.
vinciæ Franciæ domos quas Niverni habebat
juxta antiquos civitatis muros & prope domos
decani & canonicorum ad construendum con-
ventum cessit anno 1271. Insequenti excusat se 1271.
per Robertum nepotem suum quod non potuerit 1272.
adesse comitiis magnatum Turonibus a rege Phi-
lippo Audaci dicto convocatorum. Obiit 21 Julii
juxta necrologium S. Cyrici, vel 14 Januarii
si fides martyrologio S. Martini. Apud utrumque
de anno siletur. Dono dederat ecclesiæ suæ ca-
thedrali argenteam statuam S. Cyrici.

LXI. GILO I.

Gilonem de Castro Renardi aut Regnaudi DE CHÂTEAU-RENAUD.
confudisse videntur Sammarthani cum Milone
de Castello, Egidio de Mauclatio & Gilone
de Castello, quibus singulis proprius, quoad fieri
poterit, restituendus est locus, iis exclusis &
resecatis, qui perperam obtruduntur. Itaque Gilo
de Castro Renardi factus episcopus Nivernensis
anno 1273 interfuit provinciali concilio Seno- 1273.
nensi ab archiepiscopo Petro *d'Anisy* convocato
anno 1274, & alteri ejusdem provinciæ anno 1274.
1276 a Gilone *Cornut* celebrato, in quo litteræ 1276.
datæ ad cardinales S. R. E. & ad Innocentium
papam V pro canonisatione S. Ludovici regis.
Obiit ante Natale Domini, nam anno 1277 1277.
vacabat episcopalis sedes Nivernensis ex archiv.
Caritatis.

LXII. GILO II.

Electus Gilo circa annum 1277 aut 1278 DU CHASTELET. 1278.
litteras scripsit anno 1279 die lunæ post festum 1279.
B. Barnabæ apostoli ad Philippum regem, quibus Ch. LXIV,
ratam habuit concordiam a Roberto de Maresiis col. 351.
e decessoribus suis uno cum Odone comite Ni-
vernensi initam. Concilio Senonensi adfuit 1280 1280.
die Mercurii post festum S. Michaëlis. Extant
ad eum Martini IV summi pontificis epistolæ
in regesto Vaticano manu scripto anni 1283. 1283.
Eodem anno mense Maio Nivernensem archi-
diaconatum in duos partitur, quod a successore
confirmatum & plenius ordinatum fuit. Notatur
dies obitus ejus 5 Septembris ejusdem anni.
Humatur in sacello B. Mariæ de Gratia retro
chorum in æde S. Cyrici.

LXIII. GILO III al EGIDIUS.

Mortuo Gilone *du Chastelet* ipso anno 1283 DE MAUCLATIO.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Ch. LXVII, col. 353.

mense Septembri Simon decanus capituli Niver-
nensis dedit litteras ad absentes canonicos die
lunæ ante Exaltationem S. Crucis, quibus eos
certiores facit, post petitam & obtentam a rege
eligendi licentiam, terminum a capitulo præfixum
ad electionem diem esse Lunæ post instantes
octavas S. Dionysii. Duos autem æmulos quorum
nomina ignorantur passus est Gilo, quibus jus
suum in manibus summi pontificis cedentibus,
Egidium de Mauclatio Honorius IV ad ecclesiam
Nivernensem promovit, regique commendavit
1285. pontificatus anno 1. Hiccine est qui ex canonico
Cameracensi factus episcopus Nivernensis legitur
1286. in historia Cameracensi sæculo XIII? Anno 1286
fundationem altaris S. Firmini a decano Simone
1287. factam confirmavit. Insequenti 1287 ratam habet
litteris suis fundationem quarumdam missarum
quæ in ecclesia sancti Petri de Monasterio & S.
Babylæ a tribus presbyteris ad hoc instituendis
debent celebrari, factam a Gardiano ordinis Fra-
trum Minorum Nivern. & fratre Johanne priore
de S. Salvio Nivern. dioec. exsecutoribus testa-
menti defuncti Guillelmi de Edua canonici &
præcentoris Ambianensis, ex chartular. S. Petri
Monasteriensis. Arbiter fuit inter Guillelmum
episcopum Autissiodorensem & Robertum co-
mitem Nivernensem in dissidiis super possessione
1289. Conadæ anno 1289. Archidiaconatum Niver-
nensem in duos divisit majorem & minorem
1293. anno 1293, seu potius de novo ordinavit,
majorique attribuit archipresbyteratus de Vallibus,
de Nivernis, de sancto Petro Monasteriensi, de
Lureyo & de Premeriaco; minori vero archi-
presbyteratus Disesiæ, Molini-Engilberti, Cas-
tellionis & Thiangii. Reperitur adhuc in chartis
1294. anni 1294. At hoc anno capitulum Nivernense
successoris eligendi facultatem petiit post obitum
Egidii, qui memoratur in necrologio nonis Sept.
quamquam in cathedrali ecclesia celebratur anni-
versarium ejus die 28 Julii.

LXIV. Johannes II.

DE SAVIGNY.

Electi a capitulo post Egidium defunctum
Guido de Caritate & Johannes de Garlandis,
a Bonifacio VIII reprobati sunt, quia electionem
sibi servaverat Cœlestinus V eorumque loco ad
episcopatum Nivernensem promotus est anno
1294 Johannes canonicus Carnotensis. Hic
excepit hominium Ludovici comitis Nivernensis
1296. anno 1296 die dominica post octavam Paschæ
prima die Aprilis, eodemque anno Johannis *de
Courtenay*. Anno eodem cum Berengario Biter-
rensi episcopo ad summum pontificem missus
est nuncius remedia ab eo impetraturus calami-
tatibus ecclesiæ Gallicanæ. Delegatus a Bonifacio
VIII ut de facultatibus monasterii Fontis-Ebraldi
& de numero monialium quæ ex reditibus ejus
ali possent inquireret, eas ultra 300 non esse
recipiendas facta inquisitione censuit in vigilia
1297. S. Laurentii 1297. Memoratur in chartis Ni-
1301. vernensibus anno 1301. Subscripsit an. 1305
1305. testamento Margaritæ reginæ Siciliæ. A Philippo
1306. rege potestatem accepit mense Junio 1306 com-
ponendi dissidium inter Jacobum Majoricarum
regem Philippi regis avunculum Ceritaniæ &
Rossilionis comitem ac dominos de Durbanno
ratione castri sui territorii de Salsis. Adfuit anno
1307 XIII cal. Decemb. consecrationi Arberti 1307.
episcopi Claromontensis. Anno exeunte 1308 1308.
comitatus est Clementem V papam quando solem-
niter Tolosam ingressus est, ibique postquam papa
propria manu communionem sacram dedisset
omnibus dominis de Parlamento purpuratis ac
post eos viris capitularibus, ipse episcopus in hoc
vices gerens papæ cæteros qui voluerunt com-
munionem communicavit. Fundavit capellas S.
Theobaldi in castello de Parziaco & S. Juliani
in castello de Premeriaco anno 1309. Dotavit 1309.
quoque capellam in basilica S. Cyrici. Testa-
mentum suum scribi jussit ab Ansello de Monte-
Argi presbytero, curiæ officialis Nivernensis no-
tario an. 1314 die sabbati post festum Pentecostes, 1314.
cujus authenticum exstat in camera computorum
Paris. instituitque primum testamenti sui exse-
cutorem D. Robertum abbatem S. Laurentii
Autissiodorensis. Obiit anno eodem fundato in
ecclesia Nivernensi anniversario 27 Januarii &
4 Junii celebrando.

LXV. Guillelmus III.

BEAUFILS.

Ex oppido Caritatis oriundus Guillelmus, do-
tationem capellæ sancti Ludovici in cathedrali
approbavit dominica ante festum S. Michaëlis
1315. Concordiam fecit cum incolis Premeriaci 1315.
de usu nemorum hujus loci anno 1316. Decessit 1316.
1319, pro cujus anima fit anniversarium in 1319.
cathedrali 2 Januarii.

LXVI. Petrus I.

BERTRAND.

De Petro jam diximus in ecclesia Augusto-
dunensi. Ex decano Aniciensi & cancellario
Johannæ reginæ Franciæ electus Nivernensis
promisit cameræ apostolicæ 11 Febr. 1320 1320.
ex regestis Vaticani. Inauguratus est Parisiis in
ecclesia S. Germani Autissiodorensis ab episcopis
Aurelianensi & Carnotensi adstante S. Germani
a pratis abbate anno eodem. Præsens fuit pactis
inter Johannam Franciæ reginam & Henricum
a Burgundia initis an. 1321. Episcopus Æduensis 1321.
promisit 1 Julii 1322 ex regestis Vaticani. 1322.
Reliqua vide t. IV, col. 408, & t. II, col. 743.

LXVII. Bertrandus I.

VASCO.

Positus in castro suo de Campusanis sui pa-
trimonii Auxitanensis dioecesis Bertrandus Vasco,
episcopus Nivernensis, Johanni Carnotensi diven-
didit anno 1330 die martis ante Purificationem 1330.
domum episcopatus sui sitam Parisiis in vico Judæ
ex authentico. Memoratur adhuc die Veneris post
festum Decollationis S. Johannis-Baptistæ anno
1332 in charta monasterii Reomensis, p. 317. 1332.

LXVIII. Johannes III.

MANDEVILLAIN.

Apud Clarum-montem in Arvernia natus
Johannes, ex clerico regis Caroli IV, canonico
S. Quintini & decano Nivernensi episcopus,
cum aliis præsulibus Philippo regi assidebat anno
1333 dominica quarta Adventus die 19 Dec. 1333.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

quando theologi Parisienses sententiam suam de statu animarum post mortem coram rege aperuerunt. Memoratur 8 Julii & 3 Novembris
1334. 1334 in chartis archiepiscopatus Rotomagensis. Episcopus autem Atrebatensis promisit 17 Octob. ejusdem anni, & post Catalaunensis recognovit 27 Octobr. 1339. Vide utramque ecclesiam, sed maxime ultimam.

Hujus occasione præsulis quem jam bis memoravimus tum inter Atrebatenses, tum inter Catalaunenses, nec sine lapsu aliquo erroris, ob instrumentorum penuriam, observabimus ultimum ex ejus epitaphio recens invento recte assignari diem & locum mortis ejus ac sepulturæ, simulque ordinem sedium episcopalium quibus alterne præfuit. Cum enim tumularetur illustrissimus *Massillon* episcopus Claromontensis anno 1742 repertum est in eodem sepulcro in quo condebatur, plumbeum feretrum charta itidem plumbea indutum cum sequenti inscriptione:

✠ *Hic. jacet.*
bonæ. memoriæ.
Dominus. Joh. Man
davelani. [1]*D. Clar.*
olim. Nivernen. A
trebaten. [2]*D. nu. Ca*
thalaunen. [3]*Epu.*
qui. obiit. [4]*Par. quint*
o. calend. Decembris.
ejus. corpus. fuit. tradi
tum. ecclesiasti. sepulturæ.
die. martis. post. festum.
[5]*Be. Luciæ. anno. Dni. m.º ccc.º*
xxx.º nono.

[1] de Claromonte.
[2] Demum.
[3] Episcopus.
[4] Parisiis.
[5] Beatæ.

ex quo quidem monumento manifeste liquet Johannem Nivernensem primum, tum Atrebatensem ac demum Catalaunensem episcopum fuisse, deinde obiisse Paris. 27. Nov. an. 1339, & sepultum fuisse Claromontii die 14 Decemb. ejusdem anni: ac tandem errare catalogum episcoporum Nivernensium in originibus Claromontii memoratum, cum de eo in hæc verba mentionem agit: *Johannes* de Mandouillan *gente Arvernus, Claromontensis, ex clerico regis Caroli pulchri & canonico S. Quintini factus est postea episcopus hujus sedis quam administrabat 1346, inde Atrebatensis præsul.* Hujus enim epochæ falsitatem demonstrat inscriptio superius descripta quam debemus doctissimo viro domino *Cortigier* canonico ecclesiæ Claromontensis & e societate litteraria ejusdem civitatis. Vide ipsius epistolam ea de re in diario, vulgo *Mercure de France*, Jun. 1756, pag. 81.

Addi potest in confirmationem, si opus sit, extare in tabulario Atrebatensi instrumentum archetypum quo Guillelmus *de Mandevilain* Claromontensis fatetur coram testibus Johannem episcopum fratrem suum, inter alia testamento legata, reliquisse Atrebatensi ecclesiæ, cui olim præfuerat, summam 200 librarum Turonensium, ut recurrente quotannis obitus sui die solemnis missa pro animæ suæ remedio celebraretur. Hanc chartam gallico idiomate scriptam subjicimus: *A tous ceux qui ces lettres verront, Guillaume Gormont garde de la Prevôté de Paris, salut. Sçavoir faisons que par-devant Pierre le Begue & Raoul de Brencour Clercs-notaires-jurés établis de par notre sire le Roi en son Chastelet de Paris, honorable homme & sage Guillaume de Mandevilain bourgeois de Clermont en Auvergne, tant en son propre nom que comme procureur & en nom procuratoire de Bonnet Mandevilain son frère ambe-deux frères & héritiers par bénéfice d'inventaire de bonne mémoire feu monsieur Jehan Mandevilain, jadis évesque de Chastons........ reconnut ledit Guillaume ès noms de lui & dudit Bonnet son frère, que ledit évesque, entre les autres choses contenues en son testament ou derraine volonté, en faisant & ordenant icelui, avoit laissé à l'église d'Arras, dont il avoit été évesque, deux cents livres tournois, &c. en témoing de ce, nous à la relation desdits notaires-jurés, auxquels nous ajoutons pleine foi en ce cas & greigneur, avons mis en ces lettres le scel de la Prevosté de Paris, le dimanche vingtième jour de Février, l'an de grâce mil trois cent trente-neuf.* Hæc charta integra descripta est in transactione anni 1344, 21 Januarii, qua idem Guillelmus pepigit cum capitulo Atrebatensi ut fundatio hujus anniversarii exsecutioni mandaretur. Ex his porro rursus colligitur Johannem episcopum ex hac luce substractum saltem mense Februar. anni 1339 desinentis, id est 1340 ineuntis pro hodierno computandi more.

LXIX. Petrus II.

BERTRANDO DE COLOMBIERS.

De Petro diximus quoque in Atrebatensibus. Petri Bertrandi superioris ex sorore nepos, senator Paris. ex canonico Podiensi forteque ex decano S. Quintini Veromanduensis electus Nivernensis promisit ultima Januarii 1335 ex regestis Vaticani. Possessionem adepturus, solenniter in urbem invectus est per barones episcopatus feudatarios 21 vel 22 Febr. 1337. Excepit anno & mense iisdem hominia Petri Fabri cantoris & Petri de Prouilla scholastici in sacello castri de Premeriaco. Factus Atrebatensis episcopus promisit 5 Aprilis 1339. Vide tom. III, col. 338.

1335.
1337.
1339.

LXX. Albertus.

ACCIAIOLI.

Qui ex Aptensi in Provincia ad Bononiensem in Italia sedem translatus fuerat Albertus aliquando etiam dictus Bertrandus Acciaioli, inde exorto tumultu Avenionem ad summum pontificem confugiens anno 1336 a Benedicto XII factus est episcopus Nivernensis pontificatus anno 6.

LXXI. Bertrandus.

DE FUMELLO

Cameræ apostolicæ promisit Bertrandus 17 Martii 1339 ex regestis Vaticani. Præses erat cameræ inquæstarum Paris. an. 1341, eodemque 1341.
memoratur in chartis Nivernensibus. Sedit in concilio provinciæ Parisiis habito die Mercurii post dominicam *Lætare* 1347. Brachium & os 1347.
S. Arigii e capsa Disesiæ extraxit 28 Maii 1351. 1351.
Et die 10 Martii 1354 concedit collationem 1354.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

curæ de Magniaco stans Ursiaci ex chartulario ecclesiæ Nivernensis. Adfuit comitiis generalibus
1356. regni Parif. habitis mense martio anno 1356. Bertrando tanquam a rege delegato consules Narbonæ ad annum suppeditarunt subsidium ad belli sumptus 4 Aprilis ejusdem anni ex tabulis basilicæ Narbonensis.

LXXII. Reginaldus II.

DE MOLINIS. Reginaldus de Molinis ultimo defunctus episcopus Nivernensis dicitur in litteris regis Johannis datis anno 1362 mense Aprili, & certe

LXXIII. Petrus III.

AUSSELIN DE MONTAIGU. Ordinis S. Benedicti alumnus Petrus, e diœcesi Claromontensi oriundus, electus Nivernensis promisit pro Reginaldo antecessore 7 Septembris
1361. 1361, ex regestis Vaticani. Legatus est a rege
1365. 1 Februarii 1365 ad absolvendam pacem cum Anglo. Adstitit hominio quod Johannes dux Britanniæ præstitit Francorum regi 13 Decemb.
1366. 1366. Missus a rege Meldas 14 Maii 1368
1368. cum duce Bituricensi pro facto belli, accepit 200 libras auri. Eodem anno dicitur generalis electus pro facto subsidiorum ad provisionem & defensionem regni 6 Julii, qua die accepit 1200 libras auri legatus ad summum pontificem; hoc autem in itinere 300 libræ auri assignatæ ei sunt.
1369. Anno 1369 10 Aprilis 1900 auri libras accepit pro hac legatione quam inchoaverat profectus Lutetia 7 Julii anni præteriti. Ejus officii vadia erant 1000 libræ auri. Procurator regis Franciæ adstitit hominio quod Carolo V fecit Ludovicus de Navarra Romæ die penultima
1370. Januarii 1370. Olim vero Nivernensis tunc Laudunensis Petrus cameræ apostolicæ promisit
1371. 16 Januarii 1371 ex regestis Vaticani. Vide tom. IX, p. 549.

LXXIV. Johannes IV.

DE NEUFCHATEL. Nobilis Burgundus Johannes Theobaldi V baronis de Novo-castro & Johannæ Cabilonensis filius, Clementis VII consanguineus & camerarius, ex priore S. Petri Abbavillæi & canonico Æduensi electus Nivernensis promisit & reco-
1371. gnovit pro Petro antecessore 3 Martii 1371 ex regestis Vaticani. Inunctus est a Guillelmo *de Melun* archiepiscopo Senonensi, futurus Tullensis episcopus post obitum Johannis de Hoio
1372. qui contigit 19 Augusti 1372 & cardinalis tit. SS. quatuor Coronatorum 23 Octob. 1383. Hoc ipso anno 1372 cum decano & capitulo
CH. LXVI, col. 352. Nivernensi transegerat de quibusdam juribus controversis die lunæ post festum Assumptionis B. Mariæ Virginis.

LXXV. Petrus IV.

DE VILLIERS. Ex oppidulo Villaris prope Herbiciam diœcesis Trecensis natus Petrus, professione dominicanus, doctor in theologia & Carolo V a Confessionibus, electus Nivernensis promisit & recognovit pro Petro decessore 22 Decembris 1372, ex regestis Vaticani. Adhuc electum ad eum scripsit Gregorius XI anno eodem. Capellam

A collegii Navarrici Parisiis dicavit dominica 16 Octobris 1373. Interfuit solemni conventui habito in Parlamento mense Augusto 1374, ubi Carolus rex edictum promulgavit de regum majoritate. Ab eodem dictus est testamenti sui executor mense Octobri sequenti. Translatus inde ad patriæ episcopatum, promisit 12 Octob. anni ejusdem. 1373. 1374.

LXXVI. Petrus V.

Nobilis Campanus Petrus dominus de Longavilla in diœcesi Autissiodorensi, canonicus Aurelianensis 1331 fundavit anno 1357 capellam DE DENTEVILLE.
B S. Ivonis in eadem ecclesia cujus & vitam scripsit manuscriptam. Electus autem Nivernensis promisit & recognovit 9 Octobris 1374 pro Johanne olim Nivernensi tunc vero Tullensi ante prædecessore suo ex regestis Vaticani. Præsens fuit missamque celebravit cum Ludovicus Caroli V germanus dux Andegavensis & Turonensis comesque Cenomanensis regi fratri præstitit fidem super sacrosanctum Christi corpus 19 Martii
1375. Creatur Burgundiæ cancellarius anno 1375.
eodem. Visitavit anno 1378 tumulum sancti 1378.
Arigii, quo anno Minores in urbem inducti sunt Margarita Flandrensi & Nivernensi comitissa
C fundatrice. Nicolaum de Vitreio officialem creavit
1379 4 Julii. 1379.

LXXVII. Mauricius.

Professione Dominicanus e conventu Autissiodorensi Mauricius, apud Colonias vinosas natus & inde cognominatus, regibus Carolis V & VI a confessionibus majorque Clementis VII pœnitentiarius, electus Nivernensis recognovit pro DE COULANGES-LES-VINEUSES.
Petro antecessore 24 Aprilis 1381. Delegatus 1381.
est a Clemente VII ad examen privilegiorum
S. Illidii 6 Febr. 1382. Ecclesiam suam solem- 1382.
niter ingressus est 29 Junii anni ejusdem. Dele-
D gatus adhuc fuit a summo pontifice ad preces Ludovici ducis Borbonii ad erigendam capellam B. Mariæ de Molinis in ecclesiam collegiatam
12 canonicorum 1386. Cameræ apostolicæ 1386.
solvit penultima Octobris 1391, monitusque 1391.
26 Januarii 1392 solvit pro Reginaldo decessore 1392.
31 mensis ejusdem tempusque obtinuit pro Reginaldo, Petro & Johanne 9 Aprilis. Fundavit anniversarium in cathedrali, ubi defunctus 16
Januarii 1395, quiescit ad sinistram majoris 1395.
altaris, effigiesque ejus sub tumulo marmoreo conspicitur, inscripto hac epigraphe: *Hic jacet dominus frater Mauricius de Colangiis vinosis quon-*
E *dam ordinis fratrum Prædicatorum Autissiodorensium, qui conventuum Parisiensis & Senonensis fuit lector, postmodum illustrissimorum principum Caroli V & VI regum Franciæ confessor, ac domini nostri papæ pœnitentiarius, deinde ecclesiæ Nivernensis episcopus. Obiit anno 1394 die 16 mensis Januarii.*

LXXVIII. Philippus I.

Mauricii nepos Philippus, e conventu quoque Autissiodorensi dominicanus, ducis Burgundiæ confessarius, a quo episcopus Bethleemitanus anno 1388 creatus fuerat post obitum avunculi FROMENT.

cathedram

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

cathedram adeptus ecclesiam suam solemniter A
ingressus est dominica ante dominicam palmarum
1395. anni 1395. Pro Mauricio antecessore promisit
& recognovit 12 Julii ejusdem anni. Cum Petro
Nodeti decano ecclesiæ Nivernensis plures lites
habuit ob collationem, provisionem & omnimodam
Ch. LXVIII, col. 353. dispositionem ecclesiæ parochialis sancti
Desiderii, quæ sententia arbitrali eidem decano
adjudicata fuit die 9 mensis Aprilis an. 1396:
necnon & ob jurisdictionem ecclesiasticam tam
in urbe quam in decanatu Nivernensi præventionalem,
ut vocant, cujus exercitium ad tempus
decano permissum ex senatus Parisiensis consulto
16 Augusti 1396, & transactione inter partes B
inita sabbato 1 Maii anno 1400. Hominium
excepit pro terra Romeroni in parochia *de Chaluzi*
1396. 2 Septembris 1396. Corpus sancti Theobaldi
confessoris e tumulo levavit in prioratu de Bellomonte
& in basilicam S. Germani Autissiodorensis
transtulit die Mercurii post Pascha anno
1400. 1400. Obiit eodem anno plenus dierum &
meritorum.

LXXIX. ROBERTUS III.

DE DANGEUL. Milonis decani Carnotensis & canonici Parisiensis
germanus Robertus, ecclesiarum Parisiensis
& Carnotensis canonicus, archidiaconus Paris. C
& Carolo regi ac Philippo Burgundiæ duci a
secretis & eleemosynis, ex archidiacono Nivernensis
episcopus a metropolita Senonensi inau-
1401. guratur anno 1401. Ecclesiam fratrum Prædi-
1405. catorum dedicavit anno 1405. Concilio Parisiis
1406. habito anno exeunte 1406 pro tollendo schismate
interfuit, & appellationi ab Universitate Paris.
factæ in vigilia Nativitatis Domini ad concilium
generale adhæsit 29 Decembris. Concilio Pisano
1409. adfuit 1409. Memoratur in tabulis Nivernen-
1412. sibus 1412, 1423, 1425 & 1429. Ecclesiæ
1423. suæ præbendam puerorum chori ad usum appli-
1425. cuit. Vita fungitur 1430, fundato prius anni- D
1429. versario solemni in ecclesia Parisiensi, cujus in
1430. obituario recolitur VII cal. Augusti & VIII cal.
Decembris in necrologio S. Genovefæ, qua die
defunctus est ejus germanus Milo, quicum capiceriæ
S. Genovefæ plurima legaverat. Sepultus
est Robertus in majori ecclesia S. Cyrici in qua
plures missas fundavit. Eminenti tumulo ex lapide
picto ad latus dextrum principis aræ superposita
ad vivum effigies est, ibique hoc legitur epitaphium:
*Hic jacet reverendus in Christo pater dominus
Robertus de Dangello quondam permissione
divina hujus ecclesiæ Nivernensis episcopus priusque
ejusdem ecclesiæ archidiaconus & ecclesiarum Paris.* E
*& Carnotensis canonicus prabendatus, ac illustrissimorum
principum dominorum Caroli regis Franciæ
& Philippi quondam ducis Burgundiæ consiliarius,
qui obiit anno Incarnationis Domini 1430 die 22
mensis Julii, cujus anima in pace requiescat.*

LXXX. JOHANNES V.

GERMAIN. Roberto defuncto, ad electionem futuri episcopi
diem 22 Septembris anno 1430 præfixere
canonici, a quibus electus Petrus *de Pougues*
episcopatum obtinuit an. 1430 ex Sammarthanis,
& cessit sequenti. Et certe Nivernensi ecclesiæ
vacanti per obitum Roberti episcopi providit
Martinus V de persona Johannis *Germain* presbyteri
secularis, decani ecclesiæ Divionensis,
magistri in theologia XVIII cal. Januarii 1430,
ex regestis Vaticani. Natus is apud Cluniacum
in via *d'Avril* parochiæ S. Maioli civibus modicis,
ad maximas dignitates virtute sibi aditum fecit.
Duci enim Burgundiæ a consiliis, cancellarius
quoque ordinis Velleris aurei fuit, quo nomine
a duce Burgundiæ assignati ei fuere 150 franci
mense Januario 1431, & 275 concessi ultima 1431.
Decembris 1432 pro sumptibus ejus consecra- 1432.
tionis; electus enim adhuc dicitur 11 Aprilis
in regestis Vaticani. Ter tempus obtinuit ad
præstandam regi fidem a die 1 Februarii 1431
ad 2 Octobris 1433. Hoc ultimo anno a duce 1433.
Burgundiæ orator legatus ad concilium Basileense
accessit 16 Martii, ubi tanta peroravit eloquentia
die 16 Junii 1434, ut proximus post reges 1434.
duci datus sit locus. Adstitit instrumento pacis
factæ inter regem Franciæ & ducem Burgundiæ
ut concilii legatus 5 Novembris 1435. Insequenti 1435.
ad ecclesiam Cabilonensem translatus est per translationem
Johannis Cabilonensis ad Æduensem
XIII cal. Septembris 1436, ex regestis Vaticani. 1436.
Vide tom. IV, col. 930.

LXXXI. JOHANNES VI.

Galcherii regi a consiliis nobilitate donati VIVIEN.
mense Januario 1374 filius Johannes *, frater
autem natu minor Johannis decani S. Germani
Autissiodorensis apud Parisios, canonicus ecclesiæ
Parisiensis & archidiaconus de Belna in ecclesia
Æduensi, translato ad Cabilonensem ecclesiam
Johanne, factus est ab Eugenio IV episcopus
Nivernensis penultima Augusti 1436, ex regestis
Vaticani, ubi electus adhuc dicitur 2 Octobris
Eugenii IV anno 6, statimque ejus præbenda
in ecclesia Parisiensi collata fuit Guillelmo *Chartier*
Alani historici germano. A Burgundiæ duce
delegatus est orator ad concilium Florentinum
anno 1439. Obiit anno 1444. Habet anni- 1439.
versarium in cathedrali, quod fundavit 9 Nov.

LXXXII. JOHANNES VII.

Roberti Johanni Biturigum duci a consiliis D'ESTAMPES.
& Jaquetæ *Roland* filius Johannes, germanusque
Johannis Carcassonnæ & Guillelmi Condomiensis
episcoporum, ex thesaurario Nivernensi, Præcentore
Bituricensi, canonico Carnotensi, Biturigum
ducis consiliario libellorumque supplicum
magistro, juxta pragmaticam sanctionem electus
a canonicis probante rege, cui erat a consiliis, &
a metropolitano Senonensi confirmatus, æmulum
passus est & vicit Johannem *Tronçon* archidiaconum
Brucellensem in ecclesia Cameracensi,
factum episcopum Nivernensem ab Eugenio IV

* Johannes *Vivien* Autissiodori natus, ejusque ecclesiæ canonicus anno 1411, tum canonicus S. Germani Autissiodorensis & ecclesiæ majoris apud Parisios, electus episcopus Autissiodorensis a canonicis anno 1426, cedere coactus est Johanni *de Corbie*. Factus est deinde episcopus Nivernensis, si sit idem. Ita historicus Autiss. t. I, p. 517 & t. II, p. 538.

ANNI CHRISTI

per obitum Johannis VIII id. Octobris 1445. A
1445. A Ludovico *de Melun* Senonensi archiepiscopo
inauguratus 20 Novembris sequentis, regi fidem
juravit apud Chinonem 12 Decembris. Urbem
1446. suam festivo apparatu ingressus est 29 Maii 1446.
Ortæ tamen propter duos contendentes seditiones
1447. annis 1447 & 1448, quas sedandi ergo Carolus
1448. dominus *de Culant de Châteauneuf* cum marescallo
de Jalaignes fratre suo Nivernum petiit. Memoratur
autem Johannes 16 Februarii Nicolai V
1449. anno I in regestis Vaticani, & 1449 in chartis
B. Mariæ Nivernensis. Cum episcopo Condomiensi
& Johanne *d'Estampes* germanis dictus
1455. 22 Januarii 1455 executor testamenti Johannis B
d'Estampes fratris ipsorum, episcopi Carcassonensis,
generalis consiliarii ærarii regii, 600 libras Turo-
1457. nenses a rege accepit 4 Febr. 1457 pro pensione
annua a rege Carcassonensi episcopo concessa
anno 1451. Concilio Senonensi adfuit 3 Martii
1461. die Martis post dominicam *Reminiscere* 1461.
Cessit eodem & decessit 24 Decemb. sepultusque
est in cathedrali cum Johanne episcopo Carcassonensi
in capella S. Catharinæ ab ipso dotata, in qua visitur epitaphium litteris aureis exaratum quod ex gallico sic habet: *Hic jacent reverendi patres in domino Johannes* d'Estampes *permissione divina episcopus Carcassonensis, consiliarius regis* C *Caroli VII & ærarii ejus generalis, qui decessit Nivernis in palatio episcopali 25 Januarii 1455. Dominus Johannes* d'Estampes *ejus germanus episcopus Nivernensis & consiliarius ejusdem regis Caroli, defunctus est 24 Decemb. 1461. Hi condidere istam capellam & fundavere missam quotidianam hora Primæ, &c.*

LXXXIII. PETRUS VI.

DE FONTENAY.

Guidonis baronis *de Fontenay* domini Turris in Vaivra & Johannæ *d'Estampes* Johannis germanæ filius Petrus, canonicus & cantor Bituricensis, abbas Bellævallis & prior Luperciaci burgi D in diœcesi Nivernensi, electus episcopus per cessionem Johannis IX cal. Octobr. 1461, ex regestis Vaticani, urbem solemniter ingressus est
1462. 4 Aprilis 1462. Memoratur 1473 & 1481 in
1473. chartis B. Mariæ Nivernensis, 1480 in Carno-
1480. tensibus, 1482 in regestis Vaticani, & 1485 in
1481. tabulis Meldensibus. Hoc autem ultimo concilio
1482. Senonensi adfuit. Exstruxit capellam in ecclesia
1485. cathedrali quæ nomen ejus retinet, in qua plures
missas fundavit, ubi nunc missarum sacristia.
Exstruxit & basilicæ australem portam ac plurima
1490. donavit. Testamentum condidit 1490 in quo
heredem dicit Guillelmum *de Fontenay* dominum E
de Turre fratrem, & episcopis Nivernensibus
legat domum suam Parisiis sitam in claustro veteri
S. Genovefæ, hujusque ordinationis curatorem
1499. adlegit Petrum *de Fontenay*. Mortuus an. 1499,
jacet in sacello ducum quod anno 1590 constructum
est. Hoc ejus epitahium laminæ cupreæ incisum olim conspiciebatur:

In reverendi atque piissimi quondam Nivernensis præsulis domini Petri de Fontenayo in utroque jure doctoris deflendum ab omnibus interitum.

Ecce Nivernæo Petrus memoratur in orbe,
Qui fonte a Nayo nobile nomen habet.
Præsul erat prodesse volens præesseque nolens,
Sic onus huic placuit, non vitiosus honor.
Sic nova fulgebat geminati gloria juris,
Ornabatque gradum pagina sacra suum.
Elata non mente fuit, miseroque popello
Porrexit larga plurima dona manu.
Assidue sincera Deo libamina fudit,
Contentusque suas pastor alebat oves.
Hujus in hoc fragili putrescit pulvere corpus,
At pius æthereo spiritus axe viget.

Obiit die 3 Junii anno Domini 1499, episcopatus sui 39, ætatis vero suæ 66.

5 Ferrandus Dalmeida natione Italus aut Iber, sub Alexandro VI summo pontifice Romæ officio præfectus, eligitur Nivernensis episcopus a Ludovico XII commendatus, cui pergratum fecerat quod in curia Romana dirimendo ejus matrimonio cum Johanna Francica Ludovici XI filia industriam navasset operam, at non confirmatus interiit anno 1500.

LXXXIV. PHILIPPUS II.

DE CLEVES.

Protonotarius apostolicus Philippus, idemque commendatarius sancti Martini Nivernensis & sancti Wandregisili Fontanellensis, electus est Nivernensis per obitum Ferrandi 24 Januarii
1500, ex regestis Vaticani. Insequenti retenta 1500.
ecclesia sua cum monasterio S. Martini electus est
Ambianensis XVII cal. Julii 1501, regique 1501.
qua Ambianensis fidem juravit Lugduni 12
Augusti anni ejusdem. Nivernum ingreditur 20
Novembris 1502. Transfertur ad Æduensem 1502.
9 Augusti 1503. Obiit 5 Martii *al.* 30 Maii 1503.
1505, ætatis 36, de quo annales Cliviæ Ver- 1505.
nheri Teschemnacher. Vide t. IV, col. 423, &
t. X, col. 1204.

LXXXV. ANTONIUS.

DE FEURS.

Johannis *de Feurs* in Matisconensi territorio & Antoniæ *de Sachins* filius Antonius, protonotarius apostolicus, prior *d'Iregny*, abbas sancti Leonardi Ferrariensis, præses cameræ inquisitionum in parlamento Parisiensi, major archidiaconus Nannetensis & Lugdunensis decanus, episcopus Nivernensis ultima Maii 1505 in regestis Vaticani. Regi fidem juravit Blesis 8
Februarii 1505, id est 1506, ex regestis 1506.
cameræ computorum, obiit anno 1507, 12 Sept. 1507.

LXXXVI. JOHANNES VII.

BOHIER.

Austremonio barone *de Saint-Cyr* & Beralda de Prato, Antonii cardinalis & Franciæ cancellarii amita, parentibus natus Johannes, germanum habuit Antonium cognominem cardinalem. Ex canonico Claromontensi, canonico & cantore Parisiensi, senatore Parisiensi & classis inquisitionum præside, electus & confirmatus Nivern.
episcopus, regi fidem præstitit 24 Aprilis 1508, 1508.
ejusque præbenda Paris. Imberto *de la Platière*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI 1512. collata fuit 31 Julii. Possessionem nactus est 29 Octobris anni ejusdem. Instauravit castrum de Premeriaco & obiit 30 Julii 1512.

LXXXVII. IMBERTUS.

DE LA PLATIÈRE. E dominis *des Bordes* prope Nivernum, cujus familiæ Imbertus *de la Platière*, dominus *de Bourdillon* Franciæ marescallus sub Carolo IX rege, editus Imbertus, nepos erat Petri *de Fontenay* episcopi Nivernensis, prior S. Eligii Parisiensis, consiliarius Parlamenti, canonicus Parisiensis ab anno 1508 & decanus Nivernensis cum electus episcopus, consecratus est ab archiepiscopo Seno-
1513. nensi 9 Januarii 1513. Regi fidem dixit Blesis
Ch. LXX, col. 355. 2 Februarii, & ecclesiam suam ingressus est sabbato 12 mensis Novembris ejusdem anni.
1519. Obiit Parisiis 11 Februarii 1518 (1519) cujus relatum corpus sepelitur in cathedralis capella B. Mariæ de Gratia, in qua plures missas fundavit, & in choro anniversarium.

LXXXVIII. JACOBUS I.

D'ALBRET. Johannis de Lebreto domini de Aurea-valle, comitis Drocensis & Retelensis, Campaniæ proregis filius naturalis Jacobus, commendatarius Nigrilacus & S. Basoli, decanus Catalaunensis, bullis Romæ datis ultima Februarii 1504, a Francisco I primus hujusce sedis episcoporum nominatus secundum concordata a Leone X per obitum Imberti instituitur 13 Martii 1519, & regi fidem jurat penultima Aprilis sequentis. Interfuit concilio Senonensis provinciæ Parisiis
1528. habito anno 1528. Religiosos sancti Victoris
1531. Parisiensis accivit anno 1531 ad reformandum S. Martinum. Obiit in domo sua apud oppidum
1539. S. Amandi in Biturigibus 22 Aprilis 1539, *al.* dominica in festo Cathedræ sancti Petri 22 Februarii 1540. Humatus dominica 7 Martii in choro juxta pulpitum a latere dextro, cujus exsequias accuravit Maria *d'Albret* ducissa Nivernensis.

LXXXIX. CAROLUS I.

DE BOURBON. Administrator Nivernensis ecclesiæ a rege nominatus Carolus anno 1539, episcopus legitur
1540. per obitum 5 Julii 1540 in regestis Vaticani, ibidemque annos natus 22 administrator ecclesiæ Nivernensis cum retentione ecclesiæ Santonensis
1545. 23 Januarii 1545. Factus est postea cardinalis & archiepiscopus Rotomagensis, ubi de eo plura.

XC. JACOBUS II.

SPIFAME. Ex antiqua gente Parisiensi Johannis domini de Passu & *de Bisseaux* ex Jacqueta Ruzæa quinto genitus Jacobus, germanus Johannis abbatis de Victoria Silvanectensi, libellorum supplicum magister & præses in camera inquisitionum, ecclesiæ Paris. canonicus atque Academiæ cancellarius, quo tempore Antonius Goveanus dicavit ei defensionem pro Aristotele adversus Ramum, S. Marcelli suburbani & de Gassicurte decanus, necnon vicarius generalis Caroli cardinalis Lotharingi archiepiscopi Remensis & abbas S. Pauli Senonensis, nominatus a rege episcopus Nivernensis, a summo

A pontifice per cessionem Caroli confirmatur 5 Maii ANNI CHRISTI
1546. Urbem solemniter ingreditur 14 Octob. 1546.
1548. Magister requæstarum hospitii regis creatus 1548.
est 14 Octob. 1556. Comitiis generalibus apud 1556.
Luteciam a rege convocatis adfuit 5 Jan. 1557. 1557.
Paulo post in hæresim lapsus dum ad altare Dei fideles communicaret, loco *corpus Domini, &c.* dicebat: accipe figuram corporis Christi, unde a decano fortiter reprehensus est, cujus dignitati idcirco additi honores quibus nunc potiuntur successores. Tandem uxore ducta Jacobus, vel potius concubina ascita anno 1559 ad Genevenses hæreticos ab ecclesiæ Catholicæ castris transfugit, B ubi ex episcopo pistrinarius, tanquam explorator capite truncatur 1565, 25 Mart. quod fortassis, inquiunt Sammarthani, tanti sceleris pœnitentia ductus, Catholicis favere crederetur. Adversus Nicolaum *Durand* scripserat anno 1562.

XCI. EGIDIUS III.

Gailhardo, generali Franciæ ultra Sequanam SPIFAME. quæstore Jacobi germano, & Anna *de Marle* parentibus natus Egidius, canonicus & officialis Nivernensis, decanus sancti Marcelli Parisiensis, præpositus Chableiarum in diœcesi Lingonensi, C abbas S. Pauli & decanus Senonensis, cessione patrui, cujus erat vicarius generalis, fit episcopus 1558, & Romæ confirmatur 27 Januarii 1559. Æmulum passus videtur Carolum *Chantereau*, religiosum S. Augustini, designatum Nivernensem ex epistola ad ducissam Nivernensem scripta 8 Martii 1558 & Romæ confirmatum per ces- 1558.
sionem 24 Aprilis 1559. Attamen Egidius 1559.
ecclesiam suam solemniter adiit calendis Januarii
1561. Concilio Tridentino interfuit an. 1563. 1561.
Franciscam *de Fontenay* B. Mariæ abbatissam 1563.
benedixit 18 Novembris 1564. Defunctus 1564.
Luteciæ 1578, in Cathedralem Nivernensem 1578.
D defertur sepulturæque mandatur in choro ad latus dextrum principis aræ, cujus tumbæ insculpta hæc verba: *Hic jacet reverendus pater in Domino, dominus Egidius* Spifame, *dum viveret episcopus Nivernensis & abbas S. Pauli Senonensis, qui obiit Parisiis 7 Aprilis 1578.*

XCII. ARNALDUS.

Monterichio prope Montem-Albanum natus SORBIN. Arnaldus, litterarum sacrarum scientia, quam & postea multis scriptis illustravit, longe peritissimus, a Georgio primum cardinali Armaniacensi Tolosano antistite fit pastor oppidi S. Fidis, unde illi E inditum cognomen *de Sainte-Foy*, dein ipsiusmet cardinalis alumnus & in ejus contubernium adscitus, ad majores dignitates sibi viam aperuit: Estensis enim cardinalis Ausciensis archiepiscopi beneficio dignitatem theologi metropoli in illa consecutus, ab eodem Armaniacensi cardinali paulo post in ecclesia Tolosana munus idem obtinuit. Adeo autem pius ille theologus pie & scite populos divinis mysteriis e sacro suggestu pavebat, ut omnes in sui admirationem protraxerit Luteciæque inter concionatores primas ætatis suæ facile tulerit. Eam ob rem Carolo IX regi acceptus, illius beneficio a concionibus sacris

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

deligitur, quod officium Henrico III & IV regibus laudatissime semper obivit. Nec quisquam episcopali infula dignior visus est insigniri Sorbino, qui Lutetiæ inauguratus in basilica sanctæ Genovefæ die 22 Julii 1578 a Petro Gondio episcopo Parisiensi, sacro operam navantibus Jacobo *Amiot* episcopo Autissiodorensi & Nicolao *Fumée* Bellovacensi, in ecclesiam suam invehitur 8 Octobris anni ejusdem, cujus curam gessit totis 28 annis, pietatis, eruditionis ac pastoralis disciplinæ singulari exemplo, adeo ut a Genebrardo, sacrati ordinis antistite celeberrimo, inter seculi doctos annumeretur. Carolo IX funebri oratione parentavit in ejus exsequiis, uti & Margaritæ a Francia ducissæ Sabaudiæ, Claudiæ Lotharingæ & Henriettæ Nivernensi ducissis. Præceptoriam cum præbenda univit collegio 20 Julii 1591, & scholasticam archidiaconatui
1595. majori 1592. Missus est Romam anno 1595 ad postulandam a summo pontifice Henrici IV absolutionem. Selectus est unus ex arbitris celeberrimæ illius collationis apud Fontem-bellaqueum habitæ a Jacobo cardinali Peronio adversus
1600. Philippum Mornæum anno 1600. Eodem adstitit 6 Januarii inaugurationi Gaspardi *Dinet* Matisconensis episcopi. Eodem breviarium Nivernense recognovit, in quo primus sanctum Austremonium episcopis Nivernensibus præfixit. Ad palatii episcopalis ornatum & ædificia Nivernis tum Urziaci multa impendit. Unius præbendæ cathedralis proventus collegio civitatis, alteriusque canonicatus de consensu capituli ad sustentationem puerorum chori in posterum constituit. Ejus tempore Minores Recollecti in locum Franciscanorum Nivernis introducti sunt anno 1596,
1601. & Capucini stabiliti 9 Junii 1601. Relicto sui omnibus desiderio, vita functus est Sorbinus anno
1606. 1606, cujus cor in ecclesia Capucinorum quiescit, quibus libros suos legavit, corpus vero, sicut testamento caverat, ante cathedram concionalem in navi majoris ecclesiæ, quam toties suis concionibus illuxerat, sepulcro conditur, tumuloque lapideo effigies repræsentatur, & ad parietem legitur hæc epigraphe: *Hic jacet reverendissimus pater in Domino dominus Arnardus* Sorbin, *dictus de Sancta fide, episcopus Nivernensis, regum Caroli IX, Henrici III & IV a concionibus, qui obiit Nivernis prima Martii 1606, ætatis anno 74, episcopatus 28. Orate Deum pro anima ejus.*

Sorbino sedente, decessit 1603 mense Maio Vidus Coquillius Romenaius Disesiæ in Nivernensi provincia natus, qui magna fide & diligentia, ut de eo loquitur Thuanus, historiam patriam scripsit, accuratissimas de Gallicanæ ecclesiæ juribus observationes jusque municipale proprium interpretatus.

XCIII. EUSTACHIUS I.

DU LIS. Petri gubernatoris Hurepensis territorii & Heliæ de *Saint-Phale* filius erat Eustachius, nepósque Guillelmi urbis & arcis Cantellæ apud Boios præfecti a Francisco I rege. Eleemosynarius Henrici IV, thesaurarius ecclesiæ Nivernensis, & Arnaldi decessoris vicarius generalis, quo in munere annis

A 24 ecclesiasticis diœcesis muneribus cum laude perfunctus est, Blesensibus regni comitiis generalibus & cleri Gallicani conventibus sæpius interfuit. Tandem episcopatu Nivernensi ab Henrico magno cohonestatus, pontificiisque Pauli V bullis donatus consecratur 19 Novembris 1606 Meloduni in collegiata B. Virginis ecclesia a Bertrando *Deschaux* episcopo Baionensi, Claudio *Dormy* Boloniensi & Johanne *Bertier* Rivensi episcopis. Ecclesiam suam solemniter ingressus est 9 Decembris sequentis. Synodo Parisiensi adsuit anno 1612, in qua damnatus liber Edmundi *Richer* de ecclesiastica & politica Ch. LXXI, col. 357. 1612.
B potestate. Benedixit primarium lapidem ecclesiæ Minimorum S. Francisci de Paula, quem Carolus de Gonzaga & Catharina duces fundamentis apposuere anno 1607 9 Junii, & postea Eustachius consecravit, uti & sacram Capucinorum ædem 1611 19 Junii. Imposuit quoque petram fundamentalem ecclesiæ collegii Societatis Jesu jam ab anno 1571 fundati a Ludovico & Henrieta ducibus, quam postea dicavit: quemadmodum Benedixit capellam S. Rochi & S. Sebastiani in ecclesia Augustinensium apud sancti Petri monasterium, in qua reliquias S. Hieronymi & aliorum inclusit 15 Septembris 1613, 1613.
C sicut & in ecclesia S. Victoris quam consecravit 8 Novembris 1615. Carolum *de Gonzagues* 1615.
priorem de Charitate immisit in possessionem anno 1620. Ejus adhuc tempore presbyteri Oratorii D. Jesu anno 1618 Nivernis fundati 1618.
sunt, & moniales B. Mariæ de Monte-Carmelo 15 Octobris 1619 a Jacoba *Roy* relicta Claudii 1619.
Gacoing domini *de Verille*, quarum consecravit ecclesiam, sicut & sanctimonialium Visitationis B. Mariæ quæ 21 Julii 1620, & Ursulanarum 1620.
quæ 1622 in urbem admissæ sunt, ex quibus 1622.
exierunt examina ad alios extra urbem conventus & apud Molinum-Engilberti & S. Petrum de
D Monasterio an. 1647 fundandos. Admissi etiam sunt Carmelitæ discalceati anno 1624, fundati 1624.
a Carolo *Roy* sacerdote, senatore Parisiensi, qui defunctus 1623 corpus suum in eorum ecclesia sepeliendum testamento mandavit, ubi habet tumulum marmoreum elevatum cum epitaphio. Minimorum a duce Nivernensi an. 1607 fundatorum ecclesiam consecravit 25 Aprilis 1627. E vivis excessit Eustachius an. 1643 17 1627.
Junii, ætatis 82, episcopatus 37. Sepultus est in 1643.
choro cum epitaphio, cor vero appositum ad cor decessoris in sanctuario ecclesiæ Capucinorum.

E

XCIV. EUSTACHIUS II.

Superioris ex sorore nepos Eustachius, ex DE CHERY.
canonico & thesaurario Nivernensi ac majori archidiacono, ejusdem coadjutor sub titulo episcopi Philadelphiæ inauguratur in ecclesia cathedrali S. Cyrici ab Eustachio avunculo, assistentibus Sebastiano *Zamet* Lingonensi, Dominico *Seguier* Autissiodorensi, & Philiberto *de Brichanau* Laudunensi episcopis, anno 1634. Deinde illi demortuo in episcopatum Nivernensem successit. Interfuerat comitiis regni generalibus nondum antistes 1614, ad cœtum cleri Gallicani Parisios

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

delegatus fuerat episcopus anno 1635. Niver-
nensis vero adsuit comitiis generalibus cleri
1656. Gallicani anno 1656. Laurentium *de Chery* nepotem episcopum Tripolitanum in Syria & coadjutorem Nivernensem consecravit in basilica sanctæ Genovefæ Parisiensis, die dominica 27
1657. Aprilis 1657, adstantibus Petro *de Broc* Autissiodorensi & Petro *Pingré* Tolonensi episcopis. Obiit autem nepos ante patruum, qui cessit anno
1666. 1666 in gratiam sequentis, defunctus in castro Premeriaci, quo secesserat an. 1669, ætatis 79. Corpus Nivernum allatum eodem quo avunculus tumulo locatum, cor vero ad sanctum Martinum delatum, cujus canonicis regularibus primus clericos commiserat in seminario instituendos.

XCV. Eduardus I.

VALOT. Regii archiatri filius Eduardus, Sorbonæ doctor & commendatarius Novigenti, sancti Maurini Aginnensis ac S. Albini in Bosco, episcopus Nivernensis a rege nominatus 8 Septemb. 1666 per cessionem Eustachii, permutatione facta pro prioratu S. Reveriani, Romæ proclamatur in
1667. consistorio 7 Februarii 1667, & Parisiis inungitur 28 Augusti a Ludovico *de Gondrin* Senonensi archiepiscopo, assistentibus Petro *de Broc* Autissiodorensi & Johanne *de Maupeou* Cabilonensi episcopis, in sacello Sorbonæ. Regi fidem dixit 14 Julii anni ejusdem. Canonicis regularibus ablatum, presbyteris Oratorii demandavit seminarium. Consecravit ecclesiam hospitalis
1681. generalis 14 Sept. 1681, & virginum Car-
1686. melitanarum 15 Octob. 1686. Habitum dedit sororibus Caritatis christianæ in ecclesia hospitalis
1688. generalis 11 Julii 1688, earumdemque regulam
1698. approbavit 6 Februarii 1698. Alteri in suburbio Ursulinarum parthenoni assensum præbuit 28 Februarii 1695. Obiit Luteciæ 3 Septembris
1705. 1705, ætatis 68, sepultusque est in ecclesia Clarissarum *de Ave Maria*, ibidem.

XCVI. Eduardus II.

BARGEDÉ. Natus apud Corbiniacum Eduardus patre Gaspardo ibidem Ballivio, post administratas tres in diœcesi parochias, factus ecclesiæ majoris cantor & canonicus, tum Eduardi I vicarius generalis, ejusdemque dein coadjutor 15 Augusti 1705 & abbas Belli-loci, a rege denique nominatur episcopus Nivernensis 1 Novembris 1705, &
1706. inauguratur Parisiis 2 Maii 1706 in ecclesia noviciatus Jesuitarum ab episcopo Adurensi, assistentibus Glandevensi & Valentinensi episcopis. Interfuit generalibus cleri Gallicani comitiis
1715. anno 1715. Seminarium in prioratu S. Salvatoris constituit, ibique regendos juniores clericos Jesuitis credidit. Nominatus est a rege abbas S. Sigiranni anno 1710 cum facultate commendæ reditus episcopatui uniendi. Obiit in sua diœcesi
20 Julii 1719, ætatis 68. Fidelium precibus 1719.
a capitulo commendatus die 30 eorumdem mensis & anni, & in choro sepultus.

XCVII. Carolus II.

Patria Aurelianensis Carolus, filius Annæ *Fontaine* toparchæ *des Montées*, regi a consiliis & secretis, & Franciscæ *Boyetet de Merouville*, decanus S. Crucis Aurelianensis & consiliarius clericus in parlamento Parisiensi, nominatur a rege episcopus Nivernensis 27 Augusti 1719, & propositus Romæ 18 Septembris, inunctus est Parisiis 12 Novembris in ecclesia Carmelitarum discalceatorum a veterano episcopo Trecensi, adstantibus Nannetensi & Claromontensi episcopis. Regi fidem dixit 26 eorumdem mensis & anni. Commendatarius S. Sigiranni abbatiam uniri procuravit mensæ episcopi Nivernensis 19
Augusti 1721. Consiliarius honorarius sedit in 1721.
Parlamento Parisiensi 22 Novembris 1723. 1723.
Comitiis generalibus cleri Gallicani Parisiis adstitit annis 1726, 1734 & 1735. Præsulum 1726.
Franciæ de suo longe ditissimus, omnia ecclesiæ 1734.
suæ & pauperibus, quamdiu vixit, erogabat, 1735.
quibus moriens plurima largitus est. Bibliothecam suam canonicis S. Martini regularibus ita legavit, ut ea diœcesanis presbyteris dato chirographo utendi foret facultas. Obiit meritissimus præsul
Parisiis 20 Februarii 1740, annum incohans 1740.
78. Corpus in ecclesia sacerdotum Oratorii, vulgo dicta *l'Institution*, sepultum, cor vero ad Carmelitas discalceatos delatum. Vide tom. VIII, col 1512.

FONTAINE DES MONTÉES.

XCVIII. Guillelmus IV.

D'HUGUES. Ex vicario generali archiepiscopi Ebredunensis Guillelmus, a rege nominatus est episcopus Nivernensis mense Septembri 1740. Proclamatus Romæ 8 Novembris, sacratur Parisiis 5 Martii
1741 in sacello seminarii S. Sulpicii ab archi- 1741.
episcopo Senonensi, adstantibus Diensi & Aginnensi episcopis. Regi fidem dixit 8 eorumdem mensis & anni, a quo ad metropolim Vien-
nensem traductus est 4 Aprilis 1751. 1751.

XCIX. Johannes-Antonius.

TINSEAU. E Bellicensi ad Nivernensem ecclesiam translatus a rege 4 Aprilis 1751 Johannes-Antonius, fidem ei dixit 13 Augusti anni ejusdem. Consecratus fuerat 12 Septembris anno 1745, prius vicarius generalis diœcesis Bisuntinæ & abbas Betaniæ diœcesis ejusdem ab anno 1743.

PRÆPOSITI ECCLESIÆ NIVERNENSIS.

I. Leodeganus subscripsit chartæ Franconis episcopi anno 5, regnante Carolo mense Januario 894.

II. Floterius in charta Rocleni episcopi.

III. Æmardus in chartis ejusdem annis 2 & 5 Roberti regis.

IV. Ebrardus in chartis Hugonis episcopi annis 20 & 32 Roberti regis. Obiit VII cal. Septembris ex necrologio.

V. Wido præpositus & archidiaconus in charta Hugonis episcopi anno 33 Roberti regis.

VI. Hugo memoratur in charta Hugonis II

episcopi pro Cluniaco anno 1045. Verum dilapidatis capituli bonis, in manibus Hugonis episcopi munus & dignitatem dimisit, ea lege ut reditus præposituræ canonicis ad victum ce- A derent, quod episcopus concessit & apostolica auctoritate firmavit Leo IX in concilio Vercellensi anno 1050. Exstinctis abhinc præpositis successere.

Ch. xxxv, col. 325.

DECANI NIVERNENSES.

I. GAUFRIDUS *de Champ-aleman* decanus erat anno 1045, factusque est episcopus Autissiodorensis anno 1052. De eo legitur in necrologio: *XVI cal. Octobris obiit Gaufridus Autissiodorensis episcopus & hujus ecclesiæ abbas & decanus.*

II. Hugo nepos Hugonis II episcopi Nivernensis, Gaufridi episcopi Autissiodorensis, Hugonis vicecomitis Nivernensis, Leonis & Ragenaldi fratrum, de consensu Hugonis patrui ponit in monasterio sancti Stephani canonicos S. Silvestri an. 1063. Cum Malguino episcopo ecclesiam S. Stephani Cluniaco concessit anno 1068. Factum diximus episcopum an. 1074.

III. Wibodus *alias* Guibaudus occurrit anno 1080, & 1083 in charta Hugonis III.

IV. Petrus 1089, de quo in necrologio: *Nonis Augusti obiit D. Petrus decanus in via Jerosolymitana.*

V. Teterius 1100.

VI. Pontius 1103, VII cal. Julii fer. 5 rege Philippo. Obiit 19 Octobris 1104 in partibus Jerosolymitanis, quo pietatis ardore perrexerat.

VII. Fromundus subscripsit chartæ comitis Guillelmi spolia episcoporum post mortem Hervæi relaxantis anno 1110. Domum S. Martini a Vandalis destructam reparavit, in ea habitum religionis suscepit, factus postea Nivernensis episcopus, ut diximus.

VIII. Hugo subscripsit chartæ Fromundi episcopi pro monachis S. Stephani an. 1141. Sunt qui duos distingunt decanos nomine Hugonis, quorum primus cognominatus *Olivier* circa obitum Fromundi cucullam induit Cluniacensem in monasterio S. Stephani, successorem nactus alterum Hugonem qui adfuit satisfactioni, quam Guillelmus comes Willelmi comitis in Cartusia conversi filius anno 1159 canonicis S. Cyrici fecit pro injuriis ab exercitu suo illatis, qui terras eorum vastaverat. Decretum cum capitulo sancivit III id. Februarii 1160 contra canonicos census capitulo debentes nec solventes.

IX. Theobaldus cujus tempore Willelmus comes concessit canonicis eamdem quam pater suus concesserat facultatem vindemiandi quando voluerint. Adfuit confirmationi bonorum a Guillelmo comite concessorum monasterio S. Stephani factæ a Guidone comite 1171. Testis fuit donati 1173 ab eodem comite Premeriaci Bernardo episcopo. Præsens fuit venditioni feudi de Caritate factæ a Widone comite Cluniacensibus ejus loci an. 1174. Ex decano fit episcopus.

X. Johannes memoratur anno 1180 in chartis S. Stephani, 1182, 1187 & 1188 in chartis Theobaldi episcopi. Ex decano quoque factus est episcopus.

XI. Arnulfus in charta Petri comitis Nivernensis & Agnetis uxoris pro canonicis sancti Cyrici occurrit cum Renaudo abbate S. Martini, Remundo Bituricensi & Hugone Aurelianensi decanis in die Pentecostes 1190, & adhuc 1193.

B XII. B. occurrit anno 1198 in chartis capituli. Hiccine est qui in concilio Senonensi a Petro cardinali legato apostolico anno 1198 suspensus est propter hæresim Poplicanam Manichæorum sobolem.

XIII. H. decanus cum G. episcopo & G. cantore conciliavit M. abbatem Castri-duni & priorem de Nogento anno 1209. Approbavit quoque cum toto capitulo permutationem factam a Gervasio episcopo cum G. abbate S. Laurentii annualium pro duabus præbendis mortuorum mense Julio 1222, ibique vocatur Hugo. Ch. LIX; col. 348.

XIV. Raimundus anno 1228 mense Januario C occurrit in charta Guidonis comitis & Matildis uxoris ejus, memoratur & 1235. De eo in necrologio: *Pridie non. Octobris obiit Raymundus hujus ecclesiæ decanus & postea Parisiensis archidiaconus.*

XV. Adam 1240 & 1250 in chartis Autissiodorensibus, notatus IV cal. Januarii & VI cal. Maii in necrologio.

XVI. Simon memoratur anno 1278. Statutum edidit 1290 de septem vicariis ad horas diei persolvendas.

XVII. Odo 1301.

XVIII. Johannes *Mandevillain* decanus mense Septembri 1332 in regestis cameræ compu- D torum, Parisiensis dein episcopus.

XIX. Oudardus *de Fontenay* decanus Nivernensis ac magister Requæstarum hospitii domini regis anno 1348.

XX. Bernardus Magaldi anno 1366.

XXI. Guillelmus Marteleti, cui & Miloni episcopo Bellovacensi Clemens papa nonis Maii anno 1386 bullam direxit pro emendo collegio de Dacia in gratiam fratrum de Monte-Carmelo.

XXII. Petrus Nodeti annis 1396 & 1400.

XXIII. Nicolaus de Vitriaco anno 1406.

XXIV. Reginaldus *de Fontaines* theologiæ professor & decanus Nivernensis, executor tes- E tamenti Bernardi *de Chevenon* episcopi Bellovacensis 1419 aut 1420.

XXV. Robertus *Tenon* decanus erat anno 1447. Mortuus anno 1455.

XXVI. Johannes Bastardi occurrit an. 1459.

XXVII. Laurentius de Linardo decanus Romanam curiam sequens, judex & executor a sede apostolica delegatur 19 Augusti 1462 induIti quod Guillelmus Fillatre obtinuerat, ut posset per procuratorem visitare dioecesim suam Tornacensem.

XXVIII. N. *Carré* adversus quem datum

Digitized by Google

mense Decembri 1468 de decanatu senatuscon- A sultum.

XXIX. Petrus *Caron* decanus Nivernensis & succancellarius S. Genovefæ ibidem obiit die Veneris 23 Januarii 1478, & sepultus est in navi.

XXX. Johannes *Bourgoin* obiit 1484.

XXXI. Johannes de Nivernis, nothus Johannis *de Bourgogne* comitis Nivernensis, electus per compromissum sabbato penultima Octob. 1484, obiit die jovis 29 Maii, alias die Mercurii 1 Octobris anno 1488.

XXXII. Imbertus *de la Platière* subdiaconus, B prior S. Eligii & consiliarius Parlamenti Parisiensis, decanus erat anno 1488 & 1506, factus postea episcopus anno 1512.

XXXIII. Franciscus *de Cleves* fit a Leone X canonicus & decanus Nivernensis 1513. Occurrit adhuc 1516 & 1523.

XXXIV. Carolus *de Cleves* 8 Julii 1525.

XXXV. Franciscus *le Bourgoin* decanus S. Cyrici, prior commendatarius S. Stephani Nivernensis per cessionem fratris sui Leonardi *le Bourgoin*, decanus erat anno 1531.

XXXVI. Guido *de Fontenay* successit Francisco *le Bourgoin*; quo præcise anno incertum.

XXXVII. Guillelmus *de Paris* dominus *des Philippierres* obiit 19 Februarii anno 1578.

XXXVIII. Johannes *de Roffignac* defunctus C anno 1614, cesserat anno 1613 in gratiam sequentis.

XXXIX. Michaël *Paulet* possessionem accepit 16 Decembris anno 1613, & subita morte raptus est die festo Corporis Christi anno 1643.

XL. Carolus *de Roffignac* anno 1653 cedit in gratiam sequentis.

XLI. Johannes-Henricus *Bogne* capituli benefactor & domus Dei cujus in cœmeterio jacet. Obiit 6 Februarii 1693.

XLII. Johannes *Pinet* subito defunctus anno 1707, quem excepit

XLIII. Nicolaus *Moquot d'Agnion* ex archidiacono Desisiæ decanus. Obiit 1712 mense Junio. Huic suffectus

XLIV. Johannes *de Beze* canonicus S. Cyrici defunctus 1 Julii 1730.

XLV. Ludovicus-Maria *Dollet de Solieres* a canonicis electus decanus mense Julio 1730, abbas Bellæ-vallis a rege designatus est 3 Julii 1737. Obiit anno 1756.

XLVI. Franciscus *Mouchet de Villedieu* electus anno 1756.

Decani nulla temporis nota designati.

Teterius decanus subscribit chartæ Natranni episcopi anno 968, sed tunc decanatus non erat prima capituli dignitas. Donat quoque cum nepote suo Tetgerio canonicis S. Cyrici ad victum & stipendium alodum suum in pago Nivernensi in vicaria Giniiacense, & in villa Tilio quidquid habebat tam ex paterna hæreditate quam ex adquisitione mense Aprili anno XVI regnante Lothario rege. Ch. XXVII, col. 319. Ch. XXVI, col. 318.

Hugo de Castro-Renardi obiit X cal. Aprilis ex necrologio.

Radulfus XVI cal. Maii.

Henricus de Castellione benefecit capitulo & decessit pridie nonas Maii.

Hugo pridie calend. Augusti.

Letaldus idibus Augusti.

Bernardus de Azeio V non. Octobris & V non. Novembris.

Arnulfus *Chauderons* VI id Novembris.

Adamus *de Corvol.*

Wido III id. Novembris.

Gillebertus pridie cal. Januarii.

Elirannus.

Reginaldus *vel* Raynaldus.

DE VETERIBUS ECCLESIÆ NIVERNENSIS MONASTERIIS.

Fuere olim plurima in diœcesi Nivernensi D monasteria, sed ita exstincta sunt ut sola fere supersint nomina. Ecclesia enim Nivernensis tempore rebellionis rebus & mancipiis suis adeo spoliata fuerat seculo octavo, ut nec ad Dei servitium peragendum, nec clericis ibidem Deo servientibus subsidia præbere posset. Præterea partim casu, partim incuria, sive incendii raptu seu negligentiæ incultu instrumenta & chartæ per quæ res & mancipia eidem ecclesiæ collata fuerant, ea tempestate in eadem urbe perierant. Non solum autem Carolus magnus ad preces Hieronymi E res & mancipia jam dudum abstracta reddidit, sed & villas & cellulas, quæ omnia ita voluit esse firma ac si adessent instrumenta. Idem præstitere Ludovicus pius ejusque filii Pipinus & Carolus calvus, cum eo tamen discrimine ut Carolus militibus ejusdem loci, qui cum eo periculo sese contra hostes ejus objecerant, beneficia tolli noluerit, sed ea ad vitam liquit. His munitus præsidiis Hieronymus ad sacra loca restauranda seu munienda sese accinxit quidem, sed citius ab hac vita migravit. Successor Jonas pro posse laboravit. Herimannus autem ecclesiam majorem primo constituit. In ecclesia sancti Martini 16 canonicos instituit quibus stipendia erogavit, & in monasterio S. Aniani monachos sicut in parthenone S. Genesii moniales, quibus res ad easdem cellas pertinentes restituit & licentiam fecit eligendi abbatem & abbatissam. Cætera sancta loca & cellas restaurare curavit. Ecclesiam quoque S. Vincentii de Magniaco ab eo statu in quo a Carolo magno posita fuerat alienam restituit Carolus calvus opitulante Adelardo sacerdote, quorum donationes in synodo Trecensi confirmari curavit Abbo episcopus anno 867 ut canonici ejusdem ecclesiæ ibidem quiete Deo servire valerent. Patris sui confirmationem ratam habuit Ludovicus balbus anno 878. Carolomannus ecclesiæ S. Cyrici reddidit Curtem supra S. Anianus. S. Genesius. S. Vincentius de Magniaco. Curtis supra Ligerim.

Digitized by Google

ligerim sitam in vicaria Patriniacensi quæ ab externis in beneficium diu possessa fuerat. Carolus crassus ad preces Willelmi comitis eidem ecclesiæ restituit cellam S. Reveriani martyris anno 886. Imperator idem anno eodem Emmeno episcopo, ad exemplum Caroli imperatoris fratris Ludovici Germanorum regis patris ejus confirmavit ecclesiæ Nivernensi abbatias sancti Martini extra muros sitam, S. Troesii, S. Agricolæ, S. Salvatoris, SS. Gildardi & Lupi, S. Francovei, S. Vincentii in Magniaco, Curtim ultra Ligerim, abbatiam S. Genesii & S. Mariæ, abbatiam in insula Galli, abbatiam Glandone, cellulam S. Desiderii extra & contra portam civitatis positam, abbatiam S. Petrusii in Morvanno, abbatiam sancti Patricii inter Ligerim & Alerium fluvios. Hugo II episcopus circa annum 1025 dedit ad supplementum victus canonicorum abbatiam sancti Troesii in suburbio sitam quam tenebat Evrardus præpositus, & ecclesiam S. Francovei. Aliquanto post cedenti Hugoni præposito in compensationem dedere canonici abbatiam S. Troesii dum viveret anno 1044. Hugo idem II abbatiam S. Salvatoris priscis temporibus monastici ordinis decoratam, sed tunc decessorum suorum incuria depravatam, in qua regula sancti Benedicti pene foris eliminata erat, Odiloni Cluniacensi abbati dedit anno 1045, quæ paucis abhinc annis patribus Societatis Jesu cessit. Hugo III ecclesiæ S. Cyrici dedit anno 1075 abbatiam SS. Vincentii & Agricolæ in suburbio sitam, quam de eo tenebat Gaufridus episcopus Autissiodorensis ejus patruus, cujus pater Hugo male eam dilaceraverat. Hugo III canonicis dedit ecclesiam SS. Lupi & Gildardi, abstractam a militibus qui eam tenebant, canonicique eam concessere ecclesiæ sancti Laurentii de abbatia sanctique Hilarii per manum Dongionis abbatis, ut in ea clericos regulares institueret, tempore Widonis episcopi. Denique Fromundus episcopus medio seculo 12 moniales in monasteriis sancti Agricolæ, S. Laurentii & S. Troesii seorsim degentes in unum S. Mariæ, quod & S. Genesii adunavit.

Cella sancti Reveriani. — S. Troesius. S. Agricola. S. Salvator. SS. Gildardus & Lupus. Sanctus Francoveus. S. Vincentius. Curtis ultra Ligerim. S. Genesius & S. Maria. Insula Galli. Glandone. Cellula sancti Desiderii. S. Petrusius. S. Patricius. S. Troesius. Sanctus Francoveus. S. Salvator. — S. Vincentius. S. Agricola. SS. Lupus & Gildardus. S. Agricola. S. Laurentius. S. Troesius.

Abbatia S. Victoris in suburbio Nivernensi sita, antiquissima & ex primis urbis Niverni abbatiis, primis temporibus admodum locuples, postmodum pastorum incuria & pessimorum Christianorum barbarie ad nihilum reducta erat. Hanc ex regali dominio, ut multa alia, emancipatam, & comiti Nivernensi beneficiario jure a regibus Franciæ traditam Frotmundus post comitem habebat, quem Belimus clericus assensu Hugonis episcopi & Willelmi comitis adiit & ab eo ut ecclesiam illam a captivitate redimendam restitueret impetravit. Quod confirmavit Henricus rex anno 22 regni 1053. Hanc jussu & auctoritate Willelmi comitis Nivernensis obtinuere anno 1085 Cluniacenses S. Mariæ de Caritate.

Martene ampl. Coll. tom. 1. præf. p. 51. — Ch. XLI. col. 331.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ numero tres & unus prioratus.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum prioratus.

Sanctus Stephanus, *Saint Étienne.*

Feminarum.

Sancta Maria, *Notre-Dame.*

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Virorum.

Sanctus Martinus, *Saint Martin.*

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Bella-vallis, *Bellevaux.*

S. STEPHANUS.

BEATÆ Dei Genitrici divoque Stephano sacrum cœnobium, olim, inquiunt, a beato Columbano Luxoviensi abbate in suburbio Nivernensi pro monialibus exstructum, ubi marmoreum altare consecrasse dicitur, ipsamque ecclesiam marmorearum pyramidum compositione decorasse, partim vetustate, partim incendio aliisque cladibus in statum adeo miserandum redactum erat ut vix parietes superessent. Tam deplorabili statu tactus Hugo Nivernensis episcopus, eo nomine secundus, agente in primis Hugone nepote suo, Nivernensis ecclesiæ decano, qui illius ecclesiæ mediam partem a Willelmo comite in beneficium tenebat, favente etiam eodem Willelmo regali genere orto, qui hujus loci altaria episcopali dignitate tenebat, hanc ecclesiam canonicis B. Silvestri Romani pontificis regulam tenentibus, tradere constituit anno 1063, III non. Martii ut divinum illic cultum restituerent. Ea quidem donatio in concilio Cabilonensi anno sequenti firmata est XVI kal. Septembris in octavis beati Laurentii, hujusque instrumentum in festo Nativitatis beatæ Mariæ ipsius anni, post divina ab eodem episcopo celebrata, recitatum fuit. Illic autem canonicos paucis annis insedisse constat ex litteris Malguini ejusdem civitatis episcopi qui, laudantibus Willelmo comite & Hugone ipsius Nivernensis ecclesiæ decano, una cum Hugone vicecomite, ac Leone ejus fratre, concedente Gerardo clerico, qui unus e canonicis ecclesiæ S. Stephani superstes erat, Deo & sanctis apostolis Petro & Paulo ad locum Cluniacum, cui Hugo abbas præerat, hanc ecclesiam contulit anno 1068, remissis omnibus malis consuetudinibus quæ ab ea exigi solebant. Id etiam patet ex rescripto Hugonis hujus nominis tertii, episcopi Nivernensis, quondam decani dato anno 1083. Is enim prædium quod sub censu octo denariorum tenebat Hubertus Hostilianus & parochiam S. Agricolæ monachis

Ch. XXXVI. col. 326. — Char. XL. col. 331. — Charta XXXVII. col. 329.

Digitized by Google

monachis qui tunc apud S. Stephanum Deo A serviebant, concessit. Ob quam cessionem Willelmus comes, qui hunc locum sancti Stephani destructum atque pauperrimum reædificare nitebatur, per manus ejusdem Hugonis largitus est canonicis S. Cyrici quæcumque in villa Parigniaci habere videbatur. Quin etiam Willelmus idem comes qui, hortante præfato Hugone, jam dictum B. Dei genitricis, necnon & gloriosi protomartyris Stephani monasterium jamjam dirutum
Ch. XLIII, col. 332. & omnino pessumdatum funditus reædificare, illudque valido murorum ambitu cingere ac tribus turribus instruere curaverat & monastici ordinis viros inibi constituerat, ad victum aliosque B usus necessarios servorum Dei ibi commorantium totum *burgum* quod S. Stephani appellari voluit, eisdem contulit, nihil omnino sibi reservans. Ad hæc ejusdem suburbii homines liberos esse statuit a quavis exactione & ab expeditione militari, ita ut semper in pace remanerent. Cæteras donationes quas munificus ille comes, laudante Willelmo nepote suo, Hugoni sanctissimo Cluniacensi abbati, domnoque Petro priori, & cæteris fratribus Cluniacensibus, eorumque successoribus indulsit, legesis in appendice. Hæc autem charta edita est an. 1097 idib. Decembris, ipso die quo Ivo episcopus Carnotensis, adstantibus Guidone C Nivernensi, Galterio Cabilonensi & Humbaldo Altissiodorensi præsulibus, ecclesiam consecravit.
Char. LII, col. 343. Anno 1171 Guido Nivernensis comes confirmavit immunitates burgi S. Stephani & cætera bona a proavo suo Willelmo eidem monasterio
Ch. LV, col. 345. concessa. Hugo Cluniacensis abbas hujus nominis quartus hæc omnia auctoritate regia a Phillippo II roborari fategit anno 1186. Plures etiam summi pontifices hujus loci possessiones diversis temporibus laudarunt, plurimaque privilegia concesserunt.

Seriem priorum, qui monasterium illud post restaurationem rexerunt, habemus ex manuscripta D historia domni Johannis *Simonin* monachi & procuratoris ejusdem asceterii.

INDICULUS PRIORUM.

I. PETRUS a S. Hugone primus prior institutus anno 1097, nominatur eodem anno in charta Willelmi comitis. Ad annum usque 1157 rexisse summa cum laude dicitur.

II. Bernardus anno 1157 ex litteris Willelmi quarti Nivernorum comitis innotescit. Ab Alexandro III confirmationem omnium possessionum sui monasterii obtinuit anno 1162. Reperiturque in variis chartis usque ad annum 1173. E

III. Odo occurrit anno 1180. Pontificias Lucii III litteras obtinuit anno 1183, rescriptumque Petri Autissiodorensis Nivernensis comitis anno 1185 comprobatum a Philippo Augusto Francorum rege 1186, & ab Urbano III denuo firmatum anno 1187, bullas etiam Clementis papæ III pro burgi immunitate anno 1188. Litteras denique accepit præfati comitis an. 1194 datas Demuri villæ Nivernensis custodia, deque exemptione quamdam argenti summam monetæ Genuensis exsolvendi.

IV. Petrus II memoratur anno 1200 in charta Hervei comitis & Mathildæ ejus uxoris.

V. Aimardus una cum Guichardo S. Salvatoris Nivernensis priore rescriptum obtinuit ab Honorio papa III anno 1223 immunitatum ordinis contra diœcesanos, tamquam tutelare præsidium.

VI. Gilo de assensu Rollandi abbatis Cluniacensis Guidonem comitem Nivernensem & Foresiorum in dominii *de Bomay* societatem adscivit an. 1226. Præerat adhuc an. 1234.

VII. Arnulfus 1237.

VIII. Petrus III 1244.

IX. Ogerius 1248.

X. Johannes I *Chereau* 1273.

XI. Henricus *de Pomey* anno 1273 transigit cum Thoma abbate Fontis-Morigniaci. Memoratur & anno 1275.

XII. Hugo 1280.

XIII. Stephanus 1287.

XIV. Guillelmus *de Cambon* circa annum 1297.

XV. Guido 1301.

XVI. Johannes II 1311.

XVII. Petrus *de Beaulne* altare S. Catharinæ construxit.

XVIII. Guido de Blesеio anno 1327 circa festum S. Magdalenæ de ære alieno a decessore contracto, deque ædificiis resarciendis inquiri curavit: occurrit & an. 1329.

XIX. Johannes III 1330.

XX. Hugo *de Barrois* 1340.

XXI. Renaldus *Chappote* 1356, 1363.

XXII. Robertus *de Château-neuf* 1365. Præerat anno 1368. Litteris regiis a Carolo V, obtentis confirmatur in saisina portæ de Barra dictæ. Hugo *de Maigny*, cum nullum sui sanguinis hæredem haberet, ob remedium animæ suæ & in gratiam filii sui apud S. Stephanum monachi propria concessit quæ possidebat in parochiis *de Magny* & *de Cours-sous-Magny* anno 1373. Præerat adhuc anno 1383.

XXIII. Ludovicus *de Chantemerle* 1390.

XXIV. Guillelmus *de Fissey* 1395.

XXV. Johannes *Chazeaux* Bonam Nivernensem comitissam in suo primo apparatu ad Burgi portam vulgo de Barra dictam excepit anno 1416, de immunitate juramento prius præstito.

XXVI. Johannes *Bourbonnat* ex cellerario Caritatis prior S. Stephani factus anno 1427. Reperitur & anno 1428.

XXVII. Martinus *Pagan* circa annum 1435.

XXVIII. Guillelmus *Nanty*, in decretis licentiatus, ab Odone Cluniacensi abbate prior sancti Stephani institutus anno 1439, Johannem de Stampis & Petrum *de Fontenay* episcopos Nivernenses in primo ingressu excepit annis 1446 & 1461.

XXIX. Guillelmus *Gimon* circa 1465. Adhuc præerat anno 1472.

XXX. Petrus *Dumas* in decretis baccalaureus 1474.

XXXI. Philibertus *de la Verne* 1479.

Digitized by Google

XXXII. Johannes *Gantheron* ab anno 1483 ad 1485.

XXXIII. Claudius *de Laige* 1485.

XXXIV. Franciscus *de la Verne* 1490.

XXXV. Guillelmus *Labbe* illustrissimum principem Philippum Johannis ducis Cliviæ, Nivernique comitis ac Elisabethæ Burgundæ filium ex abbate S. Martini Nivernensis, ejusdem sedis inauguratum antistitem solemniter ut moris est excepit anno 1502.

XXXVI. Antonius *de Grassey* decretorum doctor 1507. Johannem *Boyer* episcopum Nivernensem in primo ingressu excepit anno 1508. Defunctus anno 1510.

XXXVII. Johannes *de Chateaux* memoratur anno 1513. Sub ejus moderamine curia suprema Parisiensis per placitum jussit 10 kal. Decembris anni 1524 ut id monasterium reformaretur. Adhuc præerat anno 1534.

XXXVIII. Franciscus *le Bourgoing* decanus Nivernensis, primus commendatarius an. 1534 factus, monasterii bona dissipasse dicitur. Jus sublime mediæ & infimæ justitiæ ad ducis prætorium transmisit. Nec spiritualia jura magis curavit.

XXXIX. Leonardus *de Bourgoing* ex Majori monasterio revocatus, per fratris cessionem prioratum obtinuit anno 1567. Rexit ad usque annum 1576.

XL. Stephanus *de Favardin* vota in Caritatis monasterio emisit. Prioratum per cessionem obtinuit an. 1577. Decretorum doctor, & Arnoldi *Sorbin* episcopi Nivern. quem in primo ingressu an. 1578 exceperat, vicarius generalis, monasterium opibus auxit, dirutum instauravit, reditibus ampliavit, pretiosis ornamentis decoravit, vita functus anno 1600 jacet ad altare B. Mariæ de Pietate hac epigraphe donatus: *Hic jacet religiosus vir frater Stephanus* Favardin *in decretis licentiatus quondam prior hujus domus, ac dominus temporarius burgi sancti Stephani, consiliarius, ac eleemosynarius regius, vicarius generalis deputatus episcopi Nivernensis.*

XLI. Henricus *Girard* ex monacho & sacrista prior effectus, decessore suo pietate ac devotione non inferior, in decretis licentiatus, totius ordinis Cluniacensis procurator generalis, ac secundus in ordine socius, Eustachium *du Lys* episcopum Nivernensem in jucundo adventu anno 1606 excepit. Plurima laude digna tam pro suo monasterio quam pro toto ordine Cluniacensi gessit. Vitam finivit anno 1631. Ch. LXXI, col. 357.

XLII. Antonius *Froissard* socius Sorbonicus prioratum a summo pontifice in commendam obtinuit anno 1632.

XLIII. Hubertus *Rollet* e congregatione S. Vitoni ad strictam ordinis Cluniacensis observantiam translatus, & a cardinali *de Richelieu* major prior Cluniaci factus anno 1632, ex voluntaria superioris cessione S. Stephani regimen obtinuit anno 1635.

XLIV. Georgius-Lucianus *Frion*, congregationis S. Mauri monachus, prioratum obtinebat 1638.

XLV. Claudius *de Maunourry* apud Nivernum ortus, libellorum supplicum magister & Galliaci in diœcesi Albiensi commendatarius, abbatis Cluniacensis partim litteris, partim apostolicis, devoluto jure Prætoriani consilii decreto fiduciarius prior nominatus est anno 1645.

XLVI. N. *de Varenne* commendam obtinebat circa annum 1650.

XLVII. Gabriel *de Cassaigne de Tilladet* Melitanus eques anno 1670.

XLVIII. Michaël *de Tilladet*, episcopus Matisconensis, ex cessione Gabrielis germani obtinuit.

SANCTA MARIA.

SAINTE-MARIE.

Nivernensis B. Mariæ parthenon ordinis S. Benedicti auctorem habuit virum venerabilem Theodulfum cognomento Bobolenum, qui, ut tradit Jonas in vita S. Eustasii Luxoviensis abbatis, tria monasteria in pago Bituricensi condidit, & quartum virginum juxta Nivernense oppidum, quod nunc intra civitatis mœnia existit, sub regula S. Columbani: quod cum Vandalorum furore, sicut plurima alia, vastatum fuisset, seculo IX sub nomine S. Mariæ & S. Genesii restauravit Hermannus *seu* Herimannus episcopus, ac virginibus ordinis S. Benedicti commisit anno 849, quibus licentiam exhibuit ex se ipsis abbatissam eligendi, modo aliqua hujus muneris esset capax, secus Nivernensis episcopus unam ordinaret. Eo loci humatus fuit in capella S. Johannis Evangelistæ, cujus sepulcrum lapideum hactenus in ecclesia cernitur. Carolus Crassus imperator, rogante Emmeno episcopo, privilegia varia concessit annis 885, 886 & 887 de omnibus abbatiis ecclesiæ Nivernensis, quas inter memoratur parthenon B. Genesii & S. Mariæ Dei genitricis in quo sanctimoniales feminæ Deo militant. Seculo XII Fromundus itidem Nivernensis episcopus hunc parthenonem clariorem reddidit, unitis eidem tribus aliis abbatiis, sanctorum scilicet Agricolæ, Laurentii & Troesii. Anno 1254 nobilis vir Hugo dominus Melsiæ miles & nobilis domina Isabella ejus uxor dederunt pro remedio animarum suarum ecclesiæ B. Mariæ Nivern. manum-mortuam, quam ipsi se habere dicebant in bordelagiis ejusdem ecclesiæ sitis sub eorum dominio & totum jus salva & excepta justitia. Abhinc nobilissimum ad nostram usque ætatem permansit id monasterium, adeo ut post bella civilia a Calvinistis excitata, essent inibi sanctimoniales circiter 80. Sita est autem hæc abbatia eo in loco ubi S. Reverentianus Æduensis episcopus martyrium passus est. Cerniturque in horto capella ubi capite truncatus creditur. Ejus reliquiæ in theca argentea honorifice reconditæ ibidem coluntur, cum capitibus SS. Genulfi episcopi & Maximi confessoris. Duos prioratus conventuales quondam habuit hæc abbatia sibi subjectos, puta beatam Mariam *de Montot*, & Marsigniacum, quod abbatissa pro beneplacito etiamnum confert.

Chart. IV, col. 300.

Char. XII, col. 308. Char. XIII, col. 309. Char. XV, col. 311.

Quænam autem hunc locum rexerint hactenus

Digitized by Google

abbatissæ post varia incendia quæ vetera devorarunt monumenta, certo definire non possumus. Sequentes ex cartis quæ supersunt & ex necrologio expiscati sumus.

Series Abbatissarum.

I. Guiburgis bonæ memoriæ in necrologio notatur IV id. Februarii.

II. Niteria prid. id. Februarii.

III. Ameniardis XV kal. Martii.

IV. Fredesindis ex alumna S. Petri Remensis abbatissa S. Mariæ Nivernensis, obiit XIV kal. Martii.

V. Johanna I *de Pesques* IX kal. Martii.

VI. Adelina nonis Martii.

VII. Odelina VIII id. Martii.

VIII. Gibelina occurrit eodem die.

IX. Sibilla IV kal. Maii.

X. Aelis *la Chaudronne* prid. id. Junii.

XI. Maria I *de Charencois* eodem die.

XII. Philippa *Torina* vel *Sorina* V kal. Dec.

Istæ omnes abbatissæ ante annos quadringintos defunctæ videntur.

XIII. Hersendis præerat anno 1233. Memoratur in necrologio X kal. Maii.

XIV. Beatrix I de Colencella, a Roberto episcopo Nivernensi benedicta, occurrit anno 1246. Quædam permutavit anno 1250 cum capitulo Æduensi. Reperitur in quibusdam instrumentis anni 1254, in quibus appendet ejus sigillum cum hac inscriptione: *Sigillum Beatricis abbatissæ B. Mariæ Nivernensis*. Eodem anno donata sunt quædam abbatiæ B. Mariæ Nivern. ab Hugone domino Melsiæ *(de Meauke)* & Isabella de Sulliaco ejus uxore. Eam adhuc superstitem fuisse dicunt anno 1262.

Chart. LX, col. 349.

XV. Beatrix II *la Chauderonne*, ex nobilissima stirpe dominorum *de la Ferté* apud Nivernenses exorta, pedum obtinebat anno 1266. Dies ejus obitus notatur ad IV non. Martii 1267.

XVI. Agnes *de Saint-Gigon* reperitur anno 1269 die Mercurii ante Annuntiationem dominicam, quo die sententiam obtinuit adversus Guidonem de Suriaco militem pro decem cartellis frumenti sive ordei. Forte ipsa est Agnes de sancto Gegondo cujus nomen reperitur in necrologio VIII id. Novemb.

XVII. Regina sororem habuit *Elisabeth* nomine priorissam de Morileto. Ipsa autem anno 1272 quædam dedisse fertur priori sancti Audoeni, Petro sancti Martini abbate superstite. Sedem vacasse colligimus anno 1281 ex quadam manu firma a priorissa & conventu facta, nulla abbatissæ habita mentione.

XVIII. Alis *seu* Aalipdis reperitur an. 1289. Componit anno 1293 cum Roberto comite Claromontii delphino Alverniæ, nomine suo & Isabellæ priorissæ *de Marsaignes* a suo parthenone pendentis. Transegit anno 1299 cum Ludovico comite Nivernensi super villa de Plagniaco, quam comes ad abbatiam S. Mariæ attinere agnoscit.

XIX. Isabella de Valle-secreta occurrit ad

A annum 1310, quo obiit X kal. Maii, ex necrologio.

XX. Eloyssa de Tornella memoratur in charta anni 1318. Dissidium habuit an. 1325 cum nobili viro Herardo de Roseo-monte de justitia nonnullarum villarum. Vitæ finem posuit anno 1331, XIII kal. Maii juxta necrologium.

XXI. Johanna II de Arrablio *seu* Rableyo, gallice *d'Arablay*, præfecturam obtinebat annis 1331, 1336, 1337. Consignatur in necrologio VIII kal. Octobris. Consanguinea fuisse videtur P. de Rubleyo presbyteri cardinalis cujus nomen habetur in necrologio IV. non. Martii.

B XXII. Margarita I *de Fontenay* anno 1342 priorissa erat Marsigniaci, & anno 1345 abbatissa B. Mariæ. Litigavit anno 1347 cum Guillelmo de Thiangiis domino de Uxulo super justitia villæ de Crosella. Adhuc superstes anno 1360. Memoratur in necrologio III kal. Julii.

XXIII. Margarita II *de Ternant* præerat jam anno 1364, reperiturque in variis instrumentis usque ad annum 1395, quo juxta necrologium fato functa est XIII kal. Januarii in vigilia sancti Thomæ apostoli. Hæc abbatissa vel cesserat ante mortem vel binominis erat, nam anno 1388 occurrit una, cujus nomen tribus his modis legitur,

C scilicet Calina *seu* Caliva aut Calma.

XXIV. Johanna III de Braya *vel* de Blayo ex priorissa electa abbatissa, confirmata est XIV kal. Februarii anno 1395. Franciscus archiepiscopus Narbonensis sanctæ sedis camerarius anno 1397 ei annatas relaxavit. Ipsa ratam habuit transactionem initam inter priorissam de Marsigniaco & dominam *de Jaligny*. Pedum adhuc tenebat anno 1424. In necrologio XV kal. Maii dicitur obiisse anno M. CCCCXVII, sed error est in numero, legendum etenim M. CCCCXXVII.

XXV. Margarita III *de Lugny* reperitur in

D variis actis ab anno 1428 ad 1466, quo obiit V non. Martii. In necrologio adhuc quater occurrit, scilicet XIV kal. Februarii, kal. Martii, V non. Octobris, VI id. ejusdem mensis.

ſ In historia magnatum Franciæ, tom. VII, p. 5, Petronilla *de Beauvoir de Chatelus* dicitur præfuisse abbatiæ S. Mariæ Nivernensis anno 1468, & parthenoni S. Juliani Autissiodorensis anno 1486.

XXVI. Catharina *de Boutillat* in monasterio B. Mariæ de Consolatione ordinis Cisterciensis enutrita, cujus cum abbatissa existeret, ad hujusce parthenonis regimen vocata est anno 1466 idib. Martii. Ordinis & habitus mutandi ab Humberto

E Cisterciensi abbate anno 1467 prid. kal. April. facultatem impetravit. Reliquias unius ex undecim millibus virginum e monasterio B. Mariæ de Consolatione, concedente Alizia abbatissa, ad suum monasterium asportari curavit anno 1473. De publica supplicatione habita, cui interfuerant quatuor parochi urbis Niverni, Controversiam habuit cum Petro antistite, qui die 10 Martii ejusdem anni 1473 coactus fuit agnoscere abbatissam & moniales jure potiri solitas insolitasque supplicationes indicendi. Monasterium flammis absumtum anno 1478 pro maxima parte

Digitized by Google

restauravit. De eo incendio inquisitionem tradendam monialium procuratori Franciscus *le Bourgoing* ecclesiæ Nivernensis decanus egit anno 1538. Ab eodem Petro Nivernensi episcopo fuit excommunicata anno 1481, quod ejus visitationem respuisset, sed excommunicatio mox nulla declaratur propter monasterii privilegia. Adhuc superstes anno 1488. Memoratur in necrologio VIII kal. Martii anni 1502. Sed alibi legimus eam fuisse defunctam VIII kal. Julii 1488.

XXVII. Johanna IV *le Bourgoing*, abbatissæ titulo donata an. 1499 in quodam instrumento, possessionem adepta tantum est die sexta Sept. 1501. Monasterii sui jura adversus episcopum Nivernensem viriliter defendit. Festum Præsentationis B. Mariæ instituit anno 1510 in suo monasterio, & anno 1517 festa Visitationis & Compassionis ejusdem. Diem clausit extremum anno 1533, VI kal. Septembris. Notatur etiam in necrologio III non. ejusdem mensis anni 1534.

XXVIII. Johanna V *d'Albret*, filia Johannis *d'Albret* comitis Drocarum & Registetensis ex regia prosapia, monasticen professa apud Carentonium in diœcesi Bituricensi, annos 29 nata efficitur abbatissa B. Mariæ Nivernensis, bullasque obtinet a Clemente papa VII anno 1533, XV kal. Novembris. Non tamen statim possessionem adepta est, quippe sacristiæ officium a Francisca *Boutillac* priorissa, sede vacante, collatum fuit, anno 1534. Monasterium reformavit, illudque sanctissime rexit usque ad annum 1560, quo abbatissæ munus gessisse adhuc in instrumento dicitur.

XXIX. Maria II *d'Albret* cessit in gratiam sequentis. Obiit 28 Decembris 1563.

XXX. Francisca *de Fontenay* ex cessione Mariæ & monialium electione breve regium obtinuit VI id. Augusti 1564. Benedictionis munus ab Egidio *Spifame* episcopo Nivernensi accepit XIV kal. Decemb. anni ejusdem. Obtenta coadjutrice, monasterium administravit usque ad 1607, quo obiit octogenaria major XIII kal. Septembris.

XXXI. Claudia *de Gamaches*, filia Georgii *de Gamaches* in pago Bituricensi, domini *de Jussy* & *de Quinquempoix*, vicecomitis *de Remon*, baronis *de Châteaumelian*, ex Anna *des Guerres*, septennis eo in monasterio educata, pietate cum lacte imbuta, mox ut ad ætatem sacris canonibus requisitam pervenisset, vota nuncupavit, tantamque de se spem dedit, ut collaudantibus omnibus, statim priorissa fuerit instituta. Quo in munere tam clara monialibus pietatis ac observantiæ exempla demonstravit, ut omnium oculos & affectum sibi conciliaret. Francisca *de Fontenay* eam sibi coadjutricem adsciscere cupiens, ea de re breve regium ab Henrico IV, tum existente in castris ante civitatem Carnotas, obtinuit an. 1591. Claudia autem præ modestia, abbatissæ sibi nomen sumere renuit ante annum 1606, quo triginta annos nata bullas, quas prius impetrare noluerat, a Paulo V datas kal. Februarii obtinuit, ac defuncta Francisca, benedictionis munus ab Eustachio *du Lys* episcopo recepit IX kal. Octobris anni 1607. Statim zelo regularis disciplinæ accensa, curavit in primis ut locutoria cancellis munirentur, quod hactenus in suo parthenone fuerat inusitatum, murosque monasterii reparavit, ecclesiæ supellectilem auxit, reliquias S. Lupi a monachis S. Columbæ Senonensis an. 1626 adepta est. Monialium pietatem verbis & exemplis suscitavit; nihil eas docuit quod non fecerit. Corpus severioribus pœnitentiæ exercitiis maceravit. Denique post annos regiminis 36 ad cœlos evolavit non sine sanctitatis fama prid. id. Novembris anni 1642. Vita ejus manuscripta in monasterio servatur.

XXXII. Gabrielis *Andrault de Maulevrier-Langeron* a rege abbatissa designata anno 1642 XIV kal. Novemb. bullas accepit VI kal. Januarii ejusdem anni, possessionem vero prid. nonas Aprilis 1643. Plurimas sanctorum reliquias e veteri capsa in novam inauratam inferri curavit anno 1667, die 12 Augusti. Monasterium congregationi Casalis Benedicti quondam addictum, ordini Cluniacensi anno 1668 subjecit, ac demum in gratiam sequentis se abdicavit. Obiit antiqua abbatissa 17 Martii 1698, ætatis 87.

XXXIII. Maria-Ludovica *Andrault de Langeron*, Gabriele cedente, bullas obtinet a Clemente X prid. id. Decembris anni 1670, rexitque usque ad annum 1704, quo obiit sepulta in choro hoc epitaphio donata:

Cy gist illustre dame Madame Marie-Louise Andrault de Langeron, qui fut abbesse 33 ans. Elle mourut le 14 août 1704, âgée de 57 ans.

XXXIV. Maria-Carola *de Levis*, filia Caroli-Antonii *de Levis* comitis *de Charlus* ex Maria-Francisca *de Paule de Bethisy* natæ marchionis *de Mezières*, ex moniali sancti Menulfi a rege nominatur kal. Novembris anni 1704, & bullis acceptis possessionem adipiscitur III non. Novembris 1705. Defuncta apud Borbonium-Archembaldi anno 1719, die 10 Februarii, sepulta est in abbatia S. Menulfi.

XXXV. Maria-Henrica *de Levis*, monialis prioratus sancti Benedicti Pruvinensis, superioris germana, a rege renunciatur abbatissa die 16 Februarii 1719; bullas eodem anno 9 Martii adipiscitur, & possessionem accipit 25 Maii, benedictione ab episcopo Nivernensi 18 ejusdem mensis jam suscepta. Moritur Parisiis IV non. Maii 1731, annos nata 44.

XXXVI. N. le *Maître* regio diplomate efficitur abbatissa VII kal. Augusti an. 1731.

S. MARTINUS.

Clades in S. Martini monasterium a Vandalis illatæ ejus fundationem adeo occultarunt, ut vix seculo octavo quædam illius reperiantur vestigia. Antiquissimum tamen esse, monachosque in eo primum insedisse credere par est, quippe quod, SAINT-MARTIN.

ex vulgari opinione, eo tempore extiterit, quo A soli dignoscebantur monachi. Corpus sancti Hieronymi episcopi Nivernensis, cujus dies festus ritu duplici cum octava colitur, eo loci religiosissime asservatum, ibidem tumulatum fuisse apud omnes constat. Ejus quidem ætate, si Coquillæo fides adhibeatur, cum prædiis, reditibus, bonisque expoliata fuisset major ecclesia, in abbatia S. Martini habitabant & victitabant tam ipse quam canonici, sed in majori ecclesia Deo laudes persolvebant. Herimannus itidem episcopus qui anno 849 in cathedrali ecclesia Char. IV, col. 300. constituit sexaginta canonicos, sexdecim alios sub abbate degentes, non disparis status ut ex B ipsius litteris cognoscitur, eo in loco collocavit, eisque reditus assignavit; contulit etiam quicquid in villa Bordenago eidem ecclesiæ Ragenfredus quondam vocatus episcopus dederat. Quin etiam Chart. IX, col. 305. Abbo ejusdem urbis præsul cum plurimis aliis episcopis in concilio apud Trecas congregatis, regiam donationem ad instaurationem ecclesiarum civitatis Nivernensis, nempe sancti Martini & cæterarum, destinatam auctoritate sua corroboravit anno 867, indict. I.

In hujus monasterii villa sita in Arvernensi comitatu, quæ Cuciacum aut Cussetum vocatur, abbatiam ædificavit Emmenus episcopus Niver- C nensis, pro cujus munimine duo diplomata a Carolo Crasso impetravit anno 886. Per primum Attiniaco palatio datum XVII cal. Septembris princeps ille præcipit ut de omnibus appendiciis Ch. XIII, col. 309. villarum ejusdem abbatiæ, quæ nunc habentur, vel quas ipsa abbatia acquisierit, omnis decimatio frugum quæ ad horreum & cellarium dominicum veniunt, ad abbatem S. Martini de suburbio Nivernis ad necessitatem canonicorum ibidem Deo servientium referatur. De altero fuse locuti sumus, tom. II, p. 384. In eo statuitur ut nullus Ch. XII, col. 308. ordo ecclesiasticus, præter sanctimoniales feminas in Cuciaco villa, quæ ad sanctum Martinum de D suburbio Nivernis pertinet, in monasterio quod Emmenus construi jussit, Deo famulari præsumat. Extat & tertium ejusdem imperatoris Emmeno Char. XV, col. 311. roganti indultum eodem anno XV cal. Januarii, in quo referuntur omnes abbatiæ & curtes ecclesiæ Nivernensis, quas inter non prætermittuntur abbatiæ S. Martini & de Cuciaco. Acta Parisius in Dei nomine feliciter.

Canonicis secularibus successere seculo duodecimo regulares, qui ibidem juxta Sammarthanos ab Herveo barone Donziaci & uxore Mathilde de Cortenaio dotati fuerunt. Quonam præcise tempore prorsus incertum. Si conjecturis inniti E liceat, id evenisse crediderim non serius anno 1120, videlicet tempore Fromundi « ex sancti » Martini canonico, vel etiam priore episcopi » Nivernensis, qui, ut martyrologii verbis utar, » una cum magistro Bernardo ecclesiæ S. Cyrici » præcentore, cum ipse esset decanus ejusdem » ecclesiæ, domum istam ab Vuandalorum perse- » cutione penitus destructam, sancto præventus » Spiritu reparavit: in qua etiam religionis habitu » suscepto, sub regulari tramite aliquandiu vitam » suam & mores coercens, postmodum cathedram episcopalem in hac urbe, divina providente « clementia consequi meruit, quam strenue regere « satagens, plantationem suam pia sollicitudine « fundatam, domino incrementum dante, radicatam « assiduis beneficiis rigare non destitit, ipsam « possessionibus, quibus potuit, ampliando: eos « quos hic Domino serviendos aggregaverat, omni « diligentia exhortando, ut professionis suæ me- « mores, ad æternam patriam toto mentis affectu « ac desiderio festinarent ». Duorum summorum pontificum auctoritate fultus ausim asserere hujusce loci inquilinos, post inductam reformationem, sub prioris regimine aliquandiu degisse, si quidem Honorius II anno 1129, V cal. Maii, & Innocentius II anno 1131, XIV cal. Januarii, indict. IX, litteras tuitionis Stephano monasterii rectori indulgentes, tantummodo priorem nuncupant. Ch. XLVII, col. 338. Ch. XLVIII, col. 339. Ch. XLIX, col. 340. Quas hisce canonicis contulit Fromundus possessiones, omnes & singulæ enumerantur in rescripto edito anno 1130, quod videsis in prob. Eo in instrumento decernitur ut canonicus ecclesiæ B. Cyrici qui seculo abrenuntians, vitam suam mutare voluerit & religionis habitum apud S. Martinum suscipere, cujuscumque sit ætatis vel ordinis, præbendæ suæ reditus integre habebit, illius tamen septimanam ecclesia sancti Martini celebrabit. Adjecit Fromundus & alia dona anno 1131, quæ Ludovicus rex Francorum eodem anno laudavit. Præter ingentem numerum ecclesiarum quas hicce pius antistes jam concesserat, uti legere est in diplomate præcitato, largitus est quinque alias anno 1136. Alexander papa III anno 1161 ecclesias ab Æduensi episcopo collatas confirmavit, aliudque privilegium tribuit anno 1162, Urbanus etiam III diplomate Veronæ dato XIV kal. Junii concessit abbati facultatem constituendi in ecclesiis parochialibus sui juris tres aut quatuor canonicos, quorum parochus duntaxat episcopo præsentaretur. Duas huic privilegio consimiles litteras dederunt Lucius anno 1182 & Honorius III 1217.

Quod Sammarthanorum oculis luce meridiana clarius enituit, non sic nobis visum est. Hi enim contendunt id monasterium quondam in suburbio, dudum intra septum urbis Nivernensis ex prioratu conventuali per quadringentos & amplius annos in abbatiam erectum fuisse tantum anno 1131. Nos autem in sententiam contrariam Ch. XIII, col. 309 vergentes, & diplomate Caroli Crassi imperatoris innixi, scripto XVII kal. Septembris anni 886, de quo supra egimus, illud abbatiæ titulo jam eo tempore gavisum fuisse dicere audemus. Quod forte acciderit ut, ob redituum & possessionum tenuitatem, in prioratum redactum fuerit, non negamus, sed id fieri non potuit nisi ab anno circiter 900 usque ad seculum duodecimum: Stephanus enim prior S. Martini ab Honorio II papa monasterii possessiones firmari fategit anno 1129, V kal. Maii. Consimile privilegium obtinuit ab Innocentio II XIV kal. Januarii 1130.

Seriem abbatum contexuimus ex diversis commentariis & ex indice Sammarthanorum quem ex chartis monasterii satis diligenter excerpsit Johannes *de Vienne* abbas hujus loci.

Digitized by Google

Catalogus Abbatum.

I. Bertrannus I, dictus etiam Bertrandus, dat litteras anno 1156. Eodem & insequenti occurrit in donatione facta capellaniæ *de Augerolles* per Beatricem abbatissam Balmensem diœcesis Bisuntinæ. Ejus precibus Henricus episcopus Eduensis dedit monasterio sancti Martini ecclesiam de Saligniaco. Ei etiam Adrianus papa IV inscribit bullam x cal. Junii anno 1158, qua cuilibet personæ sit facultas eligendi sepulturam in ecclesia sancti Stephani, extra casum excommunicationis & interdicti.

Ch. 11, col. 341 & seqq.

II. Johannes I nominatur anno 1173 in donatione Guidonis comitis Nivernensis, qua cedit S. Martino viam publicam quæ fuit inter ecclesiam sancti Martini & muros novos urbis Nivernensis. Reperitur etiam anno 1181 in diplomate Lucii papæ, quo permittit canonicis S. Martini celebrare missam tempore interdicti januis clausis.

III. Raynaldus memoratur anno 1190 in charta ecclesiæ Nivernensis, & in altera Johannis episcopi pro capitulo Premeriaci 1196. Multo magis innotescit ex litteris Innocentii III papæ datis anno 1198, editis in conciliis Labbei, t. xi, part. 1, col. 4 & seqq. Is in Manichæorum, vulgo Populicanorum vel Popelicanorum hæresim lapsus, a Michaële Senonensi archipræsule in synodo apud Caritatem habito, ab officio & beneficio suspensus est; tum ab eodem apud Autissiodorum citatus ut de tanto crimine se tueretur, die prefixa coram eodem archiepiscopo & præsulibus Autissiodorensi & Nivernensi comparuit, simulque prior S. Martini eum non modo de hæresi, sed de adulterio, usura & quibusdam aliis insimulaturus. Raynaldus ante litis ingressum crimina denegavit, sedemque Apostolicam appellavit. Cujus appellationis archiepiscopus nulla habita ratione, ei diem & locum apud Senonas assignavit, ut in concilio suffraganeorum contra priorem & nonnullos canonicos accusatores suæ defensionis rationes proponeret. Die & loco assignatis, suis libere ac plenarie propositis rationibus, interrogatus pluries an pro se vellet aliquid aliud allegare, suis denique probationibus & rationibus omnino renuntians, sententiam postulavit. Dum episcopi de sententia ferenda inter se deliberarent, clanculum discessit. Adversus eum tamen licet absentem latum est judicium: & quidem non de hæresi, sed de adulterio & de aliis quæ erant manifestius divulgata, damnatus fuit ac dignitate privatus, unde canonici alium sibi elegerunt abbatem. De quibus certior factus summus pontifex ad Petrum cardinalem & Odonem Parisiensem episcopum ut ea de re cognoscerent litteras scripsit, in quibus eos hortatur ut rationibus Raynaldi attente ac diligenter inspectis, publica quoque fama inquisita, si nihil reperiant quod a ferenda sententia eos impediat, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, adversus eum judicium pronuncient, ut in eo puniatur in quo peccavit & a sacerdotali officio deponatur. Jubet præterea

A ut post damnationem, ad agendam pœnitentiam in districto monasterio retrusus, sub arcta custodia detineatur.

IV. Reginaldus legitur anno 1211 in instrumento Bellæ-vallis, idem esse videtur cum R. qui cum Guillelmo Nivernensi episcopo, arbitris H. decano, Th. thesaurario & Ubaldo canonico S. Martini, iniit compositionem qua sancitum est ut ecclesiæ ad præsentationem abbatis sancti Martini spectantes a canonicis regularibus regerentur, anno 1217, xi kal. Decembris.

V. Martinus anno 1217 litem habuit de parochia S. Petri *de Crecy*, quam ad se pertinere
B contendebat, sed evictus est an. 1222 a Johanne Bellæ-vallis abbate, ea lege ut iste abbatiæ sancti Martini quindecim solidos & duas ceræ libras quotannis solveret. Occurrit anno 1230 mense Maio in charta prioratus de Lucenayo. Idem sane est ac M. qui anno superiori memoratur in litteris Blandinæ abbatissæ Balmensis. Ejus obitus in antiquo calendario notatur vi nonas Octobris.

VI. Petrus I de Velcia memoratur annis 1230, 1242. Testis & executor fuit testamenti Renaudi domini de Anesio anno 1253. Societatem fecit anno 1258 cum Canonicis S. Laurentii. Cum
C Johanne abbate omisso in abbatibus S. Satyri diœcesis Bituricensis tam in spiritualibus quam temporalibus societatem iniit anno 1259, mense Augusto. Statutumque est inter eos ut, cum una ex duabus istis ecclesiis canonicis indigeret, ab altera missos reciperet, qui tamquam fratres & canonici ipsius loci tractarentur. Reperitur anno 1262 die lunæ in festo S. Leodegarii in charta pro prioratu de Lucenayo. Adhuc superstes anno 1272, quo Regina abbatissa S. Mariæ priori sancti Audoeni donum contulit. Obiisse dicitur vi kal. Decemb. anni 1276. Jacet in medio chori ante pulpitum.

D VII. Petrus II præfecturam obtinebat anno 1280.

VIII. Guido I de Monte-Rupilionis pedum tenebat anno 1280. Occurrit in veteri charta 1281. Interiit anno 1286, sepultus in ecclesia & sacello sancti Martini, ubi leguntur hi versus super sepulcro quod surgit ad altitudinem unius pedis:

Exstincto Christe de Valle Rubiginis iste
Cujus sunt ossa præsentis condita fossa
Abbas basilicæ Guido pietate repletus.

Sequuntur tres alii, ita vetustate attriti, ut vix
E illorum ullum verbum legi, vel etiam conjici possit.

IX. Stephanus I societatem precum renovavit cum Johanne abbate S. Satyri, & cum Stephano abbate S. Laurentii de Abbatia anno 1286 mense Martio, in festo ejusdem sancti Satyri, item cum Gaufrido Plenipedis similem pepigit societatem anno 1294, die dominica post festum B. Magdalenæ. Obiit anno 1296.

X. Odo *de Logearnault* 1296, vitam cum meliore commutavit 1313, vi non. Julii, juxta vetus calendarium Martyrologii sancti Martini.

Dicitur in necrologio bonitatis & totius nobilitatis exemplum.

XI. Guillelmus I vitam finivit anno 1314. Jacet ante altare S. Augustini.

XII. Hugo de Bertinno sedit tantum 9 menses. Obiit XVII cal. Julii.

XIII. Petrus III de Tornella 1316. Diem extremum clausit 9 Januarii 1334. Jacet in introitu chori.

XIV. Guillelmus II *Lubin* 1336. Ille forsitan est abbas qui 10 Decembris 1338 Petro episcopo pluribus testimoniis comprobavit quod is in die & nocte quas in abbatia sancti Martini ante suum solemnem ingressum transegerat (uti solent episcopi Nivernenses) plurima contra usum perpetrasset, resque nunquam a decessoribus postulatas exegisset. Obiit XIV cal. Martii.

XV. Guillelmus III *de Noës* 1347, ejus obitus notatur IV id. Julii.

XVI. Reginaldus II, dictus etiam Regnaudus & Renaudus *de la Chaue*, occurrit annis 1349, 1357, 1358. Domum cessit anno 1365, die jovis post festum S. Martini æstivalis, fratribus Minoribus pro amplificanda ecclesia. Extat adhuc in tabulis annis 1370 & 1374.

XVII. Stephanus II de Foenis 1380.

XVIII. Stephanus III *de la Pierre* a Sammarthanis memoratus ad annum 1390, occurrit & anno 1384.

XIX. Johannes II Symonni ab iisdem locatus ad annum 1399, memoratur 1385.

XX. Johannes III de Roqueomonte, vicarius generalis episcopi Nivernensis, reperitur annis 1393 & 1395, 19 Januarii in chartis B. Mariæ Nivernensis; idem forte ac Johannes qui invenitur anno 1401.

XXI. Regnaudus III 1402.

XXII. Ludovicus I de Roseriis occurrit ab anno 1405 ad 1423.

XXIII. Guido II *de Jaucourt* reperitur anno 1423 in veteri instrumento ecclesiæ Autissiodorensis.

XXIV. Bertrandus II *Tendron* electus anno 1425, memoratur in rescripto Eugenii papæ IV Laterani dato V kal. Julii an. 1435, ex quo discimus eum inter & canonicos gravem discordiam exortam fuisse super eo quod prædictis canonicis vitæ necessaria ministrari non curaret, monasteriique bona male gereret. Cujus ergo dissensionis terminandæ summus pontifex decanum S. Andochii de Sedeloco diœcesis Eduensis designavit. Societatem iniit 1443, XI kal. Augusti, cum Antonio priore sancti Symphoriani Eduensis; item cum Hugone abbate B. Mariæ de Castellione ad Sequanam anno 1452 prid. id. Novembris. Adhuc præerat anno 1455. Cessit octogenarius in gratiam sequentis. Monasterii sui bona dissipasse dicitur.

XXV. Bertrandus III *de la Tillaye*, superioris nepos, in decretis licentiatus, occurrit anno 1458 mense Aprili. Possessionem accepisse fertur anno 1459, VI kal. Januarii, indict. VII, ex cessione Bertrandi & bulla Callixti III, a Johanne episcopo Maclovienli fulminata. Memoratur & anno 1464. Is non electione sed vel papæ vel regis rescripto fultus, Corbiniacensem abbatiam occupavit anno 1477. Quod ægre ferentes monachi alium abbatem elegerunt. Fuit Carolo VIII ab eleemosynis anno 1484.

XXVI. Petrus IV *de Lanvaux* alias *Rousseau*, prior de Lucenayo, electus anno 1494, VII id. Januarii, testudinem totius ecclesiæ & claustrum integrum S. Martini ædificavit. Jacet in medio choro infra gradus altaris, & ipsius effigies posita est super sepulcro a parte evangelii majoris altaris.

XXVII. Philippus *de Clèves*, nobilissima stirpe editus, primum episcopus Ambianensis, tum Nivernensis, postea Eduensis, simul obtinebat commendas S. Vandregisili & S. Martini 1503. Vita functus est anno 1505.

XXVIII. Stephanus IV *de la Tillaye*, sancti Martini canonicus, electus anno 1505, prioratum de Annexio in commendam obtinuit per diploma Julii II summi pontificis, datum Bononiæ IV kal. Januarii anni 1506, pontificatus IV. Guido de Fontenayo Bituricus anno 1516 ad eum misit epistolam de polychroniis seu longævis & eorum longissima vita. Obiit Niverni 17 Octobris 1519.

XXIX. Carolus II *Galoppe*, religiosus sancti Martini, electus 1520 a 17 religiosis, præter 12 tam novitios quam juniores religiosos nondum ad sacros ordines provectos. Obiit idib. Maii 1530.

XXX. Franciscus *Guyton* in electione Caroli *Galoppe* nominatus, æmulum passus Jacobum *Brunet* anno 1531, cum eo pactionem iniit anno 1532; lite vero de novo exorta adhuc inter se dissidebant anno 1542.

XXXI. Johannes IV *de Neufmoulins* primus commendatarius, viam universæ carnis ingressus 1564.

XXXII. Reginaldus IV *de Buffenault*, canonicus regularis, a capitulo electus VI id. Januarii anno 1564, confirmationem adipisci nequivit.

XXXIII. Johannes V *Patissier*, cantor & canonicus Nivernensis, obiit bullis nondum acceptis.

XXXIV. Guillelmus IV *du Lys*, monachus Cluniacensis ordinis & subprior Caritatis, & abbas S. Laurentii prope Conadam, de abbatia S. Martini provisus est bulla Pii papæ V anno 1566, pontificatus I, idibus Januarii. Cessit anno 1583.

XXXV. Stephanus V *le Roy*, sacræ capellæ Parisiensis canonicus, Henrico III & Henrico IV regibus ab eleemosynis, abbatiam obtinebat annis 1584, 1588 & 1603. Tenuit & commendam S. Laurentii prope Conadam.

XXXVI. Carolus II de Esconia a rege nominatus, possessionem adeptus est anno 1604 mense Junio.

XXXVII. Ludovicus II Arnolphini, natione Italus, clericus Lucensis, juris doctor, summi pontificis referendarius, Mariæ Mediceæ reginæ ab eleemosynis & commendatarius B. Mariæ Fontis-johannis, per obitum superioris commendam obtinet anno 1605. Possessionem iniit

Digitized by Google

an. 1608. Morti proximus suos hæredes instituit religiosos sancti Martini & Fontis-johannis pro triente. Obiit anno 1622, III kal. Decembris, sepultus in presbyterio a latere evangelii, hoc epitaphio donatus:

Hic jacet Ludovicus Arnolphinus qui fuit in Romana curia referendarius & abbas hujus ecclesiæ & B. Mariæ Fontis-johannis miserrimus peccatorum.

Hæc verba morientibus vocibus, & propinqua morte pallens humiliter dictavit, luctuoso marmori inscribi voluit, qui satis docuit, quæ sibi, aut qualis erga famulos Christi cura fuerit. Cum maximas funeris partes, & pomposos apparatus ipse præripuit, ut inde plura pauperibus erogaret, & precum celebritatem plurimis anni diebus & singulis annis institueret. Quarum ordo tabulis apud Petrum *Molée* notarium regium anno Domini 1623 depositis continetur, cæterum viri mores, gesta, virtutes cuncti probaverunt. Obiit die 29 Novembris 1622.

XXXVIII. Theobaldus *Henin*, natione Germanus, a Gregorio XV bullas obtinuit Romæ datas apud S. Mariam majorem kal. Junii anno 1623, pontificatus an. 3. Possessionem adeptus IV non. Augusti ejusdem anni per Johannem *Genest* officialem & archidiaconum majorem Nivernensem, Permutavit anno 1629. Fuit etiam abbas S. Johannis de Jardo.

XXXIX. Johannes VI *de Vienne* commendam obtinebat anno 1627. Eo favente canonici regulares e congregatione Gallicana hujus abbatiæ possessionem inierunt anno 1629. Diem extremum clausit anno 1645 nonis Maii, ætatis suæ 64. Jacet in ecclesia cum hoc epitaphio:

Johannes de Vienne *ex abbate S. Bazoli & canonico Rhemensi abbas hujus monasterii & prior de Senuco diœcesis Rhemensis, de morte & resurrectione cogitans, hoc cenotaphium vivens sibi posuit anno Domini* M. D. C. XLV. *ætatis suæ* LXIIII *die septima mensis Maii.*

STA VIATOR, quod vides marmor venerare hic magnos inter præsules jacet præsul major cujus nobiles atavi nobilior virtus ingenium spectavit, ardua animus superavit, emicuit in vultu majestas, magnanimitas in corde, munificentia in manibus, in ore gravitas, singularis in omnibus prudentia. Vixit Deo, consuluit religioni, studuit recte factis amor factus omnium ac stupor. Quantum luctum viri tanti mors suis fecerit ex vita metire, tuas tamen lacrymas non rogat sed preces, at illi dum bene precaberis boni communis memor, precare ut quod virtutum specimen miraris universi colant, ament, imitentur. Vale.

XL. Jacobus *de Vienne* 1657. Cessit in gratiam sequentis.

XLI. Petrus V *de Vienne*, doctor Sorbonicus, senator Parisiensis, admissus prid. id. Decembris anni 1694, occurrit anno 1696.

XLII. Johannes-Simon *Brissart*, clericus Carnotensis, prior S. Orientii Ausciensis, reginæ a libellis supplicibus, per obitum Petri designatur anno 1726 mense Maio. Defunctus Parisiis XVII kal. Octobris anni 1750, annum agens 69.

XLIII. N. *de Gascq*, vicarius generalis Ebroicensis episcopi, a rege nominatur anno 1750 mense Octobri.

Præter hos abbates absque temporis nota reperiuntur

Humbertus idibus Januarii.

Arnulphus XI kal. Octobris.

Bernardus prid. kal. Decembris.

BELLA-VALLIS.

BELLEVAUX.

IN honorem B. Mariæ divique Pauli apostoli conditum Bellæ-vallis monasterium ordinis Præmonstratensis, decem leucis a Niverno & duabus a Molinis-Engilberti situm, fundatores habuit Roclenum de Marmania & Dameronem ejus uxorem, qui spretis seculi pompis, & habitu religionis suscepto, locum qui dicitur Gaudiacus* aliaque bona anno 1188, laudante Theobaldo Nivernensi episcopo, Præmonstratensibus dederunt. Novellæ plantationi & quidem satis pauperi suppetias tulit Seguinus toparcha de Castro-canino (*Châteauchinon*) qui charitatis affluens visceribus, per manum Johannis Nivernensis episcopi omnes decimas quas habebat in tota Castellania de Castro-canino & in omni potestate *de Cerenes*, pro anniversario Hugonis fratris sui in transmarinis partibus defuncti, tradidit huic ecclesiæ anno 1193. Eo loci sepulturam nacti sunt nobiles viri Hugo Tanguini miles dominus Tamnai, qui obiit anno 1200, cujus sepulcrum hactenus visitur ante majus altare; Hugo de Verreriis dominus *de Scilleres* 1293, uti & Robertus de Castellione cum Margarita *de Cenaines* anno 1353. Seculo decimo-sexto ad nihilum pene redacta est Bella-vallis; adeo enim, inquit abbas Stivagii, Thalassiarchæ Collignei, infesta Galliæ vexilla, eam ferro & igne devastarunt anno 1560, ut non reliquerint lapidem super lapidem, sed communi strage ædes, chartas, sacram suppellectilem, quin & nonnullos canonicos deglutiverint. Imo etiam primi commendatarii possessiones monasterii, tanquam res suæ proprietatis tractantes, sub annuo tributo laicis oppignerarunt. His commotus Augustinus *le Scellier* Præmonstrati abbas anno 1662, Norbertum *Gosset* canonicum illuc destinavit priorem, qui ut rerum agendarum peritus erat, monasterii bona illicitis contractibus abalienata, licita redemptione recuperavit, & ad nonnullorum canonicorum habitationem quos judicavit advocandos, ex ruderibus ædes suscitavit.

* Joye.

Seriem abbatum ex superstitibus ejusdem monasterii chartis, aliisque eruimus ut sequitur

SERIES ABBATUM.

I. V. anno 1188 Roclenum monasterii fundatorem & Dameronem ejus uxorem ad religionis habitum suscepit.

II. Guerricus Guillelmo episcopo obedientiam promisit in urbe Senonensi.

III. Johannes I anno 1222 decreto firmatur in possessione parochiæ S. Petri *de Crecy*, addita

ea

ea conditione quindecim solidos & duas ceræ A libras quotannis solvendi monasterio S. Martini Nivernensis.

IV. Michaël occurrit anno 1255.

V. Guillelmus 1262.

VI. Gaufridus memoratur anno 1269 in charta B. Mariæ de Consolatione.

VII. Guido 1287.

VIII. Edmundus 1320.

IX. Haymnio 1331.

X. Haymo 1383.

XI. Petrus præerat annis 1390 & 1401. Idem sane cum P. qui reperitur anno 1406.

XII. Robertus *Erard*, ab abbate Stivagii dictus *Girard*, variis in actis occurrit annis 1418, B 1428 & 1431.

XIII. Petrus *de Fontenay*, episcopus Nivernensis & prior Luperci burgi, fruebatur annis 1450 & 1452 ex abbate Stivagii.

XIV. Johannes *Lanlu* memoratur annis 1455, 1461, 1468.

XV. Blasius *Lanlu* 1481, 1490.

XVI. Petrus *de Bourges* anno 1490 recensetur in charta B. Mariæ de Consolatione.

XVII. Petrus *de Fontenay*, episcopus Nivernensis, erat abbas anno 1499, quo moritur.

XVIII. Jacobus *de Chandion* 1513. Sese obtulit anno 1514 Ballivo S. Petri de Monasterio, ab ipso efflagitaturus ut consuetudines C Ballivatus in tabulas referrentur. Adhuc memoratur anno 1518.

XIX. Franciscus *de Fontenay* 1520, 1521, 1541, 1549.

XX. Johannes *Marrasin* regi ab eleemosynis 1559.

XXI. Helinus *de Lamoignon*, filius Francisci equitis condomini *de Mannay* ex Maria *du Coing*, germanus vero Caroli *de Lamoignon* domini *de Basville* regi a sanctioribus consiliis, prior sancti Petri de Monasterio, occurrit annis 1567, 1575.

XXII. Carolus *de Moret* 1589.

XXIII. Nicolaus *Bouillet* 1591.

XXIV. Blasius *Comu*, dominus *de Tournon*, primus commendatarius, occurrit annis 1611, 1618, 1629. Ex ruinis ecclesiolam ædificavit, domum abbatialem struxit. Possessiones ecclesiæ sub annuo censu laïcis oppigneravit, de proventibus centum libras turonenses superstiti deputans canonico.

XXV. Gabriel *Mignot* Blasii vestigia secutus, commendam obtinebat annis 1648, 1680.

XXVI. Michaël-Celsus-Rogerius *de Rabutin*, per fratris natu majoris obitum factus & ipse comes *de Bussi*, patrem habuit Rogerium *de Rabutin* comitem *de Bussi*, equitum leviter armatorum tribunum generalem, necnon exercituum regis ac provinciæ Nivernensis præfectum, animi operibus percelebrem, fato functum v id. Aprilis anni 1693; matrem vero Ludovicam *de Rouville* defunctam anno 1703 mense Augusto. Is vicarii generalis in diœcesi Arelatensi munia gerens ad cleri comitia generalia Parisiis habita anno 1705 fuit deputatus. Ecclesiæ collegiatæ Tarasconis decanatum a rege obtinuit IX cal. Januarii 1706, & episcopatum Lucionensem XVI kal. Novemb. 1723; consecratusque est X cal. Martii anni sequentis. Quo titulo a provincia Burdigalensi delegatus adstitit anno 1725 generalibus cleri comitiis, & ad regem orationem habuit IV id. Septembris. Ad regiam linguæ Francicæ Academiam admissus est VI id. Martii anni 1732. Diversa etiam monasteria in commendam obtinuit, videlicet Bellæ-vallis in diœcesi Nivernensi, S. Petri Flaviniacensis in Eduensi, & B. Mariæ de Spallo ordinis Caulium in Autissiodorensi. Apoplexia tandem percussus prid. kal. Novemb. anni 1736, vitam cum morte mutavit III non. ejusdem mensis, annos natus 67 vel circiter.

XXVII. N. *de Sollières* Nivernensis ecclesiæ decanus a rege designatus est V non. Julii anno 1737.

XXVIII. N. *de Chaffois*, canonicus Vesontionensis, commendam obtinuit 8 Augusti 1756.



Digitized by Google



ECCLESIA BETHLEEMITANA.

BETHLEEM urbs Palæstinæ in tribu Juda a Jebusæis condita, ab Jerosolymis 6000 passibus in Austrum distans Hebron versus, humili muro & absque turribus angustissimo circumdata spatio, multis nominibus celeberrima effecta est. In ea enim Jesus Christus filius Dei ex Virgine nascitur factus homo. In ea procidentes Magi adoraverunt eum. In Bethleem Judæ occidit multos pueros Herodes propter Dominum. In ea duo ædificavit monasteria Paula matrona Romana, virorum unum, virginum alterum, in quibus cum Eustochio filia & S. Hieronymo sepulta est. Duplexne illud monasterium adumbrabat canonicorum regularium cænobium, in quo prior, canonici, fratres ac etiam sorores regulam S. Augustini profitebantur, signum stellæ deferentes in capis & mantellis? Horum in ecclesia coronari voluit Balduinus rex Jerosolymorum anno 1101. Tanti memor beneficii & propter Dominicæ nativitatis præcellentiam episcopali Bethleem dignitate sublimare decrevit. Quapropter de consilio Jerosolymitani capituli, cui subjecta erat ecclesia Bethleemitica, Romam legatos ad Paschalem II misit, qui Gibelinum Arelatensem archiepiscopum cum legatis iisdem Jerusalem direxit. Gibelinus autem de mandato summi pontificis, cum beneplacito regis & assensu Jerosolymitani capituli Aschetinum ejusdem cantorem, qui jam Ascalonensis ab eodem designatus fuerat & ecclesiam Bethleemiticam gubernabat, eidem præfecit episcopum, quam Balduinus rex Jerusalem Latinorum primus dotavit anno 1110. Eidem devotus ecclesiæ anno 1168 Guillelmus Nivernensis comes in ea sepeliri voluit, cui legavit fundatam a se & a militibus suis anno 1147 domum Dei (Charta I, col. 371.) cum burgo Pantenerii, in quo sita erat, in vico Clameciaci, diœcesi Autissiodorensi & comitatu Nivernensi, ut haberet episcopus, si quando ab hostibus fidei extorris fieret, quo confugeret & (Ch. VI, col. 243.) ubi caput cum clericis suis reclinaret. Tenoris ejusdem sunt donata eidem ecclesiæ hospitalia in Italia, Hispania & Anglia, nisi quod solum Pantenerii hospitale remansit episcopo, quod ei a Guillelmo comite legatum confirmavit Mathildis comitissa Nivernensis mense Martio 1223, id est (Charta II, col. 372.) 1224, hinc longo tamen post tempore nominandi episcopi jus sibi vindicarunt comites Nivernenses. Episcopi autem quidquid jurisdictionis est ex illa prima donatione eis divendidere anno 1291, exceptis duntaxat cum hospitalis tum capellæ aliarumque possessionum dominio, necnon tam fratrum (Chart. III, col. 373.) quam conversorum eorumque qui se suaque domui dederint jurisdictione. In illa enim domo prior & fratres erant ac etiam sorores [a] ordinis Bethleemitani, quorum provisor, gubernator & rector (Chart. II, col. 238.) erat episcopus, nec ita pridem claustri adhuc supererant vestigia, in quo olim degebant. Pulsis e terra sancta Latinis, pulsus quoque Bethleemitanus episcopus, Clameciacum se recepit in domo Dei cum titulo & dignitate episcopi Bethleemitani, sed non ita ut episcopalia munia obire posset. Et certe licet eadem Bethleemitanis episcopis Francigenis privilegia ac cæteris regni præsulibus indulserit Carolus VI anno 1413, munia nusquam exercuere episcopi, nisi refragante clero Gallicano, (Chart. III, col. 239.) qui pensionem etiam eis assignavit anno 1635, ut ab eis abstinerent, quia, inquiunt Sammarthani, episcopus est absque ullo territorio, absque diœcesi, decimis, populo, vel clero, aliisve juribus, nec episcopus est hospitalis Pantenerii, sed Bethleemitanæ in partibus infidelium ecclesiæ, cui ecclesia seu capella hospitalis B. Mariæ *de Bethleem* nuncupatæ prope oppidum *de Clamecy* Autissiodorensis diœcesis in ducatu Nivernensi sita, sanctæ sedi immediate subjecta, perpetuo canonice unita existit. Verba sunt summi pontificis. Episcoporum nomina post Sammarthanos subjicimus, sex eorum qui a capitulo sunt electi, seu eorum qui post pulsos e Terra sancta Latinos a summis pontificibus dicti sunt, seu qui novissimis temporibus a Nivernensibus dominis designati regi & summo pontifici probati sunt.

[a] Prioratus d'*Ensen* ordinis Bethleemitani in diœcesi Adurensi, cujus priore fr. Petro de Monte-Olivo defuncto 23 Aprilis 1306, fratres hospitalis d'*Ensen* elegerunt M. Gaillardum de Fumo die martis sequenti.

EPISCOPI BETHLEEMITANI.

ANNI CHRISTI

I. ASCHETIMUS.

VIR illustris Aschetimus Jerosolymitanæ ecclesiæ cantor & Bethleemiticæ rector, quem Jerosolymitanum capitulum Ascalonæ expugnandæ prælegerat episcopum, a Gibelino Arelatensi archiepiscopo sedis Apostolicæ legato Bethleemiticæ primus præfectus est, cui de mandato summo pontificis Ascalonensem parochiali
1110. jure subjugavit anno 1110. Adfuit concilio quod Garmundus patriarcha apud Neapolim Samariæ urbem celebravit anno 1120. Subscripsit pactis 1120.
inter Venetos & principes regni Jerosolymitani
conventis anno 1123, ex Willelmo Tyrio. 1123.

II. ANSELMUS.

Unus ex nunciis quos Fulco Jerosolymorum rex remisit Johanni Comneno imperatori C. P. simulanti propositum loca sacra visitandi, erat Anselmus, qui litteras subjectionis & obedientiæ misit Innocentio II apud Cluniacum commoranti
anno 1132 calendis Februarii, & adstitit synodo 1132.

ANNI CHRISTI

quam apud Antiochiam convocavit Albericus A episcopus Ostiensis sedis Apostolicæ legatus pridie
1139. cal. Decembris 1139.

III. Gerardus I.

Generali curiæ quam Christiani principes
1147. in urbe Acconensi habuerunt anno 1147, ubi de statu Terræ sanctæ ad utilitatem christianitatis unanimiter pertractatum fuit, adfuit Gerardus. A summo pontifice obtinuit ut Absalon dominici Sepulcri canonicus regularis, quem Fulcherus
1154. patriarcha Ascaloniæ anno 1154 captæ consecraverat episcopum excluderetur, & Ascalonitana B ecclesia cum possessionibus ejus sibi & ecclesiæ Bethleemitanæ perpetuo annecteretur.

IV. Radulfus.

Anglus natione Radulfus, regis Jerosolymorum cancellarius, vir litteratus, sed nimis secularis, regi, reginæ cunctisque curialibus acceptus, per vim Tyrensem ecclesiam vacantem per translationem Fulcheri ad Jerosolymitanam, ejusque bona invasit posseditque per biennium, quousque ab Eugenio III summo pontifice missus obiit. Sed postmodum favore Adriani IV ejus popularis C ad ecclesiam assumtus est Bethleemitanam & episcopus ejus ordinatus est loci. Electioni Amal-
1157. rici patriarchæ Jerosolymitani an. 1157 contradixit & summum pontificem appellavit. In prælio quod Amalricus rex Jerosolymorum cum Sira-
1167. cono Soldani Ægypti prætore habuit anno 1167, graviter vulneratus, sua omnia amisit. Noradino Sultano Petram secundæ Arabiæ metropolim obsidente, Radulfus crucem Dominicam deportavit. Subscripsit instrumento Accone confecto
1170. anno 1170. « Denique, ut Willelmi Tyrii » verbis absolvam, vere proxime subsecuto anni
1173. » 1173 venerabilis frater dominus Radulfus felicis » memoriæ Bethleemita episcopus & regius can- D » cellarius, vir liberalis & benignus admodum » diem fatalem ingressus est, in capitulo ecclesiæ » suæ honorifice sepultus, post cujus obitum dum » in eadem ecclesia de pastore substituendo tractatus » haberetur, votis dissonis deciderunt in quæstiones » difficiles, quæ domini Balduini successoris do- » mini Amalrici regis & filii ejus terminatæ sunt » anno secundo, quæ prædictam ecclesiam Bethleemitanam ad multa traxerunt dispendia ».

V. Albertus.

Petri eremitæ nepos Albertus, Bethleemitanæ E
1175. sedi præfectus anno 1175, sanctam Crucem gestabat in certamine Balduini IV adversus Salohadinum Ægypti soldanum circa 1176, ex Willelmo Tyrio, qui ejusdem meminit ad annum 1181. Concilio Lateranensi, ut episcopus
1179. provinciæ Palæstinæ primæ interfuit anno 1179. Huic dedit Ubaldus Pisanorum archiepiscopus
1186. anno 1186, x cal. Januarii, ecclesiam S. Martini
Ugh. t. III, col. 485. sitam prope Pisas, in loco qui dicitur *Vetula*, ut tam Albertus quam successores possent in ea habitare & ecclesiam illam custodire, & reditibus ejus ad utilitatem ecclesiæ de Bethleem uti.

Tomus XII.

VI. Petrus I.

Alberto successit Petrus ex Ughello, t. IV, col. 1097. Sedis Apostolicæ legatus, unus fuit e 12 electoribus Balduini I imperatoris Latini C. P. anno 1204. Cum Nivelone Suessionensi 1204. & G. Trecensi subscriptus reperitur chartæ anno 1205. Occurrit & 1206 ibid. t. III, col. 490. 1205. 1206.

VII. Regnerius.

Innocentio III summo pontifice, R. subdiaconus Romanæ ecclesiæ & P. canonicus dominici Sepulchri electi fuerant ad sedem Bethleemitanam, quorum ille a Jerosolymitano patriarcha confirmatus est, huic autem rex Jerosolymorum favebat. Re ad Innocentium delata, pontifex commisit cardinales P. tituli basilicæ XII Apostolorum, J. tituli S. Stephani in Cælio monte, & G. S. Mariæ in Porticu, qui de duplici electione inquirerent & ad ipsum referrent. Sufficienter autem instructus utramque irritavit, sed R. subdiaconum, qui se ostenderat per secularem potentiam spoliatum, restituendum decrevit, apud Baluz. t. I, epistol. Innocent. III, p. 585. Numquid is est Regnerius qui adstitit conventui quem Honorius III habuit anno 1223 in Cam- 1223. pania de subsidiis in Terram sanctam ferendis, *Charta II, col. 372.* cui Regnerio Matildis comitissa Nivernensis confirmavit mense Martio 1223 (1224) legata 1224. a Guillelmo comite anno 1168?

VIII. Godefridus.

Godefridus de Præfectis Romanæ urbis *al.* de Præferatis, forsan male, Innocentii IV capellanus quem Roma Lugdunum petentem medio anno 1244 comitatus est, electus Bethleemitanus & a summo pontifice confirmatus, cum capitulo suo Mathildi comitissæ Nivernensi villam de Cersiaco in diœcesi Æduensi sitam concessit pro 40 libris annui reditus IX cal. Maii 1245, 1245. & cum eadem alias quasdam conventiones & *Chart. I, col. 237.* permutationes fecit. Eidem adhuc electo in Anglia existenti nomine ipsius, successorum & capituli Bethleemitani dedit anno 1247, die Mercurii 1247. post festum S. Lucæ Simon civis Londinensis terram in parochia S. Botulphi extra Bishopsgate London. ad faciendum prioratum & instituendos ibidem priorem, canonicos, fratres ac etiam sorores, qui regulam & ordinem ecclesiæ Bethleem profitentes, signum stellæ deferrent in capis & mantellis, & ad divina ibidem celebranda, & specialiter ad recipiendum episcopum Bethleemitanum, canonicos, fratres & nuncios ecclesiæ Bethleemitanæ, & ut ibidem oratorium institueretur, cujus ordinatio ad episcopum Bethleemitanum pertineret, & in signum subjectionis dictus locus solvere debebat annuatim unam marcham sterlingorum in Pascha dicto episcopo, nomine census. Chartam habes in monasterio Anglicano, t. III, col. 381. Occurrit adhuc Godefridus anno 9 Innocentii IV summi pontificis x cal. Aug.

IX. Thomas.

Professione Dominicanus Thomas, factus est *Agni de Lentino al. de Leontio, seu de Lentil,*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI episcopus Bethleemitanus ab Alexandro IV anno 1255, ex Bernardo Guidonis. Huic Apostolicæ sedis legato in Accon Benedictus episcopus Massiliensis tractatum suum de SS. Trinitate & fide Catholica nuncupavit, litteris datis anno 1261, in quibus laudat vitæ ejus sanctitatem & scientiæ splendorem. Scripsit Henrico III Angliæ regi de malis Terræ sanctæ imminentibus, 4 Aprilis 1263. Eodem anno Romam repetiit ad Urbanum IV pericula Terræ sanctæ immi-

1264. nentia expositurus, a quo anno 1264 pontificiæ in plebem Romam commissæ ei sunt vices, dum ipse apud urbem veterem moraretur, injunctumque ut crucis vexilla adversus Manfredum attolleret. A Clemente IV ad Cusentinam in Calabria ecclesiam translatus est 18 Aprilis

1267. 1267, indeque ad Jerosolymitanam 1272.

Baluz. Miscell. t. VI, p. 350.

X. GALHARDUS.

D'ORSIAUT. Vasco natione Galhardus, ordinis Dominicani alumnus, post translatum Thomam Bethleemitanus episcopus, ad partes Longobardiæ missus

1268. est pro quibusdam negotiis ineunte anno 1268.

XI. HUGO.

DE CURCIS al. CURTIS. au CORTES. Ordinis Prædicatorum alumnus Hugo natione Neapolitanus, ex episcopo Trojano factus Beth-

1279. leemitanus a Nicolao IV anno 1279, VII id. Octobris. Delegatus est ab Honorio IV ad colligendas Italiæ decimas adversus Petrum Aragonum

1285. regem anno 1285. Roberto comiti Nivernensi

1291. divendidit 27 Aprilis 1291, pro 20 libris annui redditus, quidquid jurisdictionis ac dominii temporalis habebat in burgo Panteneri. Cum priore Dominicanorum Paris. ad ducem Austriæ legatus fuit ex compoto ballivorum Franciæ de termino

1295. Omnium sanctorum anno 1295. Inter alios

1296. præsules interfuit 21 Januarii 1296, quando Petrus *Flotte* miles litteras Guidonis Flandriæ comitis recitavit.

Charta III, col. 373.

¶ Gerardus Dominicanus Gallus obiit anno 1300. Petrus de S. Maxentio Dominicanus. Hugo Turonensis Dominicanus, Hi tres fide & auctoritate Dominicanorum.

XII. WLFRANNUS.

D'ABBEVILLE. Ambianensis Dominicanus Wlfrannus Carolo II Siciliæ regi admodum carus, a Bonifacio VIII creatur episcopus circa annum 1301. Adfuit

1313. an. 1313 aut 1314 dedicationi ecclesiæ de Escoyaco diœcesis Rotomagensis. In litteris quibus Robertus archiepiscopus Remensis vocat præsules ad concilium Silvanectense anno 1316, ad discutiendam causam Petri Catalaunensis episcopi, Bethleemitanus episcopus etiam recensetur ac locatur inter Lemovicensem & Bajocensem.

XIII. JOHANNES I.

DE HECLESCLIFF. Dominicanus Anglus Johannes, ex Bethleemitano factus est Conorrensis in Hibernia epis-

1323. copus, demum Landavensis in Anglia an. 1323.

XIV. PETRUS. II.

E Signiensi Petrus transfertur ad Bethleemi-

1347. tanam ecclesiam anno 1347, ex Ughello, t. I, col. 151. Præsens fuit traditæ terræ de Augusta episcopo Æduensi a Petro cardinali Ostiensi, ex legato Petri Bertrandi cardinalis apud Montem altum prope Avenionem 21 Julii 1355. 1355.

XV. DURANDUS.

Mariæ imperatricis C. P. nuncius Durandus, missus est ad eam cum litteris Innocentii IV, datis Avenione VI id. Januarii, pontificatus 9, 1361. 1361.

XVI. ADEMARUS.

Vacanti Bethleemitanæ sedi ab Urbano V præfectus est Ademarus Dominicanus 13 Nov. 1363. DE LA ROCHE, 1363.

¶ Johannes Salvutius Fucinas Minorita, e Bethleemitana ad Lucensem translatus legitur ecclesiam an. 1383, apud Ughellum, t. I, p. 882. Attamen

XVII. GUILLELMUS I.

Autissiodorensis Dominicanus Guillelmus, DE VALAN. episcopus Bethleemitanus erat & duci Burgundiæ a consiliis & confessionibus annis 1371, 1379, 1371. 1381 & 1382, & Carolo VI Franciæ regi 1379. a confessionibus 2 Februarii 1385, qua die 1381. assignatæ fuerunt ei 200 libræ turonenses annui 1382. reditus. Accepit 200 libras honorarii gratia 21 1385. Septembris 1386. Ab Urbano VI delegatus est 1386. executor contra fautores & complices Roberti antipapæ. Translatus est ad Ebroicensem ecclesiam anno exeunte 1388, ut diximus, t. XI.

XVIII. JOHANNES II.

Natione Flander Johannes, ordinis Prædicatorum alumnus, erat episcopus Bethleemitanus circa 1391. DE GENENCE. 1391.

XIX. GUILLELMUS II.

Ex Decano Nivernensi Guillelmus episcopus MARTELLET. Bethleemitanus, ordines sacros celebravit in monasterio Corbeiensi anno 1401. Parisiis ægrotans 1401. in vico Pavato prope vicum sancti Victoris testamentum condidit 23 Maii 1402, cujus 1402. executores dixit Guillelmum abbatem sancti Germani Parisiensis, & Johannem *Arnoul* baccalaureum in decretis. Sepultus est in ecclesia S. Germani a Pratis apud Parisios.

XX. JOHANNES III.

Ordinis Minorum alumnum Johannem ex L'AMY. episcopo Bethleemitano factum Sarlatensem diximus anno 1407, t. II. col. 1519. 1407.

XXI. LANFRANCUS.

A Philippo de Burgundia comite Nivernensi nominatus anno 1407 Lanfrancus, concilio Pisano adfuit anno 1409, e provincia Viennensi 1409. Bethleemitanus episcopus.

XXII. GERARDUS II.

Defunctum volunt Sammarthani Gerardum *de Gisors* circa annum 1321, sepultumque Parisiis apud Carmelitas Maubertinos; numquid Gerardus est? per cujus obitum

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

XXIII. Michael.

Ordinis Minorum alumnus Michaël fit episcopus Bethleemitanus a Johanne XXIII idibus
1410. Julii, pontificatus III, 1410.

XXIV. Johannes IV.

Marchand. Patria Senonensis & professione Dominicanus Johannes, Johanni Burgundiæ duci a confessionibus, Bethleemitanus erat episcopus 22 Octob.
1411. 1411, qua die odeum Dominicanorum Insulensium consecravit. Huic & successoribus Francis, seu qui regi fidem jurarent, bona confirmavit
Chart. III. col. 139. Carolus VI, diplomate dato mense Februario B
1412. 1412, eademque indulsit privilegia quibus potiuntur cæteri regni præsules regis consiliarii. Duci adhuc a confessionibus Johannes annis 1418 & 1419, obiit 11 Decembris 1422, non 1424 ex Laurentio *Echard*, & sepultus est in odeo Dominicanorum Insulensium. Æmulum passus videtur ordinis S. Benedicti monachum
1421. M. qui sedebat anno 1421, ex tabulis quas laudant Sammarthani. Et certe Martinus V Johanni de S. Jacobo magistro in Theologia commendavit XIV cal. Julii, pontificatus 4, bona in Castellæ & Legionis regnis sita ad mensam episcopalem Bethleemitanam spectantia durante C schismate, quamdiu episcopus Bethleemitanus æmulum pateretur, & donec dictus Johannes aliam provisionem assecutus fuisset. Pontificium diploma edidit Waddingus, t. V, Append. p. 87.

XXV. Laurentius.

Pignon. Patria Senonensis Laurentius, professione vero Dominicanus, in theologia baccalaureus, duci Burgundiæ a confessionibus erat 6 April. 1419 & 6 Februarii 1421. Fit episcopus Bethleemitanus per obitum Johannis a Martino V, III non.
1423. Martii 1423, & ad Autissiodorensem transfertur ab Eugenio IV, pridie cal. Junii 1432, ex D regestis Vaticani.

XXVI. Johannes V.

de la Roche. Frater Johannes de Roca magister in theologia, fit episcopus Bethleemitanus a Martino V, IV id.
1428. Decemb. 1428, & transfertur ad Cabellicensem per obitum Ferrerii Gilberti, ab Eugenio IV, V id. Septembris, pontificatus 3 aut 4, ex regestis Vaticani. Præsens fuit absolutioni datæ a legato Apostolico, Dominico de Bona fide Cartusiano, cardinali creationis Clementis III antipapæ, 24
1429. Aug. 1429. Concilio Dertusiensi adfuit, mense E sequenti missam celebravit elegantemque habuit orationem.

XXVII. Dominicus.

Ordinis Minorum Dominicus alumnus, Theologiæ magister, sufficitur Johanni ad Cabellicensem translato ab Eugenio IV, V cal. Octob.
1434. 1434, ex regestis Vaticani, *al.* VII cal. Octob. 1433, auctore Waddingo.

XXVIII. Arnulfus-Guillelmus.

Arnulfus-Guillelmus *de Limonne* Carmelita, A theologiæ professor, Carolo Burgundiæ duci a confessionibus, fit episcopus per obitum Dominici ab Eugenio IV, VI cal. Decembris 1436, 1436.
ex regestis Vaticani. Ecclesiam suam bellis destructam ædificavit 1445. Adstitit hominio quod 1445.
comes Nivernensis præstitit episcopo Autissiodorensi anno 1450.

XXIX. Stephanus.

Ordinis Minorum alumnus Stephanus Pilerandus, theologiæ magister, fit episcopus per Pilerandus.
obitum Arnulfi Guillelmi, 7 Octobris 1457. 1457.

XXX. Johannes VI.

Minor ita quoque Johannes & theologiæ Beretout.
professor, fit episcopus Bethleemitanus VI cal. Septembris, Pii II anno 4, 1462, ex regestis 1462.
Vaticani.

XXXI. Antonius I.

Ordinis Carmelitarum alumnus Antonius, Buisson.
quem e familia *d'Aubusson* & linea ioparcharum *de la Borne* quidam perperam ortum volunt, theologiæ professor, electus est episcopus Bethleemitanus calendis Junii, Pii II an. 6, 1464, 1464.
cui episcopus Augustodunensis hoc anno contulit capellam B. Mariæ Domus Dei de Bethleem, unde inter episcopos Autissiodorensem & Augustodunensem jurgia & lites. De licentia episcopi Cabilonensis consecravit anno 1466 ecclesias 1466.
Carmelitarum & Franciscanorum Cabilonensium. Johannis autem *Rollin* vicarius generalis, necnon prior Anziaci & S. Rachonis synodum habuit mense Novembri 1468. 1468.

XXXII. Franciscus I.

Antonio successit Franciscus, Pauli II anno 4, 1468, ex regestis Vaticani.

XXXIII. Christophorus.

E Marchionibus Incisæ ortus Christophorus, L'Ami.
electus per obitum Francisci legitur cal. Februarii 1472 in regestis Vaticani. 1472.

XXXIV. Johannes VII.

Professione Dominicanus Johannes & theo- Pilory
logiæ professor, electus est per obitum Antonii *al* Bilarus.
XV cal. Octobris 1477 ibid. Suffraganeus & 1477.
vicarius generalis Ludovici *de Gaucourt* episcopi Ambianensis, consecravit ecclesias S. Andreæ 27 Maii, & S. Georgii 29 ejusdem mensis an. 1478 in urbe Ambianensi. 1478.

XXXV. Bertrandus.

Ordinis Minorum religiosus Bertrandus, suf- Aldegeri.
fraganeus erat Juliani *de la Rovère* episcopi Mimatensis, anno 1481. Ecclesiam Minorum 1481.
oppidi Vici comitis diœcesis Claromontensis benedixit anno 1484. 1484.

§ Petrus de S. Maximino Dominicanus provincialis sedebat 7 Januarii 1489, ex libro Provisionum Innocentii VIII, quem citant Dominicani.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

XXXVI. Hubertus.

XXXVII. Jacobus.

Hemeré. B. Mariæ de Salis Bituricensis diœcesis canonicus Jacobus, licentiatus in decretis, electus est Bethleemitanus episcopus per translationem Hu-
1492. berti ad Dariensem III non. Decembris 1492. Utebatur hoc lemmate: *Post tenebras spero lucem.*

XXXVIII. Johannes VIII.

Apostolus. Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini alumnus Johannes Apostolus, magister in theologia electus est per obitum Jacobi VII id. Martii
1498. 1498.

XXXIX. Antonius II.

Coinel al. de Crenel. Ordinis Humilium religiosus Antonius, regi a consiliis primusque ejus capellanus, episcopus erat Bethleemitanus & abbas Stellæ Pictaviensis anno
1501. 1501. Eodem querelam habuit cum parocho Clameciaci pro administratione sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ quam sibi asserebant episcopi Bethleemitani in oblatos fratres ac sorores laicos, necnon incolas hospitalis Bethleemitani.
1512. Cessit anno 1512 in manibus summi pontificis.

XL. Martinus.

Bailleux. Dulcis dictus Martinus, ordinis Minorum alumnus & theologiæ professor, ex episcopo Arcadiæ ab anno 1507, III non. Julii, Bethleemitanus per cessionem Antonii nominatus est Donziaci a Francisca *d'Albret* comitissa Niver-
1513. nensi, 23 Martii 1512, id est 1513, & a Leone X bullis donatus X cal. Julii, pontificatus 1.
1515. Cessit an. 1515 parochia *de Chambon* in diœcesi Bituricensi. Querelam habuit cum parocho Clameciaci de sepulturis in ecclesia sua, 25 Februarii
1518. 1518.

XLI. Philibertus.

De Beaujeu. E stirpe incylta dynastarum Bellijocensium editus Philibertus, monachus S. Benigni Divionensis, prior sancti Germani Autissiodorensis, doctor in decretis, abbas S. Severi Adurensis & de Fesia Burdigalensi, reginæ a consiliis, eleemosynis & supplicibus libellis, designatus a Maria *d'Albret* relicta Caroli *de Cleves* an. 1521, per obitum Martini, bullis donatus est a Clemente
1524. Charta IV, col. 241. VII, die 16 Septembris 1524 pro ecclesia Bethleemitana, quæ in partibus infidelium existit, & cui ecclesia de Bethleem nuncupata B. Mariæ prope oppidum Clameciaci Autissiodorensis diœcesis in comitatu Nivernensi, Romanæ ecclesiæ immediate subjecta, perpetuo canonice unita & annexa est, ita ut ad ecclesiam prædictam se conferret, & in ea personaliter resideret nec extra suas civitatem & diœcesim pontificalia posset exercere. Ecclesiam Lingonensem conci-
1526. liavit 25 Martii 1526. Ecclesiam S. Michaëlis
1529. Divionensis consecravit VI id. Decemb. 1529. Suffraganeus erat & vicarius generalis episcopi
1530. Autissiodorensis annis 1530, 1531, 1534 &
1531. 1535. Nominatus est a rege decanus ecclesiæ

A collegiatæ Avalonensis 10 Aprilis 1536, & admissus ab eodem capitulo 14 Martii. Pro- 1536.
mulgavit 16 Aprilis 1538 bullam Pauli III 1538.
pro secularisatione abbatiæ Vizeliacensis. Consecravit ecclesiam S. Hilarii *de Challemant* 24 eorumdem mensis & anni, duo altaria in ecclesia Carthusianorum Bassæ-villæ 26 Julii 1546, 1546.
eodemque anno ecclesiam monialium tertii ordinis S. Francisci Castri-villani. Plura acquisivit e quibus fundavit sex canonicos in ecclesia B. Mariæ de Bethleem prope Clameciacum, quos ad preces decani, canonicorum & capituli hujus ecclesiæ approbavit 13 Julii 1556 cardinalis *de Givry*
B episcopus Lingonensis, vicarius generalis cardinalis *de Chastillon*, abbatis S. Benigni Divionensis, cujus monachus Philibertus licentiam non requisierat. Sed hæc fundatio suum non videtur effectum sortita.

5 Sequuntur post Philibertum quinque qui fuisse tantum nominati dicuntur a Sammarthanis, sed non consecrati.

Dominicus *Flelin* al. *Philetien*, presbyter Bituricensis & canonicus Nivernensis, nominatus est episcopus Bethleemitanus a Francisco *de Cleves* duce Nivernensi 10 Februarii 1555.

Urbanus *Reversy* al. *de Reversin*, presbyter
C Andegavensis, doctor theologus, canonicus & præcentor ecclesiæ Senonensis, designatur a Francisco duce 28 Aprilis 1558, & confirmatur a summo pontifice per obitum Philiberti 17 Julii 1560.

Antonius *Trusson*, abbas Omnium sanctorum Catalaunensis urbis ordinis Augustiniani, nominatus a Francisco *de Cleves* duce Nivernensi 5 Decembris 1560, supererat adhuc 1574. Chart. V, col. 241.

Carolus *Bourbonnat* canonicus regularis de (*Germenay*) 1568.

Ludovicus *Hebert* doctor theologus, a duce Nivernensi nominatus, nondum a summo pon-
D tifice confirmatus erat anno 1579.

Simon *Jourdain* canonicus regularis & prior S. Gildasii Nivernensis, nominatur ultima Maii 1584 Parisiis, a Ludovico Gonzaga duce Nivernensi, per obitum Caroli. Simone defuncto, vacabat sedes 3 Septembris 1591.

Interim a tributis quibuscumque ecclesiasticis episcopos Bethleemitanos ut pote hospitalis simplicis episcopos annis 1576 & 1586 vindicavere 1576.
pontificii legati, ut reliqua regni hospitalia. 1586.

XLII. Ludovicus.

Francisci *de Cleves* ex Antonia *du Bouchet*, De Cleves.
E nothus Ludovicus, commendatarius Boni-radii & Omnium sanctorum Catalaunensium, necnon prior Caritatis ad Ligerim, hospitalis Bethleemitani administrator ab anno 1591 ad 1601, 1601.
episcopus designatus a Gonzaga *de Cleves* duce Nivernensi, 17 Octobris 1601, per obitum Philiberti ultimi possessoris, bullis est donatus a Paulo V, die 3 Augusti 1605, quibus inter- 1605.
cessit episcopus Autissiodorensis. Attamen consecratur Parisiis dominica Passionis, 12 Martii 1606, in sacello superiori episcopi, a Petro 1606.
cardinali *de Gondi*, Henrico *de Gondi* Parisiensi,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

& Carolo *de S. Sixte* Reiensi episcopis assistentibus. A
Obiit Boniaci 22 Martii 1609, inde translatus,
1609. ut jusserat, ad Caritatem, ibique sepultus in choro.

¶ Erardus *de Rochefort* nominatus quidem est a Carolo *de Gonzagues* duce Nivernensi, post obitum Ludovici, anno 1609, sed propter impensas nec bullis nec unctione donatus est.

XLIII. Johannes IX.

DE CLEVES. Ludovici ex fratre notho quoque nepos Johannes, abbas Omnium sanctorum Catalaunensium & prior Caritatis, consecratur episcopus Bethleemitanus in ecclesia Capucinorum Paris. a Francisco cardinale *de la Rochefoucaud*, adstan- B tibus Paulo Aquensi archiepiscopo & Renato
1615. episcopo Trecensi, anno 1615. Consecravit sacellum inferius ecclesiæ Vizeliacensis 20 Martii 1616. Decessit in prioratu Caritatis 9 Octob.
1619. 1619, conditus cum patruo decessore in capite chori majoris ecclesiæ B. Mariæ.

XLIV. Andreas.

DE SAUZAY. Superioris ex matre forsan nepos Andreas, in pago Forensi apud Montem Brusonis natus, Parisiis rector collegii Augustodunensis, episcopus Bethleemitanus a Carolo duce Nivernensi nominatus post obitum Johannis, & a rege confirmatus, C pontificias obtinuit bullas Romæ datas apud S.
1623. Mariam-majorem x cal. Novembris 1623. Consecratus in sacello B. Mariæ in claustro S. Germani a pratis Parif. ab Alfonso *de la Croix* episcopo Gratianopolitano, assistentibus Raphaële *de Bologne* Megarensi & Sebastiano *de Rosmadec*
1624. Venetensi episcopis 18 Februarii 1624, ejusdem sacelli majus altare post ipse consecravit 2 Julii
1630. 1630. Quinquennio post cum paupertate coactus ordines quoslibet in ecclesia sua indistincte celebraret, absque episcoporum litteris, in comitiis
1635. generalibus anni 1635 ab episcopo Autissiodorensi apud patres in jus vocatus, decessorum D suorum exemplum ab annis 400 attulit, inopiamque causatus est suam, pollicitus se non amplius ordines celebraturum, si ita Universitati placeret, quin immo abolendo episcopatui assensus, cui ea lege 400 librarum pensio a clero ibidem assignata est. Eodem anno 1635 erat coadjutor seu suffraganeus Joachimi episcopi Claromon-
1643. tensis. Testamentum condidit 24 Julii 1643, in quo 300 libras annuas legavit hospitali Bethleemitano in gratiam pauperum, ita ut missa quotidie celebraretur in ecclesia hospitalis. De-
1644. cessit Parisiis 13 Aprilis 1644, sepultus in æde E majori S. Augustini.

XLV. Johannes-Franciscus.

DE BONTEMPS. Andrea defuncto, nominatus est a duce Mantuano Johannes-Franciscus, doctor theologus, regi ab eleemosynis & concionibus, quem rex ipse commendavit litteris ad cardinalem Estensem datis 21 Aprilis, & ad legatum suum 15 Junii 1644. Reperitur adhuc in chartis 19 Junii
1650. 1650, quo anno majori ecclesiæ portæ inscriptum fuit : *Eglise de l'évêché Notre-Dame de Bethléem immédiatement dependante du S. Siége, 1650.*

XLVI. Christophorus.

Antonii domini S. Andreæ ex illustri familia de Altieri, si qua auctori vitæ ejus fides, & Claræ *de Seguier* filius erat Christophorus, Massiliæ natus 6 Aprilis 1609. Adolescens monasticen in abbatia sancti Victoris apud Massiliam suam patriam professus est 11 Octobris 1627. Theologiæ cum operam daret in Avenionensi Societatis Jesu collegio, consilium concepit instituendi congregationem Clericorum sub titulo sanctissimi Sacramenti, quam summus pontifex bulla 20 Septemb. 1647 confirmavit. Post multos annos in Missionibus transactos Romam profectus, consecratur episcopus Bethleemitanus die 26 Martii 1651 a cardinali Spada in ecclesia S. 1651.
Hieronymi, ad preces ducis Nivernensis, jubente summo pontifice. Missus est a clero Gallicano Romam ineunte anno 1652, ut a rege Por- 1652.
tugalliæ nominati vacantibus regni illius ecclesiis a summo pontifice præficerentur. Cessit mense Octobri 1663. Post multos labores pro ecclesia 1663.
exantlatos, virtutibus bonisque operibus ditissimus ac cœlo maturus, in seminario Valentiæ obiit 17 Septembris 1667 ibique sepultus est. Ejus vita scripta a Nicolao *Borely* presbytero doctore theologo, edita est Parisiis anno eodem, & Lugduni 1703.

D'AUTHIER DE SISGAU.

XLVII. Franciscus II.

Ordinis Capucinorum alumnus Franciscus, episcopus Bethleemitanus per cessionem superioris, Romæ sacratur a Cardinali Pio 25 Junii 1664. 1664.
Regi fidem obstrinxit 8 Maii 1665, possessio- 1665.
nemque iniit 8 Junii sequentis. Ordines celebravit in ecclesia Autissiodorensi anno 1666. Corpus B. Idæ comitissæ Boloniensis e terra levavit 28 Septembris 1669 in ecclesia prioratus de Vaslo coram episcopo diœcesano, missus a Margarita *de Lorraine* relicta Gastonis Aurelianensis. Æmulum passus est Franciscum *Servier* designatum a duce Nivernensi, quem Parisiensis senatusconsulto evicit 13 Junii 1673, quo statutum fuit ut 1673.
capella & domus B. Mariæ de Bethleem prope Clameciacum, unitæ episcopatui Bethleemitano, cederent Francisco *de Batailler*, nullusque deinceps episcopus Bethleemitanus capella domoque prædictis potiretur, nisi nominatus a duce Nivernensi & a rege confirmatus. Indulgentias a Clemente X sodalitati S. Philiberti erectæ in ecclesia B. Mariæ de Bethleem oppidi *de Clamecy* Autissiodorensis diœcesis, concessas 23 Novemb. 1672, publicari permisit in ecclesia sua 18 Julii 1673. In ecclesia sancti Germani a pratis Parisiensis consecravit altaria S. Symphoriani 1670, majus 3 Martii 1678 & S. Casimiri ac S. Margaritæ 1678.
1683. Conventiculis a clero Gallicano Parisiis 1683.
habitis in palatio archiepiscopi adstitit annis 1681 & 1688. De Licentia archiepiscopi Parisiensis 1688.
visitavit 10 Novemb. 1692 reliquias SS. Vin- 1692.
centii, Benevenuti & Bonifacii Martyrum, a summo pontifice donatas 20 Aprilis 1672, capsas benedixit 22 Maii 1694, quæ in ecclesiam Bethleemitanam solemniter translatæ sunt

DE BATAILLER.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI a clero Clameciacensi 20 Junii anni ejusdem, A
cum permissu Andreæ episcopi Autissiodorensis. Factus est commendatarius Juncellensis in diœcesi Biterrensi 1686, tum S. Eusebii ibidem 1688, demum permutatione cum episcopo Convenensi
1693. 1693 Buxeriensis in diœcesi Augustodunensi.
1701. Obiit 22 Junii 1701, annos natus 84. Sepultus jacet in ecclesia S. Crucis de Britoneria.

ſ Ludovicus *de Senlecque* Parisinus canonicus regularis congregationis Gallicanæ, duci Nivernensi gratissimus & familiaris ob nimiam in pingendis versibus gallico idiomate facilitatem & felicitatem, ab eo episcopus Bethleemitanus designatus quidem est & regi præsentatus 24 Junii 1701, sed ei non probatus. B

XLVIII. Cherubinus-Ludovicus.


LE BEL. Professione Minor Recollectus Cherubinus-Ludovicus, definitor generalis ordinis sancti Francisci, episcopus Bethleemitanus nominatus a duce Nivernensi anno 1701, & regi approbatus, Romæ propositus 27 Novembris, &
1713. proclamatus 11 Decemb. 1713, bullas obtinuit
1714. die crastina. Consecratur 4 Februarii 1714 in C
æde sacra Recollectorum Paris. a veterano episcopo Tutelensi, assistentibus episcopo Arethusano suffraganeo & coadjutore Vesontionensi, & episcopo Sanctonensi. Regi fidem dixit 14 mensis ejusdem. Possessionem per procuratorem iniit 28 Maii. Donatur pensione 1200 librarum, ab archi-
1721. episcopo Viennensi solvenda 8 Januarii 1721. Donatur & commenda Loci-restaurati Suessio-
1724. nensis mense Julio 1724. Lites de jurisdictione muniisque pontificiis cum episcopo Autissiodorensi exercuit, quæ sub judice dum sunt, obiit 8 Octobris 1738 in conventu Recollectorum Paris. annos natus 77. 1738.

XLIX. Ludovicus-Bernardus.

Ordinis S. Benedicti monachus Ludovicus-Bernardus, assistens superioris generalis congregationis S. Mauri, nominatus a duce Nivernensi 1 Decembris 1738 & a rege confirmatus, bullas obtinuit VII id. Martii 1739. Ab archiepiscopo Parisiensi consecratus est dominica in Albis 5 Aprilis anni ejusdem in sacello superiori archiepiscopi, assistentibus episcopis Vivariensi & Tarbiensi. Regi fidem dixit 20 Aprilis, & possessionem per procuratorem iniit 19 Augusti. Factus inde commendatarius Maurimontis Catalaunensis, necnon visitator generalis Carmelitanarum virginum Franciæ, earumdemque superior in oppido S. Dionysii Parisiensis, ibidem obiit die lunæ 22 Aprilis 1754, & die sequenti sepultus est a monachis S. Dionysii in sanctuario ecclesiæ monialium. LA TASTE. 1739. 1754.

L. Carolus-Maria.

Portus-Gratiæ parochus, jam Ripatorii Trecensem a mense Februario commendam tenebat Carolus-Maria, cum a duce Nivernensi nominatus, a rege confirmatus est episcopus Bethleemitanus mense Maio 1754. Romæ proclamatus 16 Augusti anni ejusdem, inunctus est Parisiis in sacello seminarii sancti Sulpicii ab episcopis Cadurcensi, Diensi & Grassensi, 19 Januarii 1755, & regi fidem dixit 24 eorumdem mensis & anni. DE QUELEN.



PROVINCIA

Digitized by Google

PROVINCIA ALPIUM GRAIARUM ET PENNINARUM

IN QUA CIVITAS CENTRONUM DARANTASIA.

DARANTASIA una ex ſeptemdecim provinciis Galliarum, nunc eſt provincia ducatus Sabaudiæ inter Alpes Graias ad ortum, Maurianam ad meridiem, Sabaudiam propriam ad occaſum & Foſſiniacum tractum ad Boream. Regionem hanc inhabitabant Centrones noti Cæſari in libro I, noti Straboni qui ſupra Salaſſos in verticibus montium eos ponit, noti Plinio a quo Octodurenſium finitimi dicuntur, noti & Ptolemæo qui in Graiis eos Alpibus intra Italiam ponit, quemadmodum Alpes & gentes Alpinas omnes in Italia non in Gallia collocat. Centronum populi nomen ſincerum & integrum ſervat hodieque vicus cognominis a foro Claudii Aximam petenti ad dexteram conſpicuus. Duæ illæ ſunt Ptolemæo Centronum urbes, quarum Axima a foro Claudii 4 leugis diſtans, nunc ex urbe vicus eſt magnus. Forum autem Claudii gentis caput a Romanis ſic dictum eſt, quod ibi Claudius regionis præfectus primus jus dixiſſet, & quod hic juridicus eſſet conventus. Urbs poſtea deſtructo foro dicta eſt Darantaſia Honorio imperante ſeculo V ineunte. Sic dicitur in tabula Theodoſiana, in itinerario Æthici, in homilia S. Aviti, in vita Epiphanii, denique in veteribus notitiis provinciarum & civitatum Galliæ; ubi civitas Centronum Darantaſia in provincia Alpium Graiarum & Penninarum & poſt metropolis civitas Centronum Darantaſia vocatur, quod nomen urbi primo attributum, totus tractus Alpinus Centronum etiamnum retinet.

Metropolis tamen eccleſiaſtica nondum erat Darantaſia, quæ ſeculo tantum V ineunte proprios habuiſſe videtur epiſcopos ab Arelatenſi antiſtite directos: unde mirum quod aliquanto poſt Leo I ſummus pontifex an. 450 ſtatuerit ut Viennenſis epiſcopus Darantaſiæ oppido inter alia præſideret, quod decretum Symmachus an. 513 confirmavit. Erat ergo tum Darantaſia una de civitatibus provinciæ Viennenſis ac Viennæ ſubjecta: adeo alterius provinciæ, nimirum Alpium Graiarum & Penninarum caput atque metropolis eſſe non poterat. Poſtea quidem ex apoſtolica auctoritate aliquibus oppidis prælatus eſt epiſcopus Darantaſienſis, puta Sedunenſi, Auguſtenſi, & Maurianenſi; unde in concilio Francofordienſi anni 794 de Darantaſia legatio facta eſt ad ſedem apoſtolicam, ut quidquid per pontificem eccleſiæ Romanæ definitum foret, teneretur. Sed a Leone III poſt concilium ſtatutum ut provincia Alpium Graiarum ditioni Viennenſis eccleſiæ ſubmiſſa, ſicuti a prædeceſſoribus ſuis confirmatum fuerat, maneret. « Nec enim, inquit Leo, debet epiſcopus ſupradictæ provinciæ humilitatis viam in ſubditione majoris contemnere, cum conſtet eum gratia « muneris aliquibus prælatum excellere ». Seculo inſequenti Nicolaus I poſt recenſita ſeptem oppida juri Viennenſis eccleſiæ ſubjecta, hæc de Darantaſia ſubdit: « neque tamen propterea Tarantaſienſis eccleſiæ pontifex jus ſibi collatum perdat, quia nec hoc Viennenſis archiepiſcopus, primas ipſius a noſtra « auctoritate poſtulavit, ut in aliquibus oppidis ſibi commiſſis non ordinet, & ad ſe cum opportunum « viderit, non advocet, ſed ſub jure Viennenſis archiepiſcopi ita ſe poſitum ſemper ſciat, ut per « diſpoſitionem illius omnia hæc agat, & ad ſynodum ipſius vocatus pariter cum ipſis ſibi conceſſis « occurrat & quantum ad generalem obſervantiam attinet, nihil præter auctoritatem Viennenſis præſulis « definire præſumat, ſitque humiliter ſubditus, ſicut ab anteceſſoribus noſtris ſalubriter inſtitutum eſt, « Viennenſi eccleſiæ, ut liberius dignitatem ſuam a nobis ſibi conceſſam poſtmodum habere & tenere « prævaleat: ne ſi aliter fecerit & præſumſerit, non ſolum conceſſa amittat, ſed etiam propter « inobedientiam durius damnatus in futurum humilietur ». Ita Nicolaus I, Gregorius VII in bulla « anni 1077 ſeptem prius enumerat provincias ſuper quas primatum tenet eccleſia Viennenſis, tum « ſeptem recenſet oppida vel civitates ad poteſtatem ejuſdem eccleſiæ pertinentes, inter quas Darantaſia, « de qua ita infit: « porro Tarentaſiam ita ſemper ſub primatu Viennenſis eccleſiæ permanere « decernimus, ſicut a ſanctis patribus Leone & Nicolao noſcitur confirmatum ». His addit Urbanum II Paſcalis II, idem habet Calliſtus papa bulla Viennenſi eccleſiæ conceſſa an. 1120, ex quibus inferre licet Darantaſiam non ſtetiſſe metropolim ante finem octavi ſeculi. Alpes enim Graiæ in numerum ſeptem provinciarum adſcriptæ non fuerant, ſed Darantaſia inter Galliarum metropoles recenſetur, quibus beneſecit in teſtamento Carolus magnus an. 811, ac paulo poſt Andreas Tarentaſienſis archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis a regibus Ludovico & Lothario Lugdunum vocatus eſt ad concilium inibi habendum. Quinam autem erant illi ſuffraganei? Auguſtenſis, cujus primum direxerat epiſcopum primus Tarentaſienſis epiſcopus, Sedunenſis & Maurianenſis, qui ultimus a Viennenſi archiepiſcopatu diſtractus, ad eumdem rediit, ipſique hodie ſubjicitur, cum per aliquod tempus Tarentaſienſi paruiſſet. Darantaſia una eſt e civitatibus, quas Carolus magnus in partitione imperii inter filios facta Ludovico aſſignavit an. 806. Lotharius autem rex an. 858 amicitiæ firmandæ gratia Carolo fratri provinciæ regi Darantaſiam largitus eſt. Inde tranſiit ad Burgundiæ duces, tum ad epiſcopos Tarantaſienſes, qui eorum beneficio antiquitus civitati dominati ſunt. Sed tandem exeunte ſeculo XI in ditionem comitum & ducum Sabaudiæ pervenit, quibus adhuc hodie ſubdita eſt, licet eodem ſeculo a Frederico Ænobarbo Sabaudici nominis hoſte infenſiſſimo ſancti Romani imperii principis dignitate Tarentaſienſis archiepiſcopus

Digitized by Google

cum aliis episcopis donatus fuerit, ut principum Sabaudorum in quorum dominio erat, imminueretur potestas, sed frustra: nudum enim principum nomen episcopis, auctoritas vero penes Sabaudum ducem tota remansit.

Regio ad duodecim fere leugas excurrens, vicis pagisque satis populosa contra quam plerisque aliis Galliæ locis accidit, a principe oppido nomen sumsit, quod antiquo comitatui dedit. Oppidum vero, missis priori & moderno nominibus, Monasterium modo dicitur a veteri aliquo monasterio in quo habitabant episcopi. Oppidum illud in planitie collocatum est, quod vicino montium vertice accessu difficile Isara secat, & palatium archiepiscopale subluit, ac pontem habet qui utramque ripam attingit. In eo præter ecclesiam cathedralem sub patrocinio B. Petri dicatam, sunt parochia B. Mariæ, conventus Minorum Observantinorum, Capucinorum & Clarissarum. Capucini conventus quoque habent apud S. Mauricium & Confluentem, ubi sunt etiam moniales quas Bernardinas vocant, quibus certas leges præscripsit S. Franciscus Salesius. In tota diœcesi numerantur quasi 71 parochiæ, quas omnes suis fere sumtibus reparavit Franciscus-Amedeus *Milliet* primus, uti & ædes archiepiscopales.

Præsulum seriem post Augustinum ab Ecclesia & Sammarthanos recudimus qua potuimus copia & diligentia: verum haud tenuem nobis opem tulit in ea texenda eruditus vir D. *Besson* parochus *de Chapeiry* in diœcesi Gebennensi qui tabularia ecclesiarum Tarentasiensis, Gebennensis, Augustensis & Maurianensis diligenter evolvit, chartasque & instrumenta uniuscujusque propria fideliter exscripsit, quæ publici juris fecit Nanceii an. 1759, typis Sebastiani *Henault*, ex quibus, quæ ad rem nostram visa sunt facere, eruimus & inter instrumenta edidimus, cum a paucis omnino legendus nobis videatur scriptoris hujus, de quatuor illis diœcesibus optime meriti, liber inscriptus: *Mémoires pour l'histoire ecclésiastique des diocèses de Genève, Tarentaise, Aoste & Maurienne, & du décanat de Savoie.*

ARCHIEPISCOPI DARANTASIENSES IIDEMQUE PRINCIPES ET COMITES.

I. S. JACOBUS I.

ANNI CHRISTI

Sancti Honorati Lirinensis abbatis discipulus Jacobus, aliquot post annis exactam in Lirinensi monasterio vitam, ab eodem Arelatensi episcopo Centronibus datus est apostolus & ordinatus episcopus. Quos cum ad Christi fidem convertisset, in honorem S. Stephani protomartyris basilicam fundavit, sedem episcopalem erexit & Marcellinum successorem designavit. Sed quia locus novæ diœcesis inter arduas & adstrictas montium alpes situs, aptus ad habitandum non erat, terminos ejus a Burgundionum rege ampliari curavit dono cujusdam rupis prominentis saxi, quam antiquo vocabulo incolæ ipsius loci *Pupim* appellabant. De imminente Honorati magistri morte edoctus Arelatem pervenit, ubi eadem die qua S. Honoratus, S. Jacobus quievit die 16 Jan.
429. 429, qua colitur Darantasiæ & Augustæ Prætoriæ. Vitam ejus habes mutilam, sed ex vetusto codice apud Bollandum, t. II Januarii, p. 26.

II. S. MARCELLINUS.

Aximensis patritius & consul Marcellinus, a S. Jacobo successor designatus, munivit burgum castri S. Jacobi duasque principales ecclesias stabilivit in loco Musterii, unam in honorem B. Mariæ Virginis, in qua sedem episcopalem erexit, alteram in honorem S. Johannis-Baptistæ, in qua fontes ad baptisandum instituit.

III. PASCHASIUS.

IV. SANCTUS *seu* SANCTIUS.

517. Concilio Epaonensi an. 517 adfuit Sanctus, qui basilicam S. Petri condidit, in qua Avitus homiliam dixit, forte in dedicatione, quæ inter homilias ejus recensita amplius non extat.

V. MAGNUS.

A

VI. NICETIUS *aut* NIGETIUS, *seu* MIGETIUS.

VII. MARTIANUS.

ANNI CHRISTI

Subscripsit Martianus synodis Matisconensi I an. 583, Valentinæ & Matisconensi II per procuratorem an. 585. 583. 585.

VIII. S. HERACLIUS.

IX. FIRMINUS *vel* FIRMIUS.

X. PROBINUS.

XI. BULDEMARUS.

B

Concilio Cabilonensi subscripsit circa annum 648 Buldemarus, qui & Baudemarus seu Baldemarus, idem forte ac Baldomerus qui subscripsit privilegio libertatis monasterio S. Dionysii Parisiensis concesso a Landerico Paris. episcopo & diplomati Chlodovei regis an. 653. 653.

XII. EMITERICUS *al.* EMITERIUS.

XIII. WIDENARDUS.

XIV. JOHANNES I.

XV. LEODRANDUS.

C

Idem forte est ac Leudegandus seu Leudegangus, de quo in vita S. Bathildis in fine, qui amicus & fidelis monasterii Kalensis venit ex partibus Provinciæ, cujus puer a dæmone correptus, ad sepulcrum sanctæ reginæ subito sanatus est. *Sæculo II. Benedict. p. 783.*

XVI. HUMBERTUS I.

XVII. BENIMONDUS *seu* BONIMUNDUS.

XVIII. EMMO *seu* EMINO.

XIX. POSSESSOR.

Is esse videtur Possessor episcopus qui cum

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Weomado a Carolo rege Romam ad Adrianum A
papam missus, jussus est ab eodem pontifice de
Lulli Moguntinensis episcopi ordinatione inqui-
rere. Idem ab eodem rege ad pontificem eumdem
legatus est ut eum de ferendo a se auxilio contra
Leonem Ravennatium episcopum certiorem fa-
775. ceret an. 775. Idem Reverendissimus & sanc-
tissimus Possessor archiepiscopus (quia tunc
forte jam episcopis aliquibus præerat) Adriano
pontifici causam Potonis abbatis S. Vincentii ad
779. Vulturnum discutienti assedit an. 779. Denique
si conjecturis indulgere licet, Possessor primus
fuerit Daratasiensis archiepiscopus ab Adriano
episcopis aliquot præfectus & a concilio Franco- B
fordiensi ad Adrianum missus, ut de nova dignitate
certum quid definiret.

XX. Radabertus *seu* Dagobertus.

XXI. Andreas.

Archiepiscopus Tarantasiensis Andreas, anno
828. 828 nominatur in epistola Ludovici & Lotharii
regum de conciliis in quatuor imperii partibus
congregandis, jubeturque Lugdunum convenire
cum suis suffraganeis, concilio in ea civitate
habendo adfuturus. Ipse est sane *Audax* archi-
episcopus, qui subscripsit restitutioni Ebbonis
archiepiscopi Remensis in Synodo Engilenhei- C
840. mensi an. 840, ex Flodoardo, lib. II, hist.
Remensis, c. 20.

XXII. Teotrandus.

Teotrandus *seu* Teutramnus per 43 annos
episcopatum tenuit. Subscripsit chartæ Jonæ
Eduensis episcopi pro cœnobio S. Andochii
858. an. 858. Concilio Tusiacensi adfuit anno 861.
861. Scripsit ei Johannes VIII epistolam 100, qua
eum ad synodum cum suffraganeis vocat, simulque
conqueritur quod sibi Galliam venienti an. 878
non occurrisset. Synodo Mantalensi adstitit Teu- D
trannus an. 879 idibus Octobris, in qua Boso
rex electus est. Pio rectitudinis zelo obiit VII id.
885. Martii, indict. 3 ac proinde 885, cujus corpus
jacet in sacello corporum sanctorum, sub lapide
parieti infixo.

XXIII. Alucco, Luso, Alluso, *seu* Aleso.

XXIV. Daniel.

XXV. Annuco *vel* Annuzo I.

Fundavit is ecclesiam S. Martini Musteriensis
900. anno 900 & in ea quatuor canonicos sæculares
instituit, inquiunt Sammarthani. E

XXVI. Adalbertus.

XXVII. Lizo.

XXVIII. Amizo.

990. Conciliis Ansanis annis 990 & 994 adstitit
994. Amizo. Huic Rodulfus Burgundiæ rex in loco
Charta I, Agauni comitatum civitatis Tarantasiensis paulo
col. 377. ante ab Ibericis incursionibus devastatæ dono
996. dedit anno 996, indict. X, regni 3. Diploma
extat apud Muratorium, Antiquit. Italic. t. I,
p. 416.

Tomus XII.

XXIX. Baldolfus.

Synodo Francofordiensi adstitit an 1006 1006.
Baldolfus, idem sane ac Pandulfus, qui anno 1007.
sequenti subscripsit privilegio Henrici impera-
toris pro ecclesia Bambergensi.

XXX. Luzo.

Luzo, Lusus, Lisius, si diversus a Lizone,
memoratur in actis an. 1020, ex Sammarthanis. 1020.
Recensetur inter amicos ecclesiæ Bisuntinæ in
veteri missali codice S. Stephani apud Chiffletium,
Vesontionensis civitatis part. II, p. 137.

XXXI. Emmo.

Emmo, Emino, Amiro, Aymo, & Eimarus
aliquando dictus est, inquiunt Sammarthani.
Concilio apud Ansam sub Burchardo Lugdunensi
archiepiscopo adfuit an. 1025. Memoratur in 1025.
privilegio Leodegarii archiepiscopi Viennensis
pro monasterio Romanensi an. 1037. Memo- 1037.
ratur in charta Ermengardis uxoris Rodulfi regis
Burgundiæ Talluerias Salviniaco donantis anno
1038. Subscripsit testamento Hugonis archi- 1038.
episcopi Bisuntinensis anno 1044. Denique 1044.
Ebbo, an idem? Interfuit dedicationi ecclesiæ
de Domna an. 1049, tempore Odilonis abbatis
Cluniacensis, *al.* 1057. Obiit 21 Febr.

XXXII. Annucco *seu* Annuzo II.

Sedebat Annuzo anno 1077, ex vetustis 1077.
Tarentasiæ tabulariis, inquiunt Sammarthani.

XXXIII. Boso.

Monachos amotis canonicis sæcularibus substi-
tuit Boso in ecclesia S. Martini, illamque sicut
ecclesiam de Mascoto abbatiæ Nantuacensi univit
anno 1096. Cum episcopis Augustensi & 1096.
Maurianensi dedicavit ecclesiam Bellarum-vallium Charta II, col. 378.
an. 1099. Obiit 21 Septembris. 1099.

XXXIV. Petrus I.

Nobilibus natus parentibus Petrus, e monacho
Cisterciensi abbas Firmitatis Cabilonensis, primus
e familia Cisterciensi ad insulas episcopales vo-
catus, fit archiepiscopus Tarentasiensis. Siamedium
aptum ad faciendam unam abbatiam a dominis
de Chabriduno petiit an. 1132, obtentumque 1132.
dedit Johanni abbati Bonæ-vallis. Dono accepit Charta III. col. 379.
decimas, quas habebat Amedeus comes & mar- Charta IV. col. 380.
chio Confluenti in parochia S. Sigismundi & Charta V. col. 380.
in villa Paludis an. 1139. Sodalitatis roborandæ
gratia tradidit plures ecclesias Agaunensibus ca- 1139.
nonicis anno 1140. 1140.

XXXV. Isdrahel.

Huic multum dispar Isdrahel, moribus magis
quam nomine barbarus, Tarantasiensem ecclesiam
nequiter occupavit & nequius detinuit, ambitiose
ingrediens & perniciose progrediens. Quod enim
Petrus correxit in moribus, quod acquisivit in
possessionibus, quod ecclesiasticis addidit orna-
mentis, Isdrahel corrupit, distraxit & dilapidavit
in brevi. Propter hæc & his similia arbor inutilis

Yy ij

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

ab apostolica sede præcisa est, post decennium in episcopatu transactum, inquit *Manriquez* in annalibus Cistercienfibus.

Verumtamen si Petrus abbas Stamedii, de quo mox dicturi sumus, in archiepiscopum non fuit electus citius anno 1141, prout volunt plerique scriptores, inde colligere licet Petrum I ex Firmitate accitum regimen suum produxisse ad annum usque 1139 vel etiam 1140, ut videre est in probationibus; proindeque Ifdrahel si expungendus non est, ad remotiora tempora differendus videtur, aut saltem dicendus intra breviffimum tempus, non vero per integrum decennium, ut vult *Manriquez*, Tarentasiensem ecclesiam administrasse. Hanc nostram conjecturam satis firmant superius ipsi attributa: *Quod Petrus acquisivit in possessionibus, Isdrahel dilapidavit in brevi.*

XXXVI. S. PETRUS II.

In prædio pagi Viennensis, quod ipsemet postea vocari voluit sanctum Mauricium, ortus Petrus ex honestis mediocris fortunæ parentibus, sed sanctitate conspicuis, Cisterciensis monachus, post transactos in cœnobio Bonæ-vallis diœcesis Viennensis nuper condito circiter decem annos, factus abbas Stamedei anno circiter 1132, inde
1141. assumitur ad Tarantasiensem cathedram an. 1141, consecratusque mense Septembri, reluctans licet, verum obtemperare coactus capituli generalis ordinis sui hoc mense habiti, maxime vero sancti Bernardi Clarevallensis abbatis monitis. In episcopatu autem pristinas virtutes æque ac antea colens humilitatem, asperum vivendi genus & cætera ad monasticum propositum conducentia retinens, iis addidit pastoralem sollicitudinem, caritatem, fortitudinem & constantiam. A decessore enim pene labefactatam restituit disciplinam, canonicos regulares fecularium loco substituit, ecclesiæ reditus auxit, e manibus laicorum decimas recuperando, quibus tribuit, scilicet Amedeo comiti Sabaudiæ 30 libras Secusiensis monetæ pro decimis Confluenti in parochia S. Sigismundi, & in villa Paludis Rodulfo filio Gonterii de Bosellis octo libras fecusienses, Willelmo filio Ruferii Rufi de Bosellis quatuor libras Secusiensis monetæ, Petro de Bosellis septem libras, & Ludovico de Bosellis pro decimis de Monte-Chalvit 11 libras. Cathedralem suam variis ornamentis decoravit, collapsa reparavit ædificia. Nihilo tamen minus ingentem pauperum copiam quotidie præsertim tribus vernis mensibus alimento pavit. Consilia & opera servi sui dominus approbavit & confirmavit sequentibus signis: cœpit enim plurimis coruscare miraculis, quorum gloriam metuens & declinans fugit in Germaniam, ubi in ordinis sui monasterio aliquandiu latitavit, sed inopinato agnitus redire & iterum pastorali succedere oneri coactus est. Bullam ab Eugenio III
1145. obtinuit IV cal. Martii 1145, in qua summus
Chart. VI, col. 381. pontifex confirmans privilegia prædecessoris sui
Ch. VII, col. 382. Innocentii, statuit ut canonici viverent secundum regulam sancti Augustini. Eisdem bona ecclesiæ
Ch. VIII, col. 382. partitus est & de possessionibus archiepiscopii

A portiones eorum amplificavit. Pravam quoque consuetudinem bona ecclesiasticorum defunctorum post mortem diripiendi, aboleri a comite Chart. IX, col. 383.
Amedeo obtinuit. Canonicis S. Mauricii prioratum sancti Michaëlis supra Monsterium cum ecclesiis Salini, Montagniaci, Seyssionis superioris concessit, necnon hospitali Columnæ jovis prioratum Sexti & prioratus sancti Jacobi simul & sancti Petri de Castro argenteo cum omnibus appendiciis, quorum donationem declarant varia instrumenta. Testis fuit anno circiter 1150 1150.
compositionis inter Humbertum Sabaudiæ comitem & abbatem sancti Mauricii Agaunensis.
B Delegatus a summo pontifice Eugenio III controversiam inter Bernardum episcopum Maurianensem & Pontium de Camera sopivit Aquæbellæ pridie cal. Jun. 1153, præsente Humberto 1153.
comite & marchione. Testis fuit 1155 compo- 1155.
sitionis episcopum inter & comitem Genevensem.
Anno 1157 cum esset apud Vesontionem sub- 1157.
scripsit diplomati Friderici imperatoris pro ecclesia Viennensi, quam tunc regebat Stephanus. Triennio post Alexandri III causam adversus Schismaticos ipsumque imperatorem, qui eum reverebatur, mire adjuvit: cum enim an. 1160 ad castra impe- 1160.
ratoris Frederici accessisset rogans pacem pro
C Mediolanensibus & animadvertisset nonnullos præsules Gallicanos favere Octaviano in apostolicam sedem intruso, turpiterque sententiæ contra Alexandrum III legitimum pontificem latæ subscripsisse, solus restilit Petrus Tarentasiensis archiepiscopus, & quamvis ab imperatore summa observantia coleretur, ipsum nihilominus constanter redarguit quod schismati patrocinaretur, ac pro Alexandro vexillum prædicationis palam erigens, eum in conciliis Bellovaci & Novi-fori coactis egregie adjuvit, multosque ad unitatem catholicam reduxit. Inde Romam contra schismaticos profectus, cum Deum rogasset ut vel
D Herbertum Bisonticensis ecclesiæ invasorem ad saniorem mentem revocaret, aut ab eo ecclesiam liberaret, quatuor aut quinque elapsis diebus Herbertus interiit. Capitulo generali apud Cistercium adstitit Petrus anno 1170. Eodem vel 1170.
circiter bona ecclesiæ suæ inter canonicos & Chart. IX, col. 383.
archiepiscopum partitur charta ad hoc data:
insequenti autem anno Alexandri papæ III Chart. X, col. 385.
Tarentasiensis ecclesiæ bona confirmantis bulla donatur. Ecclesiam de Buxeria dedicavit 10 Sept.
1172. Memoratur anno 1173 in charta de 1172.
matrimonio inter Johannem filium regis Angliæ 1173.
& A. filiam comitis Maurianæ. Circa id tempus
E cum Ludovicus Franciæ & Henricus Angliæ reges inter se dimicarent, ad pacem inter utrumque componendam ab Alexandro papa missus est Petrus & quidem multa coram duobus regibus miracula patravit; utriusque tamen corda ad pacem & concordiam emollire & flectere non valuit. Hoc autem in itinere in capite jejunii anno 1174 cineres benedictos imposuit capiti 1174.
regis Angliæ apud Mortuum-mare. Ad preces Chart. XI, col. 386.
Burchardi de Montemorenciaco inter proceres Francorum nominatissimo capellam ipsius dedicavit, qua die ecclesiæ S. Victoris Parisiensis

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

donationes sunt factæ. Eodem anno consecravit A
in monasterio Longi-vadi altare in honorem S. Bernardi, noviter in Sanctorum albo adscripti, ad preces episcopi Lingonensis & abbatis præfati monasterii. Denique post completos tres supra triginta episcopatus annos vitæque 73 ad superos evolavit Petrus e Normannia rediens in monasterio Bellæ-vallis die 14 Septembris in festo Exaltationis S. Crucis anno 1174, ut legitur in mss. Monasteriensi & in compendio vitæ Ultrajectino S. Salvatoris & habent Albericus, anonymus auctor chronici Clarevallensis & Robertus de Monte. Ejus funus tertio post die curavit Ebrardus Bisonticensis archiepiscopus, quem a schismate B
conversum ad partes Alexandri III adduxerat. Sepultus est ibidem cum hac inscriptione:

Stirpe Viennensis fuit abbas Stamediensis
maximus Alpensis præsul Tarentasiensis
Anno milleno centeno septuageno-
* F. Quarto. **Quinto transivit ad cælos petrus & ivit.*

Godefridus abbas Altæcumbæ, qui diu sancto viro adhæserat, jussu Lucii III Petri vitam elucubravit, quam Surius, t. III in vulgus emisit & post eum Bollandiani socii t. II Maii: & certe catalogo Sanctorum additus fuit a Cælestino III C
anno 1191 bulla data die 10 Maii. Qui plura de eo desideraverit, adeat historiam ecclesiasticam D. *Fleuri*, t. XIV, lib. 68, & t. XV, lib. 72.

XXXVII. AIMO I.

DE BRIANÇON.

Emerici de Briancone germanus Aimo, ex
1179. Ch. XIV, col. 387. monacho Cartusiæ creatus archiepiscopus, adstitit conciliis Lateranensi an. 1179 & Ticini 1186.
1186. Eodem anno a Friderico imperatore privilegia
1196. obtinuit, quæ an. 1196 ab Henrico VI Taurini confirmata sunt. Subscripsit anno eodem diplomati ejusdem imperatoris ibidem dato pro ecclesia
1201. Viennensi. Transfretavit anno 1201. Acquisivit D
à Verla de Salino quædam feuda apud Allodia & vitam pertraxit ad annum 1210, inquiunt, ac proinde Tarentasiensis est archiepiscopus, qui Philippum ducem Sueviæ in Romanum regem coronavit anno 1198, de quo conquestus Innocentius III, sub pœna suspensionis ei præcepit ut coram se hac de re adesset ad dominicam *Lætare Jerusalem*, V non. Octob. anno pontificatus 5.

XXXVIII. BERNARDUS.

Ex monacho quoque Cartusiæ factus est archiepiscopus Bernardus. Huic Hugo de S. Vitali E
1213. cessit IV cal. Junii 1213 feuda quæ habebat in parochia Allodiorum & valle S. Desiderii. Cujusdam pactionis arbiter electus est XV cal. Januarii
1216. 1216. Laudavit an. 1217, 2 Aprilis, indict. V,
1217. donum Cartusiæ factum a Thoma Sabaudiæ
Ch. XV, col. 389. comite. Concordia inita cum fratribus de Villeta, Emerico, Guillelmo, Willelmo & Petro, super decimas Vallis-Pontii, dedit in feudum Willelmo comiti Genevæ Vallem-Luciam seu *de Beaufort*
1220. 10 Julii 1220, ob quam hominium excepit
Ch. XVI, col. 389. ejusdem comitis penultima julii ejusdem anni. Obiit 1222, 12 Octobris ex obituario cathedralis. 1222.

XXXIX. JOHANNES II.

Ante aut post Bernardum in diversis catalogis recensetur Johannes, qui ad infulas Tarentasienses assumtus est ex monacho Cartusiæ, in qua aulam ædificavit.

XL. HERLUINUS.

Guidonis filius & Emmonis frater Herluinus, DE CHIGNIN.
nepotem habebat Timonem filium Guillelmi de Chignino. Ex canonico regulari & priore S. Ursi in valle Augustana, jam renunciatus archiepiscopus anno 1224. Transegit 1225 1224.
cum Willelmo *de Bellefort*, arbitris episcopo 1225.
Mauriennensi & abbate Stamedei. Privilegiorum Ch. XVII, col. 390.
ecclesiæ suæ confirmationem obtinuit Ravennæ Ch. XVIII,
anno 1226 a Friderico imperatore & ab Honorio III papa. Discordiam in suo capitulo motam col. 391. 1226.
sedavit IV cal. Junii 1227. Excepit V cal. Junii 1227.
1231 hominium Willelmi de Viridario *de Biorges*. Præsens aderat cum Aimo de Sabaudia dominus de Chablesio Amedei comitis Sabaudiæ 1231.
frater anno 1236, VII cal. Julii, ad sustentandos 1236.
pauperes peregrinos & ægrotos intra muros Villænovæ in diœcesi Lausannensi domum in honorem beatæ Mariæ Virginis & Omnium sanctorum fundavit. Nonnulla ei donavit Amedeus Sabaudiæ comes anno 1237, teste Petro de Alingio milite. 1237.
A canonicis regularibus in palatio obsessus est Herluinus & pacem cum eis fecit anno 1239. 1239.
Hominium Aimonis de Civino & Emerici de Briancone junioris excepit cal. Martii 1244. 1244.
Transactionem iniit inter præpositos Columnarum Jovis & Varoxii anno 1245. Compositionem 1245.
cum suo capitulo fecit de ordinatione hospitalis Ch. XIX,
de Musterio idibus Junii anni ejusdem. Obiit col. 391.
circa 1248.

XLI. RODULFUS I.

Willelmi Grossis de Castellario in valle Digna GROSSI DU CHATELLAR
diœcesis Augustensis filius Rodulfus, ex episcopo Augustensi archiepiscopus electus, subscripsit testamento Thomæ de Sabaudia in festo sanctorum apostolorum Petri & Pauli mense Junio 1248. 1248.
Cum Falcone Gratianopolitano episcopo adstitit capitulo generali in quo Cartusiani monachi unanimi consensu carnium usum in perpetuum proscripserunt anno 1254. Procurator & nuncius 1254.
specialis dicitur in litteris Edmundi regis Siciliæ 26 Junii 1257. Canonicis regularibus & secu- 1257.
laribus tunc in cathedrali existentibus suam cuique Chart. XX,
redituum portionem attribuit an. 1258. Præsens col. 393. 1258.
fuit hominio fidei quod Henricus III Angliæ rex Ludovico IX Franciæ regi exhibuit 1259. 1259.
Alexandri papæ IV bullam accepit circa idem Ch. XXI,
tempus, qua concedit ipsi pontifex quosdam col. 395.
proventus quibus exsequi possit ecclesiæ constructionem & 12 canonicorum fundationem, quam sibi proposuerat. Memoratur anno 1260 in 1260.
chartis ordinis S. Antonii. Huic ab Urbano IV pontifice delegata cognitio controversiæ inter abbates Stafardensem & Ripaltensem. Transegit

Digitized by Google

ANNI CHRISTI
anno 1267 cum Aimone de Aqua-blanca A
1267. domino Brianconis occasione plurium querimo-
Ch. xxii, col. 395. niarum hinc inde ortarum. Legitur anno 1268
1268. mense Januario in tabulis Bisuntiensibus. Dedit
Ch. xxiii, in feudum domum & terram de Villeta Humberto
col. 397. filio Willenci de Villeta. Testamentum condidit
1270. vi idus Aprilis 1270 forte 1271, ac proinde
exulat, memoratus a Sammarthanis ex ms. codice
ad annum 1263 Badus a Pingonio.

XLII. Petrus III.

GROSSI DU CHATELLARD.
Willelmi de Castellario filius, Rodulfi autem
Ch. xxiv, nepos Petrus, decanus Valeriæ Sedunensis diœce-
col. 400. sis, electus concorditer aliquot ante Pentecosten
1271. diebus 1271, memoratur annis 1274 & 1278.
1274. Fundavit refectoria communia in festo beatæ
1278. Magdalenæ. Testamentum condidit in grangia
Alpensi subter saxum Castellionis Augustensis
1283. die 22 Julii 1283, quo die meritis plenus
Ch. xxv, repentina sed non improvisa morte obiit. Eodem
col. 400. anno pridie idus Julii dum in eodem loco ver-
saretur, donationem fecerat in gratiam Anselmi
sacristæ & canonici Tarentasiensis.

XLIII. Aimo II.

DE BRUISSONS. Johannis & Radulfi de Bruissonibus germanus C
Aimo, ex canonico regulari sancti Petri electus
Ch. xxvi, archiepiscopus, reseratis testamenti decessoris ta-
col. 400. bulis adstitit anno 1283. Compromisit viii id.
1284. Augusti 1284 cum Emerico de Aqua-blanca
domino de Briancone & Johanne ejus germano
decano Herfordiæ & cum eis transegit vi non.
1285. Octobris 1285. Permutationem fecit xvi cal.
1286. Julii 1286 cum Jacobo priore Talueriarum.
Ch. xxvii, col. 401. Dissidium inter canonicos sæculares ecclesiæ Ta-
Ch. xxviii, rentasiensis exortum terminat 1294. Emerici
col. 403. de Aqua-blanca domini Brianconis hominium
1294. excepit 1296. Obiit anno 1297, quo suum
1296. condiderat testamentum.
1297.

XLIV. Bertrandus I.

DE BERTRANDIS. Nobilis Centronensis Bertrandus, frater Jo-
hannis & Humberti de Bertrandis, prædecessoris
nepos, in minoribus constitutus canonicus sæcu-
laris Tarentasiæ, dein archidiaconus & vicarius
generalis avunculi sui, electus est mense Aprili
Ch. xxix, 1297. Solvit eodem anno die Martis in festo
col. 404. S. Georgii Amedeo Sabaudiæ comiti 1040
libras ob vacationem dictæ ecclesiæ, ad quam
recens electus fuerat, ut eam quiete & pacifice
administrare sibi liceret. Memoratur etiam annis
1298. 1298, 1303, 1309 & 1315. Adstitit pactis
1303. conventis anno 1308 inter Beatricem Delfinam
1309. & Amedeum comitem Sabaudiæ, eodemque
1315. anno inter eundem Amedeum & Hugonem
dominum Fucigniaci & filium Humberti Delfini,
1309 inter Amedeum & Hugonem Delfinum,
& 1314 inter comitem Sabaudiæ & Johannem
Ch. xxx, col. 404. Delfinum. Ipse de nundinis S. Maximi Vallis-
Luciæ composuit cum Hugone Delfino domino
Fucigniaci 1318. Nicolaum episcopum Epo-
1327. rediensem consecravit anno 1327, ac e vivis
1334. exemtus est 9 Maii 1334 summo mane.

XLV. Jacobus II.

ANNI CHRISTI
DE SALINO.
Ex canonico, sacrista & priore S. Petri,
statim post persoluta Bertrandi funera a canonicis
regularibus & secularibus electus Jacobus, simoniæ
labe apud summum pontificem accusatus est,
propter quam graves cum Sabaudiæ comitum
ministris habuit contentiones; litigavitque cum
canonicis. Recepit anno 1335 18 Februarii 1335.
hominium Johannis de S. Vitali filii Gauterii.
Anno 1336 cum Aimone comite Sabaudiæ 1336.
quoddam pactum pepigit & satisfecit comiti de
excessibus, injuriis & damnis, quæ hominibus
B suis comes illata querebatur. Statutum fecit super
capellis B. Mariæ 1340. Mœrore confectus 1340.
obiit mense Martio 1341. 1341.

XLVI. Bertrandus II.

DE NOVO DOMNO.
Legum doctor Bertrandus, thesaurarius Tu-
ronensis & papæ capellanus, administrator in
spiritualibus & temporalibus ecclesiæ Tarenta-
siensis a sede apostolica deputatur 7 Octobris
1341, ut patet ex libro obligationum Vaticani.
Occurrit adhuc 1342. 1342.

XLVII. Johannes III.

DE BERTRANDIS.
Johannis de Bertrandis domini *de Brussol*
filius Johannes, nobilis Munsteriensis, canonicus
& officialis tempore inaugurationis consanguinei
sui, legatione cum functus fuisset ad summum
pontificem pro Aimone comite, ex præposito
Auriensi & episcopo Lausannensi ab anno 1341
creatus archiepiscopus 3 Decembris 1342,
cameræ apostolicæ promisit 3 Decemb. 1343. 1343.
Testis fuit pactorum inter Odonem Burgundiæ
ducem, Johannam Burgundiæ ducissam & Ame-
deum Sabaudiæ comitem die Mercurii post
festum Corporis Christi 6 Junii 1347. A comite 1347.
Sabaudiæ procurator delectus est 27 Octobris
D 1351 pro rebus gerendis inter Franciæ regem 1351.
& Sabaudiæ comitem, quicum transactionem
iniit an. 1358. Permutationem fecit 27 Aug. 1358.
1362 cum Francisco de Avalone domino Vallis 1362.
S. Hippolyti. Reperitur & anno 1364. Obiit Ch. xxxi,
tempore Quadragesimæ 1365. col. 406.

XLVIII. Johannes IV.

DE BETTON.
Nobilis Camberiacensis Johannes de Bitumine,
frater Petri domini de Rupecula, electus a capi-
tulo post obitum Johannis, missus est ab Urbano
V, qui eumdem ipse elegit bulla data vii id.
Martii, pontificatus 3. Cameræ apostolicæ pro-
E misit 26 Martii 1365. Ab episcopo Augustano
consecratus est die Dominica prima Maii anni
ejusdem & ecclesiam suam solemniter ingressus
est die Dominica 29 Junii. Confirmationem
libertatum ecclesiæ suæ impetravit a Carolo
imperatore, & pro dominiis quibusdam imperii
feudatariis comiti Sabaudiæ fidei sacramentum 1366.
præstitit an. 1366. Obiit ultima Nov. 1378. 1378.

XLIX. Humbertus II.

DE VILLETA.
Ex dominis *de Chevron* in Sabaudia ortus
Humbertus, qui Tarentasiæ prior fuisse creditur

Digitized by Google

ANNI CHRISTI anno 1365, ad hanc metropolim assumitur 21 Febr. 1377 qui nunc est 1378. Electus adhuc excepit hominium Humberti de Villeta
1379. consanguinei sui 22 Aprilis 1379.

L. Rodulfus II.

DE CHISSÉ. Ex episcopo Gratianopolitano Tarentasiensis designatus archiepiscopus Rodulfus, recognovit
1380. pro Humberto 6 Aprilis 1380. Trucidatus fuit ab inimicis suis cum tota familia in castro sancti
1385. Jacobi exeunte anno 1385.

LI. Eduardus.

DE SAVOYE. Philippi Pedemontii, Achaiæ & Moreæ principis filius Eduardus ex Catharina *de Viennois*, a teneris regulæ Benedictinæ se addixit. Inde factus prior Burgeti in Sabaudia, abbas S. Justi Secusiensis, episcopus Bellicensis, tum Sedunensis, diœcesanorum factione ex cathedra ejectus, archiepiscopus metropolis eligitur; quo nomine cameræ apostolicæ promisit & recognovit pro
1386. Humberto decessore 19 Martii 1386. Excepit hominia Petri de Villeta domini *de Chevron* in
1387. castro Bonvillarii 16 Maii 1387 & Claudii
1389. domini Montis-majoris 2 Julii 1389. Tempus ad solvendum a camera apostolica obtinuit 11
1391. Julii 1391. Purpura decorandus fato concessit
1395. anno 1395, sepultus Tarentasiæ.

LII. Petrus IV.

DE COLOMB. Balgiaco oppido oriundus Petrus, Amedeo Sabaudo Balgiaci domino a consiliis, tum in cancellarii munere versatus, & ecclesiasticum ordinem professus, fit monachus & prior sancti Petri Matisconensis anno 1391. Postea datur administer Bonnæ Borboniæ in regimine Sabaudiæ 1393. Inde Amedeum VII comitem deduxit Tornusium pro solemnitate ejus conjugii cum Maria Burgunda. Tandem metropoli Tarentasiensi donatus, electus ultima Aprilis 1395, successisse Humberto legitur in libro obligationum Urbani V, promisisseque & recognovisse pro eodem 12 Julii anni ejusdem in regestis Vaticani. Noviter defunctus dicitur
1396. 25 Novembris 1396, sedesque vacabat adhuc
1397. 13 Aprilis 1397.

LIII. Aimo III.

SECHAL. Johannis filius Aimo, qui filius erat Gonterii Secalei de Bosco in Centronia Valle, præpositus Montis-Jovis, ubi plurimas reposuit reliquias, & patriarcha Jerosolymitanus ab administratione S. Pontii Tomeriensis ad Tarantasiensem translatus a Benedicto XIII antipapa, promisit pro ecclesia Tarantasiensi & recognovit pro Petro decessore 26 Septembris 1397. Canonicatum obtinuit ab eodem pontifice pro nepote suo Johanne Bertrandi legum doctore. Fecit crucem duplicem quæ portatur quotidie in ecclesia sancti
1404. Petri. Sedit ad annum 1404.

LIV. Antonius.

DE CHALANT. Allobrox patria Antonius, ex nobili familia dominorum de Chalanto in valle Augustana, filius Amedei toparchæ de Fenis & Fleurinæ Prohanæ Pedemontanæ, fratres habuit Guillelmum Lausannæ & Jacobum Seduni episcopos; ipse vero abbas S. Michaëlis de Clusa, forte episcopus Lausanensis, purpura condecoratus est a Benedicto XIII tit. S. Mariæ in via lata 9 Maii 1404, postea S. Ceciliæ, tum sanctæ Romanæ ecclesiæ cancellarius, commenda ecclesiæ Tarantasiensis donatus est a Benedicto XIII per obitum Petri vacante, bulla data Taurini IX cal. Octob. pontificatus 11. Biennio post ad regem Franciæ Carolum missus est legatus ut ipsum & regnum in obedientia Benedicti contineret. Tum concilio Pisano interfuit anno 1409. Postea ab 1409.
obsequio Benedicti se subtraxit & Alexandri V ac Johannis XXIII pontificum comitia suffragiis suis adjuvit, Alexandri exsequiis in urbe Bononia adstitit anno 1410, a Johanne vero primum 1410.
in Angliam legatus, inde ad Sigismundum regem Romanorum cum Francisco Zarabella cardinali & Emanuele Crysolora 1413 pro 1413.
celebrando concilio, cujus locus apud Constantiam deligitur. In hoc conventu, ubi Johannes e sede apostolica dejectus fuit, Martini V electioni adfuit Antonius, qui post concilium brevi supervixit: nam dum Curia Romana apud Gebennam resideret, in locum Bouli in diœcesi Lausanensi recreationis gratia secessit, ubi, constructo ponte Serano, vita functus fuit 13 Septembris 1418 & sepultus in majori 1418.
ecclesia Lausanensi.

LV. Johannes V.

Ejusdem familiæ tertius Johannes, ex episcopo DE BERTRANDIS.
Gebennensi fit archiepiscopus Tarantasiensis per decessum cardinalis *de Chalant* a Martino V anno 1418 IV cal. Septemb. ex regestis Vaticani, ubi commendatarius factus & patriarcha Constantinopolitanus 25 Octob. 1419 legitur. Tran- 1419.
segit 14 Aprilis 1428 cum canonicis..... 1428.
...rabellæ de bonis quæ possidebant apud Campaniacum & vallem de Bosellis, necnon cum Guillelmo abbate S. Mauricii de prioratu sancti Michaëlis supra Musterium. Compositionem cum Amedeo duce Sabaudiæ iniit anno 1432, cui 1432.
intervenerunt episcopi Maurianensis, Bellicensis Ch. XXXII, col. 410.
& Augustensis, occasione mutuarum petitionum & querelarum, quæ inter utrasque partes vertebantur. Adfuit 28 Junii ejusdem anni pactis inter Amedeum Sabaudiæ ducem & Philippum *de Levis* Vicecomitem *de Lautrec*. Anno eodem divinis operatus est ultima Augusti in desponsatione Ludovici regis Siciliæ cum Margarita de Sabaudia. Arbiter Amedeum primum Sabaudiæ ducem & Ludovicum de Cabilono dominum *d'Arlay* conciliavit, controversiasque Bernensium cum Vallesianis composuit. Postquam aliquot in Sabaudia capellas dotasset, ex hac vita migravit 1432 aut forte sequenti.

LVI. Marcus.

De Marco diximus, t. 1, col. 827. Ab DE CONDOLMERIIS.
Eugenio IV consanguineo suo ex Avenionensi ad Tarantasiensem metropolim translatus est

Digitized by Google

pontificatus III, 23 Novembris 1433 ex regestis
1433. Vaticani, ubi memoratur adhuc pridie non.
1434. Novembris 1434. Jam erat archiepiscopus Tarantasiensis, cum ab Eugenio legatus est Bononiam anno 1433, quo tempore Bononienses ecclesiæ rebellarunt. Captum autem eum cum Francisco cardinali, sed paulo post liberatum discimus ex epistola Eugenii IV ad patres concilii Basileensis III cal. Septembris 1434. Solemnem ingressum fecit & juramentum præstitit de observandis statutis capituli & cæremoniis
1436. calendis Julii 1436. Legatus a latere creatus est ab Eugenio in Græciam ad ecclesiarum
1437. conjunctionem instaurandam anno 1437, cui in hanc rem & Coronensi episcopo scripsit epistolam Eugenius quam edidit Labbæus concil. tom. XIII, col. 851. Translatus est ad patriarchatum Gradensem ab Eugenio IV pridie cal.
1438. Martii, pontificatus anno VII.

LVII. Johannes VI.

D'ARSY. E nobili dominorum de Arciis in Delfinatu prosapia ortus Johannes, præpositus Montis-jovis & prior Alundæ, translato Marco, ad Tarantasiensem metropolim assumtus est pridie nonas Martii 1438. Concilio Basileensi interfuit anno sequenti & cum aliis Felicem V antipapam elegit, a quo confirmationem obtinuit jurisdictionis super ecclesiam S. Sepulcri Annecienfis bulla XII cal. Martii 1441, quam prius concesserat Martinus V. A Felice cardinalis tit. SS. Nerei & Achillei creatus est & dictus 6 Aprilis 1444; qua in dignitate confirmatus
1449. fuit a Nicolao V XIV cal. Januarii Romæ 1449 ex pacto concordiæ cum Amedeo factæ. Fundavit Innocentes & auxit ecclesiam. Obiit in
1454. Sabaudia pridie idus Decembris 1454, sepultus in sua ecclesia metropolitana, sedesque vacabat
1455. 1455. Vide Augustinum Patricium, Hist. concil. Basil. cap. 74.

¶ Si Sammarthanis fides, metropolim hanc rexit anno 1451 Ludovicus *de la Palu* cardinalis *de Varembon* ob merita & dignitatum ornamenta, inter seculi sui purpuratos clarissimus. Patria is erat Bressiensis ex nobili & vetusta gente ortus, patre Amedeo milite domino de Varembone & matre Aleide *de Corgenon*. A prima ætate statim Trenorchium ingressus, religionis habitum sumsit, in eaque abbatia tantum egregiis profecit virtutibus ut post obitum quatuor annis Ambroniacensis camerarii officium, ad regimen hujusce, sancti Justi Secusiensis & Trenorchiani monasteriorum sublectus fuerit: quo in munere designatur 1417 custos conclavis synodi Constantiensis, cum Martinus V ad apostolicum evectus est thronum. Præterea nationis Gallicanæ legatus concilio Senensi comparuit; unde mox illi amplissima sacerdotia advenerunt. Renuntiatus enim Lausanæ episcopus & vicecamerarii dignitate insignitus concilio Basileensi interfuit. Mox gravissimis cum duce Sabaudiæ inimicitiis laboravit, quippe qui in pontificatu Lausanensi prælatus fuit Johanni *de Prangin*, cui favebat Amedeus VII, qui acerrima ad synodum Basileensem directa epistola hostem ipsum nuncupat. Interea a concilio ad Eugenium papam delegatur & in Græciam pro tractanda ejus ecclesiæ cum catholica unione. Renovata autem cum Amedeo qui Basileæ electus fuit pseudopontifex Felix V concordia, ab eodem Genevæ anticardinalis creatur anno 1443, declaratur quoque Mauriannensis ac Lausanensis administrator perpetuus, dum abdicante Felice Nicolaus V suffectus Ludovicum cardinalem legitimum promulgavit in tertia creatione 1449. Quo autem anno Tarentasiensem administrabat metropolim 1451, ut volunt Sammarthani, eodem mortalitatis debitum solvit Romæ, ubi corpus in basilica S. Petri in vaticano conditum tradunt nonnulli, quod in ecclesia de Varenbone, ubi insigne cænotaphium marmoreum sibi vivens posuerat, humatum creditur, sub hac inscriptione: *Hic jacet reverendissimus in Christo pater dominus Ludovicus tituli S. Anastasiæ, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis de Varembone vulgariter nuncupatus, qui obiit die ..... mensis Septembris* MCCCCLI, ubi non dicitur archiepiscopus Tarentasiensis. Vide Guichenonis historiam Sebusianam & Juenini historiam Trenorchiensem.

¶ Petrus *de Savoye* Ludovico Sabaudiæ duce & Anna Jani regis Cypri filia natus, episcopus Genevensis, administrator quoque Tarentasiensis anno 1454 a Sammarthanis perhibetur, qui omittitur in regestis Vaticani, & in quibusdam catalogis, & certe

LVIII. Johannes-Ludovicus.

Petri Genevensis episcopi & Francisci archiepiscopi Auxitani germanus Johannes-Ludovicus, DE SAVOYE.
ex præposito Montis-Jovis & abbate Stafardæ electus est Tarantasiensis 22 Aprilis, Calixti II anno 2, Christi 1456, tanquam administrator. 1456.
Sed ne ecclesia aliqua in spiritualibus pateretur detrimenta, summus pontifex Andream episcopum Coroniensem *al.* Ebronensem deputavit, qui illam in spiritalibus regeret & gubernaret. Post mortem Petri fratris Johannes-Ludovicus translatus est ad ecclesiam Gebennensem anno 1459. 1459.

LIX. Thomas.

Cyprius genere Thomas a Susa, ordinis sancti DE SUR.
Francisci conventualium alumnus, Annæ Cypriæ ducissæ Sabaudæ a confessionibus, prior erat Villæ-monasterii in Sebusianis anno 1453, tum archiepiscopus Tarsensis administratorque & vicarius generalis episcopatus Genevensis auctoritate apostolica specialiter deputatus, a Pio II electus est Tarantasiensis bulla data Senis 6 Febr.
1460, qui pallium ad eum misit XV cal. Martii 1460.
& abbatias B. Mariæ de Caramannia diœcesis Taurinensis anno eodem & B. Mariæ de Pinerolio
ei commendavit anno 1463. Enunciatur in 1463.
instrumento assignationis hereditatis Philippi de Sabaudia comitis de Balgiaco. Fundavit conventum Franciscanorum apud Munsterium, quos
approbavit Paulus II bulla data 22 Junii 1471. 1471.
Obiit

ANNI CHRISTI

Obiit Thomas anno sequenti, vacabat enim sedes A
anno 1472.

LX. Christophorus.

DE LA ROVÈRE al. DE RUÈRE.

Patria Taurinensis Christophorus, Johannis
ex dominis Vicinovi & Annæ de Puteo filius,
fit archiepiscopus Tarentasiensis XVII cal. Octob.
1472. 1472. Privilegium pro beneficiorum collatione
Ch. XXXIII, col. 410. obtinuit a papa Sixto IV 1473. Præfectus evasit
1473. arcis S. Angeli XV cal. Maii 1476, ex regesto
1476. Sixti IV a quo creatur presbyter cardinalis
1477. S. Vitalis titulo Vestinæ IV id. Decemb. 1477.
Sed nondum purpureo galero donatus, inquiunt
Sammarthani, Romæ eripitur e vivis cal. Febr. B
1479. 1479; humaturque in ecclesia B. Mariæ de
Populo cum hac epigraphe *Christophoro Ruvereo
tit. S. Vitalis presbytero cardinali doctrina, moribus
ac pietate insigni, Dominicus Sixti quarti pontificis
maximi beneficio, mox tituli successor ac muneris
fratri B. M. & sibi posuit. Vixit annos XLIII,
menses septem, dies XIX. Obiit anno octavo pontif.
Xisti calendis Februarii.*

Concordes animas piasque mentes,
Ut dicas licet unicam fuisse,
Commisti cineres sequentur & se
Credi corporis unius juvabit.

LXI. Dominicus.

DE LA ROVÈRE al. DE RUÈRE.

Christophori germanus Dominicus, Clericus
Taurinensis & notarius apostolicus, Lausanensis
antea & Eporediæ canonicus, Sixto IV papæ
in primis gratus, ab eo præposituras ecclesiarum
B. Antonii & Dalmatii Taurini, Cariniani & Ripolarum obtinuit: mox abbas S. Christophori de
Vercellis, cubicularius ejusdem Sixti & apostolicus nuncius ad duces Sabaudiæ, tandem mortuo
fratre Christophoro arcis S. Angeli præfectus,
tum cardinalis tit. S. Vitalis & postea S. Clementis D
renunciatur ab eodem pontifice anno 1479
Romæ III id. Febr. & Tarentasiensis archiepiscopus 17 mensis ejusdem. Unde ab eodem
ad Gebennensem ecclesiam translatus V cal. Junii
1483. 1483, cum Johanne *de Compeys* episcopo Taurinensi permutavit. Magnificentia oblectatum
fuisse plurima ejus opera indicant. Is enim cathedralem Taurinensem vetustate collabentem a
fundamentis restauravit & absolvit 1498, ac
ædes splendidas construxit ad S. Petri scalas
Romæ, quas Vaticanæ basilicæ archipresbyter
incoluit: sacellum vero apud B. Mariam de
Populo ubi Christophoro fratri sibique monumentum condidit. Legatus a latere in patria E
obiit, sepultusque est in cathedrali Taurinensi,
unde Romam translatus creditur.

LXII. Urbanus.

DE CHIVRON.

Rodulfi de Villeta domini de Chivrone filius
Urbanus, canonicus Gebennensis & notarius
apostolicus, abbas Stamedei & prior Alundæ,
electus a capitulo episcopus Gebennensis post
obitum Johannis Ludovici 4 Julii 1482, æmulum inter alios passus est Dominicum cardinalem
S. Clementis archiepiscopum Tarantasiensem a
summo pontifice designatum. Hic cum Johanne
de Compeys episcopo Taurinensi permutavit, ut
diximus; Johannes autem cum Urbano litigavit
& adversus eum sententiam obtinuit. Urbanus
vero juri suo cessit in gratiam Francisci a Sabaudia
Auxitani archiepiscopi, cujus ope factus est Urbanus archiepiscopus Tarantasiensis per translationem Dominici tit. S. Clementis cardinalis ad
ecclesiam Gebennensem V cal. Junii 1483, ex
regestis Vaticani. Ecclesiam Tarantasiensem per
octo tantum menses rexit, defunctus 1484. 1484.

LXIII. Johannes VII.

DE COMPEYS.

Johanne de Compesio domino Gruffiaci,
Capellæ *Prengin* & Grandis-curiæ barone, &
Antonia de Varembone parentibus natus est
Johannes nobilis Allobrox, ordinis S. Augustini
alumnus, abbas S. Sixti, Filliaci, S. Stephani
Vercellensis & Ciseriaci, necnon Sabaudiæ cancellarius, ecclesiam Taurinensem primum administravit, unde permutatione facta ad Gebennensem translatus, juri quoque suo in gratiam
Francisci a Sabaudia coactus licet cessit, ita ut
Urbano decedenti succederet. Per obitum itaque
Urbani translatus legitur in regestis Vaticani ab
C ecclesia Gebennensi ad Tarantasiensem XVIII cal.
Junii 1484. Altaria quædam in templo sancti
Laurentii de Ultio & Franciscanorum ecclesiam
apud Clusas diœcesis Gebennensis 16 Junii
1485 fundatam a comitibus Fulcigniaci ad 1485.
Arnam fluvium consecravit. A duce Sabaudiæ
delegatus est pro pace cum Ludovico marchione
Salutiarum conficienda. Johannem Jayum procuratorem Ducis in carceribus palatii Musteriensis tanquam invasorem jurisdictionis ecclesiæ
detinuit. Ædificavit pontem Macellarium. Invigilia Ascensionis Domini, penultima Maii, media
nocte, in palatio suo deprædatus & spoliatus per
plures ejus consanguineos & gentiles de omni
suppellectile, pretiosis gemmis, lapillis, annulis,
vasis, &c. residuum asportantibus famulis, mœrore confectus obiit in vigilia SS. Petri & Pauli
28 Junii 1492. 1492.

LXIV. Corinus.

PLOSASCHI DE PIOSASQUE.

Corinus seu Corvinus cognominatus *de Feys*
e comitibus Plosaschi, notarius apostolicus, abbas
S. Solutoris Taurinensis, præpositus Pineroli,
necnon vicarius generalis abbatis S. Michaëlis
de Clusa, moderator fuerat juventutis Caroli-Johannis-Amedei Sabaudiæ ducis. Electus antistes Tarantasiæ per obitum Johannis 8 Julii,
VII cal. Septemb. & XVII cal. Novemb. 1492
legitur in regestis Vaticani. Mitram pretiosissimam confecit & obiit mense Martio 1497. 1497.

LXV. Claudius.

DE CHÂTEAUVIEUX.

Nobilis Bressiensis Claudius, Georgio castri
veteris toparcha, Sabaudiæ ducis cambellano, &
Johanna *de Lugny* parentibus ortus, Guidonis
autem Bressiæ gubernatoris germanus, canonicus
Lausanensis, protonotarius apostolicus & prior
Coloniaci, intercedente Philippo Sabaudiæ duce

ANNI CHRISTI

apud summum pontificem, electus est Taran- A tasiensis per obitum Corini bullis apostolicis XVIII cal. Maii 1497. Fundavit duo refectoria in ecclesia B. Mariæ. Multa ædificavit tam in castro S. Jacobi quam in palatio. Cessit in gratiam
1516. sequentis & obiit Tarantasiæ 23 Sept. 1516.

LXVI. JOHANNES-PHILIPPUS.

DE GROLÉE. Jacobi de Grolea domini de Luis, condomini Montillerii, Bugesii ballivi, Sabaudiæ cambellani, ex Claudia *de Chiol* primogenitus Johannes-Philippus, fratrem habuit Stephanum, qui perperam ab aliquibus antistitis nostri decessor appellatur. Ipse enim electus ad infulas adolescens, B ætatis suæ 12, ut fidem faciunt bullæ apostolicæ IV cal. Maii 1516 per resignationem præcessoris, obtenta licentia a Clemente VII summo pontifice recipiendi ordines etiam extra tempora, recepit quatuor minores, subdiaconatum, diaconatum & presbyteratum Dominico die 2 Feb. 1528 Bononiæ a Francisco Cherenato episcopo Aprutino principe Terani, comiteque Cesennii, papæ prælato domestico, & die Mercurii sequenti die 5 Februarii fuit ibidem consecratus episcopus ab eodem episcopo, cui assistebant Petrus Augustanus & Claudius Bellicensis episcopi. Pallio decoratus fuit die 12 mensis ejusdem a Paulo C cardinali de Cesis per summum pontificem specialiter deputato in domibus nobilium de Grossis in aula majori ante altare ibi erectum. Fuit & Francisco I Galliæ regi a consiliis & eleemosynis,
1559. obiitque 21 Decemb. 1559.

LXVII. HIERONYMUS.

DE VALPERGUE. Genere nobilis Hieronymus, ex illustri familia Pedemontana comitum Valpergiæ oriundus, Ludovici dynastæ Alicis filius, frater autem Amedei comitis maximi militis Annunciatæ, clericus Yporegiensis & abbas Abundantiæ, electus a capitulo, a summo pontifice confirmatus est per D
1560. obitum Johannis-Philippi 17 Julii 1560, ex
1562. regestis Vaticani. Consecratus 1562, ecclesiam suam solemniter ingressus est 30 Augusti anni ejusdem. Factus est postea nomine Emmanuelis-Philiberti ducis Sabaudiæ gubernator civitatis & comitatus Astensis. Ædificavit aulam minorem & cubiculum parvum a parte viridarii palatii, ædificavit quoque apud Bozellam. Ultimum clau-
1573. sit diem 16 Julii 1573.

LXVIII. JOSEPHUS.

PARPAOLIA. Taurinas natione Josephus, e prosapia Parpalea dominorum Roviliaschi, renunciatur archiepis- E copus bullis apostolicis cal. Septemb. 1573. Possessionem adeptus per Antonium *de Vagnon* protonotarium apostolicum die Mercurii 21 Octobris anni ejusdem, solemnem ingressum
1575. fecit 6 Februarii 1575. Quo sedente statuit
1582. capitulum anno 1582 Transfigurationem Domini ritu duplicis majoris deinceps celebrandam.
1591. Interfuit anno 1591 translationi reliquiarum S. Mauritii ab ecclesia Capucinorum in basilicam Astensem cum aliis præsulibus. Peste interiit 20
1598. Julii 1598 apud Allodia, ubi sepultus est.

LXIX. JOHANNES-FRANCISCUS.

Quis quantusve vir fuerit Johannes-Franciscus, BERLIET. Burgeti baro ac dominus de Chiglo, testantur præclara quæ sub ducibus Sabaudiæ summa auctoritate obiit munia & prudentia. Ab Emmanuele-Philiberto sanctioris consistorii senator, moxque primus cameræ computorum præses lectus, unionem comitatus Tendæ aliarumque toparchiarum principatui Pedemontano inter alia procuravit. Factus inde totius Sabaudiæ præses, cum Ludovico Millieto barone *de Faverges* delegatur pro controversiis pagi Bernensis componendis. Tum a Catharina Austriaca ducissa in libellorum supplicum magistrum assumtus est & a Carolo-Emmanuele duce comes etiam ascitus, dum Mediolani reginam Hispaniæ inviseret. Posthæc ad summum pontificem orator designatur, ut pro sua singulari solertia permutationem marchionatus Salutiarum procuraret. Interim fama & eruditione præstanti augustior dignitas ut accederet, post mortem uxoris suæ Berlietus, Lugdunensis diœcesis clericus, ad hanc metropolim nominatur 1598 Novemb. 8, ut indicant acta Vaticani, tuncque officio secundi præsulis senatus Allobrogum se abdicavit. Summum autem inter ducis consiliarios gratiæ locum fidelis animi significatione adeptum fuisse ex hoc potissimum apparet, quod in Gallias profectus ut cum Henrico IV de commutatione ejusdem marchionatus ageret, Berlietum non modo arcanorum participem sibi assumserit dux Sabaudiæ, sed & legationis principem apud Christianissimum regem eum constituerit, quo nomine Parisiis cum Gasparo Genevensi marchione *de Lullins* anno 1600 1600. fœdus pacis felicissime transegit, teste Petro Matthæo historico regio; quo tempore Johannes-Philippus Chavallardus, Tarantasiæ prior, archiepiscopatus 5 Januarii 1600 possessionem iniit pro Berlieto, qui ipse redux solemniter ingressus est 22 Febr. 1602 cum ingenti cleri populique gaudio. Omnibus his officiis cum præclarum sui specimen edidisset, ecclesiæ quoque suæ regimini plurimum intentus, canonicorum collegium religionis legibus & institutis absolvit, cui S. Mariæ capitulum attribui obtinuit. Denique familiæ summum decus Johannes-Franciscus magna laude claruit ad annum 1607, quo vita sublatus est in 1607. archiepiscopali palatio Tarantasiæ 2 Januarii.

LXX. ANASTASIUS.

Saliis in marchionatu Cevæ natus Anastasius, GERMONIUS. patriæ primus suæ familiæ dominus & marchionatus titulo insignitus, ex archidiacono metropolis Taurinensis & utriusque signaturæ referendario apostolico, electus pridie id. Novemb. 1607, Paulo V pontifice, renunciatur antistes Tarantasiensis, cujus ecclesiæ adeptus possessionem 2 *al.* 7 Octob. 1608, missus est legatus ad Clementem 1608. VIII pro duce Urbini & ad Philippum II Hispaniæ regem nomine Caroli-Emmanuelis Sabaudiæ ducis. Ædes archiepiscopales restauravit & adauxit. Litigavit contra provinciam ut aboleret eleemosynam Maii. Induxit Rochetta, cappas

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

violaceas canonicorum & officium Romanum A
per diœcesim. Divinis humanisque instructus
litteris, multa scripsit quibus nominis sui memo-
riam apud posteros immortalem reddidit. Ejus
opera Romanis excusa sunt typis anno 1623.
Inter ea commendantur scripta quæ de immu-
nitatibus ecclesiarum & ecclesiasticorum, seu de
jurisdictione ecclesiastica duobus tomis compo-
suit: sessiones etiam pomeridianas, paratitla ad
quinque libros Decretalium & duos animadver-
sionum ad jus Cæsareum & pontificium, librum
de nunciis & dissertationem de academia Tau-
rinensi elucubravit. Vita & moribus religiosus,
Madriti Carpetanorum in Hispania reddidit B
animam, ætatis an. circiter 75, die 4 Augusti
1627. 1627, sepultus in cœnobio D. Hieronymi.

LXXI. Benedictus-Theophilus.

DE CHIVRON.

Tertius ex nobili hujus cognominis gente
Sabauda Tarantasiæ archiepiscopus Benedictus-
Theophilus, natus est Taurini an. 1585 nobi-
libus piisque parentibus Hectore de Villeta *de
Chivron* & Johanna *de Menthon*. Infans mortis
periculum illustri evasit miraculo. Post navatam
scientiis operam primum rem bellicam secutus,
invictissimi animi probitatisque plura edidit
experimenta. Ad limina apostolorum dein pe- C
regrinatus, sacræ militiæ nomen dedit. Tum
protonotarius apostolicus, necnon decanus eccle-
siæ collegiatæ B. Mariæ Anneciaci omnium voto
creatus est, lauream que juris utriusque in academia
Taurinensi adeptus 16 Martii 1607. Factus
postea monachus Tallueriensis, cum Romam
pro quibusdam monasterii negotiis missus fuisset,
laurea theologiæ in gymnasio Sapientiæ insignitus
est. Roma reversus, aliquot post annis Tallue-
riarum prior electus est anno 1629, triennioque
post verbi Dei præco insignis, a Victore Amedeo
I ad ecclesiæ Tarantasiensis regimen evocatus D
1632. bonorum omnium plausu anno 1632. Latebras
quidem priscorum præsulum æmulus quærere;
1633. sed a Deo manifestatus consecratur 1633 ab
Antonio Provana archiepiscopo Taurinensi, assis-
tentibus Jacobino Marenco Salutiarum & Fran-
cisco Gondulpho Ventimiliensi episcopis. Pos-
sessionem adeptus 8 Febr. 1633, ut cleri simul
& populi mores reformaret, seipsum eximiæ
sanctitatis præbuit exemplar. Quam semper in
pauperes exercuerat misericordiam, orationis
assiduitatem, abstinentiam, in adhortando man-
suetudinem, in reprehendendo severitatem,
episcopus perpetuo servavit. Pane tantum &
aqua contentus diebus Veneris in quadragesima E
jejunabat. Cilicium fere semper gestavit. Denique
pastoralis officii duriorisque pœnitentiæ attritus
laboribus, meritis virtutibusque plenus animam
Deo reddidit 16 Junii SS. Trinitatis die, circa
1658. horam 3 post mediam noctem 1658, qua die
primam missam celebraverat.

Franciscus-Amedeus *Milliet* ut antecessoris
sui venerandum nomen posteritati consecraret,
statuam ei in cathedrali erigi curavit, quæ Chi-
vronem genibus flexis facie ad sinistram majoris
altaris partem versa exhibet cum hoc epitaphio:

Heu terris nihil durabile!
Æternitati quos Deus consecrat
Cælum rapit,
Cineres tantum supersunt.
Benedictus Theophilus ex Chivronis dynastis
Archiepiscopus & comes Tarantasiensis S. R. J. P.
Pauperum pater, sacrarum infularum decus
Hic jacet.
Qui ex cohortis præfectura sacerdos
S. Francisci Salesii suasionibus, ex decano
Monachus Benedictinus, ac tandem
Archiepiscopus licet invitus,
Vitam quam puero servarat Maria
Virgo illustri miraculo, vovit totam
Et Deo maxima pietate
Et ecclesiæ primæva firmitate
In propugnandis juribus sacris
Et suis populis diligentia pastorali
Et utrisque perfecta caritate
Vitæ quoque per pestem prodigus
Constanter impendit
Vir meritissimus.
Immitis tamen in se sævitiæ.
Quibus sancti præsulis nomen adeptus,
Dum viveret
Omnibus moriens sui desiderium
Et admirationem reliquit.

Posuit & antecessori suo Franciscus-Amedeus
Milliet *archiepiscopus & comes Tarantasiensis*
grati animi monumentum 1673.

LXXII. Franciscus-Amedeus I.

Patria Camberiacensis Franciscus-Amedeus, MILLIET.
nobili Hectore filio Ludovici *Milliet* marchione
de Challes & *d'Arvillars* in supremo Sabaudiæ
senatu protopræside & Magdalena *de Montchenu*
parentibus natus est. Litteris tum humanis cum
divinis ab infantia mira pietate & cura parentum
instructus, sacræ theologiæ operam dedit &
utriusque juris lauream Parisiis laudabiliter adeptus,
apud regem Francorum etiam gratiam promeruit,
ita ut in supremum Sabaudiæ senatum consiliarius
allectus fuerit. Amplissimo ex hoc purpuratorum
ordine ad sacras infulas, meritorum omniumque
virtutum suffragante cumulo, assumtus 25 Au-
gusti 1658 a Carolo II Sabaudiæ duce, bullis
apostolicis confirmatur 15 Decembris 1659. 1659.
Possessionem adeptus 12 Octobris 1660, in- 1660.
gressum solemnem celebravit 25 Novembris
ejusdem anni. Servata senatoris dignitate litteris
12 Junii 1660, electus fuit protopræses in
suprema computorum Sabaudiæ curia & guber-
nator totius ducatus litteris datis 29 Novemb.
1679 & 15 Octob. 1680. Hujus memoria 1679.
perpetua erit in benedictione, quippe qui præ- 1680.
valuit amplificare templa Dei viventis. Suffulsit
domum pontificalem, corroboravit templum
majus, altitudo utriusque fundata est, duplex
ædificatio pro domino, excelsi parietes utriusque
opera sunt zeli & munificentiæ illius, ingressum
templi & atrii exstruxit. Obiit die 25 Maii
anno 1703, ætatis suæ 80, inaugurationis 43, 1703.
ex quo tempore vacavit sedes usque ad annum

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

1727 dissidii causa inter Romanum pontificem & regem Sardiniæ Victorem-Amedeum II. Præfati archiepiepiscopi gesta descripta sunt versibus sequentibus:

Ante senator erat patriæque gerebat habenas,
Quam dignum tegeret sacra thiara caput.
Hunc sibi præpositum Rationum curia vidit,
Hoc sibi Centrones mox habuere decus.
Jura dat, & Christi commissum pascit ovile,
Miro conjungens fœdere sacra togæ.
Allobrogum clerus, princeps, ecclesia mater,
Jura sua ardenter qui tueatur habent.
Venerat atra dies, regno fideique medetur
Præsul, statque suus priscus utrique decor.
Presbyteris Christo formandis erigit ædes,
Nunc nova templa struit, nunc male structa polit,
Nec minus infestas gestat componere lites,
Se miseris præbet pauperibusque patrem.
Cura ovium flagrans, fuit omnibus omnia factus,
Ex animo pastor vivaque forma gregis
Sacris innctus cœlique incensus amore
Istinc migravit quo rapiebat amor.

Epitaphium brevius:

Consilium, Centro, Rationum Curia, Pauper,
Religio, princeps, clerus, delubra, clientes,
Judice, præposito, prælato, patre fruuntur,
Auxilio, monito, forma, structore, patrono,

A LXXIII. FRANCISCUS-AMEDEUS II.

MILLIET D'ARVILLARS

Superioris ex fratre nepos Franciscus-Amedeus, natus 4 Martii 1664 parentibus Silvestro *Milliet* marchione *d'Arvillars* & N. filia Caroli *de la Flechière* & Gabrielidis *Mores* nominatus decanus Tarantasiæ ab Innocentio XI summo pontifice XV cal. Novemb. 1681 & bullis donatus IV ejusdem calendas, possessionem adeptus est 20 Decemb. ejusdem anni. Vicarius generalis institutus est 4 Januarii 1684. Ad insulas evectus, monasterio discessit 28 Augusti 1698, Romam B profecturus, ubi consecratus 1 Febr. 1699, per 29 annos Augustensem rexit ecclesiam. Inde a Victore-Amedeo II Sardiniæ rege nominatus 11 Junii 1727, ad metropolim Tarantasiensem translatus est bullis VII cal Junii datis & pallium obtinuit die 30 Julii. Novæ sponsæ possessionem iniit die Dominica 19 Octob. 1727. Præfuit 1727. in sanctitate & justitia dilectus Deo & hominibus usque ad 28 Augusti 1744. Hac enim die, eadem 1744. hora qua Munsterio discesserat Romam petiturus, vita decessit cœlum ingressurus, salutari refectus C viatico, ætatis suæ anno 81, inaugurationis 47.

LXXIV. CLAUDIUS-HUMBERTUS III.

DE ROLLAND DE BERRY.

Ex canonico, archidiacono, & vicario generali Tullensi in Lotharingia Humbertus, renunciatus est archiepiscopus Tarantasiensis a rege Sardiniæ ineunte anno 1750. 1750.

DE PRIMA POST ARCHIEPISCOPUM DIGNITATE IN ECCLESIA TARENTASIENSI.

PRima capituli dignitas fuit decanatus quandiu canonici substitere plane seculares; at ubi canonicus ordo sub B. Augustini instituto in hancce ecclesiam fuit admissus, prior canonicorum regularium antecessit secularium decanum, qui tandem suum recuperavit locum an. 1606, quo regularis ecclesiæ status in secularem conversus est. Utrorumque seriem juvat hic exhibere.

DECANI.

Charta II, col. 378. I. RIFFERIUS subscribit anno 1096 chartæ unionis prioratus S. Martini monasterio Nantuacensi.

Charta V, col. 380. II. Matthæus Petri archiepiscopi litteras in gratiam S. Mauritii dictavit anno 1140.

III. Lambertus aderat anno circiter 1140, quando Petrus ab Amedeo Sabaudiæ comite pravam consuetudinem aboleri curavit.

IV. Petrus ætate Petri I archipræsulis superstes erat.

V. Matthæus memoratur v cal. Martii 1185.

Besson. hist. eccles. Sabaud. prob. p. 376, n.° 45. VI. Falco degebat 10 Novembris 1206. Reperitur die 2 Aprilis 1217 in charta Bernardi archiepiscopi pro Carthusia, sic etiam an. 1220 die penultima Junii in hominio a comite Gebennensi Willelmo archipræsuli Bernardo præstito.

Char. XVI, col. 389. VII. Aymo 13 Maii 1231 præbuit assensum ut hospitali de Musterio quædam decimæ tra- D derentur. Præsens aderat 12 Octobris 1232, cum Soffredus *Alavard* Herluino archiepiscopo vineam vendidit.

VIII. Bernardus præerat anno 1239. De Ibid. p. 384. ordinatione hospitalis de Musterio compositionem iniit cum Herluino archiepiscopo idib. Junii 1245. Bis legitur in bulla Alexandri III edita Ibid. p. 393. III non. Novembris 1257.

IX. Johannes-Philippus *Chevallard*, in utroque jure doctor, Sabaudiæ duci ab eleemosynis, vicarius generalis archiepiscopi, Romæ capituli secularisationem obtinuit 5 Martii 1606, & ex priore canonicorum regularium, tunc in Tarentasiensi ecclesia degentium, evasit decanus.

X. Prosperus filius nobilis viri *Galois de Regard*, domini *de Morgenea*, possessionem ac- E cepit 24 Maii 1632. Obiit 27 Septembris 1659.

XI. Nicolaus *Troilliet*, parochus S. Johannis *de Belleville*, possessionem iniit 9 Martii 1660. Humatur in cathedrali, ubi quatuor instituit anniversaria.

XII. Franciscus-Amedeus *Milliet d'Arvillars* decanatu provisus est an. 1681, natus annos 18. In posterum Augustensis præsul, tum Tarentasiensis archiepiscopus.

XIII. Petrus-Franciscus *Milliet*, superioris germanus, in ejus locum suffectus, Camberiaci moritur 29 Januarii 1720.

Digitized by Google

XIV. Christophorus *du Verger* possessionem adeptus mense Junio 1720, sequentis in gratiam cessit mense Maio 1750. A

XV. Petrus-Josephus *Denis* in possessionem immissus est 21 Augusti 1750.

PRIORES.

Ibid. p. 353. I. PONTIUS anno 1140 testis est in litteris Amedei Sabaudiæ comitis in gratiam Petri archiepiscopi.

II. Gonterius v cal. Martii 1185.

III. Boso IV id. Novemb. 1206.

Ibid. p. 356. IV. Nantelmus adstitit juramento fidei, quod comes Gebennensis Guillelmus Bernardo archiepiscopo præstitit 30 Julii 1220. B

V. Petrus una cum Herluino archiepiscopo arbiter exstitit canonicos cathedralis inter & capellanum de Musterio transactionis initæ IV cal. Junii 1227. Alteri pacto suum præbuit assensum idib. Januarii 1227. Id. p. 384.

VI. N...... in partibus ultramarinis versabatur anno 1257, ut constat ex litteris cardinalis Richardi de S. Angelo.

VII. Willelmus 1260.

Id. p. 404 & 408. VIII. Pontius Rodolphi & Petri archiepiscoporum codicillorum fuit executor anno 1270 & 1283. Interfuit VIII id. Augusti 1284 pactioni initæ inter Aymonem archiepiscopum & Emericum de Aquablancha dominum de Briancone. C Id. p. 409.

Id. p. 407. IX. Petrus ab archiepiscopo Petro per testamentum conditum anno 1283 palafredum accipit.

X. Nicolaus 1292.

XI. Jacobus *de Salins* 1331. Ex priore in archiepiscopum electus.

XII. Johannes *de la Fontaine* 1340. Johannis archiepiscopi statuto intercessit 30 Julii 1346, per quod unicuique canonico separatim vivere licitum erat. D

Id. p. 434. XIII. Bertrandus Bertrandi adfuit 27 Junii 1358 transactioni Johannis archiepiscopi & Amedei Sabaudiæ comitis.

XIV. Humbertus *de Villete* 1361, 1365, 1377. In archiepiscopum electus an. 1378.

XV. Johannes Chambrerii 1381.

XVI. Theobaldus *de Châtillon* 1402.

XVII. Antelmus vel Antonius *du Four* 1405.

XVIII. Theobaldus *Terraval* laudavit permutationem factam inter capitulum & Humbertum *de Sethenay* parochum *de Chevron* 13 Junii 1422. E

XIX. Johannes *de Pucet de Salins* vicarius generalis 1434, 1454.

XX. Petrus *de Gilly*, notarius apostolicus, itemque commendatarius, possessionem accepit 24 Julii 1459.

XXI. Michaël *Bauffan* judiciario decreto in possessionem immissus fuit 10 Maii 1486.

XXII. Georgius *de Compeys* 6 Junii 1497 legavit cathedrali centum viginti florenos auri pro instituenda benedictione SS. Sacramenti infra octavam Corporis Christi.

XXIII. Ludovicus *Achard* protonotarius apostolicus 1518.

XXIV. Johannes *Vulliet* cessit anno 1539 in gratiam sequentis.

XXV. Jacobus-Guido *Vulliet*, superioris germanus, occurrit annis 1545, 1554.

XXVI. Johannes-Philippus *Chevallard* obtinuit & ipse per antecessoris cessionem 27 Maii 1583. Secularisationi operam navavit, uti diximus in decanis.

STAMEDIUM.

BONÆVALLIS e linea Cistercii filia Stamedium, situm est in diœcesi Tarentasiensi ducatus Sabaudiæ ad torrentem *de Bart*. Sic dicitur quod medium sit duas inter provincias & ducatus duos qui ibi conveniunt: provincia videlicet Viennensis & Tarentasiensis, ducatus vero Sabaudiæ & Genevensis. Addunt medium esse tres inter toparchias, puta marchionatum * Fabricarum, comitatum * Turnonis & baroniam * Chabriduni. Nonnulli tamen historiographi, si Guichenoni sit fides, Stamedium dictum putant a victoria quam juxta hunc locum a comite Genevensi retulit Amedeus Sabaudiæ & Mauriennæ comes. TAMIÉ, * Faverges. * Tornon. * Chivron.

Monachos autem Cistercienses in suo Sabaudiæ comitatu habere vehementer exoptans Amedeus, Petrum Darantasiensem archiepiscopum ejusdem ordinis alumnum rogavit ut diligenter inquireret locum ubi commode habitarent. Hic vero locum elegit Stamedium dictum, ibique monachos ex Bona-valle eductos collocavit anno 1132, XIV cal. martii. Viri quidam nobiles, rogante eodem Petro archiepiscopo, pro sua suorumque parentum salute dederunt quidquid possidebant in monte Stamedii. Quæ cum ad monachorum cultum victumque non sufficerent, præcitatus antistes, nonnullis fratribus stipatus, Amedeum Gebennensium comitem adiit, suppliciter deprecans eum ut concederet & daret quidquid juris habebat in nemore sive in territorio Beloceii. Cui petitioni hilariter favit comes, quamvis locum illum maxime carum haberet. Quinimo Joceramnus de Cleis magnam partem alodii concessit in monte Stamedii & in acquisitione aliarum partium eos fideliter juvit. Charta III, col. 379.

Petrus hujus loci quondam primus abbas, tunc autem Tarentasiensis archipræsul, ecclesiam ab Amedeo Mauriennensi comite constructam in honorem Deiparæ Virginis dedicavit anno 1150, VI nonas Octobris.

Seriem abbatum eruimus ex archivis ejusdem monasterii ut sequitur.

ABBATES.

I. PETRUS honestis piisque parentibus, in prædio Viennensis tractus familiæ domicilio, quod idem ipse priori mutato nomine, S. Mauritii nuncupavit, natus est anno 1102. Hic fraterna æmulatione, etsi officio alteri a parentibus destinatus, ad sacrarum litterarum studia mentem appellere cupivit. In quibus cum multum profecisset, suadente Johanne Bonæ-vallis abbate,

Digitized by Google

ad quem a Petro suo genitore, monachorum Bonæ-vallis studiosissimo, missus fuerat, ibi se Deo obtulit anno 1122 sub regula fideliter serviturum, Lambertum quoque germanum natu majorem, factum postea Cisterciaci abbatem, secum traxit. Tirocinii tempus vix expleverat, cum ad diversa officia in monasterio fuit promotus, sed an. 1132 Petro archiepiscopo Tarent. & Amedeo Sabaudiæ comite procurantibus, nova colonia ex Bona-valle ad locum Stamedium dictum deducta est a Johanne ejusdem loci primo abbate, postmodum Valentino antistite, cui cum adunatus esset Petrus, votis communibus & præfati Johannis arbitrio constitutus est primus abbas. Idque muneris tam digne tantaque virtutis fama obivit, ut post depulsionem Idraelis archiepiscopi Tarentasiensis ad regimen ejusdem ecclesiæ suscipiendum unanimi consensu electus fuerit anno 1141. Sub ejus moderamine Petrus de Chabreduno monachum induit apud Stamedium. Eumdem esse puto atque Petrum, qui ab Eugenio III anno 1145 monachis Stamediensibus privilegium protectionis indulgendum curavit.

II. Rotbertus juxta manuscriptum eo in monasterio servatum Petro primo abbati successit. In quibusdam chartis occurrit annis 1150, 1151.

III. Guillelmus I anno 1162 quædam accepit a Viniterio milite de S. Desiderio, qui hoc anno seculum relinquens multa de bonis suis in manu prædicti Guillelmi dedit ex consilio & consensu Petri archiepiscopi Tarentasiensis.

IV. Petrus II de Avalone, idem forte ac P. cognominatus aurifex, præerat anno 1163. Postea in abbatem Bonæ-vallis cooptatus.

V. Guido superstes an. 1168, Matrem habuit nomine Guiam, fratrem vero Petrum militem de Civino. In necrologio notatur IV id. Augusti.

VI. Petrus III de S. Genesio munus abbatis gerens 1168, privilegium protectionis obtinet anno 1171 ab Alexandro III. Donum a Guidone de Verrinis suscipit an. 1174. Petrum de Civino militem, Guidonis quondam abbatis germanum, Guiamque ejus matrem munificos experitur 1176. Insequente anno pratum Mercuriaci accipit a Guillelmo de Chabreduno. Transigit 1180 cum Bernardo priore S. Beronis, quam quidem pactionem ab N. abbate sancti Andreæ Viennensis coram R. episcopo Bellicensi 1181 confirmari curavit. A Guisardo de Sabinis, qui ibi monachum induit, manso de Rotaico donatus est 1188. Quinque solidos censuales a Petro de Cleis milite jerosolymam mox profecturo recepit 1189. Eo moderante anno scilicet 1190 plures viri nobiles monasticen amplexati sunt, puta Lodoicus & Joffredus de Mercuriaco, Amedeus de Gimiliaco atque Hugo de Montilione. Sylvam acquisivit 1198 a Berlione de Camberiaco. Superstes adhuc annis 1200, 1201 & 1205, quo Innocentius privilegium defensionis ei tribuit.

Ch. XII, col. 387.

Ch. XIII, col. 387.

VII. Giroldus *al.* Girardus de Turre, ex monacho Bonæ-vallis, Stamedii factus abbas, præerat anno 1207. Beneficos expertus est Berlionem Chambariensem 1209, Petrum *de Conflens* cognomine humilem 1210, & quemdam Stephanum 1212. Regimen perduxit ad annum 1222.

VIII. Humbertus de Avalone optimus medicus 1222.

IX. Berlio de Ponte Bellivicini valde juvenis abbas transigit an. 1223 cum priore S. Beronis. Herluinum archiepiscopum Tarentasiensem & Guillelmum *de Bellefort* concordes efficit anno 1225. Diversa dona diversis annis accipit anno 1224 a Petro de Ulmo milite, 1230 a Willelmo de Chastelino domino de Ducera, 1233 a Petro *de Sestenay*. Reperitur & anno 1234.

Besson. Hist. eccles. Sab. ad. prob. p. 376.

Ch. XVII, col. 390.

X. Willelmus II de Bovicis anno 1234 memoratur in charta Petri Berlionis in gratiam Stamedii concessa.

XI. Petrus IV *de Sestenay* 1237, 1238. Berlionis Cambariensis donum excipit an. 1239. Occurrit & annis 1241, 1242.

XII. Berlio de Bellacumba abbatiam obtinebat 1242. Jacoba relicta W. domini Intermontium ei donationem indulsit 1244. Superstes 1245. Tribus annis rexisse fertur.

XIII. Guigo abbatis titulo decoratus invenitur ad annos 1246, 1248, 1249, 1250, & paulo post in abbatem Bonævallis assumitur.

XIV. Johannes I anno 1251 ab Aymone Cambariensi donatur omni jure quod ille habebat in prædia, quæ pater ipsius Berlio Cambariensis Stamedio contulerat.

XV. Jacobus I de Amaysino 1255 transigit cum Petro de Chavello. Superstes adhuc anno 1261.

XVI. Antelmus de Fabricis gallice *de Faverges* anno 1263 donum recipit Johannis de Cambis. Reperitur & annis 1273, 1276.

XVII. Nantelmus Alamandi ex cellerario abbas electus 1277, quædam acquirit 1294. Hominium recipit Amedei *de Planeysse* 1303. Jam e vivis ereptus 1305.

XVIII. Hugo de Palude e vetustissima ac nobilissima Paludanorum apud Sebusianos gente, ab Eduardo Sabaudiæ comite an. 1305 litteras tuitionis obtinuit. Variis in chartis occurrit ad usque annum 1232.

XIX. Jacobus-Paschalis de Yena pedum obtinebat annis 1324, 25, 28, 31. 40, 42, 43. Ejus obitus in necrologio consignatur IV id. Junii.

XX. Jacobus II *de Ribot* ex variis chartis munus abbatis gerebat annis 1344, 1345, 1347, 1349.

XXI. Rodulfus *de Sestenay* 1350, 1354, 1356.

XXII. Gerardus *de Beaufort* memoratur 25 Maii anno 1358. Transigit 1369 cum Petro de Chrecerellis. Adhuc erat abbas an. 1377.

XXIII. Guillelmus III Guinandi de Narbona, sacræ theologiæ professor, e monacho Fontis frigidi electus abbas Toroneti in diœcesi Forojuliensi, tum Stamedii, competitorem habuit fratrem Nicodum de Missiaco, quocum de abbatia contendens anno 1381, arbitris abbatibus sancti Sulpicii & Bonæ-vallis in possessione permansit. Regimen adhuc obtinebat 1390.

Digitized by Google

XXIV. Guillelmus IV Eyrandi de Limogiis innotescit ex veteri instrumento confecto anno 1390.

XXV. Petrus V Castini recipit anno 1392 hominium Guigonis de Monte-bello, domino Intermontium. Variis in chartis occurrit ad usque 1399, quo in actu Visitationis exauctoratus fuit. Ejusque depositionem ratam habuit anno 1400 capitulum generale. Quam ob causam apud Benedictum XIII de sancti Sulpitii & Bonævallis abbatibus conquestus est anno 1403.

XXVI. Petrus VI de Burigniaco ex priore Cassaniæ abbas institutus a Romano pontifice an. 1400 22 Octob. Usum mitræ & pontificalium obtinuit anno 1417. E vivis excessit 1420 jam abdicata dignitate.

XXVII. Claudius Pareti eligitur anno 1419 & confirmatur a Martino V pontificatus an. 3. Missus fuit a capitulo generali ad concilium Basileense. Rexit ad annum 1454, quo decessit prid. cal. Martii.

XXVIII. Georgius Jocerandi *de Cons* ex illustri prosapia natus, Baccalaureus in decretis, in abbatem assumtus, confirmatur ab abbate Bonæ-vallis 6 Martii 1454. Non excessit annum 1472, quo successorem habuisse reperitur.

XXIX. Urbanus I *de Chevron* protonotarius apostolicus, canonicus Gebennensis & legatus serenissimi ducis Sabaudiæ ad Bernenses, postea Tarentasiensis archiepiscopus, abbatiam obtinuit anno 1472 initio Januarii. Interfuit funeri Yolandæ a Francia Sabaudiæ ducissæ 1478 die 29 Augusti.

XXX. Augustinus de Charnea, ex priore factus abbas, fuit a Consiliis serenissimo duci Sabaudiæ. Superstes annis 1485, 1486, 1490. Obiit IV cal. Junii 1492.

XXXI. Urbanus II *de Chevron,* Stamediensis monachus, abbas evasit III cal. Junii 1492. Vivere desiit X cal. Martii 1505.

XXXII. Jacobus-Franciscus *de Chevron,* filius Francisci *de Chevron,* a teneris annis institutus, monasterii administratorem habuit Guillelmum *Royer* jurium professorem & canonicum ecclesiæ Tarentasiensis 1503, 1504. Decessit 1506 mense Augusto.

XXXIII. Alanus Lacerelli, monachus Boquiani & prior Stamedii, factus abbas 31 Augusti 1506, confirmatus fuit ab abbate Bonæ-vallis die 3 Septemb. tum a summo pontifice mense Octobri ejusdem anni, benedictionemque percepit a Claudio *de Château-vieux* Tarentasiensi archiepiscopo.

XXXIV. Stephanus Gignelli benedictionis munus accepit 16 Augusti 1523. In funere Philippi a Sabaudia ducis Nemosii celebrato Annesiaci 19 Martii 1534 missam celebravit primam, Lausanensis episcopus secundam, tertiam vero Bellicensis antistes.

XXXV. Petrus VII de Belloforti, protonotarius apostolicus & prior Bellarum-vallium, abbatiali munere fungebatur anno 1537. Plancherinæ vitam finivit 19 Februarii 1584.

XXXVI. Johannes II de Villeta de Chivrone decessoris tantum coadjutor designatus, tum abbas electus 20 Februarii 1584, ab abbate Bonævallis ultima die ejusdem mensis confirmatur. Cessit in gratiam sequentis 1595.

XXXVII. Franciscus-Nicolaus I *de Riddes,* ex monacho & priore Alpium abbatiam per superioris cessionem impetravit a summo pontifice idib. Octobris 1595. Serenissimo Sabaudiæ duci ab eleemosynis & consiliis, necnon in suprema provinciæ Sabaudicæ curia consiliarius, atque etiam vicarius generalis ordinis Cisterciensis in Sabaudia, Pedemontio, Delphinatu & vicinis provinciis extitit. Defunctus anno 1645 die 23 Augusti, eo loci sepulturam habuit.

XXXVIII. Guillelmus V *de Riddes* Stamediensis monachus, superioris ex fratre nepos a Paulo V papa in coadjutorem cum futura successione patruo datus fuit anno 1618.

XXXIX. Franciscus-Nicolaus II *de la Forest de Somont* præcedentis coadjutor, juris utriusque doctor & vicarius generalis ordinis Cisterciensis in Sabaudia & Pedemontio reperitur an. 1651. Obiit Plancherinæ 2 Octob. 1659, Sepultus in capitulo Stamedii.

XL. N. *de Gerbais,* frater domini *de Sonnas,* erat abbas an. 1657 ex Guichenone.

XLI. Johannes-Antonius *de la Forest de Somont* viginti duntaxat annos natus, bullas obtinuit ab Alexandro VII datas prid. non Aug. 1665, cum jam ab aliquot annis sedes vacasset. Sui ordinis in Sabaudia vicarius, & in curia Romana procurator generalis, strictiorem observantiam in monasterio instituit, ædificiaque a fundamentis erexit. Fato functus 1701 die 12 Decemb. annos natus 56, conversionis 42.

XLII. Johannes-Franciscus *Cornuty,* primum per 25 annos prior studiosissimus, tum abbas & in Sabaudia vicarius generalis ordinis, regulari observantia, pietate singulari, ac morum suavitate conspicuus, multis corporis infirmitatibus & doloribus patientissime diuque toleratis, anno suæ ætatis 67 ad superos evolavit die 4 Aug. 1707, regularem vitam degens abhinc annis 48.

XLIII. Arsenius *Jougla* Tolosæ ex illustri familia natus, strictiorem in monasterio de Trappa observantiam professus, ubi & novitiorum magistri officium exercuit, tum prior monasterii de Bono-solatio in Tuscia, Stamedii eligitur abbas 31 Octob. 1707. In monasterium perpetuum silentium induxit ad morem monachorum de Trappa.

XLIV. Jacobus *Pasquier.*

XLV. Johannes-Baptista *Maniglier* de sancto Sigismundo.

XLVI. N. *Bourbon d'Annesi.*

Nonnulli ad hos abbates addunt nescio quemdam S. Bernardum in necrologio notatum ad diem XVIII cal. Maii. Johannes-Antonius *de la Forest* plures addidit omissos in antiquis catalogis, in necrologio, necnon in chartis monasterii, videlicet Vidonem filium Poncii de Bello-forti ad annos 1156, 1161, 1163; Vidonem alterum ad an. 1172, atque etiam G. ad an. 1201.

Digitized by Google



ECCLESIA SEDUNENSIS

Ubi de Sedunensibus sive Octodurensibus qui & Vallensium, seu Vallesianorum episcopi, comites & præfecti fuere.

* Sion en Valais.

EPISCOPATUS Sedunensis suam accepit denominationem a civitate * Seduno Valesiæ seu Vallesiæ hodie primaria & capite. Valesia vero seu Vallesia nomen habet a Valle non ita lata præruptisque undique cincta montibus, quæ secundum Rhodani fluviorum Galliæ rapidissimi cursum, qua ille oritur & mox in Lemanum lacum influit, angustis faucibus & pene in unum coeuntibus montibus sese porrigit, Valinsa etiam seu Valensa quondam a Romanis dicta, si fides inscriptioni vetutissimæ quam referunt Guillimannus, lib. 4, de rebus Helvet. Stumpsius de Helvet. & Simlerus, lib. 1, descript. Valesiæ, quæque nunc Genevæ asservatur. Sane in libello provinciarum appellatur Octodurus civitas Valensa, unde potuit aliquando id nominis universæ regioni attribui. Terminos habet ab ortu Lepontios, ab occasu Antuates, a meridie Lepontios iterum & Salassos & a septentrione Helvetios, a quibus omnibus altissimis & qui perpetuis rigeant nivibus montibus dirimitur, in longitudinem ad C. fere millia passuum patens, tota tamen angusta, nisi qua inter montes in alias valles se diffundit, quarum aliquæ XV, nonnullæ etiam XXX millia passuum continent. Vini vero optimi, frumenti & pecoris adeo ferax, ut omnium earum rerum quasi quoddam opulentissimum naturæ secretum habeatur. Metalla quoque illic auri, plumbi, ferri, æris & argenti plurima; croci etiam tanta copia, ut in vicinas regiones magno gentis lucro jumentis sarcinariis exportetur.

Vallis omnis in duas dividitur partes, quarum superior ab ortu Rhodani usque ad Morsiam fluvium qui infra Sedunum miscetur Rhodano excurrit, quam olim Viberi & Seduni incolebant; inferior vero a Morsia ad Agaunum Veragris & Nantuatibus locum præstabat. Veragrorum ut & Sedunorum meminit in primis Cæsar initio lib. 3 de bello Gallico hoc tenore verborum: *Cum in Italiam proficisceretur Cæsar Serg. Galbam cum legione duodecima & parte equitatus in Nantuates* (non Antuates ut male legitur) *Veragros Sedunosque misit, qui a finibus Allobrogum & lacu Lemano & flumine Rhodano ad summas Alpes pertinent, &c.* Nec ita post de Sedunis: *his rebus*, inquit, *gestis cum omnibus de causis Cæsar pacatam Galliam existimaret, superatis Belgis, expulsis Germanis, victis in Alpibus Sedunis....* Eosdem populos commemorat Strabo in sua geographia, lib. IV, p. 204, sed et Plinius, lib. III, hist. nat. cap. 20 inscriptionem refert Augusto erectam ob debellatos Alpium populos, in qua rectissimo ordine omnes collocat. Imperite vero nimium Dio, lib. 39 histor. qui Veragrorum nomen in Nantuatium fines ad Lemanum usque profert, cum Nantuates primi omnino sint, ab lacu Lemano, & proximi illis Veragri, his autem Seduni. Veragri igitur hi semper fuerunt populi, qui Vallem incoluerunt Dransa amne irriguam a summi Pennini vertice ad Rhodani usque ripam. Summum Penninum vocant Tabulæ & Antoninus in Itinerario, & summum Verticem Livius, lib. 5 appellat, in quo *Pennum* Deum, seu Summum Jovem Veragri colebant incolæ, unde & *Penni lucus*, sive sacrum Jovi nemus de quo in tabulis & Antonino designantibus itinera ab Augusta Prætoria novissimo Italiæ oppido ad Augustam Rauracorum. Ubi observa pro *Penne locus* vel *Penno lucos*, uti aliquando corrupte scribitur, legendum esse *Penni lucus* a genuino Dei *Pen* nomine & Romano ore *Penno*, a quo derivatum Alpium cognomen *Penninum* constat, quod deum Jovem, uti diximus, [a] *in summo sacratum vertice Penninum vocarent* & invocarent montani Veragri per antiquo cultu & appellatione, unde & ista adhuc ibi inscriptio ad altare:

[a] Ita Livius, lib. 5.

Apud Rol. Viot, lib. 1 vitæ S. Bernardi de Mentone, cap. 10, pag. 167.

LUCIUS. LUCILLUS.
DEO. PENNINO.
OPTIMO.
MAXIMO.
DONUM. DEDIT.

Non ergo Penninas alpes ab transitu Annibalis aut Pænorum ullo dictas ait [b] Livius, quod tamen scribunt [c] Isidorus, [d] Servius, [e] Paulus diaconus, [f] Plinius etiam & [g] Ammianus Marcellinus; nec ut alii putarunt, *Penninas*, quasi *Pinninas* a celsi cacuminis eminentia, qua cæteras Alpes superant, sed a Penno deo, seu Jove qui ibi colebatur. Fuisse autem cum verticem summum, in quo *Pennum deum*, seu Jovem suum colebant incolæ Veragri, illum ipsum qui nunc inter Augustam Prætoriam & Martiniacum vulgo vocatur *Monte Jove* Italis, *Mont-Jou* Gallis & *Mons divi Bernardi major* terræ accolis passim dicitur & ætatis nostræ scriptoribus, docet in primis præter tabulas & itineraria jam producta illustre illud monimentum quod suberat Jovis statuæ in eodem summo Pennino erectæ; quodque adhuc ibidem extat in sacra domo D. Bernardi majoris in hæc verba.

[b] Lib. 21.
[c] Orig. lib. 14. cap. 8.
[d] Ad lib. 10 Æneid.
[e] Rerum Longobard. lib. 2. cap. 18.
[f] Lib. 3. cap. 17.
[g] Lib. 15.

JOVI.

Apud eumdem Vuol, loco citato, p. 163.

JOVI. O. M.
GENIO. LOCI.
FORTUNÆ.
REDUCI. D.
TERENTIUS.
VARRO.
DEDICAVIT.

firmantque Geographi omnes & Historici, Tschudo uno excepto, qui in Rhætia sua quam vehementissime contra Alciatum, imo contra ipsam apertissimam invictæ veritatis lucem ostendere nititur summas Cæsaris Alpes superius descriptas, montem esse qui nunc vulgo *divi Gothardi* cognominatur. At Cæsariana descriptione summarum Alpium nihil certe luculentius dici posse asseverant Henricus Glareanus, Leander & Stumpfius, qui primi litterarum lucem Helvetiis rebus attulere; quibus & Alciatus, Marlianus, Jovius & Crispinianus haud repugnant, communi consensu tradentes summas Alpes a Cæsare eas nominari, quæ inter Sedunos & Veragros consurgunt, ubi & *Octodurus* pagus, nunc *Martiniacum* vulgo Germanis *Martinach* & Gallis *Martigny*, quem secat Dransa flumen e summo exoriens Pennino, & a quo ad montem & delubrum divi Bernardi XXV sunt millia passuum, secundum quod signant tabulæ itinerariæ. Dicitur autem mons S. Bernardi, qui olim mons Jovis, non a nominatissimo illo D. Bernardo Clarevallensi, sed a beato alio Bernardo archidiacono & sacerdote apud Augustam Prætoriam, qui idolum Jovis quod in summo Pennino erat, dejecit & dæmonem qui infestum reddebat iter, precibus suis depulit, atque in usum iter facientium cœnobium & hospitalem domum in summo Pennino extruxit.

Quod spectat ad Martiniacum, arx erat & propugnaculum in præcipiti petra situm supra urgentem & florentem vicum Octodurum, Vallensium quondam caput sedemque episcopalem; at nunc eo deleto, solum nomen restat ab ipsa viciniore arce, quam non semel vastatam episcopi Sedunenses restituerunt, & ad hanc usque diem pro *Octoduro Martinach* dici voluerunt. Nam qui Octodurum longe inferiori loco positum fuisse autumant voluntque vestigia ejus eluvione Dransæ & Rhodani deleta, nulla profecto hi ratione firma perspicuaque probatione nituntur: si quidem ut Cæsar supra descripsit, vicus Octodurus positus in valle, non magna adjecta planitie, altissimis undique montibus continebatur, in duasque flumine partes dividebatur; quæ descriptio in tantum oppido Martiniaco & regioni circum jacenti convenit, ut nihil unquam magis graphice describi possit. Flumen autem non Rhodanum intelligi a Cæsare, sed Dransam Eutropius ostendit, qui torrentem nominat, & quod deinde Antoninus in suo itinerario monet Octodurum a Tarnada, (quod est Agaunum, seu vicus S. Mauricii) duodecim millium distare spatio, rem omnem aperte conficit.

Ad Sedunos quod attinet, fuisse illos supra Veragros versus fontes Rhodani ex superius adducta Cæsaris descriptione nulla controversia esse potest: quando etiamnum oppidum, quod vallis totius est caput nominis antiqui memoriam servat, Latinis *Sedunum* dictum, Germanis *Sitten*, Gallis vero paulo corruptius *Sion* & *Seon*. Sita vero ea est urbs in amœna planitie. Mons illi ab oriente mediocris imminet altitudinis, qui in media planitie inter altissimos montes, quibus universa vallis cingitur, duobus assurgit verticibus, quorum unus sinister scilicet, sublimior & undique præceps unicum dumtaxat a civitate ascensum habet, eumque adeo rapidum & angustum, ut in eo uti equo non liceat, & arcem in summitate *Tyrbole* dictam, id est Bellam-turrim, alias castrum Turbilionis, quam episcopi tempore æstatis & pestis inhabitare solent, quod illic aura sit purior frigidiorque. Ad radicem etiam illius verticis, propius urbem, domus est alia quam *Majoriam* nominant, majorum scilicet arcem quondam, sed quæ postmodum vendita episcopo Sedunensi Carolo IV imperante. Est præterea in alio montis ejusdem vertice, quem Valeriam vocant, templum D. Catharinæ & ædes canonicorum qui ante 400 & amplius annos, propter assidua bella locum illum in modum arcis ædificarunt & inhabitaverunt, interque duas illas arces per montem non pauca visuntur sacella & ædificia partim diruta & partim integra seu renovata. Civitas ipsa quæ monti adjacet pro captu regionis satis eleganter extructa est, & illi in dies plus decoris accedit. Cives enim pace diuturna opibus aucti, urbem novis ædificiis subinde ornant, quæ antea bellis sæpe vastata aliquoties incensa & pene deleta fuerat. Sitta fluvius urbem perluens salubriorem & mundiorem, avectis secum sordibus, eamdem efficit. Eam vero vetustissimam absque dubio probat antiqui marmoris fragmentum, quod adhuc visitur in summo templo Deiparæ Virginis ad majorem portam unicæ vetustatis Romanæ reliquiæ, his initialibus & finalibus litteris.

.... P. CAESARI. DIVI...I..
... AUGUSTO. COS. XI....
...RIBUNICIA. POTESTATE. XV...
PATRI. PATRIAE.
.....TIFICI. MAXIMO.....
... AS. SEDUNORUM.
PATRONO.

Digitized by Google

Quod mutilum ex conjectura ferme indubitata sic scite refici & suppleri mihi posse videtur. Imperatori Cæsari divi Julii filio Augusto Cos. XI. Imper. XIII. Tribunicia potestate XVI. patri patriæ pontifici maximo civitas Sedunorum patrono. Nam sane Augusto ut patrono hoc monimentum Seduni posuere septimo ante natum Christum anno, postquam ab eo debellati fuere & imperio asserti Romanorum anno urbis conditæ septingentesimo quadragesimo sexto.

Hactenus de civilibus historicis & profanis quæ Vallesiam ipsosque Sedunos spectant, ad sacra jam & ecclesiastica deveniendum. Quamquam autem instituti nostri ratio non patiatur ut prolixis dissertationibus ecclesiarum origines & fidei christianæ in eis initia investigemus, quia tamen scriptores ferme omnes qui de Vallesia egerunt in viros Apostolicos ipsumque Apostolorum principem Petrum ejusdemque atque Barnabæ discipulos Evangelii prædicationem in ea regione refundunt, observamus obiter ex innumeris rationibus & monumentis, quæ tam ex proprio quam ex alieno fundo prompsit doctissimus dominus Sebastianus *Briguet* canonicus Sedun. & in sua Vallesia christiana anno 1744 in lucem data, quanta potuit industria, adhibuit, ut ecclesiæ Sedun. antiquitatem evinceret, nullum esse decretorium, unisque conjecturis niti omnia pene argumenta quæ hanc in rem fusius congessit. Si quæ igitur sunt, quæ hujus ecclesiæ suffragentur antiquitati, duo maxime, primum sequens inscriptio, quæ hodie dum visitur eo in loco ubi pro tribunali sedent major & ædiles Sedunenses, vulgo apud nos dicto *l'Hostel-de-ville*, cujus nulla mentio apud canonicum nostrum, & ex qua tamen non obscure colligitur plurimas ædes sacras imperante Gratiano & procurante Pontio prætore fuisse de novo erectas, quæ sub Maximiano imperatore fuerant eversæ, aliove antiquiore persecutore.

Relligione vigens augustas Pontius ædes A ✠ Ω
Restituit prætor longe prastantius illis
Quæ priscæ steterant, tales respublica quære.
D. N. Gratiano Augusto IIII & Mer. Coss.
Pontius Asclepiodotus V. P. P. D.

Crux ad calcem primi versus apposita & ad Christum alludens sicuti ad Divinitatem A & Ω prætorem Christiana religione imbutum arguunt, qui anno 377, quo quartum consulatum gerebat imperator Gratianus, sacra ædificia, quæ sunt ecclesiæ, fervente Maximiani persecutione, solo æquata, in meliorem formam reparaverat. Templa enim apud Romanos Augusta fuisse appellata docet nos Ovidius:

Fastor. lib. 1. vers. 610.

* *Sancta vocant Augusta patres, Augusta vocantur*
Templa sacerdotum rite dicata manu.

Alterum nobis suppeditat argumentum religionis christianæ a primis temporibus in Vallesia disseminatæ quod narrat B. Eucherius Lugdunensis antistes in historia passionis martyrum Agaunensium de fabro quodam quem adhuc gentilem esse constabat, quique inter reliquos artifices quos B. Theodorus Vallensis episcopus aggregaverat ad extruendam basilicam in honorem SS. Martyrum circa annum 359 aut 360 una convenerat. « Hic, inquit S. Præsul, cum Dominico die, quo cæteri ad » exspectanda diei illius festa discesserant, in fabrica solus substitisset, in illo secreto, se subito clara » luce manifestantibus sanctis, hic idem faber rapitur, atque ad pœnam vel supplicia distenditur, & » visibiliter turbam martyrum cernens, verberatus etiam & increpatus, quod vel die Dominico ecclesiæ » solus deesset, vel illud fabricæ opus sanctum suscipere gentilis auderet. Quod adeo misericorditer » a sanctis factum constitit, ut faber ille consternatus & territus salutare sibi nomen poposcerit, statimque christianus effectus sit. » Ex quo facto liquet universam Vallesiam & loca finitima multo antea nomen Christo dedisse, si quidem faber hic solus, ut quidem videtur, gentilis inter christianos versabatur, atque etiam alienigena, ut innuit narratio S. Eucherii. Itaque valde est verisimile fidem christianam a viris Apostolicis aut Apostolorum discipulis in ea regione fuisse annuntiatam, quæ medio quarto sæculo adeo jam altas radices egerat, atque Vallesianos, ut loquitur Guillimannus, lib. IV, cap. 3, mature per quotidianos Alpium transitus Christum agnovisse. An autem præsules suos habuerit Vallesia, ex quo tota christiana facta, nempe primis nascentis ecclesiæ temporibus? Res est omnino ambigua, quam nec eruditi Vallesiani quorum maxime intererat, hactenus explanare potuerunt. In hoc tantum propemodum conveniunt, toto currente sæculo quinto ad usque annum 516 Vallenses episcopos pro metropolitanis habuisse Mediolanenses, quorum in locum successerint Viennenses, quibus postmodum exeunte sæculo 8 subrogati ex Romani pontificis decreto Tarentasienses. Cum igitur ex actis potissimum conciliorum, quibus adfuerunt & subscripserunt innotescant primi ecclesiarum pastores, desinque omnino ex quibus alicujus nomen eruatur, qui B. Theodoro præiverit, quem synodo Aquiliciensi an. 381 interfuisse constat & subscripsisse *Theodorus episcopus Octodurensis;* nemini mirum videbitur, si ab eo seriem ordiamur Vallensium episcoporum, tribus omissis Ogerio Hypogrenensi, cujus mentionem ingerit vetustissimus codex ms. cœnobii Agaunensis ad annum 310; S. Sulpitio, quem exhibet antiquissimus ac laudatissimus codex ms. doctissimi quondam Savaronis Claromontensium præsidis inter episcopos Galliæ sub hoc anno 323 morum gravitate & sanctimoniæ laude celeberrimum, qui post vitæ beatissimæ spatium, incertum quo anno emensum, tumulum habuisse dicitur in crypta quadam Octodurensis templi; & S. Sempronio quem nomine tenus memorat supradictus codex Agaunensis inter Octodurenses, quique, tacita sedis nuncupatione, inter eos patres

Digitized by Google

recensetur, quos anno 347 ex Galliis numero 34 concilio Sardicensi adfuisse testis est magnus Athanasius.

Quoniam vero translatio sedis episcopalis apud Vallenses nonnullis dubium movit binosne an unicum uno eodemque tempore Vallesia episcopum aliquando habuerit; huc referenda paucis quæ tom. 3 leguntur apud Bollandistas ad diem 16 Augusti. Præmittunt titulum de S. Theodoro seu Theodulo episcopo Octodurensi vel Sedunensi, dubii videlicet utrum Seduni an Octoduri sederit, ex eo quod aliqui hos distinctos adeoque duos episcopatus fuisse velint, dum alii melius rectiusque unam hanc eamdemque cathedram Octoduro Sedunum translatam existimant, fortitamque ex loco diverso nomen diversum; quam in rem citant Josiam Simlerum, lib. 1, descript. Vallesf. Guilliman. de rebus Helvet. & Franciscum Augustinum *ab ecclesia* episcopum Saluciensem in hist. Chronolog. Pedemont. regionis censentem cathedræ Octodurensi successisse Sedunensem, neque amplius inscribi Octodurensem, uti dicebatur in notitia provinciarum, sed Sedunensem; cujus autoris opinionem tanquam communiorem & saniorem amplectuntur, *nisi*, inquiunt, *editores Galliæ christianæ postmodum solidis argumentis ostendant. Seduni & Octoduri eodem tempore distinctos præsules sedisse*. Quod cum a nobis ostendi nequeat eamdem sententiam amplectimur, ultro citroque fatentes nihil nos inter ea quæ sedulo scrutati sumus ecclesiæ Sedunensis instrumenta deprehendisse quod contrarium pervincat.

Episcopo Sedunensi universa nunc paret Vallesia, quæ diversos olim rectores, principes ac dominos passa est, nec alium tam in spiritualibus quam in temporalibus superiorem agnoscit, qui comes & præfectus Vallesiæ nuncupatur & Seduni residet. Comitatum vero & præfecturam Vallesiæ a Carolo magno imperatore circa annum 802 aut 804 S. Theodulo episcopo Sedunensi fuisse donata suisque in dicta sede successoribus futuris temporibus perpetuo possidenda constans est & perantiqua totius regionis traditio, quam etiam firmant innumera ecclesiæ Sedunensis documenta, seu autographa, seu exemplaria authentica, quæ in instrumentis descripsimus, & de quibus suo loco ad prædictos annos mentem nostram paucis aperiemus in recensione episcoporum. Habet ille præsul titulum principis sacri Romani imperii & jura regaliæ, in cujus signum eidem confertur gladius per vassallum ipsius nomine seneschallum; jus quoque donandi vita vel gratiam faciendi reis capite damnatis, eorumque bonorum confiscationem. Ad antistitem etiam spectat fabrica monetarum cum omnigena utilitate inde proveniente potitur pariter confirmatione judicum & officiariorum sub juramento præstando, mulctis & castigationibus delictorum & graviorum criminum, creatione notariorum, legitimatione spuriorum, eorumque bonorum si absque liberis legitimis decesserint, confiscatione. Item sibi vindicat bona vacantia, convocationem diætarum & comitiorum, vectigalia multa, varia feuda aliaque jura quam plurima tam in superiori quam inferiori Vallesia. Quamvis autem omnes pene jurisdictiones Vallesiæ mediate vel immediate ab episcopatu Sedun. dependere dignoscantur nihilominus tamen præsul habet jurisdictiones quasdam speciales videlicet Martigniacum, Ardonum, Chamosonum, Massoniacum, Acaium, Herens, Nax, Mages, Agietes, Savisiam, Grimisuam, Ayent, S. Leonardum, vallem Annivisii, Sempronium & vallem Wiesch, ubi habet altum, merum & mixtum imperium. Super gubernatione S. Mauritii episcopus habet virtute tractatus *de Silinon* idem imperium. Hinc est quod gubernator S. Mauritii sit officiarius episcopi Sedunensis, ipsique juramentum præstet in plena Sessione. Vallis *de Bagnes* abbas S. Mauritii dominus quidem est quando tamen episcopus est Martigniaci, aut tempore visitationis in dicta valle & anno bissextili, si eo se contulerit, dominus est dictæ vallis. Habet præterea episcopus ibidem jura regaliæ & alti dominii juxta tractatus initos tempore Walteri & Mathæi episcoporum Sedunensium. Idem possidet adhuc in præsentiarum quinque castra scilicet Seduni castrum Majoriæ vocatum, ubi est modo residentia episcoporum, aliud Turbilionis munitissimum fortalitium natura magis quam arte situm in præalto colle ad radicem civitatis Sedunensis, tertium castrum est Leucæ, quartum Natriæ vel *Narrès*, quintum Martigniaci. Fuerunt olim quam plurima alia castra, ubi episcopi tempore bellorum cum comitibus Sabaudiæ morabantur, quæ modo sunt diruta & in rudera conversa. Episcopus Sedunensis una cum suo capitulo & communitatibus septem desenorum patriæ Vallesii habent fœdus cum septem cantonibus Catholicis quod præter multas rationes Reipublicæ utiles maxime institutum fuit pro conservanda in his regionibus fide catholica; & cum vicinis etiam Bernatibus in articulis mere politicis & in nulla parte fidem concernentibus. Episcopatus Sedunensis in redditibus annualibus, complectendo statos & fortuitos proventus, non computatis obventitiis * ascendit ad 2000 coronatos Galliæ, qui habita onerum ratione, subducto accurate calculo, sicuti acquiruntur ita expenduntur. Quoad electionem pontificis attinet, olim capitulum Sedunense secundum communem usum & consuetudinem ecclesiarum & juris canonici dispositionem unum canonicum e gremio, ut aiunt, seu de suo corpore depromptum eligere solebat, qui populo deinde in ecclesia cathedrali Sedunensi publice & solemniter exhibebatur, cui demonstrationi universus populus acclamabat & votis applaudebat. Denique tamen post multa gravissimaque dissidia inter clerum & plebem, & quia episcopus spiritualis & temporalis Vallesiæ dominus est, inolevit usus ut capitulum Sedunense quatuor magis idoneos ac dignos per modum scrutinii electos, senatui, sive oratoribus septem desenorum Vallesiæ præsentet, qui de quatuor præsentatis idoneum magis & gratum denominare solent cum traditione per decanum Sedunensem & ballivum patriæ, gladii regaliæ in signum dominii alti, comitatus & præfecturæ, moxque a septem desenorum communitatibus obedientia & fidelitas in hunc modum electo præstari & exhiberi consuevit. Quibus peractis petitur & sollicitatur per electum capitulum & senatum Vallesiæ summi pontificis Apostolica confirmatio,

* *Pro hoc computo vindices non erimus.*

Tutelarem agnoscit ecclesia cathedralis B. Virginem Mariam in cœlum assumptam. Patroni verò generales hujus diœcesis sunt in primis beatissima Virgo Maria, S. Theodulus episcopus Sedunensis, diva Catharina virgo & martyr, S. Mauritius cum sociis Thebeis militibus, qui quidem hanc diœcesim proprio sanguine martyrio nobilitarunt, & quorum reliquiarum sacer thesaurus cum magna veneratione nec mediocri tam indigenarum, quam forensium concursu, in celeberrima abbatia Agaunensi frequentatur, ubi honestissime collocatæ sunt, sicut & in castro Valleriæ Seduni, ubi ingens earumdem cumulus religiose & pie asservatur. Septem Vallesiæ deseni seu communitates sunt Sedunum, Sirrum, Leuca, Raronia, Vespia, Briga, Gomesia. Septuaginta parochias complectitur episcopatus tam in superiori, quam inferiori Vallesia, ex quibus sex per Bernenses Calvinistas usurpantur, eo quod sitæ sint in dominio ac ditione eorumdem. Præter dictas parochiales ecclesias sexdecim aliæ sunt filiales cum cura animarum, quæ a primariis parochiis principalium communitatum dependent. Ex supradictis 70 parochis 17 sunt qui habent adjunctos vicariatus & octo sunt prioratus in quibus olim religiosi habitabant. Monasteria in diœcesi Sedunensi tria extant, Agaunense S. Mauritii ord. S. Augustini, de quo infra post catalogum episcoporum more nostro dicemus; monasterium de Gerunda S. Mariæ de Carmelo; & monasterium sive hospitale situm in apice montis S. Bernardi, in quo est præpositura etiam ord. S. August. canonicorum regularium. Duo sunt in Vallesia conventus capucinorum, unus Seduni, alter apud S. Mauritium, qui ambo sub Adriano *de Riedmatten* episcopo Sedun. communibus populi Vallesiani eleemosynis ædificati sunt. Fundum Seduni pro constructione ecclesiæ, conventus & amplissimi horti liberaliter concessit capitulum Sedunense. Apud S. Mauritium vero fundum una cum plerisque sumptibus structuræ donavit nobilis Antonius Quarterius Auratæ militiæ eques & capitaneus. Est etiam in diœcesi Sedun. in mandamento Montheoli unica domus sanctimonialium ord. S. Bernardi Cistercienfis, quæ anno 1643 in generalibus Maii comitiis, Adriano episcopo singulariter procurante, communibus patriæ suffragiis receptæ fuerunt cum permissione eisdem concessa in dicto mandamento Montheoli monasterium ædificandi. Ex publicis quoque patriæ eleemosynis ædificatus est alius monialium conventus in colle vocato *Arbignion* prope parochiam sive pagum de Columberiis dictum, quæ ad formam concilii Tridentini institutæ non alium agnoscunt superiorem quam episcopum diœcesanum nempe Sedunensem. Brigæ quæ caput est conventus sui cognominis in superiori Vallesia fuerunt introducti Jesuitæ jussu episcopi & capituli Sedun. & totius reipublicæ Vallesianæ, excepta Seduno. His nobilis Brigianus e gente *Stokalper* illic superbum exstruxit & fundavit collegium. Hos confirmavit sub certis tamen conditionibus mense Maio 1686 tota Vallesiana respublica. Brigæ etiam anno 1653 aut 1663, 9 Junii moniales S. Ursulæ receptæ fuere, eximiusque illis conditus fuit parthenon. Canonici ecclesiæ cathedralis sunt 24 ex quibus 12 sunt titulares, & totidem residentiales ac præbendales. Præter hos canonicatus una præbenda destinata est fabricæ Sedunensi, alia pro distributionibus quotidianis, & tertia pro parocho Sedunensi canonico. Duabus ordinarie præsunt ecclesiis, videlicet cathedrali Sedunensi & collegiatæ Valleriæ. Paria in utraque peragunt divina officia secundum ritum & ordinem Romanum. Quadripartita est capitularis dignitas, alius enim est decanus B. Mariæ, alius decanus collegiatæ Valeriæ, alius sacrista, alius cantor Sedunensis. His accessit theologalis dignitas ab annis circiter 200 a nuntio Apostolico erecta. Singulis hebdomadibus die Veneris conventus (calendas vocant) habent, ubi de spiritualibus & temporalibus rebus decernunt. Beneficia in cathedrali Sedun. sunt 12 ex quibus non amplius quam 5 aut 6 sacerdotes ali possunt cum duobus choralibus. In ecclesia autem Valleriæ 7 sunt, ex quibus non plures quam duo sacerdotes cum uno chorali commode enutriri possunt. Inservit officiis cathedralis parochus Sedunensis una cum suo vicario, qui etiam choro deservire tenentur. Habet capitulum aliquas jurisdictiones temporales, necnon multa ac varia jura feudalia & cancellarias in desenis Sedunensi & Sirano; habet etiam fœdus cum septem cantonibus catholicis Helvetiæ. In civitate præter ecclesiam cathedralem & collegiatam Valleriæ sunt templum S. Theoduli episcopi constructum a cardinali Matthæo *Schiner* episcopo Sedun. ecclesia vicarialis sancti Petri, sacellum SS. Trinitatis, alterum Omnium sanctorum sub castro Valleriæ, B. Georgii extra muros, S. Margaritæ ad pontem Rhodani, S. Johannis-Baptistæ in Hospitali; in fortalitio vero castri Turbilionis aliud sub invocatione S. Georgii & in castro episcopali Majoriæ aliud sub invocatione S. Michaëlis archangeli. Singula quæque hæc ad temporale & spirituale regimen episcopi, capituli & ecclesiæ Sedunensis pertinentia mutuati sumus a Sammarthanis, qui ea profitentur desumpsisse se ex libro Italico Helvetia sacra & profana inscripto, editoque anno 1642, autore Ranutio Scoto episcopo Burgi S. Donini & nuntio Apostolico ad Helvetios, qui suse & accurate de tota Helvetia Vallesiaque scripsit. Episcoporum seriem tam ex iisdem, quam ex Sebastiano *Briguet* aliisque documentis contexuimus in modum qui sequitur:



Digitized by Google

EPISCOPI SEDUNENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Theodorus I.

Quocunque appelletur nomine Theodorus, Theodolus, Theodulus, atque etiam Theodoricus, codices enim & scriptores sanctos varie nominantes fallunt, inquit Philippus Ferrarius in catalogo sanctorum: a quocunque antistite missus fuerit ad Sedunos & Veragros apostolus, sive Romano, Mediolanensi, Arelatensi & Viennensi, constat traditione Vallesianorum, breviariis & actis qualibuscunque, inter omnes scriptores convenit Theodorum doctrina & pietate sua Vallesianos ad Christi cognitionem adduxisse, in vera religione diligenter instituisse, B atque omnes in sua vocatione perseverare docuisse. Theodorus autem Octodurensis episcopus collectis martyrum Thebæorum reliquiis, basilicam in eorum honorem ædificavit circa annum 352.
381. Concilio Aquileiensi adfuit anno 381, adfuit &
390. Mediolanensi anno 390 & subscripsit epistolæ Synodi ad Siricium papam, Theodulus aliquando subscriptus. Ita quoque a Victricio Rotomagensi episcopo inscribitur in epistola de laudibus sanctorum, qua Theodulo gratias agit Victricius ob reliquias martyrum ad se missas. Aliqualem etiam dedit operam ut ad fidem unam traducerentur C Burgundiones. Obiit circa annum 391, notatus 16 aut 26 Augusti.

II. S. Elias.

Exundantibus per Italiam seculo IV aquis Octoduro, ut ita dicam, demerso, sedem Sedunum transtulit Elias, unde post aliquot annos in insulam S. Julii secessit, ubi Julii successor Elias senatorem Audentium sepelivit ineunte seculo V. Ibidem peracta sanctissime vita, obiit ipse tumulatusque est, ac colitur VIII id. Aprilis.

III. S. Florentinus.

Cum Hilario decano Florentinus martyrio
407. coronatus a Vandalis an. 407 in castro Seduno, colitur V cal. Octob.

IV. S. Mauritius.

Florentinum excipit Mauritius in catalogo Agaunensi. Unus est ex episcopis Galliarum ad
409. quos Bonifacius papa scripsit an. 419 de Maximo Valentinæ sedis episcopo accusato a clericis suis, quod sectam Manichæorum sectatus fuisset.

V. S. Silvius.

Eucherio Lugdunensi episcopo auctor fuit Silvius ut historiam martyrum Thebææ legionis in schedis Isaaci Genevensis episcopi conquireret, quam ei direxerat S. Theodorus. Hanc Eucherius scripsit historiam martyrum *nostrorum*, inquit, ut dicebamus t. IV, col. 24, & ad Silvium, quem *fratrem* nuncupat, misit, ut calculo eam approbaret suo & in basilica sanctorum martyrum deponeret. Eucherio Silvius laterculum nuncupavit A anno 448 a Bollando editum in proœmio, t. I Januarii, & collegis, t. IV Jun. 448.

VI. S. Protasius I.

Cum Grato Augustensi & Domitiano Genevensi Protasius corpus S. Innocentii martyris Thebeæ legionis ab aquis Rhodani revelatum in basilicam SS. Martyrum transtulit, ignotum S. Eucherio, ac proinde post annum 451, quo Gratus subscripsit synodo Mediolanensi pro Eustasio Augustensi.

VII. Dominicus.

Protasium sequitur Dominicus in catalogo Agaunensi.

VIII. S. Theodorus II.

Concilio Agaunensi adstitit Theodorus anno 516, eodemque obiit celebratus VII cal. Sept. 516.
ac proinde ipse est, non Theodorus I, qui Ambrosium abbatem Agaunensem ad construendam ecclesiam acclivem SS. Martyribus ex collectis provinciæ insigniter juvit & prædictorum SS. ossa cum Ambrosio abbate legit.

IX. Constantius.

Anno 517 Constantius adsuit concilio Epaonensi in provincia Viennensi, cujus metropolita 517.
sanctus Avitus instauratam a Sigismundo rege SS. Martyrum basilicam dedicavit mense eodem Septembri. Constantius vero sedem Octodurum transtulit, quod paulo post ab Ostrogothis destructum est, qui anno 536 provinciam Alpium Graiarum Francis concessere.

X. Rufus.

Octodorensis adhuc episcopus Rufus subscripsit D concilio Aurelianensi IV, an. 541, Aurelianensi 541.
V & Arvernensi II anno 549. Huic etiam 549.
tribuitur epistola ad Nicetium Trevirensem archiepiscopum, quæ Rufo Metensi episcopo perperam olim adjudicata fuit. Vide tom. IV, p. 75, collect. scriptorum de rebus Gallicis.

XI. Agricola.

De Agricola sic chronicon Marii ad annum 565: *Hoc anno monachi Agaunenses iracundiæ* 565.
spiritu incitati noctis tempore episcopum suum Agricolam cum clero, & cives qui cum ipso erant, E *occidere intendentes, domum ecclesiæ effregerunt; & dum episcopum suum clerici vel cives defensare conati sunt, graviter ab ipsis monachis vulnerati sunt.*

XII. Heliodorus.

Ad concilium Matisconense II anno 585 585.
Heliodorus misit procuratorem, qui ejus canones approbavit vice & nomine Heliodori Sedunensis episcopi: Seduni enim tunc forte stabilitus hanc usurpabat denominationem.

Digitized by Google

XIII. Honorius.

Heliodoro substituunt Honorium & chronica documenta, & catalogus episcoporum, inquit Briguetus, nisi idem sit uterque.

XIV. Leudemundus.

Cum Aletheo patricio & Herpino comite Leudemundus Herponis Burgundiæ Transjurensis ducis interimendi auctor fuit, pauloque post ipsius regis, qui Herponem constituerat ducem, in necem cum Aletheo eodem conspiravit. Hic autem illum ad Bertetrudem reginam misit suadendi causa ut hæc, quando ipse Chlotarium eo anno sine dubio moriturum sciret, Sedunos in urbem suam natura loci munitissimam cum regiis gazis se reciperet, Aletheum patricium ipsam in matrimonio accipere, dimissa uxore sua, paratum esse, qui quoniam regio Burgundionum genere ortus erat, post Chlotarii mortem facile regnum occupare posset. Hoc audito regina viri sui amantissima, id quasi a vate dictum existimans, profusis lacrymis se ipsa conficiens, regi doloris sui causam prodere nolebat; sed is tandem ab ea extorsit. Leudemundus vero de se actum non dubitans, Luxovium ad Eustasium abbatem, quem Chlotario acceptissimum esse sciebat, confugit, eoque deprecatore a rege clementissimo veniam impetravit, Aletheo capitis damnato.

XV. Protasius II.

Circa 648. Concilio Cabilonensi circiter annum 648 habito adfuit Protasius.

XVI. S. Amatus.

Sancti Mauritii monachus Amatus, cœnobio aliquando deserto, solitariam agebat vitam cellula & oratorio in petra quadam vicini montis exstructo, quod nunc sacellum B. Virginis in rupe dicitur. Eo loci magna sanctitatis opinione vitam degebat, Sedunensi episcopo & universo populo carus acceptusque, & quem illi sæpe solerent invisere. Vocatus deinde ex eremo ad episcopatum, magna fide & diligentia illi profuit: sed tandem a Theodorico III rege in exilium pulsus est, forte ob Ebroinum tyrannidis accusatum, atque Ultano abbati Peronensi in custodiam traditus. Ultano mortuo, mandatum Mauronto Adalbaldi comitis & Rictrudis filio, ut episcopum secum abduceret, eum in sua custodia habiturus. Hunc itaque aliquandiu in Hamatico virginum cœnobio a Gertrude proavia sua exstructo, deinde in monasterio Broilo, quod ipse haud procul a Lætia in honorem S. Petri condiderat, custodivit. Eo in loco pius antistes cellulam sibi juxta basilicam fabricari præcepit, in qua vigiliis, inedia, & orationibus attritus expiravit idibus Septembris anno circiter 690. Reliqua quæ ad sanctum Amatum pertinent legesis t. III, col. 371 & seq. Amatus autem ille non Senonensium, sed Sedunensium episcopum fuisse traditur ab Guebaldo monacho in vita S. Rictrudis, acta SS. Benedict. t. II, p. 947. Recensetur que inter Sedunenses a Francisco Augustino, a Pantaleone in Prosographia, ab Henrico A *Murer* in Helvetia sacra, a N. *Riccioli*, a Bucelino in Germania sacra, a Josia Simlero in Vallesia sacra, a Sebastiano *Briguet* in Vallesia christiana, &c. Omissus autem in vetustioribus episcoporum Senonensium catalogis Amatus, Fontanellensi puta & Vaticano decimi seculi, nullum certum apud auctores, qui nominum similitudine decepti, eum Senonensibus inseruerunt, locum habet, nec ullus ei tuto assignari potest.

XVII. Aluborgus.

XVIII. Wilicarius.

B Viennæ episcopus Wilicarius, quod Saraceni Gallias vastarent & Franci res sacras ecclesiarum ad usus suos detorquerent indignatus, relicto episcopatu anno 739 Agaunense monasterium ingressus est, ejusque curam suscepit Pipino regnante. Inde factus Sedunensis episcopus Romam petiit an. 764, ubi corpora SS. Gorgonii, 764. Naboris & Nazarii a Paulo pontifice accepit, ut ea Chrodegando Metensi archiepiscopo transmitteret. Concilio Attiniacensi adstitit an. 765, 765. eodemque iterum Romam ad eundem Paulum pontificem a rege missus est. Cum Fulrardo sacerdote & cæteris episcopis ac principibus Carolum C post fratris Carolomanni obitum apud Carbonacum villam convenit, eumque regem totius Galliæ salutavit anno 771, a quo Vallesiæ comi- 771. tatum obtinuit, aut successor ejus Althæus, si quis episcoporum Sedunensium ab eo obtinuit. Memoratur adhuc anno 780 in epistola Adriani ad Carolum magnum, cui pontifex concedit corpus sancti Candidi, quod Wilicario episcopo dederat Paulus pontifex.

5 Dixi: si quis episcoporum Sedunensium ab eo obtinuit. Communis enim fert, fat scio, traditio data a Corolo magno an. 802 aut 805 S. Theodolo episcopo Sedunensi & successoribus D ejus comitatum & præfecturam totius Vallesiæ. Sed 1.° quo nititur fundamento hæc traditio, chartisne an testimonio auctorum suppariam aut sanctorum coævorum vitis? minime gentium. Unis fulcitur legendis & S. Theodoli & Caroli magni, quarum ætas incerta, at certe recentior traditioni non favet, & quarum auctoritatis pondus quam leve sit, nemo nescit. 2.° Theodulus ille tertius hac una donatione notus, non sedebat nec anno 802 nec 805 quibus mox Althæum videbimus episcopum. 3.° Quænam illa est donatio præfecturæ, quam retinuerunt imperatores, Carolus ipse, & ut alia mittam exempla, qui E per aliquot secula Carolum secuti sunt? Sic eodem seculo Lotharius fratri suo Ludovico Italorum regi quamdam regni sui portionem attribuit anno 859, quam ultra Juram montem habebat, id est Genuavam, Lausannam & Sedunum civitates, cum episcopatibus, monasteriis & comitatibus. Sic Fredericus Ænobarbus pro regni Arelatensis permutatione idem Berchtoldo Zeringio dedit 1157. Henricus VI Friderici filius an. 1189 Sedunensem episcopatum ad manum imperii retinuit, cujus episcopi ante tempora illa de manu comitum Sabaudiæ recipiebant regalia. Donatio

Annal. Bertiniani, tom. VI, p. 75, collect. Script. rer. de rebus Gallic.

Chart. XV, col. 433.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

itaque Caroli magni vel commentitia est, vel suum sortita non est effectum, nisi post 12 aut 13 seculum elapsum. Jura tamen illa, comitatum dico & præfecturam Vallesiæ ab imperatoribus concessa fuisse & confirmata episcopis Sedunensibus certum est, non autem a Carolo magno sed ab alio forte Carolo, nominatimque a Carolo IV, eademque renovata & aucta fuerunt a Carolo V qui libenter hoc dedit precibus Matthæi Schineri episcopi & cardinalis optime de se meriti. Hæc quidem a nobis vel invitis amor veritatis & summorum virorum auctoritas extorquent. Nihil tamen exinde Sedunensium traditioni detractum volumus, eam libenter admissuri, si lux major aliquando nobis affulserit. Vide Bollandistas Aug. t. III, p. 275.

XIX. ALTHÆUS.

Sedunensis episcopus simul & abbas sancti
780. Mauricii erat Althæus anno 780. Privilegium
obtinuit a Carolo imperatore qui Roma rediens
801. anno 801 & per Vallesiam transiens partem
Crucis dominicæ per Theodorum episcopum capellanum suum Sedunum misit, ubi asservatur in ecclesia Valleriæ. Bulla quoque pro monasterio Agaunensi donatus est Althæus a Leone III
813. anno 813.

XX. ADALONGUS.

Althæo successit Adalongus episcopus & abbas.
824. Sedebat anno 824 Eugenio II summo pontifice.
Ejus instinctu monachis Agauno pulsis canonici triginta duo hoc anno substituti dicuntur. Id pontificia auctoritate factum aiunt postulante Ludovico imperatore.

XXI. HEIMINUS *seu* HETMENIUS.

Episcopus & abbas novissime a fratribus circa annum 830 electus Heiminus, defunctus erat an. 840, quo successorem habebat sequentem.

XXII. CONRADUS.

Conjicitur potius quam scitur Conradus ex hymno de Agaunensibus martyribus, in quo sic eum alloquitur Walafridus Strabo: *O Chonrade pater mihi colende.* Biblioth. patrum, tom. XV, p. 220.

XXIII. AIMOINUS.

Ecclesiæ Sedunensi præsidebat Aimoinus cum Hucbertus Bosonis comitis filius occupatum per nefas Agaunense monasterium ab ea abscidit, de quo gravi conquestus est Benedictus III epistola ad episcopos in Caroli regno constitutos an. 856.

XXIV. WALTERIUS.

877. Concilio apud Ravennam habito anno 877
adstitit Walterius, qui cum episcopis & principibus apud S. Mauritium congregatis elegit Rodolfum
888. regem Burgundiæ Transjuranæ an. 888.

XXV. MANFREDUS.

Notatur Manfredus in chartis episcopalibus
A ad annum Christi 921 circa Othonis I tempora, 921.
ex Simlero.

XXVI. WILLENCUS I.

Innotescit Wilencus ex instrumentis Valleriæ dato apud Agaunum anno 10 Henrici I regis
Germaniæ, Christi 929. 929.

XXVII. AMEDEUS.

Eligitur Amedeus an. 936. Sedebat adhuc 936.
anno 940; an diversus a sequenti? 940.

XXVIII. AIMO I.

B Ex præposito monasterii Agaunensis Aimo memoratur episcopus Sedunensis an. 940.

XXIX. WILFINUS.

In necrologio Vallesiensi obiisse traditur Wil-
finus anno 942, III id. Febr. 942.

XXX. HUGO I.

Udalrico Augustæ Vindelicorum antistiti brachium S. Mauritii donavit Hugo, qui supererat anno 958.

XXXI. EBERHARDUS.

C Si credimus Scoto in Helvetia sacra quem secuti sunt & Sammarthani & Sebastianus *Briguet*, Eberhardus Rudolfi regis filius, Sedunensis episcopus creatus anno 958, jus suum temporale feliciter tuitus est. Attamen nullius Rodulfi filium novit antiquitas Eberhardum nomine Sedunensem episcopum, & certe omittitur a Simlero, incerta quoad tempus & quoad locum epocha inseritur a Sebastiano. Quinam autem sunt hi versus, quos ex archivis Vallesiæ citant Sammarthani?

Hunc tibi, stella maris perlucida, Virgo perennis,
Scribere præcepit devota mente libellum,
D *Ille Sedunensis dominator episcopus orbis,*
Eberhardus enim regali germine natus,
Rudolfi regis clari certissima proles,
Illius excelsis fors ultima clauderet astris,
Stelliferi fecit penetrare cacumina cæli,
Atque peringenti pietate ad celsa meavit.
Hic patrios mores mutavit & ipse superstes,
Atque atavi virtus splendescit in arte nepotis.
More probus, bonitate sagax hilarisque modestus,
Dapsilis & largus, mitis, pius atque benignus,
Laude nitens, sermone vigens, ac fide coruscus.
E *Theotocos, concede diu, in commune precamur,*
Usibus hic nostris maneat cum sospite vita.
Post obitum manibusque tuis, pia Virgo Maria,
In thalamum sponsi, tecum quo lætus adibat
Hospitiumque tuum, Virgo, dignatur inire,
Cui quondam nato præbuisti lacte mamillas.

XXXII. AMIZO.

Amizo Sedunensis episcopus ex canonico S. Mauritii laudavit concambium factum sub Conraddo Burgundiæ rege tunc vices abbatis

Digitized by Google

ANNI CHRISTI fungente inter abbatiam S. Mauritii & quemdam
983. Richardum anno 983, VIII cal. Octobris.

XXXIII. GUILIENGUS.

990. Memoratur an. 990 ex libro obituum Vallesiæ, non alius forte a sequenti.

XXXIV. WILLIERMUS.

996. Notatur hic anno 996 & distinguitur a superiore.

XXXV. HUGO II.

Concilio Romano sub Gregorio V interfuit
998. Hugo anno 998, & sequenti diploma obtinuit
999. a Rodulfo rege pro ecclesia Sedunensi. Memo-
Ch. VI, col. 427. ratur in diplomate regis ejusdem pro monasterio Agaunensi regni 24, Sabbato XVI cal. Martii, luna 18, indict. I. Obiit 16 Februarii.

XXXVI. AIMO II.

Episcopus Sedunensis Aimo & abbas sancti
1037. Mauritii, recensetur anno 1037 in charta Leodegarii archiepiscopi Viennensis pro Romanensi
1044. monasterio. Memoratur cal. Aprilis 1044 in litteris Hugonis archiepiscopi Bisuntinensis pro canonicis S. Pauli. Sub ejus tempore Leo IX summus pontifex martyrum Thebæorum natalitia celebravit per triduum an. 1049. Nuncius cum
1053. aliis ad Leonem papam missus est anno 1053 pro electione Petri Aniciensis episcopi a canonicis ejusdem ecclesiæ, cujus consecrationi adstitit apud Ariminum, obiitque anno eodem 1 Decemb.

Ac proinde evanescit Willelmus, aut extra ordinem suum collocatur, qui laudatur an. 1046 a Sammarthanis, Brigueto, &c.

XXXVII. ERMENFREDUS.

Sedis apostolicæ legatus Ermenfredus, in con-
1055. ventu Lexoviensi an. 1055 deposuit Malgerium archiepiscopum Rotomagensem. Interfuit sacro
1059. Philippi regis an. 1059. Wolstani ex præposito Wigorniensis in Anglia episcopi electioni præfuit
1062. & favit an. 1062. Concilio Cabilonensi adfuit & subscripsit chartæ Hugonis episcopi Nivernensis
1064. pro S. Stephano an. 1064. Subscripsit bullæ Alexandri II in gratiam Reinerii abbatis sancti
1065. Dionysii an. 1065. Pontificis ejusdem legatus
1070. Wintoniensi synodo præsedit an. 1070 in octavis Paschæ, alterique apud Windresorem die Pentecostes anni ejusdem coactæ, ubi coronam Guillelmo regi imposuit & episcopos quosdam dejecit. Paulo post in concilio Normanniæ Lanfrancum adegit ad suscipiendum Cantuariensem archiepiscopatum. In concilio Moguntinensi anno
1071. 1071 electioni Caroli Constantiensis intercessit. Memoratur eodem anno in donatione ab Henrico imperatore facta ecclesiæ Leodiensi. Concilio
1072. Cabilonensi adfuit an. 1072 & subscripsit bullæ Allexandri II pro ecclesia Cabilonensi. Corrupte, ut videtur, dicitur Grinefredus in diplomate Henrici IV Romanorum regis anni 1076, quo fundationem abbatiæ *Rueggisberg* diœcesis Lausannensis confirmat ad preces plurium episcoporum inter quos Ermenfredus aderat. Huic

A dedit Henricus Romanorum rex ad preces Berthæ uxoris duas cortes Natriam & Leucam, an. 1079, III cal. Januarii. ANNI CHRISTI 1079.

XXXVIII. GIRARDUS.

Girardo Sedunensi aliisque episcopis scripsit Gregorius VII epistolam 67, lib. I de controversia inter abbates Fructuariensem & Divionensem, ita Sammarthani. Sed ubinam est illa epistola, quam nullibi reperire potuimus?

XXXIX. GAUZBERTUS.

Pro remedio animæ Gauzberti Humbertus
B monasterium de Corcellis Cluniaco dedit anno 1092.

XL. OTHO.

Recensetur an. 1092 in catalogo Brigueti.

XLI. WILLENCUS II.

Is dedit litteras pro ecclesia de Alta-petra Ch. VIII, col. 430.
Cluniaco concessa an. 1107. Memoratur inter 1107.
episcopos qui convenerunt ad synodum Trenorchiensem an. 1115. Sedebat adhuc an. 1122. 1115. 1122.

XLII. EDMUNDUS.

C Una quoque Brigueti fide nititur Edmundus anno 1125.

XLIII. WALTERUS.

Lothario II imperatore sedit Walterus ex Simlero, 1132 ex chronologia Pedemontana. Obiit XVII cal. Aprilis ex libro obituum castri Vallesiæ. Alius forte non est a Waltero quem Briguetus annumerat anno 1170.

XLIV. GUERINUS.

Ex abbate B. Mariæ de Alpibus in Sabaudia Guerinus jam senex, ad regendam ecclesiam
D Sedunensem assumtus est circa annum 1136, quo S. Bernardus scripsit illi epistolam 254. Cum Petro Tarentasiensi archiepiscopo arbiter fuit amicæ compositionis inter Agaunensem ecclesiam & Guidonem de Alingiis initæ Salvani V cal. Mart. anno circiter 1138. Obiit 6 Januarii, sepultusque est in monasterio Alpium.

XLV. LUDOVICUS.

Qui Frederico Ænobarbo imperatore sedit,
ex Simlero, Ludovicus, testis est anno 1150 1150.
in litteris Amedei Lausannensis episcopi & Humberti comitis Sabaudiæ pro monasterio Agaunensi.
E Reperitur & in alio diplomate anni 1157, ex 1157.
Sammarthanis.

XLVI. AMEDEUS.

Annis 1163 & 1168 notatur Amedeus ab 1163.
eisdem. 1168.

XLVII. CONO.

Concilio Lateranensi an. 1179 adfuit Cono, 1179.
quem publica documenta testantur multa bona ecclesiæ Sedunensi erogasse. Cum Willelmo de
Turre de Civilegio pepigit an. 1181, mediante 1181.
A. Tarentasiensi archiepiscopo. Charta IV, col. 493.

XLVIII.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

XLVIII. WILLELMUS I.

Sedunensis episcopus & abbas S. Mauricii Willelmus, ossa quædam martyrum Agaunensium collegio canonicorum Embraci in pago Tigurino
1189. donavit anno 1189. Eodem ab Henrico VI
Charta V, col. 494. imperatore investituram regalium accepit. Testis fuit eodem anno datæ sub quodam censu terræ
Charta VI, col. 495. *de Griuns* Willelmo *de Griuns* a Willelmo abbate & canonicis S. Mauritii, & accepit ipse pro ecclesia sua Sedun. quosdam reditus a Willelmo
1192. de Turre. Occurrit adhuc 1192. Visitaturus autem ecclesiam de Sinemuro in Burgundia membrum monasterii Agaunensis, ibidem moritur & ante altare monasterii sepelitur.

XLIX. UDO.

1194. Præfuit Udo an. 1194 ex Simlero, & 1196
1196. ex Sammarthanis.

L. NANTELMUS.

1198. Nantelmus *seu* Nantelinus interfuit 1198 pactioni inter Thomam Humberti comitis Maurianensis filium & Guntherum abbatem Agaunensem ratione vallis *de Bagnes*, teste Willelmo decano Sedunensi. Fuerat præpositus ecclesiæ Lausanensis.

LI. WILLELMUS II.

DE SAILLONE.
E Familia Sallionia in Veragris oriundus
1203. Ch. VII, col. 495. Willelmus, sedebat an. 1203 ex archivis capituli. Ejus tempore bellum cum Berchtoldo
1205. Zeringio gestum fuit. Subscripsit anno 1205 donationi cuidam factæ monasterio Agaunensi.

LII. VERINUS.

Verinus, si diversus a Willelmo, eadem saltem editus domo, præfecturæ jura egregie tuitus est, nec diu regere potuit.

LIII. LANDRICUS.

Ex præposito Lausannensis ecclesiæ factus episcopus
1206. copus Sedun. Landricus, jam sedebat an. 1206, quo sigillum suum apposuit chartæ Aymonis de
Ch. VIII, col. 496. Turre obligantis ecclesiæ S. Mauritii Agaunensis vicedominatum, quem habebat in *Bagnes*, pro
Chart. IX, col. 496. mille solidis Maurisiensibus, & alteri donationi ab eodem Aymone de Turre ejusque filiis Petro
1211. & Chalberto anno 1211 eidem monasterio factæ. Cum ecclesia Agaunensi transegit ipse
1215. III id. Septemb. 1215 de quibusdam juribus. Cum autem ab episcopo Lausannensi & canonicis, qui utilitatem ecclesiæ suæ & antiquam consuetudinem attenderant, denuo electus fuisset ejusdem præpositus, ut eam sicut antea possideret & de-
1216. fenderet, Innocentius III anno 1216 scripsit Basileensi episcopo ut eum ad præfecturam ejurandam compelleret, ni id ex indulgentia sedis apostolicæ aut ex aliqua necessaria causa concessum
1218. sibi esse ostenderet. Anno 1218 Boso vicecomes
Chart. X, col. 497. Augustensis a Landrico episcopo Sedunensi recepit feodum quod jacet apud sanctum Petrum *de Clages*. Cumque lites & querelæ plures extitissent inter Landricum episcopum ex una,

A & Petrum ac Willelmum & Rodulphum de Turre milites ex altera parte, hæ omnes sopitæ ac sedatæ fuerunt pace inter eos composita mense Chart. XI, col. 497.
Januario an. 1219, præsentibus & arbitris multis 1219.
Vallesiæ nobilibus viris. Eodem anno subscripsit Landricus pactis inter Thomam Sabaudiæ comitem & episcopum Lausannensem, necnon compositioni factæ inter eumdem comitem &
Aymonem Agaunensem abbatem, qua designant Chart. XII, col. 498.
& constituunt limites mutui dominii in valle *Bagnes*, die 4 Julii. Pepigit & ipse cum Thoma
Sabaudiæ comite super querimoniis quæ verte- Charta XIII, col. 499.
bantur inter ipsos, cujus pactionis fragmentum
B referimus in supplemento ad instrumenta ecclesiæ
Sedunensis anno 1221. Acquisivit feudum in 1221.
parochia de Leuca & in territorio de Monteordeo a domino *Bellon de Bay* & ab unico filio ejus Aymone de consensu capituli Sedunensis
& Petri de Turre, testibus B. & W. decanis Ch. XIV, col. 500.
cum multis aliis, anno ab Incarnatione Domini
M. CCXXVII, Friderico imperante. Anno 1233, 1227.
XV kal. Junii de pace composuit & transegit 1233.
cum Aymone filio comitis Sabaudiæ qui bellum Ch. XVII, col. 502.
adversus eum moverat & adversus ecclesiam Sedunensem, cui pactioni adhæserunt canonici & capitulum ecclesiæ Sedunensis in hæc verba:
C *Hæc autem omnia facta sunt de voluntate & consensu capituli Sedunensis, & ut rata permaneant in futurum, sigillis prædictorum episcopi & capituli Sedunensis, Willelmi procuratoris ecclesiæ Valentinensis & Aymonis munita sunt & signata. Actum juxta Morgiam anno Domini M. CCXXXIII, XV kal. Junii.* Vidit & legit bullam Alexandri III pro monasterio Agaunensi olim datam an. 1178 pridie idus Martii, illamque auctoritate sua roboravit.

LIV. BOSO.

Memoratur Boso tanquam electus Sedunensis DE GRANGES. Ch. XVIII, col. 503.
D in compositione facta anno 1238 inter monas-
terium & communitatem S. Mauritii. Quidquid 1238.
jure hereditario possidebat a Massona superius in parochiis de Morgia, Aragno, *Conches*, quidquid infra castrum *de Granges*, ita Sedunensi ecclesiæ
donavit anno 1241, ut heredes sui omnia ab 1241.
episcopo in feudum tenerent. Redux a peregrinatione Jerosolymitana obiit 1243 pridie cal. 1243.
Februarii.

LV. HENRICUS I.

Nobili genere ortus Henricus, fratrem habuit DE
Amedeum de Rarognia virum magni nominis. RARONIA.
E Electus episcopus 1243, a Willelmo Roma- Ch. XIII, col. 432.
norum rege quædam in feodum accepit prædia in diœcesi Lausannensi sita anno 1249. Testis
legitur anno 1250 in charta Nantelmi abbatis 1250.
S. Mauritii in gratiam domus Sabaudiæ. Cum Bernatibus arma ad decennium consociavit anno
1251. Cum Petro Sabaudiæ comite castella 1251.
quædam permutavit anno 1260, qui fictitiæ 1260.
hujus permutationis specie Montem Ordei & Martiniachum aliaque castra in inferiori dominio de Morgia sita abstulit & arcem *de Brunnon* ad ablata conservanda construxit, de quibus ab Urbano IV maximo pontifice increpitus, bellum

Digitized by Google

ANNI CHRISTI toto decenio cum Henrico & Vallensibus sustinuit.
Sed Henricus victor arcem destruxit, ablatasque
1263. arces armis recuperavit. Anno 1263 Bertholdus
Ch. XXIV, col. 507. domicellus *de Nares* vendidit Giroldo abbati &
conventui sancti Mauritii Agaunensis quidquid
habebat in parochia *de Bay*, consentiente &
probante Henrico Sedunensi episcopo. Similiter
eidem abbati homagium præstitit Aymo *de*
Ch. XXV, col. 508. *Châtillon* miles de quibusdam terris apud *Grion*
sitis, salvâ tamen fidelitate debita episcopo Se-
1265. dunensi, mense Junio 1265. Fato concessit
Henricus anno 1271, quo adhuc occurrit XIII
cal. Maii.

LVI. Rudolfus.

DE VALLE-PELLINA. Cum cœnobio Agaunensi convenit Rudolfus
1272. pridie cal. Octobris anno 1272, qui Giraudum
vel Giroldum abbatem & successores ab omni
pedagio exemit eodem anno in vigilia S. Martini.
1274. Sedes autem vacabat anno 1274.

LVII. Petrus I.

DE ORENS, *seu* HERENS. Gerardi decani Valeriæ & cantoris Lausan-
nensis germanus Petrus, electus anno 1274,
Ch. XXX, col. 515. sigillum suum apposuit tanquam electus & non-
dum consecratus venditioni cuidam factæ a Jacobo
de Sallions Giroldo abbati sancti Mauritii post
festum S. Nicolai 1274. Fœdus pepigit cum
1282. Friderico in Rhætia Curiensi episcopo an. 1282
mense Decembri. Recensetur etiam in instru-
1287. mento Seduni edito anno 1287, feria 4 ante
1288. festum sancti Valentini, sedesque vacabat annis
1289. 1288 & 1289.

LVIII. Bonifacius.

DE CHALLANT *seu* DE CHALLAND Ebali vicecomitis Augustensis germanus Bo-
nifacius, creatur episcopus an. 1290. Quadriennio
post grave sustinuit bellum adversus Petrum de
1290. Turre, dominos *de Cestellenbourg*, de Raronia
1294. & alios nobiles Valesianos, qui arces & pagos
ecclesiæ abstulerant: quo quidem in bello Petrum
qui cum 11000 hominibus obviam illi fuerat,
ad pagum *Levek* intuitu ecclesiam hujus loci
devastandi, prælio ita superavit, ut paulo post
pacem inter eos conciliaverint comes *de Griers*
& barones *de Weissenburg* & *Tresdelingen*. Postea
Bonifacius arcem validam construi jussit in rupe
Turbilionis prope Sedunum. Grave quoque
Ch. XXV, col. 452. bellum habuit contra comitem Sabaudiæ Ame-
deum, & destruxit hujus arcem sitam prope
pontem Riddæ, sed paulo post amica compositione
sedatæ eorum rixæ. Memoratur Bonifacius anno
1303. 1303 in chartis Agaunensibus & 1306 apud
1306. basilicam Petri in lib. II de episcopis Novarien-
1308. sibus. Obiit anno 1308.

LIX. Aimo III.

DE CASTELLIONE. Augusta prætoria ortus Aimo, eligitur anno
1308, eodemque ipse & Amedeus Sabaudiæ
comes alter alteri quædam hominia recognoverunt
apud Aquam Morgiæ inter Sedunum & Conte-
gium. Statuta in capitulo festa Revelationis sancti
Theoduli, S. Michaëlis & S. Amati approbavit
1315. & laudavit calendis Novembris 1315. Delegatus

A a summo pontifice cum abbatibus Ingelbergensi ANNI CHRISTI
& S. Blasii, duas parochias monasterio Einsidlensi
26 Aprilis 1319 assignavit. Testamentum 1319.
condidit VI id. Julii 1323 in castro Turbilionis, 1323.
ibidemque obiit XVII cal. Augusti.

LX. Petrus II.

Qui sedebat anno 1323 Petrus, defunctus
est anno 1324. 1324.

LXI. Aimo IV.

Potente apud Vallenses prosapia natus Aimo, DE LA TOUR.
succedit Petro anno 1324, ex actis Vaticani.
B Permutavit an. 1326 cum monachis de Abun- Ch. XLVII, col. 537.
dantia prioratum vallis Iliacæ Montheolensis pro
prioratu parochiali Gerundæ Sirranorum 15
Januarii 1331. Cum Guigone delfino fœdus
iniit contra Eduardum comitem Sabaudiæ 10
Julii 1327. Anno 1328, die 2 Augusti tran- 1327.
sactionem statuit inter Ulricum parochum *de* 1328.
Esches & fratres Petrum & Henricum *de Schar-* Ch. XLVI, col. 536.
nachtal pro quibusdam decimis novalium. Com-
posuit anno 1330 dissensiones quas cum eodem 1330.
Eduardo habebat. Eodem die VIII Januarii Char. XV,
exhibuit & legi publice fecit litteras Henrici VI col. 433.
Romanorum regis, quibus continetur donatio
C regaliæ facta ecclesiæ & episcopo Sedunensi.
Cœnobium Cartusianorum Gerundæ apud Si-
derianos exstruxit anno 1331, 19 Januarii, 1331.
qui, regione assiduis bellis vexata, exhaustis Ch. XLVIII,
cœnobii rebus, alias sedes quærere coacti sunt. col. 540.
Successere in eorum locum Carmelitæ. Excessit
Aimo anno 1338. 1338.

LXII. Philippus.

Renunciatus episcopus Philippus 8 Junii 1338 DE GASTONS.
ex regestis Vaticani, ad ecclesiam Nicienscm
translatus est anno 1342, ut diximus t. III, 1342.
col. 1287.

D

LXIII. Guiscardus.

Sedunensis electus Guiscardus occurrit 1342, TAVEL DE GRANGES.
14 Decemb. in testamento Yolandæ de Monte-
ferrato comitissæ Sabaudiæ. Inauguratus anno
eodem, ab Aimone comite Sabaudiæ testamenti
executor dictus est 11 Junii 1343. Memoratur 1343.
22 Maii 1345 in libro obligationum Vaticani. 1345.
Amedeo VI a consiliis erat anno eodem, quin &
cancellarius ejusdem anno 1350, quo Amedeus 1350.
bellum ei indixit cum Eduardo domino de
Bellojoco, quod componere coactus est Guis-
cardus. Adfuit Avenione compositioni initæ 27
E Octob. 1351 inter regem Franciæ & comitem 1351.
Sabaudiæ. Qua vicarius & consiliarius Amedei
adstitit 6 Octob. 1352 fœderi sancito inter eum 1352.
& delfinum Viennensem. Diplomata obtinuit Ch. XVI, col. 415.
una cum suo capitulo a Carolo IV imperatore Ch. XVII,
pro ecclesia Sedunensi annis 1363 & 1365. col. 417.
Huic acquisivit pretio 5000 florenorum a nobili Ch. XVIII, col. 438.
domino Bartholomæo de Grisiaco majore Sedu- 1363.
nensi & condomino de Batio anno 1372, die 1365.
15 Januarii in castro Setæ castrum Majoriæ, 1372.
quod est sedes moderna episcopalis, cum adjuncta
jurisdictione Majoratus & aliis quam plurimis

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

bonis in deseno Sedunensi existentibus. Triennio post ab Antonio milite de Turre ejus ex sorore nepote, cujus amplissimæ in Sedunis opes erant, propter graves contentiones ortas ob prædia quædam, quæ uterque sibi vendicabat, Guiscardus ex alto ejusdem castri Setæ cum capellano suo
* al. 1374. præcipitatus est VI id. Augusti 1375 *. Violenta sic morte sublatus episcopus in martyrum numerum relatus est & inter divos colitur.

LXIV. Eduardus.

DE SAVOYE. Philippi principis Achaiæ & Pedemontii ex Isabella *de Villehardouin* filius Eduardus, monachus ordinis S. Benedicti, prior Burgeti, abbas sancti Justi de Secusia, episcopus Bellicensis, Guiscardo suffectus Sedunensis, cameræ apostolicæ promisit 12 Octobris 1374, ex regestis
1376. Vaticani. Anno 1376, die 14 Augusti recepit
Ch. LIV, col. 553. in subditos suos defensores castri Castellionis, quod castrum frustra a Vallesianis diu fuerat obsessum post necem Guiscardi, quodque hactenus juris fuerat domini Antonii de Turre militis ejusdem Guiscardi interfectoris. Officialis curiæ
1377. Sedunensis 19 Febr. 1377, indict. XV recog-
Ch. LV, col. 555. novit instrumentum, quo Amedeus Sabaudiæ comes vendidit Eduardo episcopo castrum Castillionis, &c. anno 1376, die Mercurii 9 mensis Julii. Ecclesiam sancti Sigismundi Agaunensis
1380. consecravit 25 Octob. 1380, Johanne Guarretti vel Quarretti abbate. Tertio episcopatus sui anno a Valesiis expulsus & ejectus, ab Amedeo Sabaudiæ principe fratre suo in sede sua restitutus
1384. est anno 1384, e qua tamen aliquanto post denuo pulsus fuit, Amedeo ipso Vallesia pulso & quatuor millibus ex ejus exercitu cæsis. Fit
1386. tamen Tarentasiæ archiepiscopus anno 1386, ut diximus col. 711.

LXV. Guillelmus I.

DE LA BAUME. Amblardi de Balma ex Margarita *de Sales* filius Guillelmus, ex abbate Jurensi factus episcopus Sedunensis a Clemente VII, promisit 10 Decemb. 1386, ex regestis Vaticani.

LXVI. Humbertus.

DE BILLIENS. Sedunensis electus Humbertus, cameræ apostolicæ promisit & recognovit pro Guillelmo
1388. superiore 7 & solvit 17 Febr. 1388, ex regestis Vaticani. Eo sedente, pax & concordia facta est inter Bonam comitissam Sabaudiæ & episcopum ac patriotas Vallesiæ.

§ Gerardus electus quidem est, verum ab Urbano VI privatus est, eo quod adhæreret Roberto basilicæ duodecim apostolorum presbytero cardinali antipapæ.

LXVII. Henricus II.

DE BLANCHES DE VELLATE. Gerardi sic privati in locum electus est ab Urbano VI Henricus. Vallesiani vero noluerunt eum agnoscere, eo quod præ senio impotens esset ad redimendam terram ecclesiæ Sedunensis de manibus comitis Sabaudiæ. Quapropter cessit
1391. Henricus die 19 Julii 1391 in Vissoge valle

A Annivisii in gratiam sequentis, quem ut ab omnibus excommunicationis, &c. sententiis absolveret, a summo pontifice delegatus est.

LXVIII. Guillelmus II.

Guillelmus cognomento bonus, ex canonico episcopus renunciatur a Bonifacio IX loco Henrici cedentis XII cal. Octobris anno 1391. DE RARONIA.
Præfuit usque ad annum 1402, ecclesiamque omni cum laude administravit & castrum Setæ sæpius inhabitavit, ubi sacros ordines contulit 6 Maii 1399, & obiit 1402, cum 27 Maii 1399.
lectulo decumbens testamentum condidisset, ex 1402.
B necrologio Sedunensi.

LXIX. Guillelmus III.

Guiscardi, qui Guillelmi superioris frater erat, filius Guillelmus, ex canonico Sedunensi annum DE RARONIA.
agens 21, eligitur episcopus a Bonifacio IX per obitum alterius Guillelmi IV id. Julii, pontificatus 13, 1402, ex regestis Vaticani. Guiscardum patrem suum summum totius Vallesiæ capitaneum instituit anno 1410, cujus opes cum 1410.
valde crevissent, magnum utrique odium & invidiam peperere. Itaque Vallesiani irati & quod Amedeo comiti Sabaudiæ transitum per Vallesiam
C permisisset episcopus anno 1414, ut vallem 1414.
Eschental subigeret, & quod dominia baronum de Turre e Vallesia an. 1376 ejectorum retinuisset, ad expellendum eum e regione conspirarunt, Leukiamque & Siderianum arces combusserunt. Ipse vero ut pacem & concordiam revocaret, tractatum iniit una cum patre & patriotis Vallesii super Ch. LVI, col. 560.
bonis & dominiis dominorum de Turre & super regimine patriæ, die 10 Junii, anno 1415, qui 1415.
bellis & odiis minime finem imposuit, quæ paulo post acrius recruduerunt, ac tandem ut a conjuratorum furore & insidiis se tueretur, comiti Sabaudiæ arces Majoriam, Turbillam &
D Montursum tradidit 18 Septembris 1415, & cum patre ac familia in arcem Seonam se recepit. Sabaudus autem populi totius consensionem cernens, accepta a canonicis in stipendium militum certa pecuniæ summa, arces eis restituit, quas plebs incendio delevit. Incensa quoque est anno 1417 a sæviente populo arx Seona in qua epis- 1417.
copus degebat, postquam Helvetiis agentibus concessum fuisset ut episcopus cum Guiscardi uxore ac liberis, familia & omnibus suis facultatibus ex arce liber dimitteretur. Sic egressus Guillelmus cum suis Bernam, ubi pater degebat, se recepit, ubi cum ageret, invitatus an. 1417
E ad concilium Constantiense, vicarios instituit 1 Octob. qui diœcesim administrarent. Attamen perseverantibus in Vallesia turbis & motibus, capite carens ecclesia Andreæ Colocensi archiepiscopo a patribus concilii Constantiensis vicario munere administranda committitur, donec aut episcopus sedi suæ restituatur, aut alius in ejus locum succedat, ne ecclesiæ bona & jura funditus delerentur. Supererat adhuc Guillelmus an. 1424, quo Andræas 18 Octob. in electum Guillelmum tanquam patriæ & episcopatus perturbatorem excommunicationis sententiam vibravit. Superstes

Digitized by Google

ANNI CHRISTI etiam videtur ad annum 1431, quo ex vicario datus ei est successor sequens.

LXX. ANDREAS.

DE GUALDO. Spalatensis primum, tum Colocensis in Hungaria inferiori archiepiscopus Andreas, ecclesiæ Sedunensis ad beneplacitum deputatus est administrator a patribus concilii Constantiensis 6 Junii, & a Martino V litteris apud Gebennam datis
1418. III id. Augusti 1418, eo quod Guillelmus electus Sedunensis in sua diœcesi propter capitales inimicitias inter ipsum & nonnullos de populo & subditos dictæ ecclesiæ, pacis inimico procurante, a multis annis citra nequiverit & nequeat personaliter residere. Adsuit initæ Turegi con-
1419. cordiæ 12 Martii 1419 Vallesianos inter &
Ch. XIX, col. 440. Raronios, eodemque anno mense Decembri colloquio de rebus Vallesianorum, & alteri ineunte
1420. an. 1420, itemque pactis initis 17 Junii 1422
1422. inter episcopum Sedunensem & ballivum Vallesiæ patriæ de mercede annuatim percipienda. In Gerundensi cœnobio Cartusianis substituit Car-
1428. melitas an. 1428, quibus capellam SS. Trinitatis sitam in domo episcopali cum domibus ad capellam pertinentibus concessit. Defuncto forte Guillelmo, Andreas ex administratore Sedunensis episcopus institutus dicitur ab Eugenio IV anno
1432. 1432. Cæterum singulari prudentia & humanitate præditus, quantum potuit, afflictis temporibus mederi conatus est, & postea etiam pacis præcipuus auctor fuit pactis inter ipsum & Vallesianos
1435. conventis 2 Martii 1435. Fundavit altare in honorem S. Andreæ in ecclesia cathedrali, juxta illud humatus fuit, defunctus die Mercurii 17 Aprilis 1437 in castro Majoriæ post 19 regiminis annos.

LXXI. GUILLELMUS IV.

DE RARONIA. Egidii de Raronia & Isabellæ *de Sillinen* filius Guillelmus, annum agens 30, & in diaconatus ordine constitutus, quia a clero & populo electus, ab Eugenio IV ob reservationem reprobatus quidem est, idem tamen restitutus ab eodem litteris Bononiæ datis IV nonas Junii 1437. Sed nec ipse suæ electioni consentire voluit, nisi ecclesiæ Sedunensis jura redintegrarentur, ut dis-
Chart. XX, col. 441. cimus ex concordato Brigæ habito, quo Vallenses fatentur episcopum esse dominum suum in temporalibus atque spiritualibus, & ex litteris synodi
1438. Basileensis datis V id. Julii 1438, a qua confirmationem petere jussus est, eo quod contra ipsius inhibitionem episcopatui fuerat præfectus, &
1439. confirmatus est 11 Septembris 1439. Inauguratum eum dicunt 24 Aprilis, si die Dominica, anni 1440. Arces nonnullas, quæ superiori bello conflagraverant, restituit, Majoriam potissimum episcoporum sedem. Fundavit altare S. Sebastiani in castro Valeriæ. Hic cum capitulo Sedunensi & suis patriotis fœdus icit cum Ludovico Sabaudiæ
1446. duce & Bernensibus 30 Augusti 1446. Verum quidam ecclesiastici ordinis homines existimantes ab eo jura & ecclesiasticorum immunitates imminuta esse plusque plebi, quam opporteret, statutis in castello Saxi 28 Jan. pacis firmandæ causa concessum, Romæ apud summum pontificem Guillelmum hoc nomine detulerunt. Eo ad causam dicendam evocatus, proficiscitur: unde dum, causa cognita, domum rediret, in itinere obiit mense Januario anno 1451 apud Pallantiam villam 1451.
ducatus Mediolanensis, diœcesis Novariensis. Corpus ejus inde elatum in castro Valeriæ impensis Henrici Esperlini consanguinei sui decani Sedunensis, honorifice sepelitur in cathedrali.

LXXII. GUILLELMUS V.

Natione Lotharingus Guillelmus, e Stagno natus in diœcesi Virdunensi, doctor in utroque jure, archidiaconus Virdunensis, tum Metensis, concilio Basileensi adstitit & cum aliis elegit Felicem V antipapam, a quo factus cardinalis, denuo a Nicolao V creatus est 19 Decembris 1447 presbyter cardinalis tituli S. Sabinæ. Ab eodem pontifice factus est administrator perpetuus ecclesiæ Sedunensis 13 Martii, pontificatus 5, contra Henricum *Esperling* electum 22 Januarii 1451; sed revocata a Guillelmo commenda anno 1454, obiit sequenti Romæ 28 Octob. 1454.
1455, sepultus in ecclesia Sanctæ Sabinæ cum epitaphio. 1455.

HUYN vel D'ESTAING.

LXXIII. HENRICUS III.

Raronia oriundus Henricus, ex decano ecclesiæ Sedunensis electus 22 Januarii 1451 (1452) noluit electioni suæ assentiri, quin ante omnia ipsi cives & patriotæ seu communitates annullarent & revocarent nonnulla capitula ante castrum *de Narres*, anno Domini 1446, die 28 Januarii, per ipsos contra jura & libertatem Sedunensis ecclesiæ facta: quod quidem impetravit, sed Guillelmo superiori cedere jussus est, quicum re composita, confirmatus fuit 11 Septembris anno 8 Nicolai V (1454) ex regestis Vaticani. Attamen ipso anno 1453 fuerat jam confirmatus a summo pontifice, si quidem ad eum hoc ipso anno litteras scribunt castellanus & tota communitas deseni de Briga, in quibus dicitur electus & confirmatus ecclesiæ Sedunensis, & cum ipso expostulant de quibusdam injuriis. Rexit ad annum 1457, quo obiit 15 Decemb. in ecclesia Valeriæ 1457.
sepultus.

ESPERLIN vel ESPERLINI. Ch. XXI, col. 444. Ch. LVIII, col. 562.

LXXIV. WALTERUS.

De Aragno ortus Walterus, successit electus a capitulo absens 20 Decembris 1457, & confirmatus ultimo Febr. an. 3 Callisti III anno 1458. Consecratur Novariæ a Jacobo-Philippo 1458.
loci episcopo in capella episcopi 4 Martii 1459. 1459.
Fundavit & exstruxit in cathedrali sacellum S. Barbaræ. Eo sedente, Ludovicus de Sabaudia, administrator ecclesiæ Gebennensis, qui adversus Walterum inimicitias exercebat, ingenti 18000 electorum militum exercitu collecto, cui se adjunxit Rodolfus Asperlingius, cui litem de valle Ensfischia moverat Walterus, Valesiam ingressus, villas & castella multa combussit, puerosque ac mulieres ibidem repertas interfecit. Verum paulo post tribus millibus Bernatibus & Soloturiis aucti Vallesiani prælium cum Sabaudis

SUPERSAXO. Ch. XXII, col. 446.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

commiserunt, in quo præter ignobile vulgus A trecentos nobilium occiderunt, oppidorum contegii, Sallionæ & Agauni mœnia dejecere, arces munitas Sallioniam, Conteglanam, Saxoniam, Octodurensem, Burgensem, Intremontium, Agaunensem & alias numero 16 quas ecclesiæ Sedunensi abstraxerant Sabaudiæ comites, flammis vastarunt & diruerunt: cujus victoriæ in memoriam quotannis solemnis dies in tota Vallesia celebratur sub nomine festi Septem gaudiorum B. Mariæ virginis, die 13 Novemb. Præterea cum Bernatibus, quorum opera in bello usi fuerant, fœdus perpetuum sanxere quibus Contegiani oppidi & conventus præfecturam dedere anno B 1475. Insequenti 1500 ex 2000 Insubribus & Salassis cæsis, Helvetiis bonam navarunt operam.

Ch. XXIII, col. 447. Anno 1477, eo procurante & requirente, facta est recognitio famosorum illorum instrumentorum, Ch. XXIV, col. 450. quibus continentur vitæ & legendæ SS. Caroli magni imperatoris & Theoduli episcopi (unde nata fides de donatis ab imperatore ecclesiæ Sedunensi præfectura & comitatu Vallesiæ) per Leonardum Præpositi canonicum & officialem Sedunensem, testibus & notariis publicis comitatum. Item anno 1481, eodem officiali sedente pro tribunali, ex archivis ecclesiæ Sedunensis eductum, visum, lectum ac recognitum fuit vetus C quoddam instrumentum sub titulo recordationis Ch. XXV, col. 452. concordiæ factæ inter nobilem baronem Amedeum comitem Sabaudiæ & venerandum dominum Bonifacium episcopum Sedun. super eo quod dictus nobilis comes petebat a dicto domino episcopo regaliam, quam dicebat se olim emisse ab episcopo Landrico, probante capitulo Sedunensi. Pace tandem patriæ reddita, Walterus an. 24

1482. suæ administrationis mortuus est 7 Julii 1482, conditis testamenti tabulis in castro Turbilionis, & in sepulcro sub capella, quam in cathedrali erexerat, sibi parato illatus est. Memoratur adhuc pridie cal. Martii an. 11 Sixti IV in regestis D Vaticani.

LXXV. Judocus *al.* Justus.

DE SILLINON *al.* DE SILENEN.

Collegii Beronensis in agro Lucernate diœcesis Constantiensis præpositus erat Judocus an. 1469, factus inde episcopus Gratianopolitanus, tum postulatus a capitulo ad Sedunensem ecclesiam transfertur, quo nomine cameræ apostolicæ promisit IV non. Aug. 1482, ex regestis Vaticani,

1483. ubi memoratur adhuc VIII id. Martii 1483,

Ch. XXVI, col. 454. quo anno transegit cum septem desenis patriæ Vallesii de quibusdam servitiis, reditibus, talliis & aliis tributis annualibus. Vir fuit prudentiæ E eximiæ & doctrinæ singularis, propterea que Ludovico XI Galliarum regi & Sigismundo Austriæ principi carus & acceptus. Hujus opera potissimum usus est Ludovicus in reconciliandis Helvetiis cum Sigismundo & fœdere inter illos sanciendo ad repellendam vim Caroli Burgundi. At Gallicæ factioni plus justo visus addictus Judocus, dum adversus Ludovicum Sfortiam Insubrum ducem exercitum ex Vallesiis & Helvetiis, Lucernatibus maxime, quorum civis erat, conscriptum, in vallem Lepontinorum Oscelam adducit anno 1487, a Ludovico triplici acie 1487. oppressus fuit, cæsique sunt ex episcopi exercitu 800, quorum 300 Lucernates. Pacem quidem inter ducem & episcopum delecti composuerunt arbitri; at Georgius Suprasaxus summæ apud Vallesios auctoritatis & potentiæ, necnon Gallicæ factioni adversus & Ludovici Sfortiæ ducis Mediolanensis amicissimus, inde arrepta occasione, quasi cladis hujus auctor fuisset episcopus, tantum ipsi brevi vulgi odium concitavit, ut cum annis 14 summa cum laude præfuisset, e patria simul & episcopatu seditione orta pulsus fuerit 15 Aprilis 1496. Sed cum ante sex menses ad Carolum 1496. VIII Helvetios 10000 adduxisset 7 Octobris 1495, sub ejus auspiciis evectus est ad ecclesiam Gratianopolitanam.

Cæterum ædificandi studiosus Judocus, vetera templa, quale cathedrale, & ædificia publica passim tota regione instauravit: arces Octodorensem & Agaunensem superiori bello combustas novas de integro construxit. Primus in Balnea valle Intermontiorum argenti fodinas adinvenit & exercuit. Ædificavit apud sanctum Mauricium pontem lapideum juxta castrum sumptuosæ structuræ, qui dividit Vallesianos a Bernensibus, & supra medium Pontem sacellum in honorem S. Theoduli episcopi. Struxit quoque capellam castri episcopalis Majoriæ, & cum septem desenorum Vallesiæ communitatibus fœdus percussit, in quo recognoscunt præfecturam Agaunensem seu sancti Mauricii cum jurisdictionibus suis ad episcopum Sedunensem pertinere. Denique tantæ auctoritatis tamque spectatæ integritatis fama gaudebat apud suos, ut in plerisque contentionibus eo arbitro uterentur. Sic anno 1490, die 23 Octobris, cum litigarent inter se nobilis vir Jacobus *de Prex* & nobilis ac potens Guillelmus Ch. LIX, col. 563. *Tavelli* dominus Grangiarum de dote nobilis Andreæ *Tavelli* Jacobi uxoris, & de quibusdam juribus hereditariis, sententiam tulit una cum Johanne Ballistarii præposito ecclesiæ civitatis Bernæ, quæ utrique parti accepta fuit.

LXXVI. Nicolaus.

SCHINNER.

De Aragno ortus Nicolaus, vicarius generalis summi pontificis in curia Romana in spiritualibus & temporalibus, Judoci expulsi in locum suffectus est anno 1496, vir senex pacis & quietis amans, qui triennio post ætate fessus Matthæo nepoti cessit anno 1499, a quo honorifico sepulcro in ecclesia 1499. S. Theoduli conditus fuit, an. 1510 defunctus.

LXXVII. Matthæus.

SCHINNER.

Nicolai ex fratre nepos Matthæus, humili apud Gomesianos genere in vico Mulibacho natus est. A parentibus Sedunum primum, tum Tigurum missus, prima litterarum rudimenta didicit. Seduni autem puer futuræ potentiæ omen accepit a venerando sene qui eam illi prædixit. Adolescens in Italiam linguæ addiscendæ causa profectus, Comi Theodoro Lucina nobili ejus ætatis grammatico operam dedit, sub quo tantum profecit, ut præceptoris absentis aut ægri vices persæpe cum laude obiret. Sacris dein initiatus, primum apud

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Vallesios curam ignobilis vici ita gessit, ut apud vicinos magnam sibi & doctrinæ & sanctimoniæ opinionem compararit. Tum factus canonicus & postea decanus Valeriæ in ecclesia Sedunensi, patrui demum cedentis in locum successit, memoratus XII cal. Octobris 1499 in regesto Alexandri VI. Ferunt quemdam alium a clero & populo Valesiano in locum Nicolai substitutum fuisse, verum Matthæum qui Romam mittebatur, ad confirmationem novo episcopo obtinendam, facile impetrasse a summo pontifice ut sese Sedunorum episcopum faceret, ac cum domum rediisset, adversa factione multum indignante, auctoritate Georgii Suprasaxi in episcopatu confirmatum eum fuisse. Factus episcopus, operam suam Gallorum regi primum offerre; cujus cum legatis Helvetiorum confœderatorum ipse legatus
1503. fœdus sanxit Aronæ 2 Aprilis 1503; verum cum nimis ampla peteret stipendia, Ludovicus rex unius viri operam tanti redimere noluit. Indignatus igitur Matthæus se a Gallis contemni, totum se Cæsari & pontifici dedit, Gallorum perpetuus & infensissimus hostis. A summo pon-
1509. tifice delegatus est anno 1509 ad interrogandos nonnullos impostores & sacrilegos. Helvetios
1510. a Gallis distractos anno 1510 Julio pontifici conjunxit. Ea de re extant litteræ oratorum Helvetiæ congregatorum Lucernæ die 18 Novembris ejusdem anni ad Julium pontificem, in quibus conqueruntur milites suos a pontifice in auxilium Venetorum insumi contra carissimum
Chart. LX, col. 566. Francorum regem, nec talia sibi proposuisse episcopum Sedun. qui blandis verbis in eorum animos induxerat, ut pedites solummodo subministrarent pro status Apostolici defensione. Ravennæ anno sequenti ipsum purpura donavit & presbyterum cardinalem S. Pudentianæ sub titulo pastoris fecit Julius II. Matthæus autem ut consilia cum pontifice conferret & de manu ipsius galerum acciperet, obsessis omnibus itineribus a Gallis, summa diligentia ipsius transitum observantibus, leprosi habitu per illorum custodias in Italiam penetravit, & rebus confectis, mutato habitu in Helvetiam brevi rediit. Ibi ex Helvetiis, Rhetis & Sedunis instructissimum exercitum per alpes Rhetinas & Tridentinum jugum Veronam adduxit, a quibus brevi Galli italia universa expulsi sunt. Litteras damus in
Ch. LXI, col. 567. instrumentis, quibus Matthæus cardinalis Sedunensis legatus a latere in Germania, Lombardia, &c. Julii papæ II liberam & amplam potestatem & auctoritatem concedit Guillelmo Montisferrati marchioni, eumque sui locum tenentem generalem constituit, *ad requirendum omnes civitates, terras & loca cætera .... ditioni Francorum regis quomodocunque mediate vel immediate subjectas & subjecta in Lombardia & tota Italia, ut ad devotionem sanctissimi Domini nostri ac sanctissime Lige se dedere velint ac debeant, &c.... Datum*
1512. *Papie die 22 Junii anno 1512.* Mortuo paulo post rege Ludovico, Franciscus rex ut Insubres recuperaret, expeditissimum in Italiam ipse adduxit exercitum, adversus quem Matthæus Helvetios denuo concivit. Sed his, cardinale præsente, a rege prælio ingenti victis an. 1515, Franciscus Insubres in suam potestatem redegit & Matthæus a Vallesiis patria ejectus est, Georgii maxime Suprasaxi opera, qui Gallicas partes amplexatus fuerat. Quare ut sibi reditum pararet, a pontifice Leone, cujus electionem plurimum juverat, facile impetravit Vallesios ut anathemate feriret. Illi spreto papæ anathemate, ut vicissim cardinali malefacerent, arcem Octodorensem semestri tempore oppugnatam & demum sub conditionibus deditam in odium cardinalis combussere. Cardinalis interea Leoni X quam maxime acceptus, duabus ecclesiis in Italia, Novariensi ac Catarrensi, necnon præcipuis honoribus auctus fuit, dum illum totius Italiæ & Germaniæ & ubicumque locorum versari contingeret legatum instituit 7 Januarii 1512. Ab eodem quoque obtinuit Matthæus ut episcopatus Sedunensis iis frueretur privilegiis, quibus gaudent episcopatus concordatæ Germaniæ, eumque reapse inter concordatas Alemanniæ recensuit anno 1513, VII cal. Julii, quo nomine a foro jurisdictionis archiepiscopi Tarentasiensis eum exemit 9 Julii tanquam episcopatum nationis Germanicæ. Eodem anno Matthæus concilio Lateranensi adfuit. Patriam repetere conatus anno 1518, cum ad Gomesianos pervenisset, animadversis adversariorum potentia & vulgi odio, converso itinere Tigurum rediit in Helvetiis, ubi frequenter agebat aut in aula Cæsaris, cui quo tempore delectus fuit, bonam operam navavit & ejus coronationi adfuit, a quo vicissim princeps imperii factus est, & ecclesiæ Sedunensis privilegiorum confirmationem obtinuit an. 1521. Eodem sub auspiciis Leonis X papæ magnam rursus Helvetiorum manum in Italiam adduxit. Cum hoc exercitu Julio, Medicæo, Prospero, Columnæ & Pescario ducibus se conjungens, præcipua causa fuit cur Galli denuo Insubrum imperio spoliarentur. Hac autem victoria parta sicut apud pontificem & Cæsarem summam sibi gratiam comparavit, ita maximam Helvetiorum partem a se prorsus alienavit; quare ut adversariorum odia evitaret, Romæ deinceps assiduus fuit, ubi non absque suspicione veneni mortuus est ultima Septembris 1522, primo Adriani VI pontificis anno, ex Paulo Jovio. Sepultus est in basilica B. Mariæ de Anima, quæ Germanorum est. Munificentiam ejus testatur sumptuosus chorus ecclesiæ S. Theoduli Sedunensis, & doctrinam paraphrasis epistolarum S. Jacobi & S. Judæ, quam ei inscripsit Erasmus.

Marginal notes (right column): 1515. — 1518. — Ch. XXVII, col. 456. 1521. — 1522.

LXXVIII. Philippus II.

DE PLATEA.

Johannes Picolomini cardinalis Senensis fit episcopus Sedunensis per obitum cardinalis Sedunensis 29 Octob. 1522, ex regestis Vaticani: unde in Matthæi locum publicis Vallesiorum suffragiis suffectus Philippus de Platea anno eodem. Hic cum a summo pontifice confirmationem impetrare non posset, & podagræ morbo assidue affligeretur, episcopatu se sponte abdicavit sexto anno postquam creatus fuerat. Dum administraret episcopatum, fœdus & amicitiam cum Carolo duce Sabaudiæ renovavit 20 Octobris

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

in dedicatione ecclesiæ Valleriæ. Obiit autem Philippus 22 Aprilis 1538, & sepultus est in choro ecclesiæ cathedralis.

LXXIX. Adrianus I.

DE RIEDMATTEN.

1529. Electus 12 Januarii 1529 Adrianus, & tertio post anno a summo pontifice confirmatus, Lausannæ a Sebastiano episcopo, præsentibus Vallesiis nobilibus, consecratus est; quo tempore Lutherana & Calviniana hæreses in confinibus Vallesianis pullulabant. Fidei vero catholicæ tuendæ zelo flagrans Adrianus, ne recens nata hæresis a Bernensium ditione in Vallesiam propagaret, procuravit anno 1533, 17 Decemb. ut ipsemet episcopus capitulum & communitates septem desenorum fœdus cum Helvetiis septem pagorum catholicorum sancirent, Lucernensibus, Uraniensibus, Suittensibus, Wnderwallensibus, Friburgensibus & aliis. Hoc autem fœdus primo celebratum fuit Friburgi die Mercurii ante festum S. Thomæ 1533, quod singulo decennio abhinc alternis vicibus renovatum fuit, quo inter alia communibus sese obstrinxere sacramentis constanter & perpetuo in fide catholica, apostolica & romana permanendi, nec aliam unquam sectam huicce contrariam amplectendi. Saluberrimi hujusce fœderis beneficio, procurante Adriano episcopo, Vallesia a labe sectæ Calvinianæ servata fuit, qui in hunc finem constituerat duos canonicos Sedunenses fidei & hæreticæ pravitatis inquisitores, inter quos Petrus *Allet* decanus Sedunensis & vicarius generalis Adriani.
1536. Anno 1536 arx episcopalis Majoriæ magna ex parte fortuito incendio concremata & absumta fuit, illamque propriis impensis elegantiorem, quam prius fuerat, exstruxit Adrianus. Ad concilium Tridentinum a summo pontifice invitatus
1546. fuit an. 1546, alteroque post anno vita functus
1548. est 17 Martii 1548.

LXXX. Johannes I.

JORDAN.

Defuncta uxore ex qua liberos aliquot suscepit Johannes Jordanus, sacris ordinibus initiatus, post Adrianum ad episcopatum ascendit, electus 22 Martii 1548, & memoratus 13 Junii in regestis Vaticani. Invitatus quoque ad concilium Tridentinum Litteris Julii III datis 22 Maii
1551. 1551, misit procuratorem Johannem Militis abbatem Agaunensem, qui ad concilii sessiones admissus non fuit. Vicedominatum Sedunensem, prius ad nobilem virum *de Chivron* senescallum spectantem, civibus Sedunensibus in ecclesiæ præjudicium infeudavit, eo quod caducitas dicti feudi mortuæ-manui addicta ex parte fuerat. Tranquillitatem reipublicæ, quam a suo antecessore, quasi per manus acceperat, non tantum conservavit, sed auxit, Matza quasi classico quodam seditionum, Helvetiorum legatis juvantibus publico omnium ordinum consensu sepulta. Ipso tamen sedente, Vallesiana juventus in seminariis hæreticorum, Bernæ, Tiguri & Basileæ studebat in magnum fidei catholicæ detrimentum, eo quod in seminariis illis gratis alebatur, unde in

A Vallesia hæresis graviter serpere cœpit. Johannes vero decessit 12 Junii 1565. 1565.

LXXXI. Hilteprandus I.

DE RIEDMATTEN.

Juvenis in Parisiensi academia litteris operam dederat Hilteprandus, cum Sedunensis episcopus renunciatus est 22 Junii 1565. Statim Johannem Militis abbatem Agaunensem Mediolanum misit procuratorem ad Carolum cardinalem Borromæum ut confirmationem impetraret, quam obtinuit 5 Novemb. anni ejusdem. Josias Simlerus Hilteprando dicavit anno 1574 descriptionem 1574.
Vallesiæ & commentarium de Alpibus. Hilte-
B prandus cum Vallesii deputatis æternam cum Francorum rege confœderationem juravit mense Julio 1590. Cum oratoribus desenorum Vallesii 1590.
Carolo Allobrogum duci donavit dimidiam Ch. XXVIII, col. 459.
partem reliquiarum S. Mauricii, qui vicissim illis dedit proventus vallis Illiacæ a Ripallia pendentis, data charta 16 Decemb. 1590. Huic scripsit Clemens VIII ut imperatorem Rudolfum induceret ad bellum contra Turcas 19 Martii 1594. In unum collegit municipalia Vallesii 1594.
statuta episcopi, capituli & septem desenorum communitatum Vallesii sigillis approbata, quibus jura principatus, comitatus & præfecturæ ad
C episcopatum Sedunensem spectantia per Vallesianos confirmata fuere ad utilitatem mensæ episcopalis, cui adquisivit tres vicedominatus, Vercoreni, Chalesii & Nax, prius ad dominum de Chevrone spectantes. Edicto solenni sanxit ne juventus Vallesiana mitteretur ad scholas hæreticorum: invaluit tamen, Hilteprando episcopo, eo usque hæresis in Vallesia, ut plurium annorum assidui labores ad eam extirpandam vix suffecerint. Agentibus demum PP. Capucinis, id effectum ut avita religio illæsa permaneret, decreto 17 Martii 1604 lato, patribusque 1604.
erectum Sedunense cœnobium ut opus inceptum
D continuarent: nam Hilteprandus senio confectus hoc anno obiit die 24 Novembris.

LXXXII. Adrianus II.

DE RIEDMATTEN.

Hilteprandi nepos Adrianus, qui & ab eo missus fuerat ad comitia Imperialia, ubi plurimam laudem a Romani imperii principibus adeptus est, ex decano capituli Sedunensis & abbate Ch. XXIX, col. 461.
S. Mauricii electus episcopus anno 1604, confirmatus est a Paulo V anno 1605, a quo 1605.
litteras amoris & solatii plenas accepit VII id. Junii 1606 & IV cal. Junii 1607. Introduxit 1606.
patres Capucinos in Vallesiam, quibus tribuit 1607.
E ecclesiam S. Laurentii anno 1611, & patres 1611.
Societatis Jesu anno 1607, qui anno 1662 Brigam sese contulere. Novo hic rursus statuto & edicto in comitiis Vespiæ multatione corporis & bonorum proposita inhibuit ne juventutem ad scholas & seminaria hæreticorum parentes mitterent, aliaque saluberrima pro fide catholica sancivit statuta. Migravit e vita anno 1613, ad 1613.
quem extant Francisci *de Sales episcopi* Gebennensis epistolæ.

LXXXIII. Hilteprandus II.

JOST.

Ex parocho Centroni canonicus Hilteprandus,

Digitized by Google

ANNI CHRISTI ex canonico electus episcopus die 15 Octobris 1613, anno sequenti a summo pontifice confirmatur. Electus autem, cum capitulo coram nuncio apostolico contestato denunciavit pactum, quod quatuor capituli dignitates, decani Gallus & Vallesius, custos & cantor nomine capituli, sede post mortem Adriani vacante, cum communitatibus septem desenorum Vallesiæ inierant, (Ch. xxx, col. 463.) libere renunciantes donatis Sedunensi ecclesiæ & confirmatis a Carolo V anno 1521 in gratiam cardinalis *Schiner*, comitatui, præfecturæ & principatui Vallesiæ, declarantesque septem desenos esse veros & supremos dominos patronos Vallesiæ; quippe qui armis dominium conquisierant & libertatem reipublicæ democraticæ, (Ch. xxxi, col. 464.) salvis tamen episcopi juribus: quod tamen pactum vehementer prius a venerabili capitulo Sedunensi reclamatum, biennio post ab eisdem dignitatibus
1615. in plena comitiorum sessione anno 1615 revocatum est. Interim Hilteprandus a S. Francisco Salesio Gebennensi episcopo inunctus fuit, cujus
1618. ad eumdem plures extant epistolæ. Anno 1618, (Ch. xxxii, col. 467.) die 22 Julii scripsit epistolam ad pagos Helvetiorum catholicos de controversiis cum patriotis: (Ch. xxxiii, col. 471.) & alteram eadem de re eodemque anno suo & capituli Sedunensis nomine, qua respondet Helvetiis, qui generalia comitia tam pagorum catholicorum, quam Vallesianorum, pro placandis turbis Badæ convocaverant, petierantque ut gravamina sua exponeret. Fœdus renovavit cum Bernatibus anno eodem, & cum septem
1623. pagis catholicis Helvetiæ anno 1623. Superiori Alexander Scapius episcopus Campaniæ & primus apostolicus ad Helvetios nuncius Sedunensem visitaverat diœcesim anno 1622, seduloque tanquam minister apostolicus curaverat ut episcopatum ad pristinum reduceret statum avulsaque ab eo jura denuo revocaret. Recrudescentibus autem post odiis, cum Vallesiani nova in dies attentarent, pro secunda vice idem nuncius assumto secum christianissimi regis apud Helvetios oratore N. *Miron*, intervenientibus etiam pagis Helvetiorum catholicis, profecti sunt ut tumultus & controversias sedarent ac pacem conciliarent: Vallesianis vero arbitrorum judicio libertatis jura permittere nolentibus, re infecta
1626. discedere coguntur anno 1626. Itaque Vallesianorum animis in dies gravius exacerbatis, episcopus una cum suis fratribus aliisque viris ecclesiæ ipsique faventibus, patria cedere cogitur & Romam profectus, ex pontificia liberalitate quadriennio integro honorifice alitus fuit. Interea omnibus hujus ecclesiæ gravaminibus expositis, obtinuit episcopus ut citaret nobiles Vallesianos ad tribunal summi pontificis, dicturos quam ob causam episcopus Sedunensis non deberet gaudere juribus comitatus & præfecturæ Vallesiæ sicut sui decessores. Primarii autem Vallesiæ cum contumaces essent, dicerentque se nullum agnoscere judicem suæ libertatis, nolleque libertatem armis majorum suorum acquisitam in controversiam vocare, pacem amandabant, unde rursus mandavit summus pontifex Urbanus VIII nuncio suo apostolico apud Helvetios residenti, iret in Vallesiam, resque quantumvis turbatas componere niteretur: qui quidem ea de re orationem (Ch. xxxiv, col. 476.) luculentam habuit 20 Maii anno 1627 coram comitiis generalibus urbis Sedunensis, sed frustra; 1627.
nam perstitere Vallesiani in sua sententia, imo post biduum nempe 22 Maii ejusdem anni obtulere nuncio responsum suum litteris consignatum, quo se a criminationibus purgant & (Ch. xxxv, col. 481.) discordium motuum causam in episcopum regerunt. Exeunte anno 1630 episcopus tantæ 1630.
moræ pertæsus persuasit papæ reditum suum in Vallesiam gratum populo Vallesiano futurum: qui ab eo licentia obtenta, per Pedemontium & vallem Augustam ad hospitale Montis-jovis appulit, sed contrarium iis, quæ sibi proposuerat, eventum comperit. Mox enim per destinatos homines episcopo senatus Vallesii curat nunciari, ut si caram habeat vitam, non præsumat in Vallesiam ingressum tentare; qui cum posuissent in dicto monte cohortem militum ad impediendum episcopo ingressum, hic per trimestre spatium in eodem præalto monte remoratus mansit. Denique mitigatis paulisper animis circa finem Octobris, usque ad burgum S. Brancherii sex ab Hospitali horis, senatusconsulto intromissus fuit, at rursus domus ubi hospitium suum tenebat, nova militum custodia vallata fuit per triduum, donec episcopus metu aut necessitate perculsus, fœderi cuidam, capitulo Sedunensi & episcopi successoribus adhuc incognito, subscripsit idibus Januarii 1634, 1634.
quo cum maximo procerum Vallesiæ applausu & comitatu Seduni in sedem episcopalem restitutus fuit. Rebus sic usque ad annum 1635 1635.
conquiescentibus, proceres Vallesiæ cupientes prædictum fœdus majori firmitate roborare & jurisdictionem temporalem comitatus & præfecturæ episcopatus Sedunensis annullare, induxerunt de novo episcopum & capitulum ad cedendum antiquis & modernis rationibus, & juribus ad altum dominium temporale spectantibus: qua de re condiderunt instrumentum tribus sigillis episcopi, capituli & patriæ Vallesii munitum. Ranutius Scotus nuncius tunc ad Helvetios apostolicus omnem movit lapidem usque ad annum 1638, ut veridice informaretur, 1638.
quomodo & quibus secretis & occultis mediis dictus tractatus initus fuisset in adeo grave præjudicium ecclesiæ Sedunensis. In hunc ergo finem misit ad episcopum Gothardum de Solodoro, sacerdotem, canonicum peritum & episcopo intimum, ut initi fœderis copiam impetraret nuncio apostolico deferendam. qui nihil aliud ab eodem elicere potuit, quam se esse in mille angustiis positum, necessitateque tacendi coactum, qui denique partim mœrore, partim podagræ morbo consumtus obiit anno 1638, 16 Maii.

Cæterum hic episcopus ita pastoralium omnium functionum laude excelluit, ut non alium dominici gregis observatorem custodemque vigilantiorem habuerit Sedunensis ecclesia: collapsam namque pietatem & cleri disciplinam moresque instauravit, divinorum sacramentorum usum, catecheticæ doctrinæ traditionem & christianæ disciplinæ exercitia studio promovit indefesso.

Clericorum

ANNI CHRISTI

Clericorum seminario erigendo tota mente incubuit, sed erigere non potuit. Persalubres in diœcesana synodo constitutiones edidit, quibus cleri populique Vallensium saluti ac disciplinæ consulitur. Usum instituit calendarii Gregoriani 8 Januarii 1627. Denique indefesso præsulis hujus studio difficillimis iis temporibus asserta apud Vallesianos est religio catholica, restitutusque per Valesiam inferiorem sacramentorum usus.

LXXXIV. BARTHOLOMÆUS.

SUPERSAXO, germanice AUFF DER FLUE.

Pro more antiquo Bartholomæus electus fuit a certo deputatorum laicorum numero nomine septem desenorum, unus e quatuor nominatis B a capitulo & populo die 6 Junii 1638. Tunc vero Ranutius Scotus nuncius episcopum & capitulum coegit ut producerent cessionem ab antecessore factam, protestatusque est electum non confirmandum fore, nisi eam revocarent. Hoc itaque intellecto, Vallesiani decreverunt electo episcopo tanquam comiti & præfecto Vallesiæ præstituros se juramentum fidelitatis. Sed retardatis per biennium confirmationis litteris, inaugurari non potuit Bartholomæus, mortuus

1640. interim anno 1640, 16 Julii.

Post ejus obitum vacavit sedes per sex hebdomadas, eo quod Vallesiani minaciter instabant C ut capitulum Sedunense futurusque electus, dictum Hilteprandi Jodoci tractatum fœderis rursus confirmarent, decanis & canonicis capituli renitentibus. Tandem postquam diu ultro citroque litigatum fuisset, die 30 Aug. anno 1640 ad electionem secundum consuetum eligendi modum sub hac limitatione, *illæsis hinc inde juribus*, progressum fuit.

LXXXV. ADRIANUS III.

DE RIEDMATTEN.

Ex cantore Sedunensi electus episcopus Adrianus die 30 Augusti 1640, Romæ confirmatur ab Urbano VIII mense Octobri, & in ecclesia D cathedrali Sedunensi consecratur mense Decemb. 1642 a Johanne *de Watteville* episcopo Lausanensi, assistentibus Clemente de Monte Altæripæ & Petro *Odet* sancti Mauricii Agaunensis abbatibus (hactenus inauditum & contra omnia concilia attentatum). Huic quoque solemnitati nomine Hieronymi Farnesii archiepiscopi Patracensis & apostolici ad Helvetios nuncii adstitit Johannes-Baptista Bozetta Tridentinus, ejusdem nuncii auditor, qui diploma apostolicum in cathedrali Sedunensi recitavit. Adriano procurante, communibus patriæ suffragiis & in comitiis gene-

1643. ralibus receptæ sunt anno 1643, 10 Maii, E moniales sancti Bernardi ordinis Cisterciensis, quarum monasterio in castro de Arbignone, parochia Columberii, mense Junio delegatus ab episcopo Petrus *Odet* abbas Agaunensis primum

1646. posuit lapidem. Episcopus vero obiit an. 1646, 19 Septembris.

LXXXVI. ADRIANUS IV.

DE RIEDMATTEN.

Renunciatus 1 Octobris 1646 episcopus Adrianus, prius decanus capituli Sedunensis, & Romæ confirmatus, consecrationis munus accepit A in ecclesia Sedunensi ab Octavio Asinario episcopo Regiensi, adstantibus iisdem abbatibus, qui superioris sacro adfuerant, 22 Septembris 1650. Sub hoc antistite recepta est virginum 1650. Brigensium Ursulinarum societas 9 Junii 1663, quæ, annis superioribus cœnobio & ecclesia exstructis, puellarum institutioni deserviunt. E vivis excessit 13 Augusti 1672. 1672.

LXXXVII. ADRIANUS V.

DE RIEDMATTEN.

Ex eadem qua decessores Adriani prognatus familia Adrianus, prius quoque capituli decanus, electus episcopus 25 Augusti 1672, consecratus est a Strambino episcopo Lausannensi, assistentibus utriusque præfati monasterii abbatibus. Obiit 20 Maii 1701. 1701.

LXXXVIII. FRANCISCUS-JOSEPHUS.

SUPERSAXO. AUFF DER FLUE.

E nobili prosapia de Supersaxo apud Vallesianos editus Franciscus-Josephus 11 Februarii 1665, ex Sedunorum parocho & decano Valeriæ electus episcopus anno 1701, 2 Junii, inunctus est 1 Octobris anni ejusdem a Julio Piazza Rhodiensi archiepiscopo, tunc nuncio apostolico ad Helvetios, in ecclesia Sedunensi, assistentibus episcopis Gebennensi & Augustensi. Jam puer canonicorum collegio adscriptus, communi cleri ac populi augurio ad Sedunenses infulas destinabatur; nec vanum augurium, successit enim Adriano, cujus legationis officium antea cum laude expleverat Uraniæ Helvetiorum, cum solemni ritu fieret catholici fœderis renovatio anno 1696. Ecclesiæ præfuit annis 33. Pro inducenda Sedunum Societate Jesu postremis tabulis nonnulla ordinavit. Ætate gravis obiit 1 Maii 1734, sepultus in cathedrali ante altare 1734. sacelli S. Barbaræ in avito decessorum præsulum tumulo.

LXXXIX. JOHANNES-JACOBUS.

BLATTER.

E conventu Vespiano apud Vallesianos ortus Johannes-Jacobus anno 1684, philosophiæ & theologiæ apud Viennam Austriæ operam dedit. Factus inde canonicus, munera etiam Sedunensis parochi 16 annis exercuit, quo tempore pro Sedunensi capitulo legationis officium explevit in actu solemni innovati fœderis cum pagis catholicis Helvetiæ an. 1728. Episcopus autem renunciatus 18 Maii 1734, superstite parente illius Arnoldo tunc patriæ ballivo, qui obiit anno 1737, inunctus fuit in ecclesia PP. Capucinorum Bulli apud Friburgenses, die festo Præsentationis B. Mariæ, a Claudio *Duding* episcopo Lausannensi, assistentibus Henrico *Fivaz* Altæ-ripæ & Ludovico Charleti S. Mauricii abbatibus. Factus episcopus, doctoris ecclesiastici partes in habendis sermonibus ad populum præsertim quadragesimalibus implevit. Totus in sacris ædibus pretiosa suppellectili decorandis, atque ad erigendum Gerundæ seminarium clericorum anno 1750 profusus. Ejus cura & senatus 1750. civiumque Sedunensium suffragio adsciti sunt anno 1734 Sedunum PP. Societatis Jesu. Huic Sebastianus *Briguet* canonicus Sedunensis

Digitized by Google

dedicavit anno 1744 Vallesiam christianam. A Obiit 19 Januarii 1752, annos natus 68.

XC. JOHANNES-HILTEPRANDUS.

ROTEN. Natus is annos 31, ex canonico Sedunensi una civium & capituli voce electus est episcopus Sedunensis 31 Augusti 1752, post mensium octo interpontificium, & inunctus 24 Febr. 1753. Obiit anno 1760, die 19 Septembris.

XCI. FRANCISCUS-FREDERICUS.

AMBUEL. Natus anno 1703 Franciscus-Fredericus, factusque canonicus Sedunensis anno 1735, post obitum Johannis-Hilteprandi electus 18 Decembris 1760 episcopus Sedunensis simulque comes ac præfectus Vallesiæ, confirmatusque a summo pontifice 25 Maii 1761, inauguratus fuit in ecclesia sua cathedrali die 30 Novembris ejusdem anni ab episcopo Lausannensi, cui suppetias ferebant abbates S. Mauritii Agaunensis & Abundaniæ. Feliciter regit etiamnum meritissimus præsul, dignus comitate, humanitate cæterisque quibus splendet virtutibus, qui longum præsit.

ANNI CHRISTI 1761.

ALIQUOT DECANI SEDUNENSES

tam capituli ipsius ecclesiæ B. Mariæ, quam capituli Sedunensis in arce Valeria *supra Sedunum residentis, ac 1.° Decani capituli Sedunensis qui nobis innotuerunt.*

I. AMEDEUS frater Guillemi de Turre testis B fuit compositionis initæ inter Rodulphum abbatem & Agaunensem ecclesiam ex una, & Guillelmum de Turre ex altera parte, arbitro Lodoico episcopo Sedunensi, quam etiam laudavit & approbavit non. Aprilis, feria quinta, anno ab Incarnatione Domini M. CLVII, epacta XXVII, currente indictione IIII. (Charta II, col. 490.)

II. Galiens decanus occurrit in charta anni 1181, qua Cono Sedunensis episcopus cum Willelmo de Turre de Civilegio paciscitur. (Charta IV. col. 493.)

III. Siguinus *vel* Seguinus testis fuit doni cujusdam facti ecclesiæ Sedunensi a Willelmo de C Turre, tempore Willelmi episcopi Sedunensis qui regebat anno 1189, necnon terræ *de Griuns* Willelmo *de Griuns* sub quodam censu datæ a Willelmo abbate & canonicis S. Mauritii, sub sigillo Willelmi episcopi Sedunensis anno eodem. (Charta V, col. 494.)

IV. Bartholomæus occurrit etiam & decanus appellatur in charta superiori.

V. Willelmus I testis fuit pactionum inter Thomam comitis Maurianensis filium, & Gautherum abbatem Agaunensem, anno 1198.

VI. Aymo citatur in charta Landrici episcopi D Sedunensis anno 1218, qua Bosoni vicecomiti Augustensi dat feodum situm apud S. Petrum *de Clages*. (Chart. X, col. 497.)

VII. Boso decanus subscribit anno 1221 transactioni factæ inter Landricum episcopum & Thomam Sabaudiæ comitem. (Ch. XIII, col. 499.)

VIII. Willelmus II decanus forte *Valeriæ*, eidem transactioni subscribit, atque etiam cum Bosone superiori acquisitioni factæ a Landrico episcopo cujusdam feudi in parochia de Leuca & in territorio de Monte-Ordeo anno 1227. (Ibidem. Char. XIV, col. 500. Ibidem.)

IX. Petrus I de Thora, ortus e nobili prosapia E dominorum de Turre Castellionis, testis legitur sententiæ latæ in gratiam Girardi abbatis sancti Mauritii Agaunensis, contra Petrum de Morestello militem vicedominum *de Bagnes*, de prædicto vicedominatu anno 1288, necnon alterius instrumenti quo Petrus de Turre dominus Castellionis in Vallesia accipit in feudum a Girardo Agaunensi abbate varia bona in inferiori Vallesia sita, 9 Martii 1291. (Ch. XXXV, col. 521. Charta XXXVIII, col. 524.)

X. Stephanus de Rupe electus anno 1405.

XI. Jodocus de Platea 1424.

XII. Guillelmus III nobilis vir de Raronia 1427, postea episcopus Sedunensis.

XIII. Johannes I Ballistarius electus an. 1447.

XIV. Henricus *Esperlin* ex decano fit episcopus 1451, 22 Januarii.

XV. Johannes II de Leyserio 1477.

XVI. Rudolphus nobilis vir ab Æsperlin 1492.

XVII. Stephanus de Cabanis 1495.

XVIII. Franciscus Superlaxo 1499.

XIX. Waltherus Stella 1512.

XX. Petrus II Alleti 1524, vicarius generalis Adriani *de Riedmatten* episcopi Sedunensis, ab eo constitutus est fidei & hæreticæ pravitatis inquisitor circa annum 1533, ejusque curis & opera potissimum a labe Calvinianæ sectæ servata fuit Vallesia.

XXI. Johannes III Schnider 1594.

XXII. Adrianus I *de Riedmatten* 1601, electus episcopus Sedunensis anno 1604, & confirmatus a Paulo V papa anno 1605.

XXIII. Petrus III *Brantschen* 1609.

XXIV. Adrianus II *de Riedmatten* 1629, postmodum ad episcopatum provectus.

XXV. Georgius *Sumermatter* 1638.

XXVI. Adrianus III *de Riedmatten* renunciatus episcopus 1 Octob. 1646.

XXVII. Adrianus IV *de Riedmatten* creatus episcopus 25 Augusti 1672.

XXVIII. Christianus I *Ritteler* electus decanus anno 1672.

XXIX. Johannes IV *de Courten* 1685.

XXX. Adrianus V *Jergen* 1694.

XXXI. Alexius de Werra 1704, decanus Valeriæ anno 1702.

XXXII. Christianus II *Hagen* 1744.

XXXIII. Johannes V Josephus *de Chattonay* electus anno 1746.

Digitized by Google

Decani aliqui capituli Sedunensis in arce Valeria supra Sedunum residentis.

I. GERHARDUS *de Bossonay* anno 1320 electus reperitur in charta data die 14 Januarii anni 1331, qua Aymo episcopus Sedunensis permutat prioratum vallis Iliacæ cum prioratu Gerundæ, qui juris erat monasterii Abundantiæ. Testis etiam legitur in instrumento fundationis Cartusiæ Gerundæ ab eodem Aymone episcopo factæ die 19 Januarii ejusdem anni 1331.

Ch. XLVII, col. 537. Ch. XLVIII, col. 540.

II. Petrus I de Claromonte 1363.

III. Anselmus *de Faussonay* 1437.

IV. Johannes I *de Madys* 1440.

V. Luginus nobilis vir de Raronia 1442.

VI. Petrus II ab *Hertenstein*, nobilis Helvetus Lucernensis 1444.

VII. Johannes II *de Faussonnay* 1447.

VIII. Petrus III *Bonzam* 1467.

IX. Petrus IV *de Madys* 1486.

X. Mathæus *Schiner* 1497, postea episcopus Sedunensis & cardinalis.

XI. Nicolaus *alias* Martinus *Schiner* 1499.

XII. Jacobus *de Werra* 1524.

XIII. Benedictus Bossoni 1541.

XIV. Johannes III *Gasser* 1547.

XV. Johannes IV Aimonis 1557.

A XVI. Franciscus I *de Bon* 1565.

XVII. Martinus *Lambien* 1574.

XVIII. Petrus V Majoris 1575.

XIX. Franciscus II *de Bon* 1581.

XX. Bartholomæus Venetus aut *de Venez* 1607.

XXI. Petrus VI Bonivini 1608.

XXII. Georgius I *Niggel* 1625.

XXIII. Georgius II *Sumermatter* 1632.

XXIV. Christianus *Truffer* 1638.

B XXV. Petrus VII *de Comunis* 1642.

XXVI. Mathias *Willa* 1682.

XXVII. Franciscus III Josephus *Supersaxo* 1698, ex Sedunorum parocho & decano Valeriæ electus episcopus Sedunensis die 2 Junii an. 1701, obiit ætate gravis 1 Maii an. 1734. Vide in episcopis Sedunensibus quæ ad eum spectant.

XXVIII. Alexius *de Werra* 1702.

XXIX. Johannes V Josephus *Willa* 1704.

C XXX. Gasparus *Waldraf* 1710.

XXXI. Josephus I *Meyer* 1711.

XXXII. Stephanus *de Riedmatten* 1733.

XXXIII. Josephus II Benedictus *de Riedmatten* 1744.

XXXIV. Johannes VI *Bayard* 1749.

XXXV. Johannes VII Josephus *Lagger* 1758.

IN DIŒCESI ALIA NON EST ABBATIA QUAM AGAUNUM *seu* S. MAURICIUS IN VALLESIA.

S. MAURICE EN VALAIS.

PERCELEBRIS & antiquissimi hujus cœnobii a canonicis regularibus ordinis S. Augustini hodie possessi, diœcesis Sedunensis, in ditione Vallesanorum, qua Rhodanus in lacum Lemanum influit, constructi in loco Alpium vallis Penninæ versus Antuates sive Vaudios, ad radices majoris montis S. Bernardi, maximeque insignis sepulchris martyrum Mauricii & commilitonum ejus ibidem occisorum, priusquam describamus historiam & abbatum seu præpositorum subjiciamus catalogum, haud ingratam forte eruditis operam præstiterimus, si toties decantatum a pluribus viris doctis argumentum, (immanem illam dico persecutionem, qua in universos per orbem fusos christicolas sævierunt Romani Tyranni Diocletianus & Maximianus) denuo retractaverimus, quo legionis Thebææ, gloriosorum scilicet bellatorum Mauricii & commilitonum ejus martyrii veritatem asserere & epocham certius assignare valeamus. Cum enim in suis titulis inscriptionibusque potissimum glorientur duo illi imperatores deletam a se funditus christianam religionem, nil mirum si tormentorum metu territi fideles de latebris quærendis & vita servanda fuerint magis solliciti, quam de martyrum contemporaneorum historia scribenda ac posteris transmittenda. Sua tamen integra steterat per longam seculorum seriem martyrum Agaunensium passioni fides, cum prior eam elevare tentavit Spanheimius D in libro cui titulum fecit *Introductio ad historiam Ecclesiasticam.* Hunc secutus est imo superavit *Hottinguer* in sua Helvetia sacra germanice scripta: iisque suo quisque modo succenturiati sunt *Basnage* in Annalibus ecclesiasticis, *le Sueur* in historia ecclesiæ & Imperii, tom. 1; *Fueslin* in compendio historiæ Helveticæ, & *Burnet* in præfatione ad librum Lactantii *de mortibus persecutorum.* At multo acrius telum intorsit minister Johannes *du Bourdieu* in tractatu Gallico, cui titulus, *Dissertation historique & critique sur le martyre de la légion Thébéene*, Amstelodami edito anno 1705, in quo rationes & momenta undequaque colligit, quibus evertat, si fieri posset, facti hujus veritatem. Huic respondit anno 1737 E domnus *de l'Isle* Benedictinus eodem idiomate, suoque libro Nancei typis impresso titulum fixit *Défense de la vérité du martyre de la légion Thébéene, autrement de S. Maurice & de ses compagnons.* Causa videbatur cecidisse minister, cum ei suppetias venit Genevensis anonymus, prolixa ea de re epistola in diario Helvetico an. 1746 inserta. Denique D. *de Bochat* anno sequenti post expensas ad trutinam sedulo & diligenter, ut sibi visus est, utriusque partis rationes, quasi ex cathedra pronunciavit meram esse fraudem piam totius hujus stragis historiam. Vide *mémoires critiques pour servir d'éclaircissemens sur différens points de l'histoire ancienne de la Suisse.*

Gruter, p. 280.

Digitized by Google

Atqui contra horum omnium opinionem A ostendemus & sacram ædem in honorem martyrum Agaunensium fuisse constructam annis circiter post eorum passionem quinquaginta, & facti hujus veritatem testimonio niti narrantium quæ a testibus oculatis acceperant. Non diffitemur tamen arduam rem esse nefandæ hujus cædis cum historia profana conciliationem, quam nihilominus feliciter tentavit & confecit doctissimus Vallesianus D. *de Rivas* in opusculo gallico quod parat & brevi in lucem emissurus est sub hoc titulo: *Eclaircissemens sur le martyre de la légion Thébéene & sur l'époque de la persécution des Gaules, sous Dioclétien & Maximien, avec de* B *nouveaux fastes de ces deux empereurs, conciliés avec tous les monumens de l'antiquité;* ubi evidenter probat & martyres Thebæos ineunte quarto seculo, nempe an. 302, Agauni seu Tarnadæ in Vallesia jussu Maximiani fuisse interfectos, quem videsis ibidem, & quæcumque adversus hanc traditionem obtruduntur sagacissime diluit. Ejus urbanitati & in verum propensioni potiora debemus argumenta quæ in præsentis causæ patrocinium congesturi sumus, quippe qui codicem suum ms. humanissime nobiscum communicavit quoad primam partem, ex quo etiam plurima ad historiam ecclesiæ Sedunensis perti- C nentia hausimus.

Ante universalem Diocletiani & Maximiani persecutionem unos ferme episcopos & ecclesiasticos viros afficiebant imperatorum de christianis puniendis edicta. Pastores aut rectores suos ad carnificinam ductos comitabantur fideles & quæ ac quomodo passi fuerant ore primum inter se repetebant, tum scripto mandabant ac vicinis ecclesiis notificabant, missis ad eas litteris *encyclicis* quæ alio nomine dicebantur acta martyrum, seu *legenda* sancti aut sanctorum NN. singulis quibusque annis ipsa die anniversaria mortis eorum conveniebant omnes in ecclesiam cui D præfuerat, aut locum in quo passus vel sepultus fuerat martyr, ibique post preces consuetas acta passionis ejus relegebantur. Morem hunc martyres & martyrum memoriam recolendi ab ipso persecutionum exordio invaluisse constat. Cum enim Nero Apostolorum principes Petrum & Paulum Romæ interfecisset [a] septem circiter & sexaginta post Christum natum annis, & eorum corpora extra urbem juxta publicam viam tumulata fuissent, christiani quam primum potuerunt, sacras ædes super eorum tumulum construxere, quas *tropæa Apostolorum* nuncupabat Gaius secundi seculi scriptor ab Eusebio [b] laudatus, E eodemque insigniebat nomine S. Hieronymus [c] ineunte quinto seculo. Parem nacti sunt honorem Ignatius divi Petri & Polycarpus S. Johannis auditores necnon & plures alii, Lugdunenses nempe ac Viennenses martyres, quorum acta in Galatiam usque missa transcripsit nobisque reliquit Eusebius in sua historia ecclesiastica; ut mirari profecto subeat quam offendant novatores in arrogantiam & infidelitatem, dum cultum a primoribus christianis sacris martyrum reliquiis exhibitum aut vellicant aut negant. Inanis est scilicet apud eos tot ætatum, tot gentium, tot excellentium hominum consensus. Quo autem tempore generaliter sævitum est ab imperatoribus in universos passim & indiscriminatim christianos, tunc passorum historiam in acta referre nec tutum nec facile fuit.

[a] *Pagi 64 tantum numerat.*

[b] *Hist. Eccles. lib. II, c. 25.*

[c] *Epistol. lib. II, epist. 7.*

Itaque legionis Thebææ martyrium nulla firmabunt instrumenta archetypa, quinti enim seculi fœtus sunt quæ habemus antiquiora, sexti vero, quantum divinare possumus, recentiora, in quibus memorat autor anonymus res gestas post Sigismundi Burgundionum regis obitum, cui Marius in chronico annum 523 præfixit. Alternus in ecclesiis obtinuit usus modo hæc modo illa SS. martyrum passionis monumenta recitare ad usque seculum X, quo junioribus & interpolatis penitus cesserunt vetera & germana, hæcque putabant eruditi funditus periisse, cum anno 1662 opera & studio Petri-Francisci Chiffletii Jesuitæ revixerunt, qui reperta in vetustissimo martyrologio ms. abbatiæ S. Eugendi Jurensis, hodie S. Claudii, edidit & promulgavit una cum suo Paulino illustrato, iisque attexuit ex ejusdem codicis fide epistolam S. Eucherii Lugdunensis episcopi ad S. Salvium, seu potius Sylvium Vallesiæ episcopum, ad quem illa dirigit, seque eorum auctorem aut exscriptorem plane declarat. Et sane in toto opusculo nihil est, fatentibus ipsismet morosioribus criticis, quod Eucherii Lugdunensis episcopi ævum, ejusque stili nitorem atque elegantiam non spiret. Hujus jam senio fracti mortem ad annum 450 referunt coætanei Gennadius & Prosper, quorum autoritas longe aliud apud nos pondus habere debet, quam comitis Marcellini, qui vitam ejus producit usque in annum 456, aut Adonis qui eamdem in annum 421 contrahit. Ejusmodi porro sunt acta martyrum Thebæorum & epistola Eucherii ad Salvium.

Passio Agaunensium martyrum auctore S. Eucherio Lugdunensi episcopo.

« SANCTORUM passionem martyrum, qui Acaunum glorioso sanguine inlustrant pro honore gestorum, stilo explicamus, ea utique fide, qua ad nos martyrii ordo pervenit: nam per succedentium relationem, rei gestæ memoriam nondum intercepit oblivio: etsi pro martyribus singulis loca singula, quæ eos possident, vel singulæ urbes insignes habentur (nec immerito, quia pro Deo summo pretiosas sancti animas refundunt) quanta excolendus est reverentia sacer ille Acaunensium locus, in quo tot pro Christo martyrum millia ferro cæsa referuntur? Nunc jam ipsam beatissimæ passionis causam loquamur ».

« Sub Maximiano, qui Romanæ reipublicæ cum Diocletiano collega imperium tenuit, per diversas fere provincias laniati, aut interfecti martyrum populi. Idem namque Maximianus sicut avaritia, libidine, crudelitate, cæterisque vitiis obsessus furebat; ita etiam exsecrandis Gentilium ritibus deditus, & erga Deum cœli profanus, impietatem suam ad exstinguendum «

Digitized by Google

» christianitatis nomen armaverat: si qui tunc Dei » veri cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque » militum turmis, vel ad supplicia, vel ad necem » rapiebantur: ac velut vacatione barbaris gentibus » data, prorsus in religionem arma commoverat. » Erat eodem tempore in exercitu legio militum, » qui Thebæi appellabantur: legio autem vocabatur, » quæ tunc sex mille ac sexcentos viros in armis » habebat. Hi in auxilium Maximiano ab Orientis » partibus acciti venerant, viri in rebus bellicis » strenui & virtute nobiles, sed nobiliores fide, » erga imperatorem fortitudine, erga Christum » devotione certabant. Evangelici præcepti etiam » sub armis non immemores, reddebant quæ Dei » erant Deo, & quæ Cæsaris, Cæsari restituebant. » Itaque cum hi, sicut & cæteri militum, ad » pertrahendam christianorum multitudinem des- » tinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare » ausi sunt, atque hujusmodi præceptis se obtem- » peraturos negant. Maximianus non longe aberat, » nam se circa Octodorum itinere fessus tenebat: » ubi cum ei per nuncios delatum esset legionem » hanc adversus mandata regia rebellem in Acau- » nensibus angustiis substitisse, in furorem instinctu » indignationis exarsit. Sed mihi priusquam reliqua » commemorem, situs loci ejus relationi inserendus » videtur. Acaunus sexaginta ferme millibus a Ge- » navensi urbe abest, quatuordecim vero millibus » distat a capite Lemanni lacus, quem influit » Rhodanus. Locus ipse jam inter Alpina juga in » valle situs est: ad quem pergentibus difficili » transitu asperum atque artum iter panditur: » infestus namque Rhodanus saxosi montis radi- » cibus vix pervium viantibus aggerem relinquit. » evictis transmissisque angustiarum faucibus, subito » nec exiguus inter montium rupes campus aperitur. » In hoc legio sancta consederat. Igitur, sicut » supra diximus, cognito Maximianus Thebæorum » responso, præcipiti ira fervidus, ob neglecta » imperia, decimum quemque ex eadem legione » gladio feriri jubet, quo facilius cæteri regiis » præceptis territi metu cederent: redintegratisque » mandatis edicit, ut reliqui in persecutionem » christianorum cogantur. Ubi vero ad Thebæos » denunciatio iterata pervenit, cognitumque ab » eis est injungi sibi rursum executiones profanas, » vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur » affirmantium numquam se ulli in hæc tam » sacrilega ministeria cessuros: idolorum se profana » semper detestatos, christianis se imbutos sacris » & divinæ religionis cultu institutos, unum » sanctæ Ternitatis deum colere: extrema experiri » satius esse, quam adversum christianam fidem » venire. His deinde compertis Maximianus omni » bellua cruentior, rursus ad ingenii sui sævitiam » redit, atque imperat ut iterum decimus eorum » morti detur, cæteri nihilominus ad hæc quæ » spernerent, compellerentur. Quibus jussis denuo » in castra perlatis, segregatus atque percussus est, » qui decimus sorte obvenerat: reliqua vero se » militum multitudo mutuo sermone instigabat, » ut in tam præclaro opere persisterent. Incita- » mentum tamen maximum fidei in illo tempore » penes S. Mauricium fuit, Primicerium tunc,

A sicut traditur, legionis ejus, qui cum Exuperio « (ut in exercitu appellant) campi doctore & Can- « dido senatore militum accendebat, exhortando « singulos & monendo, fidem: commilitonum « etiam martyrum exempla ingerens, pro sacra- « mento Christi, pro divinis legibus (si ita « necessitas ferret) omnibus moriendum suadebat: « sequendosque admonebat socios illos & contu- « bernales suos, qui jam in cœlum præcesserant; « flagrabat enim jam tunc in beatissimis viris « martyrii gloriosus ardor. His itaque primoribus « suis atque auctoribus animati, Maximiano insania « adhuc æstuanti mandata mittunt sicut pia, ita & « B fortia, quæ feruntur fuisse in hunc modum. »

« Milites sumus, Imperator, tui: sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei: tibi militiam « debemus, illi innocentiam: a te stipendium « laboris accepimus, ab illo vitæ exordium sum- « psimus: sequi imperatorem in hoc nequaquam « possumus, ut auctorem negemus, Deum utique « auctorem nostrum, Deum auctorem (velis, « nolis) tuum. Si non in tam funesta compellimur, « ut hunc offendamus, tibi, ut fecimus hactenus, « adhuc parebimus: sin aliter, illi parebimus potius « quam tibi: offerimus nostras in quemlibet hostem « manus, quas sanguine innocentium cruentare « C nefas ducimus: dexteræ istæ pugnare adversum « impios atque inimicos sciunt; laniare pios & « cives nesciunt: meminimus nos pro civibus « potius quam adversus cives arma sumpsisse: « pugnavimus semper pro justitia, pro pietate, pro « innocentium salute: hæc fuerunt hactenus nobis « pretia periculorum: pugnavimus pro fide, quam « quo pacto conservabimus tibi, si hanc Deo nostro « non exhibemus? Juravimus primum in sacra- « menta divina; juravimus deinde in sacramenta « regia: nihil nobis de secundis credas necesse « est, si prima perrumpimus: christianos ad pœnam « D per nos requiri jubes; jam tibi ex hoc alii « requirendi non sunt: habes hic nos confitentes « Deum Patrem auctorem omnium, & Filium ejus « Jesum-Christum, & Spiritum Sanctum. Vidimus « laborum periculorumque nostrorum socios, nobis « quoque sanguine aspersis trucidari ferro, & tamen « sanctissimorum commilitonum mortes, & fratrum « funera non flevimus, non doluimus, sed potius « laudavimus & gaudio prosecuti sumus, quia digni « habiti essent pati pro Domino Deo eorum: & « nunc non nos vel hæc ultima vitæ necessitas in « rebellionem coegit, non nos adversum te, impe- « rator, armavit ipsa saltem, quæ fortissima est in « periculis desperatio: tenemus ecce arma & non « E resistimus, quia mori, quam occidere satius ma- « lumus, & innocentes interire, quam noxii vivere « præoptamus: si quid in nos ultra statueris, si quid « adhuc jusseris, si quid admoveris, ignes, tormenta, « ferrum subire parati sumus: christianos nos fa- « temur, persequi christianos non possumus. »

« Cum hæc talia Maximianus audisset, obsti- natosque in fide Christi cerneret animos virorum, « desperans gloriosam eorum constantiam posse « revocari, una sententia interfici omnes decrevit, « & rem confici circumfusis militum agminibus « jubet: qui cum missi ad beatissimam legionem «

Digitized by Google

venissent, stringunt in sanctos impium ferrum, mori non recusantes, vitæ amore. Cædebantur itaque passim gladiis, non reclamantes saltem, aut repugnantes; sed depositis armis cervices persecutoribus præbentes, & jugulum percussoribus, vel intectum corpus offerentes. Non vel ipsa suorum multitudine, non armorum munitione elati sunt, ut ferro conarentur asserere justitiæ causam: sed hoc solum reminiscentes, se illum confiteri, qui nec reclamando ad occisionem ductus est, & tanquam agnus non aperuit os suum: ipsi quoque, tanquam grex dominicus ovium, laniari se tanquam ab inruentibus lupis passi sunt. »

« Operta est terra illic procumbentibus in mortem corporibus piorum: fluxerunt pretiosi sanguinis rivi. Quæ umquam rabies absque bello tantam humanorum corporum stragem dedit! Quæ feritas ex sententia sua tot simul perire vel reos jussit? Ne justi punirentur, multitudo non obtinuit, cum inultum esse soleat quod multitudo delinquit. Hac igitur crudelitate immanissimi tyranni confectus est ille sanctorum populus, qui contempsit rem præsentium, ob spem futurorum: sic interfecta est illa plane angelica legio, quæ, ut credimus, cum illis Angelorum legionibus jam conlaudat semper in cœlis Dominum Deum Sabaoth. »

« Victor autem martyr nec legionis ejusdem fuit, neque miles, sed emeritæ jam militiæ veteranus. Hic cum iter agens subito incidisset in hos, qui passim epulabantur læti martyrum spoliis; atque ab his ad convescendum invitatus prolatam ab exultantibus per ordinem causam cognovisset; detestatus convivas, detestatusque convivium, refugiebat: requirentibusque ne & ipse forsitan christianus esset, christianum se & semper futurum esse respondit; ac statim ab inruentibus interfectus est, cæterisque martyribus in eodem loco, sicut morte, ita etiam honore conjunctus est. Hæc nobis tantum de numero illo martyrum comperta sunt nomina; id est beatissimorum Mauricii, Exuperii, Candidi atque Victoris: cætera vero nobis quidem incognita, sed in libro Vitæ scripta sunt. Ex hac eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres, Ursus & Victor, quos Salodoro passos fama confirmat. Salodorum vero castrum est supra Arulam flumen, neque longe a Rheno positum. »

« Operæ pretium est etiam illud indicare, qui deinde Maximianum trucem tyrannum exitus consecutus sit. Cum dispositis insidiis genero suo Constantino tunc regnum tenenti mortem molitetur; deprehenso dolo ejus, apud Massiliam captus, nec multo post strangulatus, teterrimoque hoc supplicio affectus impiam vitam digna morte finivit. At vero beatissimorum Acaunensium martyrum corpora, post multos passionis annos, sancto Theodoro ejusdem loci episcopo revelata traduntur; in quorum honorem cum exstrueretur basilica, quæ vastæ nunc adjuncta rupi, uno tantum latere adclinis jacet, quid miraculi tunc apparuerit, nequaquam tacendum putavi. Accidit ut inter reliquos artifices, qui invitati convenisse ad illud

A opus videbantur, quidam adesset faber, quem adhuc gentilem esse constaret. Hic cum Dominico die, quo cæteri ad exspectanda diei illius festa discesserant, in fabrica solus substitisset, in illo secreto se subito clara luce manifestantibus sanctis, hic idem faber rapitur, atque ad pœnam vel supplicia distenditur; & visibiliter turbam martyrum cernens, verberatus etiam & increpatus, quod vel die Dominico ecclesiæ solus deesset, vel illud fabricæ opus sanctum suscipere gentilis auderet. Quod adeo misericorditer a sanctis factum constitit, ut faber ille consternatus & territus salutare sibi nomen poposcerit, statimque chris-

B tianus effectus sit. Neque illud in sanctorum miraculis prætermittam, quod perinde clarum atque omnibus notum est. Materfamilias Quinti egregii atque honorati viri, cum ita paralysi fuisset obstricta, ut ei etiam pedum usus negaretur, a viro suo, ut Acaunum per multum itineris spatium deferretur, poposcit. Quo cum pervenisset, sanctorum martyrum basilicæ famulantium manibus inlata, pedibus ad diversorium rediit, ac sanitati de præmortuis restituta membris nunc miraculum suum ipsa circumfert. Hæc duo tantum mira passioni sanctorum inserenda credidi: cæterum satis multa sunt, quæ vel in purgatione dæmonum,

C vel in reliquis curationibus quotidie illic per sanctos suos Domini virtus operatur. »

Explicit passio quæ observatur die decimo Kalendas Octobris.

Domno sancto & beatissimo in Christo Salvio episcopo Eucherius.

« Misi ad beatitudinem tuam, scriptam nostrorum martyrum passionem: verebar namque, ne per incuriam tam gloriosi gesta martyrii ab hominum memoria tempus aboleret.

D Porro ab idoneis auctoribus rei ipsius veritatem quæsivi, ab his utique qui affirmabant se ab episcopo Genavensi sancto Isaac hunc, quem prætuli passionis ordinem cognovisse; qui, credo, rursum hæc retro a beatissimo episcopo Theodoro viro temporis anterioris acceperit. Itaque cum alii ex diversis locis atque provinciis in honorem officiumque sanctorum auri atque argenti diversarumque rerum munera offerant, nos scripta hæc nostra, si vobis suffragantibus dignantur, offerimus; exposcens pro his intercessionem omnium delictorum, atque in posterum juge præsidium patronorum semper meorum. Me-

E mentote vos quoque nostri in conspectu Domini, sanctorum semper officiis inhærentes, domine sancte, & merito beatissime frater. »

Hæc sunt acta vera & sincera passionis martyrum Thebæorum a B. Eucherio Lugdunensi episcopo descripta, recentioris vero anonymi studio aliquando interpolata simul & deformata, quæ ideo integra hic loci retulimus, ut qui ea ad manum non habuerit facilius perspiciat æquus ac eruditus lector ab idoneis auctoribus testibusque fide dignis quæcumque in iis narrantur, mutuata fuisse. Aliqua jam ex iis consectaria, & illorum

Digitized by Google

ætati nostroque proposito valde accommodata expendenda nobis veniunt, quo firmetur hujus martyrii veritas & obtrectantium os obstruatur.

Ac 1.° quidem certum est Eucherium & Sylvium ætate, tempore, amicitia, moribus & vitæ instituto fuisse conjunctos. Eucherius scriptam a se martyrum Agaunensium passionem petit a Sylvio diœcesano episcopo, cui nuncupabat, approbari: & vicissim Sylvius laterculo suo quem [a] anno circiter 448 ediderat Eucherioque dicaverat, tanti viri suffragium apprecatur. S. Theodorus vel Theodulus, cujus meminit epistola Eucherii tanquam *viri temporis anterioris* per 40 annos Octodurensem seu Sedunensem ecclesiam rexit episcoporum Vallesiæ princeps, pervenitque ad ætatem provectissimam. Miraculis, doctrina, sanctitate morum & singulari, quo pollebat dono gentes ad Christi fidem pertrahendi celeberrimam sui memoriam reliquit. [b] Concilio Aquileiensi anno 381, & [c] synodo Mediolanensi 390 adfuit. Reliquias martyrum suorum insignioribus Galliarum præsulibus distribuit, ut colligitur ex lib. S. Victricii Rotomag. episcopi, *de laudibus sanctorum*, ubi ob receptas eidem grates agit. S. quoque Isaac ad quem Thebæorum historiam a S. Theodoro missam credimus, ecclesiæ Genevensis regimen suscepit sub episcopatus sancti Theodori finem, nempe circa annum 389 aut 390, & consequenter nihil vetat quominus duo ponamus, primum vixisse S. Isaac usque in annum 415; secundum S. Eucherium 17 post ejus mortem annis Genevam adeuntem easdem prorsus SS. Martyrum passionis circumstantias ab iis accepisse, ut ipse affirmat, qui S. Isaac recitantem sæpius audierant quæ a B. Theodoro fuerat edoctus. Addit Eucherius *alios ex diversis locis atque provinciis in honorem officiumque Sanctorum auri atque argenti diversarumque rerum munera obtulisse*, quo innuit Agaunum frequentasse sacros peregrinatores ante medium seculum quintum. Et sane legimus S. Romanum cum pluribus monachis sacrum hunc locum visitasse circa annum 450, & ex [d] vita S. Mathurini discimus S. Polycarpum Senonensem episcopum eodem ferme tempore in monasterio Agaunensi obiisse. Denique refert Eucherius *Sylvium sanctorum* Martyrum *officiis semper inhæsisse*, unde sequeretur ante S. Severinum qui monasterio jamjam stanti ab uno ferme seculo præfectus est anno 476 episcopos Vallesiæ abbatum munia exercuisse.

[a] Vide Bolland. in vit. Sanct. tom. I Jan. p. 44.

[b] Concil. Labb. t. II, p. 1.

[c] Ibid. pag. 1027.

[d] Bolland. t. II, Februar. p. 545.

Recte notat Baronius in Annalibus universas S. Eucherii epistolas periisse, ea excepta una, quæ quasi præfatio est actorum Agaunensium martyrum, quæ non alia de causa videtur aliarum sortem evasisse, quam quod actis ipsis, quæ diligentissime asservabantur indivisibilis adhæserit, eorumque semper velut portio reputata fuerit. Id unum expetebat Tillemontius ut in aliquo veteri martyrologio scriptum reperiretur sanctum Eucherium fuisse Lugdunensem episcopum, & ecce in exemplari Regio, n.° 5293, pag. 61, legitur: *incipit prologus B. Eucherii Lugdunensis episcopi in passione SS. Martyrum Thebæorum. Domino beatissimo, &c.* quod igitur in actis recentioribus a Surio & Baronio relatis primo loco ponatur epistola S. Eucherii, posteriori vero in veteribus & genuinis perinde esse debet, nullusque inde apud eruditos scrupulus oriri debet. Quantum enim prævaleant vetera quæ ope Chiffletii revixerunt, quæque ipsis fides debeatur, quam etiam bene conveniant cum iis quæ ineunte seculo quinto per ora omnium ferebantur, quantumque denique ab iis differant recentiora seu Suriana in multis & quidem præcipuis partibus facile ostendi potest.

Et sane S. Avitus Viennensis archiepiscopus qui anno 517 ecclesiam & monasterium Agaunense a Sigismundo rege aucta & refecta consecravit, ea de re homiliam habuit ad populum, quam SS. Martyrum historiam compendiariam ipse appellat, & cujus fragmentum servavit nobis Ruinartus in actis sinceris, pag. 238, in hæc verba. « Præconium felicis exercitus, in cujus congregatione beatissima nemo periit, dum nullus evasit, cum injustam SS. Martyrum mortem quasi fortis justitia judicaret, qua bis super aciem dispersa mansuetam, centuplex decimatis fructus adcresceret, & odio in proprium suffragante, eatenus eligerentur singuli, donec simul colligerentur electi, ex consuetudinis debito series lectæ passionis explicuit. » Titulus homiliæ sic se habet « dicta in basilica Sanctorum Agaunensium in innovatione monasterii ipsius vel passione martyrum. » Ibi plura occurrunt notatu digna, & quæ ex ipsissimis veteribus, id est Eucherianis actis descripta putes: 1.° martyrum numerus exercitus nomine designatus ingens esse debuit: 2.° milites erant: 3.° decimus quisque eorum gladio cæsus: 4.° iterum decimus eorum morti datus: 5.° licet arma tenerent, non restiterunt, quia mori quam occidere satius maluerunt: 6.° una sententia omnes omnino interfecti: 7.° jam erecta stabat in eorum honorem ecclesia, cum anno 515 reædificandam eam suscepit rex Sigismundus, si quidem ædes ab eo tantum refectæ dicuntur: 8.° ipsa Martyrum acta quæ Agauni legebantur anno 517, antiqua jam habita fuisse liquet ex sermone sancti Aviti, qui eorum recitationem non ad usum solum & morem, sed ad legem & debitum officium refert, unde verisimile videtur eadem fuisse quæ S. Eucherius collegerat & in Martyrum ecclesia deponenda curaverat.

Quid quod hanc conjecturam roborant adjuncta alia ex vita S. Romani excerpta, quæ quidem autographa visa est anonymo Genevensi, necnon Ruinarto & Tillemontio. Scriptam censent auctores historiæ litterariæ Gallicæ circa annum 490, a monacho Agaunensi tunc in monasterio Condatisconensi residente, qui quæ a S. Eugendo * aliisque testibus oculatis audiverat, retulit. In ea vero hæc ad rem nostram. « [e] Basilicam Sanctorum, imo ut ita dixerim, castra Martyrum in Agaunensium locum, sicut passionis ipsorum relatio digesta testatur, quæ sex millia sexcentos viros, non dicam ambire corpore in fabricis, sed nec ipso ut reor, campo illic potuit consepire, fidei ardore succensus deliberavit expetere. » Ex quibus quinque legimus ad nostram sententiam

* S. Oyan.

[e] Vita sanct. Bolland. t. III, Febr. p. 744.

aptissima: 1.° scriptor vitæ S. Romani ob oculos habebat acta illa passionis Martyrum Agaunensium, in quibus militum numerus 6600 non excedebat: 2.° extabat in honorem Martyrum templum populorum concursu frequentissimum circa annum 450, quo fere S. Romanus peregrinationem suam suscepit: 3.° multa Martyrum ossa e campo in id templum asportata fuerant: 4.° medio quinto seculo ex diversis locis ac provinciis ad Martyrum sepulchreta accurrebatur, in quo concordat vita S. Romani cum epistola S. Eucherii: 5.° illa ipsa Martyrum Thebæorum historia jam pridem digesta, gestorum relatione ac veritate reverenda tantam apud omnes fidem obtinebat anno 490, ut primigeniam, adeoque B. Theodori potius quam S. Eucherii genuinum fœtum autor vitæ S. Romani expressisse videatur. Quod si aliud instrumentum fors aliqua nobis objecerit unde hæc eliciantur, 1.um Maximianum hanc cædem jussisse: 2.um Agauni factam: 3.um milites interfectos Thebæos fuisse: 4.um in ipso universalis persecutionis initio Maximiani furorem in eos exarsisse: 5.um ante Maximiani Massiliam appulsum tam horrendæ tamque incredibilis stragis famam per totam Galliam percrebuisse, tunc omnia suppetent quæ ad actorum Eucherianorum integritatem & veracitatem morosiores critici possunt exigere. Porro ea nobis præsto sunt omnia in vita S. Victoris Massiliensis, quæ quantumvis adulterata, scripta tamen est, ut probant [a] editores hist. litt. Gall. vel sub finem quarti vel initio quinti seculi. Sic enim autor in ea fatur. « Maximianus enim cum pro Sanctorum sanguine quem » per totum orbem, crudelius aliis, maximeque » per totas Gallias *recentius* fuderat, & præcipue » *pro famosissima illa Thebæorum apud Agaunum* » *cæde*, nostrorum plurimis nimium terribilis factus, » Massiliam advenisset, ut secundum scripturam impius adhuc impie ageret, &c... » quæ vide in actis sinceris Veronæ editis an. 1731, p. 256, ubi occurret & veteris liturgiæ Gallicanæ testimonium desumptum scilicet ex missali Gothico-Gallicano quod ex veterrimo codice msf. ante annos 900 litteris quadratis exarato Josephus-Maria Thomasius & Johannes Mabillonius, lib 3 liturgiæ Gallicanæ ediderunt. In hoc enim missali, num. 64, habetur *missa beati Mauricii cum sociis suis*, in qua eorum historiæ narratio legitur ex nostro Eucherio desumpta, ut utrumque inter sese conferenti patebit ex præfatione, quæ ibi *immolatio missæ appellatur* & ibidem integra profertur pag. 239.

[a] *Hist. litt. t. II, p. 230.*

Jam vero testimonia hæc a nobis memorata tam bene conveniunt cum actis sub S. Eucherii nomine a Chiffletio editis, ut ipsissima esse quæ Agauni legebantur durante quinto seculo nullus videatur dubitandi locus. At eorum quæ Surius & Bollandus retulere non eadem est ratio. In veteribus enim designantur martyres simplici voce *Thebæorum*; in recentioribus appellatur *legio Thebæana & Thebaica*. Illa hujus martyrii epocham referunt ad initium generalis persecutionis, hæc illam prævertunt 17 annis ad tempora Bagaudicæ rebellionis. Eucheriana legionarios milites

A 6600, Suriana 6666 numerant, hancque insuper haud ambiguam novitatis notam præ se ferunt, quod quæ a Sigismundo rege anno 516 in monasterio Agaunensi primitus instituta fuit jugem psalmodiam seu laudem perennem dicant a longo tempore usitatam. Vera ergo & germana sancti Eucherii acta in monasterio Condatisconensi inventa fuisse nemo mirabitur, qui scierit illa ibidem a monacho S. Romani vitæ scriptore, eorumque postmodum, ut conjicimus, interpolatore visa & lecta fuisse.

Præterea Agaunum invisisse S. Eucherium, antequam martyrum historiam adornaret inde B colligimus quod *ab idoneis auctoribus rei veritatem quæsivisse se asserat*, & loci situm tanquam indigena & qui propriis conspexisset oculis, graphice describat. Cum autem Genevam laudat, quamvis Agauno 60 fermе millibus distantem, unde *hunc* quem refert *passionis ordinem* potissimum *cognoverit*, sat clare indicat consultos a se Vallesianos nil scriptum ea de re protulisse, solam traditionem memorasse & quo ad cætera Genevenses indigitasse. Quæsivit nimirum ex monachis acta martyrum, qui responderunt instrumenta omnia periisse in illa Vandalorum horribili deprædatione, in qua præter occisos S. Florentinum Vallesiæ C episcopum & S. Hilarium ejus diaconum universa monasterii bona, ædes, suppellex, chartæ cæteraque omnia funditus diruta direptaque fuerant, ut testantur Annales S. Mauritii ad annum 408; instanti vero monstrare potuerunt Genevam ubi inter codices S. Isaac occurrere poterat exemplar illud quod ad eum B. Theodorus direxerat [b] ea mente ut illud cum cæteris Galliarum præsulibus communicaret. His indiciis ductus Eucherius Lugdunum rediens, Genevam adierit, relationem exquisierit, eaque forte non inventa, quia parem ac Agaunenses Vandalorum furorem experti fuerant Genevenses, non omnem D tamen operam amisisse sibi visus fuerit, eo quod ex pluribus gravibus ac fide dignis personis didicerit, quæ ipsæ recenter audierant, cum SS. Martyrum passionem coram illis relegebat S. Isaac, qualem a B. Theodoro acceperat. Ea porro testimonia tam Genevensium quam Vallesianorum tam mire inter se cohærentia non sine magno lætitiæ sensu plenaque rei veritatis persuasione debuit B. Eucherius audire, ex iisque historiam passionis Martyrum Thebæorum concinnare.

[b] *Vide antiquissimam B. Theodori vitam in breviario Sedun.*

Restat ut quo tempore quove anno iter Agaunum fecerit S. Eucherius inquiramus, quæ res ob monumentorum penuriam in salebris E hæret. Episcopum jam tum fuisse constat ex *fratris* cognomine quo Sylvium appellat. Quidam ad infulas Lugdunenses assumptum autumant post annum 431, quo *Paræneticam epistolam de contemtu mundi & sæcularis philosophiæ ad Valerianum cognatum suum virum nobilissimum scripsit*. Verum ex ea nihil certi elicitur quo firmetur ejusmodi conjectura. Et sane si anno 441 Salonius jam Genevensis episcopus fuit, quis sibi persuadeat Eucherium ejus parentem, præstantissimorum sui ævi virorum, Paulini Nolensis, Honorati & Hilarii Arelatensium præsulum, Salviani, Claudii

Digitized by Google

Claudii Mamerti, Sidonii, Cassiani, &c. amicitia & elogio clarissimum, subtili ac sublimi ingenio, eminenti scientia eloquentia maxima summaque sanctitate percelebrem, paucis duntaxat ante filium annis e solitudine eductum ad episcopalem dignitatem fuisse promotum! In insulam Lero prope Lerinum cum uxore duobusque filiis circa annum 409 aut ad summum 412 secesserat, ut docent * scriptores coævi & suppares, & quidem teste Claudio Mamerto, *viridis tum ævi, maturus animi, terræ despuens, cœli appetens.* De hoc a nemine ambigitur. Cætera quæ ad præsentem quæstionem solvendam necessaria forent, silent plane autores, nec nisi ex Vallensium episcoporum historia lucem aliquam accipere possunt, non ex illa tamen quam anno 1744 in sua *Vallesia christiana* edidit doctissimus D. *Briguet* Sedunensis canonicus, quippe qui integrum ferme seculum quintum a recensione pontificum hujus ecclesiæ vacuum reliquit, sed ex pervetusto codice mf. abbatiæ Agaunensis, cujus exemplar vidimus & in quo ordine sequenti supplentur *S. Protasius, S. Theodorus, S. Florentinus, Mauricius, Sylvius, Dominicus, Theodorus II,* &c. Nec quemquam moveat quod ibi Protasius primum locum obtineat inter Vallenses, qui tamen anno 349 in Mediolanensem consecratus fuit, obiitque ex Ughellio anno 352. Sæpe enim in veteribus catalogis prior ordine recensetur metropolitanus a quo missus & institutus fuit primus alicujus ecclesiæ episcopus. Porro certum videtur a Protasio Mediolanensi missum & ordinatum fuisse primum Vallesiæ episcopum Theodorum, tum quia Vallesia pars fuit Italiæ quantum ad civilia saltem usque in annum 390, tum quod illis temporibus ad normam juris civilis sese habuit jurisdictio ecclesiastica. Ea propter hoc ipso anno 390 adfuit sanctus Theodorus primus Vallensis episcopus synodo Mediolanensi una cum aliis hujus metropoleos episcopis comprovincialibus. Quin & præsules Itali post concilium Aquileiense anni 381, cui similiter interfuerat Theodorus, scripta ad episcopos provinciarum Viennensis & Narbonensis epistola gratulantur, quod Proculum Massiliensem & Constantium Arausicanum, qui cleri Gallicani partes agerent, ad concilium miserint. An vero Theodorum tacuissent, si ad Viennensem metropolim pertinuissent alpes Pæninæ, aut intra Galliarum fines reputatæ? Id ipsum quoque insinuat epistola S. Ambrosii ad ecclesiam Vercellensem pastore destitutam, in qua provincias alias metropoli suæ subjectas, Liguriam, Æmiliam, Venetiam & cæteras Italiæ conterminas per suum quasque episcopum administratas asserit, una Vercellensi excepta. Porro septem ecclesiæ Mediolanensis suffraganeos ut habeamus ad Italiæ confinia recurramus necesse est, ubi tres occurrunt nobis provinciæ Rhætia, alpes Pæninæ & Graiæ, quarum duæ posteriores Mediolanensi metropoli paruerunt usque ad Burgundionum dominationem, ut ostendemus infra, quanquam ab Italico regimine multo ante distrahi potuerunt quoad res civiles. Ex his sequitur S. Theodorum ecclesiæ Vallensi præfuisse ab anno

* Vide hist. litter. Gal. t. II, p. 275.

S. Theodorus primus Vallesiæ episcopus.

A 352 usque ad 390 vel 391, nempe 38 aut 39 annis. S. Heliani præterea misit mf. codex quem post brevem præfecturam ab Arrianis expulsum & exulare coactum in insulam Ortæ * secessisse & ibidem sancte decessisse docent Annales Vallenses aliaque passim instrumenta. Huic successit S. Florentinus a B. Ambrosio ex monacho Aquileiensi Vallensis ecclesiæ regimini præfectus. Is ipse est fortasse quem in chronico ad annum 378 laudat Hieronymus. Pro fide catholica occubuit circa annum 408 in illa Vandalorum persecutione quam per Gallias transeuntes moverant. Florentinum excepit Mauricius qui [a] anno
B 419 a Bonifacio papa [b] delegatus fuit una cum Patroclo Arelatensi, Remigio Ebredunensi, Hilario Narbonensi, ac Severo Gratianopolitano, ad judicium causæ Maximi Valentinensis episcopi, quem præter alia crimina *clerus ac tota provincia Manichæorum caligine involutum arguebant.* Quo præcise anno obierit, incertum; demus autem per 24 spatium rexisse, quod si sequentium ratio habeatur, longiusculum videbitur, Sylvius anno 432 ipsi succedere debuit, qui quidem adhuc vigebat anno 448, quo scribebat opera, ut ex laterculo ejus apparet, qui hoc ipso anno prodiit, & [c] cujus, quod superest, fragmentum edidere
C Bollandiani. Quamdiu præfuerit Sylvius incompertum nobis est, at vivere desierat an. 462: nam hoc ipso anno [d] Hilarius papa episcopum alpium Pæninarum cum episcopis provinciarum Viennensis, Narbonensis & Lugdunensis delegavit ut judicarent motas inter metropolitanos Arelatensem ac Viennensem de primatu controversias: accepta autem eorum decisione alteram scripsit epistolam in qua singulos singillatim appellat, primo loco Viennenses, secundo Lugdunenses, tertio Narbonenses, & ultimo alpium Pæninarum præsulem quem Leontium vocat. Ergo tunc temporis Vallensem sedem obtinuit
D Leontius, quem cave confundas cum alio cognomine Foro-Juliensi Leontio, cujus successor Theodorus concilio Reiensi subscripsit an. 439. Leontium sequitur Protasius, quem ante an. 475 pontificium Vallesiæ pedum tenuisse inferius ostendemus. Neuter quidem in codice Agaunensi memoratur; at aliunde innotescunt, ut jam de Leontio probavimus. Post Protasium sedit Dominicus ab anno 490 usque ad 510, cui defuncto suffectus est Theodorus, a quo nos ad contextum a D. *Briguet* episcoporum ordinem referimus.

Diximus circa annum 432 inauguratum fuisse Sylvium Vallensem episcopum, & credimus cum
E * scriptoribus hist. litt. Gall. eamdem epocham S. Eucherii pontificatui posse aptari, si non aliquot annis anticipanda est. Sylvio videtur Eucherius itineris comes fuisse, cum primum Vallesiam subiit, hujus ecclesiæ clavum moderaturus, eaque occasione Agaunum visitavisse. Nullam ab eo de Thebæorum martyrio notitiam accepit, quantum ex ejus epistola conjicimus, quod argumento est recens fuisse advectum. Necessitudinem vero inierant ambo Lerini, ubi sub magisterio sancti Hilarii postmodum Arelatensis episcopi degebat Eucherius. Qui scripsit sancti hujus Metropolitani

S. Helias II.

* l'Isle d'Aorte.

S. Florentinus III.

[a] Mauricius IV.

[b] Concil. Lab. tom. II, pag. 1584.

Sylvius V.

[c] Tom. I Jan. pag. 44. & t. IV.

[d] Conc. Lab. t. III & IV. pagg. 1041. & 1044.

Leontius VI.

Protasius VII.

Dominicus VIII.

Theodorus IX.

* De Hist. lit. t. II, p. 275.

Digitized by Google

vitam docet nos [a] Honoratus Massiliensis ad ejus præceptiones & instiutiones excipiendas undique confluxisse viros scientia ac pietate conspicuos, inter quos Sylvium & Domnulum imperii quæstorem recenset. Quoniam vero sæpe partes aliorum metropolitanorum usurpavit S. Hilarius, [b] hoc Zozimi papæ privilegio munitus, quo Arelatensibus potestatem dabat per totam Viennensem provinciam ordinandi, quam prærogativam, licet [c] Bonifacius & Cœlestinus summi pontifices abrogaverint, ab ea tamen desistere noluit, in quo antecessoris sui S. Honorati, qui S. Jacobum Tarantasiensem episcopum consecraverat, vestigiis institit; idcirco putaveram aliquando a B. Hilario S. Sylvium Vallesiæ episcopum potuisse ordinari; at sententiam mutavi relegendo epistolam S. Eucherii scribentis ad Sylvium: *misi ad beatitudinem* tuam scriptam *nostrorum* martyrum passionem. Hic etenim loquendi modus nullum decet alium præter metropolitanum aut diœcesanum. Præterea Vallesiam neque Arelatensi neque Viennensi metropolibus tunc paruisse conficimus ex [d] judicio S. Leonis papæ an. 450 lato. Cum enim de primatu inter se disceptarent insignes illæ ecclesiæ, consultus idem summus pontifex standum rescripsit concilii Taurinensis sententiæ, ut vocant provisoriæ, qua sanciunt [e] patres an. circiter 397, ut, donec producantur nova instrumenta, ambo metroplitani jus suum exerceant in episcopos civitatibus suis propinquiores. Porro Viennæ quatuor tantum addicuntur episcopatus, Genevensis, Gratianopolitanus, Valentinensis & Tarantasiensis, omisso Vallensi, qui tamen Viennam multo propius Arelate contingit, quique quatuor aliis adjunctus fuisset, nisi ad alium metropolitanum pertinuisset. Viennam tamen metropolim agnovit post annum 513, quo [f] Symmachus papa judicium S. Leonis confirmavit quoad omnes suas partes. His rationibus moti verisimile putamus Lugdunensi metropoli a qua pendebat jam magna pars Sequanicæ provinciæ cum tota Helvetia adjudicatam fuisse Vallesiam, quo fere tempore ab Italia distracta Galliis unita fuit. Id etiam insinuat nobis epistola S. Eucherii. Proindeque valde probabile est S. Sylvio ad episcopatum suum proficiscenti circa annum 432 comitem se adjunxisse S. Eucherium, vel amici, vel metropolitani, aut etiam utriusque nomine, simulque martyrum Thebæorum sacras reliquias veneratum fuisse, quorum historiam aliquanto post conscripserit.

Jam martyrum nostrorum acta quæ apud Surium extant expendenda nobis veniunt. Eorum quidem auctoritate non egemus, quin & illa adversario nostro *du Bourdieu*, salva causæ nostræ integritate, possumus permittere. At cum ubique malitiose oggerat iisdem vitiis laborare & vetera & recentia, quod ipsum D. *de Bochat* fefellit, de illis pauca disserere non abs re erit. Præiverant *du Bourdieu*, peritiores ecclesiæ Romanæ critici hunc fœtum S. Eucherio abjudicantes, qui nihilominus valde probatur Tillemontio non solum quoad loca ex S. Eucherio desumpta, quæ bene multa sunt, verum & quoad alia auctoris propria.

[a] *Vide sancti Leonis opera a Quesnel. editi, t. I, p. 740.*

[b] *Conc. Labb. tom. II, pag. 1570.*

[c] *Ibidem, p. 1583 & 1613.*

[d] *Concil. Labb. t. III, p. 397.*

[e] *Ibid. t. IV, p. 1155.*

[f] *Ibid. t. IV, pag. 1309, epist. 9.*

Vitæ sanct. Bolland. tom. VII. p. 220.

Scriptum putat hoc opus vir scientissimus circa annum 650, eo quod in illo mentio fit Protasii Vallensis episcopi, qui unicus recensetur apud fratres Sammarthanos concilio Cabilonensi interfuisse circa medium seculum septimum. At alium qui Leontio successerit Protasium & Vallensem ecclesiam administraverit circa annum 470, auctor est ipse hujus operis scriptor. Refert enim Rhodani aquas, cum effluxissent & Agaunensem campum cumulassent, corpus sancti Innocentii martyris Thebæi revelasse ibidem tumulati, quo loco fuerant & ejus socii, eoque detecto visas fuisse stare; Gratum vero episcopum Augustanum & Gebennensem Domitianum a Protasio invitatos adfuisse elevationi sancti Martyris ejusque translationi in cœnobium Agaunense. Porro Gratus presbyter dumtaxat erat an. 451 aut 52, quo titulo subscripsit [g] synodo Mediolanensi nomine Eustachii episcopi sui; qui revera Eustachius debuit esse decrepitus, si idem est, qui alteri synodo Mediolanensi interfuerat anno 390. Sic Eustachii vitæ finis, Grati vero episcopi initium cadere poterunt in annum 452. Quæcumque in hunc absurda congessit Arnoldus Augustensis canonicus cum vitam ejus publicavit facillime confutarunt Bollandistæ: neque enim verisimile est S. Gratum ultra 480 superstitem fuisse. Notus nobis est Domitianus ex [h] inventa Genevæ seculo præcedenti inter rudera templi S. Victori dicati inscriptione qua docemur a Domitiano jacta fuisse hujus ædis fundamenta, quo tempore Gebennensi antistiti subditum erat quoad jus ecclesiasticum * Solodori castrum. Hæc porro ædes a S. Victore nuncupata est, cum sacrum ejus corpus e castro Solodoro in eam intulit Sedeuleba; quod quidem evenit non anno 502, ut vult Sponius, si quidem statim post patrui sui Godegesili cædem a Gondebaldo fratre perpetratam anno 500 Genevam reliquit Sedeuleba, sed quibusdam ante annis, quos etiam prævenire debuit templi structura. Ergo Domitiano suppar est S. Gratus; & quoniam supponi non potest detectum fuisse S. Innocentii corpus post annum 475, eo quod nulla fit hujus revelationis mentio in vita sancti Severini, qui anno sequenti creatus est Agaunensis abbas, quod quidem ob rei famam auctor vitæ non prætermisisset, inde concludendum tres præsules Gratum, Protasium & Domitianum Agauni potuisse sibi invicem occurrere intra annos 470 & 475.

Jam vero manifestum est huic epochæ non consentire martyrum historiam in qua de Sigismundo rege velut præsente sermo habetur. Sed & ex aliis circumstantiis, quarum meminit auctor, divinare nobis pronum est quo ferme tempore condita sit. Perseverabat, inquit, in ecclesia Agaunensi jugis diu noctuque a Sigismundo rege ibidem instituta psalmodia. Scribebat igitur ante Longobardorum irruptionem, a quibus anno 574 extrusi omnes monachi, occupatum monasterium & per plures dies devastatum, ut referunt [i] Marius ac [k] Gregorius Turon. Præterea meminit auctor refectæ & resartæ veteris ecclesiæ Agaunensis curante Ambrosio abbate quem vocat *beatum meritis*, quo nomine sæculo sexto denotabatur

[g] *Concil. Labb. t. III, p. 1335.*

[h] *Sponi hist. de Genève 1730, t. I, pag. 27.*

* Soleurre.

[i] *Rerum Gall. script. t. II, p. 18.*

[k] *Ibid. hist. lib. IV, cap. 62, p. 227.*

Digitized by Google

homo inter vivos degens. Porro duo fuere sancti Mauricii abbates cognomines, alter qui sancto Hymnemundo circa 520 suffectus est; alter vero, quo regente, monasterium, Longobardi Vallesiam invadentes, simul & regionem universam ea strage afflixerunt, de qua supra dicebamus. Nihil hic moror tertium Ambrosium itidem S. Mauricii abbatem de quo refert Mabillonius [a] legisse se in chronico monasterii Ebersheimensis ad annum 667, quod Deodato episcopo Nivernensi, qui monasterium ibidem ac monachos instituerat, concesserit S. Mauricii ejusque sociorum reliquias, quas in nova basilica reposuerit. Hunc enim actorum scriptor designare non potuit, sed nec secundum, ut pote qui Agaunensem campum eo modo describat quo ipse sanctus Eucherius, irriguos fontes commemorans, [b] qui anno 563 deciduæ rupis prolapsione penitus siccati sunt: quem casum non tacuisset auctor, si post eventum scripsisset. Denique ex [c] vita S. Mauri a Fausto ejus discipulo scripta discimus alio nomine fuisse vocatam martyrum legionem Thebaicam nempe, seu Thebaidam aut Thebæanam, quæ a sancto Eucherio simpliciter dicebatur Thebæorum, Thebæi seu Thebæa. Ex his omnibus verisimile nobis videtur factam hanc interpolationem circa annum 525, quo denuo ædificata est ecclesia a sancto Theodoro primitus constructa anno 352. Hic enim mos passim obtinuit sæculo sexto, ut in ædium sacrarum renovationibus dedicationibusque interpolarentur sanctorum vitæ. Nullus etiam dubito quin acta hæc sic adulterata parentem habeant anonymum monachum SS. abbatum Hymnemundi, Ambrosii & Achivi ante 530 demortui biographum. Illum prodit obscura & impedita phrasis, qua similiter utitur in vitis SS. Sigismundi & Eugendi. Condatescensis primum monachus S. Romani vitam adhuc juvenis adornavit, tum inter Agaunenses cooptatus circa 498 aut 500 S. Eugendi. Hanc ipse permutationem innuit his verbis, quibus Johannem & Armentarium monachos Agaunenses compellat: « [d] instituta, inquit, quæ de informatione » monasterii nostri, id est Agaunensis cœnobii » S. Marino presbytero insulæ Lirinensis abbate compellente, digessimus, &c.... » ubi *nostri* non vero *vestri*, ut, qua nescimus auctoritate motus emendavit Mabillonius, legi in melioris notæ codicibus mss. affirmat Bollandus; & sic legendum res ipsa probat. Cui enim bono ab abbate Lirinensi Agaunensis cœnobii *institutorum digerendorum* cura fuisset credita monacho Condatisconensi, qui ea multo minus callere debuit, quam ipsi Agaunenses cœnobitæ? Ostendunt præterea sermones quos cum Johanne & Armentario confert communem fuisse illorum habitationem, ut legentibus patebit: ac denique quod jam observaverat in vita sancti Romani *Acaunum* gallice saxum seu petram sonare, id ipsum repetit in sua interpolatione. Fatendum tamen anonymum illum turpiter peccasse in computandis & assignandis temporibus, quippe qui Thebæos milites sacramento confirmationis inunctos vult Romæ a papa Marcellino, cujus

[a] Annal. t. 1, lib. XV, pag. 488.

[b] Rerum Gall. script. t. 11, p. 17.

[c] Vide acta SS. ord. Ben. sec. 1, p. 285.

[d] Ibid. pag. 576.

A initium pontificatus cadit in annum 296 aut 298, quos in Vallesia trucidatos asserit anno 286, quando Maximianus in Gallias venit Bagaudicam rebellionem ulturus. Hoc si exceperis plura continet ista interpolatio scitu digna & quæ ad historiam temporum illorum non modicam lucem conferant.

Diximus vetera martyrum Agaunensium acta scripta fuisse circa annum 432 a B. Eucherio Lugdunensi episcopo. Sacrum eorum sanguinem in martyrio fusum fuisse anno 302 ostendit doctissimus D. de Rivas jam citatus in fastis imperatorum Diocletiani & Maximiani, quem B videsis ibidem. Revera facti, quod non commendasset singularis raritas, obscurationi seu etiam oblivioni plus satis fuisset spatium 130 annorum; at fatendum simul non potuisse integram legionem religioni mactari, quin christianorum animis tam alte insideret rei memoria, ut ad plures generationes, imo ad sextam usque facile perveniret: maxime cum ossa martyrum in eo templo fuerint reposita quod propter viam publicam qua e Galliis commeabatur in Italiam, exstruxerat B. Theodorus. Ipsissima pensemus verba quæ adhibet S. Eucherius in prœmio. « Sanctorum, inquit, passionem martyrum, qui Acaunum glorioso « C sanguine inlustrant, pro honore gestorum, stylo « explicamus, ea utique fide, qua ad nos martyrii « ordo pervenit: nam per succedentium relationem, « rei gestæ memoriam nondum intercepit oblivio. » Ergo rem gestam, prout viderant, junioribus narraverant seniores; neque, ut nobis persuadeamus id potuisse scire B. pontificem ex illorum relatione qui testes oculatos audiverant, necesse habemus ad illos pene incredibiles annos confugere, ad quorum modulum vitam multorum Vallesanorum jure ac merito metitur Josias Simlerus. Quippe facillimum illi fuit plures interrogare nonagerarios, qui totidem octogenarios septuaginta ante annis D millies audierant hanc historiam referentes, quam in juventute sua, vicesimo nempe ætatis anno, propriis oculis viderant. Uno verbo non potuit S. Eucherius falli aut fallere circa illustre notumque omnibus factum, quale est quod refert « Acaunensium martyrum corpora post multos passionis « annos S. Theodoro ejusdem loci episcopo reve- « lata fuisse, in quorum honorem cum exstrueretur « basilica, &c. &c. » Ad hanc igitur fundationem, cujus epocha nobis quærenda venit, ea certitudine recurrimus, qua major dari nequit.

S. Theodorus, ut supra dictum est, a B. Protasio Mediolanensi inauguratus fuit anno 351 E aut 352, quo tempore intra fines Italiæ censebantur alpes Peninæ, seu Vallesia. Porro hæc nobis argumenta subministrat historia metropoleos Mediolanensis. Constat Dionysium successorem Protasii tam dire fuisse vexatum ab Arrianis eorumque duce Constantio imperatore, qui diu Mediolani substitit, ut nedum Vallensem episcopatum erigere potuerit, ne quidem ipsi exulare coacto anno 355 liberum fuerit vacantes in Italia sedes supplere: cum autem ex sententia B. Theodori in concilio Aquileiensi, cui adfuit, relata, clarum sit habitum semper fuisse sanctum

præsulem velut orthodoxæ fidei firmissimum A propugnaculum, nemini in mentem veniet ab Auxentio famosissimo Ariano, qui Dionysii sedem invaserat, fuisse promotum; aliunde vero in D. Ambrosium cadere nequit hæc nominatio: nam in eodem concilio Aquileiensi septimo loco subscribit B. Theodorus, scilicet post metropolitanorum nomina, qui nulla antiquitatis ordinationis habita ratione cæteris præstabant episcopis, prioresque chirographum suum apponebant. Igitur antiquior erat in episcopatu Theodorus, ut a B. Ambrosio consecrari potuerit; ergo non post annum 352 episcopus renunciatus est a B. Protasio. Hoc autem ipso anno credimus constructam B martyrum Thebæorum basilicam, quod quidem constabit si ad id miraculi attenderimus quod refert B. Eucherius. « Accidit, inquit, ut inter » reliquos artifices, qui invitati convenisse ad illud » opus videbantur, quidam adesset faber, quem » adhuc gentilem esse constaret. Hic cum Dominico » die, quo cæteri ad exspectanda illius diei festa dicesserant, in fabrica solus substitisset, &c... » Quis putet his temporibus fabrum hunc inter christianos medium sacram Domino diem temerare ausum fuisse, nisi abrogata fuisset lex a Constantino M. anno 321 lata, qua ipsis etiam gentilibus Dominico die vetabatur manuum C labori operam dare? Atqui bis tantum vivente Theodoro vacationem passa est lex illa, sub Magnentio quidem, cum Gallias Italiamque invadens anno 351 [a] omnia gentilibus ipsaque nocturna sacrificia libera permisit, quo a Constantio anno 353 devicto, quidquid in gentilitatis gratiam licuerat, rescissum. Porro intra id temporis condita videtur martyrum basilica; quamquam enim ab anno 361 usque in annum 363 nihil non egerit Julianus Apostata ut idolis cultum & priscos honores restitueret, ad ejus tamen tempora differri nequit hæc fabrica, tum quia imperator ille, qui, militibus exceptis, in quos D inexorabilis semper fuit, ut testantur acta sancti Bononis, in cæteros christianos mansuetudinem affectavit, numquam esset passus eorum se vidente aut sciente apotheosim fieri, quos ab avo suo ut rebelles justoque damnatos supplicio existimabat; tum etiam quod eo inscio non fuisset impune positum tale tropæum in loco patenti & exercituum itineribus frequentissimo. Restat igitur ut Agaunensis basilica in honorem Thebæorum martyrum erecta sit annis post eorum passionem circiter 50. Ibi debito honore culti sunt ab innumeris testibus oculatis, penes quos erat passionis eorum conscientia & ad nos usque E transmissa est, quam proinde nulli bona fide agenti in dubium revocare licet.

[a] Vide Tillemont. hist. imperat. t. IV. p. 353.

Sed & ex templorum multitudine quæ in eorum maximeque S. Mauricii honorem passim consecrata sunt vel primoribus ecclesiæ seculis, celeberrimi apud omnes eorum cultus veritas asseritur. [b] Vesontione unum a S. Sylvestro circa medium quartum seculum exstructum est. Item Viennæ eodem ferme tempore, & alibi diversa, inter quæ potissimum eminent insignes basilicæ Turonensis & Andegavensis in honorem sancti Mauricii a B. Martino circa annum 390 consecratæ, ut fert illarum historia in Martyrologio Turonensi relata apud Johannem Maanum, p. 12, in hunc ferme modum. Cum B. Martinus formam templi interiorem quod ejus decessor S. Lidorius construxerat, exteriori intacta ob gentilium metum, in melius mutasset, sacrasque martyrum Agaunensium reliquias accepisset, partem quidem dedit ecclesiæ Andegavensi, quæ ab illo tempore S. Mauricii titulo insignita est, partem vero alteram in propria ecclesia sua reposuit, quam sub ejusdem S. martyris invocationem simul dedicavit IV idus Maii. Quod si levioris fidei quibusdam videbitur hujus martyrologii auctoritas, robur poterit mutuari ex alio facto quicum intimam habet connexionem. Refert si quidem sanctus Paulinus a Gregorio Turonensi laudatus inventa fuisse a B. Ambrosio corpora SS. Gervasii & Protasii (anno 386 ex Prosperi chronico) partesque illorum ab eodem missas fuisse ad S. Martinum cæterosque Galliarum illustriores episcopos inter quos recensetur S. Victricius Rotomagensis, qui ea de re librum edidit de laudibus Sanctorum, quem promulgavit doctissimus D. *le Bœuf* ex ms. codice percelebris abbatiæ S. Galli, cui mille & plus annos vetustatis adscribit. Porro affirmat ibidem S. Victricius, pag. 18, se has reliquias suscepisse ex legato D. Ambrosii presbytero Carione, statimque effluit in gratiarum actiones ob martyrum suorum sacras exuvias, quas Theodulus & Eustachius episcopi fasciculo Ambrosiano addiderant. Ibi veros & germanos videmus Vallesiæ & Augustæ Salassiorum præsules apud quos diversari debuit Cario Turones eundo indeque Rotomagum. Nec obstat quod Theodulus dicatur qui Vallesiæ præerat, cum ita varient exemplaria, ut quo nomine appellandus sit Theodorus an Theodulus in medio reliquerint Bollandiani. Id unum compertum habemus vivente D. Ambrosio unum Vallesiæ episcopum in Occidentalibus plagis eo nomine vocatum fuisse. Quem enim memorat [c] S. Paulinus in vita S. Ambrosii notarium Theodulum, is post obitum dumtaxat S. Doctoris creatus est episcopus Mutinensis. Jam vero si Theodorus aut Theodulus martyrum Thebæorum reliquias S. Victricio donavit, quem nomine tenus noverat, quanto magis & B. Martino, quem viderat apud Helvetios fidem Christi annuntiantem? Quod igitur in martyrologio Turonensi legitur ex S. Victricii sermone fidem accipit. Id ipsum præterea confirmat [d] Gregorius Turon. dum ait tempore Euphronii, cui successit, basilicam S. Martini incendio esse adustam, « quam reædificatam in ampliori altiorique fastigio 17 ordinationis suæ anno dedicaverit ipse, « & in qua, inquit, sicut a longævis presbyteris « comperi, beatorum ibidem reliquiæ Agaunensium « ab antiquis fuerant collocatæ, &c... » Ex qua narratione conficimus basilicam a B. Martino dedicatam, de qua Gregorius mentionem ingerit, sub tutela S. Mauricii fuisse positam, ejusque nomen retinuisse usque in annum 1096, quo S. Gatiani primi Turonum episcopi titulum

[b] Vide Paulin. Nol. epist. 32 ad Sulp. Sev. t. I, p. 204. Item in vita S. Ambros.

Vide Gervasium in vita S. Martini, p. 218.

[c] Edit. Basil. t. I, in cap. libri.

[d] Greg. Tur. hist. Franc. lib. X, col. 535 & 536.

Digitized by Google

fortita eft. Eamdem quoque S. Mauricio facram permanfiffe teftis eft [a] Ermoldus Nigelli, qui fcribebat nono feculo, eamque fub hoc nomine prædicat, ut infignem fplendidamque ædem. Alteram demum ædificavit S. Germanus epifcopus Autiffiodorenfis circa annum 419, quam magnifice dotavit, ut colligimus ex hiftoria ecclefiæ Autiffiodor. a duobus monachis fcripta, durante nono feculo. Quæ enim fedulo recenfent prædia, molendina, aquarum fluxus, &c... quæ huic ex patrimonio fuo cefferat B. Antiftes fatis oftendunt a duobus his fcriptoribus vifum & defcriptum fuiffe ipfum fundationis autographum inftrumentum. Quin & conjici poteft datas ab eodem S. epifcopo martyrum noftrorum reliquias ecclefiæ * Nemptodorenfi, quæ hodiedum fancti Mauricii titulo gaudet.

[a] Vide rer. Italic. fcript. t. II, p. 2.

* Nanterre

Agaunenfe cœnobium.

Verum ex omnibus quæ in martyrum Thebæorum decus & honorem erecta funt monumentis nullum eo fplendore fulget quo infigniffima abbatia Agaunenfis, cui poftmodum, nempe feculo nono S. Mauricii nomen inditum eft, quod etiamnum fervat. Hujus originem, incrementa & inclinationis caufas paucis attingemus. Ortum debet pluribus convenis qui folitariam vitam acturi fecefferant ad radices præaltæ hujus rupis qua terminatur ager, in quo fepulti fuerunt Thebæi. Ager ille Tarnada feu Tarnadenfis ante 380 dicebatur, donec Agaunum & poftea fancti Mauricii dictus eft. Aucto folitariorum numero ex piorum peregrinatorum frequentia, qui ad martyrum fepulchra undique affluebant, eorumque tranquillitate turbata, vifum eft B. Theodoro Vallenfi epifcopo disjunctos conjungere fub eodem tecto eodemque moderatore, ut ita laudes martyrum unanimes celebrarent. Nullus nobis ante S. Severinum innotefcit Agaunenfis abbas. Cum igitur Sylvium exhibeat B. Eucherius tanquam *fanctorum officiis femper inhærentem*, verifimile putamus ad epifcopos Vallefiæ fpectaffe cœnobii regimen ac prælationem, qui quidem licet Octoduri modo, modo Seduni fediffe legantur, poterant frequentibus additionibus aut commorationibus monafterii rebus providere.

Quonam vero tempore in unum coaluerint folitarii cœnobiumque jam conftitutum incoluerint definire in promtu non eft. Id unum liquet ante 384, imo jam an. 375 fletiffe monafterium. Prior enim regula, quocumque nomine aut Tarnadæ aut Tarnatenfis vocetur in ufu erat ante & etiam poft mutatum loci nomen in Agaunum. Quærendum itaque quandonam facta fit mutatio illa, & quidem ex temporis illius geographis. Porro ex Antonini itinerario & tabula Theodofiana circa annum 380 defcripta Tarnadæ ab Octoduro duodecim mille paffibus, ab extremo Lemano lacu, ubi olim *Penne lacus* quatuordecim mille diftabant. Infpicientibus autem jam partem lacus arenis cumulatam quas Rhodanus ab anno 432 jugiter fecum volvit, comparantibufque intervalla a *Penne lacu* Tarnadas & * Bibifcum ufque, manifeftum erit a lacu aliquando totum illum campum qui defcendit a Renna & Germaniæ leucam continet allutum fuiffe. Similia prorfus

* Vevey.

A intervalla Agaunum inter & Octodurum ac lacus Lemani caput affignant B. Eucherius loci fitum defcribens & [b] monachus Agaunenfis in multis exemplaribus mff. Tarnada igitur, Agaunum & S. Mauricius unus idemque locus funt, qui varia fucceffive nomina fortitus eft. Sufceptas B. Martinus Thebæorum reliquias, circa annum 388 infcripfit [c] *reliquias martyrum Agaunenfium*; unde verifimiliter conjici poteft intra annos 380 & 388, nempe anno 384 Tarnadam in Agaunum converfam fuiffe. Sub idem ferme tempus divus Ambrofius per Vallefiam iter faciebat Treviros tendens ut a Maximo tyranno peteret interfecti B corpus imperatoris Gratiani; cumque effet Vallefiæ metropolitanus aliquas leges novas & quædam ftatuta potuit dictare monachis, quo factum poftea fuerit, ut a nonnullis primus abbas Agaunenfis crederetur quidam S. Ambrofius. Sed & partes aliquas in illa nominum mutatione egiffe S. doctorem non abfurde dicetur, maxime fi ad illud attendatur quod ipfe obfervat in epiftola LXX.[a] his verbis: « unde hodie quoque Agon loco nomen eft, quod ibi Samfon gloriofum certamen virtute egregia confummaverit. » Quid enim vetat quominus eamdem vocem ad rem apprime ac-C commodatam deinceps ufurpari voluerit, ut fignificantius apud omnes innotefcere poffet locus ille in quo de impiis ac trucibus Maximiani juffis tam felici & gloriofo martyrio triumphaverant milites Thebæi? Docet præterea Feftus *Agonia* latine victimam fonare qua diis litabant imperatores ante fufcipiendam quamlibet expeditionem. Quamobrem *Agaunum* dici potuit locus, in quo tot cæfæ funt victimæ, quando maxime adverfus chrifticolas fævitum eft. Quod fi vocis etymon quæramus apud Græcos, itidem martyribus noftris favebit. *Agon* enim certamen feu luctam fonat. Apud Hieronymum cæterofque fere omnes fcrip-D tores ecclefiafticos *Agones* martyrum & certamina martyrum fynonima funt. Probabiliter ergo martyrum noftrorum paffioni & celebritati debetur ifta nominum inverfio, non rupium enormitati quibus abundat regio, quantumvis dicat anonymus monachus *Acaunum*, unde poftea *Agaunum* in veteri lingua gallica petram feu faxum fignificaffe.

[b] Vide Surium t. VII, pag. 220.

[c] Greg. Tur. lib. X, cap. 536.

Nimio gravati onere præfules Vallenfes ob diœcefeos fimul ac monafterii regimen jus monachis remiferunt abbatem fibi præficiendi, qui anno 476 B. Severinum canonice elegerunt. Hujus vitam texuit Bollandus ex [d] actis interpolatis, quæ jubente Magno feu Magnone Seno-E nenfi epifcopo anno 818 retractata fuere. Illorum apographum vix reperias in antiquioribus martyrologiis. Unicum extat exemplar in Bibliothecæ regiæ codice notato 5324. & alterum in noftra Sangermanenfi regio prorfus fimile, ex quo [e] vitam S. abbatis edidit Mabillonius, qualis a Faufto ejus difcipulo confcripta fuerat. Nihil hac Faufti lucubratione fide dignius, quippe qui jubente Childeberto rege Chlodovæi filio magiftri fui vitam & gefta fcripferit, cujus per 30 annos difcipulus & comes individuus fuerat. Duo tamen contra opponit [f] Mabillonius, ut actorum illorum auctoritatem elevet, fed fruftra: nam illum

[d] Vit. SS. Febr. t. II, p. 546.

[e] Vide t. I Act. SS. ord. S. Ben. pag. 568 & feq.

[f] Annal. t. I, lib. I, p. 28.

Digitized by Google

revincunt Hist. Litt. editores, sanctumque Seve- A
rinum seculo quinto vixisse, Agaunensibus monachis præfuisse & ejus vitæ a Fausto discipulo editæ fidem habendam esse pluribus * ostendunt. In ea summatim narrat Faustus quo pacto Chlodovæus ægrotans Severinum accersiverit. Discessurus Severinus suis mortem suam prædicit. Nivernum ingressus Euladium episcopum Nivernensem sanat. Parisiis leprosum osculo curat. Chlodovæum imposita casula sanitati restituit, aliosque plures languidos ibidem reficit. Castrum-Nantonis postea repetit ibi sepeliendus. Moriturus Faustum & Vitalem monachos suos commendat. Childebertus ecclesiam in ejus honorem erigit B
& vitam ejus a Fausto discipulo scribi jubet. Ex his omnibus consequens est substitisse monasterium Agaunense ante annum 515 seu ante consulatum Florentii & Anthemii, quibus consulibus « Monasterium Acauno a rege Sigismundo constructum » Marius Aventicensis scribit, quod de instauratione procul dubio explicandum est. Istud porro cœnobium ad privatam institutum regulam, prout ex vita S. Eugendi colligitur & jam observavimus a monachis Benedictinis aliquando ad canonicos seculares & postea regulares Augustinianos devolutum est, curante Amedeo Sabaudiæ comite anno 1128. C

* T. III, p. 113.

Verisimillimum quoque nobis videtur absente sancto Severino & ad curandum Chlodovæum profecto sanctum Marinum abbatem Lirinensem Agaunum visitasse, tuncque a monacho anonymo qui jam ibi degebat exegisse, ut *instituta illa de informatione monasterii Agaunensis digereret*, de quibus [b] mentio fit in vita S. Eugendi, & quorum lectionem commendat idem anonymus fratribus suis Johanni & Armentario itidem Agaunensibus monachis, [c] *ut fidei*, inquit, *fervorisque vestri sitim reficiatis.* Quam autem *refectionem* ex nuda simplicique regulæ suæ lectione quam apprime callebant capere potuissent D
duo illi monachi, si, ut quibusdam visum est, ad hoc tempus referenda est regulæ Tarnatensis origo? Necesse igitur est ut *instituta illa* interpretemur cum Hist. Litt. scriptoribus, aut præfationem aut commentarium aliquem in regulam jam usitatam; sicque explicabitur qua ratione vetus regula Tarnatensis, quæ jam pridem vigebat in monasterio, nata dicatur anno 506, quæ hoc ipso anno dumtaxat commentariis aut præfatione illustrata est. Ad hæc etiam tempora revocandum censemus S. Marinum de cujus ætate non bene convenit apud Wincentium Barralem, Mabillonium, Bollandistas nosque ipsos, t. III Gall. nostræ christ. col. 1192. Certumque nobis videtur E
Porcarium inter, qui episcopus creatus est an. 492, & Honoratum qui monasterii administrationem auspicatus est circa 507 locum ipsi assignandum. Hæc omnia mire concordabunt cum Anonymi ævo, qui Condatescensis monachus circa annum 500 tempore mortis S. Eugendi, ut recte annotavit Bollandus, Agaunense cœnobium paulo post subiit, in quo vitam S. hujus abbatis scripsit, & B. Achivo abbati qui obiisse videtur circa annum 526 aut 527 superstes fuit.

[b] Vide acta SS. Ord. S. Ben. tom. I, p. 576.

[c] Ibid.

Faustus Agaunum reversus post obitum sancti Severini testamentum ejus fratribus obtulit in quo S. abbas scripserat, *commendo vobis memoriam meam, commendo vobis dilectissimum fratrem meum Faustum presbyterum, qui mihi annos XXX in afflicto corpore deservivit.* Unde in ejus locum a fratribus suffectus est. Cætera quæ ad eum spectant nobis incomperta, nisi quod eo monasterium regente, credimus S. Sigismundum errores Arianos ejurasse, docente in primis & suadente B. Avito Viennensi præsule, qui & datam occasionem captavit, ut principem recens conversum ad aliquod memorabile factum in gratiam catholicæ fidei impelleret. Eum jam assumpserat pater Gondebaldus in regalis potentiæ societatem, ex quo illi jus & facultas consultis a B. antistite facta conjungere. Ergo studium suum in fidem veram manifestare cupiens religiosissimus princeps de celebranda magnificentiori apparatu martyrum Thebæorum [illegible] ioria cogitavit, ideoque novi cœnobii [illegible] 515 fundamenta jecit, cujus splendore & amplitudine obscurandam volebat veteris dignitatem; quodque non nisi post mortem Gondebaldi patris, id est anno sequenti perfectum est. Tunc enim convocatis Agauni sexaginta episcopis totidemque comitibus ab eis consilium Charta I; col. 421.
petiit de dotando, instituendo stabiliendoque in perpetuum monasterio. Ibi præfinita est monachis regula nova, eorumque numerus ad 500 auctus, qui in quinque *normas* seu turmas divisi sunt, *constitutumque eis officium psallendi die noctuque indesinenter in ecclesia martyrum.* Prima turma ex veteribus Agaunensibus coaluit. Quatuor vero aliæ ex monasteriis Grevenci, Barbarensi seu insulæ Barbaræ, Jurensi & Lirinensi accitæ. Quæ vocabula adeo barbare redduntur in editis a Sammarthanis fratribus Concilii Agaunensis actis, ut vix nosci queant. Ad exsequendam autem jugis illius modulationis institutionem, simul ut ab omni manuum opere vacarent monachi, amplissimas possessiones novo monasterio, & prout regia magnificentia dignum erat Sigismundus rex assignavit. Quantum ad basilicam quæ anno dumtaxat 517 absoluta est, hujus consecrationem in se recepit S. Avitus Viennensis tanquam metropolitanus; quam etiam celebravit 22 Septembris ejusdem anni. Quod ut intelligatur sciendum absque interpellatione possedisse Burgundionum reges civitatem Augustensem totamque Vallesiam, quæ jamjam vi occupaverat Gondebaldus ab anno 490, ex quo Sigismundus filiam Theodorici Italorum regis in uxorem duxit: quod quidem quo præcise anno factum sit, ignoramus: sed & supra observavimus hunc morem tenuisse Burgundionum reges ut metropolibus ditioni suæ subjectis episcopatus omnes annecterent quos dominio suo acquirebant. Itaque Vallesia ipso ineunte seculo sexto a Lugdunensi metropoli avulsa Viennensi adjudicata est. Nec obstat quod anno 513 Symmachus papa sententiam ferens de discidio Arelatensem inter & Viennensem siluit Vallesiæ episcopum, ut neutri subjectum. Inde enim hoc unum consequeretur non semper probatum fuisse summis pontificibus, ut principes

Digitized by Google

ordinem interverterent, qui in ecclesiasticis metropolibus erat constitutus.

De S. Aviti homilia quam ipso dedicationis die habuit ad populum in basilica SS. Agaunensium *in innovatione monasterii ipsius*, ut ipse loquitur, jam alibi diximus. Hanc autem ut solemniorem redderet S. pontifex comprovincialium episcoporum synodum Epaonæ coegit, unde facile nulloque labore Agaunum tendere poterant patres. Quænam fuerit illa Epaona seu Epona, & ubi sita quæritur. Sed haud longe Agauno distare debuit, ut ex proximitate liquet dierum adscriptorum tam concilio quam dedicationi. Etenim S. Avitus diem 15 Sept. quæ B feria sexta erat, Anastasio & Agapito consulibus, nempe anno 517 episcopis assignat, quo debeant Eponam convenire. Demus sabbato quievisse præsules ex itinere fessos, dominica orationi vacasse, tres quatuorve sequentes dies condendis discutiendisque 40 canonibus vix sufficisse videbuntur. Feria quinta B. Matthæo sacra erat, & postero die dedicata fuit basilica, præsentibus universis synodi patribus. Perperam igitur *Etanna prope Rhodanum, aliusve locus Viennæ contiguus Epona illa reputaretur, ut quidam volunt, si quidem longior fuisset via & defuisset tempus, ut adesset B. Avitus dedicationi, ad quam aliunde quædam necessario apparanda erant. Ea de re dissertationem edidit vir eruditus D. Sebastianus *Briguet* canonicus Sedunensis & Vallesiæ christianæ, seu diœcesis Sedunensis historiæ sacræ autor, in qua ostendit Epaunam hunc ipsum fuisse vicum montis ruina anno 563 oppressum, cujus jam meminimus. Opinionem suam multis undequaque congestis argumentis firmat, eoque, nostro quidem judicio potiori quod ex veteri S. Sigismundi officio eruit. Hoc se exscripsisse testatur R. P. Sigismundus Capucinus ex ms. missali ecclesiæ parœcialis S. Mauricii vetustate ad partem dimidiam detrito, in quo hoc legebatur fragmentum: « regnum a tenebris infidelitatis ad D » lumen sanctæ fidei omni studio, vigilantia ac « sollicitudine patrum concilii Eponensis Agaunorum perduxit » quæ quidem probant aliquam fuisse in Vallesia Eponam a cæteris aliarum regionum vicis cognominibus distinctam, quæ *Epona Agaunorum* dicebatur, & ubi celebrata fuerit Synodus Eponensis.

* Yenne.

Atque hæc sunt fere præcipua momenta quibus innititur & veritas martyrii Thebæorum & monasterii Agaunensis antiquitas. Plura omisimus brevitatis causa, & quia instituti nostri ratio non patitur, ut longius excurramus: cæterum ex iis quæ protulimus poterit æstimare æquus rerum E arbiter cui magis debeat adstipulari, ministrone *du Bourdieu* ejusque assensoribus, a quibus hoc Thebæorum martyrium rejicitur, tanquam superioris ætatis commentum, eo potissimum obtentu, quod fidem excedere videatur tot militum millia, viros alias manu strenuos, sub casside & clypeo atque in acie ferri versari solitos, abjectis armis elegisse mori, cum non una, sed plures eis paterent viæ sese morti eripiendi; an vero nobis, qui præter constantem omnium populorum ac

A seculorum perpetuamque traditionem, acta tot & instrumenta fide digna proponimus in ejus defensionem? Itaque non arbitramur diutius immorandum quærendis in re liquidissima comprobandæ veritatis argumentis tot jam veterum scriptorum testimonio roboratæ, quos inter eminent Eucherius Lugdun. Gregorius Turon. Venantius Fortunatus, Victor Massiliensis, & Avitus Viennensis in homilia quam in ipsa SS. Agaunensium basilica pronuntiavit an. 517, & quidem *ex consuetudinis debito*, ut ipse asseruit, ex quo liquet diu ante illos annos festivam fuisse SS. Thebæorum memoriam. Sed & Johannis *du Bourdieu*, aliorumque adversariorum argumenta opinamur ex supradictis abunde confutata. Qui autem plura desideraverit adeat domnum Josephum *de l'Isle* toto libro cui titulus est, *défense du martyre de la légion Thébaine*, Sebastianum *Briguet* in sua Vallesia christiana a pag. 26 ad 43, & maxime doctissimum D. *de Rivas*, si quando publici juris faciat opus a nobis citatum sub hoc titulo: *Eclaircissemens sur le martyre de la légion Thébéenne*, &c... Ibi novam sibique propriam conjecturam proponit circa annum quo passi sunt Thebæi, quam optimis quidem, sed quas minutatim persequi longius foret, C probationibus suffulcit. Cum enim eruditos inter ac peritissimos quosque chronographos magna semper fuerit opinionum varietas in assignanda illa epocha, aliis pro hoc, aliis pro illo anno stantibus, qui sagaciori præ cæteris examine rem disquisisse videbantur Labbeus, Ruinartus, Tillemontius & Bailletus in unam hanc abierant sententiam videlicet Thæbeorum martyrium referri convenientius ad annum 286, quo Maximianus in Imperii consortium assumptus exercitum eduxit in expeditionem adversus Amandum & Ælianum Bagaudarum primipilos. Ast aliis rationibus veterumque scriptorum testimoniis motus eruditus ille Vallesianus quæstionem denuo expendens probat ipsum annum 302, quo fervere cœpit generalis adversus quemlibet christianum persecutio, posthabitis cæteris epochis huic cruentissimo martyrio assignandum esse, quem videsis in ipso opere. Nunc ad historiam Agaunensis monasterii, unde digressi fueramus redeundum.

Constructa basilica, cœnobioque largissimo censu ditato Sigismundus rex & patres concilii Agaunensis B. Hymnemundum regimini præfecerunt, quem quidam primum monasterii abbatem nuncupant, quod quidem a restauratione intelligendum est. Huic successit S. Ambrosius, qui vetustam ædem martyrum, quæ uno tantum latere rupi incumbebat, utroque applicuit. Eo regente Sigismundus, mortua uxore Ostrogotha Theoderici Ostrogothorum & Italorum regis filia Sigifrici seu Sigerici matre, aliam conjugem duxit, quæ novercali odio privignum prosequens, Sigericum falso parricidii crimine in secreto apud Sigismundum insimulat, tanquam is adolescens prava cupiditate incensus, parente trucidato, Burgundiæ principatum invadere voluisset, quamobrem cum certa esse putaret, quæ a conjuge malefida crimina confingebantur, Sigericum

Digitized by Google

somno ac vino sopitum crudeliter jussit enecari, immissis qui innocentem strangularent anno salutis 522, uti asserit Marius in chronico. Sed postquam facti immanitatem advertit, quem vivum falsis novercæ suggestionibus oderat, interfectum mox lugubri fletu dolere cœpit, ac multum lamentatus factique pœnitens Agaunum secessit, ubi per multos dies paternum dolorem solari conatus est. Hoc secessu simul & nece sui principis exasperati Burgundiones Chlodomiro Aurelianorum regi sese dediderunt. Egressus e monasterio Sigismundus ut vim vi repelleret, prælio decertat cum Francis a quibus victus Agaunum vix potuit fuga & habitu monastico velatus iterum se subducere, ubi cum securum se esse crederet ob loci situm inexpugnabilem, dolo cum eo actum est; ad eum enim venerunt plures ex suis simulantes auxiliarem manum recuperando regno se fore præbituros, qui cum ad certum numerum aucti fuissent, monasterium incenderunt, dumque restinguendis flammis monachi distinebantur, regem captum una cum uxore & liberis Chlodomiro tradiderunt, a quo rex cum duobus liberis capite truncatus est & corpora eorum apud Columnam agri Aurelianensis vicum in puteum abjecta. Hæc postea petita & impetrata honorifice sepelivit abbas venerandus in ecclesia parœciali S. Mauritii.

Rerum Gall. script. t. II, p. 14.

Ibidem. t. II, p. 14.

Ab illo tempore creverunt monasterii opes & privilegia in immensum, certantibus inter se Francorum regibus liberalitate & munificentia ad Carolum magnum usque, adeo ut ab iis summo & quasi regio principatu donata fuisse videatur percelebris hæc domus. Cumque cœpissent principes abbatias personis secularibus in commendam, ut vocant, circa octavum seculum tradere, visa est Agaunensis Ludovico pio sat ampla & opima sors, qua dotaret filium nothum Arnulphum, cui tamen addidit & comitatum Sedunensem. Verum eo licentiæ ac libidinis prorupit fictitius ille abbas, ut intra 5 aut 6 annorum spatium partem dimidiam bonorum monasterii devoraverit. Quæ cum rescisset pius parens Vallesiam petiit anno 824, monachos omnes pessimo abbatis exemplo corruptos e monasterio ejecit, eorumque loco 30 aut 32 canonicos subrogavit, quamquam id fieri potuit ex sola licentia & electione monachorum, qui sensim, ut illis & sequentibus temporibus ad canonicorum mores & habitum sponte deficiebant. Huic mutationi repugnare videtur Mabillonius, quæ tamen pontificia auctoritate Eugenii II confirmata est. Piissimi, inquit, principis in monasticum ordinem propensio id credere non sinit, & longe aliam de Ludovico opinionem nobis suggerunt varia diplomata & præcepta quæ pro monastico ordine tum conservando, tum restituendo variis monasteriis concessit. Verum ad hæc circiter tempora revocandam esse constat ex instrumento anni 870, in quo jus quoddam, quo gaudebant in oppidis Etruscis *Asciano* & *Paterno* Ingelburgæ imperatrici cedunt Rodulphus comes & abbas sancti Mauricii una cum canonicis & fratribus. Per duo saltem secula mansit abbatia penes seculares, sed nihil dignitatem ejus sic attrivit, ut promotio comitis & abbatis Rodulphi in regem Burgundiæ Jurensis anno 888. Exinde ad eum & successores ejus universæ monasterii possessiones devolutæ sunt & regio patrimonio annexæ; adeo ut anno 1017 duo tantum superessent canonici. Quosdam restituit Rodulphus III anno regni sui 24, faceturque cæteros a decessoribus suis regibus pulsos aut abolitos. Hujus restaurationis chartam refert Samuel *Guichenon* in historia Sabaudiæ, tom. III, p. 2, ad annum 1014, & revera sic legitur in exemplari, quod cum omnibus muniatur characteribus & litterarum formis quæ ad seculum XI pertinent, simulque roboretur majori minorique sigillo ac principis cancellariique chirographo, dicendum peccasse amanuensis manum scribendo XIIII pro XVII, qui revera 24 est regis Rodulphi annus. Rursus deliquium passa est hæc domus seculo sequenti ob vitiosam canonicorum administrationem, donec Amedeus II a Sabaudia curavit alienata restitui bona prædiaque omnia. Non abs re fuerit hic annotare obiter domum hanc igne pluries deflagrasse; nimirum anno 523 faces inferente exercitu Chlodomiri; a Saracenis sub abbate eodemque episcopo Sedunensi Willichario anno 765; ab iisdem, præfecto Heyluino, anno 900; sub abbate Rodulpho anno 940; *Justi* annis 1320 & 1347; *Quarreti* 1384; *Militi* 1551; sed tota fere flammis absumpta est anno 1693 sub abbate Petro *Oddet*, quo tempore crematum etiam fuit oppidum S. Mauricii, cum castello quamvis longe dissito. Pristino tandem nitori quodam modo reddita societates alias optime moratas & ordinatas æmulatur sub regimine clarissimi meritissimique abbatis D. *Claret*, qui ab anno 1737 dignissime præest. Antiquiorum abbatum seriem texemus maxime ex vetustissimo codice ms. cœnobii Agaunensis circa annum 830 aut 835 exarato, qui exhibet nomina 32 priorum abbatum monasterii ortum ducendo a B. Hymnemundo usque ad Heyminum qui dicitur ibidem *novissime a fratribus electus*: ex quo dignosci potest codicis ætas. Cæteros ex Sammarthanis & catalogo nuper ad nos transmisso recensebimus.

Charta III, col. 415.

Ch. VI, col. 427.

Abbatum Series.

I. S. Severinus fuit electus anno 476. A Chlodovæo rege, suadente medico Tranquillino, accitus ut sanitatem ipsi impertiretur, Luteciam lubens venit regemque sanavit; postea vero ad castrum Nantonis se recepit, & erecto ibi oratorio paulo post diem obiit circa annum 506. Vide acta SS. ord. S. Bened. sæc. I.

Chart. I, col. 411.

II. Faustus S. Severini discipulus & ejus vitæ autor ac itineris socius, Agaunum reversus post S. patris sui obitum a fratribus in ejus locum suffectus est. Cætera quæ ad eum spectant incomperta.

III. B. Ymnemodus, Hynnemodus vel Hymnemundus ex Gravensi seu Grevencensi monasterio, cum Ambrosio & Achivo successoribus a Sigismundo rege accitus Agauno recens instaurato

præfectus

Digitized by Google

præfectus est, primusque monasterii abbas habetur tum ab iis qui Severinum & Faustum ab eo numero expungunt, tum in veteri catalogo supra citato. Brevis historia trium priorum abbatum ab Anonymo scripta electionem ejus refert ad annum 516.

IV. Sanctus Ambrosius I, ex eodem monasterio Gravensi accersitus, primum Insulæ Barbaræ abbas extitit, tum monasterii Agaunensis, uti jam observavimus, tom. IV, col. 223. Is veterem martyrum ecclesiam quæ a B. Theodoro primo Sedunensium episcopo ædificata fuerat, resarcivit. Ejus mors ab Adone Viennensi consignatur ad IV nonas Novembris. (Charta 1, col. 421.)

V. S. Achivus Hymnemundi & Ambrosii decessorum socius obiit circa annum 526. (Charta 1, col. 421.)

VI. S. Tranquillus vel Tranquillinus.

VII. S. Venerandus, qui impetrata corpora S. Sigismundi & filiorum honorifice sepelivit in ecclesia parœciali S. Mauricii.

VIII. S. Paulus I circa 535.

IX. S. Placidus circa 553.

X. S. Eutropius.

XI. S. Paulus II.

XII. S. Martinus.

XIII. S. Ambrosius II circa 574.

XIV. S. Leontius circa 580.

XV. Victorinus, seu Victorianus, si ejus epitaphio fides habeatur, annos 60 rexit, sed si chronologiæ consulatur minuendi sunt saltem 30 anni. Ejus nomen non legitur in veteri catalogo Agaunensi, sed loco ipsius recensetur *Jocundinus*, vel *Jucundinus*, qui idem est ac sequens.

XVI. S. Secundinus, *tempore domni Clotarii II regis, accepit privilegium ut non immutetur consuetudo monachorum. Firmavit & notarius.*

XVII. « S. Florentius tempore supra scripti Clotarii regis privilegium accepit ut in nullo mutetur jam dicta institutio, nec abbas ibidem aliunde constituatur, nisi quem ex ipsis fratres elegerint. Firmavit rex & notarius. »

XVIII. « Stagrius vel Siagrius privilegium a S. Eugenio papa Romano accepit ut non immutetur sed firmetur institutio S. Sigismundi, & ut abbatem non mittant nisi de ipsis quem fratres elegerint, neque aliquis missam celebrare ibidem præsumat, nisi fuerit rogatus a fratribus: & accepit privilegium tempore Chlodovei (II) regis. Firmavit Eugenius papa & 12 episcopi ex urbe Roma. » Florebat igitur circa 655 aut 656.

XIX. « S. Recolenus tempore Theodorici (III) regis, accepit privilegium ut non immutetur consuetudo fratrum. » Circa 681.

XX. Raggo abbas.

XXI. Aigulfus abbas.

XXII. Ermembertus abbas.

XXIII. « Agobertus abbas tempore Dagoberti (III circa 713) regis accepit privilegium. »

XXIV. « Ludulphus abbas tempore Chilperici regis (II) accepit privilegium » (circa 719.)

XXV. Ayroindus abbas.

XXVI. Proiadius abbas.

XXVII. Norbertus dux & abbas.

XXVIII. Laitinus vel Laifinus abbas.

« XXIX. Bertelaus abbas tempore domni Childerici (III) regis accepit privilegium » (circa 749).

XXX. Ayrastus abbas qui excepit in monasterio suo Stephanum II in Gallias abeuntem.

XXXI. Willicharius abbas, de eo & tribus sequentibus vide in episcopis Sedunensibus.

« XXXII. Domnus Althæus (*alias* S. Althæus Caroli M. affinis) episcopus & abbas tempore domni Karoli imperatoris, accepit privilegium & litteras Adriani papæ. » (Charta II, col. 424.)

XXXIII. « Domnus Adalongus episcopus & abbas. »

XXXIV. « Domnus Heyminus episcopus & abbas, & ipse novissime a fratribus est electus. » In eo desinit catalogus supra a nobis memoratus.

XXXV. Arnulphus. Hunc volunt Sammarthani fratres regem, imperatorem & abbatem simul fuisse, qui si sit idem ac Arnulphus filius Carlomanni anno 899 defunctus, eo loci non videtur posse stare, nisi abbatiam diu ante obitum resignaverit. Sed nec Arnulpho filio notho Ludovici pii imperatoris convenit iste ordo. Si enim, ut in præmio observavimus, eo abbatiam tenente, pulsis monachis substituti sunt 32 canonici circa annum 824, collocandus videtur ante Heyminum imo & ante Adalongum ad quem extant litteræ Eugenii II papæ, quibus privilegia monachis propulsis concessa a prædecessoribus suis renovat & confirmat in gratiam canonicorum, *quibus sub nomine abbatis præesse dignoscitur Adalongus Sedunensis episcopus.* Restituatur igitur Arnulpho licet ab autore veteris catalogi omisso debitus sibi locus Althæum inter & Adalongum. (Chart. II, col. 425.)

XXXVI. Aymo seu Aymoinus abbas sancti Mauricii, tum episcopus Sedunensis post Heyminum, quantum conjicere possumus, Agaunensis cœnobii regimen suscepit. Testis est epistola Benedicti papæ III ad episcopos in Caroli regno constitutos, in qua graves sunt querelæ adversus Hucbertum clericum flagitiis & facinoribus infamem, quem infra dies triginta Romam citat responsurum ad ea crimina quorum insimulabatur. « In his quod Agaunense monasterium sancti gloriosique Mauricii martyris, apostolicis privilegiis munitum tanta ferocitate pervasisset, ut nullus jam priscæ religionis ordo in eo servaretur; nam illa quæ Deo ibidem famulantibus antea ministrari mos erat, ille meretricibus ac nequissimis hominibus, canibus atque avibus profundebat, occupato per nefas monasterio abscissoque ab ecclesia Sedunensi, cui tunc Aymoinus antistes præsidebat. »

XXXVII. Hubertus vel Hucbertus de quo supra, frater Teutbergæ seu Tietbergæ uxoris Lotharii regis Lotharingiæ, Bosonis comitis affinis, clericus uxoratus, etiam abbas divi Martini Turonensis, occupatum per fas & nefas monasterium retinuit, de quo gravis est querela Benedicti papæ III in epistola ad episcopos in Caroli regno constitutos scripta anno 856. Interfectum narrant annales Bertiniani anno 864 in hæc verba: « Hugbertus clericus conjugatus & abbas monasterii S. Martini, qui S. Mauricii abbatiam

& alios honores Ludovici imperatoris Italiæ contra voluntatem ipsius tenebat, ab hominibus ejus occiditur. » Vide annal. Benedictin. lib. 35, tom. III.

XXXVIII. Boso superioris affinis a Carolo Calvo rege abbatia S. Mauricii donatus est circa annum 869, teste annalista Bertiniano, cujus hæc sunt verba: « Carolus in villa Duciaco VII idus Octobris certo comperiens obiisse Hirmentrudem uxorem suam II.° nonas Octobris in monasterio S. Dionysii, ubi & sepulta est, exequente Bosone filio Buvini (*alias* Bavini) quondam comitis..... sororem ipsius Bosonis nomine Richildem mox sibi adduci fecit, & in concubinam accepit. Qua de re eidem Bosoni abbatiam S. Mauritii cum aliis honoribus dedit. » Cætera quæ ad eum spectant vide apud reges Provinciæ.

XXXIX. Rodulphus I abbas & comes dictus, filius Conradi junioris, superioris Burgundiæ quæ montem Juram inter & alpes sita est comitis, nepos autem Hugonis magni, Bosonis cessione, aut alio quovis modo nobis ignoto abbatia sancti Mauricii potiebatur circa annum 870, ut constat ex instrumento ejusdem anni, quo Ingelburgæ imperatrici jus quoddam quo gaudebant in oppidis Etruscis *Asciano* & *Paterno* cedunt Rodulphus comes & abbas una cum canonicis & fratribus S. Mauricii Agaunensis. Promoto deinde comite & abbate Rodulpho in regem Burgundiæ Transjuranæ anno 888, ad eum & successores ejus universæ pene monasterii possessiones devolutæ sunt & regio patrimonio annexæ, adeo ut anno 1017 duo tantum superessent canonici. Obiit Rodulphus rex 25 Octob. anni 911 aut 912.

XL. Heynerius, *alias* Heymerius, & Sammarthanis Meynerius « sub cujus regimine, aiunt, Rodulphus comes & præfectus Burgundionum regis insignia sumpsit apud S. Mauricium Agauni, contra Arnulphum imperatorem, » secundarius tantum abbas fuisse videtur, nec inter abbates proprie dictos reponendus. Cum enim per ea tempora laicos abbates vel uxoratos clericos varia & quidem ampliora ac pinguioria sortirentur cœnobia, inter loci alumnos mos fuit quosdam designare qui sub nomine præpositi, decani aut thesaurarii intus gubernarent tam in his quæ spectant ad disciplinam regularem, quam & ad culturam terrarum & rerum temporalium administrationem. Ita se gessit Carolus Calvus rex, cum, retentis in usum reipublicæ abbatis sandionysiani redditibus, monasterii regimen præposito, decano ac thesaurario committi voluit.

XLI. Heyluinus etiam sub præfecti potius quam abbatis nomine Agaunense cœnobium rexisse videtur, eoque præposito monasterium a Saracenis combustum anno 900. In recentiori abbatum catalogo ad nos transmisso immediate sequitur Hucbertum.

XLII. Rainardus ex schedis mss. clariss. viri Nicolai *Chorier* annalium Delphinatensium scriptoris & in senatu Gratianopolitano patroni innotescit in hæc verba: « Anno Domini DCCCCVII, indictione X, acta est synodus apud Viennam metropolim jussu Alexandri archi-præsulis in ecclesia S. Salvatoris, & orta est ibi altercatio inter Aribertum abbatem Romanensis monasterii necnon & Rainardum venerabilem monachum S. Mauricii abbatem super capella S. Severi in parochia S. Primi, » (interfuere autem Valdo & Leudo abbates ex alio ms. codice) « & sic definita est » &c.... Idem narratur paulo fusius tom. XIII spicilegii, pag. 267, ex chartulario S. Andreæ Viennensis a D. *d'Herouval* concesso, excepto quod Barnardus ibi vocetur qui in schedis D. *Chorier* a doctissimo nostro Claudio *Estiennot* descriptis Rainardus dicitur, idem forte qui in serie abbatum quam præ oculis habemus Renaldus appellatur.

XLIII. Rodulphus II. Hunc post annum 1146 recensent Sammarthani inter abbates Agaunenses & postea Abundantiæ abbatem fuisse volunt, ipsique tribuunt epistolam scriptam ad Ludovicum regem, quæ habetur tom. IV historiæ Francorum scriptorum in hæc verba: « Excellentissimo Francorum regi Ludovico frater Rodulphus sanctorum Agaunensium martyrum servus inutilis, & qui cum eo sunt fratres, sic terrenum regnum regere, ut æternum valeat feliciter obtinere. Quod sancta Agaunensis ecclesia a prædecessoribus vestris Francorum regibus amplis possessionibus fundata & largis fuerit donata donariis, & apud nos & in multis regni vestri ecclesiis scriptum habetur. Quis enim nesciat Dagobertum regem ecclesiæ nostræ propter martyrum honorem Mauritii sociorumque ejus multa contulisse beneficia? Unde etiam post mortem suam per merita eorum a potestate dæmonum miseratione divina liberatus esse legitur. Quis ignoret Carolum regem in Italiam properantem, cum ad sepulcra martyrum devenisset, divina visione pariter & miraculo lætificatum, eidem ecclesiæ amplissimas concessisse possessiones? Quod Chlodovæus rex Francorum per Severinum prædictæ abbatem ecclesiæ a diutina sit infirmitate liberatus, testis est titulus ejus apud Castrum-Landonis, ubi in vita ejus hoc legitur. Ipsorum igitur vos sequentes vestigia, quasi bonæ ramus arboris, nobilissima stirpe progenitus, bonum eleemosynarum fructum proferentes, præsentium latores ob amorem Dei & sanctorum Martyrum benigne suscipiatis, misericordiæ manum affluenter, sicut regem decet, beatis Martyribus porrigatis, sperantes ab illo multo majora recipere, qui dixit centuplum accipietis &c.... si quidem ecclesia nostra quæ cumulus (forte tumulus) sanctorum Martyrum est, cum universis ædificiis ad eam pertinentibus per manus barbarorum ita in cineres redacta est, ut etiam muri ex magna parte corruerint. Ad sanctorum igitur sepulcra restauranda & ornanda, sicut regiæ congruit pietati, totis misericordiæ visceribus affluatis, de vestro mammona amicos vobis sanctos martyres faciatis, ut ab ipsis in æterna tabernacula recipi valeatis. » Hac epistola petit Rodulphus abbas ab Ludovico Francorum rege, ut prædecessorum suorum more, qui Agaunense cœnobium donis & possessionibus ditaverant, eidem ob ecclesiam & universa ædificia

Digitized by Google

ad eam pertinentia per manus barbarorum in cineres redacta, misericordiæ manum affluenter porrigat. Porro ex chartis Agaunensibus anno 940 sub Rodulpho abbate factum est istud incendium. Ad hunc itaque annum revocandus est Rodulphus & Ludovicum IV Transmarinum cognominatum spectat ejus epistola, quæ in veteri Gallia christiana Ludovicum VII denotaret.

Cæterum in abbatum serie a Sammarthanis relata necnon in catalogo nostro nomina nuda & absque notis chronicis ut plurimum inveniuntur, quæ non modicam confusionem pariunt, turbatis identidem ordinibus, & qui temporius vixerunt in aliud sæculum dilatis, ac vice versa, quo fit ut propriam sedem unicuique assignare non leve negotium sit. Quosdam ex veteribus monumentis, in quibus memorantur jam restituimus, cæteros & maxime qui seculo X præfuerunt ob instrumentorum penuriam supplere desperamus. Omissis itaque intermediis, quos spissæ tegunt tenebræ, cum Sammarthanis & autore nostri catalogi ad sequentem gradum facimus.

XLIV. Burkardus seu Burchardus I, filius Conradi Burgundiæ Transjuranæ regis, frater vero Rodulphi itidem regis, archiepiscopus Lugdunensis, in diplomatibus Agaunensi monasterio a prædictis regibus indultis nuncupatur præpositus ejusdem abbatiæ annis 983 & 993. (Chart. IV, col. 416.) Ipse vero in gratiam hujus ecclesiæ dedit litteras anno octavo regis Rodulphi, id est circa annum 1000 Incarnationis, (Chart. V, col. 417.) in quibus abbatis titulum assumit. Inde firmatur quod supra de Burgundiæ regibus dicebamus eos nempe & rem & titulum abbatum sancti Mauritii sibi vindicasse, quamdiu in his regionibus principatum tenuere solumque præpositi nomen penes monasterii superiores relictum fuisse. Cætera quæ ad Burchardum spectant vide in archiepiscopis Lugdunens. tom. IV Galliæ nostræ christianæ, a colum. 76 usque ad 83. Quamdiu præfuerit Agauno incertum, ast ante obitum resignasse abbatiam conjicitur ex diplomate Rodulphi III regis, (Char. VI, col. 417.) dato anno 24 imperii sui, seu Incarnationis 1017, quo bona quædam cœnobio Agaunensi a prædecessoribus suis ablata restituit. In eo memoratur Burchardus tanquam archiepiscopus Lugdunens. tacito præpositi titulo. Huic subrogatum Anselmum episcopum docent Sammarthani, quo fundamento ignoramus. Nam in charta Rodulphi regis nominatur *Pandulphus cum cæteris fratribus*, Anselmus vero Augustensis inter alios præsules recensetur, qui regio diplomati subscripsere, nulla Agaunensis præfecturæ habita mentione. Sit itaque

XLV. Pandulphus ex supra citato titulo innotescit, memoraturque a Sammarthanis Meynerium inter & Burchardum, omissus in recentiori nostro catalogo.

XLVI. Aymo II. Dum iter in Gallias faceret Leo IX summus pontifex anno 1049, triduo Agauni commoratus festum sanctorum martyrum Mauritii & sociorum celebravit, (Char. VII, col. 418.) canonicisque ejusdem loci insigne privilegium indulsit, ex quo noscitur Aymo qui tunc & ecclesiæ Sedunensi & abbatiæ S. Mauritii præerat.

A

XLVII. Guido.

XLVIII. Wido.

XLIX. Renaldus nisi sit idem quem supra ex schedis clariss. *Chorier* descripsimus sub Rainardi nomine, vel quem memorant Sammarthani ad hæc circiter tempora Rainaldum de Sabaudia præpositum Agauni apud recentioris catalogi exscriptorem, eo loci recensetur inter abbates S. Mauritii, qui tamen solam præpositi dignitatem obtinuisse videtur, vacante tunc abbatiali, ut colligitur ex litteris Amedei comitis & marchionis Sabaudiæ instituentis canonicos regulares in cœnobio Agaunensi anno 1128, (Chart. IX, col. 430.) & ex bulla Honorii II papæ ratum habentis hanc institutionem. (Chart. X, col. 430.)

B

L. Ameraldus vel Ameraudus vixit, Innocentio II summo pontifice.

LI. Hugo I dum regeret, id est anno 1143, accepit ab Amedeo comite Sabaudiæ & *Majez* ejus uxore, & Humberto eorum filio, præposituram ecclesiæ S. Mauritii, (Charta I, col. 489.) quam ipsi & fratribus ibidem famulantibus condonarunt seu potius restituerunt anno M. CXLIII, cal. Aprilis, luna XIIII. Lucius II papa id ratum habuit XVI cal. Maias.

LII. Rodolphus vel Rodulphus III, vir in religione promovenda bene meritus, postea abbas Abundantiæ, cui epistolam ad Ludovicum Francorum regem scriptam adjudicant Sammarthani, quam supra tribuimus Rodulpho II. De pace composuit pro se & ecclesia sua cum Guillelmo de Turre, arbitro Lodoico episcopo Sedunensi, (Charta II, col. 490.) die 5 Aprilis an. 1157.

C

LIII. Burkardus II, hic utiliter præfuit multa ædificando & debita solvendo. Anno 12 regiminis sui abbatiam resignasse fertur, at errant cartæ domesticæ dum eum volunt obiisse anno 1168: *nam in manu Borcardi seu Burkardi homagium ligium fecit comes Gebennensis, recognovitque eidem castrum* de Chaumont, *castrum de Rupe, medietatem Altæ-villæ, & cætera.* (Chart. III, col. 492.) Die 23 Augusti an. 1177, iisdemque die & anno, mediante Petro Tarentas. archiepiscopo, cum Humberto Sabaudiæ comite & marchione italiæ, transegit de pluribus controversiis. (Ibid.)

D

LIV. Willelmus I. Hic anno 1178, mense Martio, obtinuit ab Alexandro III bullas pro confirmatione bonorum ad monasterium spectantium, ex notis chronicis abbatiæ Agaunensis. Landricus episcopus Sedunensis hæc verba adjicit bullæ Alexandri III, datæ an. 1178, secundo Idus Martii: *Ego Landricus episcopus Sedunensis privilegium domini Alexandri III papæ vidi & legi, & ad testimonium rescripto ejusdem privilegii sigillum meum apposui.* Vide probat. hist. Burgund. tom. I, pag. 57.

E

LV. Willelmus II episcopus Sedunensis simul & abbas Agaunensis annis 1189 & 1196, litteras consimiles impetravit à summis pontificibus Clemente III & Cælestino III. Ossa quædam martyrum Thebæorum collegio canonicorum Embraci in pago Tigurino donavit an. 1189. Eodem anno ipse aut ejus decessor dedit sub annuo censu Willelmo *de Griuns*, terram *de Griuns*, olim datam ecclesiæ S. Mauritii a Petro (Charta VI, col. 495.)

Digitized by Google

de Griuns, sub sigillo Willelmi episcopi Sedun. Chart. XI, col. 431. Eidem a Cælestino III indultum fuit privilegium pro abbatibus Agaunensibus, utendi nempe ornamentis pontificalibus diebus festivis, datum VIII idus Aprilis anni 1196. Visitaturus ecclesiam de Sinemuro in Burgundia, quæ ab Agauno pendebat, ibidem moritur & ante monasterii altare sepelitur.

LVI. Guntherus pactum iniit anno 1198 cum Thoma Humberti comitis Maurianensis filio, ratione vallis *de Bagnes*, teste Willelmo decano & Nantelmo seu Nantelino episcopo Sedunensi. Ipsi pro terra & dominio Salinensi hominium præstitit Galcherus hujus nominis IV, anno 1199. Obiit anno 1203.

LVII. Hugo II anno 1204 fato functus est.

LVIII. Aymo III anno 1205 accepit donum Ch. VII, col. 495. a *Veta Delbruel* & filiis ejus, nempe duo prata & modium vini censuale pro altero filio suo Willelmo qui in fratrem & canonicum sancti Mauritii receptus fuerat, sub episcopo Sedunensi Ch. VIII, col. 496. Willelmo de Sallione. Item ipsi & ecclesiæ sancti Mauritii vicedominatum in *Bagues* pro mille solidis Mauriliensibus obligavit Aymo de Turre anno 1206, teste Landrico episcopo Sedunensi. Anno 1210 tredecim libras Parisienses a Guillelmo comite Pontivi accepit in nundinis Tre- Ch. XII, col. 431. carum annuatim numerandas ad emendas viginti ulnas scarlatæ pro faciendis caputiis, quæ rubra canonici Agaunenses in signum martyrii SS. Mauritii & sociorum jure ordinis & consuetudinis in ecclesia gestare solebant. Honorius III id doni laudavit III nonas Maii, pontificatus anno 5. Idem privilegium servarunt canonici regulares S. Genovefæ in prioratu S. Johannis de Sinemuro in Burgundia, nunc Gallicanæ congregationi subjecto, olim vero ab Agaunensi abbatia dependente, ubi solus prior hujus ecclesiæ in festis solemnibus morem retinuit utendi rubro caputio. Anno 1211 facta est altera donatio Chart. IX, col. 496. cœnobio Agaunensi, Aymone abbate, ab Aymone de Turre ejusque filiis Petro & Chalberto, laudante Landrico Sedunensi episcopo, qui & cartæ donationis sigillum suum apposuit. Cum Char. XII, col. 498. Thoma Sabaudiæ comite transegit idem Aymo abbas anno 1219, die 4 Julii, de limitibus mutui dominii in valle *Bagnes*, sub sigillo ejusdem Landrici episcopi. Vivere desiit Aymo 1223.

LIX. Nantelmus Aymoni successit multaque in gratiam sui monasterii dona & privilegia accepit. Anno 1232 compositionem quamdam Char. XV, col. 501. fecit cum Martino, Johanne & Uldrico *de Bagnes*, de consensu totius conventus S. Mauritii. Anno 1233 testis fuit venditionis quorumdam Ch. XVI, col. 501. bonorum factæ a Petro domicello *de Albignon*. Ch. XVIII, col. 503. Composuit anno 1238 cum incolis pagi sancti Mauritii seu communitate super duodecim modiis frumenti annuatim solvendis, quorum quatuor Ch. XIX, col. 504. sunt hospitalis, & octo ejusdem monasterii. Accepit a Mauritio Salterio donationem quamdam ipsi & ecclesiæ Agaunensi factam anno 1240, Chart. XX, col. 505. mense Augusto, eodemque anno, mense Decemb. testis fuit cum aliis venditionis cujusdam factæ a Petro *de Charpignié* milite. Anno 1243, mense

A Januario, Johannes Burgundiæ comes & dominus Salinensis cœnobio Agaunensi & Nantelmo abbati viginti onera majoris salis annuatim in urbe Salinis recipienda aliaque jura & dona concessit. Idque confirmatum fuit an. 1258, mense Martio. Anno 1244 dum Innocentius IV Lugduni consisteret, Nantelmo tribuit privilegium gestandi ornamenta pontificalia, VII id. Junii, pontificatus anno 2. Anno 1246, feria VI post festum B. Michaëlis proxima idem Johannes qui supra Burgundiæ comes Nantelmo abbati hominium præstitit pro dominio Salinensi (*de Salins*) ut fidem facit charta latina in archivis monasterii asservata. Anno 1247, die IV kalend. Februarii, Nantelmus abbas Agaunensis testis fuit cartæ qua domino Bosoni majori *de Monthey* Anselmus Ch. XXI, col. 505. de Fonte condeminam vendidit. Ipsi & sancti B Mauritii conventui Aymo miles de Turre cruce signatus & cupiens sepulcrum Domini visitare, Ch. XXII, col. 505. obligavit pro 50 libris Mauriliensibus quidquid in territorio de Olono possidebat, die Mercurii post octavas Pentecostes, anno domini 1249. Idem Nantelmus anno 1250, fer. 2, luna 4, annulum S. Mauritii Petro comiti Sabaudiæ pro donis ab ipso acceptis largitus est. Mutuæ huic donationi præsens aderat Henricus episcopus Sedunensis. De eodem forte tunc defuncto mentio adhuc fit in instrumento anni 1258, die 29 Ch. XXIII, col. 506. Septembris, quo recognoscit Petrus de Pontevitreo miles se tenere in feodum ab ecclesia C Agaunensi locum dictum *Chieses*. Anno 1259 Alexander IV papa, pontificatus sui 4.° vel 5.° possessiones monasterii munimine pontificio roboravit, superstite adhuc, ut videtur, Nantelmo. Attamen si veteri cartulario fides comitum Burgundiæ a Petro Francisco *Chifflet* edito divione anno 1656, in-4.° pag. 81, W. S. Mauritii Agaunensis abbas & ejusdem loci capitulum nobili viro domino Theobaldo de Bello-visu mandant D ut ab illustri viro J. comite in Burgundia & domino Salinensi recipiat feoda quæ ab ipsis abbate & capitulo prædictis tenebat. Datum apud S. Mauritium anno 1259, mense Aprili. At ibi videtur error esse in ipsa littera majuscula, cum nullus hoc anno Willelmus appareat in indicibus qui præfuerit cœnobio Agaunensi. Lege ergo N. vel G. & tunc ad sequentem illa referri poterunt.

LX. Giroldus, vel Giraudus & etiam Girodulfus. Anno 1260 a Johanne *de Chalon* domino Salinensi & Burgundiæ comite tunc ægrotante, rogatus fuit ut ad castrum Braci (*de Bracon*) E accederet hominium accepturus pro dominio Salinensi, ex chartis monasterii. Anno 1261, die Dominica post festum Purificationis, reliquias SS. martyrum Thebæorum dedit sancto Ch. XIV, col. 432. Ludovico Francorum regi collocandas in ecclesia quam pius ille rex in urbe Silvanectensi ædificare constituerat. Iisdem anno & mense donavit idem sanctus rex Giraudo spinam unam coronæ dominicæ. Anno 1263, die prima Septembris, Bertholdus domicellus *de Nares* vendidit Giroldo Ch. XXIV, col. 507. abbati & conventui S. Mauritii Agaun. quidquid habebat in parochia *de Bay*, cum consensu Henrici

Digitized by Google

episcopi Sedunensis. Anno 1265, sub abbate
Giroldo, Clemens IV papa laudavit III nonas
Maii fundationem prioratus S. Mauritii apud
Silvanectas, necnon inductionem canonicorum
regularium ex Agauno eductorum in præfatam
ecclesiam. Eodem anno recepit hominium præs-
Ch. XXV, col. 508. titum ab Aymone *de Châtillon* milite, pro qui-
busdam terris sitis apud *Grions*, salva tamen
fidelitate episcopo Sedunensi debita. Datum
Agauni anno Domini M. CCLXV, mense Junio.
In ejus & sui monasterii gratiam sententia lata
Ch. XXVI, col. 509. est mense Septembri, anno 1266, de successione
Uldrici Rufi de sancto Triphone, contra Am-
phelisam dicti Uldrici relictam & dominum
Hugonem Grandis-montis castellanum *de Chillon*.
Anno 1267, die 18 Februarii, sententiam
arbitralem tulit de juribus domini Johannis de
Turre in quemdam hominem suum in pago
Ch. XXVII, col. 511. *Montagniés*, valle *Bagnes* habitantem, quam
recognovit & ratam habuit Gedeon de Aqua-
bella judex in Chablasio, Gebennensi & Inter-
monteo, pro illustri domino Amedeo comite
Sabaudiæ, XI cal. Maii, anno Domini M. CC
nonagesimo sexto. Eodem Giroldo adhuc vivente
& Agaunense cœnobium regente, Petrus de Turre
Ch. XXVIII, col. 513. miles recognovit se tenere in feudum a monasterio
S. Mauritii Agaunensis omnia quæ possidebat in
valle *de Bagnes* ultra pontem sancti Brancherii,
die 25 Novembris an. 1269. Ipso mandante
& præcipiente, Petrus eleemosynarius S. Mauritii
scripsit cartam qua Willelmus de Turre de
Ch. XXIX, col. 514. Viviaco miles emit a Petro de Martigniaco milite
quamdam vineam sitam in territorio *de Cha-
puneres*, &c... die 23 Junii an. 1272. Jacobus
de Sallions domicellus, anno 1274, post festum
S. Nicolai, Giroldo abbati S. Mauritii Agaunensis
vendidit quidquid habebat feudorum in territorio
Ch. XXX, col. 515. *de Grions*, laudante & subscribente Petro Sedu-
nensi episcopo. Sed & Aymo de Castillione
miles totum quod habebat dominium in eodem
Ch. XXXI, col. 517. territorio *de Grions*, vendidit Willermo *Morgeyns*
de Viviaco & heredibus ejus, salvis juribus abbatis
S. Mauritii, (Giroldi scilicet) quantum conjicere
est, die 1 Februarii an. 1276. Sub ejus præfectura
capitulariter statutum fuit ne aliquis nisi de cano-
nicis monasterii Agaunensis institueretur prior
vel rector prioratuum vel domorum ad cœno-
bium pertinentium, videlicet de Sinemuro &
aliorum, ut patet ex charta domestica anni 1282.
Quæ tamen ad successorem Petrum potius refe-
renda sunt, qui cœnobio jam præerat circa finem
Aprilis an. 1276.

LXI. Petrus I, quem *de Saint-Sigismond*
nuncupant Sammarthani, jam pedum abbatiale
tenebat circa finem Aprilis an. 1276, quo a
Ch. XXXII, col. 518. Willelmo *Morgeyns* emit res omnes & homines
de Grions, quos acquisierat ipse a domino Aymone
de Castillione milite. Item cum discordiæ inter
Ch. XXXIII, col. 519. eum & Aymonem de Castillione militem circa
possessiones quasdam ortæ fuissent, sedatæ sunt
& sopitæ coram judice Chablasii dominica in
Septuagesima, anno 1277. Quo etiam mense
Ch. XXXIV, col. 520. Julio recitatum est testamentum Aymonis de
Turre, militis, abbatiæ S. Mauritii duo modia

A siliginis per singulos annos persolvenda legantis.
Obiisse fertur Petrus anno 1286.

LXII. Girardus I Trecensis, prior S. Bernardi,
subrogatur Petro, kalend. Novemb. an. 1286.
In ejus gratiam anno, ut videtur, 1288 lata Ch. XXXV, col. 521.
est sententia a Petro de Thora decano ecclesiæ
Sedunensis, aliisque judicibus ad hoc delegatis,
contra Petrum de Morestello militem vicedo-
minum *de Bagnes*, de prædicto vicedominatu.
Anno 1289 *Rodulpho regnante & sede Sedunensi
vacante*, recepit hominium Francisci condomini Ch. XXXVI, col. 522.
de Saffens domicelli & Beatricis sororis ejus, pro
omnibus suis terris & feudis in valle *Bagnes* sitis.
B Eo sedente, Girodus seu Giroldus de Turre, nepos
Aymonis de Turre militis, profitetur se tenere Charta
dominium dictum *Olon* in feudum ab abbate XXXVII, col. 523.
Agaunensi tempore Bonifacii episcopi Sedunensis,
nempe circa annum 1290. Anno sequenti 1291 Charta
donavit quoque Petro de Turre domino Castel- XXXVIII, col. 524.
lionis in feudum varia bona in inferiori Vallesia
sita, quæ a monasterio Agaunensi dependebant.
Eodem anno emit a Jaquemino de Turre sancti Ch. XXXIX, col. 527.
Brancherii quamdam alpem, quæ vocatur alpis
nova *de Planars*, quam ipsi & conventui sancti
Mauritii Agaunensis dedit, vendidit in perpetuum
& concessit idem Jaqueminus, de consensu,
C laude & voluntate expressa Johannis de Turre
patris sui, pro remedio animæ suæ, die 10 Aprilis
an. 1291. Ipse Girardus moritur an. 1292.

LXIII. Jacobus I *de Ayent* composuit cum
Henrico domicello, filio nobilis viri Aymonis
de Castillione, militis, de territorio *de Grions*, Char. XL, col. 528.
anno Domini M. CC nonagesimo V.° indictione
VIII, XVIII kalend. Septembris, in refectorio
monasterii S. Mauritii Agaunensis, & in præ-
sentia plurimorum testium ad hoc vocatorum.
Hujus compositionis instrumento vir venerabilis
& discretus dominus Gedeon de Aqua-bella,
judex in Chablasio & Gebennensi pro illustri viro
D domino Amedeo comite Sabaudiæ, ad preces
& requisitionem partium sigillum curiæ dicti
domini comitis apposuit. Ipse quoque recepit,
die Sabbati ante festum beati Thomæ apostoli Ch. XLI,
1312, hominium sibi præstitum a Girodo de col. 530.
Turre domicello de sancto Mauritio, ob omnia
bona & prædia feodalia quæ possidebat idem
Girodus in territorio de Olono. Vivere desiit
anno 1313.

LXIV. Willelmus III. Hic abbas in nullis
occurrit catalogis editis. Innotescit tamen ex
instrumento anni 1314, die 13 Novembris, Ch. XLII, col. 531.
quo ipsi ut abbati sancti Mauritii Agaunensis
E hominium præstat Willelmus dominus de Ponte-
vitreo (*Pontverre*) propter feudum quoddam
ab ipso possessum & a cœnobio Agaunensi
dependens.

LXV. Bartholomæus I *Justi*.

LXVI. Bartholomæus II *Justi*. Sub alterutro
vel etiam utroque hoc abbate cognomine bis
flamma cœnobium devastavit, nempe annis 1320
& 1347. Item aliqua inita sunt pacta, quædam
transactæ conventiones, sub quo præcise Bartho-
lomæo incertum. Anno enim 1319, die penul-
tima mensis Februarii, dedit Bartholomæus abbas

Digitized by Google

Ch. XLIII, col. 532. S. Mauritii Agaunensis chartam, qua jura nobilis A mulieris Jaquetæ de Turre de Olono variis in terris feodalibus quas possidebat, explicantur. Sed & sub abbate Bartholomæo facta est compositio quædam apud Contegium in castro nobilis viri Johannis de Turre domini Castillionis in Ch. XLIV, col. 535. Valesio, die prima Augusti an. 1322, inter dominum Thomam monasterii sancti Mauritii Agaunensis sacristam & nobiles de Collumberio vicinos præfati monasterii. Anno 1328, die 10 Ch. XLV, col. 536. Januarii, pactum iniit Eduardus Sabaudiæ comes de vicedominatu de Olono cum Bartholomæo abbate S. Mauritii Agaunensis & hominibus communitatis, villæ & parochiæ de Olono, a B quibus ea de re recepit quadraginta libras bonorum Maurisiensium. Altera de eodem vicedominatu Ch. XLIX, col. 547. facta est compositio inter eumdem abbatem & Aymonem Sabaudiæ comitem fratrem & successorem Eduardi, die prima Decembris anni 1332. Litem habuit una cum suo conventu cum viro nobili Guidone *Thomé* condomino Ch. L, col. 550. sancti Triphonis & Johanne fratre ejus, propter homines, loca, res & bona quæ possidebant in valle de Jovia parochia *de Ormont*, & in dominio de Olono, quæ de mutuo partium consensu dirempta est die 25 Januarii an. 1345. Apud eum clientelam professus est Willelmus Wichardi C de sancto Mauritio die 6 mensis Julii an. 1350, Ch. LI, col. 551. propter prædia quæ possidebat in parochia de Olono, quæ fuerant aliquando juris Jaqueti de Turre. Denique ad instantiam Bartholomæi abbatis S. Mauritii Agaunensis, Jaquetus de Turre Char. LII, col. 552. de Olono confessus est se tenere in feudum a monasterio prædicto dependens omnia bona quæ habet in parochia de Olono, *seque esse hominem dicti monasterii pro dictis bonis, vidensque idem Jacquetus se non posse ulterius tenere res prædictas tanquam eidem monasterio commissas propter usagia inde debita non soluta, omnia & singula bona sua prædicta tanquam commissa eidem* D *tradidit & deliberavit, & de ipsis bonis se totaliter devestivit, & dictum dominum abbatem nomine quo supra totaliter investivit, &c....* Actum apud Olonum in domo Jaqueti de Turre de Olono, anno Domini M. CCCLII, indictione V, die decima mensis Septembris.

LXVII. Johannes-Bartholomæus Segutiensis, vel uti vocant Sammarthani de Cecusia, man- Char. LIII, col. 553. datum dedit anno 1375, indictione XIII, die 29 mensis Maii, Peroneto *Seguin* notario tanquam locum suum tenenti in vice dominatu *de Bagnes*. Obiit 1376.

LXVIII. Girardus II *Bernardi* e vivis excessit E anno 1378.

LXIX. Johannes I *Quarretti* seu *Guaretti*. Sub ejus præfectura rursus igne consumptæ monasterii ædes anno 1384. Ipse vero hominem exuit anno 1410.

LXX. Johannes II *Sostion* vel *Sostionis* Sigismundum imperatorem ex Italia reducem, & Agaunum pietatis & religionis causa divertentem in suo monasterio excepit. Anno 1424, indictione II, die Jovis 6 mensis Julii, confessus Ch. LVII, col. 561. est coram testibus ad hæc vocatis & rogatis Martinus de Turre domicellus *se tenere a domino abbate & ejus monasterio quidquid habet in parochia & dominio Oloni, & se ipsum fore paratum eidem domino abbati homagium reddere & recognoscere ea quæ tenet ab eodem die Martis proxima, si ipse dominus abbas tunc fuerit in villa sancti Mauritii, &c....*

LXXI. Jacobus II.

LXXII. Guillelmus I *Wuilliens* obiit circa annum 1435 aut 1436.

LXXIII. Petrus II *Foracri*, dictus a Sammarthanis *Forneti* vel *Forneri*.

LXXIV. Michael *Bernhardi*.

LXXV. Bartholomæus III *Roveri* mortuus anno 1463.

LXXVI. Guillelmus II *Bernhardi* assensu conventus & confirmante papa abbatiam sponte resignavit sequenti, aiunt Sammarthani, qui tamen in assignando anno errant.

LXXVII. Johannes III *Alingii* obiit 1521.

LXXVIII. Bartholomæus IV *Sostion* vel *Sostionis*, ex Sammarthanis utrumque prioratum de Sinemuro & Silvanectensem in Gallia situm invisit & reformavit, defunctus anno 1550.

LXXIX. Johannes IV *Miles* seu *Militi* abbatiam regebat anno 1551, quo novo incendio conflagravit Agaunense cœnobium. A Johanne Jordano Sedunensi episcopo missus est ad concilium Tridentinum sub procuratoris nomine, sed cum venisset ad audiendum dumtaxat & referendum, ut ferunt, ad concilii sessiones admissus non fuit. Alii alias exclusionis causas allegant.

LXXX. Martinus *de Plastro*. Ipsum electum quidem sed non confirmatum sedisse annis 18 omittunt dicere Sammarthani undenam hauserint.

LXXXI. Adrianus *de Riedmatten*, decanus & abinde episcopus Sedunensis. De eo vide in episcopis Sedunensibus. Obiit anno 1613.

LXXXII. Petrus III *de Grilli* mortuus anno 1618.

LXXXIII. Georgius *Quartery* electus anno 1618. Quo præsule sancti Mauritii suggestus, refectorium, sedilia odei necnon pleraque alia ædificia igne olim consumpta de novo extructa sunt. Obiit 26 Februarii anno 1640.

LXXXIV. Petrus IV Mauritius *Odet* Agaunensis, antea notarius apostolicus & sacrista, primo electionis suæ anno circuitionem monasterii ædificavit, capsamque novam argenteam propriis expensis cudi jussit, in qua honorificentius reponerentur S. patroni sui Mauritii reliquiæ. Inde protonotarius apostolicus, vicarius generalis & visitator a nuntio apostolico apud Helvetios designatur, qui canonicæ & regularis vitæ reformationisque in monasterium Agaunense inducendæ instaurandæque vigilantissimus promotor extitit. Vivere hominem desiit anno 1657.

LXXXV. Johannes V Jodocus *Quartery* obiit 1669.

LXXXVI. Josephus-Tobias *Franc* e vivis excessit anno 1686.

LXXXVII. Petrus-Franciscus *Odet* electus abbas ipso anno 1686. Sub hoc abbate, anno

1693, die vero 23 Februarii, universum pene monasterium, ipsumque oppidum S. Mauritii flammarum præda fuere; ipse vero abbas supremum diem clausit anno 1698.

LXXXVIII. Nicolaus I *Zurtannen* factus abbas anno 1698, cessit e vivis anno 1704.

LXXXIX. Nicolaus II *Camanis* ædificia igne consumpta suscitavit, ædesque omnes, quales nunc visuntur, in melius reparavit, plura fortasse ausurus, ni morte præventus fuisset an. 1715.

XC. Franciscus de Fago obiit anno 1719.


XCI. Ludovicus-Nicolaus *Charletti* fato fungitur anno 1736.

XCII. Johannes-Josephus *Claret* electus an. 1737, eques ordinis SS. Mauritii & Lazari, vivere desiit saltem ineunte anno 1765, si quidem in nunciis publicis legitur Georgium *Schinner* canonicum regularem ejusdem abbatiæ Romæ propositum fuisse in consistorio pontificio circa mensem Aprilem anni 1765, tanquam electum abbatem S. Mauricii Agaunensis. Sit itaque

XCIII. Johannes-Georgius *Schinner* ex eodem illustri genere quo famosus cardinalis Matthæus *Schinner*, de quo in episcopis Sedunens. Pedum abbatiale tenet a quatuor aut quinque annis.

5 Apollinarem abbatem laudat sancti Benigni Divionensis Chronographus tempore Guntchramni regis, qui, multis prædiis S. Benigno attributis, instituit ut ad instar monasterii Agaunensis, cujus itidem regimen, uti & sancti Apri apud Tullum, Apollinaris habuisse dicitur, diu noctuque divinum in S. Benigni ecclesia officium persolveretur. Utque hæc institutio in posterum non desineret, constituisse ibidem dicitur idem rex, ut abbates utrobique iidem essent, & una congregatio unusque ordo ubique servaretur. Quæ constitutio, si vera est, effectu caruit, quando quidem diversi omnino duorum illorum monasteriorum abbates leguntur in vulgatis indicibus, nec Apollinaris abbas sed S. Tranquillinus inter abbates Agaunenses horum temporum recensetur.

Spicileg. t. I, p. 370.



Digitized by Google



ECCLESIA AUGUSTENSIS.

* Aoste. * Douaire. * AUGUSTA prætoria quondam Italiæ Transpadanæ, post Liguriæ dictæ oppidum juxta fluvium Duriam * ad geminas Alpium fauces Graias & Penninas sita est in Vertice Augustanæ vallis in Pedemontano principatu, unde incipit Italia ad promontorium Leucopetram. Caput est Salassorum qui hodie ab illa Augustani, at regio vallis Augustæ nuncupatur, habetque circa triginta quinque millia passuum longitudinis, a passu S. Martini prope terminos Diœceseum Eporediensis & Mediolanensis ad usque montem vulgo dictum *montem minorem S. Bernardi*, ubi vallis illa terminatur limitibus Tarantasiæ & Faucigniaci. Urbs hæc vetustissima sicut monumenta præposituræ montis Jovis testantur; simul etiam plurimæ antiquitates ubique sparsæ, veluti columnæ marmoreæ, obelisci, pyramides, epitaphia, insigne palatium prætorium, & mirabilis fornices trophæi Alpium a Romanis devictarum, de quo meminit Plinius, lib. III, histor. natur. cap. 20, & Bergom. lib. VI, cap. de civit. August. cujus hæc sunt verba: *Apud Augustam incisus fuit in marmore titulus ille pergrandis, populos enumerans quos Cæsar Augustus in eisdem Alpibus devicit.* Conditam quidam aiunt ante Romanæ urbis primordia a Cordello Statielli filio, Cordellamque dictam, necnon Turinonam; deinde Augustæ prætoriæ nomen obtinuisse, nono Augusti Cæsaris consulatu, id est anno ante Christum natum vicesimo tertio, cum a Terentio Varrone Salassorum octo millibus hominum profligatis, Romani illuc coloniam deduxere, quæ cessit prætorianis militibus. Dion historicus, lib. III, Augustam prætoriam vult hoc etymon sortiri, quod fugatis Salassis populis & divendita eorum juventute, hanc Augustus prætorianis militibus dederit & prætorem qui circumstanti regioni jus diceret, in ea constituerit. Ab Italis *Aosta* & *Osta* dicitur, a nonnullis autem *Ostilia* & *Ostiola* dicta est velut ostium Italiæ, etenim Galliam prætergressis occurrit omnium urbium prima. Hujus meminit Strabo, Antoninus, Ptolemæus, aliique vetusti scriptores.

Ruente autem Romano imperio hæc civitas in Gothorum, tum Longobardorum ditionem venit, qui post mortem Clebi seu Cleoph ipsorum regis interfecti an. 574 vel 576, per loca in regno Francorum ipso tempore prorumpentes, sed a Mummolo exercituum ductore devicti, eam ducatus titulo nobilitatam una cum territorio cedere coacti sunt uni ex Francorum regibus, puta Guntramno, qui tertiæ tantum parti Franciæ præfuit, nempe Franciæ Burgundicæ; ipsaque paruit regibus Burgundionum ad nonum usque seculum, quo Rodulfus filius Conradi junioris mota contra Francos rebellione, novum regnum Burgundiæ Transjuranæ condidit, sibique subjecit provinciam omnem Tarentasiensem. Ab illis regibus quorum postremus Rodulfus III anno 1032 interiit, Augusta prætoria transiit ad marchiones Eporediæ seu Montisferrati, a quibus bellis adeo molestis desolata fuerat anno 1040, ut ipsa solo adæquata fuerit & patria fere sine colono relicta. Post hanc cladem, parva quidem & incondite extructa diu substitit, sed centum abhinc vel circiter annis faciem mutavit & numero & pulchritudine nonnullorum ædificiorum quibus aucta est. Nunc subjicitur duci Sabaudiæ ex cessione facta circa annum 1191, quo Coloni, salvis suis privilegiis, sponte sua se subdiderunt Thomæ comiti Sabaudiæ, cujus effigies cataphracta extensa visitur super tumulo marmoreo in sanctuario cathedralis ecclesiæ a parte evangelii.

Quonam autem tempore plebs Augustana christianam fidem susceperit incertum, sed ubi Christi jugo colla subjecit Vercellensem agnovit episcopum, id testante epistola S. Eusebii ad populos sibi subjectos, cujus titulum exhibemus qualem ab ecclesia Vercellensi ex autographo depromtum accepimus. *Dilectissimis fratribus & satis desideratissimis presbyteris, diaconibus & omni clero, sed & sanctis in fide consistentibus plebibus Vercellensi, Novariensi, Epporegiensi, Augustanis, Industriensibus & Agaminis ad palatium, necnon etiam Dertonensibus Eusebius.* Hæc civitas ad Vercellenses episcopos pertinuit ad quintum usque seculum, quo tempore S. Jacobus Darantasiensis primus antistes ibi primum episcopum instituit, prout constat ex traditione in ecclesia Tarentasiensi recepta atque etiam ex Saussaio in supplemento martyrologii Gallicani qui de S. Jacobo ita scribit: *Fundavit etiam Augustæ prætoriæ Salassorum ecclesiam episcopalem cujus primum pastorem S. Eustachium constituit.* Quæ tamen difficultate non carent, cum enim de S. Eustachio mentionem faciat S. Victricius Rotomag. episcopus in concione de laudibus Sanctorum ad annum 388, ipseque Eustachius subscripserit Synodo Mediolanensi anno 390, tanquam suffraganeus S. Ambrosii, paulo altius repetenda nobis videtur ecclesiæ Augustensis origo. Itaque probabilius conjicimus non a S. Jacobo Tarentasiensi, sed a S. Ambrosio Mediolanensi creatum & ordinatum fuisse B. Eustachium primum ecclesiæ Augustensis episcopum. Ea civitas episcopali sede donata, metropolitano Mediolanensi, cui Vercellensis episcopus etiamnum subest, subdita fuit, donec in ditionem Burgundicam redacta, Mediolanensi curæ substracta, ecclesiæ Tarentasiensi paruit, perinde ac Sedunensis & Maurianensis ecclesiæ. Subditionis autem epocha earum ecclesiarum episcopo Tarentasiensi prorsus nos latet. Constat tamen ex concilio Francofordiensi habito anno 794, præsulem hunc eisdem ecclesiis præfuisse, quandoquidem illa synodus ad Leonem Romanum pontificem legationem miserit, ut ipse definiret quidquid de ecclesia Tarentasiensi teneretur. Is autem post concilium statuit ut

provincia

Digitized by Google

provincia Alpium Graiarum, cujus erat Augusta, Viennensi ecclesiæ submissa maneret, quamvis constaret episcopum Tarentasiensem gratia muneris aliquibus prælatum excellere. Vide in episc. Tarentas. pag. 700.

Vetusta sed pulchra, magnaque stat cathedralis dicata sanctissimæ Deiparæ Virgini, beatoque Johanni-Baptistæ, cujus maxillam inferiorem, si antiquæ traditioni credere fas sit, inclusam in magnifica theca, a Francisco comite *de Challand* ibidem in tumulo marmoreo sepulto collata anno 1421, possidet. A regibus Burgundiæ dotata fuit hæc ecclesia. Vetus quidem martyrologium Augustanum ad diem 27 Martii Guntramnum regem Burgundionum ejus instauratorem fuisse testatur. Contigua est claustri quod diversi canonici diversis temporibus exstruxerunt. Singulis enim pilis quibus illud constat, inscribuntur nomina canonicorum a quibus fuerunt erectæ. Cernitur una Sabaudiæ insignia ferens uti & nomen Petri comitis Sabaudiæ, qui dum præpositi ejus ecclesiæ munia gereret, eam instruxit. Hæc basilica fert in insignibus quatuor lilia argentea in arca cærulea. Viginti duo canonici seculares eam ab omni ævo administrarunt, in quibus numerantur dignitates, præpositura scilicet & archidiaconatus, inter quas de præstantia lis pendet. In reliquis canonicis unus est theologus; perpetui capellani 52 cum iis sacris ministrant, & pueri sex, quos Innocentes appellant, in collegio musicæ rudimentis instituuntur. Capellani per singulas hebdomadas duodenas singulis diebus missas celebrant, festis vero diebus omnes sacris præsto esse tenentur. Sunt in eadem basilica ex piorum legatis anniversariæ certis diebus distributiones obsoniorum inter canonicos & pauperes civitatis, capellanis vero solet epulum dari in aula capitulari, cui intersunt suppelliciis induti. Quibus discessis cibum sumunt indumento solito vestiti procurator sive mistralis capituli, præfectus refectorii, cantor hebdomadarius & lector. Horum epulorum epocham in serie reperies, quorum prius non excedit annum 1140. Officiarii porro canonici sunt ministeriales capituli, magistri fabricæ, clavigeri archivii, clavigeri arcæ capituli, auditores computorum, sacrista, & procuratores collegii Innocentium. Officiarii vero capellani a capitulo designari soliti sunt, eleemosinarius capituli, vulgo panetarius dictus, custodes ecclesiæ, lector scripturæ sacræ in refectorio qui & punctator est & normator appellatur, & sacerdos servitor magni altaris. Officium divinum quotidie in choro cantatur proprio & peculiari more, a Romano alieno, & missæ illo ritu communiter celebrantur. Spina Dominicæ coronæ atque etiam reliquiæ sanctorum Grati & Jucundi servantur in thesauro.

Diœcesis centum complectitur parochias, quarum una in urbe, alia vero in Suburbio S. Ursi. Extat & altera in valle Siccidra, cujus coloni lingua Theutonica utuntur. In reliquis corruptum Gallicum idioma usurpatur. Habet etiam urbs illa ecclesiam collegiatam SS. Petri & Ursi nomine insignitam, cujus origo sat est incerta. Ex vita S. Ursi fuit olim ecclesia in honore sancti Petri principis Apostolorum ædificata, cui beatus ille confessor, sacerdos Dei & natione Scotus inserviebat, Ploceano episcopo superstite, id est octavo seculo, juxta traditionem Augustensis ecclesiæ; nulla etenim in ejus vita chronologica nota exprimitur ex qua de ejus ætate statuere quid certi liceat. Beatus Ursi quidem ille presbyter sancto fine functus, sepulturam adeptus est juxta ecclesiam S. Petri, ubi post mortem miraculis claruit. Unde anno 985 marchionibus Montisferrati primæ stirpis incessit cupido eidem ecclesiæ bona conferendi ad victum cultumque nonnullorum presbyterorum, qui secularem vitam duxerunt ad annum 1133, quo Arnulphus hujus loci prior, postea episcopus regulæ S. Augustini eos adscivit. Sed ad pristinum statum eos reduxit Urbanus summus pontifex an. 1630, die 5 Octobris. Prior hujus ecclesiæ, quem Sammarthani perperam insigniis pontificalibus ornatum asseverant, nulla honoris nota distinguitur, sola hac prærogativa perfruitur, videlicet ut post dignitates cathedralis locum obtineat. Hæc quidem ecclesia una cum cathedrali habet ex concessione ducum Sabaudiæ jurisdictionem in parochia Derivæ, cujus familiæ divisæ sunt in duas partes & unaquæque suum tribunal agnoscit. In ea tumulantur corpora plurimorum episcoporum, scilicet Galli, Arnulphi, Petri, ac Bonifacii, necnon duorum Tarentasiæ antistitum. Reliquiæ autem S. Ursi includuntur in theca miri operis. Servatur in thesauro crux argentea tam ingentis ponderis, ut vix alibi similem reperias.

Plura extant monasteria, quorum nullum abbatiæ titulo insignitum. Abbatiæ *S. Viti, Elvacensis*; *S. Nicolai montis Audeæ* a Sammarthanis recensitæ nomine tenus cognoscuntur. Substat in urbe prioratus sancti Jacobi ordinis canonicorum regularium. Hic pendet a præpositura sancti Bernardi Menthonensis, quam beatus ille vir nobilis familiæ Menthoniæ patre Ricardo natus, Augustensisque archidiaconus in honorem B. Virginis & S. Nicolai pro peregrinorum sublevamine in monte Jovis ædificavit circa annum 980, ac paternis patruique Bernardi opibus dotavit, canonicisque regularibus a se institutis tradidit colendam. Quæ quidem præpositura nominatissima est, habens monasterium in jugo Alpium Penninarum & duo xenodochia, ubi transeuntes omnes peregrini in Italiam ex Gallia ultro citroque recipiuntur & pascuntur gratis. Primum junctum est cœnobio, alterum est in jugo Alpium Graiarum. Præterea sub se habet & prioratus & parochias. Quod attinet ad S. Bernardum, Novariæ jacet, illiusque acta recitat Carolus a basilica S. Petri in sua Novaria. Præter prioratum S. Jacobi, duo sunt conventus Canonissarum regularium, fundatus unus exeunte seculo duodecimo, alter an. 1643. Duo monasteria ordinis S. Francisci, primum Fratrum Minorum conventualium, exstructum an. 1216; Capucinorum alterum 1619. Moniales Visitationis institutæ 1631. Gymnasium ubi pueri in humanioribus litteris instituuntur, quod olim fuit prioratus ordinis S. Benedicti, juris S. Benigni Fructuariensis, postea canonicorum regularium, erectum anno 1596. Seminarium cui canonicis regularibus

Digitized by Google

discessis anno 1748, successerunt Barnabitæ. In reliqua diœcesi est & altera præpositura S. Ægidii a marchionibus Montisferrati exstructa anno 985 pro monachis S. Benigni Fructuariensis apud Varascum, gallice *Verres*, a civitate itinere diurno dissitum, situmque circa finem regionis a parte Italiæ. Cessit in posterum canonicis regularibus qui etiamnum illa perfruuntur. Habet etiam prioratus & parochias a se pendentes. Ad hæc adduntur duo conventus Capucinorum, constructi anno 1633, unus in urbe Castilionensi, alter in pago gallice dicto *Morgex*.

Nunc texendus nobis episcoporum catalogus incumbit, quem si correctiorem & emendatiorem in lucem ediderimus, magnopere debemus N. *Carrel* hujus ecclesiæ canonico & sacristæ, qui chartas omniaque monumenta diversis cladibus, & præsertim incendio ad annum 1518 obvento erepta, perscrutatus est.

EPISCOPI AUGUSTENSES.

I. S. Eustasius.

Eustasius qui & Eustatius ac Eustachius, a S. Victricio episcopo Rotomagensi laudatus in concione de laudibus Sanctorum ad annum 388, subscripsit synodo Mediolanensi an. 390, tanquam suffraganeus S. Ambrosii. Tam provectæ ætatis erat an. 451, ut ipse non potuerit interesse concilio Mediolanensi hoc anno habito, cui Gratus presbyter ejus nomine subscripsit.

II. S. Gratus.

Sub finem octavi seculi a Sammarthanis & plerisque scriptoribus positus fuit Gratus seu Gradus ex fide actorum conscriptorum duodecimo seculo, de quorum falsitate viri eruditissimi non dubitarunt, quales sunt, Baronius qui observat in illis referri inventionem quamdam capitis S. Johannis-Baptistæ nullo testimonio veritatis fultam; Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ, adnotat quædam ab auctore illius vitæ admixta esse a veritate prorsus aliena; Ughellus in elogio S. Grati ex actis confecto ea acta præpostera vocat. Papebrochus tandem act. sanct. tom. IV Junii, agens de reliquiis S. Johannis-Baptistæ, vitam S. Grati dicit merissimam esse fabulam. Ut autem palam sit omnibus quam falsa sint hæc acta, accipe ex historia cujusdam concilii in officina scriptoris hujus fabricati. Is si quidem narrat S. Gratum seculo octavo adfuisse concilio Calcedone adversus Constantinum imperatorem congregato, quasi non fuisset unica synodus Calcedonensis habita non octavo seculo, sed anno 451, tempore S. Leonis adversus Nestorii & Eutichetis hæreses. Quod dicit de ejus legatione ad Carolum magnum, de ejus patria & studiis Athenis peractis æque inepta videntur; nam raro fuit in usu ut Græci nomina latina sibi sumerent, quin imo tempore Caroli magni & longe prius nullum apud Athenas perstabat vestigium hujus antiquæ celebritatis studiorum, quæ ea in civitate scholares undequaque olim cogebant. Nulla igitur hujus fabulæ habita ratione, sententiæ Caroli Novariensis episcopi adhæremus, qui S. Gratum ad quintum seculum reducit, atque in sua Novaria, pag. 20, de eo hæc scribit: « Nunc esse puto presbyterum qui pro episcopo suo subscripsit epistolæ synodali Eusebii archiepiscopi Mediolanensis ad Leonem pontificem inter cujus epistolas ea leguntur. Ego Gradus presbyter ab episcopo meo Eustasio ecclesiæ Augustanæ, vice ipsius, in omnia scripta consensi & subscripsi, anathema dicens iis qui de Incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt. Eo magis hoc mihi persuasum est, quod hujus sancti episcopi lego fuisse discipulum Jocundum. » Unde placet inferre Gratum, qui Mediolanensi concilio loco Eustasii sui episcopi adfuit, non multo post eidem successisse. Equidem non breve intervallum vacuum id maxime innuit; Ab Eustasio enim qui sedebat anno 451, ad tempora Jocundi qui prima vice occurrit anno 490, triginta novem numerantur anni intra quos Gratus sedem episcopalem facile potuerit obtinere.

Attamen si Tillemontio & Ruinartio credatur, admittendus erit Gratus alter ad medium fere seculum septimum. Primus enim, tom. IV monum. eccl. in sancto Mauritio, & præcipue nota 1 in Mauritium; alter vero in annotatis ad appendicem operum Gregorii Turonensis, col. 1318, ad id tempus figendam volunt translationem S. Innocentii unius ex martyribus legionis Thebeæ, sanctumque Gratum una cum Protasio episcopo Sedunensi, qui anno 644 adstitit concilio Cabilonensi, huic interfuisse. Ad hæc respondetur incertum esse utrum ille Protasius extiterit episcopus Sedunensis an Senecensis, cujus ecclesiæ catalogo olim fuit insertus, cum vox illa Sedunensis in solo codice Bellovacensi reperiatur, & in alteris codicibus vulgatis legatur Sentiensis. At sive fuerit episcopus Sedunensis sive non, nihil idcirco impedit quominus Protasius alter ab illo qui concilio Cabilonensi interfuit, eamdem rexerit ecclesiam post medium seculi quinti, præsertim cum locus ei facile possit assignari.

Obiit autem S. Gratus die 7 Septembris, seculo, ut diximus, quinto. De ejus cultu hæc scribit episcopus Novariensis, p. 20: « Quoniam vero etiam episcopus ipse ejusdem civitatis Augustanæ, qui ibi ut patronus colitur, plurimum in hac diœcesi (Novariensi) passimque votis ecclesiisque celebratur, de eo commemorandum est: Gradum dico episcopum sine dubio sanctissimum, si eximiam erga illum horum populorum antiquam pietatem spectes, quem tamen alii Gratum potius appellant, cujus festus dies agitur VII id. Sept. » Hujus S. Præsulis nomen memorarunt plerique recentiores martyrologi.

Digitized by Google

Saussaius perperam eum adscripsit episcopis Salutiarum. Corpus ejus in locupletissima capsa inclusum penes est ecclesiam cathedralem, sed lapis sepulcralis, qui in leprosorum nosocomio positus fuerat eorum curationis gratia, dein translatus est in ecclesiam parochialem S. Christophori, ubi legitur id epitaphium: *Hic requiescit in pace S C M, Gratus eps S V D VII ID Septembris.* Tres illæ litteræ S V D id innuere videntur, seculo quinto defunctus.

III. S. Jocundus.

Quemadmodum Ughellus, Sammarthani & alii scriptores ex fide actorum fabulosorum, inter episcopos Augustenses S. Grato locum dederunt ad seculum octavum, sic etiam opportuit ab ipsis admittendum ad eadem circiter tempora Jucundum unum qui ei succederet, quippe quod in eisdem actis discipulus S. Grati exstitisse legatur. Cum autem illum ad seculum quintum revocemus, hic pariter necessario revocandus videtur Grato successorus, *cujus*, inquit episcopus Novariensis, *lego fuisse discipulum Jucundum.* « Is juxta » Sammarthanos, ex Campo castro Augustensis » agri honestis & piis parentibus prognatus, a puero » litteris moribusque à S. Grato excultus, eidemque » in episcopatu successor lectus est. Suscepto pastorali » munere, illud summa vigilantia cœpit exercere, » pauperum curæ, divino cultui, gregi bene pascendo semper intentus. » Beatus ille præsul prima vice memoratur anno 490. Subscripsit 3 & 4 concilio Romano annis 501 & 502. Adhuc occurrit in schedis ad annum 503. « Multo » tempore, inquiunt Sammarthani, sancte & pru- » denter hanc rexit ecclesiam, beatoque fine vitam » explevit III cal. Januarii. Corpus prope suum » magistrum & decessorem Gratum sepulturæ tra- » ditum est, multis coruscans miraculis. Solemni » ritu dies ejus celebratur apud Augustenses qui » anno Domini M. CCCCXLIX, 7 Augusti, Jocundi » capitis inspectione aquarum multitudinem evaserunt in valle apud civitatem jam pene absorpti. »

Incertum est an sit ille episcopus Augustensis, cujus, tacito nomine, meminit Cassiodorus, lib. I variarum epist. 9, qua Theodoricus rex Italiæ Eustorgio Mediolanensi præsuli significat episcopum Augustanæ civitatis falsis criminibus a clericis accusatum, honori pristino a se restitutum fuisse.

IV. Gallus.

Ab Ughello beatus, sanctus vero a Sammarthanis vocatus Gallus, etsi dies ejus cultui nequaquam assignatus, recensitusque inter Augustenses episcopos circa finem noni seculi, sedem episcopalem capessivit 15 Octobris anno 528, & mortem oppetiit anno 546, die 5 Octobris, ut patet ex antiquissimo ejus epitaphio, quod hisce verbis legitur in monasterio S. Ursi: *Hic requiescit in pace sanctæ memoriæ Gallus episcopus, qui vixit in episcopatu annos XVII, menses II, dies XX, Defunctus Pie sub Die III nonas Octobris duodecies Post Consulatum Paulini junioris Viri Clarissimi.* Literæ initiales quibus italicos characteres in epitaphio omissos adnexuimus interpretationis alterius videntur expertes.

§ Ab hoc seculo quo civitas Augusta occupata fuit a Longobardis, ad usque octavum, nullus in catalogo Augustensium recensetur episcopus, unde probabilis oritur suspicio ecclesiam Augustensem diu caruisse episcopis.

V. Lupus.

Memoratus ad annum 755 Lupus, a Cointio creditur idem esse cum Lupo, qui subscripsit anno 757 privilegio Chrodegangi episcopi Metensis pro monasterio Gorziensi. *Annal. eccles. Franc. t. V, pp. 389, 563.*

VI. Ploceanus.

Si erroribus Iconoclastarum infectus fuerit Ploceanus, prout vult popularis traditio, constatque ex veteribus picturis, jure meritoque ad seculum octavum videtur collocandus, quippe cum hæc hæresis citius hoc seculo non orta fuerit, proindeque sanctus Ursus presbyter Augustensis a quibusdam scriptoribus Jucundi socius & Grati discipulus dictus, necnon a nonnullis inter episcopos Augustenses perperam adscriptus, ætatem Ploceani non præcessit, sed ipsi coævus exstitit, ut asserit hujus ecclesiæ traditio, patetque ex vita ejusdem S. Ursi, in qua episcopus ille his coloribus respersus: *Fuitque in illo tempore in eadem urbe præsul quidam, nomine Ploceanus. Sed ut res gesta apertissime probat, & illius loci cives asserunt, ob perfidiam suam nimiamque crudelitatem non pontifex pastoralis curæ, sed sub veste ovis lupus rapax & crudelissimus invasor, atque tyrannus potius exstitit quam pontifex vel pastor.* Is rogatus a S. Urso ut parceret cuidam suo ministeriali qui crimen admiserat, veniam promisit, sed fidem datam fefellit. Vix enim famulus ille ex ecclesia S. Petri in quam confugerat est egressus; cum comprehensus fuit & adductus ad Ploceanum, *qui frendens & tabescens in eum, tamquam crudelissima bestia, tamdiu a dorso & ventre flagellatus est, quousque expirare crederetur. Tunc capite ejus tonso jussit tyrannus viscosum bitumen super illud fundi, ut vix evaderet usque ad virum Dei* (Ursum) *morte vicina.* His commotus beatus ille vir episcopo mortem minatus est, moxque minæ sortitæ sunt effectum; *eadem vero nocte in qua migraturum episcopum prædixit, projectus est de strato suo a dæmonibus in humum & sic miserabiliter expiravit.* *Bolland. Febr. tom. II p. 937.*

VII. Otto.

VIII. Hugo.

Absque chronologia Hugo memoratur in tabulis ejus ecclesiæ.

IX. Gripho.

Post Hugonem ibidem exhibetur Gripho vel Griffo.

X. Ratbornus.

Synodo Ticinensi, in qua Italici regni episcopi, & cæteri optimates sibi dominatorem adoptarunt Carolum Franciæ regem, a summo

Digitized by Google

876. pontifice in imperatorem jam inunctum, subscripsit Ratbornus an. 876, mense Febr. indict. IX. Adstitit anno 877, indict. x, concilio Ravennatensi.
877.

Collect. Hist. Franc. tom. VII.

XI. Ansericus.

920. Ad annum 920 Ansericus in membranis occurrit ex Sammarthanis.

XII. Anselmus I.

Ex commentariis quæ præ manibus habemus,
923. Anselmus an. 923, mense undecimo, stans ante ecclesiam sanctæ Mariæ, rege Rodulpho ibidem residente, atque laudante, dedit canonicis ejusdem ecclesiæ duas partes agrorum, quos in valle Augustana possidebat. Tertiam vero partem tradidit ecclesiæ SS. Petri & Ursi.

Charta I, col. 485.

XIII. Gizo I.

Nullis ex aliis monumentis innotescit Gizo, nisi litteris, quas ipse edidit adversus Adalbertum, Berengarii Italiæ regis an. 924 necati filium, comitem Augustæ, de pretio mercium in urbem introeuntium, quarum epocha referenda videtur ad annum circiter 960.

Charta II, col. 485.

XIV. Luittifredus.

Concilio provinciali sub Vualperto Mediolanensi archiepiscopo Luittifredus interfuit anno
966. 966.

XV. Boso I.

Beati Bernardi de Menthona archidiaconi Augustæ, fundatoris monasterii & xenodochiorum Alpium Penninarum & Graiarum ad utilitatem tam egenorum quam opulentorum, contempo-
980. raneus Boso, superstat anno 980.

XVI. Anselmus II.

In decreto quod Burchardus Lugdunensis
990. archiepiscopus apud Ansam edidit anno 990 pro possessionibus asserendis monasterio Cluniacensi, reperitur Anselmus. Is una cum Amisone Tarentasiensi antistite subscripsit anno 994
994. concilio ibidem celebrato. Præsens adfuit cum Rodulphus rex Burgundionum bona a regibus antecessoribus monasterio Agaunensi ablata restituit & alia donavit. Ad quem annum privilegii hujus epocha figenda sit incertum, nam etsi verum est decimum-sextum cal. Martii in sabbathum incidisse ad annum 1014, verum etiam est præfatum annum non fuisse vicesimum-quartum regni Rodulphi, sed vicesimum-primum. Unde oritur suspicandi locus privilegium illud non fuisse datum citius an. 1017 exeunte, juxta veterem computandi modum, id est, 1018; indictione I in præcitato privilegio adnotata, vicesimoque quarto anno regni Rodulphi cum hoc anno concurrentibus. Idem esse videtur
1025. cum Anselmo qui anno 1025 interfuit alteri concilio Ansano habito a Burchardo Lugdunensi archiepiscopo, quem Salutianus episcopus cum Burchardo nepote confundens, episcoporum Augustensium catalogo inseruit.

Anecdot. t. IV, col. 74. Ibid. col. 78. Guichenon, Hist. Sab. tom. t. III, p. 2.

XVII. Brocardus.

Burchardi archiepiscopi Lugdunensis nepos Brocardus vel Burchardus, cum Humberto Maurianensi comite pactionem iniit an. 33 Rodulphi regis, id est an. 1026, die Mercurii, XVI cal. Decemb. indict. IX. Defuncto patruo an. circiter 1031, dissentio maxima orta est, inquit Glaber Rodulphus, de præsulatu ipsius sedis (Lugdunensis) quam plures non justis appetebant meritis, sed instinctu superbæ elationis. Primus omnium prædicti Burchardi nepos, ejusdemque æquivocus, supra modum superbissimus, relicta sede propria Augustanæ civitatis, procaciter Lugdunensem arripuit, qui post multas perpetratas nequitias, captus a militibus imperatoris, perpetuo est condemnatus exilio. 1026.

Guichenon, Hist. Sabaud. t. III, p. 4.

XVIII. Gizo II.

In locum Brocardi post sedem relictam diplomate apostolico Gizo suffectus anno 1033 vel 1034, diem clausit extremum an. 1039. 1039.

XIX. Augustinus.

Dum sederet Augustinus, Humbertus comes Mauriennensis anno 1040 dono dedit sacello B. Mariæ cathedralis ecclesiæ dominium merumque imperium Lociæ Duliæ pro duabus partibus, pro alia vero parte cœnobio SS. Petri & Ursi. Obiit Augustinus anno 1058. 1040. 1058.

XX. Arrumptius.

XXI. Boso II.

Juxta Augustinum ab ecclesia Boso superstes an. 1086, 1089, 1099, una cum Bosone Tarentasiensi & Conone Maurianensi præsulibus Bellarum-vallium ecclesiam dedicavit, & donationes huic monasterio ab Humberto Sabaudiæ comite erogatas confirmavit. Testis fuit donationis ab eodem comite Widoni primo Alpensis cœnobii abbati in pago Gebennensi collatæ. 1086. 1089. 1099.

Guichenon, Hist. Saband. t. III, p. 26. Ibid. p. 44.

XXII. Herbertus.

Ex canonico seculari S. Ursi Herbertus factus episcopus, decessit 20 Octobris 1125. 1125.

XXIII. Humbertus.

Conventioni abbatem Agaunensem inter & Guidonem de Mingio initæ Salvani intercessit Humbertus anno 1138, V cal. Martii. 1138.

XXIV. Guigo.

Innotescit Guigo ex charta qua notum facit Humbertus comes Mauriannensis & marchio Italiæ se fundasse Cartusiam Allionis, & per manum domini Guigonis venerabilis Augustensis episcopi dedisse huic domui territorium & quidquid in illo loco de jure possidebat an. 1143. 1143.
Is autem est tenor litterarum Humberti supra laudati, quibus notum facit quod anno Domini 1143 Cartusiam Allionis in diœcesi Gebennensi construxit & dotavit. *Præsentibus & posteris notum sit quod ego Humbertus comes Maurianensis &*

Digitized by Google

ANNI CHRISTI *marchio Italiæ, pro remedio animarum Patris & matris meæ, amore Dei Omnipotentis, anno M. CXLIII, totius domus Allionis in ordine Carthusiensi fundator exstiti. Territorium & quidquid in illo loco de jure possidebam prædicto ordini per manum domni Guigonis venerabilis Augustensis episcopi tunc temporis prioris Majorævi, cui præcordialiter adhærebam, quidquid ibi habebam & quidquid ibi adquirere vel emere infra terminos eorum potui, libere donavi & concessi. Hoc quidem, ut prædixi, donavi Deo & B. Mariæ primum & ordini Carthusiensi & illius loci servitoribus, prout melius ad honorem Dei & ad usum illorum evenire poterit. Præterea quia infra terminos hujus domus non multum abundant pisces, donavi domui prædictæ lacum meum de Labrelli quem jure possidebam;* ex schedis V. C. domini Nicolai *Chorier* in senatu Gratianopolitano advocati.

XXV. Arnulphus.

D'AVISE. Dominorum Davisii seu de Avisio prosapia ortus Arnulphus, ex canonico sancti Ursi prior electus, primus in hunc locum vivendi normam juxta regulam S. Augustini induxit, ut constat ex columna marmorea, cui inscribuntur hæc verba: *Anno 1133 incæpta fuit hæc regularis vita: ex hoc munere, cum omnibus ob sanctam exemplaremque vitam acceptus esset, ad majus vocatus vir egregie nobilis Arnulphus suffectusque cleri & populi suffragiis concurrentibus in locum mortui episcopi circa annum 1143;* vel etiam paulo serius, ut ex præcedenti articulo liquet. Ipso præsidente & concedente, canonici Augus-
1150. tenses circa annum 1150 ecclesiam S. Eusebii
Ch. III, col. 486. priori S. Johannis Gebennensis donarunt sub certis obligationibus & conditionibus. Canonicis B. Mariæ & S. Ursi decem solidos annuales sumendos ex prædiis, cuidam Guillelmo & fratri ejus ad tertiam usque generationem precario
1158. cessis legavit an. 1158. Sanctissimus vir dictus, sepulturam in monasterio S. Ursi adeptus est.

XXVI. Guillelmus.

DE SALA DE CHEVRIER-DE LA PALU. Quædam bona a Martino quodam in vicinia cathedralis ecclesiæ sita Guillelmus emit anno
1165. 1165, quæ postea eidem ecclesiæ legavit pro refectione communi facienda, quam hodie impendit præpositus capituli assignatam super parte septentrionali sui viridarii. Nobile feudum *de la Palu* mensæ episcopali annexuit. Sepulturam habet in ecclesia S. Ursi.

XXVII. Aymo I.

DE QUARTO. Annuam refectionem in cœna Domini clero
1176. parandam instituit Aymo an. 1176, ex tabulis.

XXVIII. Vualpertus.

Besson. Hist. eccles. Sabaud. prob. p. 371. In privilegio Friderici imperatoris Aymoni Tarentasiensi archiepiscopo concesso anno 1186 memoratur Vualpertus, uti & in altero in Augus-
1186. tanorum civium gratiam a Thoma Maurianensi
1188. comite anno 1188 indulto. Beatum Petrum Tarentasiensem archipræsulem in Italiam comitatus fuerat, ut patet ex ipsius litteris ad Cælestinum III scriptis, in quibus plura hujus sancti miracula recitat. Ad eum simul & capitulum Augustense epistolam, datam apud S. Petrum de monte Jovis v cal. Septemb. anno 1196, scripsit Bernardus cardinalis S. Petri ad vincula, sedis apostolicæ legatus. Bolland. Maii, t. II, p. 346. 1196.

XXIX. Germanus. 1198.

XXX. Jacobus I.

Episcopali munere fungebatur Jacobus anno 1216. Translatus deinde est ad ecclesiam Astensem anno 1219. De quo Ughellus plura in episcopis Astensibus. DE PORTIA. 1216. 1219.

XXXI. Bonifacius I.

Ex comitibus Valpergiæ ortus Bonifacius, prior regularis S. Ursi exstitit. Augustensis vero episcopus electus vitam duxit pastore dignissimam. Acquisivit anno 1220, VII cal. Februarii, mensæ episcopali ab Oberto de Bardo Eporediensi episcopo feuda *d'Allian, Vicie, Epinel* cæteraque bona quæ ille possidebat in valle Augustana, ex hæreditate paterna, scilicet ex feudo Castri-Argentei. Quam etiamnum hodie Augustenses episcopi refectionem communem impendunt, fundavit stabilivitque super parte hortorum episcopalium. Obiit cum fama sanctitatis circa annum 1223 aut 1224. Ejus ex marmore effigies olim erecta est in ecclesia cathedrali & parieti affixa a latere sinistro sacelli S. Antonii. DE VALPERGUE. 1220. 1223.

XXXII. Siffridus.

Subscripsit Siffridus tanquam Augustensis episcopus, diplomati Henrici Romanorum regis, dato apud Bernum v cal. Jan. anni 1224, in gratiam Clementiæ Zaringiæ ducis viduæ, Stephani Burgundiæ comitis filiæ, cum archiepiscopis Engelberto Coloniensi, Thiedrico Trevirensi, Gerardo Bisuntino; & episcopis Willelmo Lausannensi, Heinrico Basileensi, &c. Vide cartularium comitum Burgundiæ a Petro-Francisco *Chifflet* editum divione anno 1656, & tom. III Galliæ nostræ Christianæ, col. 688. 1224.

XXXIII. Rudolphus.

Refectionem communem instituit Rudolphus ad diem Circumcisionis. In Tarentasiensem archiepiscopum assumptus fuit anno 1248. DE CURTIS DE VALLE-DIGNA. 1248.

XXXIV. Petrus I.

Cum Aymone Verretii præposito Petrus permutationem fecit v cal. Maii anno 1249, 1249.
parochiæ Antesii pro parochiis Charvensodi & S. Martini Corliani a præpositura pendentibus. Vide Besson. p. 390.
Nova instituta de administranda justitia una cum clero IX cal. Septemb. anno 1253 laudavit. 1253.
Memoratur anno 1256 in sententia adversus canonicos seculares ecclesiæ Tarentasiensis lata a sedis apostolicæ delegatis. De canonicorum assidua commoratione seu residentia, an. 1263, IV idus Augsti cum Tarentasiensi archiepiscopo edictum tulit. Dominium *de Rhins* juris mensæ episcopalis nobili viro ex sua prosapia 1256.

ANNI CHRISTI

primus cessit in feodum. Xenodochium Stapularum erexit ac dotavit, ex Sammarthanis. Fato fungitur anno 1263.

XXXV. Petrus II.

DE SOCOLIS seu DE PALATIO.

Inter S. Ursi priores in historia canonicorum regularium Perrenoti recensitus Petrus, pastorale pedum obtinebat an. 1263. Refectionem communem in die Dedicationis ecclesiæ instituit,
1266. & decessit anno 1266.

XXXVI. Humbertus II.

DE VILETA.

A Sammarthanis ad annum 1377 rejectus Humbertus, de præbendariorum seu vicariorum assidua commoratione ex consilio capituli statutum
1267. fecit anno 1267. Reperitur & anno 1268.
1268. Subscripsit 24 Octobris 1271, pactioni initæ
1271. inter Philippum comitem Sabaudiæ & Aymonem vicecomitem & cives urbis Augustanæ.

XXXVII. Aymo II.

DE CHALLAND

Ex Augustana sede ad Vercellensem translatus
1272. fuit Aymo a Gregorio X anno 1272, die XII cal. Januarii, teste Ughello a quo nuncupatur Avogadrus. Quam quidem translationem probat ipse suis litteris quarum hic subjicimus breve:
Charta IV. col. 486.
*Aymo M. D. episcopus Vercellensis & comes..... Cum nos ob reverentiam Dei & B. M. V. & ecclesiæ August. cui licet inutilis & indignus præfuimus episcopus, & quam matrem nostram merito reputamus, in cujus honore est ipsa ecclesia dedicata & in nostrorum remissionem peccaminum, & pro remedio animarum Patris & matris, & quondam D. Petri * electi Lugdun. fratris nostri & prædecessorum nostrorum ipsi ecclesiæ August. x libras Viennen. dederimus in reditibus annuatim..... Actum & datum in castro Verrucæ anno Domini 1296, die 5 mensis Martii.* Idem esse videtur ac Aymonettus quem Sammarthani ad annum 1375 remiserunt.

* De eo vide tom. IV, col. 154.

XXXVIII. Simon.

In episcopum electus est Simon anno 1272, ex Sammarthanis. Privilegia quædam subditis suis
1273. vallis Cogniæ concessit anno 1273. Cathedralis ecclesiæ capituli statuta die 16 Septemb. anno
1277. 1277 confirmavit. Eleemosynam instituit anno
1278. 1278, hora prima diei in episcopali palatio egentibus quotidie erogandam, cujus ergo Bonus & pauperum pater appellatus fuit. Eodem rursus anno, prid. cal. April. Cogniæ subditis privilegia
1279. concessa iterum probavit. Adstitit anno 1279 testamento Guillelmi *Sariod*, equitis & con-
1282. domini Castri-Argentei. Die 16 Junii 1282 fundavit xenodochium burgi Salæ.

XXXIX. Nicolaus I.

DE BERSATORIBUS.

Satus nobili prosapia de Bersatoribus Nicolaus ex oppido Pignerolensi, die veneris post festum sancti Johannis-Baptistæ anno 1282 statutum capituli confirmavit. Die veneris post festum
1284. B. Luciæ anno 1284, prope pontem *Charaz* subtus Avalonem, sigillum suum apposuit compositioni initæ de petitionibus Beatricis a Sabaudia
Prob. hist. Delphin. p. 37.

A super comitatu Viennæ. Eodem rursus anno III cal. Decemb. præsens fuit cum Philippus Sabaudiæ comes in camera sua apud Montemmelianum præstitit homagium archiepiscopo Viennensi. Quamdam fecit constitutionem an. 1286 1286.
Ibid. p. 28.
cum Aymone Tarentasiensi archiepiscopo circa distributiones. In vigilia S. Martini an. 1287 1287.
concessit indulgentias viginti dierum fidelibus adstantibus antiphonæ ad honorem B. Mariæ Virginis post completorium canendæ. Fundavit an. 1291 unam vicariam unumque altare in ho- 1291.
nore SS. Nicolai, Catharinæ, Mariæ-Magdalenæ atque beati Bonifacii de Valpergia, qui ibidem
B coleretur quando corpus ipsius contingeret referari in cathedrali ecclesia. A nobili viro de Bossa pro 200 marcharum argenti summa feudum *de Rhins* cessum redintegravit episcopali mensæ, x cal. Maii anno 1296. Decessisse creditur 1296.
anno 1301. 1301.

XL. Aymericus I.

DE QUARTO.

Canonicus regularis & S. Ursi prior Aymericus sive Emericus ex Sammarthanis, electus episcopus, id munus cum lacrymis die Martis proxima post festum B. Lucæ acceptavit in castro Quarti 1301, & Bugellæ an. 1302 consecratus 1302.
C est. Calendis Maii an. 1303 statutum illud capituli 1303.
confirmavit, quo post obitum canonici jus sit heredibus per annum integrum præbendæ fructus percipiendi. Capellam S. Blasii fundavit anno 1304 in ecclesia SS. Petri & Ursi. Clericorum 1304.
sodalitati decem libras annuales testamento legavit. Ob vitæ probitatem tamquam beatus a Perrenoto celebratus fuit. Corpus ejus totum quasi integrum adhuc permanet, & multi ad ejus intercessionem recurrunt.

Petrus de Quarto frater & successor Aymerici, ut volunt Sammarthani, quem defunctum fuisse dicunt anno 1308, ex catalogo videtur
D expungendus; nam Nicolaus de Bersatoribus superstes anno 1327, præcedentis Nicolai nepos, recensens episcopos qui ecclesiam Augustensem rexerant a tempore avunculi ad usque suum, duos tantum enumerat, Aymericum scilicet & Ardutium, de quo mox dicturi. Attamen fieri potest ut Petrus electus fuerit, at forte non inauguratus.

XLI. Ardutius.

Pontis S. Martini partim dominus Ardutius anno 1318, die 17 Octobris, a comite Sabaudiæ 1318.
Amedeo quibusdam bonis acceptis, eidem cessit
E tertiam partem talliarum, obventionum cæterorumque jurium quæ episcopi in civitate Augustensi & suburbiis exigebant, salvis tamen pedagio, Leyda, fenestragio & banno vini; tria anniversaria pro animæ suæ sublevamine in cathedrali ecclesia fundavit, & obiit anno 1326. 1326.

XLII. Nicolaus II.

DE BERSATORIBUS.

Præcedentis Nicolai nepos Nicolaus, a Bertrando archiepiscopo Tarentasiensi, assistentibus Palaino Eporediensi & Guidone Taurinensi episcopis, an. 1327, die 22 Septemb. in ecclesia 1327.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

Augustensi consecratus est. Memoratur anno
1344. 1344, die 2 Junii, indict. XII, in testamento
Guichenon hist. Sabaud. t. III, p. 75. Aymonis comitis Sabaudiæ. Sacellum S. Thomæ
Cantuariensis in episcopalibus ædibus an. 1348
1348. fundavit. Multas an. 1351 habuit contentiones
1351. cum officialibus comitis Sabaudiæ, quem etiam hoc anno vallem Augustanam ingredientem solenniter excepit, & in palatio episcopali hospitatus est. Amedeo comiti erat a secretioribus consiliis
1355. anno 1355. Capituli statutum confirmavit anno
1361. 1361, die 1 Junii. Refectionem instituit communem in die solemnitatis Corporis Christi. Omnibus mobilibus suis capitulo legatis moritur anno 1361.

XLIII. Aymericus II.

De Quarto. Ex archidiacono in episcopum assumtus Aymericus, sacrum ærarium diversa ornamentorum
1362. supellectile instruxit 9 Martii 1362. Comitiis generalibus ducatus Augustensis sub Amedeo
1368. Sabaudiæ comite interfuit anno 1368, mense Novembri. Comestionem communem instituit ad diem 1 Augusti. Sepultus est in choro a parte dextra, ubi ejus effigies cum ornamentis pontificalibus in marmore repræsentatur cum hac inscriptione: *Sepultura Emerici de Quarto epis-*
1372. *copi 24 Julii 1372.*

XLIV. Bonifacius II.

De Challand. Patria Augustanus & ex dominis *de Challand* ortus Bonifacius, primum cathedralis ecclesiæ canonicus extitit, deinde episcopatum adeptus,
1373. vitam finivit anno 1373.

XLV. Bonifacius III.

Dominorum Montis-Joveti sanguine cretus
1377. Bonifacius, mortem oppetiit anno 1377.

XLVI. Jacobus II.

Ferrandini. Natus in parochia sancti Marcelli diœcesis Augustanæ Jacobus, canonicus regularis SS. Nicolai & Bernardi, atque prior S. Jacobi intra mœnia civitatis, ad episcopales infulas evehitur 31 Maii 1377. In honorem S. Spiritus, sub invocatione SS. Grati & Antonii sacellum fun-
1380. davit anno 1380, die 7 Novemb. in ecclesia cathedrali quam exornavit. Magnam basilicæ
1397. crucem sacravit anno 1397, die 10 Augusti. Novos libros dictos de episcopo ad usum canonicorum suis sumtibus exarari curavit, duodecim marchas argenti pro conficiendo loculo S. Grati dono dedit. Refectionem instituit communem ad diem 16 Januarii. Sua bona tres in partes divisa, episcopo successori, cathedrali ecclesiæ & xenodochio S. Bernardi, testamento anno
1399. 1399, die 4 Julii condito reliquit, & diem clausit extremum anno eodem.

XLVII. Petrus III.

De Sonnaz. Ordinis Minorum insignis theologus Petrus
1400. patria Camberiacensis, electus est anno 1400, eodemque consecratus die Conversionis S. Pauli apost. a Jacobo Vercellensi & Bonifacio Eporediensi episcopis. Solemnitatem S. Grati hoc

A edicto constituit: *Nos frater Petrus episcopus Augustensis inter cætera ordinamus, quia meritis B. Grati confessoris patroni hujus ecclesiæ nostræ cathedralis, cujus corpus in ipsa ecclesia existit canonice, opinione communi fulgura repelluntur a territorio totius nostræ diœcesis Augustensis, ordinamus quod festum ipsius sancti in qualibet ecclesia nostræ diœcesis solemniter celebretur die 7 septemb. quolibet anno, & ab omni opere similiter cessetur an. 1407, die X Maii.* Comitiis generalibus, 1407.
præsente Amedeo Sabaudiæ comite, Augustæ Prætoriæ habitis interfuit anno 1409, mense 1409.
Martio. Synodum celebravit in qua ne quis intra
B quadraginta passus circa ecclesias suæ diœcesis ludos exerceret, indixit. Ecclesiæ cathedrali pastoralem baculum argenteum donavit, canonicosque dispersos per civitatem ædificiis proprio ære aut emptis aut a fundamentis exstructis in circuitu ecclesiæ reduxit. Minorum Camberiacense & Augustense monasteria mirum in modum auxit. De vita migravit anno 1410. 1410.

XLVIII. Ogerius.

Augustensis ecclesiæ archidiaconus & in aula pontificia referendarius Ogerius sive Augerius, Morisetti al. de Confletto.
C a Johanne XXIII in episcopum consecratur 11 id. Januarii 1411, ex lib. promot. prælat. Synodum 1411.
celebravit 9 Maii 1424, in qua saluberrima statuta 1424.
edidit. Xenodochii leprosorum mensæ episcopali a Martino V unionem obtinuit v cal. April.
1425. Partem ossium sanctorum Grati & Blasii 1425.
Amedeo Sabaudiæ comiti elargitus est an. 1429. 1429.
Beatorum Johannis Evangelistæ & Christophori capellaniam ædificavit in cathedrali. Prandium commune in die Pentecostes parandum fundavit. Translatus deinde ad ecclesiam Maurianensem in Sabaudia anno 1433, die 30 Julii, an. 3 1433.
Eugenii IV.

D XLIX. Georgius.

Ex Marchionibus Salutiarum, Eustachii domini Vallis-Granæ & Montis Oroxii filius De Saluces.
Georgius renunciatur episcopus anno 1433. In concilio Basileensi unus ex electoribus pro italica natione & pro eadem Synodo ad regem Siciliæ legatus fuit. Quatuor missas solemnes cum vigiliis singulis sabbathis quatuor temporum pro defunctis celebrandas, necnon convivium commune in festo S. Hieronymi fundavit. Ludovico Sabaudiæ duci a consiliis, relicta sede Augustensi, ad Lausannensem translatus est.

E L. Johannes I.

Dominorum Pringini & Graffiti familia ortus De Pringin.
Johannes, ex ecclesia Lausannensi permutationis gratia ad istam accersitus jam sedebat an. 1439. 1439.
Confirmavit anno 1441, 8 Febr. decretum 1441.
capituli pro assidua commoratione capellanorum. Archivium confecit, curavitque fieri magnificum loculum argenteum S. Grati, cui stipem non contemnendam contulit. Donum ecclesiæ parochiali *de la Sale* collatum laudavit an. 1444, 1444.
quo ad ecclesiam Niciensem transiit.

Digitized by Google

ANNI CHRISTI

LI. Antonius.

Desprès. Johanni successit Antonius 1444; prout testantur hæc verba Felicis papæ V: *Post vacationem*, inquit ille, *sedis Augustanæ per translationem Johannis ad ecclesiam Niciensem, Antonium* Desprès *de familia nobili decretorum doctorem .... eligimus post dilectorum filiorum capituli ecclesiæ Augustensis præsentatum consensum, ut hac vice nobis eidem ecclesiæ providere liceret. Dat. Gebennæ X cal. Novemb. 1444.* Ergo Jacobinus de Christa, a Sammarthanis Johanni suffectus, ex catalogo necessario expungendus. Occurrit An-
1445. tonius 1445, die 22 April. in litteris Ludovici Sabaudiæ ducis. Adhuc memoratur in concordia inter præfatum Ludovicum & Franciscum Sfor- (Guichenon. hist. Sabaud. tom. III, pag. 360.)
1450. tiam inita 1450. Ipsemet transegit anno 1452,
1452. 27 April. cum eodem duce Sabaudiæ apud S. Genesium Augustensem. A Calixto III papa xenodochium *de Nabuisson* sive Columnarum anno 1456, VI id. Januar. episcopali mensæ (Guichenon. hist. Bressiæ, part. III, p. 354.)
1456. uniendum curavit. Ejus diligentia ad ultimum perfectionis gradum adductus loculus argenteus auro gemmisque ornatus, pretiosissimo pignore reliquiarum S. Grati solenni ritu, exultante omni populo Augustano, locupletatus est. E vita cessit
1463. Antonius anno 1463.

LII. Franciscus.

Desprès. Superioris ex fratre nepos Franciscus anno
1466. 1463 præficitur. Adstitit anno 1466, die 8 Maii solemni sacramento quo Amedeus dux Sabaudiæ libertates & privilegia Augustani ducatus se conservaturum promisit. Statuta synodalia decessorum suorum in unum volumen collegit
1504. & typis mandari curavit anno 1504. Defunctus
1511. anno 1511 sepulturam habuit in sacello sancti Gregorii, quod ipse dotaverat & a fundamentis erexerat. Ibi visitur vera ejus effigies ex albo marmore sculpta, super tumulum ex eodem lapide confectum posita.

LIII. Hercules.

De Azelio. Uberti domini Azelii, nobili marchionum Ponzoni gente sati filius Hercules, vir doctus, electus episcopus 1511, in concilio Lateranensi, sess. 3, pro Carolo Sabaudiæ duce orator, eidemque principi fuit a consiliis. Eporediæ moritur
1515. anno 1515, ibidem extra muros in Augustinianorum æde nactus sepulturam.

LIV. Amedeus.

Berrutis. Monte Calerio civitate oriundus Amedeus, juris utriusque peritissimus & egregia virtute præditus, urbis gubernator Leone X pontifice, in episcopum inungitur anno 1515. Adstitit
1516. anno 1516 sessioni duodecimæ Lateranensis concilii. Ecclesiasticæ libertatis acerrimus propugnator, pro qua non semel a sua ecclesia exulavit, Padaci Eporediensis diœcesis mortalitatem explevit anno 1525 & in Augustinianorum æde prope prædecessorem sepultus est, pluribus abhinc annis sponte vel invito relicta dignitate.

A 5 Alvarus Rodinus, qui ex Sammarthanis antequam inauguraretur libere onus pontificium excussit die 23 Junii 1528, si in episcopum electus fuerit, id contingere non potuit nisi inter annos 1515 & 1520, constat enim sedem episcopalem eo ultimo anno ab insequenti occupatam fuisse. Forte quidem clerus Augustensis ut legitimum pastorem Petrum Gazonium non habens, Alvarum Rodinum sibi episcopum elegit post mortem Amedei.

LV. Petrus IV.

Civis Vercellensis & canonicus Lateranensis De Gazin.
B Petrus, pastorale pedum obtinebat anno 1520, 1520.
die 6 Martii, uti legitur in litteris Caroli ducis Sabaudiæ de regno Cypri a Venetis usurpato, in quibus Petrus una cum Claudio de Staviaco, episcopo Bellicensi, testis exhibetur. Breviarium (Guichenon. hist. Sabaud. tom. III, pag. 494.)
typis mandandum curavit anno 1533. Memo- 1533.
ratur 27 Febr. 1540 in testamento præfati ducis Sabaudiæ. Plura ab hæriticis incommoda sustinuit. Eo enim præsule, inquiunt Sammarthani, Helvetii banniam Vaudi & Baillivatum Callarii irrumpunt, qua occasione Lausannensis & Gebennensis ecclesiæ in Calvini errorem fuerunt seductæ, nec parum detrimenti passa est (Ibid. p. 504.)
C Augustensis finitima diœcesis. Ad incendium accurrit Antonius *de Leyvax* de Camberiaco, baillivus Augustanæ vallis, & Petrus episcopus; ille turrim munitissimam exædificavit ad reprimendos pervagantes milites, Petrus vero diligentem instituit suæ diœcesis lustrationem, verbo, exemplove in catholica doctrina confirmavit fideles, seductos expulsit, fugavitque a sua ditione. Hic ab Emmanuele-Philiberto Sabaudiæ duce ad Philippum Hispaniæ principem in Angliam legatus fuit; unde Antuerpiam redux, ibidem gravi morbo correptus decessit an. 1556. 1556.

D LVI. Marcus-Antonius.

Albertum nobilem patricium Casalensem Robbaz de Rosignan.
patrem habuit Marcus-Antonius. Is omnium scientiarum genere cultissimus, Taurinensis senator ab Emmanuele Philiberto Sabaudiæ duce allectus, mox Pinarolii, Secusiæ & Caramaniæ abbas, a Paulo I[illegible] defuncto Petro, Augustensis episcopus electus est anno 1557, die 7 Junii. 1557.
In Tridentina synodo duplici munere episcopi & oratoris ejusdem Emmanuelis Philiberti egregie functus, orationem elegantissimam in ea habuit, ac disputatione instituta devicit hæreticum quemdam
E doctissimum. Fuit enim eloquentissimus, poëtices peritus, consilio, magnoque in rebus omnibus ingenio præditus. Cardinalis tituli S. Silvestri a Pio IV, favente Sabaudiæ duce, ob egregia merita anno 1565 fuit creatus. Ad compescendas 1565.
ecclesiasticum inter & laicum tribunalia perantiquas dissensiones, a præfato Sabaudiæ duce 7 Julii 1567 novæ sedis judiciariæ obtinuit 1567.
erectionem, in qua utriusque juris doctor laicus ab episcopo nominatus, de feudis, reditibus, emphiteusibus, decimis, donis ecclesiæ collatis, hæreditatibus sacerdotum intestatorum decedentium ad episcopum spectantibus summa cum potestate

Digitized by Google

ANNI CHRISTI potestate dijudicaret. Dimisso episcopatu anno A
1568. 1568, ex hoc seculo migravit xv cal. April. anno 1575. Humatus Romæ in ecclesia sanctæ Mariæ Angelorum non longe a Pii IV monumento, absque inscriptione sepulchrali; cujus laudes uberrime texuerunt Petramellarius & Filiuccius. Quædam ejus carmina edita sunt tom. II illustrium poëtarum Italorum.

LVII. HIERONIMUS.

FERRAGATA. Ordinis eremitarum sancti Augustini alumnus Hieronimus, ex episcopo Viren. & suffraganeo Montis-regalis, superioris cessione præsulatum Augustensem adipiscitur anno 1568, die 30 B April. Præfuit quatuor pene annis & obiit anno
1572. 1572.

LVIII. CÆSAR.

GROMIS. Guillelmo, summo ærarii præfecto Sabaudiæ, Taurini natus Cæsar, eligitur episcopus 1572,
1574. die 19 Novemb. quo titulo anno 1574 adfuit Taurini solemnibus exequiis Margaretæ Valesiæ uxoris Emmanuelis Philiberti ducis Sabaudiæ. Ecclesiæ suæ possessionem accepit 9 Junii anni
1576. 1576, cui varia ornamenta dono dedit. Montem
1585. pietatis instituit anno 1585, cui eodem anno moriens totum suum triticum testamento reliquit. C

LIX. JOHANNES II.

GEOFFROY GIGNOD. Dominorum Gignodi vallis Augustanæ sanguine cretus Johannes, decanus ecclesiæ Bellicensis, germanus Caroli-Emmanuelis in ejusdem ecclesiæ decanatu successoris, nepos que Johannis episcopi Bellicensis, in episcopum Augustensem ab archiepiscopo Ebredunensi, assistentibus Gratianopolitano & Bellicensi præsulibus, consecratus
1586. fuit 14 Decemb. 1586, & possessionem iniit 22 ejusdem mensis. Reliquias S. Mauritii ex Agaunensi abbatia diœcesis Sedunensis transtulit Augustam, deinde Taurinum, & in Metropolitana D ecclesia collocavit, Carolo-Emmanuele duce
1591. mandante die 3 Januarii 1591. Calvinianam hæresim in regione Augustana grassantem scientia, vigilantia, exemplo & auctoritate non modo compescuit, sed & penitus exstinxit. Diem ultimum clausit Augustæ 27 Februarii, anno
1592. 1592.

LX. HONORATUS.

LASCARIS. Progenitus ex comitibus Vintimillæ Honoratus,
1594. sedem episcopalem conscendit 8 Junii 1594.
1595. Mortuus 11 Julii 1595, annos 69 natus.

LXI. BARTHOLOMÆUS.

E

FERRERI. Filius Thomæ ex nobili familia Montis-regalis Bartholomæus, episcopus evasit anno 1595. Peregrinatoris habitu indutus, una cum tribus millibus virorum eodem modo vestitorum ad
1596. Montem-regalem se contulit 22 April. an. 1596, B. Dei Genitrici eo loci cultu peculiari honoratæ votum ducentorum ducatorum oblaturus, & provinciam Augustensem ejus protectioni commendaturus. Hujus meminit cum laude Philippus Malabayla in historia imaginis B. Mariæ apud vicum Montis-regalis. Altare majus ecclesiæ cathedralis exstrui & deaurari fategit, tum pro dignius recondendo SS. Sacramento, quod prius in columna marmorea in modum pyramidis fastigiata & affabre elaborata a parte evangelii servabatur, tum pro decentius exponendis in diebus festis reliquiis Sanctorum. Defunctus anno
1607, sepulturam habuit in cathedrali. 1607.

LXII. LUDOVICUS.

Bartholomæo e vivis erepto, Franciscus Vaivalda e Monte-regali a nonnullis suffectus, non modo in hujus ecclesiæ monumentis, verum quidem in actis consistorialibus prorsus ignoratur. Quam ob causam eum ex episcoporum serie expungendum duximus, ejus loco substituturi Ludovicum in eisdem actis Bartholomæo datum successorem. Hic patria Nicienfis, linguarum, omniumque scientiarum & speciatim politicæ peritissimus, bonisque moribus præditus, a Paulo V ad episcopatum evehitur 31 Januarii an. 1611. 1611.
Missale & breviarium prælo subjecit 1612. 1612.
Corpus S. Jocundi in loculo argenteo miro opere fabrefacto recondidit an. 1618. Patres Capucinos 1618.
in regionem introduxit 1619. Diuturni morbi 1619.
dolore gravatus interiit 19 Decemb. 1621. 1621.

MARTINI.

LXIII. JOHANNES-BAPTISTA.

VERCELLIN. Origine quam ab urbe Vercellensi trahebat Johannes-Baptista commendandus, sed virtutibus multo laudabilior, ex vicario generali archiepiscopi Taurinensis, Augustensis præsul efficitur
anno 1623. Magni animi & invictæ charitatis 1623.
testimonia dedit annis 1629, 1630 & 1631, 1629.
quibus lues contagiosa maximam partem inco- 1630.
larum Augustensis ducatus exstinxit. Non modo 1631.
frumentum & omnem suppellectilem distribuit, atque etiam pro ovibus suis vitam bonus pastor non dubitavit exponere. Sorores Visitationis admisit anno 1631, atque etiam patres Jesuitas ex Sammarthanis. Cum magna sanctitatis fama mortalitatem explevit 18 Martii 1651. 1651.

LXIV. PHILIBERTUS.

MILLET. Camberiaci ex nobili prosapia exortus Philibertus, canonicus regularis Lateranensis, ad episcopales infulas an. 1657 evectus, ad ecclesiam 1657.
Eporediensem transfertur anno 1658 exeunte. 1658.

LXV. PHILIBERTUS-ALBERTUS.

BALLY. In diœcesi Genevensi natus Philibertus-Albertus, congregationis Barnabitarum alumnus & eximius verbi divini præco, quod cum laude disseminavit in Galliis & in majori Sabaudia,
hanc sedem obtinuit anno 1659. Muneri suo 1659.
digne adimplendo, concionibus sacris & libris elaborandis ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus totum se dedit. Episcopale palatium reparavit, & in aula ejusdem decessores præsules, quorum notitia ad eum pervenit, pingendos curavit, quibus pictor miscuit tres Augustæ Vindelicorum antistites, nimirum Adalberum, Hildinum & Udalricum. Supremi licii aulæa, ornamenta sacra, capellæ suæ vasa argentea ecclesiæ cathedrali donavit. Breviarium Augustanum denuo

Digitized by Google

1684. impressum approbavit an. 1684. Dierum plenus & meritorum obdormivit in Domino an. 1691, ætatis suæ 92 vel 93.

LXVI. ALEXANDER-LAMBERTUS.

DE SOIRIER. Nobilis Camberiacensis Alexander-Lambertus, primo militiæ nomen dedit, deinde clero adscitus,
1691. anno 1691 episcopus renuntiatur. Nihil non tentavit ut in cathedralem ecclesiam missale & breviarium Romanum introduceret, at oleum perdidit & operam. Octo millia librarum ad instituendum Augustæ seminarium destinavit.
1698. Exeunte autem anno 1698 sedem Augustanam reliquit, capessiturus Eporediensem.

LXVII. FRANCISCUS-AMEDEUS.

MILLET. Marchionibus *d'Arvillars* Camberiacensibus atavis editus Franciscus-Amedeus, archiepiscopi Tarentasiensis patrui vicarius generalis & ejusdem ecclesiæ decanus, Augustensis episcopus Romæ inauguratur annos natus 36, die prima Februarii
1699. 1699. Synodum quotannis celebravit, seminarium clericorum erexit; totam diœcesim satis amplam & situ asperrimam uno quoque triennio per 20 annos, dein sexennio lustravit, & quotidie gregem sibi commissum pascuis cœlestibus per se ipse enutrivit. Ædes episcopales decoravit, auxitque castrum Charvensodum juris episcoporum Augustensium. Ecclesiæ cathedrali duo millia librarum, diœcesi vero pro missionibus instituendis septem millia, atque pro monte pietatis erigendo multa frumenta legavit. Ad metropolitanam sedem Tarentasiensem vocatus
1727. anno 1727, 11 Junii, magnum sui desiderium apud Augustanum populum reliquit.

LXVIII. JACOBUS III.

RAMBERT. Togata familia Camberiaci natus Jacobus; sacræ capellæ ejusdem urbis canonicus, decanatus A Sabaudiæ vicarius generalis & officialis, vir summi ingenii, magnæque in tractandis rebus arduis solertiæ, omnis generis scientiarum, præsertim legum canonicarum & civilium peritissimus, Victori-Amedeo regi Sardiniæ acceptissimus, a Benedicto XIII in episcopum inunctus, possessionem apprehendit 8 Februarii 1728. In perficiendo pastoris ministerio nulli labori parcens, 1728.
etsi annorum numero & corporis obesitate pressus, diuturnoque itinere Romano defatigatus, suas oves sitas in duodecim parochiis positis montes inter & rupes aditu difficiles visitavit, & verbum Dei ad earum intelligentiam accommodatum dispen- B savit. Breviarium diœcesanum denuo imprimendum approbavit die 4 Aprilis. Domesticis ut rebus provideret, Camberiacum mense Julio profectus, ibidem Deo animam reddidit 16 Sept. ejusdem anni 1728.

LXIX. JOHANNES III.

Mommeliani natus Johannes, doctor Sorbonicus ordinis S. Dominici, consecratorem etiam habuit Romæ summum pontificem Benedictum XIII, die XI Octobris an. 1728. Diem clausit extremum anno 1729, die 14 Septembris. Post hunc vacavit sedes per duodecim fere annos ob C contentiones inter curias Romanam & Taurinensem obortas. GRILLET.
1729.

LXX. PETRUS-FRANCISCUS.

Illustrissima toparcharum Salesiorum Genevensis ducatus prosapia ortus Petrus-Franciscus, parochus ecclesiæ *de Chilly*, decanus Rumilliaci & canonicus Aneciensis, a rege Sardiniæ episcopus designatus an. 1741, mense martio, consecratus fuit 23 Aprilis anni ejusdem a Benedicto XIV, & ab eodem prælatus domesticus & solii pontificii assistens renuntiatus. Cum S. Francisco Salesio sanguine junctus, ejus vestigia proxime sequitur. DE SALES DE THORENC.
1741.

PRÆPOSITI AUGUSTENSES.

Charta. II, col. 485. I. AFFREDUS subscripsit anno circiter 960 litteris Gisonis episcopi.

II. Petrus I de Derbia 1034.

Besson, hist. eccl. Sabaud. p. 480. III. Boso occurrit anno 1147 in diplomate Amedei comitis Sabaudiæ, prohibentis ne ædes episcopales diripiantur in episcoporum obitu.
Ch. III, col. 486. Eadem circiter ætate ex assensu capituli Petro priori S. Johannis Gebennensis sub certis conditionibus ecclesiam S. Eusebii indulsit.

IV. Bermundus 1167.

V. Guido 1180. Testis est in instrumento Thomæ Sabaudiæ comitis anno 1191.

VI. Petrus II anno 1192.

VII. Rodolphus ex præposito fit episcopus anno 1243.

VIII. Aymo I Verretii cum Petro episcopo iniit commutationem XV cal. maii 1249.

IX. Petrus III filius septimus Thomæ comitis Sabaudiæ, canonicus Valentinensis, nequaquam D ordinibus initiatus, præposituram dimisit, in comitatu Sabaudiæ nepoti suo Bonifacio e vivis erepto successurus.

X. Willelmus de Rupe vel de Roca.

XI. Petrus IV 1253.

XII. Henricus I in fundatione, ab Aymone Vercellensi episcopo facta in ecclesia Augustensi, memoratur anno 1296. Ch. IV, col. 486.

XIII. Petrus V *du Quart* obiit anno 1303, ex necrologio.

E XIV. Henricus II *du Quart* superioris germanus, sacellum Conceptionis B. Mariæ retro majus altare fundavit, in quo humatus est anno 1308.

XV. Petrus VI *de Challant*, canonicus & cantor ecclesiæ Lugdunensis, cujus electus fuit archiepiscopus, & Augustensis præpositus anno 1320, vitam finivit 1329.

XVI. Andræas de Bersatoribus, Nicolai episcopi

Digitized by Google

nepos, in duobus instrumentis patrui sui legitur ad annos 1331 & 1355.

XVII. Antonius I de Villanis legatorum & anniversariorum chartas in unum colligi curavit anno 1370.

XVIII. Antonius II *de Bilens* defunctus anno 1381. Refectionem instituerat ad diem 11 Maii.

XIX. Guillelmus II de Montegaudio.

XX. Petrus VII de Campo-Laurensall 1398.

XXI. Johannes I *Magning* Camberiacensis 1415.

XXII. Aymo II *de Gerbais* ex præposito Augustensi in Maurianensem episcopum electus anno 1422.

XXIII. Aymo III de Sala possessionem adeptus est 21 Augusti 1424.

XXIV. Guillelmus III *Didier* immissus est in possessionem 26 Januarii 1426.

XXV. Johannes II *de Piosasque* 1478. Clausit extremum diem 1507.

XXVI. Carolus *de Chalant*, protonotarius apostolicus, simul præpositus commendatarius S. Egidii *de Verrés* & collegiatæ SS. Petri & Ursi, fato functus est anno 1520.

XXVII. Guillelmus III *de Vallepergue* obtinuit usque ad annum 1536.

XXVIII. Johannes III *de Ginod*, utriusque juris doctor, prior commendatarius S. Benigni, vicarius generalis & officialis episcopi Augustensis, moritur anno 1563.

XXIX. Johannes IV *de Ginod*, superioris nepos, mortuus anno 1583.

XXX. Johannes-Ludovicus I *d'Avise*, utriusque juris doctor, animam Deo reddidit 1606.

XXXI. Humbertus *de Lostang*, doctor in utroque jure, ultimo fine quievit 1630.

XXXII. Johannes-Ludovicus II *de Vallaise*, in utroque jure doctor.

XXXIII. Johannes V *Favre*, doctor in Theologia & jure, adeptus est anno 1635. Moritur 28 Septembris 1657.

XXXIV. Johannes-Nicolaus *Paschal*, vicarius generalis, vivere desiit anno 1690.

XXXV. Claudius-Anselmus *Aymonier*, vicarius generalis, possessionem nactus 10 Octob. 1691, vitam cum morte mutavit 13 Septemb. 1727.

XXXVI. Josephus-Raymundus *d'Aïas*, vicarius generalis & officialis, decessit 27 Octob. 1749.

XXXVII. Johannes-Jacobus Dux *d'Aïas*, in utroque jure doctor, Josepho-Raimundo successit.

ADDENDA huic Tomo.

Col. 188. B. n.° LX. *Adde:* obiit in domo seminarii S. Sulpitii die 1.ª Aprilis an. 1770, annos natus 83.

Col. 219. B. n.° XLIII. *Adde:* jam abbas Cellæ-Medulfi diœcesis Ausciensis ab anno 1721 die 8 Januarii, obiit Parisiis die 22 Januarii anni 1763, ætatis suæ nonagesimo.

Ibidem. N. *Trudaine* nominatus a rege die 30 Novemb. anni 1763, fato interceptus est die 5 Decembris ejusdem anni, annos natus 34, unde novo regis diplomate hanc abbatiam adeptus est die 24 Decemb. ejusdem anni episcopus Divionensis Claudius-Marcus-Antonius d'*Apchon*.

Col. 242. B. n.° XXIV. Petrus *du Clusel de la Chabrerie* .... vivere desiit Parisiis die 20 Jun. an. 1767, annos natus 84. Et post hunc *adde*

XXV. N. *de Mouchet-de-Ville-Dieu*, decanus ecclesiæ & vicarius generalis episcopi Nivernensis, nominatus est a rege 31 Octobris 1767 Sacræcellæ abbas.

Col. 245. C. n.° XXV. *Post hæc verba* annos nata 67, *adde:* post illius obitum annexum est Villarium Gaudio, ita ut e duobus unus deinceps coalescat parthenon.

Col. 254. E. n.° XXXVI. Inter abbates S. Pauli Senonensis hodiernus a nobis appellatur N. *Gou*, *adde*, parochus d'*Everly*.

Col. 259. B. LI. N. d'*Ailly de Saint-Vidal*, *adde*, canonicus Athanacensis.

Col. 439. C. XXVI. *Adde:* obiit Alesti die 8 Junii anni 1768, ætatis suæ 65, successorem sortitus N. *de Saint-Hilaire* vicarium generalem episcopi Meldensis a rege nominatum mense Octobri 1768, qui etiam cito resignasse videtur, si quando possessionem adeptus est, nam die 3 Decembris ejusdem anni reperitur N. *de Mauroy* præcentor ecclesiæ collegiatæ Melodunensis, nominatus a rege abbas S. Petri Autissiodorensis.

Col. 482. D. XXIV. *Post hæc verba*, exeunte Junio 1743, *adde*, e vivis excesserat anno 1766, nam

XXV. Mense Junio ejusdem anni 1766, donata est a rege Insularum abbatia N. *de Thyard de Bissy* monialis Benedictina parthenonis sancti Juliani Divionensis.

Col. 562. B. n.° LV. Henricus-Philippus *Chauvelin* canonicus honorarius ecclesiæ Parif. honorarius item Parlamenti Parif. consiliarius, Arremarensis abbas ab anno 1734, obiit Parisiis die 14 Januarii anno 1770, ætatis suæ 56.

Col. 577. E. n.° XXVII. Ad calcem articuli *adde:* decessit in sua abbatia die 24 Februarii anni 1768, annos nata 90, cum per spatium 62 sapientissime rexisset hanc domum.

XXVIII. N. *de la Rochefoucault-Momont* monialis S. Auxonii Inculismensis, Paracliti abbatiam consecuta est a rege die 9 Martii an. 1768.

Col. 580. C. n.° XXII. *Lege* N. *le Sage*

Digitized by Google

de Serriere, & *adde*, obiit in sua abbatia die 12 A Februarii an. 1770. In ejus locum substituta est

XXIII. N. *de Blaccons* monialis professa abbatiæ Columnarum diœcesis Viennensis, quæ a rege nominata est die 4 Martii an. 1770.

Col. 614. A. Post numerum XX, ubi de Magdalena-Theresia *Arnoul*, *adde*


XXI. N. *Courceuil du Rouvray* immediate suscepit præcedentem, quo præcise anno ignoramus, sed postea abdicavit dimisitque abbatiam in manu regis, nam

XXII. N. *Arnoud de Rochegude* ejusdem parthenonis monialis, post resignationem N. *Courceuil du Rouvray*, nominata est a rege 20 Februarii anni 1762.

Col. 665. B. n.° XLVI. *Adde*, Sacræ-cellæ commenda donatus a rege 31 Octob. an. 1767.

Col. 675. E. Post numerum XXXVI, *adde*

XXXVII. N. *de Saillans* monialis Franciscana e conventu Sororum Minorum, vulgo dicto *les Grandes-Cordelieres*, nominata est a rege mense Martio anni 1767.



INSTRUMENTA

Digitized by Google

INSTRUMENTA
AD TOMUM XII
GALLIÆ CHRISTIANÆ
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ
SPECTANTIA,
QUÆ PERTINENT AD METROPOLIM SENONENSEM.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ *SENONENSIS.*

I.

Leo episcopus Childebertum regem deprecatur ut episcopum Meleduni non instituat.

538. DOMNO inlustri, gloriosissimo domno, & in Christo filio Childeberto regi, Leo episcopus. Literas celsitudinis vestræ honore, quo dignum est me indico suscepisse; ubi sperare dignamini, ut ad ordinandum Meledonensem episcopum, aut præsentia nostra adesse debeat, aut consensus. Quam rem valde admiratos nos gloria vestra cognoscat: quod primum sine jussu gloriosissimi domni principis nostri, fratris vestri Theudoberti regis, cujus sumus regni ordinatione subjecti, injungitis, ut ea quæ anteacto tempore acta non sunt, nunc præsentia nostra aut consensu debeant inchoari. Præcipue nunquam nec suspicari nec credere potuimus, quod hanc aut ordini nostro, aut etiam temporibus vestris velletis injuriam generari; ut diœcesim nostram, a Deo nobis commissam, & usque nunc pontificali ordine Deo propitio custoditam, tanquam negligentes ac desides, ad alterius permittamus potestatem transire, aut sollicitudinem in rationabili deliberatione transferri. Unde salutantes digno ac debito in Deo caritatis affectu, rogamus & contestamur, ne ullus pontificum contra statuta patrum audeat facere, unde possit synodali examinatione convictus de inlicita præsumptione culpari. Illa tamen vestris debent fieri, Deo inspirante, temporibus, unde & pax inter sacerdotes esse possit, & plebs non permittatur a pastoris proprii custodia per novam & inlicitam ordinationem divelli. Custodite, quæso, statuta patrum & canonum severitate constricti, non patiamini, sicut scribitis, ad petitionem ejus plebis superstite proprio sacerdote alterum episcopum ordinari. Quia si hoc petunt, quod nefas est credi, desertores potius judicandi sunt, quam fideles. Et non eorum preces facile audiri debent a principe, quorum petitionibus potius generentur scandala, quam pax Deo amata servetur. Quia sicut beati sunt pedes pacem portantes, ita væ his dictum est, per quos venit scandalum. Qui si fortasse ob hoc alterum episcopum sibi fieri rogant, quia nos interclusis itineribus ad eos nec visitatorem mittere possumus, nec venire, ista culpa nos non respicit: quia si iter a vestra parte, sicut optime nostis, interclusum tanto tempore non fuisset, quamvis senes aut infirmi, populum nobis ecclesiastica disciplina commissum requirere potueramus, aut certe visitatorem, sicut canones statuunt, destinare. Nam gloria vestra optime debet, & credere & scire, quia si contra statuta canonum quicumque episcoporum sine consensu nostro Mecledone episcopum voluerit ordinare, usque ad papæ notitiam, vel synodalem audientiam, tam qui ordinaverint, quam qui ordinatus fuerit, a nostra erunt communione disjuncti. Leo Christi servus subscripsi.

II.

Ludovicus pius prospicit rebus cellarum S. Petri, S. Johannis & S. Remigii. *Ex Sammarthanis.*

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Hludovicus divina ordinante providentia imperator augustus, &c. Comperiat omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ tam præsentium quam futurorum sinceritas, quia vir venerabilis Heremias sanctæ Senonicæ ecclesiæ archiepiscopus humili suggestione clementiæ nostræ innotuit, eo quod cellæ cœnobiales episcopii cui authore Deo præest, id est cella S. Petri & cella S. Johannis, & cella S. Remigii, in quibus monachi sub sanctæ regulæ disciplina religiosam vitam divinæ pietati toto laboris adnisu debent exhibere, variis casibus, diversisque indigentiis quibus humana fulcitur fragilitas, ante addicti sub manibus, & potestate antecessorum ipsius urgente omnimoda inopia, longe a proposito suo aberrantes exorbitaverunt, dum videlicet memoratarum substantia cellarum, per divisionem olim factam imminuta fuisset, & qui præerant episcopi non habentes unde subsidia sumptuum suis usibus necessaria caperent, ex iisdem cellis quantum extorquere quibant, dum aliunde sufficientiam habere non possent, dari sibi cogebant; sicque fiebat, ut hi qui devota stabilitate mentis & corporis ibidem supernæ pietati laudes persolvere, suamque vitam commendare, pro nostra quoque conjugis ac liberorum incolumitate, & pro regni divina nobis miseratione concessi conservatione, proque totius ecclesiæ indulgentia & faciliori ad æternam beatitudinem præventione interpellare debeant, dum a monasterii claustris turpiter queritando ea quibus suam 822.

Digitized by Google

tuerentur inopiam, longe lateque vagarent, confuso ordine quem servare debebant; non solum eorum causa quæ præmissimus nobis nihil prodesse poterant, verum etiam sibi suisque prælatis non absurde plurimum crederentur obesse; cujus rei gratia memorati episcopi precibus admoniti, dignum opus supra fieri duximus, ut dum adhuc in hoc mortali corpore subsistimus, non solum iis qui nunc temporis in eisdem cellis divinis cultibus mancipati esse noscuntur, sed illis quoque qui futuris temporibus amore supernæ sapientiæ illustrati eadem ad serviendum Deo expetierint loca prospiciamus, quatenus ex eisdem temporalium solatia sumptuum suo ordini congruentia habeant, quibus in hac peregrinatione interim sustentari queant, donec ad æternæ patriæ gaudia divina misericordia vocati valeant pervenire: constituentes itaque hoc nostræ auctoritatis præceptum, juxta memorati episcopi petitionem decrevimus fieri, ut ex rebus quascumque supra jam nominatæ cellæ nunc temporis usibus monachorum ibidem Deo deservientium deputatas habent, nullus episcoporum quicumque divina vocatione per tempora successerit, præsumat aliquid subtrahere, vel imminuere quolibet argumento, vel occasione, neque in beneficium dare, aut suis usibus applicare, sed ita per omnia conservari studeat, sicut memoratus episcopus in libelli serie singula loca per ordinem adnotando digessit, & manu sua subscripsit, & in conventu episcoporum eos qui aderant subscribere rogavit, propter cavendas omnimodas contentiones, quæ futuris temporibus poterant oboriri. Sed nec etiam aliud servitium, vel majora munera inde sibi pro tempore usurpet, præter ea quæ in libro eodem idem ipse episcopus inserere putavit, &c. Hanc autem nostræ constitutionis auctoritatem ideo factam ne religionis ordo in supra scriptis locis nostris, futurisque temporibus confundatur, sed per omnia in Dei servitio, ad cujus laudem & obsequium conditi sumus inviolabiliter in perpetuum conservetur, ut pleniorem in Dei nomine cunctis temporibus obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Hludovici serenissimi augusti, &c. Data XV cal. Junii anno Christo propitio 9 imperii domini nostri Hludovici serenissimi augusti, indict. XV. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

III.

Ex autographo.

Aldricus archiepiscopus monachos sancti Remigii transfert ad Vallilias.

833. DOMINIS sanctissimis & reverendissimis fratribus & coepiscopis religiosissimis quoque & venerabilibus abbatibus in ditione domini imperatoris Hlotharii serenissimi augusti constitutis, Aldricus minimus servorum Christi famulus sanctæ Senonicæ ecclesiæ archiepiscopus. Optime venerabilis & Deo devota sanctitas vestra novit quanta sit cura & sollicitudine commissum nobis pastorale regimen tuendum atque tractandum. Cum simus igitur in specula ecclesiæ constituti & viam cæteris per quam ingredi ad vitam debeant debeamus ostendere, quantum posse & intelligere divina clementia dederit satagendum est ea quæ nobis commissa sunt secundum Dei voluntatem provide prudenterque tractare, ut non solum tantumque dum advivimus in præsenti tempore nostris valeant prodesse subjectis, verum etiam & in perpetuum illis prospecte proficiant, qui in locis divino cultui mancipatis nostræque solertiæ ad regendum pro tempore commissis supernæ pietati servituri sunt, qui dum de corporis necessitatibus, victus dico ac vestimenti solliciti non fuerint, animum libere in divinæ contemplationis specie figere valeant, cui summo ac salutari bono inhærentes, eo semper suspirant tota spei libertate suspensi, quo se pervenire divina duce gratia, æternæ vitæ præmium jam consecuti gaudebunt. Et A tamen cum sciamus res ecclesiæ esse oblationes fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum, easque nobis administrandas, procurandas atque ordinandas suscepisse, harum rerum administratores nos esse meminisse debemus, & reditus expensasque earum eis usibus applicare, quorum gratia divinis altaribus allegatæ noscuntur. Proinde ad sanctitatis vestræ piissimam intentionem perducere statui qualiter cellæ monachorum ecclesiæ episcopii parvitati meæ commissi, id est cella sancti Remigii confessoris Christi in suburbio civitatis constructa, quæ olim per divisiones prædecessorum meorum tempore fuit disrupta, & ob hanc negligentiam monachi qui ibidem Deo degere videbantur, propter inopiam & importunitatem loci regulam sancti Benedicti, ut debuerant penitus B observare non poterant, idcirco una cum consilio fratrum monachorum, canonicorum videlicet nostrorum, necnon fidelium laicorum, visum est nobis propter importunitatem loci & monachorum ibidem Deo degentium præfatam cellam ad valliculas transmutare, & a fundamento ædificare, quam Rothlam ob amorem Dei & remedium animæ viri sui Meginarii, sive pro se ipsa suorumque liberorum ac parentum, ad supradictam cellam sancti Remigii per donationis titulum delegavit vel tradidit, ea videlicet ratione ut divinus ibi aggeretur cultus & illis pro quorum salute traditum fuerat, augeretur merces, volumus etiam ut loca super quæ ædificatum fuit supradictum monasterium, id est agros, vineas, prata, areas vel omnia quæ infra muros civitatis habuit, vel extra C absque alicujus diminutione ac impedimento habeant rectores & monachi ad eorum usus qui ibidem Deo sub norma beati Benedicti degerint. Hujus itaque rei causa hanc seriem libelli digestam sanctissimo cœtui vestro relegendam atque vestris subscriptionibus roborandam obtuli; quo statuere decrevi per vestram unanimitatem ut nullus deinceps episcoporum quicumque per tempora, divina præstante successerint gratia, quicquam de his rebus quas præsenti tempore memorata cella usibus monachorum attributas possidet, minuere vel abstrahere, vel aliis usibus applicare, vel beneficii quicquam vel suorum vel extraneorum dare præsumat, sed ut intimatum est quæcumque nunc temporis retinet per diversa loca & territoria usibus monachorum deputata, & quæ a timentibus Deum D eidem postmodum fuerint loco collata absque ulla diminutione vel substractione cellæ & monachis ibidem conversantibus maneant inconcussæ. Hæc autem sunt infra scripta loca monachorum stipendiis in memorata cella degentium destinata. Primitus valliculas ubi ædificare præfatum volumus monasterium. Staticus cum adjacentiis suis, id est vetus ferrarias & petra Ursana cum territoriis & sylvis. Chrymachus cum adjacente sibi hermentaria cum territoriis & sylvis; Fontanicula cum territoriis. Lausa cum adjacentiis, hoc est vico sancti Sidronii cum territoriis & sylvis & simul Latione. Bracciacus cum territoriis. Columbarius cum adjacentiis suis, hoc est Esthimacus. Siliniacus & territoria eorum cum sylvis. Villa-Manesca cum adjacente sibi ponte & territorio. Misceriacus cum adjacente sibi Ternanta. Villa-nova cum adjacentiis E suis, hoc est Cananarius & Capotenus. Nocrollis cum adjacenti sibi...... cum territoriis & sylvis & simul puteolis. In summa sunt mansa centum nonaginta, & hospitia decem & novem. Quidquid itaque in locis supra dictis vel circa eamdem cellulam præsenti tempore monachi in eadem divinæ clementiæ famulantes possidere noscuntur, vel si qua sunt alia quæ forte meam fugerunt memoriam, & tamen ea suis stipendiis assignata retinent cum territoriis, vineis, pratis, sylvis, aquis aquarumve decursibus & cæteris adjacentiis ipsis tantum ex integro ut præmissum est, eorumque usibus jure perpetuo absque ulla diminutione sub prætexto memorati episcopii nostri jure debito cedat. At vero episcopus qui pro tempore

Digitized by Google

auctore Deo præfuerit, abbatem de eodem monasterio A
eum videlicet quem concors congregatio sibi ordinandum popoſcerit & ſinceritas morum & bonorum actuum probitas commendaverit, ſi inter eos talis inveniri quiverit eis ordinandum procuret. Quod ſi talis inter eos minime inveniri potuerit, de eadem parochia vel diœceſi Senonica, conſentientibus ſanctis coepiſcopis ejuſdem diœceſis, circumpoſitis venerabilibus abbatibus eis præficiendum atque ordinandum provideat. In aggregandis quoque monachis hunc modum abbas qui præfuerit teneat ut trecenarium numerum quantitatis ſumma non excedat, donec rerum copia major ſuccreverit. Epiſcopus quoque in exigendis muneribus abbatem ejuſdem loci non graver, ſed ſufficiat ei ad annua dona equus unus & ſcutum cum lancea. Quod ſi in expeditionem publicam ire B
juſſus fuerit, addantur ei de eodem loco carra duo, unum vini, alterum farinæ, verveces decem ſupra quæ in exigendis muneribus cupiditatis avaritiæque cau a gravare eos nullatenus præſumat, ne & monachi ejuſdem cellulæ hujuſcemodi negotio a ſuo propoſito exorbitare, & epiſcopus cauſâ eorum perditionis addictus, ſempiternas cogatur luere pœnas. Corpora etiam ſanctorum qui in noſtra parochia jam dicta expectant ſui beatam immutationem a pravis & deſidioſis cuſtodibus permaxime negliguntur, ita ut officio luminaris ac debita careant cuſtodia, idcirco ob amorem Dei cui viventes in carne ſervierunt & emolumentum animæ noſtræ per voluntatem & licentiam domini ac piiſſimi Ludovici ac Caroli regum, quia congruum ad hoc locum invenimus, illo deportanda volumus. Sed quia ſacra auctoritas vetat ne in C
talibus & ſimilibus eccleſiis Chriſti per alicujus incuriam ſcandalum inferatur, multorum epiſcoporum expoſcit conſenſum ad veſtræ paternitatis notitiam hæc omnia perferri volumus, quatenus veſtra deinceps cenſura & locus ipſe quod favente Deo ordinandum ſtabilimus & memoratis ſanctorum pignoribus a Dei ſervis ibidem Deo famulantibus digne & laudabiliter ſerviatur, & pro domini noſtri ac totius ſanctæ Dei eccleſiæ ſtatu indefeſſe vota debita perſolvantur. Quod opus Deo dicatum ut per tempora labentia omnibus ſanctiſſimis patribus & fratribus in Dei nomine conſentientibus firmiorem obtineat rectitudinis ſtatum & intactum permaneat, manu noſtræ pravitatis ſubter relegenda firmamus, & ut rata deinceps manere poſſint quæ ſcripta ſunt manibus veſtræ ſanctitatis roboranda expoſtulamus. D

In Chriſti nomine Aldricus eccleſiæ Senonicæ indignus archiepiſcopus hoc privilegium decrevi & ſubſcripſi. In Chriſti nomine Landramnus Turonicæ eccleſiæ archiepiſcopus recognovi & ſubſcripſi. In Chriſti nomine Bartholomæus Narbonenſis eccleſiæ archiepiſcopus feci & ſubſcripſi. Jonas Aurelianenſis eccleſiæ indignus epiſcopus huic facto aſtipulator ſubſcripſi. Ego Rainardus Rothomagenſis epiſcopus ſubſcripſi. Rotualdus Sueſſionenſis epiſcopus huic facto ſubſcripſi. Aldricus Cœnomanicæ urbis epiſcopus ſubſcripſi. Carevilſus Bajocenſis epiſcopus ſubſcripſi. In Dei nomine Radulphus Lexovienſis epiſcopus aſtipulator huic facto ſubſcripſi. Acanradus Pariſiorum indignus epiſcopus ſubſcripſi. Stephanus Bituricenſium indignus epiſcopus. Altaldus Genevenſis epiſcopus. Adalhelinus Cathalaunenſis epiſcopus. Ragnerius Ambianenſis epiſcopus ſubſcripſi. Helias Tricaſſinenſis epiſcopus ſubſcripſi. Hubertus Meldenſium E
epiſcopus ſubſcripſi. Alduinus Virdunenſium epiſcopus ſubſcripſi. Delricus Baſilienſis epiſcopus ſubſcripſi. Ego Fulconinius Warmacenſis epiſcopus indignus. In Dei nomine Teugrinus Albenſis epiſcopus. Atto Nannetenſis civitatis epiſcopus indignus. Gerfredus epiſcopus Nivernenſis. Facona epiſcopus. Boſo abbas ex monaſterio Noviacenſi. Dridonus ex Remenſi cœnobio abbas. Chriſtianus abbas monaſterii ſancti Germani. In Dei nomine ego Bernoinus Carnotenſis epiſcopus ſubſcripſi. Ragnemundus abbas ex monaſterio ſancti Carilephi. Ingelnonus Sagienſis epiſcopus ſcripſi, &c.

IV.

Poſſeſſiones S. Columbæ ab imperatore Ludovico confirmatæ.

IN nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, 833.
Ludovicus divina ordinante gratia imperator auguſtus. Si petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationabilibus divini cultus amore faverimus, condignæ retributionis præmio nos a Domino remunerari fideliter credimus. Idcirco noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium quam & futurorum ſolertia, quia vir venerabilis Supplicius abbas monaſterii ſanctæ Columbæ martyris Chriſti, in quo ipſius & ſancti Lupi confeſſoris Chriſti corpora humata venerantur, detulit obtutibus noſtris quamdam auctoritatem immunitatis Domini & genitoris noſtri Caroli bonæ memoriæ piiſſimi auguſti, in qua erat inſertum qualiter ipſe & anteceſſores ejus reges videlicet Francorum prædictum monaſterium ob amorem Dei tranquillitatemque fratrum ibidem conſiſtentium ſub pleniſſima tuitione & immunitatis defenſione habuiſſent. Continebatur etiam quod Lotharius & Dagobertus quondam reges eidem monaſterio quaſdam villas conceſſiſſent, quarum vocabula ſunt Cuyſiacum & Grandiſcampus, eaſdemque villas vel quidquid eo tempore juſte & rationabiliter prædictum poſſidebat monaſterium idem imperator per eamdem confirmavit auctoritatem, ut ſuo & ſucceſſorum temporibus imo perpetuo a prælatis & agentibus ipſius monaſterii poſſiderentur. Ob firmitatem tamen rei poſtulavit nos prædictus Supplicius abbas ut paternam auctoritatem propter reverentiam memoratorum ſanctorum & æternæ retributionis fructum noſtra confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter annuentes, poſtulata conceſſimus & ea per hanc noſtram auctoritatem confirmamus. Quapropter præcipientes jubemus ut nullus judex publicus vel alia quælibet judiciariæ poteſtatis prædicta perſona in eccleſiam, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones memorati monaſterii, quas moderno tempore in quibuſlibet pagis & territoriis infra diſtrictionem imperii noſtri juſte & legaliter poſſidet, vel quæ deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas augeri, ad cauſas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas, aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius monaſterii tam ingenuos quam ſervos ſuper terram ipſius commanentes injuſte diſtringendos, aut ſicut in prædicta auctoritate domini imperatoris continetur, aut conſuetudinarios diſtringendos, aut teloneum tollendum, aut ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat, ſed liceat memorato abbati ſuiſque ſucceſſoribus res prædicti monaſterii ſub immunitatis noſtræ defenſione quieto ordine poſſidere, & quidquid exinde fiſcus ſperare poterit totum nos pro æterna remuneratione præfato monaſterio concedimus, ut in alimoniam pauperum & ſtipendia monachorum ibidem Deo famulantium perenniter proficiat in augmentis. De villis vero ſuperius nominatis & de omnibus rebus præſenti tempore juſte poſſeſſis ſic in ditione ipſius monaſterii permaneant, ſicut in auctoritate domini & genitoris noſtri vel prædeceſſorum regum continetur, quatenus ipſos monachos qui ibidem Deo famulantur pro nobis & conjuge prolequе atque ſtabilitate totius imperii noſtri a Deo nobis conceſſi ejuſque clementiſſima miſeratione per immenſum conſervandi jugiter Domini miſericordiam exorare delectet. Hanc itaque auctoritatem ut pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & a fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ & noſtris & ut verius & diligentius conſervetur, manu propria ſubter firmavimus & annuli

Digitized by Google

nostri impressione signari jussimus. Signum Ludovici serenissimi imperatoris. Meginarius notarius ad vicem Theotonis recognovit. Data IV idus Junii anno Christo propitio 20 imperii domini Ludovici serenissimi imperatoris, indictione XI. Actum Wermacia civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

Aliud diploma ejusdem imperatoris in gratiam sanctæ Columbæ.

839. IN nomine Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus divina propitiante clementia imperator augustus. Notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris præsentibus scilicet & futuris, quia olim dum monasticum ordinem usquequaque depravatum esse constaret, & ad eum corrigendum atque emendandum, imo ad pristinum debitumque modum & rectitudinem auxiliante Domino reducendum, quemdam abbatem ejusdem ordinis ferventissimum Benedictum cognomine per monasteria imperii a Deo nobis commissi destinaremus, contigit eum ad monasterium quod dicitur S. Columbæ haud procul ab urbe Senonensi devenire, in quo cum cætera regulariter ordinare satageret, quod tunc temporis abbatem canonicum Jacob vocabulo inibi præesse contigerat, quasdam villas quæ priscis temporibus ad usus fratrum ibidem Deo famulantium fuerant destinatæ segregavit, ut absque regali aut publico servitio, vel quolibet abbatis dono aut exactione usibus eorum perpetuo deservirent. Id est villam, quæ dicitur Morus cum omnibus ad se pertinentibus, & villam quæ dicitur Sarmasia cum omnibus ad se pertinentibus, similiter & Tauriaci villam cum omnibus ad se pertinentibus, similiter villam Patricii cum omnibus ad se pertinentibus, similiter & villam, quæ Longa-aqua nuncupatur cum omnibus ad se pertinentibus, similiter & illa omnia quæ in illis villis pars prædicti monasterii habere dignoscitur, quarum nomina hæc sunt: Gronnivilla, Aurosivilla, Miseriacivilla, Canapivilla, Cornacivilla, Ganvenciacivilla, Florivilla, Custennisvilla, Spiriacivilla, Abonisvilla, Bandricivilla, Puciacivilla, Luponisvilla, Syncleriacivilla, Regniacivilla, necnon desuper fluvium qui dicitur Fullonis hospitiola duo, atque etiam illud quod Anffridus & Donatus nepotes Jeremiæ quondam Senonicæ urbis episcopi ad præfatum monasterium legaliter contulerunt, similiter vineas & terras aratorias, ac prata quæ in circuitu memorati monasterii S. Columbæ esse noscuntur; atque hospitiola quæ in loco qui dicitur Canalis esse noscuntur. Sed quoniam deinceps memoratum monasterium per surreptionem quorumdam ecclesiæ Senonicæ subditum fuerat, licet hoc denuo liquidius cognoscentes in suo eum jure & dominatione ac propriorum abbatum regimine constituissemus, veniens venerabilis vir Supplicius ejusdem abbas cœnobii ad nostram majestatis præsentiam humiliter nostræ supplicavit clementiæ ut nostram mereretur percipere præceptionem, per quam nostris futurisque temporibus idem nostrum constitutum firmum atque inviolabile permaneat. Cujus petitionibus favendum dignum ac rationabile judicantes, hos nostros imperiales apices erga sæpe dictum monasterium fieri jussimus, per quos præcipimus atque sancimus ut nulli ecclesiæ subditum, sed in suo suorumque rectorum dominio & gubernatione degens, nihil obsequii, aut solutionis, vel quicquam servitii de memoratis villis ullo unquam tempore solvat aut solvere compellatur, sed semper absque ulla sui diminutione in usus fratrum inibi Deo militantium variisque illorum necessitatibus fulciendis deserviant, nec quippiam earum, quidquam ejusdem aut alterius professionis abbas in beneficium cuipiam dare præsumat, sed, sicut diximus, eorum usibus pauperumque receptionibus perenniter obsignentur. Ea vero quæ ad sarcienda ejusdem monasterii tecta necessaria fuerint, de communibus ipsius monasterii rebus ut inrefragabiliter reficiantur decernimus atque jubemus. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas nostris successorumque nostrorum temporibus inviolabiliter conservetur manu propria nostra eidem subterfirmavimus & annuli nostri impressione assignari jussimus. Signum Ludovici serenissimi imperatoris. Data IV nonas Aprilis anno Christo propitio 23 imperii domini Ludovici piissimi augusti, indictione XIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

VI.

Diploma Caroli Calvi pro Ferrariis. *Ex Sammarthanis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus Dei gratia rex, &c. Cognoscat omnium fidelium 843. nostrorum diligentia, quod venerabilis abbas & monachus Lupus monasterii Bethleem sive Ferrariarum ex voto fratrum suorum monachorum supplicavit nostræ clementiæ, ut servitia facientibus præceptum concederemus, ut ipse quandiu viveret, prædictum cœnobium cum omnibus quæ ad ipsum pertinent quiete regeret, & post ipsius abbatis excessum liceret monachis ejusdem loci ex ipsis eligere abbatem; has petitiones propter amorem fidelis servitii ejusdem abbatis..... ac conversationem fratrum ejus, maximeque propter consequendam Dei gratiam libenter implevimus. Itaque memoratum cœnobium & cuncta quæ ad ipsum pertinent, Lupo abbati & successoribus ejus monachis regulariter electis gubernandum permittimus, omniumque secularium ab eo a nobis impetrando avenimus intentionem; quicumque eorum illud postulaverit, noverit suos conatus irritos futuros, unde & episcopis privilegium facere concessimus, ut nostro voto ipsorum etiam auctoritate firmato, nemo deinceps non profuturum sibi laborem assumat. De cella quoque S. Judoci quam beatæ memoriæ dominus & pater noster Hludovicus serenissimus augustus contulit præfato monasterio, & nos quadam necessitate Odulfo comiti dedimus, decernimus atque sancimus, ut cum aliud eidem comiti dederimus, aut cum ipse obierit, mox ad potestatem Ferrariensis monasterii revertatur, atque ut prædictos Dei servos pro nobis, & pro conjuge & prole nostra, & pro stabilitate regni delectet Deum indesinenter exorare, pro iis beneficiis sibi a nostra majestate indultis; & ut hoc præceptum plenum semper vigorem obtineat, nostra ei manu subscripsimus, & annuli nostri impressione id jussimus roborari. Signum Caroli gloriosissimi regis. Datum VI calendas Januarias anno 4 Christo propitio regni domini Caroli gloriosissimi regis, indict. VII. Actum apud urbem Turonum in monasterio S. Martini in Dei nomine feliciter. Amen.

VII.

Diploma Caroli Calvi pro exemptione monasterii sanctæ Columbæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus 847. Dei gratia rex omnibus apostolicis episcopis, ducibus & illustribus viris tam præsenti tempore quam & futuro in regno nostro ubique in Dei nomine constitutis. Congruum per omnia & in omnibus regali potestati semper quæ pia & opportuna postulantur libenter obaudire, & pro amore divini cultus & augmento justitiæ postulata concedere, quatenus regni nostri stabilitas magis ac magis conservetur & in futuro nobis a domino æterna merces recompensetur, quia dum pro quiete servorum Dei & sancta religione conservanda hoc in præsenti nostra auctoritate confirmamus quod perpetuis temporibus inviolabiliter

Digitized by Google

custodiatur, exinde ampliorem gloriam a rege regum nos recepturos fideliter credimus. Igitur vir illustris & fidelis noster Bernardus abbas de monasterio dominæ Columbæ virginis & martyris seu domini Lupi confessoris divino amore succensus, dominorum episcoporum venerabilium patrum nostrorum privilegium optutibus nostris obtulit, ut ipsum nostra auctoritate plenius in Dei nomine confirmaremus, cujus petitioni libentissime annuentes statuimus, ut sicut antiquitus per constitutiones pontificum regumque præceptiones monasterio sanctorum Agaunensium, Lirinensium, Luxoviensium sub libertatis privilegio constare videntur, ita nunc per nostram regalem auctoritatem supra dictum monasterium dominæ Columbæ sub libertatis privilegio manere censemus, non quasi nova aut recto ordini contraria constituentes, quia de canonica auctoritate nihil minuitur quidquid pro tranquillitate aut pace servorum Dei domesticis fidei conceditur. Volumus itaque ut jam dictum monasterium sui juris omni tempore & proprii abbatis gubernatione consistat, ut nullus episcopus omnino aut alicujus potestatis persona tam nostris quam & futuris temporibus ordinationem aut potestatem contra regulam S. Benedicti in eo exercere præsumat, neque de rerum ipsius monasterii aliquid contingere, nec ad ipsum monasterium nisi aut orandi aut exhortandi gratia aliquando accedere præsumat, neque episcopus in cujus parochia sæpe dictum consistit monasterium in sui juris dominatione vel nostræ largitionis beneficio eum aliquando usurpare attentet. Si vero necesse fuerit ut ab abbate aut congregatione loci illius illuc evocatus venerit, absque dispendio eorum accedat & recedat, quatenus nulla inquietudine abbas vel sui monachi prægraventur, & qui impedimenta seculi ideo fugerunt ut inter claustra monasterii solitariam ducerent vitam, liceat eis per nostram largitionem inibi sine alicujus personæ impedimento soli Domino famulari. Si quis hæc vero quæ devota mente cum consilio procerum nostrorum episcoporum videlicet atque ducum jam dicto monasterio indulsimus, aliquo modo succedente tempore violaverit, sicut sanctorum pontificum quorum decreta confirmamus anathemate condemnetur, ita & regia censura mulcteiur, honore proprio privetur & cum rerum suarum amissione perpetuis damnis subjaceat. Obsecramus & vos posteros omnesque successores nostros ac per invocationem terribilis Dei tremebundumque judicium ejus contestamur ut quemadmodum statuta vestra a successoribus vestris conservari vultis, ita & hoc decretum pro amore Christi & pro tranquillitate servorum ejus a nobis constitutum per futura tempora inviolabiliter conservetur. Et si quod absit, aliquis huic munificentiæ nostræ contraire temtaverit, pro Deo viriliter stetis, & causam Dei in illum ut prævaricatorem divinæ constitutionis terribiliter evindicetis, ut mercedis nostræ quam nos & vos percepturos credimus sitis participes cum fueritis clementiæ nostræ imitatores servorumque Dei justissimi defensores. Illud etiam pro integra mercede nostra placuit inserere, ut omnes res quæ sive a parentibus nostris seu a cæteris fidelibus supradicto monasterio delegatæ sunt aut in antea fuerint condonatæ absque ulla diminutione vel separatione inibi permaneant & sub omni emunitate semper consistant, ut nullum impedimentum vel damnum a judicibus publicis pars ipsius sancti loci sustinere pertimescat, quatenus pro felicitate regni nostri seu regis constantia immensam Domini misericordiam jugiter delectet exorare. Et ut hæc auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur & perenniter conservetur manu nostra subtus firmavimus & annuli nostri impressione adsignare decrevimus. Gilbertus notarius ad vicem Ludovici recognovit. Sigillum Caroli illustrissimi regis. Data nonis Decemb. anno 8 regnante Carolo gloriosissimo rege, indict. x. Actum in Compendio regio palatio, in Dei nomine feliciter. Amen.

VIII.

Carolus Calvus confirmat translationem monachorum S. Remigii ad Vallilias. *Ex chartis domest.*

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis, Carolus Dei gratia rex. Si enim quod ad servorum Dei quietem pertinet devotissima sollicitudine & imperiali providentia procuramus, ad emolumentum animæ nostræ vel ad æternam beatitudinem hoc procul dubio pertinere non dubitamus. 853.

Idcirco notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus nostris præsentibus & futuris, quia Wenilo venerabilis Senonicæ urbis archiepiscopus nostræ suggessit mansuetudini de quodam monasterio memorati episcopii sui quod juxta muros ejusdem civitatis in honore beati Remigii confessoris Christi positum fuerat, eo quod propter impedimenta quædam, quæ ex propinquitate atque assiduitate præfatæ urbis monachi illic Domino famulantes perpeti videbantur, ipse in alterum locum, cujus vocabulum est Vallilias, octavo scilicet ab eadem urbe milliario eum fecerit transmutari, quem etiam locum Rothlam quondam Megenarii comitis uxorem supradicto S. Remigii monasterio ob suam utrique sui requiem atque remedium donationis titulo delegavisse testatus est. Sed ne quamlibet contrarietatem aut inquietudinem a præsulibus per tempora labentia in eadem sede sibi succedentibus monachi, quos a memorato loco transmigrare fecerat, quolibet tempore perpeti cogerentur, privilegium eis ecclesiastica auctoritate in urbe Senonensi una cum venerabilibus coepiscopis fidelibus nostris diversarum ecclesiarum constitutis se fecisse professus est, sicut etiam eo perspecto atque relecto manifestissime claruit, in quo firmissime consensu omnium sanxerunt ut nullus pontificum sibi quidpiam de rebus quas in priori loco degentes possederunt imminuere, aut majora illis servitia quam sub eo pertulerant inferre præsumeret, sed liceret illis res ad memoratum monasterium religiosissima devotione delegatas quieto ordine possidere, nihilque oneris nec amplius imponere quam in memorato privilegio cum eisdem venerabilibus episcopis confirmato constitutum esse constabat. Verum licet ecclesiastica atque pontificalis constitutio sua itmoque divina auctoritate firma esse prævideat, tamen non indecens atque incongruum judicavit si nostra etiam regali auctoritate sua constitutio firma esse perpetuo sanciretur. Pariter eis concessimus licentiam ex sese eligendi abbatem, sicut in memorato privilegio plenius continetur. At vero & villas videlicet Vallilias, ubi ipsum monasterium habetur fundatum cum omnibus appendiciis & adjacentiis vel integritatibus, unde memorati cœnobii fratres chartarum instrumenta ab illustri femina superius memorata Rothlam præ manibus habere viderentur, & villam Cuniacum cum suis appendiciis, & villam Losam cum suis integritatibus, villam Fontaniculas cum suis territoriis, & Columbarium cum suis adjacentiis & Jausiacum cum suis integritatibus atque Micariolum & villam novam, necnon & Methorium seu Braciacum atque Visiacum seu Stiniacum & villam Manesiam cum omnibus integritatibus supra dictarum villarum & rerum quæ a prædicto episcopo venerabili eis ordinabiliter concessum est omni tempore in stipendiis & usibus memorati cœnobii perpetuo præsenti hac nostra auctoritate demus pleniter delegamus quæ sunt in summa per diversa superius dicta centum nonaginta. Simul etiam sicut insuper dicto privilegio continetur licentia in eis per exhortationem & ordinationem sui venerabilis archiepiscopi Aldrici roborandi, corpora quæ infra diœcesim suam in locis, ubi non satis reverenter excoluntur, ad jam dictum monasterium deferendi, videlicet ut majoris dignitatis atque religionis officio inibi quotidie celebrentur. Proinde hos nostræ auctoritatis imperiales apices erga prædictum monasterium fieri

decrevimus per quos decernentes præcipimus atque A
sancimus, ut sicut a memorato venerabili Aldrico archiepiscopo consentientibus reverendis dignissimo honore coepiscopis suis constitutum ac privilegio eorumdem aliorumque cum plurimis sacerdotum Christi atque abbatum manibus roborato confirmatum est, ita deinceps per hanc nostram auctoritatem fixum atque inconvulsum inviolabiliter permaneat. Nec quispiam episcoporum in memorata urbe per tempora labentia Christo propitio succedentium quicquid de his minuere, immutare aut quippiam servitii amplius quam in sæpe dicto privilegio augere præsumat, sed liceat monachis per tempora inibi Domino militantibus sub conditionibus in jam dicto privilegio taxatis quiete regulariterque vivere & pro nobis, con-
juge proleque nostra ac stabilitate regni a Deo nobis B
commissi atque conservandi jugiter Domini misericordiam propensius exorare. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas tam nostris quam & successorum nostrorum temporibus inviolabilem & inconvulsam obtineat firmitatem manu nostra propria subter firmavimus ac annulo nostro subsigillari jussimus. Signum Caroli gloriosissimi regis. Data nonis Mai an. 12, indictione 1 regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum in villa palatioque regio Carisiaco in Dei nomine feliciter. Amen.

I X.

Electio Ansegisi archiepiscopi.

871. DOMINIS reverentissimis ac venerabilibus Senonum diœceseos patribus & episcopis, Senonum ecclesiæ clerus, cum totis ejusdem parochiæ plebibus sibi conjunctis, pacem perpetuam & gloriam sempiternam, semper & ubique optamus in Domino. Canonicis regulis & apostolicis institutionibus sancitum esse recolimus, ut quoties metropolis civitas pontificalis ministerio dignitatis caruerit pr prioque vacaverit pastore, suffraganei ejusdem metropolis convenire debeant, & electionem futuri pontificis cum consensu cleri & plebis facere, ac cum decreto electionis singulorum petentium manibus roborato, suffraganeos adire debeant pontifices, ac de substituendo in loco ejus qui decessit pastore petitione supplici commonere quatenus & me-
tropolis civitas pastorali sollicitudine destituta, proprio D
recuperetur pontifice, & qui ordinandus est gratiosius possit accedere. Quoniam cui debet ab omnibus obediri, debet utique & ab omnibus eligi, ne civitas episcopum non optatum, aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit: si vero qui ordinaturi sunt, eum in quem viderint omnium vota propensius concordare, promptius ac liberius illi possint manus imponere. Idcirco cum decreto electionis nostræ, manibus singulorum nostrorum roborato, ad paternitatem vestram accedentes, Ansegisum presbyterum Remorum diœceseos, ecclesiæ autem Belvacensium, atque abbatem monasterii sancti Michaelis, quem per licentiam vestram, patres venerandi, domino etiam Christianissimo rege
Karolo annuente, secundum decreta Cœlestini papæ, E
ex propria ecclesia deficiente electione, pari consensu ac concordia, voluntate ac devotione elegimus nobis & ecclesiæ nostræ episcopum atque pontificem, per manum vestram consecrari implorantes petimus, rogamus atque precamur. Elegimus autem eum nobis fore pastorem, quem apostolicæ formæ, qua episcopum ornatum Paulus apostolus esse debere demonstrat, congruere, & sacris canonibus non obviare, Christi cooperante gratia credimus. Actum v cal. Julii in basilica beati Stephani protomartyris, anno Incarnationis Domini 871, regni vero Domini Karoli gloriosi regis 32, indictione IV.

X.

Galliæ & Germaniæ primatum confert Ansegiso Johannes VIII. Ex Sammarthanis.

JOHANNES episcopus servus servorum Dei, 876.
omnibus sanctissimis episcopis per Gallias & Germanias constitutis. Vestræ omnium innotescimus Sanctitati, quia pro alleviandis multiplicibus oneribus ecclesiasticis, quibus quotidie satis abundeque deprimimur, quibus maxime super negotiis ex Galliarum & Germaniarum partibus nobis assidue destinatis artamur, constituimus Ansegisum fratrem & coepiscopum nostrum, Senonensis Ecclesiæ præsulem, qui quotiens utilitas ecclesiastica dictaverit, sive in vocanda Synodo, sive in aliis negotiis exercendis per Gallias & Germanias vice nostra fruatur. Et volumus, ut decreta sedis apostolicæ per ipsum vobis manifesta efficiantur, & rursus quæ gesta fuerint, ejus nobis relatione, si necesse fuerit, pandantur: ut majora negotia, ac difficiliora quæque suggestione ipsius a nobis disponenda, & enucleanda quærantur. Quapropter vos huic piæ sanctioni omnimodis intendentes, quæ super hoc apostolica auctoritate decernimus, unanimes admittite. Talem quippe illum agnovimus, talemque circa sedem apostolicam devotum, & in commisso fidelem reperimus, ut merito ei talia committi posse ducamus: quin & his majora conferri debere illi sine cunctatione credamus, pro sua scilicet sanctitate, & fidei merito,
C atque divinitus sapientiæ dono concesso. Optamus vos bene valere. Data IV nonas Januarii indict. IX.

X I.

Restauratio S. Petri Melodunensis. Ex origin.

IN nomine Domini & creatoris nostri Jesu Christi. 991.
Multorum sinceritati perspicaciter patet idcirco reges constitutos, quatenus regnorum jura sagaciter examinantes, omnia nociva resecando cunctaque proficua propagandi studiosius operam impenderent; quod tanti honoris culmen obtenti, decenter exequi prævalerent, si omnibus pravæ cupidinis illecebris procul semotis, geminaque dilectione, Dei videlicet & proximi, undique circumsepti, per viam veritatis toto conamine incedere studuerint: tanto procul dubio a principe regum Christo Jesu sublimandi dignitate, post labentis tempora vitæ, quanto nunc collatam sibi imperandi potestatem non in usum libidinis, sed instaurationem ac defensionem sanctarum ecclesiarum, seu in relevationem oppressarum, atque in correptionem male errantium tolerii industria expenderint.

Quapropter ego Hugo atque Robertus filius meus, propitiante Deo, imperii Francorum sceptris potiti; innotescimus veræ fidei cultoribus universis, ea quæ tempore nostro Sewinus metropolitanus, a nostræ dominationis clementia, fieri poposcit. Idem namque pontifex, nostrum adiens palatium suggessit nostræ serenitatis auribus, de ecclesiis duabus, quæ apud Milidinum castrum mirifico satis opere constructæ dudum fuerant; modo vero tegminibus nudatæ, cultuque divino carentes quæ vel quales in primordio extiterint, solo maceriarum indicio mortalibus insinuant: pro restauratione igitur harum ecclesiarum, præfatus antistes nostram diutissime imploravit clementiam. Tandem cœlitus inspirati, ejusque viri affectu molliti, desiderium illius æquum judicavimus compleri.

Concessimus ergo sibi quod optaverat beneficium, ecclesias videlicet duas, quarum una extra oppidum in monte, in honore egregii principis apostolorum Petri, doctorisque gentium beati Pauli, altera vero infra mœnia ejusdem castri, & ipsa in honore protomartyris Stephani dicta consistit. Eo scilicet tenore,

Digitized by Google

ut nec ipse, nec successores ejus præsules, deinceps A aliquam exactionem vel consuetudinem, aut donationem, seu redditionem, postremo quod omnino absit, omnem justitiam a prædictis ipsisque deservientibus expeterent, aut quasi jure dominantium per vim aliquid seu per occasionem cujuslibet successionis inde sumerent.

Quo peracto negotio, a regia denuo petiit celsitudine, quod sibi de congreganda monachica caterva in prædicto sancti Petri monasterio assensus daretur. Nec hoc divina favente clementia negare voluimus; unde accersitis qui tunc forte aderant episcopis satrapisque quam plurimis, auctoritate regia, cum consultu eorum nostrorumque fidelium ratum fore censuimus quod petierat. Porro ne grex monasticus ibidem Christo famulaturus, absque pastore fieret, sua- B dente nobis memorato pontifice, cuidam monacho Valerio nomine moribus egregiis ornato & eloquiis divinis erudito, jam dictum locum commisimus regendum; igitur nostram habeat licentiam construendi illic normam, qua divinitas possit placari ad indulgentiam; ut ubi hactenus temeritas humana Deo superstitiosa impendit officia, ibi deinceps devotio atque servitus famulorum Christi crescat in salutem populi Dei.

Obsecramus itaque toto interioris affectu hominis successorum nostrorum regum scilicet, benignitatem, uti hoc monasterium, quod Dei disponente gratia restaurare decrevimus, quibus modis sublimare valuerint, studeant; ab hostium impetu defendant, legibus iniquis subjacere non sinant, rectoribus æquissimis ac C strenuis gubernaculum committant: ut vero hoc testamentum firmum atque inviolabile perenniter maneat, manu propria subter firmavimus & nostri sigilli diligenter præcepimus sigillari. Actum Compendio palatio anno Dominicæ Incarnationis 991. Data XVII calend. octobris anno 5 Hugonis, & Roberti filii ejus consortis in regno anno 4.

XII.

Ex Sammarthanis.

Diploma Philippi I pro Ferrariis.

1070. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, &c. Ego Philippus Dei gratia rex Francorum, notum fieri volo sanctæ matris ecclesiæ fidelibus tam præsentibus D quam futuris, quoniam Gualtherus abbas loci qui vocatur ab antiquis *Bethleem* sive *Ferrarias*, fundati in honore sanctæ Dei Genitricis, Petrique beati Apostolorum principis, mei præsentiam adiit, quatenus malas consuetudines quas prædecessores mei injuste terris ejusdem loci immiserant auferrem, & ad salutem & honorem ecclesiæ in melius transmutarem obnixe deprecans; cujus precibus condescendens, pro salute animæ meæ antecessorumque meorum condono omnes consuetudines quas prædecessores mei & ego hactenus habuimus in omnibus terris ejusdem loci, præter emptionem vini, & in terra quæ dicitur *Burciacus*, & si opus clausionis mei fuerit, præpositus meus veniens ad abbatem impetrata prece, non pro consuetudine carrariam bonorum illorum qui ultra E *Lupum* fuerunt. Ut autem præceptum istud firmum permaneat, signo caracteris mei ibidem & sigillo meo præsente curia meorum procerum jussi corroborari. Signum Simonis, signum Hugonis fratris regis, Rodulfi comitis, Rotgerii comitis, Alberti, Ussonis vicecomitis. Signum Galterani camerarii, Adelelmi constabuli, Guillelmi, Balduini dapiferi, Aistici coci, Milonis orphani, signum Philippi Francorum regis. Anno 1070, indict. VIII, epacta solita, concurrente, cyclo lunari IV; mense Martio, XV calendas Aprilis, feria quinta, anno 12 Christo propitio, regni domini Philippi regis. Datum & actum civitate Parisina, Eustachius subscripsit ad vicem Petri cancellarii.

XIII.

Ex Sammarthanis.

Richerius archiepiscopus ecclesiam de Stabulis confirmat monachis Cormaricensibus.

IN nomine Domini, Richerius Dei gratia Senonum 1079. archiepiscopus. Notum esse volumus tam futuris quam præsentibus, quia cum in domo pontificali sermonem cum clericis faceremus, tractando non solum de terrenis, verum etiam de spiritualibus, venit in præsentiam nostram dominus abbas Guido Cormaricensis ecclesiæ, comitantibus secum quibusdam sibi subditis fratribus, deprecans siquidem ut ecclesiæ sanctæ Mariæ, sanctique Pauli, necnon sibi confratribus ibidem Deo servientibus, ecclesiam de Stabulis in honorem sancti Gervasii dicatam, ad Deo serviendum traderemus; nos vero quod petebat, considerantes utile, ecclesiam ipsam sicuti poscebat, consensu & voluntate clericorum nostrorum concessimus supradictæ ecclesiæ, maxime concordante in hoc, & volente, simulque totius animi benevolentia, nos super hoc deprecante domino Pontio, Pontis castri domino & principe, ex cujus beneficio ipsa quam supra nominavimus ecclesia noscitur esse. Non solum autem hoc deprecando ipse voluit & consensit, verum etiam uxor ejus Caravicina nomine, & omnes filii, quorum nomina infra denotata præsens pagina demonstrabit. Hoc autem ea ratione annuendo concessimus, ut monachi ibidem Deo servientes, secundum ecclesiasticam auctoritatem nobis per omnia sint obediendo subditi, nostrisque successoribus; ita tamen ut ecclesia nostra nihil detrimenti patiatur in subjectione sibi debita, & consuetudinibus: ut vero hujusmodi pactio stabilis maneret & firmior, manu propria hoc scriptum firmavimus, & archidiaconorum ecclesiæ nostræ nominatæ, necnon archipresbyterorum subannotari præcepimus. Actum publice Richerius Deo miserante archiepiscopus, Hilduinus archidiaconus, Heribertus archidiaconus, Gualterius archidiaconus, Herminius archidiaconus, Fulcherius archipresbyter, Albertus archipresbyter, Archefridus archipresbyter, Pontius Pontivi castri dominus, Caravicina uxor ejus, Anselmus eorum filius, Garnerius eorum filius, Philippus qui & Milo tertius. Data mense Junio, regnante rege Philippo anno 19. Fromondus cancellarius scripsit.

XIV.

Richerius donat ecclesiam sancti Baldi monachis sancti Remigii.

EGO in Dei nomine, RICHERIUS, sanctæ 1081. Senonensis ecclesiæ archiepiscopus. Omnibus fidelibus utriusque testamenti scientia pollentibus, procul dubio manifestum esse ipsius rei veritate comperimus quod sacro-sancta ecclesia cunctis mundi diffusa partibus difficulter crevit sanctorum Patrum paulatim corroborata opibus; nec mirum quidem videri debet alicui, si tanta materfamilias cum difficultate crevit, quæ semper quoque consistet quandiu homo vixerit. Omnibus etenim in promptu est agnoscere, quod arbor tarde crescens longo vivit tempore: quæ vero cito crescit, cito videtur deficere; verum quoniam quibusdam in locis deficiente justitia ex parte malorum incursu, Dei vastatur ecclesia, necesse est & necesse erit ut semper bonorum releveiur solertia. Hoc itaque fideles viri cernentes esse utile, sæpe & suis facultatibus procurant ipsius necessitati affectu bonæ pietatis succurrere. Quorum ego divina miseratione cupiens imitari vestigia, Dei omnipotentis, qui fons pietatis est, præcurrente gratia, ecclesiæ sancti Remigii, quæ in suburbio civitatis est misericordiæ impendi viscera. Abbas namque ipsius loci GUILLELMUS nomine ante meam præsentiam veniens, supplicavit deprecans obnixe, ut supradictæ ecclesiæ sancti Remigii pro remedio animæ meæ, necnon etiam pro

Digitized by Google

anteceſſorum meorum ſalute eccleſiam ſancti Baldi (A) concedam ultra fluvium ſitam in monte. Ego autem ſentiens in animo bonam eſſe petitionem ejus, convocatis ſanctæ Senonenſis eccleſiæ melioris ſententiæ fratribus, communi conſenſu & voluntate aurem accommodans præfati abbatis precibus, ipſius itaque verbis ideo maxime aſſenſum præbui, quoniam ipſa eccleſia redacta erat ſub unius officio preſbyteri quam MAYNARDUS bonæ memoriæ archiepiſcopus pro ſollicitudine a poteſtate laicorum revocaverat. Verum etiam quibuſdam cauſis poſtea præpedientibus, quas enumerare minus videtur utile, & a re procedit longius, loci ipſius officio, ut dictum eſt, miniſtrabat preſbyter unus. Igitur Dei potentis ordinante clementia, necnon & clericorum noſtrorum ſententia concordante, prædicto loco ſancti Remigii denominatam eccleſiam cum (B) omnibus quæ habere videtur in perpetuum conceſſi, ea ſiquidem ratione, ut in ipſa plures ſemper maneant monachi ad Dei ſervitium. Et quoniam ipſa eccleſia ex ratione theſauri erat ab antiquis temporibus, laudavit hoc maxime & confirmavit cum cæteris Daymbertus canonicus, qui prius a me donum ipſius theſauri ſuſceperat, atque ejuſdem theſauri partem in dominio tenebat. Hoc autem pro certo ſciat tota fidelium devotio, quia ob hoc maxime facta eſt a me hujuſmodi donatio, quatenus ibi divinæ majeſtati jugiter exhibito ſolemni ſervitio, anteceſſoribus meis & mihi hoc idem fiat peccatorum remiſſio, & anima MAYNARDI bonæ memoriæ prænominati archipræſulis a Deo conſequi mereatur piæ intentionis mercedem, qui in hoc ipſo fundamentum extulit boni operis. Et (C) ne aliquo modo poſſit infirmari hujus pactionis confirmatio, judicio communi clericorum, ne aliquis eam violare audeat, interdicens præcipio, inſuper etiam violatores a divina excommunicationis ſententia percuti. Deprecor etiam ſucceſſores meos archiepiſcopos ſcilicet qui venturi ſunt in ordine, ut hujus excommunicationis memores, & ſententiæ quæ a me confirmata eſt, pro Dei amore confirment, & quod excommunicatum pro remedio animarum ſuarum excommunicent, quatenus ab ipſo mereantur conſequi miſericordiam qui Cananæam & Publicanum vocavit ad pœnitentiam. Ut vero majoris auctoritatis ſit ipſius actionis pagina, hoc ſcriptum confirmavi manu propria, juxta quod eccleſiæ conſuetudo requirit legitima. Confirmarunt etiam ſimiliter omnes qui præſentes (D) aderant archidiaconi, necnon plures clericorum qui ad hoc idem erant neceſſarii, quorum nomina ſubter ſcribuntur, veritatis cauſa & fidei. Actum publice in eccleſia ſancti Stephani. Signum archipræſulis Richerii, S. Hilduini archidiaconi, S. Goſberti archidiaconi, S. Heriberti archidiaconi, S. Walteri archidiaconi, S. Cornelii archidiaconi, S. Andreæ canonici, Hugonis canonici, Daymberti theſaurarii, Gimberti archipreſbyteri, Girardi archipreſbyteri, Archenſedi preſbyteri, Godefridi archipreſbyteri, Goſfridi archipreſbyteri, Roberti archipreſbyteri, Stephani archipreſbyteri, Gaufridi epiſcopi Pariſienſis, Gaufridi epiſcopi Carnotenſis, Philippi epiſcopi Trecenſis, Walteri epiſcopi Meldenſis, Arnulfi epiſcopi Aurelianenſis, Arnulfi abbatis S. Columbæ, Iſamberti abbatis S. Germani Pariſienſis, Leonuini * abbatis S. (E) Petri Meldenſis **, Guiberti abbatis S. Germani Autiſſiodorenſis, Gualterii abbatis S. Petri Ferrarienſis, Roberti abbatis S. Florentini Bonævallis. Data menſe Octobris regnante Philippo rege anno vigeſimo-tertio. Frotmundus præcentor & cancellarius ſcripſit.

* aliter Erminii.
** Forte Melodunenſis.

X V.

Bulla Paſchalis II pro Ferrariis.

Ex chartario.

1103. PASCHALIS ſervus ſervorum Dei, in Chriſto filio Atgerio reverentiſſimo abbati Ferrarienſis ſeu Bethleemitenſis monaſterii quod in honore beatæ Dei genitricis Mariæ & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli ſacratum eſt ejuſque ſucceſſoribus regulariter promovendis in perpetuum. Piæ poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, quatenus & devotionis ſinceritas laudabiliter enitеſcat & utilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Quia igitur dilectio tua ad ſedis apoſtolicæ portum confugiens ejus tuitionem devotione debita requiſivit, nos ſupplicationibus tuis clementer annuimus & beati Petri monaſterium cui, Deo authore, præſides cum omnibus ad ipſum pertinentibus ſub tutelam apoſtolicæ ſedis more prædeceſſorum noſtrorum excipimus, ſicut devotio tua poſtulavit, quod videlicet monaſterium ſanctæ memoriæ quidam venerabilis dux Wandebertus nomine antiquitus ædificaſſe & rerum ſuarum muneribus ditaſſe cognoſcitur. Per præſentis igitur privilegii paginam apoſtolica authoritate ſtatuimus ut quæcumque prædia, quaſcumque poſſeſſiones idem venerabilis dux Wandebertus eidem monaſterio contulit, & quæcumque ad ipſum aliorum fidelium legitimis videntur donationibus pertinere, quæcumque etiam in futuro conceſſione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juſte atque canonice poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Sane quamdam cellam S. Judoci, quæ ſita eſt in pago Pontivo ſuper fluvium Quantiam in loco qui dicitur Schaderias, cum omnibus ad ſe jure & legaliter pertinentibus, quatenus in dominatione & regimine rectorum memorati cœnobii Ferrarienſis ſive Bethleem perpetuo perſiſtens, ſancimus cum eccleſia ſancti Eligii, quæ eſt in proſpectu ejuſdem monaſterii, & eccleſia ſancti Martini de Curtemaudo, eccleſia ſancti Victurii de Fontaneto, eccleſia ſancti Amandi de Burſiaco & rebus omnibus atque poſſeſſionibus. Obeunte te nunc ejuſdem loci abbate vel tuorum quolibet ſucceſſorum nullus alius qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars ſanioris conſilii ſecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam elegerint. Electus vero benedictionem & cætera more prædeceſſorum noſtrorum obtineat. Decernimus ergo ut nulli hominum liceat idem monaſterium neque rectores ejus cum fratribus ſibi a Deo commiſſis temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis exactionibus fatigare, ſed integra omnia conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Quidquid præterea immunitatis, quidquid libertatis ſeu donationis a pontificibus hujus ſanctæ Romanæ eccleſiæ vel ab aliis archiepiſcopis, epiſcopis vel catholicis regibus & cæteris fidelibus monaſterium hactenus obtinuiſſe cognoſcitur, ratum firmumque habemus. Si qua ſane eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis, &c. Datum Laterani per manum Johannis S. R. E. diaconi cardinalis III idus Nov. indict. XII, pontificatus domini Paſchalis II an. 5.

X V I.

Privilegium Philippi regis Francorum de dono abbatiæ ſancti Martini de veteribus Stampis.

Ex Chartario Mauriniac.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Notum fieri volumus univerſis ſanctæ Dei eccleſiæ cultoribus, & omnibus fidelibus noſtris tam laicis quam clericis præſentibus videlicet & futuris, quod eccleſiam ſancti Martini de veteribus Stampis, nunc temporis ordine canonico præfulgentem & omnes abbatias ejuſdem eccleſiæ quæ noſtra propria erat, monaſterio ſanctæ Trinitatis de novis Stampis, & RAINALDO tunc temporis ejuſdem loci qui Maurigniacus vocatur abbati, necnon omni conventui fratrum ſibi commiſſo pro Deo & animæ patris noſtri remedio, conſilio & aſſenſu Ludovici filii noſtri donavimus, & donando poſſidendam & habendam in perpetuum conceſſimus, 1106.

tali

tali videlicet tenore, talique determinatione eleemosynam illam S. Trinitati, quæ Deus est, concessimus, ut canonicis qui eo tempore vivebant, vita comite, canonicas quas præbendas vocamus canonice tenere liceret. Si vero vendere qualibet occasione quilibet eorum vel omnes vellent, aut abbati sanctæ præfatæ Trinitatis vendant, aut omni alio emptore penitus remoto dimittant. Hoc etiam definivimus, si aliquis ipsorum canonicorum infirmitate prægravatus, vel prosperitate carnis de morte animæ metuens, habitum sanctæ religionis, panem ecclesiasticum, & habitum S. Benedicti quasi frater ejusdem loci omni postposita pecunia paratum invenerit: qui autem in domo sua viam universæ carnis ingressus fuerit, obsequium & omne debitum animæ, quasi frater monachus a præfatis confratribus monachis Deo volente receperit. Et ut hæc charitas firma & inconvulsa permaneat, memoriale istud inde fieri & nostri nominis caractere & sigillo signari & corroborari præcipimus, adstantibus de palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. S. Hugonis de Creceio dapiferi nostri, S. Gascionis de Pisciaco constabularii, S. Pagani Aurelianensis buticularii, S. Galeranni camerarii. Actum Aurelianis in palatio anno ab Incarnatione Domini M. CVI, anno vero regni nostri XLVI. Stephanus cancellarius relegendo subscripsit. Interfuerunt in testimonium veritatis Bartholomæus de Fulcosio, Wlgrinus Gohardi filius de Stampis, Hugo Rua-nova, Petrus Cambertanus.

XVI.

1112. *Ludovici præceptum regis de veteribus Stampis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, *Ludovicus* Dei gratia Francorum rex. Notum fieri volumus universis sanctæ Dei ecclesiæ cultoribus, & omnibus fidelibus nostris, tam laicis quam clericis, præsentibus videlicet & futuris, quod *Thomas* Maurigniaci abbas præsentiam nostram humiliter expetivit, & ut donum de ecclesia B. Martini, quæ est apud veteres Stampas, quod ecclesiæ Maurigniacensi meo consilio & assensu pater meus antea fecerat, confirmarem, devote requisivit. Videns igitur rationabilem viri petitionem, ut eleemosyna patris mei & mea firma teneretur, donum supradictum coram proceribus nostris, quorum nomina infra describuntur, confirmando renovavi, & renovando confirmavi. Ecclesiam ergo B. Martini de veteribus Stampis, in qua decem adhuc canonici morabantur: duas etenim monachi jam præbendas obtinebant, & omnem abbatiam ejusdem ecclesiæ, quæ nostra propria fuit, monasterio S. Trinitatis pro Deo & animæ patris mei & meæ remedio donavimus, & donando possidendum in perpetuum concessimus: eo videlicet tenore, ut sicut in donativo patris mei institutum est, canonici dum viverent & vellent præbendas suas canonice possiderent; vendere vero qualibet occasione, vel cuiquam relinquere nullo modo valerent, sed loco supradicto, id est Maurigniacensi cœnobio, vel viventes sponte sua, vel morientes, omni emptore & successore penitus remoto dimitterent. Justitia vero eorum quandiu vixerint in manu Maurigniacensis abbatis, quippe quia illorum erit abbas, habeatur; si quis eorum monachus effici voluerit, libentissime suscipiatur. Actum Stampis in palatio publice, anno Incarnati Verbi M. CXII, anno vero Consecrationis nostræ IIII, præsentibus ac testimonium veritatis perhibentibus, quorum nomina subtitulata sunt & signa. S. Anselli tunc temporis dapiferi nostri, S. Gilberti buticularii nostri, S. Guidonis camerarii, S. Hugonis constabularii nostri. Quod ut in posterum vigorem haberet, nostri nominis caractere & sigillo signari & corroborari præcepimus. S. Pagani filii Anselli, S. Johannis filii ejus, S. Pagani de Buno, S. Theodonis filii Ursonis, S. Wlgrini filii Goardi, S. Adæ de Chaali, S. Arnulfi filii Arraldi, S. Herberti filii Herpini, S. Haimonis nepotis. Stephanus cancellarius relegendo subscripsit in ecclesia beatæ Mariæ coram rege & archipresbytero, qui loco archiepiscopi interfuit. Hoc concesserunt omnes canonici, Gilebertus canis, Theobaldus magister, Hugo cantor, Guillelmus Vimbaldi filius, Arnulfus clericus, Algrinus filius Guillelmi presbyteri, & Guillelmus frater ejus, Galterius clericus, Wallinus filius Arnulfi, Drogo, Herbertus filius Fulconis.

XVII.

Maurigniacenses ab omni Flaviacensium subjectione immunes & liberi redduntur. *Ex chartario Mauriniac.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1106.
Noverint universi tam præsentes quam futuri, locum qui Maurigniacus appellatur, & in honore S. Trinitatis dedicatus est, a domo & monachis Flaviacensibus fuisse fundatum. Quidam etenim miles nomine Ansellus, terras & fundos, quibus locus ille primitus initiatus est, prædicto Flaviacensi loco, concedente Hugone de Pusiaco domino suo, contradidit. Crevit autem ædificantibus monachis illis, donec in abbatiam conversus est. Constituto autem abbate domno Rainaldo Flaviacensi monacho, subjectionem & olei summam per singulos annos sibi retinuerunt, cætera monachis ibi servientibus dimiserunt. Emergentibus autem quibusdam dissentionibus, quas enarrare longum nec necessarium est, prædictum olei redditum atque subjectionem regis violentia longo tempore perdiderunt, unde contigit ut inter Flaviacenses atque Maurigniacenses simultates necnon & odia discurrerent, adeo ut vicinis eorum tam monachis quam laicis non parum res illa displiceret. Providente autem Dei clementia & finem jurgiis ponere disponente, quidam vir optimus nomine Vulgrinus filius Goardi, Philippi regis cambellanus, discordiam istam diu durare non patiens, suo & verbo & sumptu redditum quemdam præparavit, ubi Flaviacenses prædictam olei summam sine difficultate aliqua singulis annis acciperent. Facta est itaque concordia tali pacto, ut & Flaviacenses redditum suum haberent, & omnem illam subjectionem quam a Maurigniacensibus expetebant omnino dimitterent. Ipsi vero consuetudinem illam quam a Flaviacensibus exposcebant, videlicet de priore & cantore, atque de omnibus quæ eis debebantur, ex toto dimiserunt. Sciant ergo omnes scire volentes quod firma pax & vera concordia æternaliter inter utrosque confirmata est, ita ut Flaviacenses remota omni occasione & simonia, quod suum est habeant, & Maurigniacenses ab omni eorum subjectione sint liberi. Quicumque hoc pactum dissolverit & fraudem aliquam molitus fuerit, anathema sit. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexto, regnante Philippo rege.

XVIII.

Instituuntur canonici regulares in ecclesia S. Johannis. *Sammarth.*

IN nomine Domini sciant præsentes & futuri, quod 1111.
cum diversis casibus attenuata ecclesia B. Johannis Apostoli & sancti Eraclii confessoris in suburbio Senoniæ urbis, idoneis ad Deo serviendum ministris indigeret, tactus amore beati Johannis servus Dei Stephanus præpositus postulavit a canonicis S. Mariæ & S. Stephani Senonensis ecclesiæ, ad quos ipse locus proprie pertinet, ut in eadem ecclesia beati Johannis ad canonicæ professionis titulum fratres concederent aggregari. Quam sane petitionem consilio & assensu domini Daimberti archiepiscopi suscipientes iidem canonici communiter & concorditer

Digitized by Google

concesserunt, ut in prædicta ecclesia sub canonica professione fratres interius domino Deo militent, qui tamen ibidem canonicam vitam profiteantur, & nihil subjectionis alienæ cuilibet ecclesiæ debeant, sed tantum ad Senonensis ecclesiæ conventum tanquam ad majores & advocatos suos respiciant; sic tamen ut nullam exactionem nullius penitus largitionis sive commoditionis requisitionem ab eis sustineant, sed liberi prorsus ab omni molestia & inquietudine subsistant, quamdiu beati patris Augustini sanctæ Regulæ inhæserint, & canonico ordine communem vitam duxerint. Si quando tamen, quod absit, per excessum humanum contra fecerint, non eis id prætendatur in laqueum, si denuo errata sua castigando correxerint. Si vero Domino aspirante aliqui de mundo ad eorum consortium transire voluerint, si eisdem fratribus visum fuerit, suscipiant eos; nec assensum vel laudem Senonensis capituli circa hoc requirant, sed libere faciant quod suum est, juxta regulam suam. Quod si forte iidem fratres humanitatis gratia vel ædificationis suæ causa regulares personas de alia ecclesia secum ad habitandum ad tempus assumere voluerint, liceat eis. Interim etiam eligant sibi in capitulo suo regulariter priorem, & electum præposito & fratribus præsentent in Senonensi capitulo, qui & in eorum præsentia suscipiat a præposito per librum regulæ, quod ad suum pertinet officium. Cum vero per misericordiam Dei res ipsius ecclesiæ augmentatæ & amplificatæ fuerint, & numerus fratrum impletus, ut abbatem sibi præficere velint & possint, eligant cum timore Dei in suo capitulo abbatem de grege suo, vel aliunde, si necesse fuerit personam liberam, & ab omni jugo alienæ subjectionis factam immunem, & electum suum in capitulo S. Mariæ & S. Stephani præposito præsentent, & fratribus: deinde remota omni contradictione & calumnia Senonensis capituli, qualis a canonicis beati Johannis electus & præsentatus fuerit, talis in præsentia canonicorum S. Mariæ & S. Stephani a præposito per librum regulæ suscipiat beneficium ecclesiæ. Quo facto, suffragante præposito & ceteris fratribus Senonensis capituli talis præsentetur archiepiscopo, & de manu ejus baculum pastoralem & curam sui officii, suique pastoratus sacrationem suscipiat. Sacratus vero & in ecclesia susceptus cum timore Dei gregem suum custodiat, & res ecclesiæ libere secundum abbatis officium disponat, & meminerit assidue libertatis suæ quietem ex religione canonica sibi & suis provenire. Factum est autem & statutum hoc ad Dei laudem & honorem anno Incarnationis dominicæ M. CXI, episcopatus autem Daimberti archiepiscopi 14, regni vero Ludovici Francorum regis IV. Actum in capitulo fratrum. Daimbertus archiepiscopus, Stephanus præpositus, &c.

X I X.

1111. *Charta Stephani præpositi Senonensis pro canonicis regularibus S. Johannis.*

IN nomine sanctæ Trinitatis, ego Stephanus præpositus & tota congregatio S. Mariæ & S. Stephani. Quia diversis exemplorum indiciis & plurimis rationum evidentiis edocemur peccatorum maculas religiosorum precibus citius expiari, & Christum delinquentium offensionibus irritatum sanctorum intercessionibus celerius placari. Propterea carissimos fratres nostros B. Johannis Evangelistæ & S. Eraclii confessoris regulares canonicos decernimus nobis artius sociare, ut iis suffragantibus misericordiam Domini maturius mereamur invenire. Igitur communi & concordi consilio & decreto concessimus & concedimus prædictæ ecclesiæ B. Johannis & fratribus ibidem Deo servientibus ipsis & successoribus eorum in perpetuum habendos annuos reditus singularum

A præbendarum, singulorum canonicorum nostrorum, sicut ipsis obeuntibus pro animabus eorum ecclesia nostra per annum, dare consuevit. Addidimus etiam, ut quoquo modo persona mutetur, sive morte deficiat, seu sponte sua, vel alio quolibet modo a præbenda privetur, prælibati fratres canonici B. Johannis reditum præbendæ per annum integrum absque aliqua diminutione consequantur: ita videlicet ut quod consuetudo reposcit, pro singulis canonicis nostris efficiant, pro anima scilicet cujusque quotidie per annum, exceptis quos excipi oportet festivis diebus, salutarem hostiam divinæ Majestati offerant, matutinas horas & diurnas, & commendationem animæ quotidie percurrant. Hebdomadas etiam in ordine suo sicut ceteri sacerdotes nostri tam in celebratione missarum, quam
B in aliis horis nocturnis pariter & diurnis in ecclesia nostra per se vel per alias personas expleant. Hanc igitur donationem prædictæ ecclesiæ, sicut supradictum est, cum bona & plena fide perpetualiter attribuimus; & ne quis successorum nostrorum hæc temerare vel aliqua mali ingenii exquisitione mutare vel minuere præsumat, sub anathemate coram Deo prohibemus. Nominibus etiam nostris secundum morem sigillatim firmavimus & firmamus. Actum in capitulo fratrum S. Stephani præpositi, S. Gosberti presbyteri, S. Hathonis presbyteri. Datum anno Domini M. CXI.

X X.

C *Daimbertus archiepiscopus concedit abbatiam sancti Martini de veteribus Stampis monasterio Maurigniacensi.* Sammarth.

IN nomine sanctæ Trinitatis, *Daimbertus* archiepiscopus. Sciant præsentes pariter & futuri, quoniam venerabilis frater noster abbas Maurigniacensis cœnobii nomine *Thomas*, accedens humiliter ad metropolitanam sedem nostram, cum omni devotione & humilitate nobis supplicavit ecclesiam de veteribus Stampis in honore Domini & commemoratione B. Martini dedicatam, sibi & successoribus suis perpetuo possidendam concederemus, sicut *Philippus* rex & *Ludovicus* filius ejus itidem rex sibi donum fecerant. Eamdem enim ecclesiam ipsi reges Maurigniacensi cœnobio regia largitate jam prius attribuerant, & ut
D ipsam largitionem confirmaremus regiæ nos preces incitabant. Nos autem illud potius dominicum attendentes, ubi dicitur, *petite & dabitur vobis, pulsate & aperietur vobis*, religiosi fratris petitionem irritam esse nequaquam sustinuimus: sed juxta illud evangelicum petenti cum fide, pulsanti cum spe, aperuimus, divinis obtutibus placere, & regis precibus satisfacere, & fraternæ utilitati providere sub uno opere nos posse credentes. Igitur ad laudem & honorem Domini ex consensu & voluntate fratrum canonicorum scilicet ejusdem ecclesiæ, concessimus Maurigniacensi cœnobio prædictam ecclesiam perpetuo possidendam: ea videlicet ratione, ut canonici præsentes suas, quamdiu vixerint, in pace teneant præbendas, nisi forte, remota omni violentia, Maurigniacensi abbati
E eas guirpire consentiant. Post obitum vero singulorum singulæ præbendæ transeant in jus & dominium Maurigniacensis abbatis, salvo tamen jure Senonensis ecclesiæ per omnia a primis per medium usque ad ultima. Data Senonis mense Januario, indictione V, regnante Ludovico rege anno IV. Daimbertus archiepiscopus, Ansellus archidiaconus, S. Hato archidiaconus, S. Thebaudus archidiaconus, S. Giraldus archidiaconus, S. Richardus archidiaconus, S. Burchardus archidiaconus, S. Girardus cancellarius scripsit.

XXI.

Ex cartulario Pruliacensi.

Fundatio Pruliaci.

1118. QUONIAM diuturnitate temporum acta hominum sæpe a memoria subsequentium delentur, unde multoties inter carissimos malum discordiæ bacchatur dum perdito certitudinis tramite diversi diversa sentiunt, idcirco hac pagina cunctis sanctæ Ecclesiæ filiis notum facimus quod Holdevinus de Agliniaco consensu mulieris suæ Richeldis & filiorum suorum vendidit domno Theobaldo comiti & matri ejus Adelæ comitissæ omnes terras suas quas apud Pruliacum possederat, illas scilicet terras quæ infra terminos quos Hugo Venet & cæteri Brajacenses milites domno Stephano abbati Novi-monasterii, & fratribus qui eo tempore eum comitabantur in prædicto Pruliacensi loco determinaverunt, pro quadraginta solidis & duodecim sextariis avenæ, quos comes idem & mater ejus comitissa atque hæredes eorum eidem Holdevino & hæredibus ejus omni anno concederent. Jusserunt vero comes prædictus & comitissa ut præpositus de Monte hunc censum avenæ omni anno Holdevino seu hæredibus ejus sine injuria traderet. Termini autem quos Hugo Venet & cæteri milites Brajacenses prædicto abbati designaverunt, sunt a loco qui dicitur Crux Drogonis, usque ad molendinum de Estre, hic terminus per vallem pratis aptam jacet, & ab eodem loco qui dicitur Crux Drogonis, usque ad pomerium monachorum, hic terminus per viam quæ ducit ad villam Momigniacensem jacet, & girat visum per pomerium monachorum usque in aquam quæ de Montigniaco fluit, & per eandem aquam descendit usque ad prædictum molendinum, omnem hanc terram de qua agimus donavit dominus Theobaldus comes, & domina Adela comitissa mater ejus domno Stephano abbati pro redemptione animarum suarum, atque omnium parentum suorum ad victum monachorum, quos in eodem loco erat ordinaturus, & hi sunt testes Theobaldus comes, Radulphus de Balgenciaco, Frotmundus præpositus Montis, & Herbertus filius ejus, Herbertus præpositus de Pruvigno, Galterus infans, Odo de Vimpulia. Post hæc dominus Seguinus miles de meriola cœpit conqueri de prædicto Holdevino de Agliniaco, scilicet quod terras quas de illo tenuerat, ipso inscio, prædicto comiti & comitissæ vendidisset, unde abbas & sui ac Holdevinus, & uxor ejus Richeldis, & filius eorum Attho antedictum Seguinum apud Mairolam adierunt, ut ei de istis satisfacerent. Qui miles & uxor ejus Isabeth, & filii eorum Deodatus & Milo, precibus abbatis & Holdevini domini ejusdem castri & multorum nobilium & divitum illius castri tandem victi laudaverunt venditionem terrarum suprascriptarum, & coram præsentibus corroborantes concesserunt, ut terræ istæ jure perpetuo essent monachorum, quos abbas idem in eodem loco collocaret, eo tamen tenore, ut comes & comitissa prædictum censum avenæ traderent in manus domini Seguini militis, & ipse in manus Holdevini daret, quatenus sicuti antea terras venditas de illo tenuerat, sic etiam nunc censum illum de illo teneret, quæ omnia Holdevinus de Agliniaco, & mulier ejus, & filius eorum Hatto apud Mareolam videntes & audientes rata per omnia habuerunt, & hi sunt testes: Helduinus de Marolis, & Nortmannus & Stephanus filius ejus, Evrardus Rufus, & Petrus filius ejus, Simon miles, Aymo Rufus, Evrardus filius Fulconis, & Hugo Clericus frater eius, Seguinus Deodatus, & Milo filius ejus. Post hæc apud Pruliacum hæc omnia laudavit Clericus filius Holdevini cui dedit abbas psalterium unum pro signo. His ita peractis in die benedictionis Pruliacensis cimeterii coram domno Daimberto Senonensi archiepiscopo, A prædicta Richeldis negavit se laudasse partem horum quæ supra dicta sunt, quæ tamen laudaverat. Rogatu vero Frotmundi avunculi sui, cujus consilio hæc acta fuerant, & dominæ Margaritæ uxoris Helduini de Mairolis, dominæque Agnetis uxoris Andreæ de Baldement quæ dedit ei 20 solidos, aliosque 20 fecit ei dare dominæ Adelæ comitissæ, ipsa, & Helduinus maritus ejus in oratorio B. Dei Genitricis Mariæ Virginis librum super altare ponentes concesserunt, atque laudaverunt monachis Pruliacensibus omnem terram quam domno Theobaldo comiti, matrique ejus vendiderant, & terram quam supradictis monachis pro salute animarum suarum dederant, atque supradicta Richeldis de calumnia injuste facta ante altare satisfaciens, dederunt sæpedictus Helduinus, & ipsa B medietatem olchæ Bernardi, nam partem reliquam primum dederant; domnus vero Artaldus abbas dedit eis quinque solidos in caritate. Hi sunt testes Frotmundus, & Herbertus filius ejus, Nortmannus, & Stephanus filius ejus, Evrardus Rufus, Otrannus.

XXII.

Ex eodem cartulario.

Aliæ donationes factæ Pruliaco.

NOTUM sit filiis sanctæ Ecclesiæ, quod Avelina de Surdolo licentia & consilio amicorum suorum, & fratris sui Raculphi dedit domno Theobaldo comiti, & beatæ memoriæ Adelæ comitissæ matri ejusdem comitis quidquid in terris & silvis, atque C pratis ad mansionem quæ Pruliacum nuncupatur pertinens hactenus possederat, omnia scilicet quæ communia cum domino Goffrido filio Hugonis Venet Brajacensi milite, & quæ per se propria quæ appellantur jura septem solidorum tenuerat, has autem terras omnes, & silvas & prata prædictus comes, & mater sua comitissa dederunt S. Mariæ & monachis Novi-monasterii per manum domni Stephani abbatis pro se & pro animabus omnium parentum suorum. Dominæ autem Avelinæ viduæ pro recompensatione prædictæ terræ supradictus comes & mater sua comitissa concesserunt medietatem census qui Pruviniaco per 4 dies Martis ante Nativitatem Domini in mercatu pro sale redditur. Hunc censum idem comes, & mater sua comitissa eidem viduæ Avelinæ, & D omnibus hæredibus ejus in perpetuum possidendum concesserunt, & ita ut ipsa mulier vel hæredes ejus suum proprium ministrum apud Pruviniacum constituant, qui censum prædictum ad opus illorum colligat. Illudque notandum quod has terras & prata de quibus locuti sumus domina Avelina de domno Theobaldo de Ravello tenuerat, & ideo domnus Theobaldus comes, & mater sua dederunt censum salis ante notatum in manu ejusdem Theobaldi, & ipse Theobaldus de Ravello statim dedit eidem Avelinæ viduæ, & hæredibus ejus jure perpetuo possidendum. Hæc facta sunt in villa quæ nuncupatur Celastre, & hi sunt testes, Andreas de Baldimento, Robertus de Turri, Salo de Monte, Robertus filius Fulcherii, Willelmus de Turri, Petrus filius Stephani, Walterius de S. Aiulpho, Winebertus Burgensis, E Robertus præpositus, Paganus præpositus, Herebertus de Tanesi. In crastino autem apud Pruviniacum Radulphus filius Avelinæ prædictæ, & frater ejusdem mulieris nomine Stephanus laudaverunt idem donum in domo Hereberti præpositi, & hi sunt testes: Constantius Nivernensis, Burdinus, Nicolaus, & Johannes duo canonici, Albertus Cauda Scutellæ, Jobertus, Herebertus præpositus. Post hæc vero Henricus & Sala filii Avelinæ viduæ apud Pruviniacum laudaverunt idem donum, & hi sunt testes: domnus Theobaldus comes, & domina Adela mater ejus, Radulphus de Baljenciaco, Hugo Manselmus, Henricus de Castellione, Robertus de Turri, Hugo Ventet, & filius ejus Gofridus, Herebertus de Pruvi-

Digitized by Google

niaco, Fulcherius canonicus, Paganus præpositus, A Robertus presbyter & decanus, Sala de Monte & multi alii. Post hæc etiam omnes filiæ ejusdem Avelinæ viduæ laudaverunt idem donum. Amen.

XXIII.

Sammarth. *Charta Ludovici regis pro Maurigniaco;*

1120. IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium industria, nostrorumque tam præsentium quam futurorum solertia, quod excellentiæ nostræ serenitatem Thomas Maurigniacensis abbas semel & sæpius expetiit, & humiliter expostulavit, ut quæ Deo præordinante Philippus B pater meus abbatiæ quæ Maurigniacum dicitur & in honore S. Trinitatis suo tempore fundata non longe a Stampis castro nostro sita est, dederat & concesserat; nos ea rursus auctoritate nostri præcepti roborare dignaremur, cujus petitioni libenter annuimus, & non solum quod pater fecerat concessimus, verum insuper & alia quædam pro remedio animæ meæ, & patris mei, necnon & matris meæ adjecimus, hocque nostræ immunitatis præceptum pro divino amore ad opus illius S. Monasterii fieri decrevimus, per quod regali auctoritate præcipimus, ut nullus omnino in ecclesias, loca, vel agros, seu reliquas possessiones quæ ab antiquis temporibus vel modernis juste & legaliter collatæ sunt, vel conferendæ sunt, aliquam violentiam audeat inferre, nec homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos, quam servos, vel ad fidejussiones, vel propter aliquas alias occasiones contra voluntatem abbatis ipsius ecclesiæ præsumat distringere. Omnes homines qui in loco ubi abbatia sedet hospites commanentes erunt, ab omni banno nostro liberi erunt, hospites illi qui in villa quæ Stampis appellatur monachis dati sunt, vel dabuntur, eas consuetudines quas nobis dum in manu laicorum erant, persolvere consueverant, nobis persolvent, nisi vel a nobis, vel a successoribus nostris condonatæ fuerint, universis autem monachorum hospitibus ubicunque sint concedimus, ne præpositus noster vel alterius cujuslibet potestatis homo, ullam de eis justitiam faciat, donec monachi de justitia deficiant, nisi vel in præsenti forisfacto eos invenerit, sive castrum nostrum vel bannileugam infregerint. Sciendum tamen D est quod in loco ubi abbatia sedet vel in hospitibus ibidem commanentibus, sanguinem, infractionem, bannum, seu aliquam prorsus consuetudinem non requirimus, sed locum & omnes hospites circa eundem locum commanentes, ab omni lege & consuetudine liberos, & absolutos in perpetuum esse concedimus. Notum etiam fieri volumus, quod universis servis ipsius ecclesiæ leges illas & consuetudines quas nostri servientes habent, in omnibus & per omnia habendas & possidendas concedimus, & ubicunque terræ in regno nostro dispergantur, lege consimili & consuetudine una coæquentur. Quisquis vero contra hoc nostræ munificentiæ præceptum ire tentaverit, & eos de testimonio reprobaverit, nostræ violatæ majestatis reus existat, & centum libras inde persolvat. E Si vero servus noster ancillam ecclesiæ, vel servus ecclesiæ ancillam nostram in conjugium acceperit, de fructu ecclesiæ dimidiam partem habebit. Quæcumque vero de feodo nostro monachis dabuntur, eis annuimus. Nundinas quasdam per totam hebdomadam durantes cum mercato nostro quod die Jovis habetur, cum omnibus consuetudinibus eidem loco concedimus, decimam quoque pedagii Berovillæ eis donavimus, ita ut decimam hebdomadam in propria potestate monachi habeant, & in ea proprium hominem si eis placuerit pedagium colligentem mittant: decem insuper solidos annui census quos nobis debebant pro anima AnsELLI dapiferi nostri eis perdonavimus. Placuit sane nominatim quæ eidem monasterio jam collata fuerant, hoc præcepto subscribi. Sunt autem hæc: prædium ipsum quod vocatur Maurigniacum cum omnibus suis consuetudinibus, in quo & granchiæ monachorum, & mansionillum quod dicitur bonus Villerus continentur, ecclesia S. Germani, ecclesia sancti Juliani; in castro Stampis hospites viginti, & dimidietas furni Harpini, cum dimidietate hospitum furno cohabitantium, quod donum Herbertus Harpini filius coram nobis dedit, & illud nos concedere & donum super altare mittere fecit: ecclesia Domarville & terra arabilis II carrucis: ecclesia Stripiniaci, cum decima & omni integritate sua: hospites inibi commanentes centum sexaginta censuales: torcularia duo, molendini duo, furni duo, ita quod nemo furnos in illa tota villa nisi tantummodo monachi facere potest: ecclesiæ veterum Stamparum: ecclesiæ de Firmitate Bauduini, & decima molendinorum nostrorum, & furni nostri, & carrucarum nostrarum ubicunque sint in tota castellaria: ecclesia de Bona: ecclesia de Guinevilla: ecclesia de Serni: ecclesia de Variis: ecclesia de Bonnis: ecclesia de Borreto: ecclesia de Chosiaco apud Dordentium: ecclesia S. Petri in Belsia Carnotensi: villa quæ Mesuns appellatur, & Bulletum cum decima, & Gormavilla, & Guillarvilla in Belsia Piveriensi, Bellovilla, Verrine, Busserum, Eschanvillerum. Hæc igitur & alia omnia quæ illi secundo monasterio collata fuerint, sub protectione & defensione nostra, simul & successorum nostrorum suscipimus, & ne quis unquam aliqua occasione ullam C violentiam vel injustitiam audeat inferre, salvo per omnia regio jure, penitus interdicimus. Quatenus autem per omnia tempora hoc præceptum inviolabiliter conservetur, sigilli nostri & nominis nostri caractere, annuente Philippo filio nostro illud subterfirmavimus. Data castro Euriæ anno incarnati Verbi M. CXX, Regni nostri XIII, Adelaidis reginæ VI, adstantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Stephani tunc temporis dapiferi & cancellarii nostri, S. Gilberti buticularii, S. Hugonis constabularii, S. Guidonis camerarii. Data per manum Stephani cancellarii.

XXIV.

Fundatio Scarleiarum. Eschariis.

QUONIAM quidem venerabilium virorum pia semper extitit intentio universalis ecclesiæ fundandis monasteriis providere quibus stabilirentur locis, quibus ampliarentur spatiis, quibus ditarentur muneribus: quod ad profectum ejusdem sanctæ ecclesiæ nostro constat actum tempore, litterarum apicibus tradere curavimus, ne viam universæ carnis omni subeunte materia carnis, tantum bonum traderetur oblivioni, quæ malevolis foret occasio calumniandi. Quidam igitur miles de Firmitate quæ vulgo dicitur de Loperia, nomine Vivianus, pro remedio animæ suæ & antecessorum suorum, dedit Deo, & sanctæ Mariæ, & omnibus Sanctis, & Stephano sacerdoti, sociisque ejus Theobaldo & Warnerio, omnibusque eorum successoribus locum Scarleias dictum, ad construendam religionis habitationem: fecit autem idem Vivianus per manum Fulcherii præpositi sui de Sepaux doni sui poni terminos: ex superiori scilicet parte, nam ex inferiori parte, ex parte scilicet prædictæ villæ, ad facienda prata quantum vellent ad proprios usus de silva absque terminis dedit; insuper autem dedit eisdem omnes aisantias suas per totum illud nemus, pastionem scilicet porcorum, cæterorumque animalium, usum lignaque ad omnes usus, excepto quod exsartum facere non liceret. Hoc donum laudavit frater ejus Stephanus & Aoidis, vulgo vocata Damet, eidem Viviano jam jurata, sed nondum nupta. Testes hujus rei sunt archipresbyter Isambardus, Letericus capel- Circa 1120.

Digitized by Google

lanus, Dodo clericus, Simon de Pruneto, Isambardus Grossus, Isambardus cognomento Manducat panem, Osmundus cliens ipsius Viviani.

Post longum autem tempus, fratres Scarleiarum, adeo Deo propitiante, multiplicati sunt, ut jam locus ille strictus eis & incommodus esset; abbatiam igitur suam in commodiori loco construentes, juxta quod eis concessum fuerat, præfato nemore ad opus novæ abbatiæ utebantur, quod cernens Siguinus prædicti Viviani filius, calumniatus est, dicens se nolle pati, & etiam injustum esse, nemus suum alibi transportari: propterea domnus Willelmus, tunc temporis Scarleiarum abbas, & ipse Siguinus ante Senonensem archiepiscopum Henricum convenere, auditaque curia hujus calumnia & illius responsione, judicavit quod fratres usum quem loco Scarleiarum habebant, ad opus omnium suorum locorum haberent. Huic rei interfuerunt domnus Henricus archiepiscopus, abbates Hugo Pontiniacensis, Stephanus Fontusmensis, Milo Curtiniacensis, Hagano de Malicornio, Siguinus Grossus, Josbertus de Prissiaco, Siguinus Rufinus, Landricus de Blanotio.

Siguinus Senonensis vuerpivit partem suam de decima Scarleiarum fratribus ejusdem loci, de rebus dumtaxat eorum; testes sunt Fulcherius *de Sepaux*, Carpentarius Rainardus, & Josbertus de Vova.

Isambardus quoque Grossus vuerpivit partem suam de eadem decima, & similiter apud Firmitatem: recognovit autem postea apud Scarleias se vuerpisse coram fratre Varnerio; testibus Viviano milite & prædictis Fulcherio Rainardo & Josberto. Nos vero de manu archiepiscopi, cum cæteris decimis & hanc accepimus.

Fromundus de Carneto, laudante uxore sua, vulgo vocata Belet, & filio eorum Itherio, dedit monachis Scarleiarum in terra Fontanarum, quantum sufficeret ad faciendum vivarium, & molendinum, & hortum, tantumque nemoris quantum his qui ibi manerent sufficeret. Hujus rei testes sunt Siguinus Viviani filius, Josbertus de Prissiaco, Hugo filius ejus, Stephanus de Juliaco. Hoc donum fecit ex sua parte Landricus de Bucheto, laudantibus filiis ejus Hatone, Warnerio, Willelmo, Valterio, Fulchone; unde sunt testes Landricus de Ordun & Balduinus. Hoc quoque donum fecit ex sua parte Walterius Baderannus laudante filio ejus Walterio; unde testes sunt Lethericus Jalardus, Herbertus Vipeus, Herveus de Firmitate, Josbertus de Prissiaco.

Fromundus de Carneto, laudante uxore sua, vulgo vocata Belet, & filio eorum Itherio; & Landricus de Ducheto, laudantibus filiis ejus Hatone, Warnerio, Willelmo, Walterio, Fulchone, dederunt monachis Scarleiarum pro animabus suis & parentum suorum quidquid habebant apud Fontanas. Annuit hoc dominus Milo de Curtiniaco, & Willelmus filius ejus, & Bauduinus Fuisnardus. Hujus rei testes sunt Siguinus Grossus, Landricus de Ordun, Siguinus infans, Herveus Balena, Josbertus filius Hervei de Firmitate.

Walterius quoque Baderanus, laudante uxore sua vocante Bona, & filio ejus Walterio, dedit quidquid habebat ibidem: sed habuit de charitate monachorum 20 solidos. Testes sunt Josbertus archipresbyter, Herveus dominus Firmitatis, Josbertus Guitellus, Josbertus de Prissiaco, Seguinus Grossus.

Balduinus Fuisnardus pro salute animæ suæ & antecessorum suorum dedit ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scarleis omnem suam partem de Villers, quidquid scilicet terræ & nemoris in territorio illo habebat. Habuit tamen pro hac re a monachis quindecim libras. Huic dono interfuerunt Milo de Curtiniaco & uxor ejus Elisabeth & filii eorum Willelmus, Joscelinus, Rainaldus, & ii omnes laudaverunt: nec hoc solum, sed quidquid de eorum casamento acquirere possent. Concesserunt etiam tunc eisdem monachis liberum transitum rebus eorum per totam terram suam absque peagio & omni custumia vendere similiter & emere sine teloneo, aliisque custumis, pastionem quoque porcis eorum in omnibus nemoribus suis absque panagio omnique prorsus custumia. De dono Balduini testes sunt dominus Milo & prædicti filii ejus, Hagano de Castellione, Josbertus archipresbyter, Siguinus Grossus, Gaufridus Sarnellus, Josbertus de Prissiaco. De laude & concessione Milonis & uxoris ejus & filiorum eorum sunt testes isti quos hic nominavimus, Hagano scilicet & subsequentes. Donum Balduini laudavit postea Elisabeth uxor ejus, unde sunt testes Paganus Lisiardus, Willelmus Brisius, Gaufridus de Ducheto & dominus Milo de Curtiniaco.

Siguinus Grossus pro salute animæ suæ & antecessorum suorum dedit monachis Scarleiarum quidquid frater ejus Waldricus terræ & nemoris in territorio Villers habebat, sed quia Waldricus tunc temporis in terra Jerosolymorum erat, pepigit idem Siguinus monachis congruum se cambium fratri suo, si rediret, daturum, si vero non rediret, laudante fratre suo Berengario, qui propter hoc a comite Nivernensi Willelmo habuit sexaginta solidos, libera & perenni possessione monachis ut dictum est donavit. Actum est hoc Autissiodoro in præsentia comitis Nivernensis Willelmi, in manu domni Johannis abbatis ejusdem cœnobii. Testes sunt dominus Stephanus Fontusmensis abbas, Milo de Curtiniaco, Herveus de Firmitate, Stephanus de Furuvi, Josbertus de Prissiaco. Scripturæ vero traditum est in præsentia Siguini Grossi & Walonis avunculi ejus qui terram illam a Waldrico in Vadio pro quinquaginta solidis habebat, quos a monachis recepit.

Willelmus de Montecorbun pro salute animæ suæ & antecessorum suorum, laudante uxore sua Elisabeth & filiis eorum Walterio, Gaufrido, Willelmo, dedit ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scarleis terram in Arebleto & nemus, sicut termini hic scripti dividunt. Ex una parte dividit filus vallis Veuræ joculatoris; ex alia parte dividit grossum nemus, ex vero alia parte Veura runsata & rivus qui ab inde venit, sic ut est usque ad Veuram joculatoris. Habuit tamen pro hac re a monachis decem libras, & uxor ejus vaccam cum vitulo, & filii eorum quatuor solidos. Testes sunt Isembardus stultus, Valterius de Montecorbun, Willelmus filius Aden, Odo filius Gaufridi, Rainaldus presbyter de Cuidot, Ernaldus presbyter Villæfrancæ, Fulco clericus & frater ejus, Walterius Bordellus, Willelmus præpositus de Cuidot, Willelmus de Curtivalt. Landrico autem de Ducheto & filiis ejus Hatone, Walterio, Willelmo; Landrico quoque de Barvilla, Lisiardo etiam de Loratorio & Isembardo stulto contra hanc divisionem reclamantibus, & dicentibus se etiam infra debere participare, facta est talis concordia, quod a Willelmo de Montecorbun habuerunt quinquaginta solidos & a monachis triginta, & laudaverunt ipsis monachis donum suum sicut Willelmus eis diviserat. Testes sunt Hagano de Castellione qui & hoc laudavit quia ab eo se tenere illud ex parte dicebant, Siguinus exul frater ejus, Siguinus Grossus, Gaufridus Sarnellus, Herveus Balena. Hoc donum laudavit Henricus filius Daimberti a quo etiam ex parte movebat, teste Haganone de Castellione, Borcardo filio ejus & Gaufrido Sarnello: Margarita quoque uxor Fulcherii calumniata est hoc donum, quia ex parte ad ejus dotem pertinere videbatur, sed postea tamen laudavit. Unde testes sunt Ascelinus de Campo-aglonis, Walterius Porretta, Walterius clericus de Montecorbun, Willelmus cliens de Montecorbun.

Letericus capellanus Firmitatis pro salute animæ suæ & antecessorum suorum, laudante fratre suo Herberto & uxore illius Margarita quidquid habebant apud Calosam, mansum scilicet Hermengardis cum omnibus appenditiis suis dedit ecclesiæ sanctæ Mariæ Scarleiarum: testes sunt Siguinus Grossus, Siguinus infans, Simon de Pruneto, Josbertus de Prissiaco, Josbertus & Paulinus canonici, Herveus dominus

Digitized by Google

Firmitatis & Josbertus Giufellus dederunt monachis Scarleiarum pro salute animarum suarum terram quam habebant in latere montis Bonen. . . . . . Unde sunt testes Josbertus archipresbyter, Siguinus Grossus, Josbertus de Prissiaco. . . . .

. . . .

Stephanus, cognomento Os custoditum, dedit ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scarleis totum casamentum de Baisia sicut eum tenebat a Rainaldo Pingui, & habuit pro hac re de beneficio ecclesiæ sex libras & pullum viginti solidorum. Hoc donum laudaverunt filii ejus Guarinus & Rainardus: testes hujus doni, & laudis filiorum sunt Gaufridus presbyter de Septempilis, Siguinus Infans, Bauduinus sororius ejus, Herbertus de Arceis, cliens Siguini Infantis. Hoc donum laudavit Rainaldus Pinguis a quo movebat ex parte uxoris, & ipsa uxor ejus Maria, & Odelina eorum filia: hujus laudis sunt testes prædictus Siguinus Infans de Firmitate, Frehericus, Rainaldus vicecomes, Gualterius Farcitus, Andreas de Dovat: hi quatuor de Joiniaco.

Huldeardis & Gualterius filius ejus, cognomento Sultus de Joiniaco, dederunt ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scarleis totam medietatem nemoris de Bornesei sicut eam tenebant a Philippo fratre Hervei de Firmitate. Pro hac re habuerunt de beneficio ecclesiæ octo libras. Hujus rei testes sunt Rainardus comes Joiniaci per cujus manum factum est, Siguinus Farcitus, Wido, Narjadus, Andreas de Dova. Hoc donum laudavit prædictus Philippus, & pro hac laude habuit sex libras: testes sunt Stephanus frater Iterii de Tociaco, Odo frater Ernaldi, Herveus Rafars, Herbertus de Porta.

Letericus Jallardus & Ermensendis uxor ejus dederunt ecclesiæ sanctæ Mariæ Scarleiarum pro animabus suis & antecessorum suorum quidquid habebant Bornais & in valle Chalose inter duas vias quæ de Senem tendunt Bornesei. Pro hac re habuerunt de beneficio prædictæ ecclesiæ vineam quam habebant apud Firmitatem & decem libras Autissiodorensis monetæ & equum, & singillatim prædicta domina quatuordecim solidos habuit. Hoc donum laudaverunt filii eorum Gualo, Siguinus, Johannes; hoc etiam laudaverunt Gualo pater prædictæ dominæ & Siguinus filius ejus, & pro hac re habuit decem solidos; hoc etiam laudavit Fulcho Bosserius a quo movebat, & pro hac re habuit de monachis viginti quinque solidos. Hujus rei testes sunt Herveus de Firmitate, Siguinus Grossus; testes sunt etiam prædicti Gaufridus presbyter, Gaufridus Turumellus, Fulco Rastellus, Gaufridus nepos Leterici, Humbaldus Siguinus.

Dominus Herveus de Firmitate & Josbertus filius ejus & Haremburgis uxor ejus laudaverunt ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scarleis totum casamentum de Baisia quod eis dederat Stephanus cognomento Os custoditum, & casamentum quod eis dederunt Gualterius filius Bovonis Taxerii de Joiniaco & Huldeardis mater ejus, totam scilicet medietatem nemoris de Bornesei, & habuit pro hac re centum solidos Autissiodorensis monetæ, & uxor ejus unum talentum. Testes sunt hujus rei Siguinus Grossus, Stephanus albus, Fulco Bosserius.

Stephanus Albus de Senonis & Hersendis uxor ejus dederunt ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scarleis pro animabus suis & antecessorum suorum, omnem terram quam habebant a chimino qui de Arceis tendit Agliniacum sursum versus ex parte Bornesei inter duas vias, unam quæ de Senem tendit Bornesetum, alteram quæ per collem montis Bonen tendit similiter Bornesetum. Hoc donum laudavit Gualterius filius eorum, & Gualterius Gifardus prædictæ dominæ frater: pro hac re habuerunt de beneficio ejusdem ecclesiæ, Hersendis solidos centum, Gualterius filius ejus quinque solidos, & Gualterius frater ejus decem solidos. Testes qui interfuerunt, sunt Josbertus Gifet, Siguinus Grossus, Josbertus de Prissiaco. Actum est apud Firmitatem in claustro publice anno ab Incarnatione Domini M. CXXXVII. Habuit quoque prædictus Stephanus Albus pro hac re de beneficio jam dictæ ecclesiæ duodecim libras, & tunc similiter dedit, laudavit & confirmavit coram testibus his, Siguino appellato Infante & Odone Malovicino.

Odo de Blanotio dedit ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scarleis pro anima sua & pro animabus antecessorum suorum, omnem terram quam habebat in valle Chalose & decimam, & omnem illam terram quam habebat secus viam quæ a Chalose tendit Suliacum, sicut erat in tribus locis. Pro hac re habuit de beneficio ecclesiæ centum solidos: testes sunt Gaufridus Rufus de Floriaco, & Gualterius filius ejus, Hugo de Pressi filius Josberti, Isambardus de Cripta.

Milo Baldus filius Josberti Gifel laudavit & concessit ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scarleis pro animæ suæ salute, quiquid eadem ecclesia de casamentis patris sui habebat. Pro hac re habuit de beneficio ecclesiæ triginta solidos Autissiodorensis monetæ: testes sunt Rainardus comes Joiniaci, Iterius dominus Tociaci, Siguinus de Firmitate vocatus Infans, Gaufridus presbyter Septempilorum. Actum est anno ab Incarnatione Domini M. CXXXIX.

Bernardus filius Vasserii, Anna & Guiburgis filiæ ejusdem Vasserii, laudantibus maritis suis Itembardo Tuibus & Henrico, dederunt ecclesiæ sanctæ Mariæ de Scarleis unam aream molendini quam habebant juxta Villamfrancam, & partem terræ & prati quam ibidem habebant; pro qua re habuerunt de beneficio ejusdem ecclesiæ centum solidos. Paganus Venator filius Odonis, Stephanus & Girardus cognomento Morinus, filii ejus, dederunt prædictæ ecclesiæ alteram partem prædictæ terræ & prati, & habuerunt de beneficio ejusdem ecclesiæ quindecim solidos. Hujus rei testes sunt ex utraque parte Stephanus abbas de Fonte-Joannis, Daimbertus & Landricus monachi ejus, Fromundus de Quercu-Arnulfi, Ascelinus de Campo-Aglonis & Gualterius miles de Montecorbun. Hoc donum laudavit Balduinus Foithardus & Landricus filius ejus, & Isabel uxor ejus, coram prædictis testibus.

XXV.

Stephanus præpositus Senonensis unit ecclesiam S. Salvatoris ecclesiæ S. Johannis.

IN nomine sanctæ Trinitatis, Stephanus præpositus & tota congregatio S. Mariæ & S. Stephani. Patet diligentibus Deum quod quicquid ad augmentum sanctæ religionis agitur totum Redemptori nostro manu bonæ voluntatis offertur, nec aliquid pie religiosis personis impenditur, quod non ipsi qui caput est religiose viventium conferatur. Unde & felices illi qui religiosos quosque fovent & tuentur, & infelices quicumque persequuntur. Hæc attendentes, etiam ista conferentes, ecclesiam S. Salvatoris, ubi commune cimiterium nostrum est, canonica religione decorare dignum duximus, maxime instante & rogante glorioso & christianissimo Francorum rege *Ludovico*, quatenus ibidem canonicus ordo floreat, & nostris ac prædecessorum ac successorum nostrorum animabus salus inde proveniat. Præsentibus igitur reverendis episcopis *Hathone* Trecensi & Burchardo Meldensi fratribus & concanonicis nostris, *Stephano* quoque Parisiensi episcopo, & *Thoma* priore S. Victoris, assistente etiam prædicto rege *Ludovico* & proceribus regni, *Milone* Curtiniacensi & *Andrea* dapifero comitis Theobaudi, prædictam ecclesiam sancti Salvatoris ecclesiæ B. Johannis Evangelistæ, quæ nostri juris est, conjunximus, & venerabili viro Rainardo abbati & successoribus ejus in perpetuum regendam & canonice ordinandam commisimus, cum omnibus rebus 1127.

& possessionibus suis & universis pertinentibus ad eam. Nolumus enim eamdem ecclesiam a nobis privare interim vel a manu nostra alienare; sed prædictæ B. Johannis ecclesiæ, sicut dictum est, consociamus, quæ sic ad nos respicit, & in tantum nostri juris existit, ut novus abbas, quoties opportunalitas exigit a conventu B. Johannis, electus in capitulo nostro per librum regulæ, a præposito nostro de ratione abbatiæ investiatur secundum instituta patrum nostrorum chirographi nostri conscriptione roborata. Erit igitur abbas S. Salvatoris & B. Johannis nobiscum unum, & in nativitate atque assumtione B. Deigenitricis, & in duabus solennitatibus sancti Stephani, conventui nostro intererit tanquam unus ex nobis, nisi forte absens sit vel infirmus. Canonici vero S. Salvatoris duas hebdomadas sacerdotaliter consummabunt in ecclesia nostra per vices suas respectu duarum præbendarum quas obtinent apud nos jure canonico. Processionibus quoque nostris in dominicis diebus bini assistent pro voluntate nostra: ita dumtaxat, ut fratres nostri Gosbertus & Theobaudus qui nunc in prædicta ecclesia consistunt, reditus suos integros habeant in vita sua, sicut modo: post obitum vero eorum, vel si ipsi locum dimiserint, ambo vel unus, extunc canonici B. Johannis substituantur. Residuus tamen qui non dimisit de reditibus suis nihil amittat. Ut autem hoc firmum permaneat, manu nostra subterfirmare, firmatumque tradere procuravimus. Actum in capitulo fratrum. S. Stephani præpositi, S. Theobaudi archidiaconi, S. Gosberti levitæ, S. Aduini subdiaconi, S. Drochonis subdiaconi, S. Rainardi decani, S. Gosberti presbyteri, cum multis aliis quos causa prolixitatis dimisimus. Data mense Decembri anno Domini M. CXXVII, indictione V, regnante Ludovico rege anno XXI. Petrus levita & cancellarius signavit.

XXVI.

Ex schedis D. le Beuf.

Ecclesia S. Salvatoris confirmata per Honorium II abbati S. Johannis.

Circa 1127.

HONORIUS Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio R. abbati sancti Johannis Senonensis ejusque successoribus in perpetuum. Voluntatis nostræ est quæ ad pacem ecclesiæ sunt statuere & earum quieti atque utilitati auxiliante Domino providere, ne forte ibi discordia locum inveniat unde pacis debent bona procedere. Ideoque diffinitionem controversiæ quæ inter vos & dilectum filium nostrum Herbertum abbatem S. Petri vivi pro ecclesia S. Salvatoris est hactenus ventilata, ad posterorum memoriam chartæ & atramento duximus committendam. Præfatus si quidem abbas eamdem ecclesiam vindicare ad jus sui monasterii nitebatur, asserens quod Leo tertius quondam Senonensis archiepiscopus inter alias possessiones quas eidem loco restituit & suo scripto firmavit, id quoque statuerit ut præfata S. Salvatoris ecclesia quæ in terra B. Petri juxta burgum sita esse dicebatur, a nemine successorum suorum aliquo tempore alteri ecclesiæ, nisi forte præfato monasterio concedi posset. Quod si quis id attemptare præsumpserit, nihilominus eadem ecclesia in proprietate ejusdem monasterii remaneret. E contra vero pro parte præfatæ ecclesiæ S. Salvatoris ante nos sunt allegationes propositæ, quod locus ipse ab antiquis temporibus de jure ac proprietate canonicorum Senonensium fuerat, adeo quod iidem canonici ibidem sepulturam habebant, & fratres in eodem loco per canonicos majoris ecclesiæ ponebantur, atque certis temporibus & competentibus hebdomadas in matrice ecclesia faciebant. Auditis igitur utriusque partis rationibus & indagatis non est visum nobis aut fratribus nostris præfatam ecclesiam S. Salvatoris in alterius ecclesiæ jus vel ditionem esse translatam, sed potius juxta antiquum statum in matricis ecclesiæ jure ac proprietate manere, unde etiam deliberato consilio diffinitiva sententia constituimus ut quamdiu in eodem loco canonicus ordo duraverit, liber ab hac calumnia & præfati abbatis reclamatione consistat. Datum Viterbii VII id. Aprilis.

XXVII.

Chartæ pro Vallelucenti. Sammarth.

ANNO ab Incarnatione Domini M. CXXVII eodem Domino nostro Jesu Christo cuncta disponente, cum domnus Arnaldus monasterii Prulliacensis primus abbas, divina inspiratione, fratrum quoque quibus præerat crebra postulatione commonitus, monasterium se ordinaturum in loco qui Vallislucens vocatur decrevisset, contigit ut hujus rei gratia ad locum qui Monstuz dicitur, deveniret, ubi nobiles viros Ansellum de Triagnel & Odonem de Villamauri quiddam negotii inter se habentes, postulavit, ut quidquid in terris eorum juri pertinentibus ipse vel monachi quos in præfato loco constitueret, acquirere annuente Domino valerent, ipsi quoque pro salute animarum suarum eis concederent. Quod prædicti proceres retributionem solius Dei exinde præstolantes, jure perpetuo concesserunt. Cujus rei testes sunt Hugo Rufus, Bovo, Strabo, Arnulfus de Insulis, Ayricus, Milo Sanctus, Hugo de Riges, Havinus de Tranguol, & alii plures quos enumerare longum est. Noverit universa fidelium multitudo, quod vir illustris Milo de Nogent, pro animæ suæ parentumque suorum remedio concessit fratribus in Vallelucente Domino servituris, quidquid in terris ejus juri pertinentibus acquirere domino largiente possent: postulante hoc domino Arnaldo Prulliacensium abbate primo, ejusdemque Vallislucentis fundatore. Hinc testes sunt Ansellus de Triagnel, & Warinus frater ejus, Fulco de Jothro, Milo Sanctus.

1127.

XXVIII.

Carta Ludovici regis Francorum VI de dono Vallismorini facto Johanni abbati & fratribus Scarleiarum. 1131.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Dignum est ut qui de manu Domini bona indigni suscipimus, servis & pauperibus Christi, quos in domo ipsius suo servitio mancipatos conspicimus, manum humilitatis nostræ misericorditer porrigamus. Ego igitur Ludovicus Dei dispensante misericordia in regem Francorum sublimatus, notum fieri volo cunctis fidelibus tam futuris quam instantibus, quod Johanni venerabili Scarleiensis monasterii abbati, & fratribus in loco eodem sub prædicto abbate Domino famulantibus, terram carrucis quatuor sufficientem, & fœnum & pascua plene sufficientia, in loco qui Vallismorini antiquitus vocabatur, & moderno tempore regis eleemosyna appellatur, & in silva quæ Otta dicitur, propria & jure proprio habenda & obtinenda donamus & concedimus his terminis, valle scilicet de Larriceis ex una parte, ex alia vero via alba, ex altera via sancti Angeli, & ex alia lignis ad hoc testimonium signatis. Præterea per omnia nemora nostra quæ sunt in Otta, omnia ad quoslibet usus necessaria, & quidquid de feodo nostro adepti sunt, vel in futuro adipiscentur, illis concedimus. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendavimus, & ut ratum & inconcussum permaneat, sigilli nostri auctoritate & nominis nostri caractere subterfirmavimus. Actum Stampis publice Ludovico filio nostro, & uxore nostra Adelaïde regina concedentibus, anno Verbi Incarnati M. CXXXI, regni nostri XXIII, astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. S. Radulphi comitis

Digitized by Google

Viromandensis dapiferi nostri, S. Ludovici buticularii, S. Hugonis constabularii, S. Hugonis camerarii. Data per manum Simonis cancellarii.

XXIX.

Ex chartul. Dei-loci.

Charta Ludovici Crassi Francorum regis pro Dei-loco.

1132. IN nomine S. & individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei gratia victoriosissimus rex Francorum. Notum omnibus fieri volumus tam præsentibus quam futuris pro remedio & salute animarum nostrarum & successorum nostrorum, nos concessisse canonicis apud Dei-locum religiose viventibus successoribusque suis ibidem similiter victuris omnia in Ota usibus suis necessaria, sive ad construendum ibidem monasterium, sive domos, sive ad pascenda animalia, sive pecora, vel ad quoslibet alios usus. Concessimus etiam eis circa præfatum locum terram planam. Hoc autem donum ut stabile & ratum permaneat, sigilli nostri impressione sigillari volumus. Hoc actum est Senonis testibus Henrico archiepiscopo Senonum, S. abbate sancti Dionysii, Isnardo vicecomite Joviniacensi, Radulfo de Peronia, anno ab Incarnatione Domini M.CXXXII, Ludovico rege Francorum regnante XXV anno, indictione X. Stephanus cancellarius scripsit.

XXX.

Ex chartul.

Charta fundationis Dei-loci.

1133. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus Dei gratia venerabilis Senonensium archiepiscopus. Omnium Dei fidelium voluntas, præcipue autem prælatorum, quibus Dominus curam animarum & sollicitudinem commisit in desiderio religionis augmentandæ esse debet. Nos ergo Dei-locum quietum, & ab omni subjectione liberum, Senonensis ecclesiæ & nostra subjectione excepta, priori Josberto canonicisque regularibus sibi commissis successoribusque eorum in perpetuum possidendum concedimus cum omnibus ad eumdem locum pertinentibus, ut ibi die ac nocte Deo serviendo canonicus ordo floreat, quem nemo pro alio ordine mutare præsumat. Cum autem locus Deo volente possessionibus & numero fratrum ut abbatem habere possint adeo creverit, idoneam personam de fratribus suis, si ibi fuerit, canonice eligant; sin autem, de religioso monasterio personam quærant tali officio dignam. Concedimus etiam præfatis canonicis ut abbate inibi facto, quoniam locus artus est ad construendam abbatiam necdum amplus, nemus eradicando amplificent locum. In tantum ut & officinas & domos suas ibi construere, & hortos, & virgulta plantare possint, & in cæteris nemoribus nostris concedimus eis necessarium usuale. Hoc autem ut firmum permaneat, sigilli nostri impressione corroborando firmamus. Actum est Senonis anno ab Incarnatione Domini M. CXXXIII, pontificatus autem nostri XI, data X cal. Augusti.

XXXI.

ante 1134.

Charta abbatiæ Bonevallensis.

IN nomine Domini, Henricus Dei miseratione Senonensis archiepiscopus. Notum esse volumus præsentibus & futuris quia religiosus & venerabilis frater noster Ernaldus cœnobii Bonevallensis abbas suppliciter & humiliter postulavit a nobis cum suffragio & intercessione domini Johannis de Crema cardinalis presbyteri S. R. E. & plurimorum qui aderant episcoporum, Hildeberti scilicet Turonensis archiepiscopi & Gaufridi Carnotensis episc. Stephani Parisiensis, Burcardi Meldensis, Hugonis Autissio-

A dorensis, ut ecclesiam de Morerivilla & ecclesiam de Lorreio, quas duas ecclesias ecclesia Bonevallensis, ab ecclesia Senonensi sub titulo & respectu personarum per tempora possederat, absolute de cætero & sine requisitione vel substitutione vicariorum Bonevallensi ecclesiæ possidendas in perpetuum concederemus; nos autem multimodam prædicti fratris honestatem considerantes multiplices etiam preces tam prædicti cardinalis quam supradictorum pontificum diligenter attendentes, petitioni prænominati Bonevallensis abbatis adquievimus, & jam dictas ecclesias Bonevallensi ecclesiæ possidendas in perpetuum libere sine requisitione vel substitutione vicariorum cum consensu & laude clericorum & archidiaconorum nostrorum communi deliberatione concessimus, salvo B per omnia in cæteris jure pontificali. Et ut hoc firmum permaneat, scriptum hoc fieri præcepimus quod etiam caractere nominis nostri firmavimus, nominibus etiam archidiaconorum nostrorum, prout justitia exigebat, roborari decrevimus. Actum publice. Henricus archiepiscopus, Theobaldus archidiaconus, Petrus archidiaconus, Simon archidiaconus, Petrus archidiaconus, Willelmus archidiaconus, Petrus levita & cancellarius scripsit.

XXXII.

De dono Aganonis de Malicorna facto Fonti Johannis. ante 1136.

C HENRICUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus. Quoniam in eis quæ pro Deo Christi pauperibus pie conferuntur, plerumque solent perversi homines inquietandi occasiones de ignorantia obtendere; operæ pretium videtur donum quod fecerunt *Agano de Malicorna*, uxorque ejus *Hodierna*, soror utique mea, de feodo Fulconis de Mota ecclesiæ de Fonte-Johannis scripti auctoritate munire & ab oblivionis interitu defendere. Hac igitur litterali exaratione noverint & præsentes & futuri, quod supradictus *Agano* uxorque ejus amore Dei ac nostri concesserunt supradictæ ecclesiæ per manus *Stephani* ejusdem ecclesiæ abbatis primum feodum quod Fulco de Mota de illis tenebat in territorio de Loyssiaco, tam videlicet in terra plana quam nemorosa, retenta D sibi venandi licentia, & propriorum porcorum pasturagio. Laudaverunt hoc filii ejusdem Aganonis, Gaufridus scilicet & Petrus. Actum apud Malicornam in capella, me præsente, multisque coram astantibus atque audientibus. Sed quia superfluum videbatur omnium nomina ibidem præsentium describere, quosdam tantummodo dignum duximus pro testimonio subnotare. Testes sunt igitur magister Joslenus, Simon clericus Parisiensis, Leobaudus capellanus, Gauterius decanus, Isembardus sacerdos, Josbertus sacerdos, Paganus de Castellione, Landricus Vanus de Fuciaco, Paganus Bernardus, Josbertus de Mellero, Arnaudus Grenolia de Servientibus, Paganus de Malicorna, Limanus armiger Gaufridi infantis, Joscelinus de Malicorna & alii plures. Petiit autem ipse Agano quatenus sibi, uxori suæ, filiisque suis in supradicta E ecclesia daretur societas orationum & beneficiorum, nominaque patris ac matris suæ in libris ejusdem ecclesiæ scriberentur, & in anniversariis diebus pro animabus eorum oratio celebraretur, quod & accepit. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo sexto, indictione quartadecima, epacta quintadecima, concurrente tertio, Henrico Senonensi archiepiscopo, qui etiam hanc cartam sigilli sui auctoritate munivit.

XXXIII.

Digitized by Google

XXXIII.

Ex chartulario S. Petri vivi. Sammarth.

Henricus archiepiscopus suspenditur ab episcopali officio per Innocentium II.

1137. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri H. Senonensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Statuta sedis apostolicæ & canonum veneranda decreta nulli sacerdotum domini ignorare liberum est. Sacerdotis enim est legem scire & ad interrogationem respondere de lege: quod si legem ignorat, ipse se arguit indebite honorem sacerdotii occupare. Sed & ignorantia canonum episcopum non excusat. Cæterum episcopus qui scienter canones violat, a sanctis Patribus judicatur, & a sancto Spiritu cujus instinctu ac dono sunt conditi, condemnatur. Quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongrue videntur qui contra eosdem sacros canones aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Evangelica quoque testatur autoritas beatum Petrum esse in terris Christi vicarium & magistrum totius ecclesiæ, & ab ipso Domino institutum, dicendo tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Ac per hoc sedes apostolica est omnium ecclesiarum caput & cardo, mater atque magistra, ad quam profecto libere licet omnibus appellare. Appellatione vero interposita omnia in eodem statu manere debent, & tamdiu nihil erit penitus innovandum donec Romanus pontifex, si ad eum appellatum est, prius examinet si justa vel injusta fuerit appellatio. Et si judicaverit renovandum esse judicium vel & novos dare judices, sive probaverit talem causam esse ut non replicentur ea quæ acta sunt, quod ab eo decretum fuerit, irrefragabiliter observatur. Quæ cum ita sint, miramur admodum & gravi mœrore afficimur quoniam in conventu nuper Peveris habito pro causa matrimonii inter Ar. de Soliaco & filiam Ra. de Baugentiaco, quibus opponebatur titulus parentelæ, cum pro judice resideres, par esse beato Petro aut super eum ascendere contumaciter attentasti. Post appellationem namque ab eodem Ar. ad nos factam qui licet indigni Christi legatione fungimur, & beati Petri in terris vices exequimur, quantum in te fuit, os in cœlum ponens & ejusdem principis apostolorum claves evacuans, in tantum super eodem negotio procedere præsumsisti, ut de parentela quæ opponebatur testium juramenta susciperes. Cæterum in hanc culpam nullatenus incidisses si sedes apostolica, quæ mater est tuæ dignitatis, foret quod esse debuerat, magistra tuæ rationis. Ne igitur tantam offensam reliquisse impunitam a Domino arguamur, donec B. Petro & nobis satisfacias, te ab officio episcopali suspendimus. Data Pisis XVIII calendas Februarii.

XXXIV.

Epistola cleri Senonensis ad episcopos suffraganeos, ut Hugoni electo manus imponant.

1142. SANCTA mater Ecclesia Spiritus sancti magisterio sufficienter erudita, bene novit & memoriter tenet, quod doctores & pastores populo suo Dominus a sæculo præesse voluit, qui greges sibi commissos pabulo divini verbi reficerent, & justa docentes, injusta prohiberent. Unde scriptum est: *deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi & Aaron.* Quibus sublatis, Eleazarum victimis, Josue vero castris dominus præfecit: sequentique tempore judices, deinde reges super populum suum constituit, &c. Quibus nos inspectis, conventus Senonensis ecclesiæ post obitum venerabilis viri domini Henrici pontificis nostri, fractæ navis nostræ naufragium metuentes, & jam periculo propiore conteriti, de reformando nobis pastore consilium diutius differre nullatenus ausi sumus, præsertim cum Eleazarum vivente adhuc Aaron patre suo sacerdotium ex divino mandato suscepisse noverimus: ne populus vel modicum sacerdotali contubernio privaretur, & Moyse cum domino moram faciente in monte, populus sine duce lasciviens Idololatra sit effectus. Præmissis igitur ad Dominum precibus, convocatis etiam & assistentibus religiosis viris, abbatibus canonicorum regularium, & monachorum tam Cisterciensis ordinis quam aliis, in nomine Deificæ Trinitatis concorditer elegimus nobis in pastorem & pontificem dominum Hugonem præcentorem nostrum, a parentibus Christianis & Deum timentibus nobiliter editum, virum strenuum, modestum, mansuetum, disciplinis ecclesiasticis competenter eruditum, religiosis personis amoris & honoris exhibentem officium, non alienum, non ignotum, sed fratrem nostrum uterinum, qui libere proferre possit illud Dominicum: *Et cognosco meas, & cognoscunt me meæ:* qui nova & vetera de thesauro suo producere noverit, & ab amplexibus ecclesiæ nostræ, cujus panibus educatus est, avelli nunquam possit. Hunc igitur canonice & legitime a nobis electum, a religiosis personis assistentibus approbatum, a populo Senonensi universo communibus votis, & immensis vocibus expetitum, sanctitati vestræ, Domine pater Carnotensis antistes, ad quem interim consilium Senonensis ecclesiæ specialiter pertinet, & sanctis patribus & episcopis qui vobiscum sunt, præsentem offerimus, & offerendo commendamus: & ut benedictionis manus eidem inpræsentiarum imponas, humiliter & devote supplicamus. Et ut, reverendi patres, electionem canonicam nostram & plenariam esse præsentia vestra percipiat, subscripta sunt nomina personarum, quæ eumdem Hugonem præcentorem in pontificem elegerunt, ac eligunt, seu quæ postmodum assensum electioni præbuerunt.

XXXV.

Donum factum Joyaco. Ex chartular.

EGO Jossellinus abbas monasterii Meldunensis, notitiæ fidelium tam præsentium quam futurorum 1143. tradere disponimus quod ecclesia nostra terram quamdam apud Montem Theoboldi positam venerabili abbati Walterio S. Mariæ Joyacensis nemoris, sanctoque conventui ibidem omnipotenti Deo famulanti possidendam tradidimus, anno ab Incarnatione M. CXLIII, indictione VI, epacta III, concurrente IV, Romanæ sedis præside Innocentio, rege Francorum Ludovico.

XXXVI.

Donatio facta Dei-loco. Ex chartular.

EGO Hugo Dei providentia Senonensis archiepiscopus, notum facio tam præsentibus quam 1145. futuris quod Goffridus de Montchardun donat Deo & ecclesiæ S. Mariæ Dei-loci & canonicis ibidem Deo servientibus, censum suum quem habebat apud Naali. . . . . Item nostris temporibus puella quædam Isavia nomine filia defuncti Petri Shaini de Varellis Dei miserantis visitante gratia & Sathanæ & ipsius pompis ac opibus abrenuntians ad societatem quarumdam mulierum sub B. Augustini regula & ordinis Præmonstratensis institutione communiter degentium se transtulit, cujus devotionem mater ejus Hermensendis devote subsecuta, quidquid habebat alodii Gerolis tam in prato quam in terra, quod ei pater Isaviæ dederat in dote, Deo & beatæ Mariæ & abbati Dei-loci sibique commisso gregi, qui pater est etiam supradictarum sororum, tribuit laudante hoc marito suo Balduino de Vallemauri, & fratre puellæ Petro, cui hoc allodium una cum

Digitized by Google

præfata puella jure proveniebat hereditario, cui etiam Petro pro laude hujus beneficii equus unus datus est. Abbas igitur Dei-loci caritative huic obvians caritati, puellæ patrem & matrem & fratrem, matris etiam maritum concedit esse participes ecclesiæ Deilocensis orationum. Quod ut valeat firmum in perpetuum perseverare, sigilli mei authoritate decrevi confirmare. Hujus rei testes sunt Manasses Senonensis archidiaconus, Simon cellerarius, Robertus canonicus, Stephanus Pauda & Martinus sacerdotes, Simeon parvus, Gerricus durum cor, Quintimilo, Hugo de Roseo, Fulco & Stephanus filii ejus. Actum est publice Senonis ab Incarnatione Domini M. CXLV, regnante Ludovico in Francia.

XXXVII.

Fundatio Barbelli.

1147. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei gratia rex Francorum, dux Aquitanorum, omnibus in perpetuum. Habet hoc proprium regalis excellentiæ magnitudo, ut loca sancta divinis cultibus mancipanda, studio pietatis fundare diligenter intendat, ac suis pariter suorumque fidelium beneficiis benigna liberalitate potenter adaugeat. Qua profecto consideratione, ad ampliandum cultum divinitatis, locum de S. Portu, quem idoneum fore religioni cognovimus, propriis beneficiis fundare, & in abbatiam promovere studuimus. Quia igitur auxiliante Domino congregatis inibi fratribus religiosis sub venerabili fratre Martino primo abbate constituto, locus ille per operam nostram ad laudem & gloriam nominis Domini in ecclesiæ nomen excrevit, nos imposterum ejusdem ecclesiæ quieti & & libertati tanto majori diligentia providere curavimus, quanto attentiorem sollicitudinem de illa amplificanda, in ipso fundationis suæ principio semper habuimus. Quamobrem eamdem ecclesiam cum universis rebus & possessionibus suis, quas inpræsentiarum Deo auctore possidet, sub nostra protectione suscepimus, & auctoritatis regiæ tuitione, perenniter communimus. Universa itaque dona ac beneficia quæ sive nostra, sive nostrorum fidelium largitione præfatæ ecclesiæ collata sunt, auctoritate regia sibi perpetuo possidenda concedimus, & per præsentis præceptum paginæ perpetuæ stabilitatis munimento corroboramus. Quæ nos hic propriis duximus exprimenda vocabulis, totam videlicet terram de Sanarth tam in nemore quam in planicie, cum omni decima sua prout determinatis concluditur metis, ac nostri proprii juris fuisse dinoscitur, in foresta quoque nostra quæ dicitur Bellus-lucus, & in omnibus circumpositis appenditiis ejus, omnes usus sibi & ædificiis suis necessarios, atque ad exstirpandum & excolendum, necnon ejusdem forestæ custodiam sic habendam, quod neque præpositus Meledunensis, neque major de Sanniaco, nec aliquis omnino servientum nostrorum in ea manum extendet. Nobis autem in eadem
al. garenam. foresta griariam * & venationem retinemus, & hospitibus nostris de S. Lupo necessaria usuaria sic habenda, sicut in temporibus prædecessorum nostrorum habere consueverunt. Præterea molendinum nostrum & stagnum de S. Lupo, & domum de Perreio quæ est contigua ipsi stagno, cum adjacenti arpento terræ, & pratum nostrum quod dicitur pratum Aalais, terram quoque de villa Frameis, quam a Gilone Meledunensi, & a Pagano de Campendu propriis sumptibus emimus, & eidem ecclesiæ ita totam habendam, prout ipsi eam habuerant, cum eorum voluntate & assensu Galeranni atque uxoris suæ & filiorum & filiarum ejus, laudante Gauterio Colomello & uxore ejus, de cujus dote fuerat, omni eorum sopita querela concessimus. Decimam etiam de villa Frameis, quam habet ex dono Herberti Costardi, & Theobaudi de

A Miliaco, per manum Hugonis venerabilis Senonensis archiepiscopi facto, ac nostri scripti muninine confirmato. Terram de Grignum quam emimus a præfato Pagano, cum ipsa terra de villa Frameis, & decimam ejusdem terræ quam ipse Paganus in manu prænominati abbatis Martini eidem ecclesiæ contulit; vinearum quoque arpentum unum, & tria quarteria de censu Simonis de Gentiliaco, & alterum arpentum de censu S. Petri Meledunensis apud Larre, quæ coram præsentia nostra Martinus clericus eidem ecclesiæ dedit atque concessit. Præter hæc donum Guidonis de Nangis, totum videlicet quidquid habebat apud Capellam de Sarnai, in pratis, in nemore, in terris, prout ab ipso datum est atque concessum, & ad exardia Nanterii, de terra sua quantum quinque aratra per
B totum annum colere poterunt, cum decima quæ ad eandem respicit terram, & ipsum Guidonem contingebat, cum assensu uxoris suæ Elisabeth, de cujus dote eadem terra erat, & in eisdem exardis usuaria præfatæ acclesiæ fratribus necessaria, & pascua porcorum, & aliorum suorum omnium animalium, tum ex dono ipsius Guidonis, tum ex dono Auberti Dauoh, quantum ad ejus partem spectabat sibi concessa, concedimus etiam sæpedictæ ecclesiæ fratribus, ut in Secana construant, & ædificent sibi gurgitem unum in idoneo loco, qui ad nostri juris proprietatem pertineat, ad piscationem videlicet, & ad molendinum, & ad cætera quæ sibi pro loci commoditate fuerint necessaria. Ut igitur hoc nostræ constitutionis præceptum perpetua stabilitate ratum permaneat &
C inconcussum, scripto commendari ac sigilli nostri impressione signari, nostrique nominis subter inscripto caractere corroborari præcepimus. Actum publice Parisiis anno Incarnationis Dominicæ M. CXLVII, regni vero nostri XI, adstantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Radulfi Viromandorum comitis dapiferi nostri, Sig. Guillelmi buticularii, S. Mathæi constabularii, Sig. Mathæi camerarii. Data per manum Cadurci cancellarii.

» Ego Ludovicus Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum. Notum facimus quam præsentibus tam futuris, quod fratres Guillelmus & Radulfus cum tribus confratribus suis Hermete, Renardo, Gauterio, locum sancti Acirii quem juxta Meledunum ædificaverant, ecclesiæ S. Mariæ de Pruliaco, ad
D extruendam ibidem Cisterciensis ordinis abbatiam ex libera voluntate, per manum nostram jure possidendum perpetuo contulerunt & concesserunt. Quod ut ratum in posterum inconcussumque permaneat, scripto commendari, & sigilli nostri auctoritate fecimus confirmari. Data per manum Cadurci cancellarii ». *ante* 1147.

XXXVIII.

Donatio facta Escarliis. *Ex Chartis de Escarliis.*

IN nomine, &c. Stephanus Blandus laudantibus uxore sua Hersende ac filiis ejus Milone, & Stephano, atque Gualtero, dedit ecclesiæ S. Mariæ de Escarliis omnem terram quam ipse & homines sui 1147.
E Oilerus & Leherus gener ejus, & Engenbaudus & Richerius possidebant inter terram monachorum de Senon & viam quæ tendit ad nemus quod Borneises dicitur; & adhuc sciendum quod iidem Stephanus Blandus & Milo filius ejus in præsentia domini Hugonis Senonensis Dei gratia venerabilis archiepiscopi, assistente ibi frequentia clericorum, promiserunt quod & hoc donum & quæcumque alia usque ad illum diem Escarleiensi contulerant ab omni calumnia quandiu viverent guarantirent. Actum est Senonis publice, anno ab Incarnat. Domini 1147, archiepiscopatus ejusdem venerabilis archiepiscopi quinto, cujus sigilli impressione confirmatum est ut in perpetuum ratum & illæsum ab omni infestatione malorum

Digitized by Google

permaneret, regnante Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum, regni sui anno quo Jerosolymitanas partes petiit, Domino etiam papa Eugenio sedis apostolicæ apicem fideliter ut credimus procurante sacrationis suæ anno jam tertio.

XXXIX.

Ex Chartulario abbatiæ Pontiniac. *Littera Hugonis archiepiscopi in gratiam Pontiniaci.*

1151. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Hugo Senonensis archiepiscopus notum esse volo omnibus hominibus præsentibus atque futuris quod Anselmus de Triannel & fratres ejus Garnerius & Garinus laudaverunt atque concesserunt ecclesiæ Pontiniacensi quidquid juris habebant in nemore S. Stephani & quidquid memorata ecclesia tenebat apud grangiam Burs & apud eam quæ Calliacum dicitur, & in omnibus pertinentiis earumdem, ut omnia libere & quiete & sine omni contradictione perpetuo jure possideat eadem ecclesia Pontiniacensis; id ipsum laudavit & concessit domina Elisendis mater supradictorum fratrum. Ista laudatio atque concessio celebrata est anno Dominicæ Incarnationis 1151 in urbe Senonensi, in præsentia domini nostri excellentissimi regis Francorum & Aquitanorum ducis Ludovici, & in præsentia nostra sub his testibus qui sequuntur. Testis Odo decanus Senonensis, testis Simon thesaurarius Senonensis, testis Petrus capellanus noster, testis Manasses archidiaconus Trecensis, testis Bochardus de Montemorencei & Tierricus Galerannus, ipse quoque dominus rex testis est, nos etiam attestamur, & sigilli nostri impressione rem gestam confirmamus.

XL.

Hugo archiepiscopus abbatiam Noeriæ concedit canonicis Castri-Nantonis.

Ante 1151. HUGO Dei gratia Senonensis archiepiscopus, venerabili fratri Garnerio abbati sancti Severini Castri-Nantonis, cunctisque successoribus suis in perpetuum. Quoniam quæ temporaliter fiunt, temporaliter transeunt, restat ut quod volumus servare in memoria, scripto committere studeamus, quatenus eodem internuntio quod factum est valeat ad notitiam posterorum pervenire. Ego igitur Hugo, Dei gratia Senonensis archiepiscopus, notum facio cunctis præsentibus & futuris, qualiter Gaufredus dictus Abbastus de Noeria ad nos veniens, locum & monasterium dimisit, curamque ipsius loci & abbatiam in manu nostra refutavit. Cum autem eum rogaremus ut persisteret, & pro paupere Jesu Christo, qui nos paupertate sua ditavit, paupertatem loci sustineret, ipse, & qui cum eo erant fratres sui dicebant & attestabantur quoniam locus regimini & necessitati fratrum nequaquam poterat ministrare, sed omnimodo vitam & institutionem canonicam sua intolerabili inopia perturbabat. Quod nos sane audientes, & ut ipsi attestabantur ita esse, attendentes & cognoscentes, locum & monasterium ab eis refutantibus suscepimus in manu nostra. Communicato denique fratrum nostrorum consilio, idem monasterium & quicquid ad ipsum pertinebat, assentientibus tamen prædicto Gaufrido & fratribus suis, contulimus atque perpetuo habere concessimus venerabili fratri Garnerio ecclesiæque beati Severini, cui idem Garnerius præerat primus abbas ordinatus, nosterque & Senonensis ecclesiæ subjectus & professus: quod idcirco facere maluimus, quoniam locus ille possessionibus beati Severini vicinus & contiguus erat, & religio ecclesiæ adhuc tenera & novella hoc consolationis adjumento & beneficii incremento plurimum indigebat. Factum fuit hoc & concessum in præsentia nostra ab utraque parte. Testes quoque affuerunt in rei testimonium, quorum nomina & signa subscribi fecimus. Signum Guillelmi Senonensis archidiaconi, S. Hervæi præpositi & Gastinensis archidiaconi, S. Simonis thesaurarii, S. Odonis decani, S. Matthæi præcentoris, S. Simonis cellerarii & Stampensis archidiaconi, S. Stephani Miridunensis archidiaconi, S. Hugonis Pruvinensis archidiaconi. Ne autem aliquis imposterum huic rei calumniam vel reclamationem inferre præsumeret, sigilli nostri auctoritate & impressione quod factum est, fecimus roborari & muniri.

XLI.

Ludovicus VII dat ecclesias Castri-Nantonis Canonicis regularibus. *Ex chartulario.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, patris, & filii & spiritus sancti, Amen. In valle plorationis hujus & miseriæ constituti homines, mortis inclementiam cogitare debent, & operibus misericordiæ ad æternitatem sibi præmunire viam, & cum unumquemque pro captu suo pauperibus Christi studiose beneficia conferre dignum sit, longe amplius charitate debent illi abundare, quos sui creatoris benignitas in ampliori culmine prælationis evexit. Ego Ludovicus Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum, Dei bonorum omnium datori de collatis gratias referens & placere cupiens, ecclesias Castri-Nantonis religioni donavimus, & pro sæcularibus canonicis regularis canoniæ ibidem clericos collocavimus. Notum sit igitur tam futuris quam præsentibus, quod nos abbati Gaufrido & fratribus ejus eorumque successoribus pro nostra & patris nostri bonæ memoriæ Ludovici, & avi nostri Philippi animabus, ecclesias sancti Severini & sancti Tuguali de Castro-Nantonis aliasque ad istas respondentes in perpetuum & cum plena libertate habendas donavimus cum omnibus pertinentiis & possessionibus quas antea habuerant sæculares canonici in eisdem ecclesiis. Si vero per propriam industriam ecclesias suas ampliaverint, & decimas vel quascumque res alias acquisierint, sub regiæ protectionis patrocinio illas constituimus; & ut amplientur & multiplicentur, benigne concedimus. Quod ratum & stabiliter firmum esse & in posterum permanere volentes, scribi & sigillo nostro confirmari, apposito nominis nostri caractere præcepimus. Actum publice Aurelianis, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo, regni vero nostri quinto decimo, astantibus in palatio nostro quorum subscripta sunt nomina & signa. Signum Radulphi Viromandorum comitis dapiferi nostri. Signum Guidonis buticularii. Signum Matthæi constabularii. Signum Matthæi camerarii. Data per manum Hugonis cancellarii. 1151.

XLII.

De Fundatione Pomerii. *Ex Sammarthanis.*

EGO Hugo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, notum omnibus fieri volo, præsentibus & futuris, quod Heloyssa Paraclitensis abbatissa interventu religiosorum virorum concessit Blesensi comitissæ, laude & voluntate totius capituli sui, locum Pomerii ad construendam abbatiam, statutis inter se quibusdam conventionibus, quas duximus annotandas. Statutum itaque fuit, & divisum quod hac prima abbatissa Pomerii, quæ nunc est, constituta domina Gertrude nobili & honesta fœmina, quæ canonice electa fuit apud Paraclitum de dominabus ejusdem ecclesiæ, cæteræ quæ post ipsam primam substituentur in eodem loco, canonice eligentur secundum aliarum consuetudinem ecclesiarum, & *Post 1151.*

Digitized by Google

assumentur de ipsa ecclesia, si in ea potuerint inveniri. Sin autem transibunt ad ecclesiam Paracliti, & de ea sibi assument abbatissam, & ad aliam per electionem non licebit eis pertransire ecclesiam, quoniam alium ordinem nisi Paraclitensem non licebit eis observare. Abbatissa vero Paracliti semel in anno ibit Pomerium, & sedens in capitulo emendabit si quid fuerit emendandum de ordine, vel de aliqua re ad ordinem pertinente. Pro concessione sane prædicti loci dedit Comitissa ecclesiæ Paracliti tres modios frumenti, per singulos annos in molendino suo Pruvini sub Crevecor, laude quidem filiorum suorum comitum Henrici, Theobaldi & Stephani, promisitque rem juste garantire. Et hoc fuit ad voluntatem abbatissæ Paraclitensis, & totius capituli sui. Promisit & abbatissa Paracliti, promisit & comitissa, quod nec per D. Papam, nec per alium aliquem quod factum fuerat aliquo modo immutaretur, sed & conditiones inter utramque ecclesiam superius designatæ a neutra parte abolerentur. Harum conventionum mediatorem me posuerunt & abbatissa, & comitissa, atque benigna utriusque partis postulatione in manu accepi rem sicuti fuerat simpliciter ac devote celebrata, opitulante Domino in finem permanere. Ut autem & modernis & successuræ posteritati firmum & ratum habeatur, autoritate sigilli nostri muniri fecimus sub chirographi divisione.

XLIII.

Compositio inter Siguinum & monachos Scarleiarum.

1152. HUGO Dei gratia Senonensis archiepiscopus, dilecto sibi in Christo fratri *Landrico*, venerabili Scarleiarum abbati, & fratribus qui cum eo sunt, eorumque successoribus salutem & pacem. Pacis compositionem, quæ inter vos & *Siguinum*, qui dicitur *Infans*, facta est, ne vel a memoria hominum in futurum labatur, vel ab aliquo temerario ausu pax eadem temeretur, litterarum nostrarum serie perpetuare, & impressi sigilli nostri auctoritate confirmare curavimus. Querebatur prædictus Siguinus quod fratres vestri nemus Weure ultra quam deberent ad prata facienda devastabant, dicebat etiam sibi fieri injuriam, si alterius loci quam Scarleiarum habitatores usuariam nemoris sui haberent. Fratres vero ex dono *Viviani* patris Siguini de nemore se habere quantum vellent ad prata excolenda ad proprios usus dicebant. Et quia idem Siguinus alia vice de pratis faciendis & de usuaria calumniam movebat, in curia bonæ memoriæ decessoris nostri Domini *Henrici* adjudicatum eis fuisse, & quod de pratis faciendis inclamabant, & ad omnia loca sua totius nemoris usuariam, nec a cœpto opere pratorum desistebant. Ea propter Siguinus ira commotus domos Scarleiarum, & ea quæ in eis erant comburi fecit, grande & grave eis malum inferens. Igitur Dominus *Hugo* Autissiodorensis episcopus, qui precibus fratrum aderat, & quos a latere nostro misimus, quia infirmitate præpediebamur, fratres nostri Willelmus archidiaconus, Herveus præpositus, Matthæus præcentor, Rainaudus archidiaconus, Petrus noster Capellanus, abbates quoque Girardus de S. Petro Vivo, Joduinus de Fonte-Johannis, Stephanus de Renniaco, Norpardus de Vallelucenti, Gaufridus de Fertivitate, Itembardus de Pressi, presbyteri, Gauterius decanus: ex parte Siguini, prior Joviniaci, Odo Grossus de Fuciaco hoc modo rem determinaverunt. Dixerunt quod monachi sexaginta arpenta nemoris ad prata excolenda haberent ultra clausuram pratorum quam jam excoluerant, quod & factum est. Omnem vero usuariam totius nemoris ad omnia loca sua, a flumine Icauna versus abbatiam, tam sibi quam animalibus suis omni tempore, ligna quoque ad ardendum, ad ædificandum, cæterosque necessarios usus, excepto dare vel vendere, & excepto destruendis haiis illis quæ propter munitiones villæ jam factæ fuerant. Si autem illæ quæ factæ fuerant, destructæ fuerint solum modo igne vel guerra, liceat ei alias reædificare, pastionem etiam porcorum absque ullo pasnachio ex illa hora qua nemus apertum fuerit. Ita tamen ut nemus illud non possit teneri in clausura contra monachos Scarleiæ, ad plus nisi a festivitate sancti Remigii usque ad festum sancti Andreæ apostoli, & hoc maxime tempore pastionis, nam cæteris annis quibus pastio non fuerit, ibunt libere & absolute absque omni calumnia per totum nemus. Concessa est hæc compositio ab utraque parte sub testibus supra dictis. Affuerunt & isti testes Gaufridus de Fertivitate, Itembardus de Pressi presbyteri, Engirbaudus de Pruneto & fratres ejus, & Agano & Gaufridus fratres archiepiscopi, Hugo de Pressi, Josbertus gener Siguini Infantis, & alii multi apud Fertivitatem. Laudavit hoc donum Rachel uxor Siguini Infantis cum filiis suis Siguino & Viviano coram his testibus, Gaufrido de Fertivitate, Rainaudo Quidoth presbyteris, Engirbaudo de Pruneto & Agalone fratre ejus, Hugone Seinello, Siguino de Autissiodoro, Erberto Urrici filio, & aliis multis. Quod si quis de hac compositione monasterium vestrum injuriari præsumpserit, anathematis eum animadversione percellimus, donec resipiscat, & injuriato monasterio digne satisfaciat. Factum est autem hoc anno nati Verbi M. CLII, episcopatus vero nostri anno nono.

XLIV.

Bulla Eugenii III pro Sancto Johanne Senonensi.

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Fulconi abbati ecclesiæ B. Johannis Evangelistæ, quæ juxta muros Senonensis civitatis sita est, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. 1152.
Quoties a nobis petitur quod religioni &c. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: ecclesiam beati Georgii de Matriolis, ecclesiam beati Sulpicii de Viciniis cum omnibus appendiciis earum, ecclesiam beatæ Mariæ de Sofiaco, ecclesiam beati Petri de Carris, ecclesiam beati Sulpicii de Nibella, ecclesiam beatæ Mariæ de Vois, ecclesiam beati Martini de Capriaco, ecclesiam beati Stephani de Castro-Renardi, ecclesiam beatæ Genovefæ, ecclesiam beati Georgii de Vico-novo, ecclesiam sanctæ Mariæ de Monte-Argio, ecclesiam sancti Leonis in suburbio Senonensi, ecclesiam beatæ Mariæ de Gresso, ecclesiam beati Martini de Noem cum omnibus earum appendiciis, ex dono Senonensis capituli ecclesiam sancti Salvatoris; in Meldensi episcopatu ecclesiam de Percio & capellam de Meraldo cum omnibus earum appendiciis; in Aurelianensi parochia ecclesiam beatæ Mariæ quæ nuncupatur inter murum & fossatum cum omnibus pertinentiis suis, annuos quoque reditus singularum præbendarum decedentium canonicorum Senonensis ecclesiæ, quemadmodum a communi capitulo ejusdem ecclesiæ vobis rationabili prudentia collati & scripti sui pagina confirmati sunt, favoris nostri auctoritate confirmamus. Decernimus ergo, &c. Ego Eugenius ecclesiæ catholicæ episcopus. Ego Imarus Tusculanus episcopus. Ego Hugo Ostiensis episcopus. Ego Otho diaconus cardinalis sancti Georgii ad velum aureum. Ego Gregorius cardinalis sancti Viti, &c. Ego Guido diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in porticu. Ego Hyacinthus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in cosmedim. Ego Hubaldus presbyter cardinalis sanctæ Praxedis. Ego Aribertus presbyter cardinalis sanctæ Anastasiæ. Ego Guido presbyter cardinalis tituli

Digitized by Google

Pastoris. Ego Octavianus presbyter cardinalis tituli sanctæ Ceciliæ. Ego Gerardus presbyter cardinalis sancti Stephani in Cœlio monte. Datum Signiæ per manum Hugonis sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris undecimo calendas Julii, indict. XV, anno Incarnationis dominicæ M. CLII, pontificatus domini nostri Eugenii Papæ III anno VIII.

XLV.

Hugo archiepiscopus Molismensibus monachis confirmat collata a decessoribus.

1154. EGO Hugo divina miseratione Senonensis ecclesiæ humilis minister, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Pastoralis officii sollicitudo nos B ammonet ut religiosorum petitiones quæ pium habent affectum, celerem apud nos sortiantur effectum. Quapropter petitioni monachorum Molismensium in ecclesia Senonensi Deo pie militantium condescendimus, concedentes & corroborantes quæ concessa fuerant eis & firmata a prædecessoribus nostris donno videlicet Richerio, & donno Daimberto, & donno Henrico; scilicet ut in prædicta ecclesia liberam & emancipatam obtinentes, officiis divinis securi vacare valeant; sacerdotem præterea eidem ecclesiæ serviturum eligentes, a nobis curam animarum investiendum hujus sanctæ sedis præsuli ipsi præsentent. Beneficia vero ad sacerdotem quoquomodo venientia, videlicet baptisterium, benedictionem cerarum, visitationem infirmorum, missas pro defunctis, oblationes nuptiarum & purificationum, confessionem, adoratæ Crucis oblationem, mortuorum divisionem, monachi & sacerdos per medium dividant. Sciendum est præterea oblationes trium solempnitatum, Omnium Sanctorum videlicet, Natalis Domini, Purificationis S. Mariæ, & beneficia ad manum monachorum venientia, & quidquid eisdem monachis vel datur vel dividitur pro mortuis, vinum & cerei paschales, & baptisteria in vigiliis Paschæ & Pentecostes; hæc omnia non per medium, sed ex integro & sine sacerdote ad monachos pertinere, sacerdos vero missionem sine monachis suscipiat. Hæc autem a prædecessoribus nostris sicut superius prælibavimus firmata, eorumdem pia sequentes vestigia ad majorem confirmationem, sigilli nostri impressione munita fratres prænominatos rata & inconcussa perhenniter obtinere concedimus. Actum est autem hoc anno ab Incarnatione Domini M. CLIIII.

XLVI.

Ex Sammarthanis.

Cistercienses e portu Sequanæ ad Barbellum transmigrant.

1156. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex, fratribus in unum habitantibus locorum salubritas admodum competere dinoscitur, ne ex occasione mansionis dolores & morbos contrahant mansores quos in eodem loco semper retinet professio, nec habitatio quamvis noxia mutanda est illis quos ligat & astringit suscepti necessitas ordinis. Itaque pro majori commoditate, fratres de Sequanæ portu transtulerunt abbatiam suam consilio nostro & religiosorum, & secus Sannesium in loco qui Barbellus vocabatur, super Secanæ fluenta habitare venerunt, priorem relinquentes locum. Et quoniam labente cursu temporum crescit malitia & evanescit fides atque dilectio, nos monachis jam dictis providentes notum facimus universis & præsentibus & futuris, quod ex amore Dei omnipotentis & pro nostrorum antecessorum regum Franciæ animabus atque nostra, locum ipsum ubi fundata est abbatia Barbellum scilicet & nemus Resserii totum fratribus in eleemosynam dedimus.

A Cæterum iidem fratres medietatem nemoris qui Fescus dicitur a Joscelino vicecomite Mileduni in præsentia nostra ad censum duodecim nummorum in festo sancti Remigii acceperunt, & ejusdem nemoris quartam partem per manum nostram a Stephano de Campigniaco emerunt. Quod ut ratum sit & omnino firmum venturis temporibus, scripto commendari & tam nostri sigilli testimonio corroborari quam nominis nostri caractere consignari præcepimus. Actum publice Parisius anno ab Incarnat. Domini M. CLVI, astantibus in palatio nostro quorum subtitulata sunt nomina & signa. Signum Blesensis comitis Theobaudi dapiferi nostri, Guidonis buticularii, Mathæi camerarii, Mathæi constabularii. Datum per manum Hugonis cancellarii.

XLVII.

Fundatio Liberæ-Vallis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Hugo miseratione divina Senonensis archiepiscopus, universis tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quanto in omni religione ecclesiastica, & in universa cœlestis conventus gloriosa republica, virginale decus propensioris est meriti & gloriæ, tanto majori est a nobis prosequendum & attollendum favore. Unde præsentes virgines a conventu Juliacensi ex præcepto domini Guilenci venerabilis Molismensis ecclesiæ abbatis, precibus & obtentu dominæ Petronillæ Barrensis comitissæ, in archiepis- 1159.
C copatu nostro ad locum qui vulgari consuetudine *Frigidus-mantellus* appellatur, advenisse, & easdem nos suscepisse gaudemus, sperantes earum precibus & temporali nos prosperitate gaudere & cœlestis vitæ sempiterna gaudia possidere. Nos vero & vivorum & defunctorum utilitatibus providentes, præmissum locum ab omni laïcæ & sæcularis potestatis jugo penitus absolutum divinæ servituti liberum reddimus & mancipamus, salvo videlicet episcopali jure, salvo nihilominus perpetuo Molismensis ecclesiæ dominio, cimeterium in eodem loco benedicentes, & altare in honorem Domini & gloriosæ Genitricis consecrantes, quatenus præfixus locus sit domus orationis, sit vivorum refugium, sit sepultura defunctorum: dispensationis ergo nostræ gratia, liceat om-
D nibus qui non propter propriam culpam excommunicati fuerunt, in prædicto loco omne misericorde christianitatis consequi suffragium, ex consensu tamen & permissione propriorum sacerdotum: defunctis videlicet sepulturam mulieribus, reconciliationem reis, & fugitivis inpunitatem. Decernimus etiam & sub anathemate statuimus, ut præfatus locus nullatenus antiquo deinceps vocabulo nominetur, sed ad declarandam circa eumdem locum mutationem dexteræ ecclesiæ, Libera-vallis appelletur. Notandum sane, quia in adventu prædictarum virginum, tota patria exultante, & solemni occursu ad tam celebrem processionem confluente, comes Henricus, Guillelmus Nivernensis, & Guillelmus filius ejus Tornodori comites; & cum eis quamplures barones occurrerunt,
E scilicet domini Milo de Erviaco, Ansericus de Monteregali, Milo de Noeriis, & domina Petronilla comitissa Barrensis, fundatrix præmissi loci, quæ & ipsa easdem sanctimoniales ibi adduxit, cum liberis suis Manasse, Teobaudo, Hermensandi, quorum omnium assensu & voluntate præsens negotium terminatum & approbatum. Concesserunt vero prælibati comites, ut quicunque de casamentis suis prætaxatis monialibus aliquid vel dare vel vendere voluerint, libere & sine calumnia possideant. Comes quoque Henricus quinquaginta solidos annuatim eis largitus est. Prædicta autem comitissa prædictorum liberorum suorum voluntate & assensu, concessit eis usuarium in nemoribus suis, ad omnia necessaria,

Digitized by Google

sicut ejusdem homines habent, & de casamento suo quidquid omnibus modis acquirerent, libere possidendum. Similiter Raherius vicecomes de Sancto Florentino concessit eis quidquid de suo casamento habere potuerant, libertate perpetua possidendum. Hoc idem & omnes nobiles qui ibi convenerant, fecerunt. Nec prætereundum quod dominus Girardus de Nueus concessit eisdem per manum nostram, partem suam decimæ de omni agricultura quæ omnino augeri vel multiplicari potest, in sua grangia quæ appellatur *Aigremont*, & minutam decimam de parochia de Nueus, & decimam de Albrevile & quatuor falcatas prati. Porro Juliacenses concesserunt præfixis sororibus suis, in separatione mutua, septem annuos solidos, quos habebant pro Adelina matre Herberti *de Poivels*. Actum est hoc apud Liberam-vallem anno Verbi incarnati M. CLIX, die octava apostolorum Petri & Pauli, cyclo solari VI IX, indictione VII, concurrente IV, epacta nulla. Adfuerunt nobiscum cum prædictis proceribus, & vulgo communi quamplures personæ, Guillelmus Senonensis ecclesiæ præpositus, Odo decanus, Matthæus præcentor, Teo cellerarius, Guido Milidunensis archidiaconus, Hugo de Avalone Stampensis, Manasses Trecensis archidiaconi, Robertus, Teobaudus, Gauterius canonicus. Ut autem hoc ratum & inconcussum permaneat, sigilli nostri auctoritate fecimus roborari, decernentes ut quicumque hanc nostram confirmationem, post secundam aut tertiam commonitionem violare tentaverit, a corpore & sanguine Domini alienus insistens, anathematis gladio feriatur, in membris & corpore diaboli numerandus. Data apud Liberam-vallem, per manum Fromundi capellani & vicarii mei.

XLVIII.

Henricus Trecensis comes confirmat & auget bona sancti Jacobi Pruvinensis.

1159. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Trecensis comes palatinus; Odoni abbati sancti Jacobi, ejusque successoribus in perpetuum. Universis Christi fidelibus tam futuris quam præsentibus notum fieri volo, quod cum apud me diutius excogitassem ecclesiam beati Quiriaci ordinis vestri professioni minus congruam tum propter populi frequentiam, tum propter loci ipsius angustiam, tum etiam propter cæteras multiplices & varias incommoditates, divinæ voluntati & religiosarum personarum consilio acquiescens, domum communem pauperum Pruvini, quæ dicitur *ecclesia sancti Jacobi*, quam ordini vestro digne conservando commodiorem situs loci reddit, & populi remotio, in usum & propriam sedem abbatiæ tibi, venerabilis abbas O. tuisque successoribus, cum omni integritate libertatum, consuetudinum, possessionum quas a tempore bonæ memoriæ viri patris mei comitis Theobaldi habuisse dinoscitur, libere, quiete & pacifice in perpetuum habendam concessi. Ad loci etiam illius amplificationem quicquid a porta carceris & via usque ad portam Chaviniaci infra novos & veteres muros continetur usque ad præfatam ecclesiam sancti Jacobi liberum ab omni censu, consuetudine, justitia, exactione & violentia vobis addidi. Et si forte temporibus nundinarum aliqui infra atrium ecclesiæ in propriis domibus vestris hospitati fuerint, quicquid emolumenti, sive locationis causa, sive telonei vel cujuslibet alterius consuetudinis gratia vobis inde contigerit, in canonicorum sustentationem & pauperum, ob remedium animæ meæ & memoriam illustrissimi comitis patris mei T. vobis contuli. Quicquid præterea donatione, vel emptione seu alio quolibet modo, domino præstante tam de casamentis & feodis meis, quam de rebus censualibus, de nemoribus etiam ad forestas meas vel griagium pertinentibus acquirere poteritis, absque omni inquietudine & contradictione ad omnes usus vestros ab omni consuetudine & justitia liberum vobis concessi. Hæc autem omnia prædicta sanctæ sedis apostolicæ auctoritate, & domini papæ Adriani concessione fultus & mandato, consilio quoque venerabilis archiepiscopi Senonensis Hugonis & aliorum episcoporum, Theobaldi Parisiensis & Manasse Aurelianensis, quorum discretioni ab eodem summo pontifice Adriano de transmutatione vestra commissa est sollicitudo, cum aliis bonis a præfato Senonensi archiepiscopo H. & a clericis ecclesiæ sancti Quiriaci quam penitus absolvistis in condignam & vobis complacentem recompensationem vobis collatis, in remotione totius oblivionis vobis in perpetuum mansura confirmo. Et ne a quoquam in posterum possit violari, sigilli mei impressione corroboro. Hujus rei testes sunt, Hugo Senonensis archiepiscopus, Rainaldus Meldensis episcopus, Willelmus Senonensis archidiaconus, Herveus præpositus Senonensis, Matthæus præcentor, Gaufridus de Joinvilla senescallus, Ansellus de Triagnello buticularius, Odo de Pugeio constabularius, Guillelmus marescallus, Petrus Burlaudus camerarius. Actum Pruvini, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono. Data Trecis quinto calendas Octobris per manum Willelmi cancellarii.

XLIX.

Stephanus sacri Cæsaris comes confirmat fundationem sancti Jacobi Pruvinensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Stephanus Sacri Cæsaris comes; Odoni abbati ejusque successoribus in perpetuum. Domum communem pauperum sancti Jacobi, quæ dicitur *Domus Dei*, quam tibi comes Henricus dominus & frater meus, cum omnibus bonis & possessionibus suis in eadem consuetudinum & libertatum integritate quam a temporibus bonæ memoriæ comitis Theobaldi patris nostri habuisse noscitur habendam in usum & propriam sedem abbatiæ concessit; ego quoque cum eadem libertatum & consuetudinum integritate cæterisque, tibi, tuisque successoribus ab eodem concessis sive concedendis, libere & quiete in perpetuum possidendam laudo & concedo. Et ne a quoquam in posterum violetur, sigilli mei auctoritate confirmo. 1159.

Extant ejusdem tenoris litteræ Theobaldi Blesensis comitis.

L.

Canonici sancti Quiriaci cedunt canonicis sancti Jacobi in recompensationem ecclesias Sociaci & de Scala-domo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Renaudus abbas sancti Jacobi, totusque ejusdem ecclesiæ conventus; tibi Matthæe sancti Quiriaci decane, & ejusdem ecclesiæ canonicis vestrisque successoribus. Notum fieri volumus tam futuris quam præsentibus, quod bonæ memoriæ papa Adrianus, venerabili Hugoni archiepiscopo Senonensi & Theobaldo Parisiensi, & Manasse Aurelianensi episcopis mandavit ut si forte illustrem comitem Henricum & canonicos regulares in ecclesia S. Quiriaci commorantes de loci commutatione & redituum recompensatione concordes inveniret, auctoritate apostolica ad locum religioni commodiorem canonicos regulares transmigrare facerent: qua de re, cum in præsentia prædicti venerabilis H. archiepiscopi Senonensis & illustris comitis H. & virorum religiosorum qui cum eis affuerunt, ex mandato bonæ memoriæ papæ Adriani, tu 1160.

Manthæ sancti Quiriaci decane & ejusdem ecclesiæ clerici cum Odone prædecessore nostro & canonicis ejus regularibus convenissetis, cumque per omnia tam de possessionum recompensatione quam de loci mutatione concordes vobiscum præfatus O. abbas prædecessor noster & ejus canonici regulares fuissent, promisistis præter omnes illas possessiones quas eo tempore ecclesia sancti Jacobi habuisse dignoscitur vos nobis in recompensationem possessionum quas in ecclesia sancti Quiriaci habebamus, reditus centum librarum assignaturos, & præterea pecuniam CCC librarum nobis ad officinas nostras ædificandas daturos. Hanc autem conventionem sicut verbo polliciti fuistis, operis executione ad plenum nobis in hunc modum persolvistis. Ecclesiam siquidem Sosiaci & ecclesiam de Scala-domo cum earum pertinentiis, quas vobis præfatus H. archiepiscopus ad hujus rei complenionem concesserat, item Ecclesiam de nemore Estaldi pro reditu XXX librarum nobis libere & quiete habendas concessistis. Nihilominus etiam ecclesiam de Chanesia quam idem H. archiepiscopus vobis dederat cum decimis quas ibidem habebatis nobis perpetuo libere possidendam pro reditu XXX librarum concessistis. Assignavistis etiam nobis terras quæ censum frumenti vel avenæ vobis debebant pro reditu XXV librarum libere possidendas. Præterea in alodio vestro de censu quem vobis monachi debent primos CCC solidos annuatim in nundinis sancti Aygulfi nobis libere habendos permisistis. Trecentas etiam libras quas nobis ad domorum ædificationem promisistis, nobis plene persolvistis. Condictum fuit etiam & concessum quod de omnibus quæ ante translationem nostram ecclesia sancti Jacobi possidebat ecclesiæ S. Quiriaci neque censum, neque decimam de cætero persolveremus, præbendam quoque integram in ecclesia sancti Quiriaci perpetuo nobis habendam cum annualibus quocumque modo persona mutetur concessistis, adjicientes etiam intuitu pietatis, quod in ecclesia nostra quam nobis liberam & absolutam concessistis, quacumque hora nobis cantare liceat, salvo tamen per omnia jure parochiali. Quicumque etiam clericus vel miles, vel uxor militis, vel serviens de propria domo comitis apud nos sepeliri elegerit concessistis. Præterea culturam quam Robertus magnus ecclesiæ sancti Quiriaci partim dedit, partim vendidit, & vineam cantoris, & quidquid Gauterius parvus dedit canonicis regularibus, & quod Radulfus canonicus dedit eis in molendino Naudi & XL solidos per annum apud Resbaccum nobis concessistis. Hæc autem omnia nobis libere possidenda pro translatione nostra in recompensationem tam redituum quam possessionum quæ nobis placuit, ut de cætero nobis in aliquo reclamare, vel canonicos in ecclesia sancti Quiriaci commorantes inquietare seu perturbare nullatenus liceat, concessum est. Quod inviolabiliter observandum, ut inviolabile & inconcussum permaneat, sigilli nostri munimine roborare, & sub cyrographo conscribere curavimus, anno ab Incarnatione Domini M. CLX, regnante Ludovico Ludovici filio. Actum Senonis in domo pontificali, in præsentia venerabilis Hugonis archiepiscopi, astantibus his quorum nomina subscripta sunt; Willelmo Senonensi archidiacono, Simone thesaurario, Herveo præposito, Simone cellerario, Willelmo abbate sancti Johannis Senonensis cum magistro Manasse canonico suo, Guarnerio abbate Castri-Nantonis cum Roberto canonico suo, Fromundo archiepiscopi capellano, magistro Petro Senonensi canonico.

L I.

Revelatio Reliquiarum sancti Lupi.

1160. EGO Hugo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, notum esse volo universis fidelibus Dei, quoniam ambiguitas erat de corpore beati Lupi confessoris Senonensis antistitis, utrum in ecclesia sanctæ Columbæ majoris integrum cum capite quiesceret, nec ne; verum ut hujusmodi ambiguitas de medio auferretur, & rei veritas elucesceret ad plenum, vir venerabilis *Girardus* ejusdem ecclesiæ abbas cum multa precum instantia nos rogavit ut sanctum corpus illud inspiceremus, quatenus agnita de ipso veritate, tota ulterius cessaret ambiguitas, omnisque exinde oborta sopiretur contentio. Nos itaque pro pace dignæ postulationi præbentes assensum, adjunctis nobiscum venerabilibus & religiosis personis ad testimonium veritatis venimus ad ecclesiam; & coram omnibus qui aderant, capsa reserata & aperta in qua sanctum corpus illud quiescere credebatur, invenimus & vidimus, Deo gratias, pretiosum thesaurum beatissimi confessoris Lupi integrum corpus cum capite; & admirabili gaudio jucundati sic in pace discessimus. Postmodum autem evoluto aliquo tempore, defuncto eodem abbate *Gyraudo*, successit ei in regimine *Odo* vir venerabilis, prudens & honestus, qui pro reverentia & honore sancti patroni sui Lupi satis curiose & sollicite laborans ad dominum *Adrianum* papam IV festinavit, & a sede apostolica detulit ad nos litteras cum mandato, quatinus temporis opportunitate capata pretiosum thesaurum qui a nobis repertus fuerat ostenderemus populo Dei. Igitur pro jubentis domini mandato & pro necessaria ratione, quæ negotio competere videbatur, videlicet & pro removenda ambiguitate & contentione, adunato clero & populo copioso in ecclesia S. Columbæ majoris forinsecus extra ambitum loci, in loco spatioso qui caperet multitudinem, VIII calendas Julii, quamvis indigni, ostendimus palam caput & ossa pretiosissimi confessoris, adjunctis nobis venerabilibus fratribus nostris *Manasse* Aurelianensi & *Alano* Autissiodorensi episcopis, quorum sigillis ab utraque parte sub cera dependentibus, nostro in medium collocato, præsenti quoque pagina rei veritatem, ne aliquatenus a memoria laberetur, roborari fecimus ac muniri. Actum anno Dominicæ Incarnationis M. CLX, pontificatus autem nostri anno XVIII.

L I I.

Carta Hugonis archiepiscopi Senonensis pro Translatione canonicorum regularium ad sanctum Jacobum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1160.
Ego Hugo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, tibi, Renaude, sancti Jacobi Pruvinensis abbas, totique ejusdem ecclesiæ conventui, vestrisque successoribus in perpetuum. Notum fieri volo & præsentibus & futuris, quod bonæ memoriæ Papa Adrianus mihi & Theobaldo Parisiensi, & Manasse Aurelianensi episcopis mandavit per litteras suas, ut si forte illustrem comitem Henricum, & canonicos regulares in ecclesia sancti Kuriaci tunc commorantes, de loci commutatione & redituum recompensatione concordes inveniremus, auctoritate apostolica, ad locum religioni commodiorem canonicos regulares facere mus transmigrare. Qua de re, cum in præsentia nostra & virorum religiosorum qui nobiscum adfuerunt in eodem negotio, & mandato ipsius bonæ memoriæ papæ Adriani, præfatus illustris comes Henricus cum abbate sancti Kuriaci qui tunc erat Odone nomine & cum ejus canonicis regularibus convenisset, cumque per omnia tam de possessionum recompensatione quam de loci mutatione, præfatum Odonem abbatem & ejus canonicos regulares concordes cum comite invenissemus, ecclesiam sancti Jacobi de Pruvino quam ordini vestro commodiorem situs loci reddit & populi remotio, in usum & propriam sedem abbatiæ assignando cum integritate libertatum, consuetudinum, possessionum,

Digitized by Google

quam a tempore bonæ memoriæ viri comitis Theobaldi habuisse dignoscitur, libere, quiete & pacifice in perpetuum habendam, cum libera etiam eligendi abbatem secundum regulam sancti Augustini facultate vobis concessimus. Præterea possessiones tam a vobis quam a comite Henrico & canonicis in ecclesia sancti Kuriaci institutis, vobis pro vestra transmutatione, & possessionum quas in ecclesia sancti Kuriaci habebatis recompensatione collatas, quas propriis duximus vocabulis exprimendas, vobis confirmamus, ecclesiam videlicet Sociaci, & ecclesiam de nemore Arcaudi cum omnibus pertinentiis earum, ecclesiam quoque de Scala-domo, & ecclesiam de Canesia, & ecclesiam de capella-Campisenes cum decimis earum omnibusque pertinentiis, salvo tamen jure procurationis annuæ, pro qua nobis & archidiacono Pruvini debent, ecclesia scilicet de Scala-domo triginta solidos, ecclesia de Canesia triginta solidos, ecclesia de Capella decem solidos, absque omni alia consuetudine. Hanc vero collationem prædictarum ecclesiarum Renaudus archidiaconus Pruvinensis voluit & concessit, terras quoque quæ censum frumenti vel avenæ ecclesiæ sancti Kuriaci debebant, trecentos etiam solidos quos vobis annuatim in nundinis sancti Aigulphi canonici sancti Kuriaci libere habendos permiserunt de censu quadraginta librarum quem eis monachi sancti Aigulphi debent, & præbendam unam integram in ecclesia sancti Kuriaci cum annualibus quoquomodo persona mutetur. Hæc autem omnia supradicta pro vestra translatione quæ vobis placuit, in recompensatione tam redituum quam possessionum vobis libere habere ac possidere concessum est, eo siquidem pacto, ut de cætero nullatenus liceat in aliquo reclamare, vel canonicos in ecclesia sancti Kuriaci commorantes inquietare & perturbare. Actum est publice Senonis in palatio nostro, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo, pontificatus vero nostri decimo octavo, assistentibus ecclesiæ nostræ personis, & de canonicis quibusdam, quorum nomina in rei testimonium fecimus annotari, Willelmus Senonensis archidiaconus, Herveus præpositus & Gastinensis archidiaconus, Simon thesaurarius, Odo decanus, Renaudus Pruvinensis archidiaconus, Simon cellerarius & Stampensis archidiaconus, Robertus Theo. Petrus, diaconi & canonici, & alii multi ex ipsis. Ut autem hoc ratum & inconcussum permaneat, præsentis scripti paginam sigilli fecimus nostri auctoritate roborari.

L I I I.

Diploma Henrici comitis Campaniæ in gratiam canonicorum secularium sancti Quiriaci.

1161. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Trecensium comes-palatinus Matthæo Pruvinensis ecclesiæ sancti Quiriaci decano, totique ejusdem ecclesiæ capitulo eorumque successoribus canonice promovendis in perpetuum. Quoniam in mundo vivimus, movemur & sumus, variis mundi casibus ex necessitate subjacemus. Accidit autem per incuriam habitantium, ut ecclesia sancti Quiriaci Pruvini, quam a fundatione sua canonici singulares quiete possederant, canonicis regularibus ibibi violenter intrusis, aliis tamen semper reclamantibus, absque judicio traderetur. Tempore tamen utrorumque canonicorum a fundatione sua possessiones præfatæ ecclesiæ vel terræ a foragio, & ab omni justitia & consuetudine prædecessorum meorum comitum libere perduraverunt. Postquam vero ex mandato bonæ memoriæ papæ Adriani, venerabili H. archiepiscopo Senonensi & Theob. Parisiensi, & Ma. Aurelianensi episcopis directo, canonici regulares ad commodiorem religioni locum transmigraverunt, ecclesia sancti Quiriaci canonicis singularibus restituta pro remedio animæ meæ & prædecessorum meorum, hæc illi libere possidenda concessi quæ ad notitiam succedentium subscripta sunt. Claustrum & omnes domos canonicorum ubicumque sitæ sint, in quibus canonici manebunt, ab omni justitia, consuetudine & violentia libera esse concessi, alodium quoque quod ab Hugone de Torta via Fulcherii filio sexcentis libris emi, &c.

Nichilominus etiam homines meos qui infra parochiam sancti Quiriaci morabantur quocumque ierint a porta novi muri, quæ dicitur Villecrani, cum uxoribus & heredibus suis, excepto Rainaldo & uxore sua cum infantibus eorum, in perpetuum vobis contuli. Ut autem ecclesia homines suos ut fœminas in futurum non amittat, concessi quod homines mei & viri vel fœminæ absque contradictione per matrimonium conjungantur, & infantes inter ecclesiam & successores meos partiantur. Ut domum in qua moneta mea fiet, non nisi in propria terra ecclesiæ vestræ ædificare liceat, & quod inde consuetus census vobis perpetuo reddatur quotiescumque ibi moneta fiet, &c. Ne autem processu temporis aut aliquorum pravitate, possessiones, libertates sive concessiones a me vobis collatæ possent turbari, deleri vel inquietari, præsentis scripti patrocinio & sigilli mei auctoritate corroborari præcepi. Hujus rei testes sunt Gaufridus de Gronvilla senescalcus, Odo de Pugi constabularius, Ansell. de Triangulo buticularius, Petrus Bursaudus camerarius, Willenus marescalcus, Petrus Bristaudus, Drogo Bristaudus, Radulfus gravis, Robertus de Miliaco, Gaufridus elventatus, Stephanus de Marcs. Actum Pruvini in palatio, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo primo. Data per manum Willelmi cancellarii.

L I V.

Annuale unius præbendæ sancti Stephani conceditur canonicis sancti Joannis.

EGO Hugo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, notum facio cunctis præsentibus, quod Guillelmus præpositus, totusque conventus Senonensis ecclesiæ, tibi, dilecte fili Guillelme, & ecclesiæ beati Johannis, cui Deo auctore præsides, fratribusque ibidem Deo servientibus, pro venerabilium dominorum nostrorum cardinalium, *Humbaudi* scilicet sanctæ Crucis cardinalis, & magistri *Alberti* S. Laurentii in Lucina interventu, unum annuale, quod solum de annualibus præbendarum beati Stephani nondum vobis concessum fuerat, donaverunt atque in perpetuum concesserunt. Cum enim canonici beati Stephani tempore prædecessoris nostri *Henrici*, piæ memoriæ, annualia præbendarum pro remedio animarum suarum, ad vestræ paupertatis sustentationem largirentur, annuale tantum unius præbendæ quatuor canonicis beatæ Mariæ prius concessæ vobis nullatenus nisi de gratuita ipsorum canonicorum donatione dare potuerunt, quod quia usque ad tempora nostra nondum fecerant, modo propter reverendam duorum nostrorum prædictorum cardinalium interventionem & ecclesiæ beati Johannis honestam & Deo amabilem religionem prædictorum canonicorum beatæ Mariæ, Leobaudi scilicet, Hugonis, Jaconis & Galonis assensu, omnes unanimiter Deo volente annuerunt. Ne autem temporum diuturnitate, aut pravorum hominum inquietudine hujus donationis institutio quassari valeat aut turbari, nos eam pontificali auctoritate confirmamus, & sigilli nostri munimine corroboramus. Datum Senonis in domo nostra, anno M. CLXIIII. 1164.

L V.

Digitized by Google

L V.

Electio Salonis abbatis S. Columbæ.

1164. ILLUSTRISSIMO principum principi & domino suo cariſſimo Ludovico Dei gratia piiſſimo Hugo B. Germani Pariſienſis humilis abbas, ſalutem & devotæ fidelitatis obſequium. Injunxit nobis veſtra benignitas, ut ad S. Columbam accederemus, electioni intereſſemus, & de pace eccleſiæ ſtuderemus. Nos itaque illuc accedentes tres cardinales dominum Jacobum, dominum Henricum & dominum Johannem Neapolitanum convocavimus; & ſic in capitulum venientes monachos omnes in unum concordantes invenimus, vocavimus igitur unumquemque ſigillatim, & quod primus dixit, omnes alii dixerunt: ſcilicet quod Salonem ejuſdem eccleſiæ monachum vellent habere abbatem. Et quoniam contra vos nihil voluimus agere, ipſum voluimus quaſſare: duabus vero de cauſis obſtantibus metuimus eum confirmare. Prima cauſa eſt quod alia vice fuit electus & vobis non placuit, ſecunda quam vobis lator præſentium manifeſtabit. Cum enim ſuper hoc cardinales ſupra nominatos & abbatem Vizeliacenſem, qui illuc aderat conſuleremus, ipſi nobis conſuluerunt, ut illum non confirmaremus in abbatem, niſi per veſtrum conſilium. Provideat ergo veſtra providentia quid ſit agendum: quia ille nondum nominatus eſt in audientia. Reſcribite igitur nobis & per latorem præſentium nobis veſtram voluntatem notificate. Valete.

L V I.

Fundatio capellæ domus de Fontebleaudi.

1169. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus omnibus futuris ſicut & præſentibus, quod in honore Dei, & B. Mariæ Virginis, & glorioſi martyris Saturnini apud Fontembleaudi conſtruximus eccleſiam quam dotavimus hoc modo: domino Bartholomæo & ſucceſſoribus ſuis, qui ibi poſt Bartholomæum deſervierint aſſignavimus tres modios frumenti ad menſuram *de Gaſtinois* in feſto B. Remigii annuatim recipiendos in granchia noſtra apud Capellam, & ſex modios vini in noſtro clauſo de Herici ad menſuram *de Samois.* Quod ſi vinea aliquâ occaſione ad percipiendos ſex modios defecerit, de cenſu vini noſtri *de Samois* perficiantur, & apud Moretum quatuor libras in denariis de cenſu terræ arabilis, quam accenſivimus Gilleberto de Braia, & quicumque poſt ipſum terram illam habuerit, ſacerdoti qui ibi deſervierit, quatuor libras annuatim perſolvat in præfato feſto. Si autem poſſeſſor terræ capellano die ſtatuta non perſolverit cenſum illum, nobis emendabit. Capellanus vero in luminaribus eccleſiæ providebit. Quidquid autem a capellano ædificium fuerit apud Fontembleaudi, ſive in domibus, ſive in arboribus, ſive in vivario & prato, excepto mobili, in perpetuum eccleſiæ remaneat, & illi qui eccleſiæ deſervierit, inſuper capellanus uſuarium ſuum in nemore habebit ad ardendum, & quæ uſque in hodiernum diem perſolvuntur, quotiens nos, ſive regina, ſive filius noſter ibi affuerimus, capellanus habebit liberationem ſuam integram, ſcilicet quatuor panes & dimidium ſextarium vini, & pro coquina duos denarios, unam telam candelæ. Quod ut ratum in poſterum habeatur, ſigilli noſtri impreſſione, & nominis noſtri charactere muniri, & conſignari præcepimus. Actum publice apud Fontembleaudi anno ab Incarnatione Domini M. C. LXIX, aſtantibus in palatio noſtro, quorum nomina & ſigna ſubſcripta ſunt. Signum comitis Theobaudi dapiferi noſtri, S. Guidonis Buticularii, S. Mathæi camerarii, S. Radulfi conſtabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.

L V I I.

Dona a fundatore facta Fonti-Johannis. Sammarth.

EGO Petrus regis frater & Curtiniacenſis dominus, omnibus notum eſſe volo quod præ cæteris locis religioſis qui in terra mea ſunt, monaſterium Fontis-Johannis ad Dei ſervitium augere & amplificare propoſui. Unde præter beneficia quæ eidem loco jam contuli in præſentia nominatim ad Dei honorem & meam meorumque ſalutem, etiam in manu domini Gelduini abbatis, fratribus illius loci dono in eleemoſynam abſolutam ab omni exactione in perpetuum totum clauſum vineæ quod ipſi fecerunt & in foſſeto cinxerunt in planchetio meo, quod quondam fuit firmitas caſtelli Montiſargi antequam muro clauderetur. Concedo eis etiam eadem libertate terram in qua cellarium conſtruxerunt, ſcilicet ſedem ipſius cellarii cum tota eſchia illa, quam Ramigraudus ante eos tenuerat. Conſtituo etiam ut quemcumque in ſuo cellario hoſpitem vel hoſpitatorem poſuerint, nemo ex meis ſuper eum poteſtatem habeat niſi per abbatem; nec in aliquo ei violentiam faciat, quando per monachos ſe ad juſtitiam verterit. Similiter volo, ut qui per eos in illo cellario vinum vendiderit, nec a præpoſito, nec ab alio ſerviente me arguatur, contra voluntatem vel utilitatem ſuam, vel ipſum vinum credere, vel bladium accipere, vel acceptum invito reddere, ſed liberum eis ſit hoc donum meum, ut dictum eſt, ab omni injuria. Laudavit hoc & conceſſit uxor mea Iſabel, & primogenitus meus Petrus, &c. Actum eſt publice in aula mea ad Montargis, anno ab Incarnatione Domini M. C. LXX. 1170.

L V I I I.

Ludovicus VII concedit 20 libras annui reditus eccleſiæ Sebaſtenſi apud caſtrum Nantonis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ludovicus Francorum rex omnibus in perpetuum. Salvatorem adoravimus in terra, ubi ſteterunt pedes ejus, ubi in amore pariter & timore ſancta viſitavimus loca, & eccleſiam Sebaſtæ civitatis vidimus, in qua præcurſor Domini beatus Johannes-Baptiſta & cum eo multa corpora Sanctorum requieſcunt. Placuit nimirum ac pectori noſtro vehementer inſedit reverendi ſanctitas loci, & ad diligendum eccleſiam & fratres ipſorum fratrum religio & honeſta converſatio magnum in nobis fervorem accendit. In hac adhuc devotione perſiſtentes notum facimus univerſis tam futuris quam præſentibus, quod amore Dei & B. Johannis, in cujus interventu plurimum confidimus, eccleſiæ illi videlicet Sebaſtenſi & fratribus inde ad nos tranſmiſſis, concedente filio noſtro Philippo, 20 libras in cenſu noſtro apud caſtrum Nantonis die ſolito annuatim recipiendas in perpetuum donavimus & inde inveſtivimus fratres, ita quod libere & abſolute ut cum aliquam in regno & poteſtate noſtra eccleſiam eis contulerit Deus, fratres in ea ſervientes hoc habebunt beneficium; quandiu vero nullam habebunt eccleſiam, nihilominus tamen ad eccleſiam Sebaſtenſem tranſmittetur. Si autem de 20 libris in cenſu illo defuerit, nos in eodem caſtro in aliis redditibus noſtris reliquum eis competenter aſſignabimus. Eleemoſynas etiam, quas juſte uſque ad præſentem diem largita eſt eis fidelium devotio, benigne concedimus & præſentis ſcripti patrocinio confirmamus. Quod ut ratum ſit in poſterum, ſcribi & ſigilli noſtri auctoritate communiri præcepimus. Datum ſolemniter Pariſius anno Verbi Incarnati M. CLXX, die ſancti Auguſtini, adſtantibus in palatio noſtro quorum 1170.

subscripta sunt nomina & signa. S. comitis Theobaldi dapiferi nostri, S. Matthaei camerarii, S. Guidonis buticularii, S. Radulfi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.

L I X.

Confirmatio privilegiorum ecclesiæ S. Quiriaci, & aliquæ donationes eidem factæ.

1176. WILLELMUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus. Dilectis filiis Matthaeo decano totique capitulo ecclesiæ S. Quiriaci Pruvinensis in perpetuum. Sicut injusta petentibus nullus est exhibendus assensus, ita & justa postulantibus non est petitio differenda, ea propter dilecti in domino filii vestris justis postulationibus clementer annuentes transmutationem canonicorum regularium tam in loco quam in redditibus aliisque rebus voluntate & mandato domini papæ Alexandri, necnon autoritate & consilio Hugonis archiepiscopi prædecessoris nostri Theobaldi Parisiensis, Manasse Aurelianensis episcoporum facta sicut in privilegio domini papæ Alexandri & in privilegio Hugonis archiepiscopi continetur confirmamus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona ecclesia beati Quiriaci in præsentiarum possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione principum, & præcipue ex donatione dilecti fratris nostri Henrici illustris Trecensis, comitis Palatini, oblatione quoque fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. Liberam quoque decanum eligendi vobis vestrisque successoribus licentiam, libertates etiam a bonæ memoriæ Hugone archiepiscopo antecessore nostro vobis & ecclesiæ vestræ concessas, prout in ejus privilegio, necnon & in privilegio venerabilis papæ Alexandri continetur, autoritate metropolitana confirmamus. Præterea ob prædicti martyris reverentiam ad ecclesiæ vestræ honorem & ampliationem ex concessu & voluntate capituli ecclesiæ beati Stephani Senonensis concedimus vobis vestrisque successoribus, & donamus ecclesiam de Pareto & ecclesiam de Villanis cum præsentatione sacerdotum & perceptione medietatis omnium proventuum ipsarum in perpetuum habendas; instituentes ob hoc ex assensu dilecti fratris nostri comitis Henrici & capituli vestri, ut quicumque fuerit archidiaconus Pruvinensis sit canonicus sancti Quiriaci, & fructus suæ præbendæ sine diminutione sicut archiepiscopus recipiat; ita tamen quod quando instituetur archidiaconus, veniet Pruvinum in capitulum B. Quiriaci, & ibi convocatis canonicis investituram præbendæ recipiet de manu decani. Consuetudines quoque vestras quas usque ad nostra tempora firmiter & sine contradictione vos habuisse cognoscimus, in posterum habendas confirmamus, scilicet ut perpetua & sola autoritate vestra parochianos vestros in propriis vestris injuriis & querelis excommunicare liceat vobis & absolvere. Verum ut nostræ donationis fructum uberiorem percipiatis, hanc eamdem potestatem excommunicandi & absolvendi in parochia duarum prædictarum ecclesiarum, & etiam in parochia S. Aigulfi & parochia Fontenecti vobis concedimus in perpetuum habendam; adjicientes quod si forte ecclesiam vestram ex illata vobis injuria a divinis cessare contigerit, ecclesia S. Jacobi & ecclesia S. Aigulfi divina celebrare non præsumant. Post alia vero ducimus illud etiam statuendum, ut secundum consuetudinem vestræ matris Senonensis ecclesiæ foraneitates præbendarum in ecclesia beati Quiriaci observentur, videlicet ut nullus de substituendis canonicis nisi viginti solidos per annum de præbenda sua recipiat, qui per dimidium annum Pruvini non fecerit mansionem. Quod ut ratum & inconcussum in posterum permaneat præsentis paginæ

A attestatione communimus, & sigilli nostri autoritate confirmamus, statuentes & sub anathemate inhibentes ne quis huic nostræ confirmationis paginæ ausu temerario obviare præsumat, salva semper in omnibus sedis apostolicæ autoritate. Actum anno Incarnationis Dominicæ M. CLXXVI.

L X.

Guillelmus archiepiscopus monasterii S. Remigii bona confirmat.

GUILLELMUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus apostolicæ sedis legatus, omnibus tam 1176.
futuris quam præsentibus in perpetuum. Quoniam
B rerum gestarum memoriam damnosa plerumque confundit oblivio, nos divinæ pietatis intuitu & precibus dilectorum filiorum nostrorum *Stephani* abbatis totiusque capituli ecclesiæ sancti Remigii Senonensis inclinati, scripto præcepimus commendari, quod eidem ecclesiæ omnia quæ juste & rationabiliter possidet tam in ecclesiis quam in villis & in aliis possessionibus, quorum subscripta sunt nomina, libere & quiete possidenda concessimus, videlicet ecclesiam S. Romani, ecclesiam S. Petri Rotundi, & in ea centum solidos post Herbertum presbyterum qui nunc possidet eam quoquomodo mutetur de loco illo annuatim percipiendos, ecclesiam S. Symphoriani, & in ea similiter centum solidos, & partem cerei benedicti ad mensuram quam ..... dicimus,
C ecclesiam S. Baudi cum pertinentiis suis quæ sunt in decimis, terris, censu & nemore, homines etiam quosdam qui sunt in parochia illa manentes, & molendinum. Ecclesiam de Cobomero cum decimis, hominibus, terris, nemoribus, pratis, censu, molendinis, capellam de Suligny & potestatem ejusdem loci, cum hominibus, nemoribus, pratis & censu; Ecclesias de Villa-nova & de Capella super Yonam, & in eis septem libras singulis annis percipiendas, vel singulis diebus medietatem ex omnibus beneficiis ecclesiarum illarum cum decimis, hominibus, terris, nemoribus, pratis, vineis, censu, molendinis. Censum quoque quem debet ecclesia Pruliacensis cum tribus sextariis frumenti, & uno avenæ pro territorio de Acromonte, & decimam de Blenia: ecclesiam de
D Pontibus super Vanam cum decimis, hominibus, terris, pratis, aquis, censu, molendinis: ecclesiam de Varillis cum ipsa villa & pertinentiis ejus: ecclesiam de Erchesiis & in ea quadraginta solidos per annum recipiendos cum decimis, hominibus, terris, nemoribus, censu: ecclesiam de Valdera cum ipsa villa & pertinentiis ejus, & in ecclesia illa sexaginta solidos censuales, Herberto ibidem permanente capellano; post obitum quoque ejusdem ab omni exactione liberam & quietam concessimus, ita ut quotiens illius ecclesiæ sacerdotem, & quocumque modo cedere vel decedere contigerit, totiens alium quem sibi fidelem atque utilem noverit, sive ad succurrendum sive ad permanendum abbas constituat. Si tamen sacerdos in cura sibi a nobis credita quic-
E quam reprehensione dignum fecerit, aut in persona ipsius criminosum aliquid apparuerit, hoc solum nobis & successoribus nostris in præsentia abbatis sui relinquimus emendandum. Ecclesiam de Camaco cum decimis, hominibus, terris, pratis, nemoribus, aquis, censu, molendinis. Ecclesiam de Coloerio cum medietate decimarum, exceptis laboribus fratrum Templariorum, quos propriis manibus vel sumptibus fecerunt, & medietate eleemosynarum. In omnibus vero supra dictis ecclesiis, excepta ecclesia de Coloerio, præsentationes presbyterorum. Terram de Sochi cum censu in potestate vici novi, locum de Noerellis cum hominibus, terris, pratis, censu, molendinis. Ad Pontes super Yonam homines cum terris, pratis, nemoribus. Præterea feodum vicecomitis

Digitized by Google

Senonensis, feodum domini de Silegniaco, feodum Gaufridi Seoliei, feodum Gaufridi de Erchesiis, feodum hæredum Menardi de Turni, feodum Gaufridi Bullen, feodum Balduini de Matriolis, feodum Salonis de Divigione, feodum Hugonis Crassi, feodum Henrici de Triangulo, feodum Gosberti Bussierii, feodum Radulfi Gorgiæ, feodum Girardi Granerii, feodum alterius Girardi Granerii, feodum Hugonis & Petri de Varvilles, feodum Milonis Carpinel. Ut ergo hæc omnia supra dicta rata & inconvulsa in posterum permaneant, assentiente Hugone archidiacono Senonensi, eadem præsentis scripti attestatione & sigilli nostri autoritate confirmamus, statuentes & sub anathematis interminatione inhibentes, ne quis huic nostræ confirmationis paginæ ausu temerario contraire præsumat, salva in omnibus sedis apostolicæ autoritate. Actum Senonis anno Incarnationis Dominicæ M. CLXXVI. Data per manum Alexandri cancellarii nostri.

L X I.

Privilegium ecclesiæ Senonensis præcentori concessum pro scholis Senonensibus.

1176. GUILLELMUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus, sedis apostolicæ legatus, dilecto filio Gaufrido Senonensis ecclesiæ præcentori in perpetuum. Quoniam justa petitio repulsam abhorret, juri enim obviare nefas esse ducimus; idcirco, dilecte fili Gaufride, tuæ justæ petitioni non immerito acquiescimus, & dignitatem scholarum quæ ad jus præcentoriæ pertinent, sicut ex testimonio dilecti fratris nostri *Mathæi* Trecensis episcopi, & personarum, & canonicorum Senonensis ecclesiæ justum esse didicimus, tibi & successoribus tuis præcentoribus concedimus in perpetuum & confirmamus, videlicet ut nulli liceat nisi assensu & licentia præcentoris scholas cujuscumque modi sint regere, sive in arte grammatica edocenda, sive in cantu, sive in psalteriis edocendis in civitate Senonensi, nec in burgo S. Petri vivi, nec in aliquo suburbio prædictæ civitatis, nec in aliquo loco usque ad castella determinata, quorum nomina hæc sunt Jogniacum, Curtiniacum, Moretum, Musteriolum, Merrole, Brayum, Triangulum & Villa-mauri, nisi forte aliquis canonicorum Senonensis ecclesiæ de divina pagina vel decretis, vel legibus legere voluerit; ab hac tamen conditione S. Julianum de Saltu excipimus. Inhibemus igitur sub anathematis interminatione, ne quis huic nostræ confirmationis paginæ in aliquo obviare præsumat, salva in omnibus sedis apostolicæ autoritate. Actum Senonis anno Incarnationis Dominicæ M. CLXXVI. Data per manum Alexandri cancellarii nostri.

L X I I.

Diploma Henrici comitis Trecensis in gratiam S. Quiriaci.

1176. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus Trecensis comes Palatinus, Mathæo Pruvinensi ecclesiæ S. Quiriaci decano totique ejusdem ecclesiæ capitulo eorumque successoribus canonice promovendis in perpetuum. Quoniam in mundo sumus, vivimus & movemur, variis mundi casibus ex necessitate subjacemus, accidit per incuriam habitantium, ut ecclesia S. Quiriaci Pruvini quam a fundatione sua canonici singulares quiete possederant, canonicis regularibus inibi violenter intrusis, aliis tamen semper reclamantibus absque judicio traderetur, tempore tamen utrorumque canonicorum a fundatione sua possessiones præfatæ ecclesiæ vel terræ a foragio & ab omni justitia & consuetudine prædecessorum meorum comitum libere perdurarunt. Postquam vero ex mandato bonæ memoriæ papæ Adriani venerabili Hugoni archiepiscopo Senonensi & Theobaldo Parisiensi & Manasse Aurelianensi episcopis directo, canonici regulares ad commodiorem religioni locum transmigraverunt, ecclesia S. Quiriaci canonicis singularibus restituta pro remedio animæ meæ & prædecessorum meorum hæc illi libere & quiete absque contradictione aliqua & reclamatione successorum meorum possidenda concessi, quod ad notitiam succedentium subscripta sunt. Claustrum & omnes domos canonicorum ubicumque sitæ sunt in quibus canonici manebunt ab omni justitia, exactione, consuetudine & violentia tam a me quam a successoribus meis libera esse concessi, emancipatis servientibus canonici quandiu in servitio ejus manebunt pro quolibet fori facto ab omni justitia præpositorum meorum & mea, statutis etiam in manu & in justitia decani, & ecclesiæ beati Quiriaci. Alodium quoque magnum, &c. . . . . Adjiciens ut quicumque fuerit ecclesiæ vestræ matricularius cum uxore sua, & liberis ab omni talia, justitia, exactione, consuetudine & violentia liber existat; & ut clericorum vestrorum servientes justiciabiles sint decano & ecclesiæ beati Quiriaci sicut & vestri, &c. . . . . Liberam quoque eligendi decanum vestrum facultatem, me absente, vobis vestrisque successoribus concessi in perpetuum, & quod ipse plenariam habeat potestatem per totam castellaniam Pruvini imponendi manus super homines meos in signum libertatis, quicumque ad clericatus officium voluerit promoveri. Volo etiam & concedo ut quicumque canonicus fuerit ecclesiæ B. Quiriaci, si præbendam suam in manu mea resignaverit, nihilominus teneatur esse canonicus donec in manu decani præsente capitulo, vel absente decano in manu capituli eam in propria persona resignaverit. De voluntate autem mea & vestra statutum est in ecclesia vestra ut præbendæ in honore B. Quiriaci fundatæ, & usque ad centenarium numerum si vobis placuerit fundandæ ad numerum quadraginta quatuor præbendarum redigantur, nec ulterius possint excedere, & quod foraneitates præbendarum secundum vestræ matris Senonensis ecclesiæ consuetudinem in ecclesia B. Quiriaci observentur; videlicet ut nullus de substituendis canonicis nisi viginti solidos per annum percipiat pro præbenda qui per dimidium annum Pruvini non fecerit mansionem. Cantori vero ecclesiæ B. Quiriaci regimen scholarum per totam castellaniam Pruvini concessi in perpetuum; ita ut nulli liceat scholas regere nisi assensu & voluntate ipsius cantoris, & inde eum in hominem debeo suscipere. Præterea ob reverentiam B. martyris Quiriaci in usum thesaurariæ dedi in perpetuum thesaurario ecclesiæ vestræ telonium canobi & lini & cordarum ad cordas campanarum reficiendas, cum censu cordariorum libere & quiete possidendum. Ligna autem Logeiarum universa cum coopertoriis earum in quibus fiunt placita in nundinis Pruvini, matriculariis laicis ejdem ecclesiæ ad brachia campanarum reficienda concessi in perpetuum, & quod pro duello apud Pruvinum faciendo alicui arma sumere non liceat, nisi assensu & voluntate matriculariorum, & quod eis reddantur quatuor denarii pro armis cujuscumque fuerint. Quidquid ego vel comitissa vobis donavimus aut vobiscum excambivimus, & quidquid donatione, emptione, excambio, incensu & feodo unde ego ligietatem non amittam tam meo quam hominum meorum acquirere poteritis, cum omnimoda libertate vobis liceat pacifice possidere. Ne autem processu temporis aut aliquorum pravitate possessiones, libertates sive concessiones a me vel aliis donatoribus ad me pertinentes vobis & ecclesiæ supradictæ collatæ a me vel a successoribus meis possint turbari, deleri, vel inquietari, præsentis scripti patrocinio sigilli mei autoritate corroborari præcepi. Hujusce rei testes sunt vir venerabilis Willelmus Remensis archiepiscopus, Theobaldus comes Blesensis, fratres mei carissimi, Ancellus

Digitized by Google

A de Triangulo buticularius meus, Garnerius frater ejus, Petrus Burfaudius, Guillelmus Marefcalcus, Drogo Briftaudus, Habraamus Burgus, Caufridus Eventatus, Robertus de Bernayo, Petrus de Lingionis, Artodus camerarius, Magifter Philippus, Anfaudus tunc Joiaci præpofitus, Garinus miles de Joiaco, & Rogerius clericus. Actum Pruvini in palatio meo M. CLXXVI, anno ab Incarnatione Domini. Datum per manum Stephani cancellarii mei.

L X I I I.

Sammarth. *Alexander III locum de Mifericordia Dei Fulberto eremitæ confirmat.*

Poft 1176. B ALEXANDER epifcopus fervus fervorum Dei, dilecto filio fratri Fulberto falutem & apoftolicam benedictionem. Juftis petentium defideriis dignum eft nos facilem præbere confenfum, & vota quæ a rationis tramite non difcordant, effectu profequente complere. Eapropter dilecte in Domino fili, tuis juftis poftulationibus grato concurrentes affenfu, donationem loci qui mifericordia Dei vocatur, ab Hugone de Acrivilla & Heimoris, & Reinaldo Pelotini, & Fecelino Bodini, tibi, tuifque fucceforibus rationabiliter factam, fcripto autentico venerabilis fratris noftri Guillelmi tunc Senonenfis, nunc vero Remenfis archiepifcopi apoftolicæ fedis legati roboratam, ficut tu eumdem locum jufte poffides & quiete, tibi, tuifque fucceforibus autoritate apoftolica confirmamus, & præfentis fcripti patrocinio communimus, ftatuentes C ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noftræ confirmationis infringere, vel ei aufu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præfumpferit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoftolorum ejus fe noverit incurfurum. Datum Tufculani XV cal. Jan.

L X I V.

Guido archiepifc. bene facit ecclefiæ Autiffiodorenfi.

1178. IN nomine fanctæ & individuæ Trinitatis. Guido Dei gratia Senonenfis archiepifcopus, notum fieri volumus tam futuris quam præfentibus, quod nos ecclefiæ B. Stephani Autiffiodorenfis, quæ nos in finu fuo D nutrivit, cujus etiam benigna largitione parentes noftri abundantius perfruuntur, quinquaginta folidos Autiffiodorenfis monetæ fingulis annis ftatutis terminis percipiendos in ecclefia de Aigleneio concedimus & donamus, præter illa quæ in ea folebat ante noftram donationem percipere. Synodos quoque & circadas de prædicta ecclefia de Aigleneio, & de ecclefia S. Martini fuper Ocram prædictæ ecclefiæ S. Stephani quittavimus. Ut autem hæc noftra donatio rata fit & inconvulfa, præfentis paginæ teftimonio confirmamus, & figilli noftri autoritate roboramus. Actum anno Incarnati Verbi M. CLXXVIII.

L X V.

Ex chartul. E *Carta Guillelmi Joviniaci comitis, qua corpus fuum fepeliendum mandat in ecclefia Dei-loci.*

1179. EGO Guillelmus comes Joviniaci, notum facio tam præfentibus quam futuris, quod ego tam pro me quam pro meis & anteceforibus & fucceforibus donavi Deo & ecclefiæ Dei-loci quadraginta folidos cenfus apud Joviniacum libere cum omni juftitia, cum laudibus & venditionibus ipfius cenfus, infuper libertatem, & juftitiam, & laudes, & venditiones illius cenfus, quem a patre meo acceperant in excambium partis, quam in Bello-cafneto * habebant. Ipfi quoque canonici Dei-loci conceflerunt mihi pro hac re fraternitatem fuam, & omni tempore miffam in ecclefia celebrandam pro me & pro meis. Laudavit hoc uxor mea Aaliz & frater meus Gaucherus. Conceffi etiam eis corpus meum in ecclefia Dei-loci fepeliendum. Hujus rei ex parte mea teftes funt Renaudus decanus, Renaudus mallis & Renaudus filius ejus, & Galterus marefcaudus, & Richardus camerarius; ex parte comitiffæ teftes funt Milo Genefta, Bovo farfitus, Galterus farfitus. Actum eft hoc anno ab Incarnatione Domini M. CLXXIX.

* Bauchenoift.

L X V I.

Fundatio capellæ in caftello Pruvinenfi pro camera regia.

EGO Henricus Trecenfium comes Palatinus, notum facio præfentibus & futuris, quod cum apud Pruvinum in honore B. & gloriofæ Dei Genitricis Mariæ capellam ad fervitium Dei conftruxerim, canonicos in ea conftitui pro falute animæ meæ & meorum divinis in perpetuum vacaturos obfequiis. His itaque victui neceffaria providens redditus iftos affignavi in perpetuum poffidendos, apud Pruvinum in furno qui fuit magiftri Stephani cancellarii mei fex libras annui reditus, & fciendum quod fex talemetharii in furno illo bannaliter coquere debent, quos liberos & emancipatos effe conceffi a cuftodia carceris & ab exercitus fummotione: ita etiam quod fi aliquis illorum quoquomodo defuerit, præcipio præpofito meo ut alium loco ejus inftituat qui in furno illo bannaliter coquat. In redditu gaftellariorum de Pruvino & de villis affignavi eis centum folidos annui redditus in fefto S. Remigii reddendos; in redditu de talemetariis centum folidos in octavis Pentecoftes reddendos, in terra mea quæ eft ad portam de Joiaco novem fextarios frumenti. Præterea medietatem redditiuum de villa nova quæ eft verfus pontes eis dedi, ita etiam quod ibi fervientem fuum ponent qui cum ferviente meo redditus ejufdem villæ recipiet in fefto S. Remigii, & cum illo redditus ejufdem villæ per medium partietur. Ad hæc tres homines affignavi eis apud Pruvinum pro quadraginta folidis Guibertum fenarium & Peregrinum fratrem ejus, & Anfellum Naguellum liberos a fubmotione & juftitia præpofitorum & fervientium meorum, ita quod per neminem nifi per ipfos canonicos fe juftitiabunt. Volo autem ut hoc totum beneficium commune habeant ipfi canonici & æqualiter inde participes exiftant. Affignavi præterea in adminiftrationem luminaris de cera & pro cordis campanarum ejufdem capellæ medietatem redditiuum molendini fullarii de Bierges, cujus alteram medietatem habent monachi S. Salvatoris de Vivento, & hanc medietatem redditus molendini tenebit dominus Hugo capellanus in vita fua, & ceram adminiftrabit. Poft decefum autem ipfius ad ecclefiam revertetur, quod ut notum permaneat & ratum teneatur litteris annotatum figilli mei impreffione firmavi. Adfuerunt autem hujus rei teftes dominus Anfellus de Caguello, Nicolaus capellanus, magifter Philippus, Lebaldus de Fimiis, Willelmus marefcallus, Deimbertus de Mentis, Guarnus eventatus, Ertaldus camerarius & Milo de Pruvino. Actum Pruvini anno Incarnati Verbi M. CLXXIX. Data per manum Stephani cancellarii. 1179.

EGO Henricus Trecenfium comes Palatinus, notum facio præfentibus & futuris, quod piæ memoriæ pater meus Henricus Pruvini in honore B. & gloriofæ Dei Genitricis Mariæ capellam ad fervitium Dei conftruxit, & in ea canonicos conftituit pro falute animæ fuæ & fuorum, divinis in perpetuum vacaturos obfequiis; illis itaque victui neceffaria providens redditus iftos affignavit in perpetuum poffidendos. Apud Pruvinum in furno qui fuit magiftri cancellarii, &c. Hanc autem eleemofynam quæ ab eodem comite patre meo

collata est laudo, & ut rata teneatur præsentem paginam sigilli mei autoritate confirmo. Ad hæc etiam & contuli eisdem canonicis octo modios vini singulis annis in vindemiationibus accipiendos in cellario meo Pruvini. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXVIII.

NOS Theobaldus Dei gratia rex Navarræ, Campaniæ & Briæ comes Palatinus. Universis præsentes literas inspecturis, notum facimus quod cum prædecessores nostri assignassent aulæ nostræ de Pruvino ad opus clericorum ibidem Domino famulantium redditus inferius annotatos videlicet furnum de Corbella cum libertatibus ejus quæ sunt tales, videlicet furnum de Corbella cum libertatibus, &c. Nos ob salutem & remedium animæ nostræ & animarum parentum nostrorum capellanis in ipsa capella a nobis institutis, & eorum successoribus ibidem Domino famulantibus prædictos redditus laudamus & confirmamus tenendos & perpetuo possidendos libere, pacifice & quiete, salvo jure alieno: in quorum testimonium & munimen perpetuum; & ut prædicta omnia rata sint & stabilita, præsentes litteras sigillo nostro fecimus sigillari. Datum per nos apud Thebas in Navarra in vigilia Assumptionis B. Mariæ anno Domini M. CCLXIX. Odo de Castroth.

LXVII.

Sammarth. *Donationes Fonti-Johannis a fundatore factæ.*

1180. LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum. Noverint universi, &c. Ego Petrus filius regis & frater dominus de Monteargis & de Curtiniaco, ad omnium notitiam qui scripturam lecturi vel audituri sunt. Anno ab Incarnatione Domini M. CLXXIX Jerusalem in Dei servitio proficiscens, tanquam in extremis constitutus, inter cætera beneficia quæ aliis ecclesiis ob remedium animæ meæ & venerandæ memoriæ patris mei Ludovici Francorum regis & prædecessorum meorum ordinavi monasterio Fonti-Johannis, cui specialiter providentiam & curam me debere profiteor & defensionem, quæ hic determinata sunt in eleemosynam hoc modo delegavi. Imprimis do ad luminare prædictæ ecclesiæ omni anno determinate ad festum B. Johannis Baptistæ in censis meis de Monteargi decem libras Parisienses. Deinde in furnis meis de Monteargi, quartam partem ubique. Deinde veniam, & torcular de toto, quod antea habebant ad medium. Deinde concedo prædicto loco partem meam molendini in stagno quod est ante grangiam de Mussi. Et dono ei piscaturam ejusdem stagni, quotiens abbas illo venerit. Deinde concedo prædictis fratribus ut qui in qualibet habitatione eorum emit, aut vendit, teloneum, vel aliam consuetudinem in posterum non persolvat; sed omnia libere teneant sine exactione. Volo insuper ut quamlibet justitiam habeant super dominium & totam terram quam illis in eleemosynam dedi, nihil mihi, nec meis in posterum reservans. Deinde laudo eis, atque concedo donum quod eis fecit de domo sua Matthæus marescallus meus, laudavit uxor mea Isabel & filius meus Petrus, &c. Cum autem nobis incumbat curam habere omnium in regno nostro commorantium, præsertim religiosorum Deo servientium, maxime tamen fratrum monasterii Fontis-Johannis, à fratre nostro supradicto & prædecessoribus nostris dotati & privilegiati; eapropter præfatam eleemosynam approbamus & benigne assentimus omne dominium suum in manu mortua tenere, & in omni terra & dominio suo quamlibet justitiam altam & bassam exercere, ac in omnibus locis & pertinentiis suis indemnes a teloneo & actionibus servari. Affuerunt hic frater meus comes Robertus, Drogo de Petrafonte, Guido vicecomes de Castro-Nantonis, & Harduinus major de Moreto. Actum Parisius anno

A Incarnati verb M. CLXXX, regni nostri XLIII, mense Aprili.

LXVIII.

Philippus rex tribuit Barbello decem libras reditus & libram ceræ. Sammarth.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1182. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi, præsentes pariter & futuri, nos monachis de Barbello concessisse, ut de cætero decem libras in censu nostro de Sannesio singulis annis in festo B. Remigii percipiant, & libram unam ceræ majorem, quam Richardus de Nemosio nobis debebat de qua-
B dam domo sita apud Liricantum juxta monasterium S. Mathurini, & quatuor denarios & obolum quos idem Richardus nobis debebat super quadam vinea sua sita in territorio Bonævallis. Hæc itaque eis concedimus in eleemosynam ad instituendum luminare ante tumbam quondam patris nostri Ludovici venerabilis memoriæ, cereum videlicet qui ibi assidue nocte ac die ardeat. Quæ ut in posterum firma & inconcussa permaneant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, & regii nominis caractere inferius annotato præcipimus confirmari. Actum apud Fontem-Bleaudi anno Incarnati Verbi M. CXXCII, regni nostri anno III, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Signum comitis Theobaldi dapiferi nostri, S. Guidonis buticularii, S. Matthæi
C camerarii, S. Radulphi constabularii. Data per manum Hugonis cancellarii.

LXIX.

Adela regina largitur Barbello domum apud Meledunum & alia. Sammarth.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1183. Adela Dei gratia Francorum regina. Notum facimus universis præsentibus pariter & futuris, quod Albertus de Andesello concessit & in eleemosynam dedit ecclesiæ B. Dei genitricis Mariæ de S. Portu & fratribus ibi servientibus Deo, pro salute animæ suæ domum suam quæ est Meleduni secus ripam Secanæ
D cum tota ejus porprisia, insuper & usuarium quod in exarcio Nanterii habebat ad eamdem domum reparandam, necnon & venationem quam habebat ibidem, hoc autem donum & eleemosynam Agnes uxor illius concessit & laudavit in præsentia nostra constituta. Nos vero pro salute animæ nostræ, & animæ christianissimi Francorum regis piæ memoriæ Ludovici domini nostri, cujus corpus requiescit humatum in prædicta ecclesia, idipsum benigne laudavimus & concessimus; domum profecto supradictam cum omni porprisia quæ ad eam pertinet, liberam fecimus, & quietam ab omni servitute, omniumque redditum præbitione. Fratres tamen de Sacro-Portu in porprisia quæ domui illi adjacet, tres hospites habere poterunt; omnes quoque qui in domo illa vel in ejus manserint porprisia vendere & emere po-
E terunt libere absque ulla redditus consuetudine, eos enim a tolta & tallia, ab exercitu & equitatu, ab omni jugo servitutis, universarumque consuetudinum debito, liberos esse permisimus & quietos; hoc tamen retento quod hospites illi non erunt de feodo nostro, nec de dominicatura nostra, & quod ad forum nostrum dabunt tonleium. Quod si forte per ignorantiam die fori non reddiderint, ultra quinque solidos aliquid solvere pro foresfacto cogi non poterunt: præstito tamen ab eis juramento quod per ignorantiam illud reddere prætermiserint. Quæ omnia ut perpetuæ stabilitatis vigorem obtineant, præsentem paginam scribi, & sigilli nostri præcepimus autoritate roborari. Actum publice Meleduni anno ab Incarnatione Domini

Digitized by Google

M. CXXCIII. Data per manum Hervei capellani A nostri.

L X X.

Donatio facta B. Mariæ de Roseto per Petrum de Curtiniaco.

1184. NOTUM sit omnibus hominibus, quod Petrus de Curtiniaco regis Galliæ Philippi patruus, in vita sua dedit pro remedio animæ suæ Deo & ecclesiæ B. M. de Roseto, villas quæ dicuntur Hervavilla, Maresvilla, & locum qui dicitur Contentum, & omne feodum ipsius, cum omni justitia vel balliagia, cum omnibus hominibus & cum omni tenemento, in bosco & plano, & æque donum hoc concesserunt B & laudaverunt Elisabetha uxor & Petrus eorumdem major filius, Nivernensis comes & alii filii S. * Robertus, Philippus, Willermus, & de hac eleemosyna investierunt Elisabeth & Petrus filius ejus & alii filii ecclesiam de Roseto & dominam Adam abbatissam, & Adam priorissam & totum conventum...... Testes fuerunt Hugo Godar & senescallus Petri comitis. Hoc factum fuit publice Curtiniaci die festivo Purificationis B. Mariæ, anno ab Incarnatione Domini 1184, Philippo regnante, Guidone archiepiscopo Senonensi.

* forte scilicet.

L X X I.

Sammarth. *Confirmatio Sacræcellæ.*

1190. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Philippus Francorum rex omnibus imperpetuum. Habet hoc proprium regalis excellentiæ magnitudo, ut loca sancta divinis cultibus mancipanda studio pietatis fundare diligenter intendat, ac suis pariter, suorum ac fidelium beneficiis benigna libertate potenter adaugeat. Qua profecto consideratione ad ampliandum cultum divinitatis locum de Sacracella, quem idoneum fore religioni cognovimus, propriis fundare beneficiis & in abbatiam promovere studuimus. Quia igitur auxiliante Domino congregatis inibi fratribus religiosis, fratre Odone venerabili primo abbate constituto, locus ille per operam nostram ad laudem & gloriam nominis Domini excrevit; nos in posterum ejusdem ecclesiæ quieti ac libertati tanto majori D diligentia providere curavimus, quanto attentiorem sollicitudinem de illa amplificanda ab ipso fundationis suæ principio semper habuimus. Quamobrem eamdem ecclesiam in universis rebus & possessionibus suis, quas in præsentiarum Deo authore possidet, quæcumque largiente domino in futuris ex quolibet beneficiis vel aliis modis competentibus poterit adipisci; universa itaque dona ac beneficia quæ fidelium largitione præfatæ ecclesiæ collata fuerunt, authoritate regia in perpetuum possidenda, excolimus & per præsentis præceptum paginæ perpetuæ stabilitatis munimento corroboramus, quæ nostris hic propriis duximus exponenda vocabulis, locum ipsum de Sacracella in quo præfatum monasterium situm est, in E terris, pratis, omnibus circumadjacentibus adjacentiis, & aliis futuris pertinentibus, grangia de Quatuor vallibus cum vineis, hortis & terris circumadjacentibus, ea libertate & consuetudine nemoris de Logio in qua abbatia Curiæ Dei tenuit & possedit, grangia de Brochiacum, nemore & terris circumadjacentibus ex donatione & eleemosyna nostra, omnes possessiones Garini de Castronantonis, eas videlicet quas habebat ex illa parte Lupæ fluvii, in qua sita est abbatia, in terris, in pratis & nemoribus, monasterium etiam de Trinleio cum omnibus pertinentiis suis, grangia de Partraco quam emimus de Galterio de Cella cum nemore, pratis, aqua & terris circumadjacentibus; domos de Bruxiis cum vineis quas in territorio ipsius villæ possident, & vineas quas in territorio Bruxiis habent; terram de Maisonsellis, quam de Odelina de Ferrariis & filiis suis emimus; terram de Saviniaco, quam emerunt de Galterio de Palays & Godfrido filio suo, laudantibus & concedentibus uxore sua cum omnibus liberis suis, laudante etiam hoc Aaa de Glana & uxore sua cum liberis suis de quorum feodo erat. Quod ut perpetuæ firmitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri authoritate, & regii nominis caractere inferius annotato præcepimus muniri. Actum apud Fontembleaudi anno Verbi Incarnati M. CXC, regni nostri anno XI, astantibus in palatio nostro quorum nomina superposita sunt & signa. Signum comitis Theobaldi dapiferi nostri, Signum Guidonis buticularii, S. Radulphi constabularii, S. Matthæi camerarii.

L X X I I.

Philippus rex confirmat bona de S. Portu. Sammarth.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1190. Philippus Dei gratia Francorum rex. Qui divinis occupati sunt ministeriis, & relicto seculari habitu se ad serviendum Deo penitus manciparunt, in pace & quiete vivere debent, & ut orationibus libere vacare queant, regiæ protectionis beneficio ab universis malignantium incursibus eos oportet esse securos; inde est quod monasterium de S. Portu & fratres ibidem Deo servientes in nostra specialiter sunt pro- C tectione & custodia, ut quod de regiæ liberalitatis munificentia fundatum est & aliquatenus ampliatum, ab hominum malitia quæ in dies singulos multiplicari dinoscitur, regia potentia efficacius deffendatur. Noverint igitur universi præsentes pariter & futuri, quoniam intuitu Dei & ob remedium animæ nostræ, & patris nostri bonæ memoriæ regis Ludovici, cujus corpus in basilica B. Mariæ de S. Portu sepultum est cum magna reverentia, eidem monasterio terras, prata, nemora, aquas, redditus & omnes alias possessiones quas ex dono patris nostri habuit & habet, & omnes similiter alias ex aliorum dono quas idem pater noster confirmavit, concedimus & confirmamus: præterea & universas alias præter decessum patris nostri usque ad hæc tempora ab eadem ecclesia acquisitos, quas pater noster ecclesiæ prædictæ nondum confirmavit, similiter concedimus & salvo jure alieno confirmamus: quod ut perpetuæ firmitatis robur obtineat præsentem paginam sigilli nostri authoritate ac regii nominis caractere inferius annotato præcepimus confirmari. Actum apud Fontembleaudi anno ab Incarnatione Domini M. CXC, regni nostri anno XI, astantibus in palatio nostro quorum supposita sunt nomina & signa. Signum comitis Theobaldi dapiferi nostri, S. Guidonis buticularii, S. Matthæi camerarii, S. Radulfi constabularii, data vacante cancellaria.

L X X I I I.

Guido archiepiscopus dat ecclesiam S. Pauli Dei-loco.

GUIDO Dei gratia Senonensis archiepiscopus; 1192. omnibus ad quos literæ istæ pervenerint, salutem. Æquitati consentit ut ea quæ pro zelo Dei fiunt ad utilitatem & incrementum ecclesiarum, perpetua gaudeant firmitate: inde est quod fidelibus omnibus tam præsentibus quam futuris notum fieri volumus, quod consideratione religionis & honestatis domus & fratrum de Dei-loco, donavimus eis ecclesiam S. Pauli de Vanna perpetua fundatione tenendam, salvo per omnia jure ecclesiæ S. Stephani Senonensis. Ut autem hæc nostra donatio rata maneat & inconcussa, eam præsenti charta fecimus annotari, & sigillo nostro muniri. Actum Senonis anno M. CXCII, astantibus

Digitized by Google

nobis ecclesiæ nostræ personis Manasseio archidiacono, Guillelmo thesaurario, Gaufrido præcentore. Data per manum Petri cancellarii.

LXXIV.

Ex authent. *Fundatio B. Mariæ de Campo-benedicto.*

1193. GUIDO Dei gratia Senonensis archiepiscopus; omnibus ad quos litteræ præsentes pervenerint, in domino salutem. Notum fieri volumus universis præsentibus pariter & futuris, quod cum quædam mulieres de illecebris seculi ad viam salutis converti cupientes, in loco qui fuit Lamberti aurifabri prope Pruvinum ad pœnitentiam agendam convenissent habitu religionis assumpto, abbas & conventus sancti Petri de Cella Trecensis & prior S. Aigulphi, in cujus censiva locus ille consistebat, ipsas inde conati sunt expellere. Succedente autem tempore ad preces nostras & nobilis dominæ Mariæ illustris Trecensis comitissæ, prædicti abbas & conventus & prior a vexatione dictarum mulierum cessaverunt, & memoratum locum eis perpetuo possidendum libere & quiete concesserunt, & ut a reclamatione dictorum monachorum immunis omnino persisteret locus ille imperpetuum, viginti & tres denarios & ob... de censu quos ibi percipere solebant, ad voluntatem eorum ipsis alibi assignavit dilectus filius noster Henricus Bursaux canonicus Pruvinensis. Statutum est autem & concessum quod de cætero nichil acquirent præfatæ mulieres in censiva dictorum monachorum sine assensu & voluntate abbatis & conventus S. Petri de Cella. In cujus rei memoriam præsentem chartam notari fecimus, & sigilli nostri authoritate muniri. Actum anno Incarnati Verbi M. CXCIII mense Oct.

LXXV.

Bulla Cælestini in gratiam S. Jacobi Pruvinensis.

Circiter 1193. CELESTINUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Aurelianensi episcopo & dilectis filiis, abbati S. Evurtii & decano Parisiensi, salutem & apostolicam benedictionem. Gravem dilectorum filiorum nostrorum, abbatis & fratrum S. Jacobi Pruvinensis, querelam accepimus quod cum ecclesia sancti Quiriaci Pruvinensis canonicis ipsis concessa fuisset, ut ordo secundum B. Augustini regulam perpetuis ibidem temporibus servaretur. Et felicis recordationis Innocentius papa prædecessor noster sub protectione sua personas & bona ipsorum recipiens ordinis observantiam in eadem ecclesia privilegii sui munimine perpetuo roborasset... Procedente tamen tempore laicali expulsi violentia locum ipsum deserere & in quoddam xenodochium se recipere sunt coacti. Et cum in sacris sit canonibus sub excomunicatione inhibitum, ne loca quæ religiosis semel observantiis deputata noscuntur, ad secularium clericorum cultum & dissolutiores consuetudines reducantur; unde canonici regulariter viventes ejecti sunt, ibidem secularium clericorum conventus per laicalem est potentiam introductus. Cumque memorati regulares coram piæ recordationis Alexandro papa prædecessore nostro suam quondam querelam proposuissent, & ab ipso restitutionis litteras impetrassent, tam literæ restitutionis, quam universa quæ habebant munimenta chartarum & privilegiorum quibus aliquo tempore potuissent inniti, illis ablata fuerunt, & ut nunquam recuperari valerent igne consumpta, cumque tanta eis injuria irrogata fuisset persequentium minis valde conteriti intra se gementes & dolentes nullam fuerunt ausi super tantis violentiis & injuriis hactenus proponere quæstionem. Vestræ itaque discretioni & constantiæ de qua plurimum confidimus, hoc totum negotium committentes per apostolica scripta præ-

A cipiendo mandamus, quatenus accedentes ad locum vel personas ad hoc necessarias ad vestram præsentiam sine dilationis dispendio evocantes, inquiratis diligentius de totius processu negotii, veritatem & Deum solum habentes præ oculis; omni quoque gratia personarum postposita, quod canonicum fuerit super his auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo statuere non tardetis, hujus ita controversiæ litigium terminantes, quod ad nos deinceps non debeat super hoc querimonia reportari. Si qui vero se temere duxerint opponendos, quo minus secundum Deum & mandatum apostolicum in hoc negotio procedatis, ipsos auctoritate nostra sine appellationis obstaculo per severitatem ecclesiasticam a tantæ presumptionis audacia compescatis; quod si B omnes his exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani.... pontificatus nostri anno tertio.

LXXVI.

Altera fundationis charta pro Dei loco. Ex autographo B.M.Escarleiarum.

MICHAEL, Dei gratia Senonensis archiepiscopus, fidelibus universis præsentibus pariter & futuris in perpetuum. Universitati vestræ notum fieri volumus quod Gaucherus de Joviniaco fundavit domum Dullot & servitores ibi manentes instituit, ea conditione quod missa pro defunctis in eodem loco per singulos dies, excepto die Paschæ & Pentecostes & C Natalis Domini, a servientibus ejusdem domus in perpetuum celebraretur prout dictum est; abbas Fontis Johannis & abbas Escarleiarum, quicumque ipsi hoc facerent emendari..... Quod ut ratum in posterum habeatur, præsenti paginæ sigillum nostrum apposuimus, & G. de Joviniaco qui hoc donum fecit suum, anno Incarnati Verbi M. C. XCVI. 1196.

LXXVII.

Charta Willelmi I, archiepiscopi Remensis, pro Joyaco. Ex chartul. Joyacensi.

WILLELMUS, Remorum archiepiscopus, sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli S. Sabinæ cardinalis, omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, in Domino D salutem. Noverit universitas vestra, quod nos diligentius attendentes necessitatem monasterii de Joyaco, & fratrum Cisterciensium qui inibi Domino serviebant, pro nostra & progenitorum nostrorum salute, de assensu & voluntate karissimi nepotis nostri Th. comitis Trecensis, dedimus eis in elemosynam perpetuam centum solidos Pruvinenses in nundinis S. Aigulfi Pruvinensis, in teloneo vini singulis annis percipiendos, ea utique ratione, quod missas privatas quas cum oleo celebrabant, cum cera deinceps celebrabunt. In cujus rei confirmationem & testimonium præsentes literas scribi, & sigillo nostro fecimus communiri. Actum Pruvini, anno ab Incarnatione Domini 1198, mense Octobris. Datum per manum Mathei cancellarii nostri. 1198.

E

LXXVIII.

Litteræ Petri comitis Altissiodorensis, pro Roseto.

EGO Petrus, comes Altissiodorensis & Tornodorensis, notum facio quod Petrus de Curtiniaco pater meus, & Elizabetha mater mea pro salute animæ suæ donaverunt libere ecclesiæ de Roseto quidquid habebant in parochia de Hervavilla & apud Contentum, præter feodum in perpetuum pacifice possidendum & quiete, nullum etiam servitium aut justitiam sibi retinuisse. Hoc autem donum ego & Yolendis uxor mea ratum esse volentes in perpetuum, &c. anno Incarnationis Dominicæ 1203, mense Augusti. 1203.

Digitized by Google

LXXIX.

Sammarth. *Bulla Innocentii III, qua confirmat translationem abbatiæ de Paciaco ad Jardum.*

1204. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & fratribus de Jardo salutem. Intelleximus namque ex litteris venerabilis fratris nostri Petri archiepiscopi Senonensis, quod cum bonæ memoriæ Michael prædecessor ejus, sollicitus de religionis augmento de prioratu Paciaci fecerit abbatiam, tandem carissima in Christo filia nostra Adela illustris regina francorum locum illum respiciens aridum & angustum, abbatiam ipsam ad locum de Jardo, locum videlicet aptiorem, quem opere sumptuoso, miro ædificiorum construxerat apparatu, pia proposuit consideratione transferre, ut tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, in fructus sanctæ religionis uberius germinaret; cujus proposito idem archiepiscopus cum eidem abbatiæ utilitatem necessariam & utilem necessitatem afferret, benivolum impendit assensum; unde ad locum illum abbatia ipsa per eandem reginam ipso consentiente archiepiscopo est translata. Nos igitur ejusdem reginæ precibus quas super hoc nobis devote porrexit, ejusdem etiam archiepiscopi supplicationibus inclinati, abbatiæ translationem ipsius sicut provide facta est, auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Laterani 4 idus Aprilis, pontificatus nostri anno VII.

LXXX.

Sammarth. *Donationes factæ per Adelam reginam abbatiæ de Jardo.*

1206. ADELA, Dei gratia Francorum regina, universis ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem in Domino. Noverint universi præsentes & futuri quod nos pro caritatis intuitu, ob remedium animæ Ludovici mariti nostri quondam Francorum regis, & animæ nostræ, & etiam animæ carissimi filii nostri Philippi Francorum regis, conventui de Jardo dedimus & concessimus in perpetuum domos nostras de Jardo, & quidquid continetur intra ambitum murorum & columbarium, & granchiam quæ sunt extra muros & terram etiam vacuam ante portam prædictarum domorum. Domum etiam cum tota porprisia sua quæ fuit Gaufridi quondam capellani nostri, vineam & domum quæ est in capite vineæ quam nos emimus de presbytero Livriaci; nemus etiam quod emimus de Milone de Cortiriaco quod tenebat de Radulpho de Buciaco, & Radulphus de nobis; molendinum etiam de Vasenon quod emimus de abbatia S. Petri de Meleduno, & de Roberto de Vasenon, & de Gaufrido Marescallo, & decimam quam nos emimus de Roberto Ataliaco quæ est apud Gragiacum, & decimam quam nos emimus de Adam Rigaut, quæ est apud Jardum. Præterea dedimus prædicto conventui sex libras Parisienses censuales videlicet sexaginta solidos in censu de Rubella, solvendos ipsa die Purificationis B. Mariæ annuatim, & alios sexaginta solidos in censu mercati Meledunensis annuatim reddendos in ipsa vigilia B. Johannis Baptistæ. Actum Incarnati Verbi anno M. CC. VI.

LXXXI.

Sammarth. *Philippus rex clerum Senonensem rogat ut summo Pontifici adversus Imperatorem opem ferat.*

1211. ARCHIEPISCOPO Senonensi, suffraganeis ejus, & omnibus abbatibus, prioribus, &c. in Senonensi provincia constitutis. Auditis calamitatibus sanctæ Romanæ ecclesiæ matris nostræ, ad petitionem domini Papæ nos requirimus & rogamus, ut eidem patri nostro tantum & tale auxilium faciatis contra Othonem, qui ut ejusdem domini Papæ verbis utamur, dicitur Imperator, quod ipse & nos cum ipso ad grates vobis uberrimas teneatur. Quod ut melius possitis facere, sciatis quod vos a servitio quod nobis debetis, in magna parte temporis vos relaxabimus, nisi quod Deus avertat, idem Otho cum magna gente, super nos & regnum nostrum veniret, vel tantam ac talem gentem mitteret, quod apparens esset, quod nobis & regno nostro nocere posset. Magistrum igitur Reginaldum, dilecti nostri domini Papæ capellanum, cui ipse hoc commisit negotium ad vos mittimus, vos rogantes, ut super precibus domini Papæ & nostris, tantum faciatis, quod tam ab ipso, quam a vobis mereamini & amplius diligi, & non immerito commendari. Parisiis M. CC. X. mense Martio.

LXXXII.

Reliquiæ S. Lupi monachis S. Columbæ assertæ adversus competitores monachos S. Petri.

INNOCENTIUS III, &c. .... Dilecti filii abbas 1212. & conventus sanctæ Columbæ Senonensis nobis conquerendo monstrarunt quod licet in ecclesia sua totum corpus B. Lupi confessoris, archiepiscopi Senonensis, una cum capite requiescat sicut per authenticum bonæ memoriæ Hugonis Senonensis archiepiscopi, qui convocatis quibusdam episcopis & clero & populo adunatis, ipsum corpus ac caput omnibus astantibus demonstravit, evidenter apparet, abbas tamen & monachi sancti Petri vivi Senonensis in ipsorum gravamen per prædicatores suos caput & quædam membra confessoris ipsius esse apud quemdam prioratum suum, videlicet S. Lupum de Naudo, per episcopatus longe lateque diffusos faciunt publice nuntiari, quod quidem est a veritate penitus alienum. Quia igitur falsitas tolerari non debet sub velamine pietatis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus memoratos abbatem & monachos ut ab hujusmodi præsumptione desistant auctoritate nostra moneatis attentius & efficaciter inducatis, ipsos ad hoc si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cognita veritate cogentes, cum nec saluti, nec famæ congruat eorumdem quæstum acquirere de prædicatione mendacii. Nullis literis veritati, &c. a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes, &c. duo vestrum ea, &c. Datum Laterani 11 idus Martii, pontificatus nostri anno decimo quinto.

LXXXIII.

Revelatio & translatio corporis S. Potentiani.

PETRUS, Dei gratia Senonensis archiepiscopus, 1218. Willelmus Autissiodorensis, Herveus Trecensis, Willelmus Meldensis & Willelmus Nivernensis, eadem gratia episcopi, omnibus ad quos præsentes literæ pervenerint, perpetuam in Domino salutem. Ne quandoque dubitationis nubilo veritas obfuscetur, universis præsentibus & futuris notum fieri volumus quod quarto kalendas Augusti in ecclesia S. Petri vivi Senonensis, in præsentia nostra facta est revelatio SS. corporum beatorum Martyrum Potentiani & Altini sociorum beatissimi Saviniani Senonensis archiepiscopi, quæ etiam per manus nostras translata sunt in quamdam capsam eadem die anno Domini millesimo ducentesimo octavo decimo. Nos autem de misericordia Jesu Christi & beatæ Mariæ Virginis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli omniumque Sanctorum meritis confidentes, omnibus Christi fidelibus qui vere pœnitentes suas eleemosynas caritative eidem

eidem ecclesiæ contulerint ab octabis beatæ Mariæ Magdalenæ usque ad septem dies sequentes ob venerationem eorumdem sanctorum, septem dies de injunctis sibi pœnitentiis, vota fracta si ad ea redierint, peccata oblita, offensas patrum & matrum sine manuum injectione, misericorditer relaxamus. In cujus rei memoriam præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Datum anno gratiæ millesimo ducentesimo octavo decimo tertio calendas Augusti.

LXXXIV.

Instrumenta spectantia ad Villariense monasterium.

1220. NOtum sit omnibus præsentibus & futuris, quod nos abbas & conventus ordinis Prædicatorum Parisiis commorantium, concessimus fratri Bononi de sancto Antonio, Parisiis capellano, dispensationem domus & decimarum nostrarum quas habemus ad Feritatem, ita quod quidquid prædictus frater Bono inde fecerit, ratum habemus. Actum ab Incarnatione Domini 1220, pridie calendas Aprilis.

1220. OMnibus præsentes litteras inspecturis, Petrus divina gratia Senonensis archiepiscopus, in Domino salutem. Noverint universi quod nos ad petitionem Amiciæ nobilis feminæ dominæ Britolii, concedimus ut fundetur abbatia monialium apud Villiers, ita quod conventus monialium ibidem Deo servientium tenebit in perpetuum decimas omnes, quas ibi tenuerunt canonici de ordine Prædicatorum de dono bonæ memoriæ Johannis Briardi, salvo jure presbyteri parochialis, qui coram nobis concessit ut ibidem fundetur abbatia supradicta. Actum anno gratiæ 1220, mense Maio.

1225. UNiversis, &c. Frater Petrus prior de ordine Prædicatorum, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum dominus Johannes Briardi quondam bonæ memoriæ de voluntate & consensu nobilis dominæ Amiciæ uxoris suæ nobis dedisset & concessisset omnes decimas suas quas habebat apud Villiers tam in blado quam in vino in perpetuam eleemosynam possidendas; & nos post donationem ab eisdem nobis factam per aliquantum tempus dictas decimas possedissemus & fecissemus trahi, tandem nos permanentes in eadem possessione dictarum decimarum de Villiers pacifica, quieta & libera, utentes bonorum virorum consilio, considerantes statum paupertatis esse & majoris meriti, & sanioris consilii, & minoris sollicitudinis, ponentes consilium vitæ nostræ præsentis pariter & futuræ in divini provisione auxilii, possessiones temporales adjudicavimus nobis non retinere. Dictas autem possessiones de Villiers, decimas scilicet quas sicut dictum est, de dono bonæ memoriæ Johannis Briardi tenebamus, & domum nostram quam ibidem habebamus, dedimus & concessimus ad opus abbatiæ monialium Cisterciensis ordinis in eodem loco fundandæ, consilio domini Bononis de sancto Antonio, quem Bononem de dictis domo & decimis investivimus nomine earumdem, conferentes de communi consensu totius capituli nostri ipsis monialibus, ut ibidem Deo liberius vacare liceret, plenarie totum jus nostrum quicquid habebamus vel habere debebamus in dictis decimis & domo perpetuo possidenda. Nos autem adhuc in eodem proposito perseverantes, dictis monialibus ibidem jam commorantibus concedimus, donamus & confirmamus etiam nunc omne jus nostrum, vel si quid habuimus, vel si quid adhuc habemus, vel quod habere debuimus vel debemus, tam proprietatis quam possessionis, in dictis domo & decimis, donationem a nobis factam dictæ abbatiæ sigilli nostri capituli munimine roborantes anno Domini 1225.

LUDOVICUS, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus quod nos litteras Johannis Briardi inspeximus in hæc verba: Universis tam futuris quam præsentibus, ad quos pervenerit hæc præsens pagina, notum fieri volumus, quod ego Johannes Briardi dominus Brotolii assensu & voluntate Amiciæ uxoris meæ, pro salute animæ nostræ & parentum nostrorum, dedi & concessi abbati & confratribus sancti Romani de ordine Prædicatorum, omnes decimas meas quas habeo apud Villiers, scilicet annonam & vinum in perpetuum annuatim possidendas, & etiam in terris & in vineis meis propriis de quibus fructus accipio, similiter decimas habebunt. Nuncii vero dictorum fratrum in autumnum ibunt per campos cum serviente meo fœderati sacramento, quod tot gerbas quot pro campi parte mea habuerunt, tot habebunt de decima, & decimam vini sicut ego in vineis meis recipiebam ita & ipsi habebunt, & quadrigis suis istas decimas trahere facient. Istud donum voluit & laudavit dominus Senonensis archiepiscopus, & fratribus confirmavit. Quod si aliquis rebellis dictam decimam reddere noluerit, per laïcam justitiam a dicto Johanne vel a suis heredibus eis reddere compelletur. Volens autem quod esset stabilis hæc eleemosyna, nec timeret calumniam, eam feci mandari litteris, & sigilli mei munimine confirmari. Actum anno Domini 1218, mense Februario. Prior autem sancti Jacobi Parisiensis in nostra præsentia constitutus, concessionem & donationem, sicut superius continetur, abbatiæ Villari pro se & capitulo ordinis Prædicatorum concessit & quittavit in perpetuum, & quittationem illam factam esse in capitulo testificatus est coram nobis. Nos autem dictam quittationem & concessionem volentes, eam, sicut superius contenta est, approbamus, & quia res de nostro feodo est, præsente pagina confirmamus. Actum Parisius anno 1233, mense Maio. 1233.

LXXXV.

Constructio prioratus S. Columbæ Senonensis in territorio Villæ-novæ comitis ad Molenas.

EGO TH. &c. Notum, &c. quod dilectus meus Odo venerabilis abbas S. Columbæ Senonensis, in territorio Villæ-novæ comitis ad Molenas, prioratum de novo constituit. Ego intuitu Dei & ad preces prædicti abbatis, dedi in perpetuam eleemosynam eidem prioratui, dimidium arpentum terræ ad arpentum ejusdem villæ mensurandum circa monasterium, ubi ad ampliandas ejusdem prioratus prout melius expediat officinas. Anno Domini M. CC. XXII. 1222.

LXXXVI.

Robertus de Curtiniaco eligit sepulturam apud Fontem Johannis.

EGO ROBERTUS de Curtiniaco, notum facio præsentibus & futuris quod ego elegi mihi locum sepulturæ in domo fontis Johannis, quam prædecessores mei fundaverunt & donis suis ampliaverunt, & ubi jacet dominus Milo Curtiniaci. Insuper astrinxi Deo me, & matri ejus, & abbati Severino & conventui dictæ domus, ne voluntatem istam & propositum valeam de cetero commutare; & quia scio me læsisse fratres ejusdem domus in clausura quam feci in burceio ubi usuarium habebant, concedo eis & super hoc me astringo Deo & matri ejus & ipsis, quod de cetero extra clausuram illam & haiam siccam non ædificabo, nec faciam clausuram, nec aliquam extirpaturam, nec ego, nec alius de concessione vel permissione mea, vel alicujus successorum meorum. Præterea recognosco eis quod omnia quæ hodie possident libere tenent ab omni consuetudine ad me 1225.

pertinente, salvis censibus meis & Banco-castri Renardi. Recognosco etiam eis quod rivus qui tempore pluviali currit inter Burceium & nemora eorum, est divisio Burceii & nemorum eorum; & concedo eis ut ibi faciant fossatum quantum ad me pertinet, salvis originalibus viis. Ipsi quoque abbas & conventus Fontis Johannis concesserunt mihi ut prædictæ clausura & haia libere remaneant mihi & successoribus meis ab omni consuetudine ad eos pertinente ad omnem voluntatem meam faciendam. Et ego concessi eis ut planum & plenum & pacificum habeant usuagium ad omnia præter quercum & fagum in toto residuo Burceii præter clausuram & haiam supra dictas. Super hoc me astringo Deo, & matri ejus, & ipsis. Quæ omnia ut in perpetuum rata permaneant, ego & abbas Severinus scriptum istud sigillis nostris fecimus confirmari anno gratiæ M. CC. XXV.

LXXXVII.

Ex tabulario.

De fundatione Gaudii.

1230. LUDOVICUS, Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod nos dilecti & fidelis nostri Philippi de Nemosio precibus annuentes, eidem decem arpenta terræ de terra quam idem Philippus tenet de nobis apud Nemosium, in locis quæ dicuntur clausum & salceia, concessimus & quittavimus in perpetuum ab omni servitio & redibitione quantum ad nos vel heredes nostros libera & quieta, ad dandum in eleemosynam, & ad fundandum ibidem quandam sanctimonialium Cistercienfis ordinis abbatiam. In cujus rei testimonium præsentem paginam sigilli nostri auctoritate fecimus roborari. Actum apud Vicenas, anno Domini M. CC. XXX, mense Februario.

LXXXVIII.

Donum collatum domo Dei Pruvinensi.

1232. UNiversis præsentes litteras inspecturis, Petrus, Dei permissione S. Jacobi Pruvinensis dictus abbas, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod in nostra præsentia constituta carissima mater nostra domna Margareta de Sergines nobilis mulier dedit pauperibus domus Dei Pruvinensis ante fontem unam minam frumenti annui redditus, & unum obolum census super dimidium arpentum terræ situm in clauso comitis apud Fontanelles in die fidelium defunctorum persolvendum, quam vineam Johannes Munerius tenet. Hanc vero eleemosynam fratres nostri Gaufridus de Sargines & Droco milites ejusdem filii laudaverunt & concesserunt. Quod ut ratum & firmum permaneat, præsentes litteras ad petitionem partium sigilli nostri munimine duximus roborandas. Actum anno Domini M. CCXXXII.

LXXXIX.

Fundatio Gaudii.

1233. OMNIBUS ad quos præsentes litteræ pervenerint, Philippus dominus Nemosii, salutem. Præteritarum rerum notitia oblivisci potest de facili, nisi litterarum memoriæ commmendetur. Noverint ergo universi quod nos ex bonorum virorum consilio, reverendi patris Galteri videlicet archiepiscopi Senonensis & quorumdam fratrum Prædicatorum & ex assensu & voluntate Aglentinæ uxoris nostræ in loco juxta Nemosium sito, qui tunc temporis Salceia dicebatur, quamdam albarum monialium abbatiam fundavimus, quæ B. Mariæ de Nemosio nuncupatur. Ad augmentationem itaque dicti loci, qui ad fundandam abbatiam minime sufficiens videbatur, quasi duo arpenta terræ quæ juxta dictum locum diversi A homines possidebant, acquisivimus ab eisdem.... Illa autem quæ a dictis hominibus acquisivimus, in abbatiæ porprisia continentur. Dedimus etiam & concessimus monialibus dictæ abbatiæ in perpetuam eleemosynam quidquid nos & hæredes nostri tam in loco qui Salceia dicebatur, quam in locis juxta illud ut diximus acquisitis percipere consueveramus, ita ut dictæ moniales omnia supradicta ab omni jurisdictione & redhibitione qualibet libera, quieta & pacifica possiderent, sicut continetur in litteris illustrissimi Francorum regis Ludovici, a nobis super hoc impetratis. In perpetuæ igitur communitionis firmamentum tam præsentem paginam, quam ea quæ in præsenti pagina sunt scripta sigilli nostri authoritate confirmamus. Actum anno M. CC tricesimo tertio B mense Julio.

XC.

Ex tabulario.

Gaudium ordini Cisterciensi associatur.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis frater G. Prulliacensis, frater M. Sacri-portus & frater B. Sacræ-cellæ dicti abbates Cisterciensis ordinis, salutem & veritatis testimonium acceptare. Cum nobis capitulum generale injunxerit inspectionem abbatiæ B. Mariæ de Nemosio, nos ad dictum locum accedentes personaliter & invenientes, quod dicta domus tam in redditibus quam in ædificiis satis sufficienter ad tempus sit fundata, eamdem abbatiam ordini nostro associavimus authoritate capituli generalis, & eidem domui C ejusque benefactoribus omnium bonorum nostri ordinis plenariam concessimus participationem. In cujus rei memoriam & testimonium litteris præsentibus sigilla nostra duximus apponenda. Actum anno Domini M. CCXXXVI mense Decembri. 1236.

XCI.

Galterus archiepiscopus ratam habet translationem canonicorum regularium e sancto Quiriaco ad S. Jacobum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Galterus Dei gratia Senonensis archiepiscopus omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. 1237.
D Noverint universi quod nos vidimus & inspeximus diligenter litteras Hugonis archiepiscopi, piæ recordationis prædecessoris nostri in hæc verba: in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Hugo Senonensis archiepiscopus tibi Mathæe S. Quiriaci decane, totique ejusdem ecclesiæ conventui in perpetuum notum fieri volumus tam futuris quam præsentibus, quod cum a bonæ memoriæ papa Adriano, una cum Theobaldo Parisiensi, & Manasse Aurelianensi episcopis suscepissemus mandatum, ut si illustrem comitem Henricum & canonicos regulares in ecclesia vestra S. Quiriaci tunc commorantes de loci commutatione & redditiuum recompensatione, concordes inveniremus, authoritate apostolica & nostra in præsentia virorum religiosorum qui nobiscum affuerunt E in ipso negotio, ad locum religioni commodiorem faceremus transmigrare. Qua de re, cum per omnia, tam de possessionum recompensatione, quam de loci mutatione, Odonem qui tunc erat abbatem, & ejus canonicos regulares concordes cum comite invenissemus, ecclesiam S. Quiriaci cum omni integritate libertatum, consuetudinum, possessionum quas ab antiquis retro temporibus habuisse dignoscitur, exceptis illis quæ in transmigratione regularium asserunt, libere, quiete & pacifice in perpetuum habendam, vobis juxta apostolicum mandatum restituimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum, juste & canonice ecclesia vestra possidet, aut in futurum concessione, donatione,

Digitized by Google

emptione, justis modis acquirere poteritis, firma vobis A vestrisque successoribus & illibata permaneant. Libertates quoque quas usque ad nostra tempora ipsa ecclesia videtur habere, vobis authoritate metropolitana, absque contradictione aliqua, concessimus habendas in perpetuum, scilicet quod vos canonici & vestri clerici ab omni synodali conventu, & a Senonensium archiepiscoporum, ministrorumque suorum justitia immunes penitus existatis; ita tamen quod decano vestro tanquam filii in omnibus obediatis, & per ipsum in capitulo vestro, causis exigentibus, perfectæ justitiæ subdamini. Denique neque nobis aut successoribus nostris, neque cuiquam ministrorum nostrorum, nihil unquam vos aut clerici vestri, ex debito stipendii persolvetis, excepto quod singulis annis in synodali conventu, qui est in octavis B Paschæ, pro universis ecclesiis quæ in vestris parochiis continentur, duodecim solidos sub nomine censûs reddetis. Præterea ob prædicti martyris reverentiam, ob ipsius comitis Henrici gratiam, ad ecclesiæ vestræ ampliationem, talem vobis concessimus libertatem, ut fratres ibidem in Dei servitio commorantes, nunquam nostro, vel ministrorum nostrorum, sive successorum nostrorum interdicto, a divino cessent officio, nisi forte in nostra Senonensi sede, quod amplioris districtionis exercendæ gratia contingere solet, & signorum sonitus, & divinum publice intermittatur officium. Hæc autem omnia, ut firma permaneant & illæsa in perpetuum, authoritate metropolitana vobis duximus confirmanda. Ad hæc libertatem quam prænominatus comes tibi decano suc- C cessoribusque tuis concessit; scilicet quod liceat vobis quoslibet de hominibus comitis in dominio Pruvini, qui sine ejus licentia ad clericatum promoveri non possunt manumittere, & eos clericatus officio sine contradictione aliqua libere deputare, tibi & per te, successoribus tuis, sicut vobis ab eodem comite est concessum nihilominus confirmamus. Statuimus præterea ut intra terminos parochiarum vestrarum, nullus ecclesiam novam absque vestro consensu audeat ædificare. Decedente vero te, nunc ejusdem loci decano, vel tuorum quolibet successorum substituendus, a fratribus eligatur, electus vero metropolitano Senonensi in sede propria præsentetur, ubi curam totius ecclesiæ & fratrum absque ulla pravitatis intentione & dilatione, liberam quoque ac ple- D nariam, beneficia ejusdem pariter & officia ordinandi simul ac distribuendi secundum domini facultatem, cum prompta hominii exhibitione, & debita obedientiæ reverentia de manu archiepiscopi in beneficio recipiat. Actum publice Senonis in palatio nostro, anno ab Incarnatione Domini M. C L X, pontificatus vero nostri XVIII. Assistentibus ecclesiæ nostræ personis, & de canonicis quibusdam, quorum nomina in rei testimonium fecimus annotari. Guillelmus Senonensis archidiaconus, Hervæus præpositus & Gastinus archidiaconus, Simon thesaurarius, Odo decanus, Simon cellerarius & Stampensis archidiaconus, Robertus theologus, Petrus Jobertus diaconi & canonici, Simon Burchardus de Braio, Stephanus de . . . . . . Odo de Castellione subdiaconi & canonici, & alii multi ex ipsis. Ut autem hoc ratum & E inconcussum permaneat, præsentis scripti paginam communiri & sigilli nostri authoritate fecimus roborari. *Nos igitur dicti prædecessoris nostri in bonis operibus vestigia audentes imitari, & ob reverentiam B. Quiriaci martyris, hæc omnia authoritate metropolitana innovamus, & innovata confirmamus. Quod ut ratum & firmum permaneat, præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo, mense Februarii.*

XCII.

Fundatio B. Mariæ virginis de Monte prope Pruvinum. *Ex authentico.*

GALTERUS, Dei gratia Senonensis archiepiscopus; omnibus præsentes litteras inspecturis, salutem in domino. Scripsimus dilectis filiis G. abbati S. Jacobi & F. decano B. Mariæ de valle Pruvinensi, ut ipsi vice nostra audirent donationem quam Johannes Boverius clericus fecerat de bonis suis dilectis in Christo abbatissæ & conventui de Monte B. M. juxta Pruvinum ad fundationem abbatiæ memoratæ, & consensus & quitationes eorum super hoc requirerent qui in bonis eisdem possent aliquid reclamare; & quod invenirent nobis per suas patentes litteras intimarent, qui postea nobis rescripserunt sub hac forma: reverentissimo patri ac domino G. Dei gratia Senonensi archiepiscopo, G. abbas S. Jacobi & F. decanus B. M. Pruvinensis salutem & obedientiam debitam & devotam. Noverit paternitas vestra quod Johannes Boverius in nostra præsentia constitutus ad fundandam abbatiam monialium ordinis Cisterciensis de Monte nostræ Dominæ juxta Pruvinum, dedit libere & quitavit pro remedio animæ suæ & fratris sui, & patris & matris eorum, & aliorum amicorum suorum de propria hereditate sua vineam totam propinquam abbatiæ supradictæ quæ est inter dictam abbatiam & Pruvinum, & omnes terras quæ sunt inter dictam vineam & dictam abbatiam, & porprisiam totam ipsius abbatiæ, & totum ortum ipsius abbatiæ contiguum usque ad campum qui dicitur Hatonis, quæ omnia dictus Johannes Boverius libere & absque debito census, & cujuscumque alterius oneris possidebat. Insuper dedit dictus Johannes dictæ abbatiæ terras quæ sunt ante portam ejusdem abbatiæ quas æstimabat habere septem arpenta, & duo arpenta quæ sunt juxta terram Godefridi l'*Archelier*, cujus terræ censum abbas & conventus sancti Petri de Cella Trecensis dicto Johanni quitaverunt, sicut in eorum litteris continetur; insuper dedit idem Johannes dictæ abbatiæ omnes terras quas possidebat, quæ sunt sitæ in loco qui vocatur Valhodeoi, quæ æstimabantur habere arpenta viginti; hæc autem omnia & quicquid juris in eis habebat, dedit dictus Johannes dictæ abbatiæ in perpetuum possidenda. Huic autem donationi consenserunt, & omnia prædicta libere quitaverunt coram nobis Bartholomæus frater dicti Johannis & Amelina soror ejusdem, & maritus ejusdem Amelinæ, & Aaliz soror dicti Johannis. Hæc autem, quia placuit vobis, paternitati vestræ duximus intimanda, valeat paternitas vestra. Actum anno Domini M. CCXXXVI, mense Julio, in vigilia B. Jacobi apostoli. Nos itaque quæ in prædictis litteris vidimus contineri, rata & grata habentes ea sigilli nostri auctoritate duximus confirmanda. Datum apud Naiiff, anno Domini M. CCXXXVI, mense Februario, in festo cathedræ S. Petri. 1237.

XCIII.

Donum Gaudio factum. *Ex tabulario.*

OMNIBUS ad quos litteræ præsentes pervenerint, frater Michaël dictus abbas Sacri-portus & ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Notum facimus quod nos ad preces illustris dominæ B. Dei gratia Franciæ reginæ, dedimus & concessimus monialibus de Nemosio Cisterciensis ordinis, decem arpenta terræ arabilis in ripparia Nemosii sita, ab eisdem monialibus libere & pacifice in perpetuum possidenda. Quod ut ratum sit & firmum in posterum, præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M. CCXLII, mense 1242.

Digitized by Google

Decembri. Hanc donationem confirmavit O. abbas A Prulliaci eodem anno, mense Januario.

X C I V.

Unio & incorporatio monasterii S. Dominici prope Montem Argisum ordini Prædicatorum.

1245. & 1283. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, officialis Senonensis, salutem in Domino. Notum facimus quod nos litteras apostolicas ad præsentes bullatas, ut prima facie apparebat, vidimus in hæc verba. Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus priorissæ ac sororibus monasterii S. Dominici juxta Montem Argi Senonensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum, B sicut dilecta in Christo filia nobilis mulier Amicia de Joingniaco & Galtherus natus ejus vestri monasterii fundatores in nostra proposuere præsentia constituti, vos inclusæ corpore in castris claustralibus mente tamen libera secundum ordinem fratrum prædicatorum desideratis domino famulari, nos earumdem nobilium ac devotionis vestræ precibus inclinati, vos & monasterium vestrum incorporantes ordini supradicto, præsentium auctoritate statuimus ut sub magisterio & doctrina magistri & prioris provincialis Franciæ dicti ordinis, qui pro tempore fuerit, de cætero maneatis, illis gaudentes privilegiis quæ ordini prædicto ab apostolica sede concessa sunt, vel in posterum concedentur. Magister & prior, contraria constitutione ipsius ordini vel indulgentia ab C apostolica sede obtenta, seu etiam obtinenda nequaquam obstantibus animarum vestrarum sollicitudinem gerentes & curam, ac vobis constitutiones ejusdem ordinis sine difficultate qualibet exhibentes, eidem monasterio per se vel alios fratres sui ordinis quos ad hoc viderint idoneos, quoties expedierit officium visitationis impendant, corrigendo & reformando ibidem tam in capite quam in membris quæ correctionis seu reformationis officio possunt indigere, instituant & destituant, mutent & ordinent, prout in aliis monasteriis monialium ejusdem ordinis fieri consuevit. Electio tamen priorissæ libere pertineat ad conventum. Confessiones vestras audiant & ministrent vobis ecclesiastica sacramenta; & ne pro eo quod in monasterio vestro ipsius ordinis fratres resi- D dere continue non tenentur, pro defectu sacerdotis possit periculum imminere, prædicti magister & prior ad confessiones in necessitatis articulis audiendas & ministranda sacramenta prædicta vobis deputent aliquos discretos & prudentes capellanos. Ad hæc liceat vobis reditus & possessiones recipere, ac ea libere retinere, non obstante contraria consuetudine, seu statuto ipsius ordinis confirmatione sedis apostolicæ, aut quacumque alia firmitate roboratis, necnon administrationi præfati magister & prior præficiant aliquos viros idoneos, ipsosque inde removeant & substituant alios, prout viderint expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri E & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni VI idus Aprilis, pontificatus nostri anno secundo. Quod autem in prædictis litteris vidimus contineri de verbo ad verbum conscribi fecimus, & sigillo curiæ Senonensis, salvo jure cujuslibet, sigillari. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo tertio, die Mercurii ante festum beatæ Mariæ-Magdalenæ.

X C V.

Gilo confirmat indulta a decessore Hugone Maurigniacensibus. *Ex Chartario Maurigniac.*

GILO Dei gratia Senonensis episcopus; 1247. universis præsentes litteras inspecturis, in Domino salutem. Notum facimus nos literas felicis memoriæ Hugonis prædecessoris nostri vidisse & inspexisse in hæc verba: Hugo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, dilecto filio Landrico venerabili Maurigniacensis ecclesiæ abbati & successoribus ejus in perpetuum. Cum ex injuncto nobis officio pontificatus a Deo esse debeamus omnibus qui nobis subjecti sunt debitores, potissimum religiosis ecclesiis quæ in nostro consistunt ministerio providere habemus, earumque necessitates, pro eo quod tempora periculosa sunt, nos convenit sollicitudinis oculo contueri, & eis auxilii nostri præbere levamen. Eapropter, carissime fili Landrice abbas, petitioni tuæ, qua nos humiliter rogasti ut videlicet ecclesias, in quibus præsentationes presbyterorum habere dignoscitur ecclesia Maurigniacensis, tibi confirmaremus, benigne assentientes pro Dei amore ac pro tua & ecclesiæ tuæ cui ad præsens domino annuente præsides devotione, easdem ecclesias, quas propriis duximus exprimendas vocabulis, præsentis scripti pagina & sigilli nostri auctoritate tibi & successoribus tuis confirmamus & communimus, ecclesiam S. Martini de Stampis veteribus, ecclesiam S. Ægidii de Foro, ecclesiam S. Germani de Maurigniaco, ecclesiam S. Stephani de Estrichiaco, ecclesias de Firmitate & ecclesiam S. Petri de Semiaco. Actum est Senonis, anno ab Incarnatione Domini M. CLXI, pontificatus autem nostri XIX, astantibus in ecclesia nostra personis, quarum nomina duximus annotanda, Guillelmus Senonensis archidiaconus, Simon thesaurarius, Odo decanus, Mathæus præcentor, Simon cellerarius & Meledunensis archidiaconus, Hugo de Avalone Pruvinensis archidiaconus, nullo præposito ecclesiæ Senonensis, nulloque existente Stampensi archidiacono; Fromundus notarius scripsit. Quæ autem in eisdem litteris vidimus contineri verbo ad verbum fecimus annotari, ratum habentes & gratum quidquid in præscriptis litteris continetur. Et ut firmitatis robur obtineat, nos auctoritate metropolitana eadem confirmantes, præsentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas. Actum apud Maurigniacum, anno Domini M. CCXLVII, mense Augusto.

X C V I.

Carta fundationis abbatiæ Lilii.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1248. Ludovicus Dei gratia Francorum rex; universis præsentem paginam inspecturis, salutem. Firmiter credimus fore promeritorium fidelibus ad salutem diligere locum habitationis gloriæ Domini cum Propheta, & cum eo orare, ob hoc a perditione retrahi iniquorum. Cum igitur in hac flebili vita difficile sit homines occasiones mortis innumeras evitare, nos ob divinum auxilium nobis acquirendum, per quod & a sæculo præsenti felices sortiri egressus, & post modum frui possimus deliciis paradisi, ad honorem Omnipotentis Dei & gloriosissimæ semper Virginis matris ejus, omniumque sanctorum, quoddam monasterium fundavimus & ædificari fecimus, ac erigi de bonis regiis juxta Meledunum in Senonensi diœcesi, collocantes in eo moniales Cisterciensis ordinis, ut ibidem pro salute animæ nostræ & animarum piæ recordationis Ludovici quondam regis Francorum, genitoris nostri & charissimæ dominæ

matris nostræ Blanchæ Franciæ reginæ illustris, necnon & antecessorum nostrorum serviatur in perpetuum omnium conditori: quod quidem monasterium B. Mariam decrevimus nominandum; donavimus etiam in perpetuum & concessimus abbatiæ memoratæ, ac personis ibidem Deo servientibus, ac in posterum servituris, locum ipsum cum fundo in quo sunt sita, monasterium, dormitorium, refectorium, celerium & omnia ac singula ædificia infra ambitum murorum contenta, cum eisdem ædificiis & muris sicuti se proportant circumquaque in latum & in longum dextrorsum & sinistrorsum, quæ omnia acquisieramus de nostris bonis, volentes & concedentes quod abbatissa & moniales dicti monasterii prædicta omnia & singula ut puram perpetuam & omnino liberam eleemosynam ac tanquam rem suam & sui monasterii prædicti propriam possideant in perpetuum libere & quiete secundum constitutionem Cisterciensis ordinis regularem. Donavimus etiam eidem abbatiæ monialibus ibidem Deo servientibus, & in posterum servituris, viginti quinque modios bladi hibernagii ad mensuram Senonensem singulis annis in perpetuum capiendos in granariis nostris Senonensibus in festo Omnium Sanctorum, & centum libras parisienses capiendas in præpositura nostra Senonensi singulis annis in perpetuum ad terminum Candelosæ per manum præpositi nostri qui pro tempore fuerit, ita quod singulis diebus quibus a solutione prædicta defecerit post terminum supradictum, tenebitur reddere monialibus prædictis quinque solidos parisienses pro pœna; insuper eidem abbatiæ & monialibus dedimus quinquaginta quatuor modios avenæ ad mensuram Gastinensem singulis annis in perpetuum capiendos in avenis nostris Gressii & capellæ reginæ in festo Omnium Sanctorum, & ducenta arpenta nemoris in foresta nostra Bieriæ, in loco qui dicitur Cauda de Pertes, sicut mensurata sunt & signata in perpetuum possidenda, ita quod de dicto bosco suam omnino poterunt facere voluntatem. Dedimus etiam abbatiæ & monialibus supradictis apud Meledunum & Corbolium, quæ sunt de dotalitio charissimæ dominæ & matris nostræ reginæ, de assensu & voluntate ipsius, triginta modios avenæ & decem modios mistolii, quinque modios frumenti ad mensuram Meleduni capiendos singulis annis in perpetuum in bladis & avenis nostris Meleduni in festo Omnium Sanctorum, & 55 libras parisienses capiendas singulis annis in perpetuum in præpositura nostra Meleduni ad terminum Candelosæ, & 50 libras parisienses similiter singulis annis in perpetuum in præpositura nostra Corbolii capiendas ad terminum supradictum per manus præpositorum nostrorum Meleduni & Corbolii qui pro tempore fuerint, sub pœna supradicta. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisius anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, mense Junio, regni vero nostri anno vigesimo secundo, astantibus in palatio nostro, quorum supposita sunt & signa, dapifero nullo. Signum Stephani buticularii, sig. Johannis camerarii, constabulario nullo.

XCVII.

Interpretatio bullæ Innocentii IV per eumdem pontificem.

1248. INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis . . . magistro & . . . priori provinciali Franciæ ordinis Prædicatorum, salutem & apostolicam benedictionem. Licet in litteris quas nuper vobis pro monasterio monialium S. Dominici prope Montem Argi Senonensis diœcesis, ad instantiam nobilis mulieris Amiciæ de Courteniaco, & nobilis

A Galteri nati ejus ipsius monasterii fundatoris direximus, duxerimus statuendum ut magister & prior provincialis Franciæ & vestri ordinis, qui pro tempore fuerunt, priorissæ & sororibus ejusdem monasterii, constitutiones prædicti ordinis sine difficultate qualibet studeant exhibere; nostræ tamen intentionis non extitit ut per hoc eis exhibeantur aliæ constitutiones ipsius ordinis, nisi illæ solum quæ monialibus competere dinoscuntur. Datum Lugduni nonis Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

XCVIII.

Henricus archiepiscopus homagium facit regi pro domo de Noolon.

B HENRICUS permissione divina Senonensis archiepiscopus. Notum facimus quod nos recepimus in feodum ab excellentissimo nostro Ludovico Dei gratia Francorum rege illustri, domum *de Noolon* quam habemus ex permutatione & venditione quas Gilo *de Noolon* armiger, & Alpesia ejus uxor nobis fecerunt; & fecimus sibi de eadem homagium ligium contra omnes homines & fœminas qui possunt vivere & mori; tenemurque nos & successores nostri archiepiscopi Senonenses, eamdem domum præfato regi & successoribus suis regibus, vel eorum mandato tradere ad magnam vim & ad parvam, quotiescumque super hoc fuerimus requisiti; & si eamdem nos vel successores nostros archiepiscopos Senonenses, C dicto regi vel successoribus ejus regibus Franciæ, propter hoc tradere contigerit, dictus rex vel successores reges Franciæ, cum eam tenuerint, quamdiu sibi opus fuerit, tenentur eam reddere nobis & successoribus nostris archiepiscopis ita bene munitam, ut eamdem recipient a nobis vel successoribus nostris archiepiscopis Senonensibus. Tempore vero regalium tenebunt idem rex & successores præfatam domum *de Noolon* cum universis pertinentiis, & sicut alia jure regalium ad ipsos jure pertinentia percipient, & habebunt fructus, exitus ac proventus ipsius domus ac pertinentiarum. Tempore etiam regalium utentur rex & successores piscibus fossatorum & salvatoriorum ad dictum manerium spectantium, eo modo quo piscibus aquarum ad dicta regalia spectantium, tempore regalium uti debent. Nos autem & succesD sores nostri archiepiscopi Senonenses debemus ex concessione dicti regis nobis facta, præfatam domum cum omnibus pertinentiis ejus tenere libere & pacifice in perpetuum, absque aliquo servitio, pro ipsa domo vel ejus pertinentiis, sibi vel ejus successoribus regibus Franciæ a nobis, vel a nostris successoribus archiepiscopis Senonensibus faciendo, excepta solummodo traditione prædicta & perceptione regalium. In cujus rei, &c. Actum Parisiis, anno Domini M. CC LVII, mense Junio. 1257.

XCIX.

S. Ludovicus capellam regiam de Fontebleaudi confert fratribus ordinis SS. Trinitatis. Sammarth.

E IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod pro summi largitoris amore pariter & honore, & pro salute animæ nostræ & remedio animarum inclytæ recordationis regis Ludovici genitoris nostri, & reginæ Blanchæ genitricis nostræ, & aliorum prædecessorum nostrorum, ad petitionem Nicolai capellani capellæ domus nostræ de Fontebleaudi, & ad liberam resignationem ejusdem, de voluntate & assensu dilecti & fidelis nostri Villelmi Senonensis archiepiscopi & parochialis presbyteri de Avon consensu pariter accedente, ad divini cultus augmentum, fratribus ordinis 1259.

Digitized by Google

sanctissimæ Trinitatis & Captivorum, capellaniam prædictam, cum omnibus redditibus, proventibus & pertinentiis quibuscumque, ac domum & porprisium in quo capellanus manebat, in puram & perpetuam eleemosynam dedimus & concessimus ab eisdem fratribus quiete & pacifice possidenda, & ad ædificandum & fundandum in eadem domo & porprisio & circa, basilicam in honore sanctæ & individuæ Trinitatis, & hospitale pauperum infirmorum qui de circumadjacentibus locis desertis & aridis confluant & trahantur ad illud, ut in ipsis Christus Dominus tanquam in membris propriis foveatur, ac officinas fratribus ibidem & juxta sui ordinis instituta Deo debitæ servitutis obsequia soluturis accommodas, & familiæ eorumdem. In eadem autem domo morari tenebuntur in perpetuum septem fratres clerici ordinis antedicti, quorum esse debent quinque sacerdotes ad minus, & ex quinque ipsis sacerdotibus, unus vel duo in capella nostri manerii supradicti, dudum in honore Dei & B. Virginis Mariæ, & B. martyris Saturnini fundata, ac postmodum a beatissimo martyre Christi Thoma Cantuariensi archiepiscopo consecrata, duas missas vel unam ad minus tenebuntur diebus singulis celebrare. Tenentur etiam dicti fratres celebrare pro nobis quamdiu vixerimus in loco prædicto vel in capella nostri manerii, diebus singulis unam missam de Spiritu sancto vel de beata Virgine, & post decessum nostrum in perpetuum diebus singulis missam quæ pro defunctis fidelibus celebratur, exceptis paucis diebus solennibus, in quibus celebrare non consuevit ecclesia pro defunctis. Insuper anniversaria ista, videlicet inclytæ recordationis regis Ludovici genitoris nostri, reginæ Blanchæ genitricis nostræ, R. comitis Attrebatensis fratris nostri, & nostrum, & ipsius obitum celebrare solemniter tenebuntur. Hos autem redditus inferius annotatos, invenimus olim a nostris prædecessoribus inclytæ recordationis rege Ludovico proavo nostro, & rege Philippo avo nostro regia liberalitate donatos & concessos fuisse capellaniæ prædictæ, sicut in chartis avi nostri prædicti vidimus plenius contineri, videlicet tres modios frumenti ad mensuram Gastinensis in festo B. Remigii annuatim percipiendos in granchia apud capellam, quatuor libras annui redditus in præpositura nostra Moreti die Assumptionis B. Mariæ solvendas, item quatuor libras de censu terræ arabilis, quam prædictus proavus noster olim adcensaverat Gileberto de Braya. Ita quod Gilebertus & quicumque post ipsum terram illam haberet, sacerdoti qui pro tempore dictæ capellæ deserviret, quatuor libras annuatim in festo sancti Remigii persolveret. Si autem possessor terræ capellano die statuta non solveret censum illum, nobis emendaret, & similiter dictus præpositus Moreti idem faceret, si in solutione aliarum quatuor librarum prædictarum deficeret ad terminum prælibatum. Item viginti solidos parisienses pro luminari capellæ prædictæ S. Saturnini annuatim persolvendos in censu dictarum terrarum arabilium apud Moretum. Ex quibus quatuor libras præfatæ capellæ concesserunt prædecessores nostri prædicti. Item decimam vini quam dicti prædecessores nostri reges percipiebant apud Recloses, concessit avus noster prædictus capellano dictæ capellæ in perpetuum percipiendam in cupa sub hac forma. Quod si capellanus aliquem hominem accusaret decimam suam retinuisse, ille se inde sacramento purgaret: si vero nollet sacramentum præstare, ipse integraliter eidem capellano decimam suam redderet, & ipse rex emendationem suam inde haberet. Si quis autem vindemiam suam duceret extra decimarium, antequam idem sacerdos de decima sua gratum suum haberet, ipse rex emendationem & sacerdos decimam suam haberet. Cæterum sexaginta solidos parisienses quos percipere consuevit capellanus capellæ prædictæ, pro roba annuatim in præ-

A positura nostra Moreti, volumus & concedimus ut dicti fratres sine difficultate percipiant in eadem annuatim ad terminum consuetum. Prænominatos autem redditus, a prædecessoribus olim datos & concessos capellaniæ prædictæ, secundum quod superius continetur, prædictæ domui & fratribus in perpetuum concedimus & auctoritate confirmamus regia. Insuper donamus in perpetuam eleemosynam ad sustentationem fratrum ipsorum, & pauperum infirmorum ac servientium eorumdem, duodecim modios frumenti ad mensuram Senonensem in redditibus nostris percipiendos annuatim, per manum præpositi qui pro tempore ibidem fuerit, infra octavas Omnium Sanctorum, & octo modios avenæ apud Hames, in redditibus nostris ejusdem loci ad eumdem terminum B per manum præpositi dicti loci, & quadraginta libras parisienses annui redditus in præpositura nostra Moreti, medietatem videlicet ad octavas Omnium Sanctorum, & aliam medietatem ad octavas Ascensionis Domini, per manum similiter præpositi qui pro tempore fuerit apud Moretum: cujusmodi redditus volumus & præcipimus a dictis præpositis in terminis prænotatis, prædictis fratribus annuatim persolvi sine difficultate, diminutione, vel dilatione quacumque. Quod si dicti præpositi in solutione prædictorum pro toto, vel pro parte defecerint, pro singulis diebus quibus fuerit in solutione cessatum, quinque solidos parisienses nomine pœnæ memoratis fratribus persolvere teneantur. Cæterum donamus & concedimus eisdem pressorium nostrum de Recloses, cum omnibus juribus quæ habebamus, vel quæ habere C poteramus in ipso pressorio quoquo modo. Præterea donamus & concedimus domui & fratribus antedictis, usuagium suum in foresta nostra Bierriæ competenter, & ad ædificandum, & ut centum porcos habeant in pessona nostra dictæ forestæ, quotiescumque erit ibidem pessona, liberos & quittos ab omni costuma & exactione quacumque. De oblationibus autem capellæ S. Saturnini, & de libratione panis & vini & coquinæ, cum præsentes fuerimus nos vel regina, seu proles regia, volumus & præcepimus ordinationem in chartis prædicti avi nostri contentam teneri inviolabiliter & servari. Hæc autem supradicta omnia dicti fratres in usus conventus superius memoratos, nec ea teneantur aut valeant tertiare. Quod ut perpetuæ stabilitatis robur obtineat, præsentem paginam sigilli D nostri auctoritate, ac regii nominis caractere inferius annotato fecimus communiri. Actum apud Fontem-blaudi anno Dominicæ Incarnationis M. CCLIX mense Julio, regni vero nostri anno XXXIII, astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Signum Johannis buticularii, S. Alphonsi camerarii, S. Egidii constabularii. Data vacante cancellaria.

C.

Abbas Vallis-Lucentis a comite petit ut ecclesiam suam protegat. Cartul. Campan. regium.

1264.

EXCELLENTISSIMO ac reverendissimo domino suo Th. Dei gratia regi Navarræ, illustri Campaniæ & Briæ comitique Palatino, frater S. dictus E abbas Vallis-Lucentis ordinis Cisterciensis totusque conventus ejusdem loci, salutem & orationum multiplicum suffragium salutare. Cum per Dei gratiam & vestram, & antecessorum vestrorum, abbatia nostra fundata sit in comitatu vestro & etiam dominio, & alias possessiones in eodem dominio habeamus ratione quarum quandoque baillivus Trecensis, quandoque baillivus Pruvinensis, quandoque præpositus de Nogento, quandoque præpositus de Braio, quandoque præpositus Villæmauri coram se nos conveniant, & etiam [a] ipsis sine causis rationabilibus comparere [b] expellant, & etiam jacturas non modicas propter

[a] f. coram ipsis.
[b] f. compellant.

corum multiplices conventiones sufferamus, & nobilitati vestræ juratum sit per Dei gratiam læsis ecclesiis subvenire, Excellentiam vestram de qua confidimus, meritis nostris non exigentibus, eo affectu quo possumus ampliori, humiliter & devote duximus supplicandam; quatenus læsuris (&) jacturis nostris in hac parte dignemini & velitis subvenire; videlicet quod excellentiæ vestræ placeat, quod nos & abbatia nostra & etiam omnes possessiones nostræ quæ sub dominio vestro sunt, unius tantum sint baillivæ, & unius præpositturæ vestræ; & quod non teneamur coram tot baillivis & præpositis comparere. Præterea, cum nos habeamus grangiam unam sub dominio vestro, quæ Coreliacus appellatur, in qua populus non modicum singulis annis in festo B. Laurentii martyris propter devotionem & reverentiam & honorem B. martyris cujus reliquiæ hic habentur, ab antiquo convenire consuevit; quæ devotio ad præsens versa est in dissolutionem, peccatum & derisum, & convenientes ibi omnino vacent coram eis, comessationibus, ebrietatibus, lixis & aliis ludis turpibus qui relatu non sunt digni: excellentiam vestram & nobilitatem vestram precibus humilibus duximus excitandam & etiam supplicandam, quatenus nundinas trium dierum, aut duarum, sive unius, nobis in dicta grangia fieri in festo B. Laurentii concedatis; & præpositis vestris ut ex parte vestra per præpositturas suas indici faciant, si excellentiæ vestræ (&) nobilitati vestræ placuerit, amore Dei & intuitu pietatis mandetis, ut gentes ibi convenientes, negotiis intendentes, a dissolutionibus, peccatis & derisionibus, quæ ibi perpetrare consueverunt, vestri adjutorio valeant resilire. . . . . inde facientes quod Dominus noster Jesus Christus & beatissima ejus genitrix Maria qui remuneratores sunt omnium bonorum, affluenter vobis in hac vita remunerent, & æterna. Valeat in Domino regia vestra majestas & bene & diu. Datum anno Domini M. CCLXIV, Sabbato ante festum B. Michaëlis.

C I.

Sammarth.

Clementis IV ad Ludovicum IX regem epistola de Petro archiepiscopo.

1267. Anecdot. t. 2, col. 580.

CELSITUDO regia, sicut credimus, non ignorat quod venerabilis frater noster Petrus archiepiscopus Senonensis, ab olim felicis recordationis Urbani papæ prædecessoris nostri & postmodum camerarius noster existens, adeo fideliter nobis, & ecclesiæ Romanæ servivit, quod quamplurimum circa ipsum afficimur, & eum in charitatis visceribus præ dilectione portamus: digne igitur ipsum plena benevolentia prosequentes, regalem magnificentiam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus eumdem archiepiscopum pro quo mentem nostram tibi fiducialiter aperimus, & ecclesiam suam habeas favorabiliter commendatos, sic eos sub regii favoris gratia confovendo, quod nostro tuum in hoc specialiter conformare beneplacitum dignoscaris, quidquid enim sibi feceris gratiæ vel honoris, nobis reputabimus fore factum. Si vero, prout aliquis dicitur retulisse, dictus archiepiscopus tibi super eo delatus extiterit, quod aliquod impedimentum contra te in negotio decimæ præstiterit: pro certo scire te volumus, delationem hujusmodi non habere suffragium veritatis.... & ideo tantum & talem virum habeat circa talia magnificentia tua excusatum. Datum Viterbii V idus Martii, anno tertio.

C I I.

Episcoporum Gallicanorum epistola ad cardinales S. R. E. pro canonisatione S. Ludovici.

REVERENDIS in Christo patribus, venerabili coetui per Dei providentiam sacro-sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium G. ejusdem miseratione Senonensis archiepiscopus, ejusque suffraganei P. Carnotensis, St. Parisiensis, R. Aurelianensis, E. Autissiodorensis, J. Trecensis, R. Nivernensis ejusdem gratia episcopi, & J. Meldensis electus, salutem in eo qui est omnium vera salus, & cum omni reverentia & honore se ad eorum mandata & beneplacita deditos & paratos. Immensa Dei bonitas nostræ jugiter infirmitati subveniens novissimis his temporibus regionem nostram novo splendore mirabiliter & patenter illustrare disposuit, magnum quoddam & præclarum lumen, ardens simul & lucens, velut solem alterum producens in medium, ut sui luminis radios diffunderet circumquaque, nec esset qui se a calore ejus absconderet & fervore. Sane lumen hoc solare celitus nobis datum accipere possumus, solem regum, lucernam principum, sanctæ videlicet recordationis regem vestrum clementissimum Ludovicum, cujus vita per orbem refulget, cujus fama celebris ubique terrarum resonat, cujus memoria suaviter redolet, cujus exempla non solum apud vicinas aut finitimas regiones, sed & apud remotas & extraneas nationes suaviter referuntur. Quam laudabilis si quidem & admirabilis vitæ suæ cursus extiterit, quam commendabilis exitus, quam intentus divinis semper obsequiis, quam devotus ad Deum, quam fidelis & pius ad subjectum sibi populum, quam austerus etiam fuerit ad se ipsum vestram non ignorare credimus bonitatem. Quantum vero pacifice, quam honorifice tam populosum regnum Deo auctore tamdiu rexerit, qualiter regnum ipsum præ cæteris sub eo floruerit, universis regnicolis non solum gloriosum est recolere, sed & referre jocundum. Quantus denique zelator propagandæ fidei & christiani nominis dilatandi fuerit, evidenter ostendit cum propriam hereditatem derelinquens & patriam longo & geminato peregrinationis itinere ut Christi nomen apud infideles & barbaros dilataret, sua omnia cum fratribus & filiis ac proceribus inclytis pro negotio crucis & fidei totaliter exponere non expavit, seipsum etiam tandem in sacrificium offerens, ut rex ipse vicem redderet summo regi, qui pro nostra salute semetipsum hostiam acceptabilem in ara crucis obtulit Deo Patri. Sicque gloriosus hic athleta Christi & crucis agonista fidelis in agone persecutionis dicti negotii mortem suscipiens gloriose, palmam martyrii, cujus causa non defuit, sicut pia corda sentiunt, non creditur amisisse. Hæc quidem, patres reverendi, præsentibus litteris fideliter vobis insinuanda duximus, quæ præsentes si facultas adesset viva voce potius intimare vellemus, quæ etiam aliis publicantibus non deceret nos qui speculatores aliorum & rectores animarum licet insufficientes existimus sub silentio tegere, præsertim cum post ejus felicem obitum rex virtutum & gloriæ mirificasse credatur signis & prodigiis sanctum suum, ut a multis asseritur fide dignis, tam apud sepulchrum ejus, quam alias miras sanitatum & virtutum gratias ipsius opem invocantibus operando misericorditer ut decebat, per ipsum qui totus dum viveret misericordiæ & pietatis visceribus affluebat; ad decus igitur & honorem divini nominis & ecclesiæ commodum generalis supplicamus vestræ paternitati tam humiliter quam unanimiter ex affectu, quatenus ad hoc opem & operam efficacem dare velitis, ut in multorum bonorum detrimentum non patiatur ulterius apostolica circonspectio tantum lumen absconditi, cujus elucidatio seu manifestatio jamdiu desiderata provenire speratur ad augmentum divinæ

1275.

Digitized by Google

laudis & gloriæ, ad mundanæ dejectionem superbiæ, ad edificationem regum & principum, ad communis devotionis fructum, & ad novam spiritualium gratiam gaudiorum. Conservet Dominus paternitatem vestram ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, mense Julio.

C I I I.

Ex archivis archiepiscop. Senonens.

Servitium archiepiscopo Senonensi exhibitum.

1294. ANNO Domini M. CC nonagesimo quarto, die Dominica post Epiphaniam Domini, qua die dominus Stephanus *Beguard*, Dei gratia archiepiscopus Senonensis, in primo sui adventu fuit receptus in ecclesia sua Senonensi in monasterio S. Petri vivi Senonensis, præsente ibi domino archiepiscopo, præsentaverunt se personæ infra scriptæ pro faciendo servitio in quo domino prædicto tenebantur, & cunctis archiepiscopis Senonensibus tenentur; videlicet pro portando dicto domino abhinc usque ad ecclesiam B. Stephani Senonensis, dicta die receptionis ejusdem, & eum portaverunt scilicet pro comite Joigniaci, Guillelmus de Joigniaco, ejus avunculus, pro domino de Pissone & de Curtenaio, dominus Stephanus de Galatas miles, dominus Petrus de S. Fidolo *(S. Phalle)* pro se personaliter, dominus Guillelmus de Tienges, dominus de Maroliis pro se personaliter, Anselmus de Triangulo pro se personaliter, Johannes de Barris & Guillelmus de Barris consanguineus ejus armiger pro se personaliter, omnibus asserentibus pro se, & pro absentibus ad eum portandum teneri: dein & dicta die ex parte domini archiepiscopi fuit prius clamatum in monasterio prædicto, si foret hic comes Campaniæ, vel aliquis pro eo, quem dicebant ad eum portandum teneri! Pro quo comite præsentavit se coram domino archiepiscopo dominus Hugo de Bouilla, dicens quod si comitem Campaniæ ad illud vel aliud servitium crederet teneri, illud libere faciet & adimplebit, sed ad hoc dictum comitem Campaniæ non credebat teneri, nec credebat quod aliquis dicti comitis antecessor illud servitium fecisset, & ideo dictum servitium facere recusavit.

C I V.

Ex MS. PP. Cartus. Divionens.

Fundatio Cartusiæ Vallis-Profundæ.

1301. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Isabellis de Melloto quondam comitissa Juvigniaci, domina S. Mauricii *Fireoüialle*, & montis Penserii vidua perpetuam rei gestæ memoriam cum salute.

Notum sit omnibus quod ego considerans & attendens quod Dominus noster pius & misericors mihi sui gratia de bonis suis temporalibus abundanter tribuit, cupiens & affectans aliqua saltem modica retribuere de eisdem ad ipsius laudem & gloriam, & in honore B. & gloriosæ V. M. matris ejus, & beati Johannis-Baptistæ & omnium sanctorum & sanctarum Dei, fundo & fundatam esse volo perpetuo in terra mea in loco qui dicitur Vallis-profunda Senonensis diœcesis, quamdam domum Cartusiensis ordinis de tredecim monachis presbyteris, uno videlicet priore, & duodecim fratribus ibidem instituendis, & perpetuo Domino servituris pro remedio animæ meæ, parentum, virorum & successorum meorum, pro cujus domus fundatione ac etiam dotatione fratrumque in eadem instituendorum sustentatione do & concedo Deo & eidem ordini ac priori & fratribus in eadem instituendis, & ad serviendum Domino perpetuo in ea moraturis in perpetuam & puram eleemosynam domos meas dicti loci Vallis-profundæ, & grangiam ante dictas domos sitam, cum porprisia circa dictas

A domos, & grangiam sita utili & necessaria juxta statum & morem ordinis, & ædificia competentia ibidem construenda secundum quod in aliis domibus ejusdem ordinis ad aisantiam domorum ipsorum fieri consuevit.

Item, quia idem ordo carnibus non utitur, nec uti consuevit, do & concedo Deo & eidem ordini & priori & fratribus in eadem domo instituendis, & eorum successoribus, ripariam meam de Champuris & piscariam ejusdem prout in longum & latum protenditur a saliceto Henrici de Meno usque ad Planchias *de Chemineaux*, & motam cum domo & platea in ea sitis & fossatis omnibus, piscariis, salicetis & plateis intermediis circumquaque in longum & in latum adjacentibus, ac etiam cum juribus & omnibus ad ripariam pertinentibus ad me & ad alia prædicta;

B quæ riparia bannalis est, & extitit ab antiquo nec in ea quis piscari potest vel debet, nec de cætero poterit, nisi fratres dictæ domus, vel eorum mandato.

Item, quamdam meam petiam prati quæ dicitur pratum de Mino, contiguum prato Girardi dicti *Raoul.*

Item, vineam meam *de Vaumasson* contiguam terræ dicti loci *Poillat* ex una parte, & terris liberorum de S. Romano ex altera, quæ quidem pratum & vinea fuerunt quondam Radulphi de Nigella armigeri.

Item, do & concedo Deo & eidem ordini, ac priori & fratribus in eadem domo instituendis, & eorum successoribus, omnes & singulas terras meas circumquaque dictum locum de Valle-profunda sitas prout protenduntur & confinantur a prædicta via qua itur de Ralliaco ad nemus quod dicitur *les Ron-*

C *deaux*, prout metæ sitæ inter nemora mea & nemora comitis Sacri-Cæsaris quæ dicuntur *de Truncy* se comportant eundo versus Beonem juxta nemus *des Clerez* ex una parte.

Item, a dicto nemore quod dicitur *les Rondeaux* usque ad terras quæ fuerunt defuncti domini Johannis de Beone militis, & ad terram Johannis *Menart* de Beone pro altera parte. Item, a dictis terris dictorum Johannis militis & Johannis *Menart* usque ad nemus dictum *dou Perreux*, prout vallis quæ dicitur *dou Perreux* se comportat juxta territorium de Beone ex altera parte. Item a dicto nemore *dou Perreux*, prout se comportant & protenduntur dictæ terræ juxta nemus quod dicitur nemus *Chevillé*, & nemus de super Caveam usque ad dictam viam de Ralliaco ex altera.

D Item, omnes & singulas terras meas sitas in territorio de Mota, contiguas territorio de Cella, prout se comportant a terra Leprosorum usque ad terram quæ dicitur *de la Morniere*, quæ est Johannis de Ralliaco ex una parte, & nemora mea dicti loci Vallis-profundæ ex altera.

Item, quamdam meam petiam terræ sitam in loco qui dicitur *de la haute Folie* ex una parte, & terræ dicti Johannis ex altera. Item, quamdam meam petiam terræ sitam de subtus viam *de la haute Folie* contiguam ipsi viæ ex una parte, & nemoribus quæ dicuntur usagia de Beone ex altera. Item quamdam aliam meam petiam terræ sitam in valle quæ dicitur *de Valentois* contiguam dictis nemoribus quæ dicuntur usagia de Beone ex una parte, & terræ Thomæ dicti

E *Arnault* ex altera. Item, nemus meum *des Rondeaux* cum plateis circumadjacentibus & circumsitis, prout se comportant a Ganguagio de super domum de Valle-profunda usque ad nemus *des Clercs*, & ab ipso nemore *des Clercs* descendendo usque ad locum qui dicitur *le Marchais-Chenevois*, & ab ipso loco *du Marchais-Chenevois* ascendendo juxta usagia de Beone usque ad nemus *de Truncy*, prout metæ nemoris *de Truncy* & dicti nemoris mei de Valle-profunda inter me & comitem Sacri-Cæsaris se comportant. Item nemus meum de super Cavea cum alio nemore quod dicitur nemus juxta Caveam. Item, nemus meum quod dicitur nemus *Chevillé*.

Item, nemus meum quod dicitur nemus *dou Perreux*,

Digitized by Google

Perreux. Item, nemus meum *dou Pomier d'Arien.* Item, nemus meum dictum *dou fond de Ladrine.* Item, nemus meum *de l'Escotoy*, & nemus meum quod dicitur nemus Prioris cum plateis intra circum & circa ipsa nemora sitis, prout se comportant juxta guanguagium meum, contiguum dictis domibus de Valle-profunda a metis prædictis quæ sunt inter nemora *de Truncy* & mea usque ad dictas domos de Valle-profunda.

Item, a dictis domibus usque ad justitiam dicti defuncti domini Johannis de Beone. Item, a dicta justitia desuper vallem de Beone usque ad quercum *Loré*, & ab ipsa quercu eundo desuper domum dicti *Perhuet de la Celle* usque ad desertum & vineam Leprosorum de cella, & usque ad Petri *Palleaut* de cella. Item, ab ipsa vinea dicti Petri usque ad vallem nemoris dicti *Boisleau* de cella, & ab ipsa valle prout protenditur juxta viam per quam itur ad essarta *dou Pomier d'Arien.* Item, ab eisdem essartis prout se comportant juxta territorium de Cella & territorium meum de Motha juxta metas censivæ de Herbleyo, usque ad dictas metas quæ sunt inter nemora *de Truncy* & nemora prædicta. Item, XXV arpenta nemoris mei dicti *dou Soulier*, arpentata, mensurata & sumpta, viis & plateis deductis ut moris est, & compensatis a capite ipsius nemoris de versus nemus dicti *Boisleau*, prout ruptura in ipso nemore meo de novo facta a valle quæ dicitur *Vaulsang*, ascendendo usque ad territorium de Pressiaco, & usque ad essartum dictum *Boisson*, se comportat cum omnibus garenis meis intra infra circum & circa nemora prædicta sic donata, & loca confinia existentibus. Item, plenum usagium ad scindendum, pasturandum & omnia alia necessaria faciendum in nemoribus usagiorum de Beone, & omne jus quod habeo in usagiis prædictis, quas res omnes & singulas sic a me donatas & concessas ut supradictum est, bona fide & sub obligatione omnium bonorum meorum admortisari facere, curare & procurare a comite Jugniaci teneor & promitto meis propriis sumptibus & expensis; & si forte admortisatio prædicta ante obitum meum facta non fuerit, quod absit, volo & firmiter præcipio quod hæredes mei & successores quicunque admortisationem prædictam infra annum a die obitus mei numerandum, fieri faciant, curent & procurent suis propriis sumptibus & expensis; quod si forte non facerent, curarent & procurarent ut supra dictum est, aut forte fieri, curari & procurari recusarent negligenter vel differrent ultra annum prædictum a die obitus mei computandum, volo & firmiter præcipio quod R. pater meus dominus archiepiscopus Senonensis qui nunc est, vel pro tempore fuerit, vel ejus mandatum una cum aliquo priore vel procuratore prædicti Cartusiensis ordinis, absque aliqua requisitione seu vocatione hæredum vel successorum meorum super hoc faciendis prædictam admortisationem rerum omnium prædictarum, statim sine dilatione quacunque anno prædicto elapso, faciant & fieri curent & procurent ipsorum hæredum & successorum meorum missionibus, sumptibus & expensis. Idemque reverendus pater D. archiepiscopus Senonensis priorem & fratres per se vel per alium, seu alios instituat & recipiat, vel institui & recipi faciat in domo supradicta, eosdemque fratres de prædictis omnibus a me concessis & donatis in corporalem possessionem inducat seu induci faciat & defendat inductos auctoritate sua ordinaria; & nihilominus si forte contingeret, quod absit, præmissa vel aliqua præmissorum ultra annum a die obitus mei computandum ut supradictum est, impediri vel differri occasione quacunque, ex tunc hæredes mei & successores mei quicunque pro quolibet anno ducentas libras vel de eis pro rata cujuslibet anni quibus hæc fieri impedirentur aut etiam differrentur, prædicto ordini vel ejus procuratori, aut uni de prioribus ejusdem ordinis qui se super hoc offerret, reddere & solvere teneantur in ædificationem domorum & ecclesiæ dicti loci per eos vel eorum aliquem penitus convertendas, pro quibus omnibus missionibus, sumptibus & expensis ministrandis & faciendis in omnibus & singulis supradictis faciendis, perficiendis, curandis & procurandis, solvendis, reddendis & penitus adimplendis eidem domino archiepiscopo & ordini obligo totaliter terram meam ubicumque sit, & quæcumque cum fructibus, redditibus & exitibus ejusdem. Volens & expresse præcipiens & concedens quod terra ipsa ab eodem D. archiepiscopo, vel ejus mandato, aut procuratori ordinis prædicti, vel aliquo priori ejusdem, totaliter teneatur, fructusque, redditus & exitus ejusdem integre recipiantur & leventur ab eisdem vel altero eorumdem sine contradictione cujusquam cum ipsius terræ sumptibus & expensis, usque quo præmissa omnia & singula facta, perfecta, curata, procurata, reddita & soluta fuerint penitus & completa, & de missionibus, sumptibus & expensis circa præmissa omnia & singula impensis & impendendis plenarie & integre fuerit satisfactum de fructibus, redditibus & exitibus supradictis ad voluntatem & gratum prædictorum domini archiepiscopi, vel ejus mandati, aut procuratoris ordinis, vel alicujus prioris ejusdem, nec levatores aut rectores prædicti, de levatis & receptis compotum vel rationem quamcunque nisi soli sibi archiepiscopo vel ejus officiali reddere teneantur; quod si forte sedes ipsa Senonensis vacaret, præmissis non adimpletis, præmissa omnia & singula officialis qui tunc esset cepta & non cepta, complere & perficere modo consimili teneatur & possit; & si forte contigerit, quod absit, quod hæredes mei vel successores, aut eorum aliqui præmissa vel præmissorum aliqua fieri, perfici, curari, procurari & solvi, reddi penitus & compleri modo & forma prædictis contradicerent, differrent, vel impedirent facto vel verbo, aut alio modo quocunque, volo & consentio quod ad eorumdem D. archiepiscopi, vel ejus mandati officialis, aut procuratoris ordinis, vel alicujus prioris ejusdem simplicem requisitionem, gentes domini regis Franciæ totam terram illam quæ ad illum vel illos de hæredibus & successoribus meis qui contradicerent, differrent vel impedirent ex successione mea veniet aut venire deberet, statim capiant, & in manu sua ponant & teneant, aut capi & teneri faciant, non obstante contradictione cujuscumque, fructusque, redditus, exitus & proventus dictæ terræ levari & percipi seu recipi per nominatos superius vel alterum eorum faciant, eorumdemque fructuum, exituum & proventuum dictæ terræ taliter levatorum & perceptorum pro pœna & labore suis circa hoc impendendis tertiam partem habeant & percipiant in utilitatem domini regis, & suam totaliter convertendam; ita tamen quod duæ reliquæ partes in præmissis faciendis, perficiendis, curandis, procurandis, solvendis, reddendis penitus & complendis per me super nominatos, vel alterum eorum ut supradictum est convertantur; & hoc tamdiu durare & fieri volo, & firmiter præcipio, usque quo præmissa omnia, & singula facta, perfecta, curata, procurata, soluta & reddita sint penitus ut supradictum est, & completa de prædictis duabus partibus fructuum, redditunm, exituum, proventuum prædictorum; & ad hæc omnia & singula supradicta hæredes meos & successores adstringo, bonaque omnia mea obligo, & jurisdictioni & coercitioni dicti domini regis Franciæ suppono penitus & submitto. Guardam vero prædictæ domus & rerum ad eam pertinentium protectionem mihi & hæredibus meis & successoribus retineo. Justitia prædictæ domui & fratribus ibidem in posterum domino servitutis remanente penitus in eisdem, ad quæ omnia & singula supradicta facienda, perficienda, curanda & procuranda, solvenda, reddenda penitus & complenda quæ a me facta, curata & procurata penitus & completa cum effectu ante vel ab aliis prænotatis post

obitum meum non fuerint, & ad omnes res & singulas supradictas garentisandas & defendendas perpetuo contra omnes eidem ordini & fratribus dictæ domus qui pro tempore fuerint, obligo me & hæredes meos & successores quoscunque, & omnia bona mea mobilia & immobilia præsentia & futura, ubicunque sint & fuerint aut poterunt inveniri, totamque terram meam cum fructibus, exitibus ejusdem & omnes redditus meos quoscumque, ultima tamen voluntate mea de bonis ipsis mobilibus primitus adimpleta.

Supplicans humiliter excellentissimo principi domino meo regi Franciæ, & dominæ reginæ ejus uxori, ut ipsi pietatis intuitu pro remedio animarum suarum, prædictis omnibus & singulis suum benignum impertire dignentur assensum hæredesque meos & successores quoscumque ad ipsorum expensas & sumptus compellant & compelli faciant per suos justitiarios cum effectu, ad faciendum, perficiendum, fieri curandum & procurandum, solvendum, reddendum, complendum, garantisandumque & defendendum contra omnes omnia & singula supradicta quoties opus fuerit, & super hoc ex parte superius nominatorum vel alterius eorumdem, vel prioris ejusdem domus qui pro tempore fuerit ut supradictum est, fuerint requisiti. Rogo & humiliter requiro R. in Christo patrem & dominum meum archiepiscopum Senonensem prædictum & ejus officiales qui nunc sunt vel qui pro tempore fuerint, ut ipsi amore Dei & pietatis intuitu, omne prædictum meis & hæredum meorum sumptibus & expensis in se suscipere dignentur & velint, & eosdem hæredes meos & successores compellant ad omnia & singula supradicta per sententiam interdicti ferendam in eorum terram & homines, & in personas eorum per excommunicationis sententiam & per censuram ecclesiasticam prout melius & brevius summarie, & de plano absque omni judiciorum strepitu viderint expedire, quoties opus fuerit, aut ex parte ordinis, aut procuratoris ejusdem, aut alicujus prioris ejusdem, vel prioris ejusdem domus super hoc fuerint requisiti, vel viderint expedire.

Rogo similiter discretum virum præpositum Villæ-novæ regis qui tunc est vel pro tempore fuerit, ut eosdem hæredes meos & successores quoscumque compellat per captionem, venditionem & explectationem bonorum meorum, hæredum & successorum meorum nulla alia causæ cognitione præmissa summarie, & de plano quoties ex parte prædictorum D. archiepiscopi vel ejus officialis qui pro tempore fuerint, aut ex parte ordinis vel procuratoris ejusdem, aut alicujus prioris ejusdem ordinis, vel prioris dictæ domus requisitus fuerit, & ad hæc exequenda alter alterum non expectet, nec factum unius factum alterius valeat impedire, sed ambæ potestates, spiritualis videlicet & temporalis, possint simul vel divisim prout eis placuerit, vel expedire viderint, suam interdictionem exercere; quoad compulsiones prædictas rogo & requiro discretum virum Petrum Mariscalli custodem præposituræ Villæ-novæ regis, Robertumque *de Greviers*, & Droconem *Rogilli* custodes sigilli dictæ præposituræ ut ipsum sigillum una cum sigillo meo præsentibus litteris apponant & apponi faciant. In hujus rei testimonium & munimen prædicti D. archiepiscopi & ejus officialis prædictæque præposituræ interjectionem & coercitionem me & hæredes meos & successores, & omnia bona mea totamque terram meam ut supradictum est, quoad hoc supponens penitus & submittens.

Nos Petrus Mariscalli, Robertusque & Droco prædicti custodes prædictæ præposituræ Villæ-novæ regis & sigilli, notum facimus universis præsentibus & futuris, quod nos ad rogatum & requisitionem dictæ dominæ Isabellis sigillum dictæ præposituræ, una cum sigillo dominæ ipsius Isabellis, præsentibus litteris duximus apponendum in testimonium præmissorum. Datum anno Domini M. CCCI, mense Julio.

Nos autem prædictas donationes & concessionem a prædicta comitissa factas, & omnia & singula prout superius sunt expressa, rata & grata habentes ea volumus & tenore præsentium approbamus, volentes & concedentes quod prior & fratres qui in dicta domo pro tempore erunt omnes & singulas res prout sunt superius nominatæ, teneant in perpetuum & possideant sine coactione quacumque eas extra manum suam ponendas, aut nobis seu successoribus nostris in posterum quamcumque de ipsis financiam faciendam salvo in aliis jure nostro, & in omnibus jure quolibet alieno. Quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, præsentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Anno Domini M. CCCI, mense Augusto.

C V.

Forma juramenti quod præstitit Philippus archiepiscopus capitulo Senonensi. *Ex chron. S. Petri vivi.*

IN nomine Domini. Amen. Per hoc publicum 1310.
instrumentum pateat universis quod anno Domini M. CCCIX secundum stylum Romanæ curiæ, indictione octava, mense Aprili, die Dominica ante Ramos palmarum, pontificatus sanctissimi patris, &c. D. D. Clementis divina providentia papæ V, anno 5, in mei notarii infra scripti & testium subscriptorum, vocatorum & rogatorum præsentia reverendus in Christo pater, ac dominus Philippus Dei gratia Senonensis archiepiscopus, in choro ecclesiæ S. Petri vivi Senonensis, præsentibus venerabilibus ac discretis viris, decano & canonicis Senonensibus, qui obviam dicto domino archiepiscopo processionaliter venerant, immediate antequam dictus dominus archiepiscopus recederet a dicta ecclesia, & poneretur in cathedra super quam in primo adventu suo deportandus erat ad ecclesiam Senonensem præstitit, tactis sacrosanctis evangeliis corporaliter, juramentum de observando ea quæ sequuntur, in hæc verba. . . . . Ego Philippus Senonensis archiepiscopus, jura capituli Senonensis communia & privata, consuetudines & libertates ac privilegia capituli & ecclesiæ fideliter observabo, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta evangelia. Actum anno, indictione, mense, die & pontificatu prædictis. Præsentibus religiosis viris fratribus Johanne S. Columbæ, Jacobo S. Petri vivi, & Johanne S. Johannis Senonensium monasteriorum abbatibus, &c. Et ego Adam *de Montelon* clericus, apostolica auctoritate publicus notarius prædictis omnibus interfui, & hoc publicum instrumentum manu propria scripsi, meoque signo consueto signavi rogatus.

C V I.

Henrici abbatis Cisterciensis apocha. *Ex chartul.*

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, frater 1313.
Henricus abbas Cistercii. Notum vobis facimus quod cum magister Jacobus de Divione monachus Cisterciensis doctor in theologia, nunc abbas Pruliaci haberet antequam abbatiæ regimen assumpsisset, quædam vasa argentea ut pote cyphos & hujusmodi usque ad æstimationem 36 marcharum argenti justo pondere trutinata, quæ vasa ante dicta suo monasterio volebat ex suo puro munere perpetuo remanere, voluit a nobis quibus ipsorum jus pertinebat justo precio redimere, videlicet centum libris Parif. nobis in certa pecunia numeratis, de qua summa pecuniæ tenemus nos plenarie pro pagatis, nolentes ut de cætero pro vasis prædictis contra dictam ecclesiam Pruliaci aliqua persona de Cistercio valeat aliquid reclamare, quod omnibus quorum interest, tenore præsentium intimamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus

apponendum. Datum Divioni in reditu capituli generalis, anno Domini M. CCCXIII.

C V I I.

Ex archivis archiepiscop.

Epistola capituli Senonensis ad Johannem XXII pro significanda electione Guillelmi de Meleduno in archiepiscopum Senonensem.

1316. SANCTISSIMO Patri ac D. D. Johanni divina providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ summo pontifici sui humiles & devoti filii capitulum ecclesiæ Senonensis devotissima pedum oscula vestrorum. Sanctitati vestræ, beatissime pater, tenore præsentium significamus quod nos & dilectos concanonicos nostros Dionysium decanum ecclesiæ B nostræ Senonensis prædictæ, Johannem cellerarium & Andream de Florentia, & quemlibet eorum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, ad vestræ sanctitatis præsentiam destinamus, ad informandum eamdem sanctitatem vestram & plenius instruendum super hiis quæ dicta vestra sanctitas requirenda duxerit, tam circa personam venerabilis & discreti viri magistri Guillelmi de Meleduno concanonici nostri subdiaconi nuper electi a nobis in ecclesia nostra in nostrum & ecclesiæ nostræ Senonensis archiepiscopum & pastorem, tam circa electionem nostram de ipso factam, quam etiam circa modum & formam electionis prædictæ, necnon jurandi in animas nostras de veritate dicenda & de malitia si opus fuerit, ac cætera faciendi quæ super hiis C necessaria fuerint seu etiam opportuna, etiamsi mandatum speciale requirerent & expressum. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum una cum signis publicorum notariorum infra scriptorum duximus apponendum. Deus ecclesiæ suæ sanctæ sanctitatem vestram sanam & incolumem conservet per tempora longiora. Actum in capitulo nostro, anno Domini M. CCCXVI, indictione XIV, die XXVI, videlicet die Veneris post festum B. Clementis, pontificatus sanctitatis vestræ anno I.

C V I I I.

Ex registro 56, n.° 564 cameræ computorum.

1317. PHILIPPUS, &c. Notum, &c. quod cum dudum D tempore carissimi domini genitoris nostri terra de Castro-Renardi, quæ sub dominio domini de Sulliaco fuerat, ad manum & dominium regium devenienté, præfatus dominus genitor ad supplicationem Guillelmi de Meleduno tunc clerici, nunc archiepiscopi Senonensis, dilecti & fidelis nostri, ac Johannis, Roberti & Ludovici ipsius archiepiscopi fratrum, a præfato domino de Sulliaco castrum D. Mauritii cum suis pertinentiis & alias certas terras in castellania de Castro-Renardi existentes tenentium in feodum & homagium, timentiumque ne assignatione dictæ terræ de Castro-Renardi archiepiscopo Lugdunensi, ut commmuniter tunc temporis credebatur, aut cuivis alii facienda, a fide & homagio quibus præfato domino genitori ratione terræ suæ prædictæ de sancto E Mauritio & alterius cujuscumque in dicta castellania existentium tenebantur, quomodolibet exirent, concessit præfato Guillelmo & fratribus suis prædictis, quod idem Guillelmus in fide & hommagio regis Franciæ ratione dictarum terrarum de S. Mauritio & aliarum, in dicta castellania existentium, ratione quarum dicti fratres sui fidem & homagium ipsi Guillelmo tamquam suo primogenito causa fratriagii & prout fratriagium de consuetudine patriæ exigebat facerent immediate, ac in perpetuum remaneret, ac successores sui etiam remanerent, super quibus præfatus dominus genitor noster recompensationem in certis terris & redditibus habuit proinde competentem,

A prout de his & præmissis omnibus plenius nobis constat, propter quod nos præmissa & singula rata & grata habentes, ac eadem ex certa scientia inviolabiliter observari volentes præfatum archiepiscopum ad fidem & homagium ratione dictæ terræ suæ in dicta castellania de Castro-Renardi existentis duximus admittendum, &c. Actum Parisiis XIX die Octobris, anno M. CCCXVII.

C I X.

Chart. Jardi.

Guillelmi archiepiscopi Senonensis apocha data Guillelmo abbati Jardi.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione divina archiepiscopus Senonensis salutem in Domino. Notum facimus quod nos anno Domini M. CCCXVIII, die Mercurii in vigilia B. Clementis apud Noalliacum domum nostram a religioso viro fratre Guillelmo abbate monasterii de Jardo nostræ diœcesis super omnibus missis & receptis quas usque in diem confectionis præsentium receperat & miserat tam pro nobis & redditibus archiepiscopatus nostri quam pro terris nostris de S. Mauricio castro nostro, necnon terris Philippi, Johannis, Roberti & Ludovici fratrum nostrorum, ac etiam de omnibus pecuniarum summis quas idem abbas pro nobis mutuo receperat, vel alio quoquo modo computum recepimus ac legitimam rationem, quittantes ipsum de omnibus quæ usque in hodiernum diem tam de redditibus archiepiscopatus nostri, quam de terris nostris de S. Mauricio, quam etiam de terris fratrum nostrorum prædictorum recepit, profitentes tenore præsentium nos deductis omnibus finaliter teneri eidem abbati & esse efficaciter obligatos nostro & ecclesiæ nostræ Senonensis nomine in 749 libras 4 solidos & decem denarios Turonenses. In quorum testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum & actum anno, die & loco prædictis. 1318.

C X.

Excerptum ex archivo B. M. Stampensis.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione divina archiepiscopus Senonensis, salutem in Domino. Cum inter bonæ memoriæ philippum quondam archiepiscopum Senonensem prædecessorem nostrum ex una parte, & dilectos filios cantorem & capitulum ecclesiæ beatæ Mariæ de Stampis orta esset materia quæstionis pro eo quod idem prædecessor noster tam de jure quam de usu aliorum prædecessorum nostrorum ad se pro jure Senonensis ecclesiæ jus visitandi ecclesiam ipsam de Stampis, errata corrigendi, tam in personas singulares ipsius ecclesiæ quam in ipsum collegium, necnon ratione ipsius visitationis procurationem integram percipiendi, sicut in aliis non exemptis ecclesiis diœcesis Senonensis assereret pertinere, cantore & capitulo exemptionem in prædictis asserentibus, dicentibusque se non teneri archiepiscopo Senonensi, nec in uno pastu in suo novo vel jocundo adventu, propter quod idem prædecessor noster, aliquos processus contra ipsos fecerat, nonnullas etiam sententias tulerat in eosdem, a quibus asserebant se ad sedem apostolicam appellasse. Tamen voluerunt & concesserunt & consenserunt prout per eorum litteras potest plenius apparere, de consensu & voluntate illustrissimi principis domini Ludovici regis Francorum filii, comitis Ebroicensis & Stamparum, ad quem ratione dicti comitatus Stampensis jus patronatus & collatio præbendarum ipsius ecclesiæ noscitur pertinere quod nos de prædictis videlicet tam de jure Senonensis ecclesiæ quam suos in hac parte de plano prout nobis 1327.

Digitized by Google

expedire videretur informatione recepta, amotis prius A per nos sententiis supradictis, pronuntiaremus, declararemus & ordinaremus de controversia prælibata prout nobis æquum videretur & consonum rationi, promittentes de bona fide quod per nos de prædictis ordinatum existeret, inviolabiliter perpetuo servaturos. Nos itaque auditis & diligenter examinatis omnibus quæ pro parte ipsorum fuerunt proposita coram nobis, necnon & juribus ecclesiæ Senonensis & usu prædecessorum nostrorum, facultatibusque ipsius Stampensis ecclesiæ, juris rigorem misericordia temperantes maxime ad preces præfati principis qui ad ecclesiam ipsam & ejus salubre regimen zelo devotionis afficitur, de præmissis sic duximus ordinandum, declarandum, statuendum ac definiendum, videlicet quod præfata ecclesia Stampensis & personæ ipsius, B quoad jus visitationis & correctionis subditæ sunt & erunt archiepiscopo Senonensi, sicut aliæ personæ ecclesiasticæ & ecclesiæ Senonensis diœcesis nulla penitus exemptione gaudentes, de procuratione autem taliter providemus quod prædicta Stampensis ecclesia archiepiscopo Senonensi in sua novitate sive jocundo adventu primitus ipsam ecclesiam visitanti integram procurationem exsolvet, pro visitationibus vero annorum sequentium centum solidos parvorum Turonensium procurationis causa tantummodo solvet, in cæteris autem omnibus sicut aliæ ecclesiæ collegiatæ Senonensis diœcesis non exemtæ, per Senonensem archiepiscopum qui pro tempore fuerit per omnia tractabuntur. Hanc autem ordinationem, definitionem seu declarationem dummodo dilectorum filiorum de- C cani & capituli Senonensis consensus accesserit, per nos & successores nostros ratum haberi & inviolabiliter observari volumus in futurum quamdiu dicti cantor & capitulum quiete & pacifice obedient in prædictis, sin autem perverso ducti consilio, in alicujus rebellionis superbiam adversus Senonensem archiepiscopum se quoad præmissa in futurum erigent, ipsos sicut & alios quoad visitationem & procurationem integram ex nunc decernimus astringendos. In cujus rei testimonium sigilli nostri præsentes litteras fecimus appensione muniri. Datum & actum Parisiis 8 die mensis Octobris, anno Domini 1327. Decanus & capitulum ecclesiæ Senonensis omnia & singula quæ in litteris suprascriptis continentur, ratificaverunt & approbaverunt in capitulo suo generali die Jovis D ante festum Nativitatis Domini anno eodem 1327.

C X I.

Dedicatio majoris altaris ecclesiæ Senonensis.

1332. UNIVERSIS Christi fidelibus, Guillelmus de Brocia miseratione divina Senonensis archiepiscopus salutem. Ad perpetuam rei memoriam notum sit quod nos majus altare nostræ Senonensis ecclesiæ nondum consecratum die 22 Octobris, anno Domini 1332 ad honorem SS. Crucis & beatissimæ Mariæ Virginis matris gloriosæ Domini nostri Jesu Christi, & beati protomartyris Stephani & beatorum Saviniani & Potentiani martyrum & pontificum con- E secravimus, & ad augendam devotionem fidelium nos de misericordia Dei omnipotentis & beatæ Mariæ Virginis sanctorumque prædictorum & sedis apostolicæ gratia confidentes ex potestate nobis data diebus festorum beatorum Stephani, Saviniani & Potentiani prædictorum & singulis diebus octabarum eorumdem omnibus vere pœnitentibus & confessis qui devote ad dictam ecclesiam venerint, vel ad opus fabricæ dictæ ecclesiæ manum porrexerint adjutricem, 40 dies de injunctis pœnitentiis indulgemus.

C X I I.

Testamentum Philippi de Meloduno archiepiscopi. Ex archivo capituli.

IN nomine Domini. Amen. Noverint universi 1345. præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno 1345, indictione XIII, die 29 mensis Martii, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Clementis divina providentia papæ VI anno tertio, in præsentia mei notarii publici & testium subscriptorum, reverendus pater dominus Philippus de Meloduno Dei gratia nuper episcopus Cathalaunensis, nunc archiepiscopus Senonensis, voluit & ordinavit quod contenta in quodam rotulo sub sigillo suo incluso, & eodem sigillo suo pendenti sigillato, in quo rotulo videlicet a tergo continetur scriptura quæ sequitur.

Protocolum testamenti seu ultimæ voluntatis domini Philippi de Meloduno episcopi, & tenor ejusdem rotuli de verbo ad verbum sequitur in hæc verba: Protocolum testamenti mei Philippi de Meloduno episcopi. Cupiens ubicumque me decedere contigerit cum patribus aut parentibus meis sepeliri, eligo sepulturam meam in altero trium locorum, videlicet in ecclesia Senonensi, in ecclesia de Jardo, aut in abbatia monialium S. Antonii Parisiensis, & de tribus illis locum viciniorem loco in quo a Domino fuero vocatus; & 1.° volo quod jura funeralia pro me & quæcumque debita mea persolvantur, & forefacta etiam emendentur, & illa præcipue debita mea solvantur quibus teneor apostolicæ cameræ. Item, lego loco in quo inhumabor 20 libras Parisienses annui redditus. Item, ecclesiæ B. Mauritii super Averionem decem solidos annui redditus, &c. Item, Johanni dicto de Meloduno filio filiæ de Eneco *Navar* 200 florenos ad scutum pro hereditate emenda, &c. De residuis nostris servitoribus remunerandis, consideratis eorum serviis ac donis quæ a nobis habuerunt, oneramus carissimos nepotes nostros, scilicet reverendum patrem dominum Guillelmum archiepiscopum Senonensem & dominum Johannem de Meleduno, dominum de Fontenaliis, Petrum de Essartis, dominos Johannem de Capella canonicum Senonensem, Robertum Rousselli curatum ecclesiæ S. Ferreoli diœcesis Senonensis, & Richardum de Vesto curatum S. Pauli Parisiensis quos nostros executores eligimus & nominamus, ita quod dictus reverendus pater solus possit hujusmodi nostram executionem complere, & in casu quo ipse deficeret, eamdem valeat implere dictus dominus Johannes nepos noster, & in casu quo deficeret, Petrus solus prædicta valeat adimplere, & ipsos nostros executores de bonis nostris omnibus pro prædictis complendis investimus traditione præsentis protocoli, &c. Volumus insuper quod illæ sexaginta libræ quas pro defuncto consanguineo nostro Ludovico de Meleduno tenemur solvere magistro Reginaldo de molendinis & nepti suæ ad vitam cujuslibet ipsorum, super dicta nostra hæreditate annis singulis persolvantur, & in testimonium præmissorum ac confectionis hujusmodi testamenti nostri vel ordinationis nostræ ultimæ voluntatis invocamus in testes dictum reverendum patrem & curatum S. Pauli, Guichardum de Vernoto & Petrum Gobart clericum, & præsenti schedulæ nostrum fecimus apponi sigillum præsenti protocollo prænominatos testes seu assistentes rogantes quatenus huic consimiliter una cum sigillo nostro sigilla sua apponant. Actum Parisiis 28 die Januarii, anno Domini 1344.

Digitized by Google

CXIII.

Ex chartis archiepiscop. Senon.

Guillelmus archiepiscopus priori B. Mariæ Aurelianensis concedit ut duas tantum argenti marchas solvat pro visitationis jure.

1345. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione divina Senonensis archiepiscopus salutem in Domino. Cum nostram provinciam visitantes & ad prioratum B. Mariæ inter muros & fossata Aurelian. visitationis causa personaliter declinantes procurationem integram ratione visitationis in dicto prioratu per nos impensæ a Guillelmo priore prioratus ejusdem habere & percipere niteremur, præfatus prior nobis insinuando monstravit quod dicti prioratus sui redditus, facultates & proventus circumscripta præbenda ecclesiæ B. Aniani Aurelianensis exemtæ & sedi apostolicæ immediate subjectæ, ratione cujus præbendæ a nobis debebat minime visitari, sed causa solius curæ animarum prioratui suo annexæ, erant adeo tenues & exiles quod non poterant ad procurationem integram, nec etiam ad mediam, ut dicebat sufficere quovis modo absque prioratus sui gravi & irreparabili detrimento, asserens sanctissimum patrem & dominum nostrum Clementem papam VI tempore quo præerat ecclesiæ Senonensi, necnon bonæ memoriæ Philippum prædecessorem & patruum nostrum præcarissimum nomine & ratione procurationis temporibus suis sola marcha argenti a prædecessoribus ejusdem dicti prioratus olim præmissorum intuitu fuisse contentos & nihil ultra ab eis procurationis nomine exegisse, prout per ipsorum patentes litteras plenius asserebat. Quam ob rem nobis humiliter supplicavit quatenus præmissis pie & misericorditer perpensis ad sedandas litium & controversiæ materias quæ olim inter prædecessores nostros & dicti prioratus priores occasione petitionis integræ procurationis olim insurrexisse noscuntur & forsan in futurum insurgere formidantur, vellemus pro bono pacis & tranquillitatis perpetuæ attentis præmissis procurationem nobis in dicto prioratu debitam ratione visitationis ad aliquam summam tolerabilem moderari & moderationem faciendi de assensu dilectorum nostrorum filiorum decani & capituli nostræ Senonensis
D ecclesiæ, firmam, inconcussam & perpetuam stabilire. Nos igitur super recitatis, allegatis & propositis supplicationi dicti prioris favorabiliter annuentes, de consensu dilectorum filiorum nostrorum decani & capituli nostræ Senonensis ecclesiæ irrefragabiliter ordinamus quoties in posterum nos & successores nostros dictum prioratum visitare contigerit, causa & ratione procurationis 2 marchis argenti contentari debere temporibus successivis nec quicquam a nobis aut successoribus nostris ultra 2 marchas procurationis nomine peti debere. Datum sub sigillo nostro, anno Domini 1345, die Mercurii post ramos Palmarum, &c.

CXIV.

Petrus abbas nonnulla ordinat circa divini officii celebrationem pro fratribus qui Pruvinum secesserant

1358. FRATER Petrus Joiaci abbas dilectis fratribus Petro de Cruce, Johanni de Vincenis & Johanni de Pruvino monachis nostris in Domino salutem. Attendentes ex sacræ testimonio scripturæ, quod timentibus Deum nihil deest, & quod quærentibus regnum Dei adjiciuntur cætera; consequenter, ut per pensum servitutis nostræ Domino redditum spiritualiter & temporaliter ipsius gratiam his diebus potissime acquiramus, de consilio & assensu omnium nobiscum in Pruvino degentium, quos propter
A numerum majorem conventum esse & facere rationabiliter credimus, ordinamus fieri quæ sequuntur, videlicet quod abhinc & quamdiu conventum facientes manebunt in Pruvino, decantabunt solenniter, sicut in monasterio facerent, omnes horas canonicas & alias more ordinis & dictæ nostræ ecclesiæ decantandas, præter missam B. Virginis, quæ propter ipsius reverentiam, & quod in ejus honore dicta nostra ecclesia fundata est, remanebit in ecclesia, & ibi celebrabitur. De cætero, diebus scilicet Dominico, Jovis & Sabbato solenniter, & aliis diebus sine cantu. Quare ut ordinatio nostra quantum ad hoc effectui debito demandetur, vobis prænominatis sacerdotibus monachis nostris mandamus & injungimus in virtute sanctæ obedientiæ, dictam missam per ordinem dicto modo
B de cætero quotidie celebrare, horasque vestras canonicas horis competentibus in ecclesia dicere taliter, quod Deus qui corda hominum intrinsecus intuetur, absentiam nostram excusatam habeat, & durante malitia temporis per hoc de nobis & vobis dignetur contentari, vobis præfatis pariter & divisim districte inhibentes, ne sine mandato nostro speciali monasterium elongetis, & quotiens elongabitis, talem in gestu & habitu industriam teneatis, quod nihil in vobis appareat quod offendere debeat intuentes. Per hoc tamen non intendimus vos taliter compelli in dicto monasterio nostro remanere, quin pro custodia corporum vestrorum possetis ad nos venire gratia remanendi & non alias, quotiens opus fuerit. Et quod, sicut alias vobis scripsimus, vobis ipsis dumtaxat totius
C vestræ custodiæ periculum relinquimus. Eodem modo facient alii quos ibi mitteremus, si vos vellemus nobiscum, sicut possumus revocare, quamvis præstante Domino altissimo proponamus semper quamdiu ibi eritis vobis necessaria pro viribus providere. Et ut præsens nostra ordinatio notabilius ab omnibus quos tangit & tangere potest teneatur, præsentes nostras litteras sigillavimus proprio sigillo nostro, fecimusque sigillo conventus sigillari ad majus & fidelius testimonium præmissorum. Datum Pruvini Sabbato ante festum B. Vincentii, anno Domini M. CCCLVIII.

CXV.

Johannis regis litteræ de constructione ecclesiæ Fratrum minorum in urbe Senonensi.

JOHANNES Dei gratia Francorum rex. Sic 1362.
hostilium bellorum impietas diversorum climatum peccatis faventibus multas profanavit, subvertit & desolavit ecclesias, & earum invasit patrimonia, quod veneranda Dei templa hostium manu sacrilega diebus nostris nefarie violata proclamavit, in suæ restaurationis antidoto spe sublata, nisi super his catholica regis provideat clementia. Hinc nobis humilis conventus fratrum minorum Senonensium suppliciter exposuit, quod cum occasione guerrarum nostrarum dicti conventus ecclesia & habitationes in suburbiis civitatis Senonensis sitæ demolitæ fuerint penitus & destructæ, sic quod dictum conventum oportuerit infra dictam
E civitatem pro ipsorum fratrum mora locum eligere & ibidem se transferre, in qua civitate certas domos & habitationes pro dictis suis ecclesia & habitationibus reædificandis & denuo construendis acquisivit, quas domos & habitationes, sic per dictum conventum, ut dicitur acquisitas sine nostris licentia & autoritate retinere non potest vel habere. Quare fratres dicti conventus nobis humiliter supplicarunt, sibi super hoc nostram gratiam impartiri. Nos igitur volentes more prædecessorum nostrorum non minui, sed potius augeri cultum divinum, notum facimus universis præsentibus & futuris, quod ad honorem Dei Virginisque gloriosæ & B. Francisci, totiusque curiæ cœlestis dictis fratribus concessimus & concedimus de nostris certa scientia & gratia speciali per præsentes,

Digitized by Google

ut ipsi eorumque successores dicti conventus dictas domos & habitationes, ut dicitur, per vos acquisitas, dum tamen decem librarum annualium valorem non excedant, perpetuo tenere & possidere valeant pacifice & quiete, & in dictis locis prout eis magis placuerit, eorum ecclesiam aut alia opera quæcumque construere, absque hoc quod dictas domos & habitationes in futurum extra suam manum ponere aut alienare, aut absque eo quod nobis & successoribus nostris financiam pro præmissis quoquomodo præstare cogantur aliqualem. Quam quidem financiam intuitu pietatis, quodque pro nobis & nostris successoribus perpetuo duas missas, unam videlicet de S. Spiritu, & aliam de B. Maria vita nobis comite, convertendas, nobis vita functis, in missas defunctorum, annis singulis celebrari tenebuntur, eisdem fratribus remittimus per præsentes. Quapropter universis & singulis justiciariis & officiariis nostris præsentibus & futuris, vel eorum loca tenentibus & cuilibet eorumdem damus tenore præsentium in mandatis, quatinus dictos fratres nostra præsenti gratia perpetuo uti faciant & gaudere pacifice & quiete, nec contra ipsius tenorem impetant aut perturbent, seu perturbari permittant a quoquam. Quod ut firmum & stabile permaneat in futurum, nostris præsentibus litteris fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro, & in omnibus quolibet alieno. Datum Parisius, anno Domini M. CCCLXII, mense Maii. Per regem.

CXVI.

Donatio facta a Guillelmo de Melun capitulo Parisiensi.

1364. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus de Meleduno miseratione divina archiepiscopus Senonensis salutem in Domino. Rationi consonum reputamus immo necessarium de jure naturali ut illis nos reputemus obnoxios a quibus nos recognoscimus beneficia recepisse. Alias enim de vitio ingratitudinis quod abominabile reputamus & a quolibet fideli præsertim ecclesiastico viro & maxime officio prælationis fungente debet effectualiter abhorreri possemus non immerito reprehendi. Cupientes insuper & desiderabiliter affectantes cultum divini nominis nostris temporibus ampliari & etiam in animo revolventes quod magna beneficia recepimus ab ecclesia Parisiensi, quam titulus beatissimæ Virginis Mariæ matris Dei sui vocabulo mellifluì nominis insignivit, in qua ecclesia quamprimum nos venire contigit ad statum ecclesiasticum obtinendum canonicatum obtinuimus & præbendam, & inde ad culmen archiepiscopalis honoris meritis & intercessione ac gratia dictæ Virginis beatissimæ ut indubitanter credimus sublimati, licet non subsit nobis possibilitas ut aliquid condignum pro tot & tantis beneficiis rependamus, volumus tamen ipsi Virgini gloriosæ de aliquo servitio nobis possibili, & quod sibi gratum credimus respondere, indubitata fide tenentes quod imperfectum nostrum supplebit in conspectu Majestatis divinæ & in oculis Virginis memoratæ de bona promptitudine. Recolentes igitur quod dum in ecclesia Parisiensi prædicta annos agimus juventutis vidimus paucissimos servitores ad officium magnæ missæ in ipsa ecclesia convenire ut ipsius missæ solennis officium in magnum scandalum plurimorum & paucorum numero ipsius ecclesiæ servitoribus ageretur, dicto defectu proveniente pro eo quod hiis qui officio dictæ missæ intersunt, nihil aut valde modicum distribui consuevit. Nos ad laudem & gloriam divini nominis & ad ampliationem cultus divini prædicto defectui qui usque in hodiernum diem invaluit occurrere cupientes ut in dicta ecclesia debeant pro nobis in perpetuum preces porrigi apud Deum ut cæteri fideles & devoti nostra prosequendo vestigia ad facienda similia inducantur,

A de bonis a nobis justis titulis acquisitis a Deo creatore nostro in præsenti vita collatis damus atque concedimus titulo seu nomine donationis pure, libere & simpliciter quæ dicitur inter vivos, universos & singulos redditus, domos, molendina, terras, prata, vineas, censivas & alias possessiones quos seu quas habemus in villa & territorio seu finagio de Verno, quos seu quas tenemus in feodum a domino nostro rege penitus admortisatas & admortisatos, quorum seu quarum redditus, proventus & emolumenta distribui volumus iis qui officio magnæ missæ personaliter intererunt per hunc modum videlicet quod canonici & alii dignitates habentes in dicta ecclesia qui intrabunt ante epistolam, & continuabunt usque ad ultimum Agnus Dei, vel si ipsos exire contigerit
B infra primum Agnus Dei inclusive redibunt, ipsorum quilibet sex denarios parisienses pro distributione recipiat; aliter autem erunt distributione dicta privati. Item canonici sancti Aniani, Dionysii de Passu & Johannis Rotundi, necnon vicarii intrantes infra primum Kyrie eleison & qui continuabunt usque ad ultimum Agnus Dei ipsorum quilibet quatuor denarios parisienses recipiat, aliter ut supra in canonicis erunt privati illa die quatuor denariis ante dictis. Nec volumus etiam quod absentibus causa infirmitatis aut alia quacumque distribuatur aliquid de prædictis aut alias seu aliis personis quam superius est expressum. Volumus etiam quod contra præsentem ordinationem nostram dispensandi capitulo ecclesiæ prælibatæ sit penitus adempta facultas, transferentes in dictam ec-
C clesiam omne jus, dominium, actionem, proprietatem, possessionem & saisinam ac quæcumque nobis competentia & quæ competere poterant in terris, pratis, rebus & possessionibus memoratis, ita quod deinceps dicta ecclesia possit de prædictis omnibus & singulis tanquam de suis bonis propriis ad usus tamen & secundum modum prædictum libere disponere & efficaciter ordinare; promittentes bona fide & sub hypotheca omnium bonorum nostrorum quod nos donationem præsentem ratam habebimus perpetuo, & quod contra eam non veniemus nec venire faciemus aliquatenus in futurum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Actum Parisius anno Domini millesimo CCC sexagesimo quarto, die 22 mensis Martii.

D

CXVII.

Fundatio Cælestinorum in urbe Senonensi.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione divina archiepiscopus Senonensis salutem in Domino sempiternam. Exhibita 1366.
nobis ex parte mulieris devotæ Isabellis relictæ magistri quondam Johannis de Maiseriis domini regis consiliarii petitio continebat, quod cum idem magister Johannes dum vivebat, & eadem Isabellis, manente matrimonio inter ipsos, devotione pia ducti cum auctoritate nostra aut prædecessorum nostrorum dudum construxerint & ædificaverint unam capellam in nostra civitate Senonensi, ipsamque de bonis a Deo
E sibi collatis de septuaginta libratis terræ annui & perpetui reditus bene & utiliter assignatis & admortisatis dotaverint quatuor perpetuas capellanias in ea pro quatuor capellanis perpetuis ordinandis. Qui quidem quatuor capellani ex forma & tenore ordinationis dictorum conjugum debent facere residentiam personalem in ipsa, & celebrare qualibet hebdomada quindecim missas, & qualibet die in sero cantare unam antiphonam cum collecta de B. Maria: fuerintque quatuor capellani qui adhuc vivunt, dudum in ea instituti, & demum præfato Johanne sublato de medio dicta Isabellis superstes executrix testamenti Johannis ante dicti, habens potestatem plenariam ex tenore dicti testamenti, addendi, incrementum faciendi, detrahendi,

diminuendi, declarandi, corrigendi & interpretandi in, de, & super omnibus & singulis in dicto testamento contentis, prout eidem placuerit faciendum. Ejus devotione crescente & permaxime fervente ad confessorem almificum B. Petrum de Murrone quondam papam Cœlestinum, & ad fratres ordinis præfati B. Petri, pia intentione considerans austeritates, jejunia, pœnitentias, quas peragunt jugiter & sustinent, nec non divinum officium quod devotissime faciunt dicti fratres, se ipsam & præfatum Johannem tantorum bonorum spiritualium participes esse cupiens, insequendo, continuando, & per incrementum ad effectum deducendo devotionem præfati quondam mariti sui, & addendo ad ejus testamentum centum libratas terræ annui & perpetui reditus, necnon mille florenos auri nuncupatos francos in reditus perpetuos convertendos dictis religiosis donaverit, & realiter assignaverit, nonnullæque aliæ personæ devotione simili ductæ eisdem fratribus viginti libratas terræ donaverint: & insuper dicta Isabellis universales suos hæredes post ejus decessum ex nunc pro tunc quantum ad omnia ejus bona mobilia & immobilia dictos religiosos in solidum instituerit. Quæ quidem bona in valore non modico æstimantur, ac dormitorium & habitationes pro fratribus dictæ religionis construxerit, & capellam prædictam augmentaverit taliter quod pro conventu seu collegio ipsa capella cum præfato dormitorio & domibus adhærentibus apta & disposita reputetur, sub spe, confidentia & intentione quod dicta capella per nos & auctoritate nostra ordinaria erigatur in conventum & collegium ac prioratum conventualem fratrum dicti ordinis, quatinus fovendo devotionem ejusdem, necnon aliarum quamplurium personarum Deo & beatissimo confessori prædicto serventem devotionem habentium dictam capellam in conventum & collegium fratrum dicti ordinis creare & erigere dignemur eidem conventui & collegio omnia per ipsam Isabellam aliasve personas, ut præfertur donata assignando & constituendo pro dote & incremento donationis anuquæ. Nos itaque qui sacram religionem plantare & plantatam fovere ut debemus, modis omnibus aspiramus, ut in ea scilicet flores honoris & honestatis fructus in ubertate succrescant, & ut cultus divini nominis augeatur, præfatæ Isabellis devotæ petitioni tanquam Deo acceptabili, ac præfati Johannis, ipsiusque Isabellis ac fidelium defunctorum & vivorum animabus salutifere fore dignum annuere arbitrantes causæ cognitionem super omnibus & singulis in narratione petitionis Isabellis præfatæ supra expositis duximus diligentius præmittendam. Qua interveniente clare reperimus fundationem & dotationem præfatæ capellæ per præfatum Johannem de Maiseriis, eo modo quo supra narratum est factas esse, dictamque Isabellam ex tenore testamenti dicti Johannis solum & in solidum habere potestatem addendi, detrahendi, declarandi & interpretandi, de, in, & super omnibus in testamento dicti sui quondam mariti comprehensis & ordinatis: quodque dicta Isabellis de centum libris annui & perpetui reditus, ac de mille francis auri in reditus perpetuos convertendis fecit donationem realem, assignationem & traditionem fratribus ante dictis, constitit & constat etiam nobis clare de donatione & de præsumta magni valoris æstimatione omnium bonorum mobilium & immobilium, quæ ipsam Isabellam tempore sui obitus habere contigerit dictis fratribus ut prædicitur donatorum, necnon de donatione & reali assignatione viginti librarum annui & perpetui reditus per alias personas eisdem fratribus facta. Quæ quidem donationes seu largitiones prædictæ factæ sunt ad incrementum dotis & dotationis primæ, quam dictus Johannes fecerat in fundatione capellæ, ut præmittitur, per eum ordinatæ, sub intentione, spe & confidentia quod dicta capella in prioratum conventualem fratrum prædictorum, ut in narratione petitionis præponitur, erigatur. Cartasque & litteras originales sanas & illæsas cum solemnitate debita confectas super omnibus & singulis donationibus factis dictis fratribus, ut præfertur cum diligentia & digesta deliberatione peritorum vidimus, oculataque fide cognovimus ipsam capellam cum adhærentibus ædificiis sic esse ædificatam, quod ad conventualem prioratum etiam duodecim fratrum apta & disposita merito censeatur. Quibus sic cum debita causæ cognitione & peritorum consilio & matura deliberatione peractis, requisito sæpius & instanter in diversis & interpolatis temporibus, quamvis non obtento nostri capituli consensu, licet in modico ipsum tangere videatur. Nolentes quod tantum, tam salubre, ac meritorium bonum, quantum in nobis est, remaneat imperfectum, ne fidelium devotio tepeat & decrescat in religionis & divini cultus detrimentum. Confidentes in Domino qui opus imperfectum non novit, quod defectus si qui sint forsitan in hac parte per benignam sedis apostolicæ gratiam & potestatis plenitudinem, si & in quantum opus fuerit suppleantur, capellam prædictam in conventualem prioratum fratrum ordinis prædicti in quantum in nobis est nostra auctoritate ordinaria fore decrevimus, ac per præsentes decernimus erigendum, ipsamque capellam ad laudem & gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis ac beatissimæ Mariæ Virginis in quorum honorem fundata primitus extitit, ac B. Petri Cœlestini confessoris almifici memoriam & honorem eadem auctoritate nostra ereximus & tenore præsentium creamus, constituimus & erigimus in collegium, conventum & prioratum conventualem prioris & fratrum ordinis ante dicti tenendum, regendum & gubernandum deinceps per priorem & fratres dicti ordinis in tanto numero fratrum qui de proventibus ipsius ex nunc vel in futurum crescentibus proventibus poterunt secundum statuta & regulares observantias ipsius ordinis commode sustentari: omnia & singula ut præfertur donata per traditionem omnium litterarum & cartarum super hujusmodi donationibus confectarum fratri Johanni de Nogento & fratri Michaeli Rogerli fratribus dicti ordinis nomine dicti prioratus conventualis, & pro ipso per nos realiter traditarum eidem prioratui, priori & fratribus per superiorem ipsius ordinis ad quem spectat ibidem instituendis pro dote & incremento dotationis primariæ assignantes, dictorum quatuor capellanorum in præfatis quatuor capellaniis institutorum quoad vixerint & cujuslibet alterius jure salvo. Quem quidem prioratum conventualem & priorem ac fratres ejusdem loco quatuor capellanorum nunc viventium, ut superius est narratum, prout Domino placuerit successive decedentium in omnibus emolumentis & juribus cujuslibet capellani decedentis & capellaniarum prædictarum, prout vacaverint, ex nunc pro tunc id perpetuum subrogamus hoc salvo quod quilibet quatuor capellanorum prædictorum quamdiu vivet aut suam capellaniam retinere voluerit onera ordinata & consueta supportando jura & emolumenta ad eamdem capellam spectantia percipiet & habebit. Insuper volumus, statuimus & ordinamus auctoritate qua supra, & nobis ac nostris successoribus ordinare reservamus quod fratres præfati ordinis in numero tanto quam seu quantum nos & successores nostros cum consilio aliquorum fratrum ipsius ordinis, habito respectu ad proventus & reditus præsentis temporis & futuri ipsius prioratus duxerimus arbitrandum in dicta capella & pertinentiis ejusdem de cætero resideant, conversentur & habitent & conventum faciant, cui prior instituendus præsit ut caput, & fratres ut membra priori subjaceant regulam sub qua ordo prædictus S. Petri militat per omnia observantes, prout & secundum quod fuit & est hactenus observatum. Et quod dicti fratres ex nunc & deinceps faciant in dicto loco seu capella divinum servitium pariter & nocturnum cum nota & alias ut moris

est fieri & observari in cæteris conventibus seu collegiis fratrum dicti ordinis secundum ejusdem ordinis statuta & observantias regulares, ac omnia onera prædictis capellanis ratione dictæ capellæ incumbentia & per fundatores ipsius ordinata & imposita, tam in specialibus anniversariis, quam in quadam antiphona singulis diebus hora completorii in dicta capella in honore beatissimæ Virginis decantanda, præfati religiosi & successores eorum in perpetuum post dictum capellanorum obitum, & postquam jus ipsorum capellanorum ad ipsos fuerit devolutum, subire per omnia absque diminutione aliqua teneantur, & nos ex nunc ad honorem Dei Omnipotentis, B. Mariæ Virginis, ac omnium Sanctorum, & specialiter præfati B. Petri de Murrone quondam papæ Cœlestini dicti ordinis patris & patroni, quicquid juris nobis ad causam ecclesiæ nostræ competit in dictis loco, capella & capellaniis ex ampliori dono & specialiori gratia in dictum conventualem prioratum ad augmentum dotis & dotationis ipsius, auctorisante Toletano concilio transferimus, & in perpetuum concedimus & quittamus cum formis & modificationibus antedictis. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum & actum Parisius in domo nostra, prima die Junii, anno Domini M. CCCLXVI.

CXVIII.

Martinus V permittit usum pontificalium abbati Prulliacensi.

1419. MARTINUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Johanni abbati & conventui monasterii Prulliaci Cisterciensis ordinis Senonensis diœcesis salutem & apostolicam benedictionem. Exposuit nostræ devotionis sinceritas, & religionis promeretur honestas, ut tam vos quos speciali dilectione prosequimur, quam monasterium vestrum digne honoribus attollamus. Hinc est quod nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu, fili abbas, & successores tui abbates dicti monasterii qui pro tempore fuerint, mitra, annulo & aliis pontificalibus insigniis libere possitis uti, necnon quod in dicto monasterio & prioratibus eidem monasterio subjectis ac parochialibus & aliis ecclesiis ad vos communiter vel divisim pertinentibus, quamvis vobis pleno jure non subsint, benedictionem solemnem post missarum, vesperarum & matutinorum solemnia, dummodo in benedictione hujusmodi aliquis antistes vel apostolicæ sedis legatus non fuerit præsens, elargiri possitis felicis recordationis Alexandri papæ IV prædecessoris nostri, quæ incipit *abbates*, & aliis quibuscumque constitutionibus apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus, vobis & eisdem successoribus auctoritate apostolica de speciali gratia tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo, &c. Datum Florentiæ calendis Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

CXIX.

Ex archivo ecclesiæ Senonensis.

Festum fatuorum abolitum.

1445. LUDOVICUS miseratione divina Senonensis archiepiscopus, & frater Stephanus magni ordinis fratrum Prædicatorum vicarius reverendi magistri domni inquisitoris generalis fidei regni Franciæ in civitate & diœcesi Senonensibus auctoritate apostolica specialiter deputatus, universis ecclesiarum & monasteriorum prælatis & eorum capitulis cæterisque personis ecclesiasticis civitatis & diœcesis Senonensium, salutem in omnium salutis auctore, & eidem in omni sanctitate & justitia omnibus diebus servire. Domum Dei decet sanctitudo, ut cujus in pace factus est locus, cultus ejus sit cum debita veneratione pacificus, sit itaque ad ecclesias humilis & devotus A ingressus, sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placida, quæ considerantes eam non solum instruat, sed & reficiat: paveant igitur & erubescant observantes cujusdam festivitatis ritum nefarium, quem sui præpositores festum fatuorum vocant, quem procul dubio diabolica institutio sub venerabili nomine Domini & jocunditatis dierum natalitiorum ejus sacerdotibus & clericis in multis ecclesiis observandum tradidit, quibus diebus omni sanctimoniæ studere deberent, & spurcitiis & immunditiis sese conferunt & applicant tempore divini servitii, larvatos & monstruosos vultus deferendo cum vestibus mulierum, aut lenonum vel histrionum, choreas in ecclesia & choro ejusdem ducendo, cantilenas inhonestas cantando, offas pingues super cornu altaris B juxta celebrantem missam comedendo, ludum taxillorum ibidem exercendo, de fumo fetido & ex corio veterum sotularium thurificando, per totam ecclesiam liguriendo, saltando, turpitudinem suam non erubescendo, nudos homines sine verendorum tegmine inverecunde ducendo per villam & theatra in curribus & vehiculis sordidis ad infamia spectacula pro risu astantium & concurrentium se transferendo, turpes gesticulationes sui corporis faciendo, verba impudicissima atque scurrilia proferendo, & multas alias abominationes quarum pudet reminisci faciendo, & quod recte vocatum est hoc flagitiosum coagulum festum fatuorum, videlicet coagulatio malorum hominum exultantium in rebus pessimis, qui cultum divinum irrident & commaculant, dum ludibria paga- C nica & erronea divino servitio permiscent, & multas alias derisiones & fatuitates contra divinæ majestatis reverentiam, in sacramentorum derisum & illusionem, sacrorumque canonum & ecclesiasticarum sanctionum transgressionem & læsionem a regula & honestate sacerdotum apostatando, statum ecclesiasticum scandalisando & deturpando, & in fide suspectos & reprobatos, ac deformatores ecclesiæ & ordinis ecclesiastici se manifeste ostendendo, ludibria insuper talia qualia sacerdotes phanatici suis in templis & idolis fieri non permitterent, & quippe se consuetudinis tegmine protegere conantur, & pertinaciter suis factionibus resistunt. Quapropter suscepti regiminis cura sollicita & debitum officii compellavit nos hujusmodi consuetudinem, imo verius maledictam, nefa- D riam, damnabilem & pestiferam totaliter exstinguere ab ecclesiis & libris ecclesiasticis abradere, abolere & delere, ac de medio auferre, idcirco vos omnes & singulos talia perpetrantes monemus & exhortamur in Domino vobis omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ & fidei constantiæ, ac sub pœnis & sententiis in tales a sacris canonibus latis & promulgatis nihilominus injungentes & districte præcipientes ac mandantes quatenus post præsentium publicationem a ritu & corruptela prædictis quos tenore præsentium tamquam nefarios & a sacris canonibus reprobatos perpetuo damnamus, abolemus & exstinguimus, penitus cessetis, & illos tamquam male natos & mortiferos, fidei quoque catholicæ & animarum saluti contrarios fugiatis & depellatis, vestrosque subditos amodo & E in perpetuum ab hujusmodi festo aut verius superstitioso abusu cum derisionibus, fatuitatibus & superstitionibus prædictis abstinere faciatis, a librisque cantus quibus scribuntur abradatis & deleatis, alioquin contra omnes & singulos cujuscumque gradus, status, ordinis aut conditionis fuerint, exemptos & non exemptos, talia perpetrantes, sicut contra suspectos in fide & male sentientes de honorificentia Dei & sacramentorum procedemus; & si reperti fuerint super hoc rebelles, quod absit, vel contemptores, contra eos & alios culpabiles auxilii secularis potestatem invocabimus, de hæresi judicialiter arguendos secundum canonicas sanctiones, & ne super præmissis quisque ignorantiæ velamine se tegere valeat, præsentes litteras publicari palam & publice, ac earum copiam

copiam in valvis ecclesiæ nostræ metropolitanæ Senonensis cum clavis affigi & dimitti præcipimus & mandamus. Datum Senonis sub sigillis nostris die 24 Novembris, anno Domini 1445.

Signatum F. BAPAULME.

CXX.

Patribus Societatis Jesu concionandi & confessiones excipiendi restituitur facultas.

1675. *JEAN de Montpezat de Carbon, par la miséricorde de Dieu, & par la grace du saint Siége apostolique, archevesque de Sens, Primat des Gaules & de Germanie: Au clergé & au peuple de nostre diocese, salut & bénédiction. Comme l'un des principaux soins des évesques que le S. Esprit a establis pour régir & gouverner son église, a toûjours esté de mettre par tout la paix, nous avons cru que nostre premiere sollicitude devoit estre d'examiner les sujets & causes des troubles & contestations qui peuvent estre dans le diocese que la Providence divine nous a confié, & de les faire cesser; & ayant trouvé qu'un des plus considérables provenoit de plusieurs procédures, ordonnances & sentences données par l'official de défunt illustrissime & reverendissime messire Louis-Henri de Gondrin archevesque de Sens notre prédécesseur, & par lui-même, particulierement de l'ordonnance du 4 mai 1650, & de la sentence du 25 janvier 1653, portant défenses aux peres de la Compagnie de Jesus du collége de Sens, de prescher & administrer les sacremens aux fideles de l'un & de l'autre sexe du diocese de Sens, & à tous autres de ladite Compagnie de faire aucunes fonctions ecclésiastiques dans l'étendue dudit diocese, excepté dans leur église, où il leur estoit permis seulement de célébrer la sainte messe, & déclaration d'excommunication en termes généraux contre tous ceux qui auroient esté à confesse auxdits Jésuites au préjudice des susdites défenses qui leur auroient esté faites sous ladite peine: Nous avons estimé qu'il estoit nécessaire de pacifier tous ces troubles, & pour cet effet, après que le pere recteur du collége de la ville de Sens, tant pour luy que pour les autres prestres dudit collége, nous a cy-devant demandé les approbations nécessaires pour prescher, administrer les sacremens & faire les fonctions ecclésiastiques dans notre diocese, & qu'il nous plust rétablir toutes choses en l'estat où elles estoient avant lesdites ordonnance & sentence, non seulement pour eux, mais encore à l'esgard de tous les peres de leur compagnie; Nous avons chargé nostre grand-vicaire de donner lesdites approbations & permissions audit Recteur & aux autres prestres dudit collége, suivant les regles de l'église: Notredit grand-vicaire ayant exécuté nos ordres sur ce sujet, Vû par nous lesdites ordonnance & sentence; & oüi sur ce le promoteur de notre archevêché, nous vous déclarons par ces présentes que tous les prêtres de ladite compagnie du collége de Sens & d'autres lieux, peuvent célébrer en tout notre diocese la sainte Messe, & que l'on peut recevoir le sacrement de pénitence de ceux qui sont & seront approuvés de nous ou de nos grands-vicaires, aller à leurs sermons, & les employer pour ces saints ministeres, ausquels nous les jugeons très-propres; & pour cet effet, nous avons levé & levons les défenses & censures portées par lesdites ordonnance & sentence. Et afin que les présentes soient notoires, nous ordonnons qu'elles seront publiées & affichées par-tout où besoin sera, à la diligence de notre promoteur. Donné à Saint-Germain-en-Laye, où nous sommes pour l'assemblée générale du Clergé de France, le 22.e juillet 1675.* Signé *J.* DE MONTPEZAT *archevesque de Sens. Et plus bas, par monseigneur,* GRANGER.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ AUTISSIODORENSIS.

I.

Ex chartul. *Diploma Caroli calvi pro monasterio S. Germani.*

864. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Carolus gratia Dei rex. Si petitionibus servorum Dei, quas nobis pro suis necessitatibus insinuaverint, benignum assensum præbemus, regiæ præcellentiæ opera imitamur, ac per hoc æternæ beatitudinis gloriam facilius nos adepturos non dubitamus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus, & nostris præsentibus atque futuris. Quia monachi monasterii S. Germani, cui Deo authore dilectus filius noster Lotharius abbas præesse cognoscitur, ad nostram simul cum conforte regni nostri Irmintrude accedentes sublimitatem humiliter petierunt ut quasdam villas ex eadem abbatia usibus eorum deputatas perpetua lege habendas, auctoritatis nostræ præcepto concedere & confirmare dignaremur. Quorum petitionem clementer nos audisse, & libenter excepisse omnibus Dei, nostrisque fidelibus notum esse volumus. Sunt autem hæc nomina earumdem villarum. In primis mansella in giro monasterii sita, & omnes clausi vinearum in dominicatu. Scilicet ille qui adhæret monasterio, & campaniæ plantæ habundantia, curtianus & clausellus de Paveniaco cum aliis vineolis. Ariacum cum ecclesia & manso indominicato & appenditiis suis. Mansella in Fontanilliis quæ cum Uvenilone episcopo commutaverunt ex rebus S. Remigii colonias villare, quam cum Acliniaco villa cameræ eorum deputata præcepto nostro commutando eos habere decrevimus cum manso in dominicato & appenditiis suis. Mansella quæ Hildeburgis dedit. Monasterium medium cum ecclesia, quod ipsi habent ad vicem consulturi Desiniacus cum ecclesiis duabus & appenditiis suis. Mansus imus in riva, & alia mansa in Sorgiaco & Logronio. Orgiacus & Palliniacus cum appenditiis earum, Busquiliacus valans, Quinciacus media quam commutaverunt pro Ledesmo. Pariniacus cum ecclesia & manso indominicato, & omnibus appenditiis suis, quam de rebus S. Stephani ad comitatum pagi Autissiodorensis pertinentibus cum Conrado comite, & Christiano episcopo pro Festiniaco Lestralio Gremuiolo præcepti nostri auctoritate commutaverunt. Rocovorumque cum eodem Conrado pro modolagio commutaverunt. Et Sidiacus Nauriacus. Et in Bernensi pago vinea una, urus & modologius. Lucianus, Monstalonus & Magniacus, in quo sunt per diversa loca mansi viginti quatuor, quæ nos auctoritatis nostræ præcepto, eorum usibus ex proprio destinavimus. Vulturniacum cum appenditiis suis. Mansella in colinicitas. In Acliviaco mansos tres cum farinario, pro quibus ipsi dederunt quatuor mansos per diversa loca. In pago Trecasino mansum unum, & diversæ terræ in eleemosynam illis datæ. Cella Melederensis quam, eis deprecantibus, ipsis monachis sociavimus, cum quibus & unam villam Abundiacum nomine pro Oloniaco villa commutaverunt. Præterea Quiriliacus media & Cociacus quas ipsi de sua portione deputaverunt ad susceptionem *, ad portariam tantummodo monachorum & familiarium suorum. Sed & mansilli qui sunt in Vogrado & Castaneto, & mansus unus in Silviaco cum terris & vineolis & linerisiis & mantilla & blariaco cum appenditiis suis; & in villare mansos duos cum vineolis & terris quas diversi homines pro eleemosyna vel pro loco sepulturæ largiti sunt; & in Badesia mansum unum thesauro deputati. Res quoque quas dedit Airmarus vir nobilis ad stipendium pauperum, quos nonnones vocant; hoc est in nigranto & in lagunas, seu linerulas vel ferulas *,

* Ibi aliquid deest, forsan hospitium.

* Deest aliquid.

vendosa, Calmacus, & in Vaiziaco mansum unum; in Vagrado mansum unum; in Creio mansum unum; in Crians mansum unum peregrinorum susceptioni deputata. Has denique res cum familia & omni alia integritate usibus & stipendiis memoratorum servorum Dei sine aliqua substractione, vel minoratione perennibus temporibus habendas altitudinis nostræ testamento hoc constituimus & confirmamus. Ordinamus etiam atque constituimus ut de ipsis rebus, quas Bonihomines nuper eidem monasterio pro eleemosyna contulerunt, præpositus ejusdem loci per quadraginta dies in anno in festivitatibus sanctorum benedictiones fratribus præparet, sicut in alia carta, vel præcepto nostræ altitudinis continetur. Præcipientes autem jubemus, & jubentes confirmamus ut nulli abbatum ejusdem loci, aut cuilibet alteri personæ liceat ex præscriptis omnibus rebus aliquid in alios, præterquam constituimus, usus redigere aut retorquere, aut aliquid habendum conferre, neque censum, aut honorem, aut dona quælibet, vel pastos ab eisdem servis Dei ullatenus præsumat requirere, sed quidquid ex inde fieri potest, juxta quod præceptum est regulari amministratione, usibus & utilitatibus eorum auctore Deo omnibus habeatur temporibus. Interea volumus & confirmamus ut quidquid * de sæculo in idem monasterium ad regularem conversationem agendam, favente Deo venientes, ex possessionibus suis obtulerint, sive contulerint, vel alii quicunque hominum, sicuti eorum voluntas, & collatio facta apparuerit, sine rectorum ejusdem loci aliqua immutatione inviolabiliter semper perseveret atque permaneat. Ut autem hæc præcellentiæ nostræ confirmatio meliorem semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu nostra eam subterfirmavimus, & de annulo nostro sigillari fecimus. Datum duodecimo kalendas Julii, indictione duodecima, anno vigesimo quarto, regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum apud Pistas in Dei nomine feliciter. Amen.

* quicunque.

II.

Ex chartul.

Confirmatio ejusdem diplomatis ab episcopis in concilio apud Pistas celebrato congregatis.

864. ANNO ab Incarnatione Domini 864, indictione 12ª, anno vero regni gloriosi regis Caroli 24º. Positis nobis diversarum provinciarum & urbium Galliæ præsulibus in loco qui Pistas vocatur quo nos generalis necessitas traxerat instituendi munitiones contra Normannos, quo etiam pro regni statu confirmando regia nos præceptio evocavit; adierunt nos legati monachorum sancti Germani Autissiodorensis monasterii quibus præest memorati regis filius, venerabilis abbas Clotarius, supplicantes ut ad loci sui religionisque stabilitatem, ac securitatem perpetuam obtinendam de facultatibus ipsius monasterii eorum usibus specialiter deputatis, decreti nostri auctoritatem emitteremus, ne aliqua deinceps immutandi ea quæ juste petita, & concessa sunt, cuiquam pateret facultas. Quippe ut prudentes viri atque religiosi tenentes memoria illud quod recte præcipitur, in die bonorum ne immemor sis malorum. Et suspectam habentes rerum incertarum mutationem sibi per nos consuli optaverunt ut inter varias mutationum vicissitudines ipsi divino munere, nostroque consensu freti nulla unquam necessitatis occasione paterentur suæ religionis dispendia, sed potius ipsius Dei, nostraque provivisione, assiduis, immutabilibusque beneficiis ad meliora incitarentur. Eorum igitur studium approbantes, prudentiamque penitus amplectentes, facilem votis præbuimus assensum optatumque impendimus favorem; ut sanctorum operum quæ illis divinitus conferentur, non adjutores solum, sed etiam efficiamur participes. Quæcumque igitur regia munificentia ad conservationem sui propositi sunt adepti, quæque

A præcepto ejus nominatim expressa & collata sunt. Id est mansa in gyro monasterii sita; & ut vulgo loquamur, clausi vinearum, scilicet ille qui adhæret monasterio, & campania, plantæ habundantia, Curticanus, & clausellus de Patriniaco, cum aliis vincolis; Arriacus ad integrum; acta ripa cum integritate; mansella in Fontaniliis quæ cum Uvenilone metropolitano episcopo permutaverunt de rebus S. Remigii, colonias, villare quod cum Agliniaco villa cameræ eorum deputata, regio præcepto per commutationem habere decretum est cum manso indominicato, & appenditiis suis ad integrum. Mansella in Mariaco; Pons-Maxentus ad integrum; mansella quæ Hildeburgis dedit monasteriolum medium; Desimiacus ad integrum; albus appus media, cum ecclesia; mansum unum
B in ripa, & alia mansa in Sorgiaco & Laugronio; Orgiacus, Pauliniacus, Buculiacus valens, & Quinciacus mediæ quam commutaverunt pro Ledilino; Patriniacus ad integrum quam de rebus S. Stephani ad comitatum pagi Autissiodorensis pertinentibus cum Chuonrado comite propinquo regis, & Christiano episcopo pro Festiniaco Lestrodo & Graniolo regali auctoritate commutaverunt; Rochonorus quam cum præfato comite pro modolagio commutaverunt; Sediliacus, Nabriacus, Vendilus, & in Belnensi pago vinea una quæ Marga dicitur. Urus, Modolagius, Luciacus, Monstalonus, Magniacus etiam in quo sunt in diversis locis mansa viginti quatuor, & regio præcepto destinata sunt usibus monachorum; Ultumniacus cum coloniculis; in Agliniaco mansa tria
C cum farinariis & piscatione pro quibus ipsi dederunt mansa quatuor in diversis locis; in Trecassino pago mansum unum, & diversæ terræ in eleemosyna illis datæ; cella Meleredensis quam ipsis deprecantibus monachis regia liberalitas sociavit, cum quibus & ipsam villam Abundiacum nomine pro Oloniaco commutaverunt. Præterea Quintiacus media & Cotiacus quos ipsi monachi de portione sua ad portam deputaverunt excipiendis monachis & cæteris familiaribus suis. Sed & ad thesaurum mansella quæ sunt in Vogrado & Castaneto, & mansum unum in Sigliniaco cum terris & vineolis, in linerisiis & in nantilla & in blariaco cum appenditiis suis, & in villari mansa duo cum vineolis & terris quæ diversi homines pro eleemosyna vel loco sepulturæ largiti sunt, & in Badesia mansum unum. Res quoque quas dedit Heri-
D marus vir nobilis ad stipendium matriculariorum quos Nonnones vocant: hoc est in Nigronto & in lacunis, seu linerolis & ferrolis. Item ad hospitale pauperum vendosa cum appenditiis suis; Calviacus, & in Ganarchiaco mansum unum; in Baslao mansellum unum cum vineolis; in Vogrado mansum unum, in Valariis similiter, in Creanlo similiter, in Crepio similiter, sicut etiam regia magnificentia concessit, ita & nos concedimus, ut intra annum per quadraginta dies certos ex collatione recenti bonorum hominum in festivitatibus sanctorum benedictiones fratribus a præposito vel decano solemniter procurentur. Præcipimus quoque ut ex omnibus reliquis facultatibus monasterii, quæ vel dominico jure, vel beneficiorum consuetudine detinentur, decimæ hospitalibus divitum vel
E pauperum, sicut olim statutum est, ad integrum conferantur, & sartatecta totius monasterii ex his auxiliis, quæ mansa debent certis opportunis temporibus, instaurentur. Nos Deo, & ipsi domino regi uberes gratias referentes statuimus in perpetuum immutabiliter conservanda, nec unquam ullum defectum, imminutionemque passura quamdiu Deus & dominus noster in hac peregrinatione ecclesiam suam dignatus fuerit gubernare. Optamus enim ut gloriosus dominus noster beneficiorum suorum cum Dei cultoribus Deo conferente, quandoque percipiat præmium, quibus ut congruum fuerat suæ largitionis præbere non distulit munimentum. Nos vero memores nostri officii eosdem venerabiles fratres monemus ut sancta religione,

Digitized by Google

quam Deo professi sunt, quotidie proficiant, & suæ sanctitatis exemplo ad se accedentes instigent, famaque laudabili, ad Dei gloriam absentes quoque esse studeant imitabiles, ut eorum merito & secularis respublica dirigatur, & infatigabili intercessione cunctæ res ecclesiasticæ fulciantur. Si quis autem abbas vel alia quælibet contraria persona hanc nostram constitutionem aliqua impedire astutia, vel corrumpere subreptione molitus fuerit, aut censum sive commodum aliquod imponere tentaverit, quæ nos ne servi Dei gravarentur penitus exclusimus, hac nostra admonitione comperta, nisi continuo se a malo subtraxerit, & competenti pœnitentia texerit, eum velut turbantem pacem, atque salutarem concordiam a perceptione sacratissimi corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi separamus, & anathemate, quo dignus est, plectendum, donec ex corde resipiscat, decernimus, ut qui scandalum intulerit quieti, ac refrigerio Deo famulantium, ipse ab eis exclusus damnationem debitam perferre cogatur. Ut autem hoc privilegium certum jugiter obtineat vigorem, Deique famulis plenam semper conferat securitatem, subscriptionibus in propria præsentes roboravimus; & absentes fratres, & coepiscopos nostros ut idem facere dignentur, seque nobis etiam in hoc unanimes exhibeant obsecramus.

Wanilo munere divino Senonensis episcopus hoc privilegium recognovi & subscripsi. Hincmarus nomine, non merito Remorum episcopus, ac plebis Dei famulus subscripsi. Rodulphus Bituricensis episcopus subscripsi. Agius sanctæ Aurelianensis ecclesiæ episcopus subscripsi. Christianus Autissiodorensis episcopus egrapsi. Lindo vocatus episcopus sanctæ Nivernensis ecclesiæ subscripsi. Folchrius indignus episcopus Augustæ Tricarum subscripsi. Isaac sanctæ Lingonensis ecclesiæ indignus episcopus. Herpuinus sanctæ Silvanectensis ecclesiæ episcopus. Girbaldus indignus Kavillonensis episcopus. Hilduinus divina miseratione vocatus Ebroicensis episcopus. Ingenaldus Pictavorum gratia Dei episcopus. Oddo Suessionensis episcopus in nomine S. Trinitatis. S. Rothlaunus episcopus ecclesiæ Arelatensis hoc privilegium firmavi & subscripsi. Erchenraus sanctæ Cathalaunensis ecclesiæ indignus episcopus. Ragenelmus sanctæ Tornacensis ecclesiæ indignus episcopus. Lintbertus S. Moguntiacensis ecclesiæ episcopus. Alfredus Hildevisheimensis episcopus subscripsi. Friculfus S. Sanctonicensis ecclesiæ indignus episcopus. Bernaldus S. Matisconensis ecclesiæ episcopus subscripsi.

III.

Carta Gaufridi comitis Joviniacensis de malis consuetudinibus quas remisit monialibus S. Juliani.

1044. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Gaufridus comes notum volo fieri, quod venit ad nostram præsentiam Emma venerabilis abbatissa monasterii S. Mariæ, sanctique Juliani martyris, quod est situm extra muros Autissiodorensis civitatis, deprecans ut in ipso monasterio Deo servientibus cartam fieri juberem de quibusdam malis consuetudinibus, quas domnus Gaufridus pater meus in vita sua vuirpivit Deo & S. Mariæ Virgini, & sancto pretioso Christi martyri Juliano, per deprecationem matris meæ Aahelaidis, consensu & consilio nostro, & fratrum meorum, Gilduini videlicet archiepiscopi Senonensis, & Rainardi, & fidelium, ministrorumque nostrorum. Ego igitur Gaufridus filius ejus, post obitum patris, confirmo ea quæ ipse fecit pro remedio animæ suæ, ut qui particeps fui in peccato quod habuit, fiam particeps in pœnitentia qua pœnituit, & in eleemosyna, si qua sit, in comitatu Senonico & in villa quæ vocatur Mitiganna vuirpio totas malas consuetudines & usurpationes quas per malos ministros inveni, pro anima mea & antecessorum meorum, Deo & Sanctis ejus, acceptis de bonis ipsius loci, exceptis banno, raptu & incendio; ut nullus unquam aliqua accipere præsumat in ipsa villa, nec minister, nec serviens, in perpetuum, nisi ancillæ Dei jam dicti monasterii almi Juliani, ut possint Deo servire quiete per tempora succedentia. Si quis vero, quod absit, hoc infringere voluerit, vel cupiditate cæcatus aliquid acceperit, cum diabolo & angelis ejus damnatus, in inferno cum malis & perditis hominibus ardeat, etiam perpetuæ maledictioni & excommunicationi subjaceat; & hæc carta firma in æternum permaneat. Ut autem firma sit, & firma hæc nostra vuirpio vigeat, firmavi manu propria, & manibus fratrum meorum, id est archiepiscopi & Fulconis, cujus consilio facta est, manibusque fidelium meorum tradidi firmandam. Actum publice Autissiodoro, in monasterio sancti Juliani gloriosi martyris, sub die kal. Martii, regnante Henrico Francorum rege, anno XII. Quæ quidem carta signata est signo prædicti comitis & fratrum ipsius & aliorum plurimorum, & sigillata sigillo Gilduini archiepiscopi Senonensis & ejusdem comitis fratris.

IV.

Carta fundationis prioratus de Caritate. *Ex cartulario Cluniacensi.*

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ad notitiam 1059. posterorum notis memoriæ litteris assignamus, qualiter olim quoddam sanctæ ecclesiæ membrum in honore gloriosæ Virginis Theotocos dedicatum, quorumdam impietate percussum, statum maximæ dignitatis amiserit. Quibus, quia plurimum lacrymæ debemus quam culpæ, minus suæ crudelitati dabimus proloquium, de quorumdam humanitate, qui sibi compassi sunt, prolixius oraturi. Modum namque affectus hujusmodi, quemque supra in quibusdam fuisse tetigimus, ab illo duximus inchoandum qui primus in hac fabrica pietatis bonæ mentis manibus laboravit, generosum artificium eligens, scilicet ut si corpus ecclesiæ restauraret, corpus peccati pro certo destrueret, factaque de illo narratione ad quos dispositum fuerit, tum transibit historia. Igitur locus iste de quo proverbiari vel orare decrevimus Autissiodorensi ecclesiæ subditus ab antiquo, cum tantam nescio si pastorum incuria, aut violentia aliqua tyrannorum incurrisset injuriam, ut qui cibos Christi pauperibus exhibebat, in pastum mundanæ militiæ transferretur, heu proh dolor! tamquam mundana possessio dilaceratus inter vivos hujusmodi divisus est. Et quod nobis affluentiorem lacrymam pluit cordis a nubibus, rectoribus ab ipsis concessa est tam injusta divisio: sed fortasse quod putamus ipsorum crudelitate vel injuria fieri, necessitate vel industria sic esse permissum est: necessitate quidem, quoniam a prioribus sive a potentioribus sæculi violenter invasus aliter retineri non poterat, in quo etiam non minus est industriam meditari. Ergo per multas discursiones temporum cum hoc in exilio Dei sanctuarium moraretur, moramque majorem semper major comitaretur afflictio; Ego Goffridus sanctæ Autissiodorensis ecclesiæ episcopus cognoscens rem male ductam, volui magis Deo, quam tyrannicis petitionibus obedire. Unde ob remedium antecessorum meorum, & ob remedium salutemque animæ meæ & corporis dedi sancto Petro & loco Cluniacensi, cui magis prodesse, quam præesse videtur domnus Hugo abbas, hanc ecclesiam in honore sanctæ Deigenitricis consecratam, & super Ligeris fluvium sitam, cum omni terra, quæ nunc eamdem attinet ecclesiam, quæque ibidem acquiri poterit, annuente Willelmo Nivernorum comite hanc de me possidente, assentientibusque cæteris, quorum subscripta habentur nomina, ab ipso comite eamdem tenentibus. Et ut hæc

Digitized by Google

donatio & laudatio firma stabilisque permaneat, manibus & nominibus nostris eam firmavimus. Signum Goffridi præsulis, S. Goffridi archidiaconi, signum Gerardi præcentoris, S. Narduini, S. Walterii, Sig. Johannis, S. Goscelini, S. Lamberti, S. Waldi archipresbyteri, S. Hugonis præpositi & subdiaconi, S. Roberti sacerdotis, S. Rainaldi sacerdotis, signum Warini sacerdotis, S. Goffredi sacerdotis, S. Geraldi sacerdotis, S. Roberti subdiaconi, S. Hugonis subdiaconi, S. Arnulfi subdiaconi, S. Gerardi subdiaconi, S. Goffridi subdiaconi, S. Raimbaldi subdiaconi, S. Goffridi subdiaconi, S. Goffridi subdiaconi, S. Hugonis subdiaconi, S. Wivini subdiaconi, S. Stephani subdiaconi, S. Attonis subdiaconi, Sig. Umbaldi pueri, S. Ingeraldi pueri, S. Umbaldi pueri, S. Henrici pueri, S. Widonis pueri, S. Willelmi pueri, S. Henrici pueri, S. Willelmi comitis de cujus beneficio esse videtur, S. Rainaldi de castro Marchiæ, S. Bernardi, S. Umbaldi, Rainaldi fratrum *de Chailent*, S. Rainaldi, S. Rocleri de Fraxiniaco, S. Gilleberti de Cresno, Sig. Giroli de Chalone. Actum Autissiodoro civitate publice, regnante Henrico Francorum rege & Philippo ejus filio, anno ab Incarnatione Domini M. LIX.

V.

Robertus episc. & comes Nivernensis confirmat omnia bona quæ donata fuerant monachis de Caritate in suo dominio, novasque donationes addit.

1094. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Noverit fidelium sacra posteritas quod dominus Robertus Willelmi Nivernorum comitis filius, cum utroque esset, præsulatus videlicet atque comitatus, honore sublimatus, pro animæ suæ remedio atque antecessorum suorum perpetua salute, Deo & S. Mariæ de Caritate ad usus & stipendia degentium ibidem monachorum, quidquid a fidelibus datum eisdem de rebus tam ecclesiasticis, quam etiam militaribus vel mundanis fuerat, in episcopatus comitatusque sui honore, & quidquid deinceps dabitur, concessit, annuit atque laudavit, ac proinde unum equum optimum a priore domino Willelmo accepit. Concessit autem prædictæ ecclesiæ monachis mansum Charliaci, quem Hugo Superciacensis donaverat, & cætera, ut prælibatum est, quæcumque de feodo, vel honore suo tam episcopali quam comitali collata & conferenda sunt, ut ea perenni dominio & jure irrefragabili possideant. Actum publice apud Marchiam castrum, sub præsentia domini Willelmi prioris, Ludovici quoque atque Giraldi monachorum, testibus Seguino milite Nivernensi, Leterico de Chalento, Vidone de Chastone, Rodulo, Marino & aliis quam pluribus. Anno ab Incarnatione Domini M. XCIV, Philippi autem Francorum sceptra gerentis anno 34.

VI.

Willelmus Nivernensis consul remittit ecclesiæ Autissiodorensi quamdam pravam consuetudinem quam antecessores sui capere solebant.

1096. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, veritatem diligentibus animarumque salutem quærentibus quod ego Willelmus Nivernensis consul ad remissionem peccatorum meorum & patris mei & matris meæ & antecessorum meorum, laudante uxore mea Adelaya comitissa, dimitto ecclesiæ B. Mariæ genitricis domini nostri Jesu Christi & B. Stephani protomartyris & Humbaldo episcopo Autissiodorensi & canonicis ejusdem ecclesiæ & successoribus eorumdem quamdam pravam consuetudinem, quam antecessores mei solebant capere, scilicet de domo episcopali & de rebus episcopii, quas post mortem episcoporum quasi proprias possidebant, vastabant & diripiebant. Hanc autem dimissionem tali & ejusmodi jure concessi ne deinceps aliquis hæres meus inde postea quicquam capere præsumat, aut si quicquam inde capere præsumpserit, totum honorem meum perdat. Facta autem hæc dimissio prius super altare S. Stephani, postmodum in eadem ecclesia publice Dominica die pridie calendas Septembris.

VII.

Carta dominorum de Toucy *pro monachis* de Crisenon.

NOTUM sit omnibus quod miles quidam nomine Marcus, concessione Hugonis Grossi a quo tenebat, dedit Deo & S. Mariæ Molismensi ecclesiam de Lucheio, & quidquid inde habemus, laudante domno Iterio de Toceio, de cujus casamento erat; qui etiam Iterius auxit donum de suo proprio, dans scilicet monachis duas oleas alodii sui in eadem villa, quam propriam tenebat, & de suo alodio, quantum propria eorum carruca araret, & quantum ipsi monachi ad prata de Brolio suo extirpare possent, & totum usuarium in silvis, in pascuis & in aquis ad nostros proprios usus. Testes sunt Balduinus, Eldrecus, Andreas præpositus, Wido capellanus. Postea vero domnus Hugo frater ejus, quem de rebus, antequam Jerosolymam iret, ubi mortuus fuit, hæredem constituerat, quidquid frater ejus Iterius Molismensi ecclesiæ donaverat, gratanter concessit. Insuper & suam tertiam partem de ipso eodem alodio supradicto ad augmentationem donavit. Deinde quidem ipse idem Hugo, divina gratia inspirante, & etiam cujusdam fratris nostri monachi exhortatione, dedit ecclesiæ Molismensi pro animæ suæ ac sui fratris Iterii salute, fratre suo Norgaudo laudante, de alodio *Crisenon* indeterminato, quantum ad ecclesiæ omniumque officinarum ædificationem, & ad hortum & ad virgultum & ad cimiterium necesse erat. Huic vero donationi adjecit & aliam, scilicet prædicti alodii suam tertiam partem; quam donationem cum ambo Jerosolymam tenderent, & Castellionem in Burgundia pervenirent, ibidem domnus Hugo renovavit, & Norgaudus frater ejus laudavit, & ob hoc inde triginta solidos habuit. Similiter & domno Hugoni quædam magni pretii mula tunc fuit omnino dono concessa, quæ antea tantum erat sibi præstita. Testes Johannes Radulphus, Walterius monachus *. De laicis fuerunt Briennus filius Odonis curta coxa, Gosbertus, Martinus, Tecelinus, Polesius. Cum vero Jerosolymam pertingere non potuerunt, ad propria regredi festinaverunt. Regresso igitur Hugone, locum *de Crisenon* cœpit magis magisque diligere, ecclesiam lapideam lignea prostrata construere, sua illic deferre, omnino in ejusdem loci augmento animum suum applicare. Sed dum de regressione sua valde dubitare videretur, rursum paravit viam ut suum votum impleretur. Cum autem de hac patria recedere debuit, domini sui Humbaudi Autissiodorensis episcopi præsentiam adiit, & donum quod S. Mariæ Molismensi fecerat, in custodia sua & defensione posuit; ac etiam priorem ipsius loci Walterium nomine in manibus reddidit, rogans eum, ut quamdiu viveret, Molismensi ecclesiæ testis fidelis ubique foret. Testes sunt ipsi dominus Humbaudus Autissiodorensis episcopus, Wauterius archipresbyter, Robertus capellanus, Odo de Avalone, Erucus frater Alexandri.

Circa 1100.

* monachi.

VIII.

NOTUM sit omnibus S. ecclesiæ fidelibus, quod dominus Norgaudus de Toceiaco, laudante uxore sua Ermengarde & filio Iterio, filiaque Beatrice &

cæteris infantibus suis, concessit Deo & S. Mariæ A Molismensi, sanctoque Nicolao insulæ *de Crisenon* ecclesiam de Lissiaco & omnia ad eam pertinentia, id est decimationes, oblationes, sepulturam & atrium totum, & totum feodum, quod Petrus de Castrocensurio ab ipso tenebat. Insuper quidquid ipsemet in eodem fundo possidebat in terris, silvis & pascuis, & in omni omnino consuetudine, nihil sibi in eo retinens, ad usus monachorum Deo & S. Nicolao in insula *Crisenon* sub obedientia Molismensis, ecclesiæ famulantium. Facta sunt hæc III nonas Januarii, IIII feria in eadem S. Nicolai ecclesia, tempore Humbaudi Autissiodorensis pontificis, Willelmi comitis Nivernensis; cui concessioni interfuimus testes isti, Gosbertus capellus, Andreas præpositus & Frogerinus filius ejus, Gaufredus de Vincelles, Hugo filius Wiberti, Alexander.

I X.

FIXUM atque in perpetuo ratum cuncti sanctæ ecclesiæ filii præsentes & successuri teneant quod Hugo de Toceio & Norgaudus frater ejus concesserunt Deo & S. Mariæ & ecclesiæ Molismensi & monachis in insula *de Crisenon* manentibus tantum de illo alodio, quantum habitationi & omnibus officinis eorum, hortis & virgultis & cimeterio necesse erat, & terram quantum una carruca laborare poterat; ita ut si aliqua mulier in ipsa terra a monachis culta habitare voluerit, non contradicant, & aliam terram accipiant, ut diximus, quantum propriæ carrucæ opus fuerit. Concessimus etiam eis usuarium silvarum, præter quod nihil vendent aut dabunt, & pascuarum . . . . . . ad omnes usus eorum; & de propriis porcis suis non dabunt pasnagium, & unam aream ad unum horreum faciendum, & unum furnum si facere voluerint, & quidquid ex eo exierit; duos quoque piscatores in Icaunam. Quotiescumque vero abbas Molismensis vel prior supervenerint, mittent piscatores in Icaunam & Batiolam, qui piscatores jurabunt quod pisces non vendent, sed in coquinam deferent. De pratis suis dederunt tantum de Brolio suo quantum uni carrucæ suffecerit, & extirpabunt frutices quantum necesse fuerit. Post hæc, post mortem domini Hugonis domnus Norgaudus frater ejus, tam pro ejus quam pro sua anima tertiam partem de toto alodio *de Crisenon* monachis in augmentum dedit, exceptis servis suis cum tenementis eorum. Quidquid etiam de suo casamento eis jam datum fuerat, laudavit scilicet dimidium molendinum, quod ab eo tenebat Gauffredus de Vincellis, & ecclesiam de Lucheio, & manum firmam quam Hugo de Puncta dedit S. Mariæ. Tribus quoque mancipiis eorum, id est pistori, coco & cellerario concessit usuarium aquarum & pascuarum & silvarum ad domos suas faciendas & ad ardendum, & areas domorum suarum. Si porcos habuerint in sylvis, dabunt pasnagium. Acta sunt apud Toceium castrum II kalendas Junii, præsidente Humbaldo episcopo ecclesiæ Autissiodorensis, & de his omnibus fecit donum prædictus Norgaudus domno Roberto primo Molismensis ecclesiæ abbati, laudante & concedente uxore sua Ermengardi & filia Beatrice cum cæteris infantibus suis, videntibus & audientibus testibus istis, S. Hugo canonicus filius Gocelini, S. Gosbertus filius Herberti *Wifel*, S. Johannes de Lanniaco, S. Valterius filius Calonis, S. Stephanus de Casellis, & Iterius frater ejus, Gosbertus Capellus, S. Hugo Grossus, S. Alexander, S. Hugo Rufinus, S. Fulco de Toceio. Hoc notandum quod justitiam propriorum mancipiorum dedit monachis, de his quæ deliquerint intra claustra vel cimiterium monasterii accedentibus suprascriptis testibus.

X.

Carta Stephani episcopi Æduensis de fundatione monasterii Fontisfini.

QUONIAM aliquando temporum vetustate seu 1104.
varietate hominum solent instituta aut oblivione, aut dolosa malignitate mutari vel everti, ideo litterarum notitia memoriæ commendare & determinare curavimus concessionem & donationem, quam Ausericus miles de Avalone & Wido de Nuceriis fecerunt Girardo & Warino heremitis & monachis de terra quæ est prope villam quæ dicitur Juga, quæ nominatur terra S. Petri, quam in feodo tenebant; alter
B id est Ausericus de domno Odone de Avalone, alter id est Wido de domno Milone de Nuceriis. Prædictus itaque Girardus & Warinus heremitæ & presbyteri secreti ab hominibus vivere volentes, & sine hominum lite & importunitate operi manuum insistere, pariterque ad dandum sibi & sociis suis victum ligonibus & aratris terram proscindere & excolere, petierunt a prædictis militibus donari sibi & per eos omnibus, quicumque per succedentia tempora ibi sub obtentu religionis in sancto famulatu Deo militarent, prædictam terram cum silva quæ consita erat, quia heremiticæ vitæ conversationi & quibuslibet in sancto proposito Deo famulaturis apta videbatur & opportuna. Ipsi vero cum deliberato & præmeditato apud se consilio statuta die hanc donationis investituram promptissima, sicut rogati fuerant, voluntate fecerunt
C & alacri; Ausericus quidem in manum Girardi heremitæ & presbyteri hoc donum fecit apud Avalonem nonas Januarii, quinta feria, consilio & voluntate amicorum suorum & uxoris suæ Mariæ & fratris sui Gibaudi videntibus hiis, quorum nomina in carta reperies, concedente etiam & laudante domno Odone a quo tenebat, & uxore sua Regina & filiis Arduino, Jocelino & Neterio. Alter vero scilicet Guido similiter hujus doni investituram consilio & voluntate amicorum suorum & uxoris suæ Teclinæ, quam eo anno in uxorem duxerat, fecit in manum Guarini heremitæ & presbyteri prædicti Girardi socii, XV kalendas martii, IV feria, hiis præsentibus & videntibus, quorum nomina in carta reperies, concedente pariter & laudante domno Milone a quo tenebat, &
D uxore sua Anna, & filio ejus Milone; & ne de spatio & meta locorum hujus datæ terræ ulla aliquando foret dubitatio, totum ex integro dederunt; ita ut nihil omnino in aliquo retinerent ex hiis omnibus, quæ habere videbantur infra publicas stratas duarum viarum, quarum una venit ab Autissiodoro, altera vadit Vezeliacum, quidquid scilicet quod eorum fuerit infra publicas quas vocant caminos includitur. Actum est hoc, ut prædiximus, anno Dominicæ Incarnationis M. CIV, prædictis datarum terminis & septimanarum feriis, additis testibus, quorum nomina in carta reperies. Insequenti quoque anno cum præfatus Guido S. Mariæ-Magdalenæ solemnitate celebrata ad propria repedaret, prædictum donum magnæ mentis devotione confirmavit, & in confirmationis augmentum in ejus doni auctoritatem, scriptum manu
E propria super altare prædicti loci posuit, & positum sibi legi & exponi fecit. Nec est prætereundum quod evoluto fere anni spatio postquam hæc sunt facta, cum dominus Hugo dux Burgundiæ Avalonem venisset, supra nominati milites, Ausericus videlicet & Odo ad eum accedentes prædictam hujus terræ donationem coram eo per ordinem exposuerunt: quod ille libens accipiens suæ quoque propriæ concessionis & confirmationis sanctione eamdem donationem firmam ratamque in perpetuum fieri instituit, & ad memoriam posterorum scripto tradi ibidem mandavit. Hoc autem factum IV kalendas Februarii, feria tertia, Avalone, præsentibus multis nobilibus

Digitized by Google

viris qui tunc ad ducis curiam convenerant, ex quibus testes in carta reperies. Ut igitur ratum illibatumque jure perpetuo permaneat, præsentis paginæ patrocinio & sigilli nostri auctoritate roboravimus. Ego Stephanus Dei gratia Æduensis episcopus, notum fieri volo præsentibus & futuris, quod sicut vidi & cognovi ex authentico scripto prædecessoris nostri bonæ memoriæ Henrici Æduensis episcopi sic attestor & firmum illibatumque jure perpetuo permanere decerno concessionem, quam Autericus miles de Avalone & Guido de Nuceriis fecerunt Girardo & Guarino heremitis & monachis de terra quæ dicitur Juga *.

* Joux.

X I.

Ex veteri membrana Regniacensis cænobii.

Quo tempore abbatia de Regniaco fundata sit, & quo die conventus advenerit, & sub quo abbate, vel a quo principe constructa sit.

1134. ANNO ab Incarnatione Domini M. CXXXIV, epact. XXIII, concurr. VII, indict. XII, feria VI ante adventum Domini, in die S. Andreæ apostoli, Innocentio Romano pontifice II°, anno IV pontificatus ipsius, Hugone Autissiodorensi pontifice, domno Stephano de Tociaco abbate primo loci ipsius, Ludovico rege Francorum, Guillelmo Nivernensi comite qui etiam locum ipsum comparavit, fundavit & ædificavit, ac postea carthusiam profectus, atque ibidem Deo serviens defunctus est. Fuit autem ipsa abbatia de Regniaco antea apud Fontesmum sub eodem venerabili patre per septem fere annos, ex eo scilicet tempore quo ibi ordo Cistercienfis advenerat. Hujus authores ab initio fuerunt sanctissimi & religiosissimi viri domnus Girardus & domnus Garinus, quorum unus in abbatem quamvis invitus sublimatus, alter vero in priorem electus est, qui ibidem cum multis fratribus longo tempore Deo servientes cursum vitæ suæ feliciter impleverunt. Horum itaque successores, supradictus scilicet abbas Stephanus quartus a beato Girardo cum suis posteaquam abbatiam Regniacum transtulerunt, memores sanctæ conversationis illorum die 3, id est IV nonas Decembris, die Dominica postquam ibi advenerant mittentes detulerunt corpora eorum, & in capitulo quasi patronos in uno sepulchro honorifice condiderunt. Tenuit autem idem venerabilis Stephanus abbatiam apud Fontisinum annis sex & mensibus fere tribus, apud Regniacum vero XXVII annis mensibus sex, qui simul juncti fiunt XXXIII cum supradictis diebus completisque annis LXII nativitatis suæ, VII kalendas Junii in vigilia Pentecostes diem clausit extremum anno ab Incarnatione Domini M. CLXII, flentibus nobis & desolatis.

X I I.

Humbaldi episc. Autissiodorensis carta pro monasterio Floriacensi adversus dominos Tociaci.

1110. ✠ CONVENIT episcopali regimini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, ac poscentium animis alacri devotione assensum impertiri. Igitur ego Humbaudus Dei gratia Autissiodorensis episcopus, notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, monachos S. Benedicti sæpius ad nos querimoniam deposuisse super injustas consuetudines quas domini Tociacensis castri exigebant in villa eorum vocata Villare, quas scilicet Nariotus primus eidem villæ indixerat. Qui, ut credimus, divina tactus clementia Hierosolymitanum iter adgressus, in medioque itinere morbo correptus, ad extrema deveniens, peccata sua Hierosolymitano patriarchæ confessus est, earumdemque malarum consuetudinum coram eo pœnituit. Sed audiens ab eo infructuosam esse pœnitentiam, nisi sequatur correctio, direxit litteras uxori suæ & suis, relaxandarum videlicet earumdem malarum consuetudinum gratia, mandans & rogans, ut pro salute animæ suæ, loco illi remitterentur, nec omnino deinceps repeterentur. Verum illi sicut se habet mos quorumdam, pessimis adjicere pejora, non solum easdem consuetudines relinquere noluerunt, verum etiam pejores addiderunt; super qua re prædicti fratres, & præcipue Letericus, cui locus ipse commissus fuerat, nostram adierunt præsentiam de injustitia sibi & loco suo illata conquerentes, rogantesque nos ut per justitiam episcopalem eos cogeremus ipsas injustas exactiones, sicut litteræ Narioti significabant, S. Benedicto & sibi, locoque illi liberas clamare. Quorum petitioni libenter assensum dantes, interdicto eis divino officio, ad justitiam demum venire coegimus, easdemque malas consuetudines remittere per manum nostram & clericorum nostrorum, astante nobilissimo Nivernensium comite Guillelmo, multisque procerum illius. Hæc ergo sunt quæ deinceps omni tempore remiserunt, tam uxor ipsius Narioti, quam Hugo gener ejus Tociensis castri tunc temporis dominus. Talliam scilicet denariorum, ratrum, incendium, latrocinium, vaccam de karro, & quod in domo monachi septem vel octo diebus habitare solebant, & ne quid ab habitatoribus villæ ipsius per vim exigant. Remiserunt etiam ne aliquem ejusdem villæ pro aliqua causa pro se aut pro aliis justitiæ subdant, nisi monachus ejusdem loci præpositus aut nolit, aut non possit eos ad justitiam facere venire. Remiserunt quoque tripedicam, patellam & cacabum, quæ sibi quotiens necesse fuisset, homines illius villæ persolvere cogebant, & ne ibi præpositus habeatur præter præpositum Tociensis castri. Ut autem nec ipsis nec successoribus eorum ea quæ indulta sunt, ulla sit denuo repetendi libertas, rogaverunt nos prædicti fratres sigillo nostræ auctoritatis hanc corroborare remissionis cartam. Hoc autem actum est apud prædictum locum urbis Autissiodori in capitulo S. Stephani, Incarnationis Dominicæ anno M. CX, indict. III, regnante Ludovico rege Francorum. Hujus rei testes sunt Frodo decanus, Ingerbaldus archidiaconus, Rogerius archiclavis, Johannes cantor, magister Gislebertus, Hugo Goscelinus, Ildebertus cancellarius, Humbaldus infans de Tociaco, Walterius filius Kalonis, Gaufredus de Villare, Alexander, Iherius de Porta, Hugo Grossus, Rainaldus de Malliaco.

X I I I.

Ecclesia S. Ferreoli monachis S. Germani donatur.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit tam præsentibus quam futuris, quoniam ego 1123.
Hugo Autissiodorensis episcopus dono ecclesiæ & monachis sancti Germani in manu domini Gervasii ejusdem loci abbatis ecclesiam de S. Ferreolo, & quicquid ad eamdem ecclesiam pertinet. Decimam quoque ipsius ecclesiæ, quandocumque eam de manu illorum qui eam tenent adquirere poterunt eis similiter laudo & concedo. Hujus donationis laudatores simul & testes existunt Roigerius archidiaconus, Stephanus decanus, Lambertus Ollannus, Rainaldus abbas Vizeliaci, Hugo abbas Pontiniaci, Julianus abbas Fontismensis, Rainaldus archipresbyter, Benedictus archipresbyter, Gauterius archipresbyter, Desiderius capellanus S. Lupi, Hubertus & Stephanus monachi socii mei. Et ne quis futurorum seu præsentium aliquam huic donationi quolibet modo possit sive conetur inferre calumniam, privilegium domini papæ Callixti, quo mihi ecclesias diœcesis nostræ, sicut mihi visum fuerit, ordinandi licentiam tribuit, subscribere placuit.

Callixtus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Hugoni Autissiodorensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Religiosis fratrum nostrorum desideriis non solum favere, sed ad ea debemus ipsorum animos incitare. Desideras si quidem,

frater cariſſime, ut quædam epiſcopatus tui eccleſiæ ad honorem Dei per ejus gratiam regulariter ordinentur. Nos itaque bonæ voluntati tuæ paterno gratulantes affectu, tibi licentiam indulgemus in commiſſis tibi eccleſiis, in quibus videlicet clerici ſæculares ſunt, canonicos regulares vel monachos religioſos de eccleſiis parochiæ tuæ ordinandi. Præterea magnam de tua religione fiduciam obtinentes, liberam tibi, dictante juſtitia, concedimus facultatem conferendi eccleſiis regularium fratrum canonicorum ſive monachorum in tua parochia exiſtentium eccleſias quaſdam quas injuſte laici conſueverant obtinere. Ad hæc fraternitati tuæ canonicam majoris eccleſiæ ordinationem ac diſpoſitionem necnon & cæterarum epiſcopatus tui eccleſiarum auctoritate ſedis apoſtolicæ confirmamus, ut videlicet tam eccleſiæ quam monaſteria debitam tibi tanquam patri & magiſtro reverentiam prorſus exhibeant, ſicut etiam tuis catholicis prædeceſſoribus exhibuiſſe noſcuntur. Si quis autem adverſus hæc audaci temeritate proruperit, donec ſatisfecerit, eccleſiaſticæ ſatisfaciat ultioni. Data Cluniaci IIII nonas Januarii, indictione XIII.

Facta eſt hæc donatio Autiſſiodori, anno 1123, indictione I, regnante Ludovico rege Francorum.

X I V.

Ex chartis domeſticis.

Concordata inter monachos Moliſmenſes & Hugonem Groſſum de Malliaco de terra Liſſiaci & paſtura Arſiaci, arbitro Wilegmo Nivernenſi comite.

1123. IN nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis. Res geſtas memoriæ tradere, cartarumque teſtimonio confirmare, legum ſancit auctoritas, magnaque mortalibus eſſe videtur utilitas. Unde ego Wilegmus Nivernenſium comes notum facio, cartæque hujus teſtimonio confirmo placitum fuiſſe in præſentia mei apud Liſigniacum inter Atonem priorem Moliſmenſis eccleſiæ, & Hugonem Groſſum de Malliaco, & cognatos ſuos Rainaldum & Wilegmum de terra Liſſiaci, quam longo ante tempore monachis Moliſmenſibus vendiderant, & tunc calumniabantur, & de paſtura Arſiaci quam homines S. Mariæ Moliſmenſis de Liſſiaco uſque tunc ſeſe uſuaria conſuetudine habuiſſe aſſerebant; tandem Deo volente & quibuſdam probis & ſapientibus viris mecum elaborantibus, per manum meam res hæc ducta eſt ibidem ad finem & concordiam: conceſſit etenim prior & monachi qui cum eo erant ſe ſexaginta ſolidos Hugoni Groſſo, & Rainardo & Wilegmo termino conſtituto daturos, & ipſi conceſſerunt & laudaverunt terram Liſſiaci quam prius vendiderant & tunc calumniabantur, eccleſiæ Moliſmenſi & monachis ejuſdem eccleſiæ perpetua poſſeſſione habendam: paſturam quoque Arſiaci quam homines de Liſſiaco ſe tenuiſſe uſuaria conſuetudine aſſerebant, conceſſerunt & laudaverunt eis ad uſum & conſuetudinem aliarum villarum circumjacentium. Videlicet, ut non paſcant meſſes nec prata in ripa fluminis ſita, eis temporibus quibus paſcenda non ſunt; nec nemora, dum paſtio in eis erit, donec porci ingrediantur; hoc excepto quod non paſcent fœnum in nemoribus factum, jacens ad terram, ſi forte contigerit uſque ad quindecim dies jacere; poſt quindecim vero dies non cavebunt: cumulatum vero fœnum omni tempore cavebunt. Teſtes autem hujus rei ſunt ex parte mea, Siguinus de Turricula, Rainaldus Heliæ, Wilegmus de Balia Biturenſis, Richardus de Moncellis, Hugo frater ſuus. Ex parte vero monachorum, Jonas Autiſſiodorenſis canonicus, Hugo de Tilio, Joſbertus capellus, & Johannes filius ſuus, Hugo Richardus, Urſus Veredarius, Giraudus de Signiliaco, Odo de S. Mamertino, & homines S. Mariæ, Martinus major & Robertus frater ejus, Umbertus cognatus eorum, A Wilegmus filius Umberti, Martinus filius Gauterii. Ex parte autem Hugonis Groſſi & Rainaldi & Wilegmi, Jocelinus gener Hugonis, Siguinus Farſitus, Gaufridus de Gurgiaco, Damianus de Malliaco, Arnulfus miles Hugonis, Rainaldus major Hugonis de Arſiaco, Conſtantius major Rainaldi & Wilegmi: laudaverunt etiam hoc idem poſtea in præſentia mei apud Malliacum uxor Hugonis Nazaria & filius eorum Gaufridus, & uxor Rainaldi Vindemoldis, & uxor Wilegmi Tecia. Et hujus rei teſtes ſunt ex parte mea, Siguinus de Caſtellione, Wilegmus de Talia: ex parte vero monachorum, Hugo de Tilio, Robertus de Fonteneto, Martinus major, Robertus frater ſuus, Umbertus cognatus eorum: ex parte vero illarum mariti ſui, Hugo, Rainaldus, Wilegmus. Item, Siguinus Farſitus, Ogerius ſerviens Hugonis. Hoc autem B factum eſt anno ab Incarnatione Domini M. CXXIII, Hugone Autiſſiodorenſi præſule, Ludovico Philippi filio rege, Wilegmo conſule, Jona cancellario.

X V.

Charta donationis Hugonis Manſelli monachis Boni-radii.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Hugo cognomine Manſellus dono atque concedo 1124.
Deo & B. Mariæ de Bono-radio pro redemptione peccatorum meorum quidquid habeo proprietatis in omni territorio Caviniaci, nemus & planum, uſque ad C chiminum levatum quo tenditur ab Interamnis Autiſſiodorum, & quodcunque ibi monachi præfati monaſterii a caſatis meis ſalvo jure acquirere poterunt, excepto quod ſarratas meas, quæ ob firmitatem terræ meæ factæ ſunt, deſtruere non præſumant. Nihilominus quoque dono atque concedo ut in cunctis nemoribus meis quæ ſunt ab eadem terra Chaviniaci uſque ad ſanctum Ferreolum monachi Pontiniacenſes atque Boniradienſes porcis ſuis alimenta, omniaque neceſſaria, quotienſcumque voluerint, in perpetuum ſumant. Hanc autem donationem ſive conceſſionem facio, nullo contradicente, in manu abbatum Hugonis Pontiniacenſis & Gaufridi Boniradienſis. Actum apud Clamiciacum anno ab Incarnat. Domini M. CXXIV, Ludovico Philippi filio regnante, Willelmo Nivernenſi comite principante. Teſtes Willelmus Nivernenſis D comes, Milo de Cortiniaco, Milo comes Barri, aliique permulti.

X V I.

Decanus & conventus eccleſiæ B. Petri concedunt monachis Pontiniacenſibus decimas de vinea Delletani ſub annuo cenſu XII denariorum.

NOTUM ſit omnibus hominibus quod ego Ulricus Autiſſiodorenſis eccleſiæ beati Petri decanus & *Ab anno* 1118.
conventus ejuſdem loci canonicorum regularium pa- *ad*
riter proprioque adhuc arbitrio viventium donum, 1130.
quod Stephanus Seguini & Rothlannus de monaſteriis monachis Pontiniacenſibus pridem fecerunt de vinea E Delletani, quæ de terra beati Petri eſſe dignoſcitur, laudamus & confirmamus. Decimas autem, quæ ad proprium jus eccleſiæ noſtræ pertinere noſcuntur, pro annuo cenſu XII denariorum in feſto S. Germani concedimus. S. Ulrici decani, S. Hugonis, S. Heliæ, S. Theoderici, S. Guillelmi regularium canonicorum. Item aliorum, S. Gualonis ſecretarii, S. Johannis camerarii, S. Johannis, S. Theaubaudi, S. Guillelmi, S. Siri. Hujus rei teſtes ſunt dominus Hugo epiſcopus Autiſſiodorenſis, Stephanus theſaurarius, Hugo cantor, Lambertus Oſlanii, Gaufridus Marnaudi & alii plures.

Digitized by Google

XVII.

Charta Hugonis episcopi pro abbatia Molismensi.

1126. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Hugo Autissiodorensis episcopus laudo & confirmo ecclesiæ Molismensi & monachis ibidem Deo servientibus quidquid in episcopatu nostro habere noscuntur, ecclesias videlicet & decimas, & si quid aliud ad res ecclesiasticas pertinet, *salvo jure episcopali*, ecclesiam de Nantriaco cum appenditiis suis, ecclesiam de Crisenone, & ecclesiam de Luchiaro cum appenditiis suis, ecclesiam de Lixiaco cum appenditiis suis, ecclesiam S. Moderati cum appenditiis suis, ecclesiam de Noailliaco cum appenditiis suis; cui confirmationi affuerunt videlicet, Gaufridus Carnotensis episcopus, Burchardus Meldensis episcopus, Hugo abbas Pontigniacensis, Bernardus abbas Clarævallis, Thomas prior sancti Victoris Parisiensis, Willelmus decanus, Walterus presbyter; Widone Molismensi abbate, regnante Ludovico Francorum rege, Guillermo Nivernensi comite.

XVIII.

Innocentius papa Wikardum abbatem Pontiniacensem ejusque monasterium sedis apostolicæ privilegio communit.

1138. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Wikardo Pontiniacensi abbati ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Omnipotenti Domino, cujus melior est misericordia super vitas, gratiarum actiones referimus, qui tanta religione & honestatis nitore Pontiniacense monasterium decoravit ut non solum vicina loca, sed etiam remota de vestræ conversationis exemplo laudabiliter illustrentur & ad meliora quæque sectanda pariter informentur. Quamobrem, dilecte in Domino fili Wicarde abbas, personam tuam arctioris caritatis brachiis amplectentes, tuis desideriis debita benignitate annuimus & Pontiniacense monasterium, cui Deo auctore præesse dinosceris, apostolicæ sedis privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem venerabilis & Deo amabilis locus inpræsentiarum canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, terras videlicet Dochiaci & Creciaci quas utique canonici S. Florentini per manum atque scriptum fratris nostri Henrici Senonensis archiepiscopi Pontiniacensi monasterio jure perpetuo concesserunt, quod & ipsum abbas S. Germani Autissiodorensis cum suo capitulo collaudavit & scripto firmavit. Concambium quoque terræ sancti Martini Cableiacensis, quæ in parochia Laginiaci sita est, pro terra Hugonis de Merliniaco & Humbaldo præpositi, quæ sita est in territorio Cableiacensi. Grangiam insuper Challiaci cum omnibus terris ad eam pertinentibus, & quidquid in silva *Othe* eidem ecclesiæ donatum, vel ab ea legitime emptum est, vobis nihilominus confirmamus. Nulli ergo hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua sane in posterum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui periculum patiatur, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat. Conservantes autem eidem loco quæ sua sunt Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus gratiam consequantur. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi. Ego Theodewinus Silvæ candidæ episcopus ss. Ego Anselmus presbyter cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina ss. Ego Lucas presbyter cardinalis tituli SS. Johannis & Pauli ss. Ego Guido S. Romanæ ecclesiæ indignus sacerdos ss. Ego Ivo presbyter cardinalis S. Laurentii tit. Damasi ss. Ego Martinus presbyter cardinalis tit. S. Stephani in Cœlio-monte ss. Ego Azo presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ ss. Ego Grisogonus presbyter card. tituli S. Praxedis ss. Ego Gregorius diaconus cardinalis SS. Sergii & Bachi ss. Ego Otto diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum ss. Ego Guido diaconus cardinalis SS. Cosmæ & Damiani ss.

Datum Lateranni per manum Aimerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii, VIIII cal. Aprilis, indict. II, Incarnat. Dominicæ anno M. CXXXVIII, pontificatus vero domni Innocentii papæ II anno X.

XIX.

Moniales Crisenonis a dominatione Molismi, laudante papa, liberantur.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectæ filiæ Adalinæ abbatissæ Crisenonis & cunctis ejusdem loci sororibus, salutem & apostolicam benedictionem. Tam ex præsentium latoris relatione quam ex litteris filii nostri G. illustris Nivernensium comitis, vos & locum vestrum cum appenditiis suis a jugo & dominatione Molismensium monachorum penitus absolutas esse audivimus & gratum habuimus, & quidquid a dilectis filiis Hu. bonæ memoriæ tunc Autissiod. episcopo & G. illustri Nivernensi comite, vel de ordinatione vestra, vel de census commutatione, secundum providentiam venerabilium abbatum Hu. Pontiniacensis, & A. Vizeliacensis, & G. Trecensis, & G. Clarævallensis prioris, quibus id injunximus, provisum & statutum est, nos quoque id volumus & sedis apostolicæ auctoritate ratum habemus. Privilegium vero quod super hoc fieri postulastis, cum rem plenius viderimus, viso scripto de ejusdem pacis compositione, sine difficultate impetrabitis. Nos charissimæ in Christo filiæ, pro officii nostri debito vestram devotionem exhortamur ut summopere caveatis ne sub hujus occasione libertatis vestram priscam religionem in aliquo, quod absit, diminuatis, sed Deo cum summa humilitate & subjectione servientes, ut ad libertatem gloriæ filiorum Dei tandem transire mereamini omni instantia laboretis. Datum Romæ calendis Novembris, anno Domini M. CXL. 1140.

XX.

Bulla Innocentii II in gratiam Hugonis episcopi Autissiodorensis. *Ex Sammarthanis.*

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Hugoni Autissiodorensi episcopo ejusque successoribus canonice substituendis imperpetuum. Ex injuncto a Deo nobis apostolatus officio fratribus nostris tam vicinis quam longe positis paterna nos convenit provisione consulere, & ecclesiis in quibus Domino militare noscuntur, suam justitiam conservare, ut quemadmodum patres vocamur in nomine, ita nihilominus comprobemur in opere. Eapropter, venerabilis frater Hugo episcope, tuis justis 1142.

justis precibus clementer annuimus, & benedictionem A abbatis S. Germani & ipsius debitam obedientiam & reverentiam, in aliis quoque ecclesiis episcopatui Autissiodorensi pertinentibus, jus episcopale tibi tuisque successoribus concedimus, & apostolica auctoritate confirmamus, sicut ecclesia tua hactenus habuisse cognoscitur: prohibemus quoque ne aliqua secularis persona clericos in episcopatu tuo pro quolibet crimine judicandi vel puniendi habeat potestatem. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostræ constitutionis paginam sciens venire temere tentaverit; secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi B aliena fiat & in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic bonæ actionis fructum percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus ss. Ego Otto diaconus cardinalis sancti Georgii ad velum aureum ss. Ego Petrus diaconus cardinalis S. Mariæ in Aquiro ss. Ego Petrus cardinalis S. Mariæ in Porticu ss. Ego Stephanus Prænestinus episcopus ss. Ego Thomas presbyter cardinalis tituli Vestinæ ss. Ego Hubaldus presbyter cardinalis tit. S. Praxedis ss.

Datum Laterani per manum Geraldi S. Romanæ C ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, III cal. Januarii anno M.CXLII, pontificatus vero Innocentii II papæ anno XIII.

XXI.

Bulla Innocentii II pro Rupibus.

1142. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Gaufrido abbati monasterii de Rupibus, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in PP. M. puræ mentis religio indissolubili divini amoris glutino confirmata, vultum clementissimi creatoris, ut terrena cœlestibus jungantur, ut una superis sociemur mundis orationibus, incessanter profusius inclinat. Quia igitur fratres jam D dicti monasterii a cura seculari liberos & divinis servitiis mancipatos, pie vivere ac religiose cognovimus, idcirco, in Domino dilecte fili Gaufride abba, tuis justis petitionibus ducimus annuendum. Statuimus itaque ut quæcumque possessiones, aut bona ad eumdem locum in præsentiarum juste & canonice pertinere noscuntur, aut in futurum, concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, auxiliante Domino, ei deferri contigerit, firma tibi, tuisque successoribus & illibata permaneant. Et quoniam ubi spiritus Domini, ibi libertas: ut liberius divinis famulantibus valeatis insistere, & purgata mentis acie, contemplationi vacare; prohibemus ne aliquis archiepiscopus aut episcopus, in te, vel successores tuos, E seu aliquem abbatem Pontiniacensis ordinis, indebitis vocationibus fatigare, vel contra regulam inquietare præsumat. Porro conversos viros qui monachi non sunt, post professionem factam in vestris cœnobiis, nullus archiepiscoporum vel abbatum sine vestra grata licentia suscipere, aut susceptum retinere præsumat. Verum quoniam sicut, beato Gregorio Augustinum Anglorum episcopum instruente, didicimus communi vita viventibus jam de faciendis portionibus, vel exhibenda hospitalitate & adimplenda misericordia nobis quid erit dicendum, cum omne quod superest, in causis piis ac religiosis erogandum est, Domino magistro omnium dicente: *Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*; statuimus ut de laboribus quos vos, & totius vestræ congregationis fratres propriis manibus & sumptibus colitis, & de animalibus vestris a vobis decimas expetere vel recipere nemo præsumat. Nulli ergo hominum liceat vestrum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas minuere, aut aliquibus molestiis fatigare: sed omnia integra conserventur, vestris & aliorum pauperum Christi usibus profutura. Si qua igitur in posterum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, & secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque periculum patiatur, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Conservantibus vero eidem loco quæ sua sunt, sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

✠ Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus ss. ✠ Ego Concordius episcopus Sabinensis ss. ✠ Ego Albicus Hostiensis episcopus ss. ✠ Ego Stephanus Prænestinus episcopus ss. ✠ Ego Stephanus Tusculanus episcopus ss. ✠ Ego Guido sanctæ Romanæ ecclesiæ indignus sacerdos ss. ✠ Ego Guido presbyter cardinalis tituli S. Grisogoni ss. ✠ Ego Gregorius diaconus cardinalis SS. Sergii & Bacchi ss. ✠ Ego Otto diaconus cardinalis sancti Georgii ad velum trecens. ss.

Datum Laterani per manum Gerardi S. Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis ac bibliothecarii, decimo cal. Januarii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo secundo, pontificatus vero domini Innocentii II PP. anno XIII.

XXII.

Willelmus comes Nivernensis petit participationem precum quæ fiunt in ecclesia B. Mariæ de Caritate.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1143.
Notum sit præsentibus & futuris quod ego Willelmus Nivernensis comes ecclesiam B. Mariæ de Caritate honestate & religione pollentem ab omni perturbatione quietam meis & successorum meorum temporibus desiderans, & particeps beneficiorum servorum Dei fieri volens, eo tempore quo vitam meam mutare & Carnusiam pro agenda pœnitentia adire disponebam, cum duobus filiis meis Willelmo & Rainaldo apud dictam Caritatem veni, ibique assistentibus ipsis filiis meis, clericis quoque, militibus & aliis multis, venerabili viro Petro priori & sacro conventui de Caritate supplicavi, ut me facere participem beneficiorum, quæ fiunt ab eis, dignarentur. Quod cum mihi concessissent, ego pro salute tam mea quam parentum meorum laudavi & concessi dictis monachis quicquid de feodo meo casamentoque, quocumque modo acquisierant, vel poterunt acquirere in perpetuum, & totum pedagium per totam terram meam. Significavi etiam omnibus qui aderant, me seu successores meos non habere aliquam herbergariam consuetudinem in his villis, de Beluciaco, Poliaco, Charentone, Venra, Maigniaco, Paingiis, Domno-petro, aut in grangia de Roca-forti, sive in aliqua villa aut grangia ad monachos de Charitate spectante. Significavi præterea me seu successores meos in ipso monasterio, vel in villa de Caritate, aut in pertinentiis nihil juris habere omnino. Hoc viderunt & laudaverunt nominati filii mei. Hujus rei testes sunt Hugo de Lilio, Adam de Marchia, Hugo de Palingiis, Seguinus de Fornella, Durandus de

Digitized by Google

Fovent, Hugo de *Roony* & alii. Actum publice anno Dominicæ Incarnationis M. CXLIII, indictione V, Ludovico piissimo regni Francorum & Aquitanici primatus habenas feliciter gubernante.

XXIII.

Inter epistolas S. Bernardi 426.

Hugo episcopus Autissiodorensis concordiam init cum comite Nivernensi.

1145. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Bernardus Clarevallis abbas, cognita quæ inter Hugonem episcopum Autissiodorensem & Willelmum comitem Nivernensem emerserat discordia pro quibusdam querelis, quæ inter eos agebantur, Autissiodorum veni, & pari amborum assensu & voluntate querelas illas ad concordem redactas finem terminavi hoc modo; in bosco qui dicitur Brueria episcopi facient communiter episcopus & comes haiam, factamque communiter custodient, ita quod singuli singulos ministros ejus custodiæ deputabunt, & uterque ab ambobus fidelitatem accipiet, eritque in sacramento eorum quod nullus homo sive animal in haia per occasionem capiatur; forisfacta haiæ communiter partientur, quæ etiam forisfacta hac ratione determinantur: porcus, ovis, vaccæ cum lascivientes fugiunt tauros, si in ea deprehensæ fuerint, nihil emendabunt; boves, vaccæ, equi, asini, capræ & similia animalia si sine custode in ea inventa fuerint, pro singulis singuli denarii persolventur, si custos affuerit tres solidos pro se emendabit, pro pecudibus nihil exigetur. Si homo ligna cædens in ea inventus fuerit, 15 solidos emendabit, incendium faciens 60. Ita quod prædicta forisfacta haiæ nunquam excedent prænominatas summas: haia non extendetur in latum ultra 40 perticas arpennales. Si autem eamdem haiam contigerit aliquando seu vetustate, seu aliqua occasione ad id devenire ut non sit, si eam simul ibidem reparare voluerint, licebit: quod si noluerint, terra remanens, sive culta sit, sive inculta ad dominium episcopi revertetur. Omnia alia forisfacta quæ extra haiam fiunt sine parte comitis, episcopi sunt. Statutum est de clericis ut omnino a potestate comitis liberi & immunes existant, ita quod nec aliquid juris vel dominationis in eo ex aliqua occasione comes exercebit, nec rebus eorum ubicumque sint manum aliquo modo mittere, sibi, vel alicui ministrorum suorum licebit. Quod si in aperto latrocinii forisfacto clericus fuerit deprehensus, absque omni clericalis ordinis injuria seu indignitate episcopo, vel ejus ministris reddetur, ac deinceps si quidem contra ipsum a comite vel ejus ministris aut hominibus expostulabitur, episcopus eis quantum jus & ratio dictaverit de eodem faciet satis. Theloneum civitatis & suburbiorum ejus quia episcopo & comiti commune esse constat, si aliquod forisfactum inde commissum fuerit, episcopus capitale suum per se recipiet, cum ea lege qua quisque vivit, & comes pro forisfacto 60 solidos. Si thelonearius comitis, seu aliquis clientum primus ceperit eum qui capitale episcopi abstulit, capitale suum cum ea lege episcopo reddere faciet. & si per ejus incuriam cum eodem capitali evaserit, ipse pro illo episcopo de capitali & lege respondebit: servientes episcopi, & quotquot erunt de familia ejus nusquam justitiabunt se per comitem. Omnia forisfacta claustrorum videlicet claustri S. Stephani, & claustri sanctæ Mariæ, & claustri S. Eusebii, & S. Petri, & S. Amatoris, & ea quæ claustris continentur juris episcopalis sunt, nec aliquam in eis exercere poterit comes potestatem, nec pro aliquo forisfacto cujuslibet hominis res quæ in claustris sunt, in suam transferet potestatem. Si aliquis laicus deprehensus fuerit in claustris in latrocinio, cum una quacumque veste sua pro justitia facienda comiti reddetur: extra claustra autem quicumque laici latrones deprehensi fuerint, & ipsi, & res eorum comitis sunt, exceptis illis rebus quæ in claustris nominatis continentur, quæ proprie ad episcopum pertinent. De terris censualibus manifestum est quod nusquam licet comiti vel homini suo eas quæ de fundo sunt episcopi, acquirere, nisi per episcopum, nec etiam aliquam decimam: bannum comitis observabunt tribus diebus omnes tam clerici quam laici qui in claustris morantur, quibus transactis libere vendent. Si episcopus vinum, aut annonam comparaverit, nihil gellagii, vel alterius consuetudinis ab eo exigetur; episcopus servientes & homines comitis tam per se quam ecclesiasticos ministros pro christianitate submonebit, & justificabunt se per eum domus comitis, & munitiones castrorum, quæ ipse dinoscitur tenere ab episcopo, scilicet Castri-novi, S. Salvatoris, Conadæ, Mailliaci, tradentur episcopo ad ejus beneplacitum, ita tamen quod eo discedente comiti vel ministerialibus ejus cum integritate restituantur; in boscis comitis episcopus accipiet necessaria sibi & ecclesiæ S. Stephani. Dictum est & concessum de canonicis S. Stephani quod in bosco de *Thul* usuarium suum plenarie habebunt: cognitum est & a comite concessum, quod non licet ei Autissiodori aliquam mutationem vel innovationem facere absque licentia episcopi, de cujus feodo recognoscit se tenere quidquid habet Autissiodori & in circuitu ejus, præter hoc quod continetur infra muros urbis extra claustrum, quod tenet de domino rege, & præter feodum ducis ultra pontem. Comes res episcopi custodire debet ut suas proprias, si aliquis de potestate ejus aliquid de rebus episcopi aut hominum suorum ceperit, comes reddi faciet, aut de suo recompensabit. Ad molendinos episcopi de * Regio amne tale debet esse bochellum, quod navibus ascendentibus & descendentibus pervium sit: de illis qui pisces vendunt comes habet quatuor creditatorios in quibus episcopus nihil accipit, si ad alios thelonearius episcopi primus advenerit, & primus barguinaverit, tantum accipiet quantum curia episcopi necesse habebit, & idem thelonearius comitis similiter faciet; si pariter venerint pariter accipient quod invenerint, similiter in aliis victualibus facient. Creditariam habet episcopus in omnibus victualibus 40 diebus: exinde donec reddiderit ab eis quibus debetur, nihil ei credetur. Statutum est de mercatoribus qui in domibus suis vendunt, quod a quindecim in quindecim dies, vel a mense in mensem theloneario episcopi venas reddent, si quæsitæ ab eis fuerint. In nundinis libertatis calend. Maiarum, thelonei & ventarum duæ partes sint episcopi, tertia comitis, illique qui hos redditus recipient, fidelitatem episcopo & comiti facient. Episcopus in vineis suis propriis, & in censualibus si illi voluerint, quorum sunt vineæ, custodiam ponet: si noluerint, non cogentur, comes faciet similiter. In brueria tota cujuscumque fundus sit aut possessio, episcopi & comitis venatio communis est, & forisfacta ad venationem pertinentia. Actum Autissiodori anno ab Incarnatione Domini M. CXLV, episcopatus Eugenii papæ II primo. Huic rei interfuerunt abbates Stephanus Reimacensis, Guido de Caroloco, Balduinus de Castellione, Gaufridus de Rupibus, Raynaudus archidiaconus, Gaufridus cantor, Hugo decanus Meldensis, Andreas de *Baldement*, Landricus, Bernardus, Hugo de Castro-censurii *, Hugo de Tociaco presbyteri, Gaufridus cellarius, Magister Anselmus, Guido de Bichiaco, Stephanus de sancto Germano canonici: milites Guillelmus filius suprascripti comitis, Hugo de Tilio, Humbertus de S. Germano, Siguinus de Tornella, Odo de Tociaco, Humbaudus Tortus: servientes Robertus præpositus comitis, Humbaudus pistor, Erveus præpositus episcopi, Olannus cellarius, & alii quamplures hinc & inde.

* Regenne.

* Château-censoir.

XXIV.

Bulla Eugenii III papæ de confirmatione bonorum monasterii Crisenonis.

1145. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, Elisabeth abbatissæ de Crisenone, ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Quoniam sine veræ cultu religionis, nec caritatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi officium, expedit apostolicæ auctoritati religiosas personas diligere, & earum loca pia protectione munire. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, venerabilis fratris nostri Hugonis Autissiodorensis episcopi precibus inclinati vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum in quo divino mancipatæ estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum juste & canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque succedentibus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Molendina de *Cren*. In episcopatu Senonensi decimam de Chasciaco. Furnum Autissiodori cum vineis Vineas Varziaci. Territorium de Luciaco. Grangiam de Nertennaco cum territorio suo. In episcopatu Nivernensi monasterium de Firmitate, in quo congregationem sororum vestrarum posuistis. Et ad usus earumdem sororum quidquid Hugo de Limo & Petronilla uxor ejus, Seguinus & Agnes uxor ejus, Ogerus & Christiana uxor ejus de jure suo vobis dederunt in villa quæ dicitur Lunum, in Luguen, in Chalma, in Coenni, in Suenci, in tribus aquis, in Cigoniis, in Chassennis & in Ruenni. Decimam quam Guillelmus-Carolus & ejus uxor ad Linum habuerunt. Decimam partem piscium Clusæ Guillelmi comitis ad Disisam. Præfatum vero monasterium de Firmitate sub regimine & obedientia vestra semper consistat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prænominatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus hic fructum bonæ actionis percipiant, & in futuro præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus ss. ✠ Ego Gregorius presbyter cardinalis tituli sancti Calisti ss. ✠ Ego Guido presbyter cardinalis tituli S. Grysogoni ss. ✠ Ego Jordanus presbyter cardinalis tituli S. Susannæ ss. ✠ Ego Conradus Sabinensis episcopus ss. ✠ Ego Albericus Hostiensis episc. ss. ✠ Ego Imarus Tusculanus episcopus ss. ✠ Ego Wido diaconus cardinalis SS. Cosmæ & Damiani ss. ✠ Ego Octavianus diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano ss. ✠ Ego Astallus diaconus cardinalis S. Eustachii ss.

A Datum Laterani per manum Roberti S. Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, XIIII cal. Februarii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno M. CXLV, pontificatus vero domini Eugenii III papæ anno primo.

XXV.

Bulla Eugenii III in gratiam monasterii sancti Mariani.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Rainerio abbati S. Mariæ Rotundæ foris muros civitatis Autissiodorensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, vitam regularem professis in perpetuum. Quoniam sine veræ religionis cultu caritatis unitas non potest subsistere nec Deo gratum exhiberi servitium, expedit apostolicæ auctoritati religiosas personas diligere, & eorum quieti, auxiliante Domino, salubriter providere. Eapropter dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri Hugonis Autissiodorensis episcopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum juste & canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitate principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibataque permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesias S. Mariæ Rotundæ & S. Mariani in suburbio Autissiodorensi sitas cum omnibus ad se pertinentibus, exceptis illis, quæ ad proprietatem & dominium episcopi pertinere videntur. Grangiam de Oisella cum omnibus terris quæ ad jus ecclesiæ B. Mariæ pertinent in loco illo & in parochiis circapositis. Grangiam de Bosculo cum terris suis, grangiam de Capella cum terris suis, moliendinum de Scoquo, grangiam de *Bunost* cum territorio suo; præbendam integram in ecclesia sancti Stephani, ita tamen quod in celebratione quotidianæ missæ pro defunctis canonicis, & illius missæ etiam quam canonici presbyteri per ordinem statutis hebdomadis celebrant, debitum eidem ecclesiæ servitium impendatis. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prænominatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus perturbare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus tantummodo profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud districtissimum judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen, amen, amen.

Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Conradus Sabinensis episcopus. Ego Odo diaconus cardinalis S. Georgii. Ego Guido diaconus cardinalis

Digitized by Google

SS. Cosmæ & Damiani. Ego Octavianus diaconus cardinalis in carcere Tulliano. Ego Gregorius diaconus cardinalis S. Gregorii. Ego Hiacintus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedim. Ego Guillelmus presbyter cardinalis tituli S. Callixti. Ego Guillelmus presbyter card. tituli S. Stephani in Belmonte. Ego Bernardus presbyter cardinalis tituli S. Clementis.

Data per manum Roberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii, XIIII calendas Februarii, indict. IX, Incarnationis Dominicæ anno MCXLV, pontificatus vero domini Eugenii III papæ anno primo.

XXVI.

Ex chartular. *Donatio Gaufridi domini de* Donzy *monasterio de Rupibus.*

1145. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Gaufridus Donziacensis dominus notum fieri volo tam præsentibus quam futuris, quod ego dedi Deo & B. Mariæ de Rupibus, & fratribus ibidem Deo servientibus & servituris, videntibus & concedentibus filiis meis Herveo atque Gaufrido, in manu domini Gaufridi tunc ejusdem loci abbatis, pro salute animarum patris & matris meæ, & mea meorumque successorum, quidquid habebam in territorio de *Vax*, in dominio & in casamento, & in territorio de Veteribus campis, & in Bordosello. Concessi eis præterea ut in tota terra mea, de rebus ipsorum vendendis & emendis, ducendis & reducendis, & de omnibus animalibus ipsorum nutriendis, nulla ab aliquo successorum vel servientium meorum consuetudo, scilicet pedagium vel teloneum, vel aliqua exactio exigeretur. Concessi eis nihilominus ut ex omnibus nemoribus meis quæ circa illos sunt, vivum ad ædificia facienda, mortuum ad calefaciendum, omni tempore, & absque omni licentia accipiant. Actum est hoc in curia mea Donziaci, assistentibus filiis meis Hervejo atque Gaufrido, & militibus meis Gauterio *Escarbot*, & filio ejus Rostello, Hugone de Interamnis & Burdino; servientibus etiam meis Gaufrido præposito, Arnaudo serviente, Guillelmo filio ejus & Stephano Taconello, magistro Petro & Vitali presbytero, & pluribus aliis, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo-quinto, Ludovico rege Francorum, & Hugone episcopo Autissiodorensi; & sigilli mei auctoritate mea firmatum.

XXVII.

Privilegium Eugenii III pro monasterio Rigniacensi.

1147. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano Regniacensi abbati, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Desiderium quod ad religionis propositum & animarum salutem pertinere monstratur, authore Deo, sine aliqua est dilatione complendum. Eapropter, dilecti in Deo filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Regniacense monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in decimis, agris, vineis, terris cultis & incultis, silvis, pascuis, atque aliis inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, liberalitate principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, futura vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Terram videlicet quæ Carbonariæ nuncu, ur in Covensi parochia. Terram & prata quæ dederunt vobis Mil. de Noeriis & Ansericus de Monte-regali

A infra hos terminos, rupem videlicet Ogerii & villam Tormentiaci. Territorium grangiæ Carboneriæ quod dedit vobis Ansericus de Monte-regali & Theobaldus de Scutignei. Terram de Cavannis quam dederunt vobis filii Niardi & filii Erardi de Mongalei, & Fromundus de Rufiaco. Prata quæ habetis a canonicis S. Lazari de Avalone. Prata & quidquid juris habetis in bosco Carboneriæ ab Anserico de Monte-regali. Ex dono Landrici de Praiaco terram Ulduni cultam & incultam. Ex dono filii Galteri de Turre nemus quod ex una parte dicitur Fagineus, & ex altera Sagitta. Ex dono Anserici de *Tarel* & Guidonis de Curte terram Fortumenserii cultam & incultam. Ex dono Aseelini de Castro-censurii terram de Porliaco & terram de *Exsard* cultam & incultam. Ex dono

B Uldoeri & Gerardi fratris ejus terram de Leiserio cultam & incultam, sicut metis & signis divisa esse dinoscitur. Terram quam dedit vobis Joscelinus de Arserio. In territorio Rainaci ex dono Josberti Capelli & Hugonis de Castro-censurii & Gibaldi terram. Ex dono Guillelmi comitis Nivernensis aquam a Fonte-roboris usque ad Perreriam Belli-montis. Ex dono Gaufridi de Dunziaco terram de Lescheriis. Terram de Chaillo quam emistis a liberis hominibus qui eam tenebant. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas

C retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit

D pax Domini nostri Jesu-Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

✠ Eugenius papa III.

✠ Ego Humbaldus presbyter cardinalis tituli SS. Johannis & Pauli ss. ✠ Ego Guido presbyter cardinalis tituli SS. Laurentii & Damasi ss. ✠ Ego Aribatius presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ ss. ✠ Ego Oddo diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum ss. ✠ Ego Gregorius diaconus cardinalis S. Angeli ss. ✠ Ego Johannes diaconus cardinalis S. Mariæ novæ ss. ✠ Ego Jacintus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedyn ss.

E Datum Autissiodori per manum Guidonis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii X calendas Septembris, indict. X, Incarnationis Dominicæ anno M. CXLVII, pontificatus vero domini Eugenii III papæ anno tertio.

XXVIII.

Carta Jocelini de Arcy *qua donat terram cœnobio Regniacensi.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Sciant & præsentes & futuri quod Jocelinus de *Arcy* 1147.
dedit Deo & sanctæ Mariæ & fratribus de *Reigny*

eorumque successoribus jure perpetuo & absque ulla retentione omnem terram suam sicut divisa est signis & metis, in longitudine a fonte de *Lesir* usque ad fluvium *Chore*, & in latitudine a terra sanctimonialium de *Crisignon* usque ad territorium Reigniaci. Hanc donationem fecit cum ægrotaret de infirmitate qua & mortuus est, laudantibus uxore sua Nazaria & duobus nepotibus suis Gaufrido & Joscelino. Cum autem rediissent ab officio funeris, venerunt ad portam Reigniaci, & ipsa quidem Nazaria ibi coram Lamberto priore & quibusdam monachis hoc quod ante donaverat & laudaverat, donavit & laudavit. Supradicti autem adolescentes venientes in ecclesiam, & tenentes regulam S. Benedicti, posuerunt super altare, dantes ipsam terram sicut donaverat avunculus eorum cum adhuc viveret, multis astantibus tam laicis quam monachis. Hujus donationis atque laudationis testes sunt Johannnes de *Arcy* capellanus, Willelmus de *Malli*, Lambertus de *Voltenai*, Jofridus *Arthaut*, Hugo *Dannam*, Savaricus miles & multi alii. Hoc autem factum est anno ab Incarnatione Domini M. CXLVII, indict. VIII, regnante Ludovico rege Francorum, Hugone episcopo Autissiodorensi qui fuit abbas Pontiniaci, Willelmo comite Nivernensi.

XXIX.

Ex chartular. *Donatio Andreæ de Charitate monasterio de Rupibus.*

1147. NOTUM sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Andreas de Charitate & fratres mei, qui inde decem libras habuimus, & mater mea quæ inde decem solidos Sacrocesarienses habuit, dedimus Deo & B. Mariæ de Rupibus, & fratribus ibidem Deo in perpetuum servituris, in manu domni Gaufridi tunc ejusdem loci abbatis, concedente Pagano de Novejo, de cujus feodo erat, quidquid habebamus vel habituri eramus in territorio *de Vaus*. Actum est hoc anno ab Incarnat. Domini M. CXLVII, apud Sacrum-cesaris in domo Achardi Monetarii, præsente Gaufrido abbate de Rupibus, & Willelmo cellerario ejus, & Richardo abbate Callovii, & Mathia Vadente-ultra, & Pagano Caillia-vesosa, & Gaucherio & Gimone filio ejus, & Guillelmo Sala-bovem, & Achardo Monetario & uxore ejus, & Gaufrido *de Vaus*, Ludovico existente rege Francorum & duce Aquitanorum, & Theobaudo comite Blesensium. Ut autem hoc donum posterorum memoriæ firmius commendaretur, hanc cartam fieri, & sigillo domini Hugonis Autissiodorensis episcopi muniri præcepimus. Quicumque ergo donum hoc infringere, aut domum præfatam inde molestare præsumpserit, anathemati subjaceat, & a corpore Christi & sanguine, nisi resilierit, alienus fiat.

XXX.

Ex chartular. *Carta donationum Pagani de Novejo cœnobio de Rupibus.*

1147. NOTUM sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Paganus de Novejo, qui inde octo libras Sacrocesarienses, & sexaginta solidos Aurelianenses, & unum equum pro septem libris Aurelianensibus habui, & uxor mea quæ inde decem solidos habuit, & filius meus qui inde duodecim nummos habuit, & soror mea quæ inde quinque solidos habuit, dedimus Deo & B. Mariæ de Rupibus, & fratribus ibidem Deo servituris, in manu domni Gaufridi tunc ejusdem loci abbatis, quidquid habebamus & habituri eramus in territorio *de Vaus*. Donum hoc super altare ejusdem ecclesiæ feci & obtuli, videntibus & laudantibus Grimone de Riveria & filiis ejus Burello & Anselmo, a quibus hoc habebam; videntibus etiam Odone de Saxiaco, Rainaldo Bruere, Constantino Bastardo, Briendo, Iterio præposito de Conada, Humbaudo & Pagano fratre ejus, Theobaudo de Barris, Blanchardo, Petro & Humbaudo filiis ejus, Richardo etiam abbate, cum Morello presbytero & Benedicto de Conada. Laudaverunt hoc donum apud Noviacum præfato abbati uxor mea & soror mea, & filius meus quem solum tunc habebam; videntibus Duranno presbytero & Rainaudo priore de Boniaco, & Theoderico de Noviaco. Ut autem hoc donum firmius teneretur, hanc inde cartam fieri & sigilli domni Hugonis Autissiodorensis episcopi muniri præcepi. Quicumque ergo hoc donum infringere, & locum præfatum inde minuere vel perturbare præsumserit, anathemati subjaceat, & a corpore & sanguine Christi, nisi resipuerit, alienus existat. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. CXLVII, regnante Ludovico rege Francorum & duce Aquitanorum, & Guillelmo existente comite Nivernensi.

XXXI.

Carta donationis Gimonis de Castro-censurii monasterio de Rupibus. Ex chartular.

EGO Gaufridus Donziacensis dominus, notum fieri volo tam præsentibus quam futuris, quod Gimo de Castro-censurii, præsentibus & laudantibus filiis suis Burello & Anselmo, videntibus & concedentibus Dodone & Hugone de Riveria fratribus suis, dedit Deo & beatæ Mariæ de Rupibus, & fratribus ibidem Deo servituris, in manu domni Gaufridi tunc ejusdem loci abbatis, quidquid habebat circa abbatiam prædictam, in casatis & dominio, territorium scilicet *de Vax* & casamentum Simonis dapiferi, & casamentum Pagani de Noviaco, & casamentum Andreæ de Charitate, & casamentum Gaufridi *de Lueth*, & pro quingintis solidis Aurelianensis monetæ, quos inde Gimo prædictus habuerat ut ista in pace præfatæ ecclesiæ habere faceret; & pro equo uno qui sexaginta solidis appretiatus est, me & filios meos præfatæ ecclesiæ obsides & responsores dedit. Actum est hoc Donziaci in præsentia mea, laudantibus filiis meis Herveio & Gaufrido; videntibus etiam Willelmo & Iterio de Interamnis, Odone de Saxiaco, Gauterio *Escarbot*, Pagano de Neuviaco, qui inde habuit octo libras & sexdecim solidos Sacrocæsarienses & sexaginta solidos Aurelianenses, & unum equum pro septem libris Sacrocæsariensibus, & Andrea de Charitate qui inde habuit decem libras & decem solidos Sacrocæsariensis monetæ, & Gaufrido *de Lueth* qui inde habuit septuaginta solidos Aurelianensis monetæ, Vitale presbytero, Fromundo milite, anno ab Incarnatione Domini M. CXLVIII. Ut autem hæc eleemosyna a successoribus meis firmiter custodiatur, præsentem cartam sigillo meo munivi. Dedi etiam eisdem monachis rerum suarum vendendarum & emendarum theloneum & pedagia terræ meæ. 1148.

XXXII.

Breve Eugenii papæ ad Hugonem Autissiodorensem episcopum.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Hugoni Autissiodorensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Postquam controversia quæ inter te & dilectum filium nostrum P. Cluniacensem abbatem super S. Germani monasterio agebatur, in nostra fuit præsentia terminata, & dominus idem filius noster abbatem, qui fratribus inibi Deo servientibus præest, per baculum investivit; in quo quia dignitas ecclesiæ tuæ obsfuscari & supprimi videbatur, inter vos, de quo paternæ caritatis debito condolemus, est suborta contentio. Quia igitur paci 1148.

Digitized by Google

& tranquillitati ecclesiarum attenta sollicitudine providere compellimur, præsentium scriptorum auctoritate statuimus ne quod ab ipso factum est, tibi vel ecclesiæ tuæ imposterum præjudicium faciat, vel aliquod inferat detrimentum, & ne de cætero abbas S. Germani a Cluniacensi abbate investituram per baculum suscipiat prohibemus. Datum Bisuntii nonis Maii.

XXXIII.

Anastasius papa IV bulla Alano episcopo data jus ei confirmat in abbatem S. Germani.

1154. ANASTASIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Alano Autissiodorensi episcopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Quæ a prædecessoribus nostris per judicium vel concordiam acta esse noscuntur, in sua volumus stabilitate persistere, ut imposterum robur obtineant confirmationis nostræ munimine roborari. Eapropter, dilecte in domino fili Alane episcope, tuis justis petitionibus gratum accommodantes assensum, concordiam quam prædecessor noster sanctæ memoriæ papa Eugenius, super controversia quæ agitabatur de monasterio B. Germani inter Hugonem bonæ memoriæ prædecessorem tuum & dilectum filium nostrum Petrum Cluniacensem abbatem & monachos sancti Germani fecisse dignoscitur, nos ejus vestigiis inhærentes apostolicæ sedis auctoritate firmamus, præcipientes ut in abbatia S. Germani sine Cluniacensis abbatis consilio abbas nullatenus eligatur; electum vero approbandi vel reprobandi canonice, & si dignus fuerit in abbatem benedicendi, tam tu quam successores tui habeatis liberam facultatem; benedictus autem obedientiam episcopo Autissiodorensi promittat. Depositio quoque ipsius, si talis, quod absit, apparuerit judiciario ordine facienda, & tam abbatis quam monachorum canonica correctio ad te nihilominus pertinebit. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium vel basilicarum, ordinationes monachorum vel clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, abbas & monachi S. Germani ab Autissiodorensi episcopo tamquam a diœcesano accipiant, donec gratiam apostolicæ sedis habuerint. Præterea memorati prædecessoris nostri papæ Eugenii statuta sequentes, præsentis scripti pagina confirmamus, ne quod a præfato Cluniacensi abbate de investitura per baculum ipsi abbati S. Germani factum est, tibi vel ecclesiæ tuæ imposterum præjudicium faciat, vel aliquod inferat detrimentum, & ne de cætero abbas S. Germani a Cluniacensi abbate investituram per baculum suscipiat prohibemus. Si quis autem hujus nostræ confirmationis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, honoris & officii sui periculum patiatur, aut extrema ultione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.

Ego Anastasius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego B. presbyter cardinalis tit. S. Callixti. Guido presbyter cardinalis tituli S. Grisogoni, Umbaldus presbyter cardinalis tituli S. Praxedis, Aubericus presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ, Julius presbyter cardinalis tituli S. Marcelli, Jordanus presbyter cardinalis tituli SS. Susannæ & Felicitatis. Ego B. presbyter cardinalis tit. S. Stephani de Monte-celio, Johannes presbyter card. S. Johannis & Pauli tit. Pamachii, Johannes presbyter card. tituli SS. Silvestri & Martini, Imarus Tusculanus episcopus, Hugo Ostiensis episcopus, Censius Portuensis episcopus, Gregorius diaconus cardinalis & electus Sabinensis, Rodulphus cardinalis tituli Luciæ in septa solis ff. Guido diaconus card. S. Mariæ in Porticu, Johannes diaconus cardinalis SS. Sergii & Bacchi, Odo diaconus S. Nicolai in carcere Tulliano.

Datum Laterani per manum Rolandi Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, VII calend. Maii, indictione II, Incarnationis Dominicæ anno M. CLIV, pontificatus vero domini Anastasii IV papæ anno primo.

XXXIV.

Guillelmus comes Nivernensis convenit cum Alano episcopo de justitia Conadæ & aliis capitibus. *Ex Sammarthanis.*

EGO Alanus Dei gratia Autissiodorensis episcopus, & ego Willelmus comes Nivernensis, notum esse volumus tam futuris quam præsentibus, quod S. Maria & B. Stephanus & episcopus Autissiodorensis dinoscuntur habere & habuisse in pace apud Conadam hæc omnia, quæ per capitula in præsenti carta subscripta sunt. 1157. Quidquid in castro & in castellania Conadæ continetur, de casamento vel de dominio episcopi est; fossetum de Firmitate Conadæ episcopi est, & forisfactum de fosseto si fuerit: empiramentum fosseti comitis est. De omnibus hominibus ubicumque steterint qui mercaturam faciunt apud Conadam, justitia episcopi est, forum & theloneum episcopi est, & quidquid de foro exit, & justitia de omnibus hominibus qui venient infra castri, & rapina & incendium est episcopi, quicumque clamorem fecerit, episcopi est, quicumque stat in terra episcopi si bovem habet, curvatam debet episcopo bis in anno; si bovem non habet, duos homines habebit in curvata episcopi, ubi præpositus mittet eos: censum habet episcopus in dominio suo de terra sua tota intra castrum, & de foris per Ligerim *des le Ru Alueriac*, usque ad terram villæ *Charul;* ubicumque navis ad vendendum aliquid portabit, venditutæ & consuetudines sunt episcopi, de hoc quod vendiderit ubi applicuerit. Omnes homines qui stant a villa *Charul* ad *Ru Alueriac*, quicumque rete miserint in Ligerim submonebit præpositus episcopi ad piscandum, & panem & vinum habebunt: quod si facere noluerint, rectum inde faciet per legem qua vivunt. Boscus de Culdreyo B. Mariæ & S. Stephani & episcopi est: credentiam suam habet episcopus in omnibus qui vendunt panem & vinum, & carnem, & quidquid est necessarium ad comedendum. Si episcopus venerit in villam, vel hospites ei supervenerint, accipiet patellam, cacabum, scutellas, cyphos, culcitras, quissinos & pannos ad jacendum: mel & cera quæ exit de bosco prædicto, & pasnagium & quercus & fagus & omnes arbores quæ fructum portant, episcopi sunt, & justitia totius bosci episcopi est. Mariscalcus episcopi hospitabit equos dominorum qui sunt post episcopum, & de uno quoque illorum habebit panem, vinum & carnem, apud villam *Charul* quæ est in casamento: habet episcopus curvatam de bobus. In terra quæ vocatur Foresta monachorum, habet episcopus curvatam boum, ad custodiendum messes & prata quæ sunt in terra episcopi. Præpositus episcopi ponet ibi custodem, & si aliquid forisfactum fuerit, justitiam habebit episcopus. A Cona usque ad saxum de Geuri, usque ad quadruvium Cistilliaco, & quantum terra episcopi durat & boscus & planum: si bestia vel aliquid ibi venditur, venditutæ sunt episcopi a duodecim nummis: insupra duella Conadæ sunt episcopi a planca *de Ru* usque ad villam *Charul*, & usque ad villam Villam, & usque ad Ligerim justitia totius castellaniæ Conadæ episcopi est. Hæc quæ superscripta sunt, ego Willelmus Nivernensis comes sigillaveram, postea vero dominus meus A. Autissiodorensis episcopus & ego quæ subscripta sunt concordavimus, & huic cartulæ apposuimus, & eam tam meo quam suo sigillo signavimus. Nullus hominum episcopi qui manent extra munitionem Conadæ, consuetudinem vel justitiam mihi debet aliquam. Si quis hominum meorum de Conada, vel de aliis castris, scilicet Castronovo, Mailliaco, S. Salvatore, Bitriaco,

Ulmo & eorum Castellariis quæ ab episcopo teneo, perrexerit ad villam quæ sit episcopi, quamdiu ibi manebit, episcopi erit, nec res ipsius saisire potero: cum autem redierit, meus erit; si tamen ad Conadam rediens fiat feodatus serviens episcopi, episcopi erit. Terram quæ de fundo est episcopi, non licet mihi vel decimam aliquam acquirere, nisi per episcopum Autissiodorensem, non licet mihi inducere vel demere aliquas consuetudines nisi per episcopum de cujus feodo eas omnes habeo. Quascumque habeo Autissiodori in foro, & in aliis consuetudinibus, & in circuitu præter clausuram murorum, de episcopi feodo est, præter illud modicum quod teneo a duce ultra pontem: liberi homines nostri qui se transferunt ad aliquam villarum episcopi, episcopi sunt. Hujus rei testes sunt, R. archidiaconus, G. cantor, Stephanus cellarius, Ra. *de Touci*, Herveus præpositus, Olanus, hi ex parte episcopi: ex parte comitis, magister Stephanus, magister Gaufridus, Gaudricus capellanus, Odo Grossus, Brienus de Cona, Raudus Robertus, & alii quamplures ex utraque parte. Actum Autissiodori, anno Incarnationis Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo.

XXXV.

Aliæ litteræ ejusdem comitis de re eadem.

1157. EGO W. Nivernensis comes præsentibus & futuris notifico extitisse discordiam inter me & dominum meum A. episcopum Autissiodorensem, de banno & justitia Conadæ & burgo S. Aniani; unde talis facta est concordia: bannum ex parte mea & episcopi clamabitur. Si clametur pro negotio episcopi, vel meo, vel alterius infractura, vel emendatio erit episcopi, sed damnum mihi vel alteri restituetur per justitiam episcopi. Justitia omnium hominum manentium apud Conadam, episcopi est. Quicumque clamorem fecerit pro qualicumque forisfacto, episcopo, vel præposito ipsius faciet etiam de illo forisfacto quod fiet in domo, vel dongione meo ab hominibus meis, vel alterius. Cognitum insuper fuit quod in burgo S. Aniani, nec etiam in aliqua terra episcopi quæ sit extra munitionem Conadæ, consuetudinem aliquam, nec justitiam habeo infra munitionem, nec extra, talliam, vel questum licet mihi facere nisi in meis hominibus de corpore. Hominibus de Conada tenemur episcopo, & episcopus credita nobis ab eis infra 40 dies reddere. Hujus rei testes sunt magister Stephanus cellarius, mag. Gosfridus, Odo Grossus, Briennus de Cona, Robertus præpositus. Actum Autissiodori, anno ab Incarnatione Domini M. CLVII.

XXXVI.

Bulla Alexandri III pro ecclesia S. Eusebii.

1162. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Dodoni abbati & fratribus ecclesiæ beatorum Laurentii & Hilarii de abbatia, salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est facilem præbere consensum, & vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu sunt consequente complenda. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, beneficium præbendarum a fratre nostro Alano episcopo, & universo capitulo Autissiodorensis ecclesiæ B. Eusebii ad jus ecclesiæ vestræ spectanti rationabiliter concessum, & ab eisdem scripto proprio confirmatum, sicut in eorum authenticis litteris continetur, vobis & per vos prædictæ ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere,

A vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum apud Montem-pessulanum II nonas Junii.

XXXVII.

Bulla Alexandri III qua duelli loco permittit Alano episcopo ut testes, instrumenta aliasque adhibeat probationes.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Autissiodorensi salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte tua fuit pro- 1162.
B positum coram nobis, quod cum contingat interdum aliquos hominum tuorum de corpore, se a tuo dominio subtrahendo, ad loca transferri alterius jurisdictionis subjecta, locorum ipsorum rectores & domini præfatos homines non eos te repetente volunt restituere, nisi per duellum probes eos tuos homines extitisse, in tuum præjudicium non modicum & gravamen. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum ex hoc tam tu, quam ecclesia tua gravem sustineatis pluries læsionem, providere super hoc indemnitati tuæ, ac ipsius ecclesiæ paterna sollicitudine curaremus. Cum igitur monomachia sacris sit canonibus interdicta, nos tuis supplicationibus inclinati, ut contra prædictos testibus, instrumentis & aliis probationibus legitimis uti libere valeas, auctoritatem tibi præsen-
C tium indulgemus, &c. Datum Viterbii idibus Februarii, pontificatus nostri anno IV.

XXXVIII.

Carta Alani episcopi pro monasterio S. Mariani. Ex Sammarthanis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Alanus Autissiodorensis episcopus. Quoniam cer- 1163. tum est episcopum Christi vicarium esse, ejusdem Christi pauperum debet necessitatibus subvenire. Eapropter prædecessor noster Hugo Autissiodorensis episcopus plurima largitus est canonicis regularibus Præmonstratensis ordinis, quos zelo religionis succensus apud Autissiodorum in ecclesia S. Mariani
D ibidem Deo servituros instituit. Si quidem donavit eis prænominatam ecclesiam S. Mariani, cum quibusdam eidem ecclesiæ appendentibus vineis, ecclesiam S. Martini, ecclesiam S. Salvii, & sedem molendini super Belcham fluvium, cum terra & censu pertinentibus ad molendinum. Donavit etiam eis ecclesiam B. Mariæ in suburbio sitam, cum censibus & vineis, terris, decimis, pratis, servis & ancillis, & omnibus appendentibus prope Longene positis, & præbendam integram in ecclesia S. Stephani. Hæc omnia canonici de manu episcopi accipientes, ea tamen seu simplicitate, seu nimia donantis confidentia sigillo episcopali non confirmantes, nunc a nobis deposcunt ista confirmari. Ne igitur de his aliquam in futurum sustineant calumniam, ipsa eadem quæ
E donavit, assensu & concessione totius capituli sancti Stephani, & precibus Willelmi comitis Nivernensis, postea Carthusiæ conversi, non etiam, laudante ipso capitulo, donamus: quibus etiam donis, ex episcopali benignitate, ecclesiam de Tangiaco donantes adjungimus: & ut rata, inconvulsaque eis permaneant, conscribi, sigillorumque, nostri videlicet & communis capituli S. Stephani caracteribus fecimus consignari. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. CLXIII.

Digitized by Google

XXXIX.

S. Amatoris prioratus S. Satyri Bituricensis monasterio unitur.

1163. AD episcopalis officii discretionem pertinet loca religiosa non solum tutari & conservare, verumetiam ipsam religionem in meliorem statum promovere. Inde est quod ego Alanus Dei gratia Autissiodorensis dictus episcopus, ecclesiam B. Amatoris ex officio mihi injuncto & apostolicæ auctoritatis mandato, cum illis possessionibus, quas canonici regulares tunc tenebant, ecclesiæ S. Satyri in perpetuum concedo, salvis institutionibus quæ sunt inter ecclesiam S. Amatoris & B. Stephani, & ea conditione ut per episcopum prior ibi de domo illa constituatur, & ibidem juxta consuetudinem & disciplinam prænominatæ ecclesiæ vivat, & cum suis fratribus adjuvante gratia Domini ordinem B. Augustini teneat, & cum fuerit constitutus nisi per episcopum non amoveatur. Ne qua vero deinceps inter episcopum & canonicos controversiæ oriatur occasio, constitutum est meo & eorum assensu, ut de vineis episcopi in quibus canonici decimam requirebant, episcopus singulis annis duodecim modios vini persolvat, decem de rubeo & duos de albo. In terra vero quæ Cunemine dicitur, episcopi quotiens culta fuerit, canonici decimam habeant. Facta est autem hæc constitutio in octavis B. Stephani in capitulo Autissiodorensi Guidone præposito, Rainaudo archidiacono, Rodulpho thesaurario, Stephano cantore præsentibus & & assistentibus, sub assensu etiam totius capituli, anno ab Incarnatione Domini M. CLXIII, domino Alexandro III summo pontifice, Ludovico rege Francorum, Willelmo juniore comite Nivernensi.

XL.

Godefredus quondam Lingonensis episc. controversiam inter episcopum Autissiodorensem & comitem Nivernensem ortam componit.

1164. EGO Godefredus episcopus quondam Lingonensis, notum fieri volo tam præsentibus & futuris, quod de quibusdam querelis quæ inter dominum Alanum venerabilem episcopum Autissiodorensem, & Willelmum illustrem comitem Nivernensem agitabantur, auxiliante Deo per manum nostram & Wichardi Pontiniacensis, & Gaufridi Clarevallis abbatum, de jure & consuetudinibus prædictorum episcopi videlicet & comitis inquisita diligentius veritate, tali modo amicabili facta est compositio. Salva igitur in primis, & approbata carta quam inter prædecessorem hujus dominum Hugonem episcopum & avum istius comitis, comitem scilicet & de Cartusia sanctæ memoriæ, Bernardus Clarevallis abbas composuit, statutum est a nobis, ut quidquid in ea diffinitum est, & ipsorum sigillis firmatum, ratum habeatur, & tam ab episcopo quam a comite cunctis diebus inviolabiliter observetur. Igitur de terra mercati quæ tam episcopi quam comitis communis est, cognitum est, quia neutri eorum eam dare alicui, vel aliquid ibi facere sine assensu alterius licet, excepto quod comes in ea stalla concedere solis cambiatoribus potest, tantummodo ad cambiandum, quæ tamen ab eis ad alios usus transferri non possunt: ita duntaxat, ut si pretium exinde comes habuerit, episcopus medietatem habeat, de theloneo quod episcopus & vicecomes accipiunt, ministeriales comitis nihil se intromittere habeant. Terra quæ Kalende Maii appellatur liquet quia episcopi est: unde comes nihil ibi facere habet, & quod in ea construxerat ædificium cadat. Similiter domus juxta pontem, quia cognitum est & manifestum constructam eam esse super aquam quæ a

A ponte inferius, juris episcopi est, cadat. Equitaturas hominum episcopi, vel ecclesiarum ministerialibus comitis capere ad aliquid faciendum, vel alicubi mittendum non licet, sed & pro munitionibus faciendis, vel reficiendis nihil ab hominibus episcopi, vel ecclesiarum est exigendum. Aliquociens homines episcopi apud ministeriales comitis conqueruntur, & eis justitiam facere nolunt, nisi pro ipsis se justitient, etiam hi quidem non debent nisi de mercato viventes, unde manifestum est quia ideo non est eis justitia subtrahenda seu neganda. Præterea contingere solebat quod homines comitis hominibus episcopi sua credebant, & cum non possent credita rehabere, propter hoc res aliorum hominum episcopi capiebant, quod dictum est omnino fieri non debere; credentiæ enim
B a nullo nisi ab eo cui sunt creditæ, sunt requirendæ. Recognitum est præterea quod in feodatis servientibus quos episcopus habet Autissiodori, vel alibi etiamsi de mercato vivant, comes nullam omnino in foro, aut alio in loco pro aliquo forisfacto, nisi per episcopum habet justitiam seu potestatem. Ut igitur præscripta compositio rata & inconcussa perpetuo maneat, episcopi, comitis & nostro sigillo eam confirmavimus, notatis testibus qui nobiscum præsentes interfuerunt. Henricus venerabilis Trecensis episcopus & Girardus ejusdem archidiaconus, Guido Autissiodorensis præpositus, Willelmus decanus, Stephanus cantor, Stephanus cellarius, Garnerius senescallus, Stephanus de Petrapertusa milites, Stephanus episcopi præpositus, Raaudus, Burgenses Autissiodor. Actum
C anno ab Incarnatione Domini M. CLXIV, regnante Ludovico Francorum rege christianissimo.

XLI.

Alanus monachis Donziaci confirmat ecclesias quasdam. Ex autent.

EGO Alanus Dei gratia Autissiodorensis episcopus, 1164.
notum fieri volo præsentibus & futuris, quod bonæ memoriæ Hugo episcopus Autissiodorensis, assumtus in episcopum de ecclesia S. Germani Autissiodorensis cui multo præfuit, S. Mariæ Donziaci & monachis ibidem Domino famulantibus ecclesiam S. Vincentii de Pogniaco & ecclesiam S. Peregrini de Boiaco donavit. Deinde tempore meo orta con-
D tentione de præsentatione presbyteri de Boiaco, virorum probabilium testimoniis super hoc susceptis, vestigiis illius sancti viri inhærens, donum illud de ecclesia de Pogniaco & de ecclesia de Boiaco factum confirmavi cum præsentatione presbyteri, salvo jure episcopali, retenta illa parte decimarum quæ juris ecclesiæ Autissiodorensis erat tempore Hugonis episcopi Autissiodorensis assumti in episcopum de ecclesia Pontiniacensi, & illa parte census quam Benedictus presbyter habebat. Hujus rei testes sunt Rainardus abbas Boni-radii, Mauricius prior de Donziaco, cujus tempore hoc factum fuit, Stephanus cellerarius, Rainaudus canonici Autissiodorenses, Arnaudus & Gaufridus monachi de Donziaco, Arnaudus præpositus & Willelmus canis putidus. Actum anno ab
E Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto.

XLII.

Rainardus comes Jovigniaci remittit monasterio S. Juliani quatuor homines.

NOS Hugo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, 1164.
& Humbaudus Hostiensis episcopus, & Odo diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano; notum fieri volumus præsentibus & futuris, quod inter Agnetem abbatissam S. Juliani Autissiodorensis, & Rainardum comitem Juvignii controversia agitabatur super quatuor hominibus, Gosberto, Anulfo, Rainardo

Rainardo & Horico, quos prædicta abbatissa in potestate Miganiæ servientes suos constituerat. Quæ controversia cum per querelam prædictæ abbatissæ ad audientiam unius nostrûm Hugonis Senonensis archiepiscopi deducta fuisset, prædictus comes ad audientiam domini papæ Alexandri, qui tunc Senonis erat, appellavit. Cum autem utraque pars pro eadem appellatione ad præsentiam domini papæ convenisset, dominus papa eamdem causam nobis Humbaudo Hostiensi episcopo & Odoni cardinali audiendam, terminandamque commisit. Post diutinam & prolixam ejusdem causæ ventilationem, causa illa per concordiam & transactionem hoc modo finita & determinata est, quod comes prædictos quatuor homines & uxores eorum & liberos in perpetuum liberos & absolutos dimisit abbatissæ & monasterio S. Juliani, ita ut in eis nullam habeat justitiam exactam seu requisitam, seu in uxoribus, sive liberis eorum, quandiu servientes fuerint, & ministeriales prædicti monasterii extiterint. Cum autem servientes seu ministeriales esse desierint, habeant in eis sicut in propriis hominibus S. Juliani. Confessus est etiam & protestatus prædictus comes, in præsentia nostra, se nihil habere in nemore sancti Juliani quod est in Otha, excepta gruaria. Quod autem prædictus comes a controversia illa, tam super prædictis hominibus, quam super nemore omnino discessit, hoc fecit intuitu sororis suæ quæ in eodem erat monasterio, & respectu gratiæ & amoris abbatissæ ejusdem, & nostrarum etiam precum intuitu. Hujus autem transactionis seriem præsentis scripti pagina jussimus annotari, & sigillorum nostrorum impressione & mandato utriusque partis jussimus insigniri. Hujus rei testes sunt Stephanus abbas S. Remigii Senonensis, Guillermus Senonensis ecclesiæ præpositus, Guido sancti Stephani Autissiodorensis præpositus, Stephanus Autissiodorensis archipresbyter, magister Henricus Autissiodorensis canonicus, Obertus de Madriaco, Petrus Rusellus capellanus abbatissæ, Odo major abbatissæ, Rainaudus *Cheneux*? ex parte vero comitis, Garinus filius vicecomitis Senonensis, Odo *Liboz*, Stephanus *Cornis*, Hugo præpositus Joigniaci, Guillelmus Burgandus. Actum est hoc publice Senonis, anno ab Incarnatione Domini M. C LX IIII, Alexandro papa præsidente, regnante Ludovico rege Francorum, Hugone archiepiscopo Senonensi.

XLIII.

Bulla Alexandri III pro Rigniaco.

1165. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Acelino abbati Regniacensis monasterii ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis si quidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam atque Cisterciensium fratrum institutionem in ipso monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum in quo ipsa abbatia sita est cum grangia quæ in eodem territorio est & aliis grangiis, Fontismo videlicet, Ulduno,

A *Essarz*, Carboneriis, Lescheriis, *Calcz*, Bellovidere, domum de Campo-leniæ, cellarium de vallibus cum omnibus appenditiis suis, domum de Vaureta; quicquid ex dono Willelmi Nivernensis comitis rationabiliter possidetis, terram scilicet cultam & incultam sicut divisa est, totam aquam a fonte Roboris usque ad aquam Milonis de Noeriis cum vinea de Ecclesiolis. Ex dono Hugonis de Castro-censurii totam terram ejusdem territorii sicut divisa est. Ex dono Rainaldi Caprarii quicquid habebat in *Bruhalt* terram cultam & incultam, & quicquid habebat in molendino de Regniaco. Ex dono Ascelini de Castro-censurii, uxoris suæ Autissiodoræ & filiorum ejus, totam terram suam quæ est in valle Porliaci, totam terram *de Essarz* tam planam quam nemorosam, & omnes aisantias in
B tota terra sua quæ est inter Coram & Sedanam fluvios, tam planam quam nemorosam, sine damno pastionum, pratorum & segetum, ita quod ulterius secundum quod statutum est ab ipsis vel heredibus suis, seu ab aliquo hominum, domus vel habitatio in præscripta terra non fiat, exceptis quæ ibi modo sunt; pratum de Robore cum terra culta ei adjacente; terram vallis Roboris, totam aquam suam quam habebant communem cum monachis Veziliacensibus a fonte Roboris usque ad domum suam de Basceio. Ex dono Joscelini *de Arsy* terram suam de Regniaco. Ex dono Hilduerii *de Saci* partem alodii sui *de Saci* subtus villam quæ dicitur S. Quintini. Ex dono Anserici de Avalone & Guidonis de Nuceriis, quidquid habebant sine ulla retentione in terra de Fontismo quæ
C dicitur S. Petri. Ex dono Landrici *de Prais* & filiorum ejus totam terram suam de Ulduno cum omnibus appenditiis suis tam planis quam nemorosis sine ulla retentione. Ex dono Norgaudi quidquid habebat in terra Hulduni. Ex dono Stephani de Poliaco quidquid habebat in terra Ulduni. Ex dono Bellardæ uxoris Gauterii de Turre & filiorum ejus, totam terram quam habebant in sylva *de Crinal*, tam planam quam nemorosam, pratum inter duos boscos. Ex dono Hugonis *de Praiz* & fratrum suorum, omnia prata quæ iidem fratres habebant ad villam *de Praiz* sicut divisa sunt. Ex dono Gaufredi de Dunziaco & filiorum ejus Hervei, Gaufridi & Guidonis de Vergeio & fratrum suorum & Hugonis de Monte S. Johannis, terram grangiæ de Lescheriis cum omnibus appenditiis suis
D tam in nemoribus quam in terris planis, cultis & incultis, & omnes aisantias in tota castellania Castricensurii tam in nemoribus quam in terris, sine damno pastionum, pratorum & segetum. Ex dono canonicorum Castri-censurii & Widonis de Asneriis & cæterorum heredum, terram de Bergeriis & alias terras quas ab ipsis habetis tam in nemoribus quam in terris planis, cultis & incultis. Ex dono Hugonis de Porta & fratrum ejus, sylvam quæ dicitur de Caulibus. Ex dono eorumdem & Gaufridi de Villari & Johannis Roberti, prata quæ habetis super fluviolum *de Anseny*; quidquid juris habetis in terris quas dedit vobis Rainadus *Adens*. Ex dono Anserici de Monte-regali, Willelmi Fortis & Theobaudi de Scutinei, terram in qua sita est grangia & domus de Carboneriis. Ex dono ejusdem Anserici & Ivonis de Avalone, terram
E juxta grangiam de Carboneriis. Ex dono ejusdem Anserici, pratum quod est inter vadum & grossum boscum, & omnes aisantias in terra sua; prata de Cochenio, de Radice & de Vaurella. Ex dono Theobaldi de Cutinei & Wilelmi Fortis, omnes usus & aisantias in bosco de Vaurella ad pascua, focum & ædificia construenda. Ex dono Niardi de Montegeleni & filiorum ejus & filiorum Arcardi, terram a rivo de Monte-geleni usque ad fontem de Cavannis, & usque ad rivum *de Graffant*, pratum de Stanno. Ex dono Framundi de Rufi & comitissæ uxoris ejus, & Thibergæ de Maniaco, totam terram quam habebant in territorio de Cavannis; terram quam habetis a Caina de Monte-regali & Galeranno nepote ejus, &

Digitized by Google

Gautero filio Nivardi quæ dicitur foresta Guinnemanni. Ex dono Landrici *de Draci* domum in civitate Autissiodorensi & terra subtus eamdem domum juxta murum civitatis; prata quæ habetis a canonicis sancti Lazari de Avalone; terram de grangia *de Morvient* quæ dicitur *Calz*, cum omnibus appenditiis suis, in terris cultis & incultis sicut eas acquisivistis. Ex dono Odonis ducis Burgundiæ, filii ejus Artaudi *de Casteluz* & uxoris ejus Rachel, omnes aisantias cunctis nemoribus suis quæ sunt inter Coram & Cosam, ad pasturam pecorum & porcorum sine omni pretio & pasnagio. Ex dono Wilelmi de Turre quidquid juris habebat in terra quam Niardus de Monte-regali vobis concessit; grangiam de Bellovidere cum omnibus appenditiis suis; terram *de Annai*, prata de Vaureta, terram quam habetis a Richardo *de Lenset*, Iterio Jocerii & fratre ipsius. Ex dono Gibaudi de S. Verano, Rainaudi fratris ejus & filiorum suorum gixtum quod habetis in terra de Thori quantum pertinet ad grangiam de Bellovidere, & quidquid de feodo ipsorum in terra de Thori habetis, sicut prædictæ possessiones divisæ sunt. Præterea antiquas & rationabiles consuetudines ac immunitates quæ a dilecto nostro Ludovico illustri Francorum rege & comite Henrico vobis indultæ sunt, sicut in authenticis eorum scriptis exinde factis continetur, nihilominus vobis confirmamus. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sicut de nutrimentis vestrorum animalium decimas a vobis nullus præsumat exigere. Si qua vero libera & absoluta persona pro redemptione animæ suæ vestro monasterio conferre se voluerit, suscipiendi eam facultatem liberam habeatis. Adjicientes etiam auctoritate apostolica interdicimus ne quis fratres vestros clericos sive laicos post factam in vestro monasterio professionem, absque vestra licentia suscipere audeat vel retinere. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providentes auctoritate apostolica prohibemus ut infra clausuram locorum sive grangiarum vestrarum nullus violentiam vel rapinam, sive furtum facere, vel hominem capere audeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

✠ Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus ss. ✠ Ego Hubaldus Hostiensis episcopus ss. ✠ Ego Bernardus Portuensis & S. Rufinæ episc. ss. ✠ Ego Gualterus Albanensis episcopus ss. ✠ Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli S. Crucis in Jerusalem ss. ✠ Ego Henricus presbyter cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achillei ss. ✠ Ego Johannes presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ ss. . . . . presbyter cardinalis S. Petri ad vincula ss. ✠ Ego Jacinthus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedyn ss. ✠ Ego Oddo diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano ss. ✠ Ego Boso diaconus cardinalis SS. Cosmæ & Damiani ss. ✠ Ego Cynthius diaconus cardinalis S. Adriani ss. ✠ Ego Manfredus diaconus cardinalis sancti Georgii ad velum aureum ss.

Datum Bituricis per manum Hermanni S. Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii, IIII idus Maii, indictione XIII, Incarnationis Dominicæ M. CLXIIII, pontificatus vero domni Alexandri papæ III anno VI.

XLIV.

Bulla Alexandri III pro Rupibus.

Ex chartulario. 1165.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Johanni abbati S. Mariæ de Rupibus, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam profitentibus in PP. M. Apostolici moderaminis clementiæ convenit religiosos diligere, & eorum loca suæ protectionis munimine defensare. Quocirca, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium S. Mariæ in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar patris & prædecessoris nostri sanctæ recordationis Eugenii papæ, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum in quo ipsum monasterium situm est, cum appenditiis suis, grangiam *de Villegest*, grangiam de S. Lupo, grangiam *de Aligny*, grangiam de Veteribus-campis & *Vaux*, grangiam *de Blancfort*, grangiam de nemore S. Gundulphi, grangiam de Villanova; terram de Landis & de Fundelino, quidquid habetis apud Liriacum, terram de Chanejo, grangiam de villari Gundulphi, grangiam de Crientiis cum omnibus nemoribus & pascuis pertinentibus ad supradictas grangias. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, decimas a vobis nullus præsumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere aut imminuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione . . . . . . concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum . . . . . . secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque dignitate careat, reamque divino judicio existere de perpetrata iniquitate se cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

✠ Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus ss. ✠ Ego Hubaldus Hostiensis episcopus ss. ✠ Ego Bernardus Portuensis & S. Rufinæ episc. ss. ✠ Ego Galterius Albanensis episcopus ss. ✠ Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli S. Crucis in Hierusalem ss. ✠ Ego Henricus presbyter cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achillei ss. ✠ Ego Johannes presbyter cardinalis tituli S. Anastasiæ. ✠ Ego Guillelmus tituli S. Petri ad vincula presbyter cardinalis. ✠ Ego Jacinthus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmidin.

✠ Ego Oddo diaconus cardinalis sancti Nicolai in carcere Tulliano. ✠ Ego Cinthius diaconus cardinalis S. Adriani. ✠ Ego Manfredus diaconus cardinalis S. Georgii ad velum aureum.

Datum Senonis per manum Hermanni S. Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii, sexto idus Februarii, Incarnat. Dominicæ anno M. CLX.... pontificatus vero domini Alexandri papæ III 6, indict. XIII.

X L V.

Statuitur ne numerus sanctimonialium de Crisenone ultra centenarium augeatur.

1170. WILLELMUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, dilectis in Christo filiabus priorissæ totique capitulo de Crisenone, salutem in Domino. Ex multorum relatione cognovimus quod reditus vestri multitudini quæ ad vos confluit, nullatenus sufficere possunt. Volentes autem utilitati vestræ ecclesiæ providere, statuimus ne numerus sanctimonialium ultra centenarium aliquo modo in ecclesia vestra protendatur. Inhibemus ergo sub anathematis intentatione ne quis huic nostræ institutioni ausu temerario obviare præsumat, salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate.

X L V I.

Ex Sammarthanis. *Guido comes donat villam quæ dicitur capella sancti Andreæ, Willelmo episcopo & successoribus.*

1173. NOTUM sit omnibus præsentibus & posteris, quod ego Guido comes Nivernensis, pro Dei amore & remedio animarum patris & fratris mei Willelmi & meæ, donavi & concessi domino meo Willelmo Autissiodorensi episcopo & aliis successoribus episcopis ecclesiæ Autissiodorensis, quidquid habebam in villa quæ capella S. Andreæ nominatur, & in potestate ejusdem villæ, sive in hominibus, sive in casamentis, sive alio quocumque dominio jure perpetuo possidendum. Quod ut ratum permaneat & inconcussum, & ne quis deinceps super hoc calumniam ullam inferat, sigilli mei impressione munivi. Hujus rei testes sunt Nariotus de Tuciaco, Gauterius Berardi, Damianus, Girardus Grossus, Stephanus de Landa, Gaufridus abbas de Rochiis, Odo abbas sancti Petri, Guido de Porta, Gilo de Tornellо, Petrus de Curchuna, Fornerius de Droia, Thomas notarius, Radulphus clericus episcopi. Actum hoc Senonis anno ab Incarnatione Domini M. CLXXIII.

X L V I I.

Ex chartul. Crisenonis. *Guido comes donat unum bichetum gleni monialibus Crisenonis.*

1173. SCIANT præsentes & posteri, quod ego Guido comes Nivernensis pro Dei amore & animarum patris & fratris mei, & antecessorum meorum remedio, & meæ, dedi & concessi in eleemosynam monialibus de Crisenone unum bichetum gleni in molendinis suis de Autissiodoro, qui mihi exciderat de Stephano *Chenau*, quem idem Stephanus in præfatis molendinis habebat, pro factura lignei operis quam in molendinis adhibebat, & singulis hebdomadis illum capiebat. Hunc bichetum qui mihi de homine uno per excasuram excidit ego Guido comes dedi in eleemosynam, & quitavi prædictis monialibus. Quod ut ratum & inconcussum permaneat in futurum, publico legitimorum hominum testimonio confirmavi, & sigilli mei impressione roboravi. Hujus rei testes sunt Regnaudus de Marchia, Theobaudus de Gunnossa, Reghaudus Malis, Fermerius de Droia, Petrus *de Churcum*, Milo tunc præpositus Autissiodori, Raadus, Robertus capellanus comitis, Petrus de sancto Peregrino, & alii plures. Actum est hoc Autissiodori, anno Verbi Incarnati M. CLXXIII, regnante Ludovico rege Francorum, Willelmo episcopo Autissiodori.

X L V I I I.

Bulla Alexandri III de ecclesia S. Petri Autissiodorensis recens abbatiæ nomine insignita.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis O. abbati & fratribus S. Petri Autissiodorensis, salutem & apostolicam benedictionem. 1174. Ea quæ ad honorem & profectum ecclesiarum rationabili providentia statuuntur approbare, & ut debitam obtineant firmitatem auctoritate apostolica roborare nos decet. Audivimus autem quod venerabilis frater noster Willelmus Autissiodorensis episcopus, ad preces vestras & venerabilis fratris nostri Senonensis archiepiscopi, apostolicæ sedis legati, ecclesiam vestram de decanatu in abbatiam mutavit, & ut in ea abbas de cætero & non decanus ordinetur firmiter instituit observandum, quam quidem institutionem sicut rationabiliter facta est, nos ratam & firmam habentes eam præsentis scripti munimine roboramus, statuentes ut ordo canonicus qui in eadem ecclesia secundum Deum & B. Augustini regulam noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Nihilominus ecclesiam de Venosa cum capellania *de Rouvré* sicut etiam in præsentiarum rationabiliter possidetis vobis & per vos ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, &c. Datum Anagniæ V calendas Martii, indictione VII.

X L I X.

Donatio Gaufridi de Nanvigneis Rupium asceterio. Ex chartular.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Herveus Donziacensis dominus notum fieri volo 1174. tam præsentibus quam futuris, quod Gaufridus de Nanvigneis, & Bartholomæus sororius ejus, & Agnes uxor Bartholomæi, concedentibus filiis ejus Rainaldo & filiabus suis Agnete, Petronilla, Emmangarde & Æmelina, dederunt & concesserunt quidquid juris habebant in quadam parte Chaneii, scilicet a semita qua itur a Monesterello ad Corbolanum versus grangiam de Crientiis, ecclesiæ de Rupibus, & domno Gaufrido tunc ejusdem loci abbati, per manum meam, & patris mei, suisque successoribus in perpetuum libere & quiete pro duodecim nummis censualibus monetæ quæ tunc curreret in villa S. Cirici de Interamnis, annuatim reddendis, possidendum. Concesserunt eidem ecclesiæ præterea quidquid Gaufridus avunculus Gaufridi supradictæ ecclesiæ concesserat aut vendiderat, scilicet totum quidquid habebat in Chanejo; concedentes ei nihilominus omnia terræ suæ nemorosæ & planæ pasturas, aisantias & pasuagia omni tempore absque omni exactione, & sine contradictione habenda. Concesserunt eidem ecclesiæ præterea quidquid Bernardus de Nanvigneis & fratres ejus, & Milo de Nanvigneis & filii ejus cognati eorum vendiderant & ascensaverant. Habuerunt inde Gaufridus & Bartholomæus sororius ejus decem libras, & Agnes uxor ejusdem Bartholomæi tres solidos, & Reinaldus filius ejus duodecim denarios, & quatuor filiarum ejusdem Bartholomæi unaquæque duodecim denarios. Et ne hoc donum & venditio ab ipsis vel a successoribus ipsorum maligno ausu aut consilio aliquando frangeretur aut perturbaretur, me & patrem meum responsales & protectores, & defensores de-

Digitized by Google

derunt. Concessit etiam nobis prædictus abbas nisos & accipitres, & hujusmodi aves & venationem ejusdem nemoris, præter illam quam sui homines aut sui canes ceperint. Actum est publice anno ab Incarnatione Domini M. CLXXIV apud Interamne, in præsentia domini Willelmi tunc Autissiodorensis episcopi & nostra, assistentibus venerabilibus testibus Willelmo abbate Boni-radii, & Gauterio priore de Charitate, & Roberto de Testis monacho Charitatis, domino etiam Hervejo de Virsone & Briendo de Conada, & plurimis aliis. Et ne hoc donum aut venditio in posterum oblivioni traderetur, hanc cartam inde fieri & sigilli nostri auctoritate, precibus Gaufridi & Bartholomæi sororii ejus corroborari fecimus, regnante Ludovico rege & Willelmo Nivernensium comite.

L.

Diploma Ludovici Francorum regis in gratiam episcopi Autissiodorensis.

1175. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis præsentibus & futuris, quod verbum motum est a comite Nivernensi de communia facienda Autissiodori, a comite videlicet Guidone, cui rei cum episcopus Autissiodorensis Guillelmus dilectus & fidelis noster instanter reclamaret & contradiceret, asserens penes se privilegia esse tam prædicti comitis quam patris sui Willelmi, & fratris sui Willelmi quondam comitum Nivernensium, in quibus continebatur, quod nullam consuetudinem novam poterant Autissiodori constituere, vel introducere præter ejus assensum & voluntatem, vel successorum suorum episcoporum, nos eadem privilegia præsentari nobis fecimus, ac cum omni diligentia recitari; ex eorum itaque moti continentia quæ prænominati comites concesserant & confirmaverant, nos quoque ad petitionem jam dicti episcopi amici nostri concessimus, & ne fieri possit Autissiodori communia sine ipsius assensu & voluntate, vel successorum suorum episcoporum, præsenti pagina confirmamus. Quod ut inconcussum & stabile permaneat in perpetuum, sigilli nostri auctoritate ac regii nominis subter inscripto caractere jussimus communiri. Actum publice Parisius anno Incarnati Verbi M. CLXXV, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Sig. comitis Theobaldi dapiferi nostri, S. Guidonis buticularii, S. Radulphi constabularii, S. Reginaldi camerarii; data vacante cancellaria.

L I.

Donatio facta ab Ida Nivernensi comitissa episcopis Autissiodorensibus.

1175. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, &c. Ego Ida comitissa Nivernensis per præsentem paginam tam præsentibus quam futuris notum facio, quod videns Guidonem comitem Nivernensem filium meum in extremis laborantem, materna pietate commota, promisi ei me daturam XX libras in redditibus de terra dotalitii mei, pro remedio animæ suæ & antecessorum ejus; quod ipse quidem gratissimum habuit, & ut hoc ipsum opere complerem omnimoda prece postulavit. Ego igitur ad preces illius, hanc eandem eleemosynam volens ordinare salubriter ad ecclesiæ tranquillitatem, & ad animæ filii mei, & antecessorum nostrorum salutem, hoc modo promissum complevi: homines quos habebam tunc temporis Varziaci cujuscumque conditionis essent, & eorum hæredes qui ex illis nascerentur in perpetuum, possidendos episcopis Autissiodorensibus donavi & concessi. Willelmus vero tunc temporis episcopus in præsentia Ludovici nobilissimi regis Francorum, & Willelmi A Senonensis archiepiscopi, pro hac eleemosyna sibi collata in ecclesia B. Stephani Autissiodorensis altare novum, & duos presbyteros ab omni quæstu liberos constituit, qui deinceps vicissim singulis diebus missam pro remedio animæ præfati G. comitis filii mei & patris sui, & antecessorum suorum omnium fidelium defunctorum celebrabunt. Hanc siquidem prædictæ eleemosynæ donationem laudaverunt & concesserunt Mathildis comitissa uxor scilicet G. prædicti comitis, & Reinaldus frater ejusdem comitis filius meus, & si quid juris in hominibus de Varziaco habebant, quittaverunt & Autissiodorensi episcopatui concesserunt. Ut autem hujus eleemosynæ donatio & presbyterorum institutio ratæ & inconcussæ permaneant, hanc cartam exinde fieri præcepi, B & sigilli mei munimine roboravi, sub testimonio horum quorum nomina & signa subscripta sunt. Sig. Odonis abbatis S. Petri Autissiodorensis, Sig. Hugonis Senonensis archidiaconi, Sig. Theobaudi Nivernensis decani, S. Willelmi cantoris de Clamic. S. Richardi vicecomitis de Clamiciaco, S. Willelmi *Chaceboi*, S. Nicolai militis, S. Fornerii de Druia, S. Odonis Beraudi, S. Simonis camerarii. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. CLXXV. Item consimilis litera G. archiepiscopi Senonensis apostolicæ sedis legati de eodem. Item similis litera Matildis comitissæ super eodem. Item similis litera regis Ludovici confirmatoria super eodem. Item super eodem litera papalis confirmatoria.

C

L I I.

Guillelmus episcopus confirmat canonicis S. Eusebii reditus annuos vacantis canonicæ prabendæ jam ab Alano ipsis concessos.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego 1180. Willermus Dei gratia Autissiodorensis episcopus, & totum capitulum B. Stephani notum esse volumus tam futuris quam præsentibus, quod Gaufridus abbas B. Laurentii de abbatia cum quibusdam fratribus in capitulo nostro præsentibus nobis constituti diligenti supplicatione nobis monstraverunt, quod venerabilis prædecessor noster Alanus quondam Autissiodorensis episcopus de communi capituli nostri consensu ecclesiæ suæ B. Eusebii concesserat in eleemosynam D ut quotiens in ecclesia nostra canonica vacaret, quacumque occasione eam vacare contingeret, omni exclusa exemptione & contradictione *talibus* a die qua eam vacasse dignosceretur usque ad unum anni circulum prænominata ecclesia B. Eusebii redditus canonicos ex integro haberet, &c. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1180, Alexandro papa III, Ludovico piissimo rege imperante, Roberto nepote ejusdem Nivernensi comite. Datum per manum Roberti cantoris. Hujus rei testes sunt Milo abbas S. Mariani, Gaufridus abbas S. Petri, Willelmus decanus, Gerardus archidiaconus, Hugo thesaurarius, &c.

L I I I.

E *Testamentum Alani episcopi Autissiodorensis.*

QUOD de consilio & voluntate capituli nostri 1182. factum & confirmatum est, ut nullatenus infirmetur, fidei committimus litterarum, ut certum habeant & ratum posteri quod exaratum est in præsenti. Eapropter ego dictus abbas de Ripatorio, ad præsentium & posterorum notitiam scriptum relinquo quod venerabilis dominus Alanus quondam Autissiodorensis episcopus, ne quid de bonis quæ habebat remaneret intestatum, sic suum per manum nostram disposuit testamentum. In primis de grangia, quæ Via-domange dicitur, ordinatum & statutum ut possessionum suarum termini ab ea nullatenus trans-

Digitized by Google

feruntur; sed eas ut in præsenti possidet, perpetuo grangia remaneret, perpetuo possidebit. Quod si aliquando acciderit ut infra muros Delchiæ suos poterit terminos dilatare, ita ut juxta se quatuor carrucatas terræ habeat, tunc etiam termini terrarum quæ extra rivum *de Germont* continentur ad voluntatem abbatis & fratrum sanioris consilii poterunt transportari. Dabitur etiam singulis annis per singulas solennitates, quibus fratres conveniunt ad audiendum verbum Dei, & in festivitatibus S. Bernardi & in anniversario ejusdem Alani de frumento ejusdem grangiæ libra panis albi per singulos: & si urgente temporum necessitate, aliqua earum solemnitatum transfertur, aut sermo dimittitur, hujus tamen dispositio statuti nullatenus dimittatur. De vinea vero de *Valiere* dictum est & consensum, quod tota usui conventus deputabitur, & ne pro cultura ejus cellarii gravarentur, quinque arpenta vinearum, quæ in monte de Teveleriis continentur, quæ sibi emerat idem, eisdem assignavit, ut fructum quem inde reciperent, ad ejusdem cultum vineæ resignarent. Dedit nobis præterea septem calices, & omnes libros suos tam claustrales quam ecclesiasticos, statuens, & præcipiendo disponens, ut de libris & calicibus nullus extra Ripatorium efferatur, aut quomodolibet asportetur. Hoc totum factum est hac ratione & consilio ut si apud Claram-vallem in sepulcro patrum suorum fuerit tumulatus, totum quod de libris dictum est ratum permanebit & stabile, sin autem totum cassabitur, nec ratum nec stabile permanebit. Quod verbum licet moleste haberemus, ut pote tanti patris absentiam non amantes, tamen quoniam res erat ei pro anima, & cordi sibi erat ab antiquo S. Bernardo consepeliri, ut simul resurgeret, licet inviti sepulturam concessimus ut rogavit, & omnia hæc ut dicta sunt & conscripta, ne processu temporum deperirent, sub anathematis inseruimus interminatione, & sic sigilli nostri impressione, & sui annuli appositione jussimus roborari. Verumtamen quoniam nihil majus debetur homini, quam ut dilectionis affectus qui viventi est exhibitus, mortuo non negetur, præsenti scripto adjicientes statuimus, ut cum ex hoc mundo transierit, sacerdotes quinque missas, clerici duo psalteria, laici tres centum *Pater noster* exsolvant. In anniversario autem sic agetur, missa pro eo dicetur in conventu singulis annis, divinum officium pro eo ea die celebrabunt sacerdotes, clerici quinquaginta psalmos, & laici centum *Pater noster* exsolvent. Actum anno Incarnationis Verbi 1182.

L I V.

Bulla Lucii papæ quâ confirmat transactionem initam inter comitem Joigniaci & abbatissam S. Juliani.

1182. Lucius episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Hel. abbatissæ, & sororibus S. Juliani Autissiodorensis salutem & apostolicam benedictionem. Ex tenore scripti authentici nobis innotuit, quod cum inter Agnetem abbatissam ejusdem monasterii vestri, & R. comitem Joigniaci, super quatuor hominibus, Gosberto videlicet, Anulpho, Rainardo & Hurico, quos abbatissa in potestate Miganiæ suos constituerat servientes, controversia mota per appellationem ad sanctæ recordationis Al. papæ prædecessoris nostri, qui tunc erat Senonis, audientiam pervenisset, eam nobis & bonæ memoriæ Odoni S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali terminandam commisit. Post diutinam autem & prolixam ventilationem ipsius causæ, de voluntate partium, mediantibus nobis, finem per hujusmodi transactionem accepit; quod comes prædictos quatuor homines, uxores eorum & liberos imperpetuum absolutos ipsi abbatissæ & monasterio vestro dimisit, ita A ut in eis nullam justitiam habeat, exactionem videlicet requisitam, quandiu servientes & ministeriales monasterii prædicti extiterint: cum vero servientes sive ministeriales esse desierint, habeant in eis sicut in propriis hominibus monasterii vestri. Confessus est etiam & protestatus ipse comes nihil habere in nemore S. Juliani, quod est in Otha, excepta gruaria. Sed quod a controversia hominum & nemoris omnino discessit, pro reverentia nostrarum precum & intuitu sororis suæ quæ in monasterio vestro erat; & propter abbatissam hoc egit. Quam compositionem præscriptam, ut majorem habeat firmitatem scripto nostro quæriis confirmari. Nos vestris postulationibus annuentes eam sicut a partibus sponte recepta est & servata, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis B scripti patrocinio communimus: statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contradicere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani XII kalendas Februarii.

L V.

Bulla Lucii papæ pro monasterio Boni-radii.

Lucius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Girardo abbati monasterii Boni-radii, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem 1184. C vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium Boni-radii, in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis si quidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Dei timorem in vestro cœnobio, & beati Benedicti regulam ac Cisterciensium fratrum institutionem noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum possidet aut in futurum D concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus etiam illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, quæ sunt a via trita quæ tendit a Nivernis Warziacum, usque ad tritam veterem quæ ducit a Caritate Warziacum; & omnia usuaria in omni potestate Candemisii, tam in nemoribus quam in plana terra: nemus quod dicitur *Booles*, grangiam Boni-radii cum pertinentiis suis; pasturas in Boiplano, grangiam Cathelaii cum pertinentiis suis; terras Lamberti Salonis, nemus Milonis, nemus quod dicitur *Castales* [a], terras Gaudrici, viam qua itur E ad grangiam; grangiam Caviniaci [b] cum pertinentiis suis, grangiam aquæductus cum pertinentiis suis; nemus quod dedit vobis domina *de Grenat;* usuaria in nemore Britan.... grangiam Avaniglarum cum pertinentiis suis; parvum feudum, planum etiam nemus quod dicitur *Noardes;* molendinum de Pruvera, & motam ipsorum molendinorum; terram quæ dicitur *Caumes* [c], quam vobis dedit Everardus *Motet;* grangiam Concisi cum pertinentiis suis; prata, terras dominæ Mariæ de Nauminia [d]; rufam forestam, domum & vineas Warziaci; domum & vineas Serbenti; Montem-agleuti [e] & vineas; Pontem-tilium, terras de Constablei [f]; pratum Galeraudi [g], & exclusam ipsius prati, Noassegaudi [h]; prata Angulorum [i] usque

[a] Chastelet.
[b] Chevigny.
[c] Chaumes.
[d] Nanuaim.
[e] Montaiglaut.
[f] Constables.
[g] Pré Galerand.
[h] Novesegaud.
[i] Pré des Anges.

Digitized by Google

ad lapidiscinium; prata S. Macuti, pratum Petri Constable, prata de Linerolas *. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos a sæculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, fas sit absque abbatis sui licentia de eodem discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus violentiam, vel rapinam, aut furtum committere, ignem apponere, hominem capere vel interficere aliqua temeritate præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, &c. Datum Veronæ, per manum Hugonis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ notarii, II kalendas Septembris, indictione II, Incarnationis Dominicæ M. CLXXXIII, pontificatus vero domni Lucii papæ III anno III.

* Lignerolles.

L V I.

Hugo episcopus fundat anniversarium Guidonis archidiaconi, & festa S. Peregrini & sancti Thomæ Cantuariensis.

1186. HUGO Dei gratia Autissiodorensis episcopus, dilectis filiis Herveo decano & toti capitulo ejusdem ecclesiæ salutem & sinceram dilectionem in Domino. Recolentes & memoriter tenentes fidelitatem & devotionem, quam dilectus consanguineus noster Guido bonæ memoriæ quondam archidiaconus noster erga personam & obsequium nostrum pro libertate ecclesiæ tempore periculoso usque ad finem perseveranter exhibuisse dignoscitur, pro faciendo solenniter anniversario suo XL solidos in ecclesia de Vermentone vobis assignavimus & constituimus reddendos, sub religione juramenti infra octabas omnium sanctorum singulis annis a capellano qui eidem ecclesiæ deservierit; quorum XX solidi in vigilia & alii XX in missa dividentur canonicis qui servitio anniversarii intererunt, & aliis clericis prout optimum videbitur. Cupientes autem servitium ecclesiæ nostræ & in præsenti & in futuro, prout Dominus opportunitatem nobis dabit, amplificare, nihilominus vobis assignamus XL solidos in ecclesia de Miciclis * pro faciendis festis sancti Peregrini hujus civitatis primi episcopi, & B. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi & martyris, ea solennitate & reverentia qua majores festivitates in hac ecclesia celebrari consueverunt. Dividentur autem canonicis qui servitio intererunt XX solidi in uno festo & XX in altero. Assignavimus etiam thesaurario & sacristæ decem libras ceræ in supradicta ecclesia ad facienda luminaria in his festivitatibus, sicut in majoribus fieri solebat. Quod ut ratum maneat, præsentem cartam sigilli nostri appositione roboratam vobis habere concessimus. Data per manum Johannis notarii nostri anno Incarnati Verbi M. CLXXXVI.

* Merille.

L V I I.

Carta Guillelmi comitis Joviniaci in favorem monialium S. Juliani.

1190. EGO Willelmus comes Joviniaci notum esse volo omnibus Dei fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod cum Jerosolymam essem iturus, charissima amita mea Elvidis abbatissa S. Juliani conquesta est mihi super quibusdam injuriis & exactionibus, quas homines & servientes mei in terra sua de Miganna in boscis ad eam pertinentibus, tempore meo fecerant contra jus & æquitatem, & compositionem quæ inter bonæ memoriæ Renardum patrem meum & Agnetem quondam abbatissam præfati monasterii S. Juliani facta fuisse dinoscebatur. Visa itaque & audita carta ipsius compositionis, quæ Hugonis bonæ memoriæ Senonensis archiepiscopi, & Renardi patris mei sigillis erat roborata, quæcumque in ea continebantur rata habui; & ne quid deinceps contra tenorem prædictæ cartæ in villa de Miganna, seu boscis, vel villis ad ipsam pertinentibus fieret, & firmiter promisi, & hominibus & servientibus meis districte prohibui confessus & protestatus, injuste & illicite factum fuisse, si quid ego & homines mei contra tenorem prædictæ cartæ per negligentiam & necessitatem aliquam feceramus. Quod ne de cætero fiat, aut in consuetudinem trahatur, præsenti pagina sigilli mei appositione munita super nominatam cartam confirmo & ratam habeo, sub periculo animarum prohibens, ne quis heredum & hominum meorum contra hanc meæ confirmationis paginam aliquo modo ire præsumat. Adjeci & quod in bosco de Bulelo, quod situm est in territorio sancti Juliani, abbatissa ad omnia necessaria sua absque ulla contradictione usuarium habet: in alia parte ejusdem nemoris, quæ non est in territorio sancti Juliani, nihil habet. Aiæ de Bussiaco quæ sunt in territorio S. Juliani, in custodia & justitia mea sunt: sed non licet mihi eas dare vel vendere absque licentia abbatissæ; si autem extirparentur, terra abbatissæ esset. Actum anno Incarnationis Dominicæ M. C. nonagesimo.

L V I I I.

Gauterius de Argeno donat terram de Monsterello Rupibus.

NOTUM sit omnibus tam præsentibus quam futuris 1191.
quod dominus Gauterius de Argeno dedit domui de Rupibus suam terram de Monesterello sicut via qua itur ad Conadam ex parte S. Lupi; & de hoc habuit missam B. Mariæ & lampadem ardentem ante altare, & post vitam missam pro fidelibus Dei. Hoc laudavit Willelmus Rufus & Mascelina uxor ejus. Hujus rei testes sunt Odo de Nemoribus & Ierius frater ejus, domina Martha uxor Renaudi de sancto Verano & prior S. Verani, & plures alii. Hoc dedit in vita sua, & ut hoc firmius crederetur, sigillo domini Gaufridi tunc de Rupibus abbatis sigillari fecit. Factum est hoc apud sanctum Veranum, anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXXI.

L I X.

Bulla Cælestini III papæ pro Crisenone.

CÆLESTINUS episcopus servus servorum Dei, 1196.
dilectis in Christo filiabus Sarræ abbatissæ de Crisenone, ejusque sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Prudentibus virginibus quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis jugiter se præparant ire obviam sponso, sedes apostolica debet patrocinium impertiri, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis enervet. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum de Crisenone, in quo divino estis mancipatæ obsequio, felicis recordationis Eugenii papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona impræsentiarum juste & canonice pos-

fidetis, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque succedentibus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo cœnobium vestrum situm est, cum omnibus pertinentiis suis; furnum de foro Autissiodori; furnum de S. Gervasio cum usuario de bosco *de Bar;* molendina de pratis; clausum vinearum; stagnum de Sancto-livis; octoginta brunellos salis; usuarium de bosco
[a] Bazarne. *de Fretai.* Apud Basernam [a] duos modios bladi; in molendinis filii nobilis viri Narioudi unum, & alium in reddentibus Galfridi; & tertiam partem allodii in bosco & plano, & aquis & omnibus costumis & consuetudinibus, & duos modios vini in clauso Narioudi domini *Baserne;* & apud *Baserne* unum sextarium
[b] Chitry. frumenti. Apud *Chistri* [b] decem solidos censuales;
[c] Valan. apud *Valan* [c] censum & bladum; apud monasterellum ecclesiam cum repræsentatione sacerdotis, viginti solidos & decem libras ceræ, & quinquaginta solidos de teloneo villæ Liniaci, & dimidiam partem
[d] Champs. minutarum decimarum; in Campis [d] decimam vini &
[e] Apoigny. bladi; apud *Apoignis* [e] decem solidos censuales; ad
[f] Saint-Cyr. Sanctum-Cirum [f] decimam bladi & cæterorum; apud
[g] Mailly-la-ville. Malliacum-villam [g] medietatem minutarum decimarum, & de Malliaco-castello [h] decimam *de Roan.*
[h] Mailly-chasteau. Iterum apud Autissiodorum duos furnos ad portam *Feschel*, & furnum de S. Eusebio, & vineas quam-
[i] la Rippe. plures; molendina *de Cren.* Apud Rippam [i] tria sextaria bladi, & quinque solidos censuales; apud
[k] Noyers. *Noers* [k] unum modium bladi in molendino *de Montet;* apud Ultenatum furnum; in campis de Mondefeis partem decimæ; apud Malliacum decem libras in venditionibus; usuarium mortui nemoris in bosco
[l] Arsy. de Arsiaco [l]; apud Marriacum sufficientem usum terræ, petræ & nemorum ad opus molendinorum *de Cren;* apud Pratum-Gilberti grangiam cum territorio suo & censum cum costumis & consuetudinibus; ecclesiam de Luchiaco cum repræsentatione sacerdotis; villam *de Lissi* cum appenditiis suis, & ecclesiam ejusdem villæ cum repræsentatione sacer-
[m] Charmoy. dotis; grangiam *de Charmei* [m] cum territorio suo; molendina de Arsiaco, & decimam bladi & vini, & duos solidos censuales, & quartam partem oblationum per tria festa; grangiam de Vertennaco cum territorio suo; vineas & domos Varziaci cum appenditiis suis; grangiam *de Chalmes* cum territorio suo; apud Tru-
[n] Trucy-sur-Yonne. ciacum [n] censum & costumas; apud Sementeron tertiam partem decimæ, & totam minutam decimam;
[o] Crevant. medietatem decimæ *de Chassi;* censum apud *Crevent* [o] & consuetudines; apud *Jussi* censum; ad Colunias
[p] Chasteau-Censoy. censum & costumas; apud Castrum-Censorium [p] annualia præbendarum canonicorum; apud Nuiliacum in Campania medietatem in decimis; apud *Lisigni* decem solidos censuales; apud *Fonroone* medietatem furni; jus quod habetis in monasterio de Firmitate vobis nihilominus confirmantes. Sepulturam præterea ejusdem loci vestri liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbatissa, vel earum aliqua quæ tibi successerit, nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu, vel sororum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & B. Benedicti regulam providerint eligendam. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum cœnobium vestrum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus

A omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

B Datum Romæ apud S. Petrum per manum Cencii S. Luciæ in Orchea diaconi cardinalis, domni papæ camerarii, kalendis Maii, indictione XIIII, Incarnationis Dominicæ M. CXCVI, pontificatus vero domini Cœlestini papæ III anno sexto.

L X.

Bulla Cælestini III papæ pro monialibus S. Juliani.

COELESTINUS episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Senonensi archiepiscopo, & Nivernensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Transmissa nobis dilectarum in Christo 1196.
C filiarum abbatissæ & monialium S. Juliani Autissiodorensis conquestione accepimus, quod cum venerabilis frater noster Autissiodorensis episcopus eis tanquam bonus pater deberet in benedictionibus confovere, & suæ religionis otium, quod suscepisse videntur, aliquibus quæstionum tumultibus non turbare; ipse (quod vix credere possumus) occasione indulgentiæ a sede apostolica impetratæ, eas aggravat multipliciter & infestat. Et cum indulgentia ipsa pro melioratione monasterii a nobis eidem episcopo fuerit de benignitate sedis apostolicæ concessa, ipse, sicut dicitur, non ad ejusdem monasterii utilitatem permissa sibi utitur potestate, sed potius lucrum temporale attendens, quam salutem considerans animarum, ipsas assiduis quæstionibus propulsando fatigat,
D & earum jura lædit multipliciter & perturbat. Et cum eumdem episcopum deberent habere in suis justitiis defensorem, ipsum adversarium sentiunt & cognoscunt: & cum per officiales suos de malefactoribus ipsius monasterii justitiam requirunt consequi vel habere, tot & tanta ab ipso & suis eidem monasterio gravamina inferuntur, quod nisi eis per sedis apostolicæ clementiam cito succurratur, oportet ipsas (prout aiunt) & habitum susceptæ religionis deserere, & ab ipso monasterio exulare . . . . abbatissa . . . . . . ecclesiam de Colangiis, in qua jus præsentationis . . . . . W. de S. Prisco clericum præsentarunt. . . . . . . illius institutionem recusans, nihil canonicum objiciens in personam, & præsentationem eidem abbatissæ admittere recusavit. . . . .
E . . . . volumus nec debemus quod sicut ipsum non convenit, ut occasione indulgentiæ nostræ molestet monasterium ante dictum, cum etiam de . . . . conversatione laudabili, & administratione honesta, plurium testimonia de illis partibus recepimus prælatorum, eidem episcopo per scripturam nostram . . . . . . firmiterque præcipimus, ut monasterium ipsum . . . . . . molestatione indebita non fatiget, & abbatissam & moniales permittat in sancto habitu Domino pacifice deservire: & si eas in aliquo usque nunc irrationabiliter offendisse dinoscitur, per seipsum celeri emendatione castiget. Ideoque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus si prædictus episcopus ea

Digitized by Google

quæ prædiximus, celeriter emendare noluerit, vos ipsum ab indebita molestatione monasterii antedicti, abbatissæ & monialium, prout expedire videritis, sublato appellationis obstaculo, compescatis; & tam monasterium ipsum quam moniales, de auctoritate apostolica in omnibus quæstionibus protegere & defendere procuretis. . . . . quod si ambo his exequendis nequiveritis interesse, tu frater archiepiscope, eis nihilominus. . . . .
Datum Laterani tertio nonas Decembris, pontificatus nostri anno sexto.

L X I.

Privilegium Innocentii III ad Heliam abbatem Rigniaci directum.

1199. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Heliæ abbati monasterii S. Mariæ de Regniaco, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium S. Mariæ de Regniaco in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis quidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum vineis, terris & omnibus suis pertinentiis; grangiam quæ est juxta abbatiam cum suis pertinentiis; grangiam *de Essars* cum pertinentiis suis; grangiam de Fontismo cum pertinentiis suis; grangiam de Ulduno cum pertinentiis suis; domum de Campo-Leniæ cum pertinentiis suis; grangiam *de Cherbonere* cum pertinentiis suis; grangiam de Lescheriis cum omnibus pertinentiis suis; cellarium *de Clamecin* cum pertinentiis suis; grangiam de Bellovidere cum omnibus pertinentiis suis; terras & prata de Vaureta cum earum pertinentiis; grangiam *de Cosath* cum omnibus pertinentiis suis; grangiam *de Chaz* cum omnibus suis pertinentiis; grangiam *de Treclin* cum molendino & omnibus aliis suis pertinentiis; cellarium de Vallibus cum omnibus suis pertinentiis, & cellarium *de Chablie* cum omnibus pertinentiis suis. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis tam de terris cultis quam incultis, sive de hortis & virgultis & piscationibus, seu de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos & absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forte retinere præsumpserit, licitum sit vobis in ipsos monachos sive conversos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes ne terras seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ

A collatum liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari absque consensu totius capituli, vel majoris aut sanioris partis ipsius. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc etiam prohibemus ne aliquis monachus sive conversus sub professione domus vestræ adstrictus, sine consensu & licentia abbatis & majoris partis capituli vestri pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si facere præsumpserit, non teneatur conventus pro hiis aliquatenus respondere. Licitum præterea sit vobis in causis propriis sive civilem sive criminalem contineant quæstionem fratrum vestrorum testimoniis uti,
B ne pro defectu testium jus vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus episcopus vel alia quælibet persona ad synodos vel conventus forenses vos ire, vel judicio seculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subjacere compellat; nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conventus publicos convocandi, venire præsumat; nec regularem electionem abbatis vestri impediat, aut de instituendo vel removendo eo qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus in cujus parochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac devotione qua convenit requisitus substitutum abbatem benedicere, & alia quæ ad officium episcopale
C pertinent, vobis conferre renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novicios benedicere, & alia quæ ad officium suum pertinent exercere, & vobis omnia ab alio episcopo percipere quæ a vestro fuerint indebite denegata. Illud adjicientes ut in recipiendis professionibus quæ a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma & expressione contenti, quæ ab origine ordinis noscitur instituta, ut scilicet abbates ipsi salvo ordine suo profiteri debeant, & contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, sive pro oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis aut sub obtentu consuetudinis, vel alio modo, quicquam audeat extorquere; sed hæc omnia gratis vobis episcopus diœcesanus im-
D pendat. Alioquin liceat vobis quemcumque volueritis adire antistitem gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes diœcesani episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere & absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc nullum præjudicium imposterum propriis episcopis generetur. Quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romanæ sedis, ut diximus, gratiam atque communionem apostolicæ sedis habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum & vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum, auctoritate apostolicæ sedis reci-
E pere valeatis. Porro si episcopi, vel alii ecclesiarum rectores, in monasterium vestrum, vel personas inibi constitutas, suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quod decimas non solvitis sive aliqua occasione eorum quæ ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint in illis diebus in quibus vos laboratis & alii feriantur, eamdem sententiam protulerint, ipsam tanquam contra sedis apostolicæ indulta prolatam diximus irritandam, nec ullæ litteræ firmitatem habeant quas tacito nomine Cisterciensis ordinis & contra tenorem apostolicorum privilegiorum

privilegiorum constiterit impetrari. Paci quoque ac tranquillitati vestræ paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ne infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum ullus rapinam seu furtum committere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus ss. ✠ Ego Octavianus Hostiensis & Velletrensis episcopus ss. ✠ Ego Petrus Portuensis & S. Rufinæ episcopus ss. ✠ Ego Johannes Albanensis episc. ss. ✠ Ego Pandulfus presbyter cardinalis Basilicæ XII Apostolorum ss. ✠ Ego Petrus tituli S. Ceciliæ presbyter cardinalis ss. ✠ Ego Jordanus presbyter cardinalis sanctæ Pudentianæ & Pastoris ss. ✠ Ego Guido S. Mariæ trans Tyberim tituli Callixti presbyter cardinalis ss. ✠ Ego Hugo presbyter cardinalis S. Martini tituli .... ss. ✠ Ego Johannes tituli S. Stephani in Celio-monte presbyter cardinalis ss. ✠ Ego Cinthius tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis ss. ✠ Ego Goffredus tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis ss. ✠ Ego Bernardus S. Petri ad vincula presbyter cardinalis tit. Eudoxiæ ss. ✠ Ego Johannes tituli S. Priscæ presbyter cardin. ss. ✠ Ego Girardus tituli S. Marcelli presbyter cardinalis ss. ✠ Ego Granus SS. Cosmæ & Damiani diaconus cardinalis ss. ✠ Ego Gerardus S. Adriani diaconus cardinalis ss. ✠ Ego Gregorius S. Mariæ in Aquin diaconus cardinalis ss. ✠ Ego Gregorius S. Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis ss. ✠ Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedyn diaconus cardinalis ss. ✠ Ego Gregorius S. Angeli diaconus cardinalis ss. ✠ Ego Bobo sancti Theodori diaconus cardinalis ss. ✠ Ego Cencius S. Luciæ in Orken diaconus cardinalis ss. ✠ Ego Hugo S. Eustachii diaconus cardinalis ss.

Datum Laterani per manum Rainaldi domni papæ notarii cancellarii ....* gentis III nonas Maii, indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno M. CXCVIIII, pontificatus vero domni Innocentii papæ III anno secundo.

* *forte* Veronæ degentis.

LXII.

Hugo episcopus remittit manum-mortuam incolis Varziaci.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Pontificalis interest officii, ea quæ mores educant, reipublicæ auctoritatem augent, singulis per emolumentum prosunt, in universis exemplum imitandæ rei transfundunt, procurare. Hujus rei obtutu, ego Hugo Autissiodorensis ecclesiæ minister indignus, attendentes animarum periculum imminere, quod nostri burgenses de Varziaco decimam vinearum suarum præsumpserunt usque modo non solvere: videntes etiam utilitatem istius oppidi nostri jacturam afferre quod nos & prædecessores nostri consuetudinem habuimus, quæ *manus-mortua* dicitur, per quam nec bona parentum devolvebantur ad legitimos hæredes, nec bona fidelium, turbato ordine mortalitatis, referebantur ad patres; unde & patres discolos filios & inquietos a se separare, & bonas filias emancipare non audebant: verentes quod ne uterque, vel alteruter jure successionis frustraretur, & filias etiam nuptui tradere verebantur, ne forte dos profecta a patre non regrederetur ad patrem; unde & bonum matrimoniale deerat, & nonnunquam pudor virginalis deperibat. Ad hæc aderat nobis, & prædecessoribus nostris affuerat jus exigendæ tailliæ in Martio pro vineis nostris excolendis. Exigebamus autem a singulis singulos obolos pro fœno nostro colligendo, pro segetibus nostris sarculandis, pro vineis nostris vindemiandis. A quibusdam etiam burgensibus a nobis vel prædecessoribus nostris non emancipatis habebamus jus exigendi singulos sextarios pro singulis modiis vini ab eis venditis, quæ consuetudo tabernagium vocabatur. Hæc omnia nobis vel ecclesiæ nostræ magnum emolumentum non afferebant, & oppidi decolorabant libertatem & statum reipublicæ offendebant. His omnibus consideratis, & salubri habito consilio, peragente tamen id nutu divino, a prædictis consuetudinibus eos quittavimus, & in posterum plenarie decimam partem fructuum vinearum suarum se nobis & successoribus nostris in perpetuum soluturos obligarunt. Unde nos & nostri ad singulas portas prædicti oppidi, per quas publicus ingressus & egressus patet, custodes nostros constituemus, qui decimam partem fructuum vinearum percipiant, & in usus nostros convertant. Ad hæc elegimus nobis & successoribus nostris singulis annis mensem Augustum, in quo non licebit alicui vendere vinum, nisi nobis vel mandato nostro cum singulis anni mensibus bannum haberemus, in quibus vinearum nostrarum vinum soli vendere possemus, non licebit autem nobis vel mandato nostro vinum nostrum in mense Augusto carius vendere quam venditum fuerit in supradicto oppido antea per annum. Ut autem hæc firma & illibata permaneant, & inconcussum vigorem sortiantur, præscripta fecimus annotari, & sigillo nostro confirmari. Actum publice anno gratiæ M. CCII. 1202.

LXIII.

Hugo episcopus regi cedit castrum Giemense.

HUGO Dei gratia Autissiodorensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Cum Giemum castrum situm in nostra diœcesi esset de feodo nostro Ligio, & quidquid ad castellaniam ipsius pertinet, domino nostro Philippo Dei gratia illustri Francorum regi jus nostrum concessimus possidendum, & eidem & hæredibus suis in perpetuum quittavimus, salvo jure cerei quod ad accendenda lumina ecclesiæ B. Stephani annuatim 1204.

Digitized by Google

A mancipatur. Dominus quidem rex in recompensationem hujus quittationis liberaliter quittavit procurationes quas ipse & sui habebant in terra nostra nobis & successoribus nostris in perpetuum, ea tamen conditione apposita, quod si quandocumque contigerit castrum illud cum suis pertinentiis exire de manu regia & devolvi ad talem virum qui noster homo Ligius de eodem feodo sit, sicut domini castri prædicti usque ad hoc tempus extiterunt, domino nostro regi & successoribus ejus tam nos quam successores nostri procurationes in locis consuetis debitas scilicet apud Altissiodorum & Varsiacum tenebimur exhibere. Quod ut sit apud posteros inconcussum, litteras nostras inde fecimus. Actum Senonis anno Domini M. CCIV.

L X I V.

Sammarth. *Transigit rex Philippus cum episcopo Autissiodorensi.*

1204. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi, præsentes pariter & futuri, quod nos de duabus procurationibus quas episcopus Autissiodorensis nobis debet, unam videlicet apud Autissiodorum, alteram apud Varziacum, ipsum quittamus, pro eo quod idem episcopus de feodo & homagio Giemi quod ad ipsum pertinebat nos quittavit. Nos autem Giemum in dominio nostro tenemus, salvo cereo majoris ecclesiæ Autissiodorensis, quem reddemus eidem ecclesiæ B. Stephani Autissiodorensis sicut antecessores nostri ante nos reddiderunt. C Si autem contigerit feodum illud & homagium ad episcopum Autissiodorensem reverti, nos & hæredes nostri procurationes prædictas rehabebimus sicut prius. Quod ut firmum sit & stabile, sigilli nostri auctoritate & regii nominis charactere inferius annotato præsentem paginam confirmamus. Actum Senonis ab Incarnatione Domini anno Domini MCCIV, regni nostri anno XXVI, adstantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. Sig. Guidonis buticularii, S. Matthæi camerarii, S. Droconis constabularii. Data vacante cancellaria.

L X V.

Sammarth. *Donatio Philippi regis ecclesiæ Autissiodorensi.*

1207. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi, præsentes pariter & futuri, quod nos intuitu pietatis ob remedium animæ nostræ & parentum nostrorum damus & concedimus in perpetuum ecclesiæ Autissiodorensi quidquid juris habebamus in regalibus Autissiodor. vacante sede. Ita quod decanus & capitulum ejusdem ecclesiæ custodient regalia sede vacante, & omnes proventus qui exinde procedent, & præbendas si quas interim vacare contigerit, ad opus futuri episcopi salvo servitio nostro equitationis, exercitus & subventionis, sicut episcopi Autissiodorenses nobis fecerunt: quod ut perpetuum robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, & regii nominis caractere inferius annotato confirmamus. Actum Parisius anno Domini M. CCVI, mense Aprili, regni vero nostri anno 27, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa, dapifero nullo. S. Guidonis buticularii, Sig. Matthæi camerarii, S. Droconis constabularii. Data vacante cancellaria per manum fratris Garini.

L X V I.

Petrus comes Autissiodorensis Guillelmo satisfacit quod eum in jucundo adventu non portasset. Sammarth.

EGO Petrus comes Autissiodorensis, omnibus 1207. tam præsentibus quam futuris notum facio, quod cum venerabilis pater & dominus meus Willelmus Autissiodorensis episcopus me ad diem intronisationis suæ vocavisset, ut ipsum cum aliis baronibus feodatis qui ad hoc tenentur, portarem ut debebam, ego me excusavi quoniam eumdem diem habebam ante dominum meum regem, propter quod non poteram ad ipsum portandum venire. Cum autem idem B episcopus me postea propter hoc submonuisset sicut hominem suum, & ego venissem ante eum, facta diligenti inquisitione per viros bonos qui veritatem sciebant, certificatus sum, & publice recognovi & recognosco, quod ego teneor episcopos Autissiodorenses in intronisationibus suis cum aliis feodatis portare, & feci ipsi ego emendam de hoc quod ipsum non portaveram, non obstante excusatione mea, & ne hoc ab aliquo imposterum dubitetur, litteras præsentes sigillo meo muniri, & ipsi ego tradi feci. Actum anno gratiæ M. CCVII.

L X V I I.

Manasses episcopus Aurelianensis conciliat querelas ortas inter episcopum Autissiodorensem & abbatissam S. Juliani. Sammarth.

M. Dei permissione Aurelianensis episcopus, 1208. omnibus præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. Universitatem vestram scire volumus, quod cum mota fuisset querela inter venerabilem patrem episcopum Autissiodorensem, & dilectam in Christo abbatissam S. Juliani Autissiodorensis super quibusdam domibus de tanneria Autissiodorensi quas dicebat episcopus super aquam suam extentas fuisse, & antiquas metas excedere sine conscientia & mandato suo; abbatissa vero dicebat domos illas esse de censiva sua, & ob hoc dominis illarum domorum garantiam portabat: tandem convenerunt & firmiter D promiserunt abbatissa cum litteris suis apertis, & episcopus in verbo sacerdotis, quod super ista querela inquisitioni nostræ consentirent, & eam firmiter tenerent. Nos autem ut super hoc certificati inquisitionem nostram certius & jure partis utriusque integro remanente proferre possemus, injunximus cum assensu partium, dilectis nostris A. abbati S. Petri, & Mag. R. priori S. Mariæ extra muros Autissiodorenses, ut loco & vice nostri diligenter inquirerent de domibus illis, quæ, & quot, & quantum occupaverant de aqua episcopi. Qui diligenter inquisita veritate ad nos reportarunt, quod omnes illæ domus metas antiquas excedebant, & de aqua episcopi occupaverant secundum magis & minus, præter domum Roberti *Coilledasne*, & domum S. Mariani, & domum Balbini, quæ tres antiquas metas non excedunt; unde E & nos partibus convocatis & præsentibus pronunciavimus, quod in quibuscumque domibus illis inventum est excrementum, excrementum illud vel penitus amoveatur, vel domini domorum tantum faciant erga dominum episcopum, quod velit & toleret excrementa illa remanere. Actum anno M. CCVIII.

A

LXVIII.

Sammarth. *Convenit Herveus comes Nivernensis cum Guillelmo Autissiodorensi episcopo de possessione portationis quam omiserat in die intronisationis ejus.*

1209. HERVEUS comes Nivernensis, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverint universi, quod cum controversia verteretur inter venerabilem patrem & dominum meum Willelmum Autissiodorensem episcopum ex una parte, & me ex altera, eo quod die intronisationis suæ ipsum ad cathedralem ecclesiam cum aliis non portavi, licet nobilis vir pater meus Herveus bonæ memoriæ antecessorem ejus portasset, quod tamen ex contemptu B vel superbia non omisi, sed quia mihi dicebatur quod illa portatio movebat, sive dependebat de feodo Giemi, quod cum non tenerem tunc temporis, nec modo teneam, videbatur ad illam portationem faciendam minime me teneri. Verum quia dictus episcopus mihi instanter opponebat, quod bonæ recordationis pater meus antecessorem ejus portaverat, recognovi eumdem episcopum & successores suos esse in possessione memoratæ portationis, tam a me quam a meis hæredibus Autissiodorensi episcopo faciendæ, ratione feodi quod ab eodem tenuit pater meus. Salvo eo quod si ostendere potero vel probare, quod dicta portatio moveat sive dependeat de feodo Giemensi, ego & hæredes mei a dicta portatione facienda quitti remanebimus & liberi, nisi dictum feodum C Giemi ad me vel hæredes meos revertetur. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CCIX mense Junio, X kalendas Julii.

LXIX.

Sammarth. *Eorumdem conventio super domibus & munitionibus castrorum S. Salvatoris Conadæ & Castri-novi.*

1209. HERVEUS comes Nivernensis, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverint universi quod cum controversia verteretur inter venerabilem patrem & dominum meum Willelmum Autissiodorensem episcopum ex una parte, & me ex altera, super domibus & munitionibus castrorum D meorum, videlicet S. Salvatoris Conadæ & Castri-novi, quas episcopus dicebat sibi debere tradi ad suum beneplacitum, secundum quod in carta ejus continebatur, tandem in hanc formam compositionis venimus, quod nos recognovimus domos & munitiones sancti Salvatoris & Castri-novi tradendas esse episcopo sicut in carta ejus exprimitur, & ei tradi præcepimus. De domo vero & munitione Conadæ ad preces meas & quorumdam amicorum tam suorum, quam meorum sustinuit dominus episcopus, & promisit quod non peteret traditionem earum sibi fieri in vita mea, nec me super eis traheret in causam; salva carta domini episcopi, & salvo omni jure suo & successorum suorum post mortem meam: salvo etiam jure meo & hæredum meorum. Hoc autem E factum est salvis omnibus querelis suis & meis, & salvis litteris ad dominum Remensem & conjudices suos de communi assensu partium impetratis, usque ad reditum meum a peregrinatione Albigensi: salvo etiam eo quod auctoritate dictarum litterarum, vel etiam aliarum, me non poterit convenire super traditione domus & munitionis Conadæ sibi facienda in vita mea, querelis de mutatione monetæ & de relatatione terræ remanentibus in eo statu in quo erant tempore factæ compositionis. Tempus autem quod effluxerit a die compositionis usque ad reditum meum a dicta peregrinatione, neque sibi contra me, neque mihi contra ipsum proderit ad præscribendum. Datum anno Domini M. CCIX mense Junio, X kal. Julii.

LXX.

Guillelmus episcopus instituit tres parochiales ecclesias in villa de Charitate quæ unicam hactenus habuerat. Sammarth.

GUILLELMUS Dei gratia Autissiodorensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. Universitatem vestram scire volumus, quod cum villa de Charitate ab antiquo non habuisset nisi unicam parochialem ecclesiam, tanquam novella plantatio quæ paucos habebat habitatores, tandem crescente multitudine plebis, in tantum quod unius non sufficiebat ad eam regendam sollicitudo pastoris, de assensu & voluntate dilecti filii Gaufridi prioris & conventus, ibidem constituimus tres parochiales ecclesias, scilicet ecclesiam B. Mariæ, ecclesiam S. Petri & ecclesiam S. Jacobi, salvo jure monachorum, videlicet ut id juris habeant in singulis trium quod habebant in una, tam in præsentationibus personarum quam in aliis, &c. Actum anno M. CCIX IV kalendas Martii. 1209.

LXXI.

Petri Autissiodorensis comitis hominium excipit Guillelmus episcopus pro quibusdam feodis. Sammarth.

EGO Petrus comes Autissiodorensis & Tornodorensis notum facio universis quod cum mihi tam per cartas authenticas antecessorum meorum comitum, quam per litteras Mathildis comitissæ quondam Tornodorensis, in quibus expresse continebatur, quod ipsa Malliacum castrum in feodum tenuit a bonæ memoriæ Hugone quondam Autissiodorensi episcopo, necnon & per testimonia multorum bonorum virorum & fide dignorum, & per communem famam terræ mihi constitisset, quod Malliacum & Betriacum cum pertinentiis suis sunt de feodo episcopi Autissiodorensis, accessi ad dominum meum Willelmum Autissiodorensem episcopum, & Malliacum & Betriacum cum pertinentiis ab ipso in feodum cepi, & de ipsis eidem publice & solemniter homagium manuale feci, juramento a me eidem corporaliter præstito, quod nunquam per me faciam, nec fieri procurabo, nec ut fiat consentiam, nec si factum fuerit ratum habebo, nec auxilium, aut consilium, vel favorem alicui impendam super dicto feodo episcopum impetenti, quominus Autissiodorenses episcopi feodum illud pacifice & quiete obtineant. Ita autem Malliacum & Betriacum teneo ab Autissiodorensi episcopo, quod ad ejus beneplacitum ei & successoribus ejus ea tradentur. Ita tamen quod eo discedente, mihi vel ministerialibus meis cum integritate restituentur, &c. Actum publice apud Vermentum anno Incarnationis Domini M. CCX mense Februario, IV idus ejusdem mensis. 1210.

LXXII.

Electi arbitri episcopo Autissiodorensi jurisdictionem adjudicant super capella de Bethleem apud Clameciacum. Sammarth.

REGNAUDUS decanus & universum Autissiodorensis ecclesiæ capitulum, omnibus præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. Noverint universi, quod cum inter venerabiles patres dominum nostrum Willelmum Autissiodorensem ex una parte, & Galterum Eduensem episcopos ex altera, super capella de Bethleem apud Clameciacum, & jure parochiali ejusdem burgi coram cantore, archipresbytero & magistro Bono-amico canonico Bituricensi, auctoritate apostolica quæstio verteretur, tandem median- 1211.

Digitized by Google

tibus viris bonis, & ad pacem interponentibus partes A suas, in venerabilem patrem Manassem Aurelianensem episcopum, & magistrum Hugonem Bituricensem archidiaconum, & Humbaudum Autissiodorensem canonicum, super illa controversia sub pœna 100 marcarum pari voluntate compromiserunt hinc inde sub tali forma: quod arbitri ipsi jus utriusque partis inquirent de plano, pars utraque inconcusse servabit, quidquid arbitri ipsi vel episcopus cum altero coarbitrorum suorum duxerit arbitrandum, &c. Nos Eduam accessimus, & ibi præsentibus partibus, pronunciavimus, diffinivimus & finaliter decrevimus capellam & domum & burgum de Bethleem apud Clameciacum Autissiodorensi episcopo, utpote diœcesano loci illius pleno jure subesse, & episcopum Eduensem nihil juris penitus habere ibidem, unde ei perpetuum silen- B tium imposuimus super præmissis. Ipse vero Eduensis episcopus prolata sententia statim se traxit in partem, & habito cum canonicis suis, quorum magna pars præsens erat, consilio reversus publice protestatus est quod sententiam illam approbabat, & quod ei nullatenus obviaret, & tam fratribus dictæ domus, quam hominibus burgi de Bethleem per litteras suas patentes denunciavit id ipsum, quarum tenor hic erat: Galterus Dei gratia Eduensis episcopus, dilectis in Christo fratribus de Bethleem, & omnibus in burgo de Bethleem apud Clameciacum manentibus, salutem in Domino. Noveritis quod per sententiam reverendi patris Manasse Aurelianensis episcopi, & dilecti nostri Humbaudi Autissiodorensis canonici, in quos compromisera- C mus super capella & jurisdictione burgi de Bethleem, diffinitum est & declaratum, quod capella, domus & burgus quoad ecclesiasticam jurisdictionem pleno jure spectant ad episcopum Autissiodorensem, & nos eidem sententiæ parentes, id vobis notificamus, & præsenti insinuatione denunciamus. Datum anno gratiæ M. CCXI, mense Octobri IV kal. Novembris.

LXXIII.

Sammarth. *Fundatio prabendarum in ecclesia S. Laurentii de Conada.*

1212. HUGO Autissiodorensis archidiaconus, &c. Noverint universi, quod cum venerabilis pater & dominus meus Willelmus Autissiodorensis in ecclesia B. Laurentii de Conada instituisset præbendas, D dedit & concessit de assensu & voluntate nostra ecclesiæ S. Laurentii supradictæ in perpetuum ecclesiam de Nuisiaco. Instituens ut quicumque fuerit, præbendam unam de cætero absque residentia habeat annexam archidiacono in ecclesia memorata. Ad petitionem quoque præfati domini mei episcopi concessi, ut ecclesia de Nuisiaco deinceps in perpetuum sit libera a procuratione archidiaconi. In cujus rei memoriam præsentes litteras feci annotari, & sigilli mei munimine roborari. Actum anno Domini M. CCXII.

LXXIV.

Sammarth. *Lectori & succentori Autissiodorensi fructus integri præbendæ assignantur.* E

1213. HUGO Autissiodorensis archidiaconus, &c. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum ad officium dignitatis archidiaconalis spectaret ecclesiæ nostræ providere lectorem, qui totum legendi officium ordinaret, nec invenirem propter redituum paucitatem, qui onus vellet subire lectoris, quoniam laborem stipendia non sequebantur condigna, unde ecclesiæ servitium non modicum turbabatur, venerabilis pater & dominus meus Willelmus episcopus noster eidem officio, & succentoriæ pariter fructus præbendæ unius integros de assensu capituli in perpetuum assignavit, & ego ei suisque successoribus in posterum cessi, & concessi benigne jus instituendi lectorem, &c. Actum anno Domini 1213.

LXXV.

Manasses Aurelianensis episcopus conciliat Guillelmum Autissiodorensem cum comite Nivernensi, dissidentes de forteritia de Murato. Sammarth.

MANASSES Dei gratia Aurelianensis episcopus, 1214. omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Quæ pro bono pacis inter aliquos statuuntur, firma necesse est stabilitate gaudere, & ne iterum recidivæ scrupulus dissensionis emergat, litterarum beneficio ad perpetuam notitiam posterorum transmitti. Eapropter omnibus tam præsentibus quam futuris notum fieri volumus, quod cum inter venerabilem Willelmum videlicet episcopum, Willelmum decanum & capitulum Autissiodorense ex una parte, & nobilem virum Herveum comitem, & uxorem ejus Mathildim comitissam Nivernensem ex altera, orta esset dissensio super forteritia *de Murat* juxta Billiacum, quam præfati episcopus, decanus & capitulum in proprio fundo ecclesiæ suæ pro parte ædificare dicebant, & ex ea episcopatui, ipsi capitulo, hominibus & villis eorum ex rebus ecclesiæ damnum non modicum imminere, necnon super hominibus, possessionibus, redditibus, justitiis, garenis, & super aliis quæ inter ipsos apud partes illas, scilicet apud Billiacum & Oisiacum emerserant, tandem hinc inde firmiter promiserunt & sub pœna quingentarum librarum se astrinxerunt, quod super illis sequerentur dictum nostrum, *haut & bas*, prout dicitur in vulgari, quidquid pro bono pacis inter eos statuere curaremus. Nos igitur omni studio laborantes, & cura ut ea quæ statueremus de partium amicabili conniventia faceremus, præhabito in subscriptis articulis eorum consensu, dictum nostrum formavimus & protulimus in hunc modum. Quod forteritia sive castrum *de Murat* ab episcopo Autissiodorensi & successoribus ejus episcopis, utpote a dominis feodi perpetuo teneatur in augmentum feodi de Donziaco, sub hoc tenore, quod reddi debeat & tradi episcopis Autissiodorensibus ad eorum beneplacitum: ita tamen quod ipsis discedentibus restituatur comiti vel ministerialibus ejus cum omni integritate. Item statuimus per dictum nostrum, quod quidquid habebat comes sive comitissa in villa, sive in territorio Oisiaci in hominibus, talliis, questis, redditibus, terris, pratis, consuetudinibus, nundinis, justitia magna & parva, & in omnibus aliis ut breviter dicamus in omni jure universaliter, totum sit capituli Autissiodorensis pleno jure in perpetuum possidendum. Insuper & nemus quod dicitur foresta Oisiaci cum justitia ejus & custodia, & omni jure. Nemus quoque de parvo Faieto cum justitia, custodia similiter, & omni jure; quidquid autem habebat capitulum antedictum vel habere se dicebat in fundo in quo constructa est forteritia supradicta. Item quidquid habebat in potestate Biliaci sive in hominibus, sive in consuetudinibus, sive in censibus, vel etiam in aliis temporalibus, totum sit comitis & comitissæ jure perpetuo, præter terragia & decimas quæ remanebunt capitulo memorato, sicut ea consuevit habere, de quibus tamen diximus & statuimus, quod capitulum terras suas quæ sunt ad terragium in potestate Billiaci, nec accipere poterit ad carrucas suas, nec eas auferre hominibus comitis qui eas colunt, sed penes comitem seu comitissam erit potestas dandi eas hominibus suis ad excolendum, salvo terragio & decima capituli supradicti, & eo etiam proviso quod non omittantur dari ad excolendum, taliter quod inde capitulum damnificetur prædictum. Item statuimus per dictum nostrum, quod omnes homines & feminæ quos habebat capitulum apud Charmetum villare Pruneti, Sorgiacum, sive

Domeciacum jure perpetuo sint comitis & comitissæ, & præterea quidquid habebat capitulum in nemoribus de Clausello, de sello, de Monte medio, & in aliis nemoribus sive pasnagiis apud Billiacum, præter nemora prætaxata, scilicet de foresta Oisiaci & de parvo Faieto, quæ pleno jure ut prædictum est, erunt capituli sæpefati. Item diximus & statuimus quod nullus hominum sive feminarum Autissiodorensis ecclesiæ retineri possit, aut recipi in munitione *de Murat*, neque in potestate Biliaci, nec aliquis vel aliqua de hominibus ejusdem ecclesiæ in potestate Oisiaci commorantibus similiter recipi possit aut retineri in tota terra comitis seu comitissæ ubicumque. Illud quoque prætereundum non censuimus, sed dicto nostro adjecimus & diximus, quod si nobilis vir Narjodus frater nobilis viri Ietii de Tociaco qui in partibus Constantinopolitanis existit, rediret, & super hiis capitulo molestiam aliquam inferre vellet, vel etiam quilibet alius, comes sive comitissa ea garentire tenebitur capitulo antedicto, & ei resarcire omnia damna & gravamina, quæ propter hoc sustineret, & per omnia ipsum conservare indemne. Hæc sicut superius expressa sunt de consensu partium pro bono pacis diximus, & statuimus inter eos, ipsi vero benigne & gratanter dictum nostrum spontanei receperunt, & gratum habuerunt & ratum. Comes quoque juxta dicti nostri tenorem fortearitiam *de Murat* prælibatam recepit coram nobis, in continenti publice ab episcopo Autissiodorensi prædicto in augmentum feodi de Donsiaco, & de ipso fecit ei specialiter hominium manuale. Actum publice apud Billiacum anno Domini M. CCXIV, mense Augusto.

LXXVI.

Sammarth. *Guillelmo Autissiodorensi præstat hominium Petrus Nivernensis comes pro villa* de Coulenges.

1215. Ego Petrus comes Nivernensis notum facio universis ad quos litteræ præsentes pervenerint, quod ego villam *de Coulenges* super Yonnam cum pertinentiis suis teneo de episcopo Autissiodorensi in feodum & homagium, tali modo, quod post decessum meum ille qui tenebit villam *de Coulenges*, eam tenebit ab episcopo Autissiodorensi & ejus successoribus, ad tale ligium homagium, ad quale feodus apportat. Præterea in præsentia carissimi domini mei Philippi regis Franciæ recognovi, quod decima prædictæ villæ & territorii est episcopi Autissiodorensis, & ad eum pertinet, & ad successores ejus episcopos Autissiodorenses, & eam prædicto episcopo & successoribus ejus teneor conservare, &c. Actum Parisius anno Incarnati Verbi 1215, mense Julio.

LXXVII.

Sammarth. *Visitatio & correctio monasterii sancti Germani adjudicantur Guillelmo episcopo.*

1215. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Herveus Trecensis episcopus, H. S. Columbæ Senonensis, & N. Escalleiarum abbates; in causa quæ vertitur inter venerabilem patrem Willelmum episcopum Autissiodorensem ex una parte, & Willelmum abbatem & conventum monasterii S. Germani Autissiodorensis ex altera, super visitatione & correctione ejusdem monasterii judices a summo pontifice delegati, dictis episcopo & abbate personaliter, & conventu per procuratorem in nostra præsentia constitutis, eodem episcopo petente prædictos abbatem & conventum compelli a nobis ad obediendum, & in visitatione & correctione sæpefati monasterii, lite coram nobis super hoc contestata, eorumdem abbatis & conventus procuratoribus dicentibus, quod episcopus Autissiodorensis non habet visitationem, neque correctionem in illo monasterio, & quod hoc probarent per privilegia & alia, pluribus diebus eis a nobis assignatis ad probationes faciendas sub quadruplici dilatione, ad quos omnino defecerunt, ipsis abbate & conventu per contumaciam absentibus, de consilio bonorum virorum per sententiam diffinitivam judicamus quod prædicti abbas & conventus S. Germani Autissiodorensis debent obedire episcopo Autissiodorensi in visitatione & correctione monasterii eorumdem. Actum Senonis, anno Incarnationis Dominicæ M. CCXV, mense Aprili, die Jovis ante Ramos Palmarum.

Post litteras illas ista sequuntur in chartulario: *Noverint universi præsentes litteras inspecturi quod ego Willelmus sancti Germani Autissiodorensis dictus abbas confiteor & protestor me esse subjectum venerabili patri domino & episcopo meo Willelmo & successoribus ipsius & ecclesiæ Autissiodorensis in omnibus & per omnia in quibus abbas subjectus est suo episcopo. Confiteor etiam & protestor quod quando ab eo in abbatem fui benedictus, eidem tanquam domino & episcopo meo obedientiam & professionem publice feci & sicut moris est, ore promisi & manu subscribendo confirmavi; quod etiam alii prædecessores mei prædecessoribus ipsius fecerunt. Promisi etiam & promitto me eidem sicut domino & episcopo meo & successoribus ipsius obedientiam & subjectionem firmiter & fideliter servaturum.*

LXXVIII.

Yolendis comitissa hominium præstat Willelmo episcopo. *Sammarth.*

Ego Yolendis comitissa Autissiodorensis, notum facio universis, quod dominus & pater meus Willelmus Dei gratia Autissiodorensis episcopus, ad petitionem Philippi filii mei comitis Nivernensis, domino & viro meo Petro comite Autissiodorensi præsente, petente & consentiente me recepit in fœminam de Malliaco castro, Colengiis super Yonam, & Betriaco cum eorum pertinentiis in omnibus, tam de dotalitio meo, quam de omni jure quod ego in dicta terra habeo, & quod Philippus filius meus in dicta terra habet, quamdiu vixero, salvo tamen in omnibus jure episcopatus Autissiodorensis, & quorumlibet aliorum qui in dicta terra jus habent, salva etiam vita P. comitis viri mei, qui super hoc remanet homo dicti episcopi. Actum anno 1216. 1216.

LXXIX.

Fundatio Insularum. *Ex chartis domesticis.*

Guillelmus Dei gratia Autissiodorensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverint universi quod Girardus *Balleine* canonicus B. Mariæ Autissiodorensis infra muros, in nostra constitutus præsentia, divina gratia inspirante, dedit Deo & B. Mariæ ad constituendas Cisterciensis ordinis sanctimoniales locum suum *de Celles*, & terras omnes eidem loco adjacentes, quas defunctus Itherius habebat in parochia S. Georgii. Dedit etiam partem quam habebat in decimatione *de Jarries*, & quidquid decimationis habebat in quibusdam locis eidem loco propinquis, præter decimationem bladi. Dedit similiter vineam quam habebat super parœciam beati Gervasii, & censum quem habebat juxta Parreniacum. Quod vero Gaufridi *Chenras* defuncti. . . . . pro recompensatione partis illius . . . . Girardus dedit eisdem partem. . . . . in censibus Autissiodoro, quorum quædam pars est in vineis, & altera in domo. Quod ut ratum & inconcussum permaneat, ad petitionem sæpe dicti Girardi præsentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno gratiæ M. CCXIX, mensis Maii. 1219.

Digitized by Google

LXXX.

Ejusdem fundationis confirmatio.

1220. WILLELMUS Dei gratia Autissiodorensis episcopus, omnibus Christi fidelibus in domino salutem. Notum facimus universis præsentibus pariter & futuris, quod nos cultum divinum in Autissiodorensi diœcesi cupientes ampliare, novellæ plantationi, domui scilicet de Cellis juxta Autissiodorum, in qua monialium abbatiam Cisterciensis ordinis auctore domino fundavimus, dedimus & concessimus jure perpetuo possidendam domum nostram de foro Autissiodorensi juxta stalla cambiatorum sitam, quam a defuncto Itero Borno milite quondam emimus de nostro proprio, & postea communi incendio consumtam ex toto refecimus cum magnis sumptibus & impensis. Quia vero dilectus filius Girardus *Baleine* beatæ Mariæ de civitate Autissiodorensi canonicus, locum in quo prædicta abbatia sita est, qui de proprio alodio ipsius erat, ad nostram admonitionem dedit; volumus & statuimus, ut in ejus doni recompensationem per manum earumdem monialium vel mandati earum, ex mercede dictæ domus viginti libras quandiu vixerit percipiat annuatim terminis inter eas statuendis. Quod si in statutis terminis non solveretur eidem Girardo dicta pecunia, posset ipse Girardus ad domum ipsam assignare: post mortem vero ipsius Girardi, domus dicta omnino libere dictis monialibus remanebit. Quod ut ratum & firmum permaneat, præsentem cartam in hujus rei testimonium fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum anno Incarnati verbi M. CCXX, mense Maio.

LXXXI.

Sammarth. *Jurisdictio decanatus Henrico episcopo attribuitur.*

1221. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, Herveus & Matthæus canonici Autissiodorenses in Domino salutem. Noverint universi, quod cum post mortem bonæ memoriæ Willelmi Autissiodorensis decani, vacante decanatu, inter venerabilem patrem & dominum Henricum episcopum & venerabiles viros capitulum Autissiodorense, ad quem jurisdictio decanatus ipso vacante devolvi deberet, controversia emersisset, asserente dicto episcopo ipsam ad eum pertinere, capitulo, quod ad ipsum, non ad episcopum pertineret e contrario proponente, tandem in nos duos ab utraque parte super hoc extitit compromissum. Nos igitur auditis utriusque partis rationibus, in primis protestantes, quod de jurisdictione super canonicos majoris ecclesiæ nihil diffiniebamus, sententialiter pronunciavimus prædictam jurisdictionem vacante decanatu ad dictum episcopum pertinere. Actum anno Incarnationis Domini 1221, mense Novembri.

LXXXII.

Galteri Senonensis archiepiscopi sententia qua definit jurisdictionis formam episcopum inter & decanum Autissiodorenses servandam.

1224. GALTERUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus, universis præsentibus pariter & futuris ad quos præsentes litteræ pervenerint salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod cum esset contentio inter venerabilem fratrem nostrum H. episcopum ex una parte, & dilectum filium M. decanum Autissiodorensem ex alia, super remittendis causis hominum civitatis Autissiodorensis, & parochiæ sancti Georgii, & abbatiæ de Cellis, excepta parochia S. Lupi, quæ non est de jurisdictione decani, scilicet ab officiali episcopi ad decanum, & super proven-
A tibus, sive explectis causarum prædictorum locorum in utraque curia receptis, & super ordinatione domus Dei de Monte-Autrico, & domus leprosorum sancti Simeonis, & super quibusdam aliis causis quæ inferius notabuntur; tandem de consensu dictorum episcopi & decani, accedente etiam ad hæc consensu capituli Autissiodorensis, ita fuit pro bono pacis nobis mediantibus ordinatum; quod de omnibus causis tam civilibus coram decano non inchoatis, quam criminalibus prædicti loci poterit cognoscere in propria persona dictus episcopus, & etiam terminare, & conventi coram ipso non admittentur, si petierint ad curiam decani remitti, sed ibi tenebuntur litigare. Si autem fuerit querimonia coram ipso, poterit eam committere specialiter, pro voluntate sua cuicumque
B voluerit canonico, vel non canonico, præter quam officiali suo, & conventi tenebuntur coram hujusmodi delegato litigare, nec habebunt fori exceptionem, ut ad decanum remittantur. De hominibus autem episcopi & ipsius familia ita est ordinatum, quod si conveniantur coram officiali episcopi, ibi habebunt litigare: si autem coram decano, vel ejus officiali conveniantur; si exceperint, quod sint de foro episcopi admittentur, & necesse habebit decanus & ejus officialis eos remittere ad officialem episcopi, nisi conquerens sit, capitulum vel canonicus qui optionem habebit conveniendi hominem episcopi, & non familiam ejus coram decano vel episcopo vel officiali ejus de propriis causis suis. Si autem capitulum vel canonicus conveniat aliquem de familia episcopi, episcopus vel ejus officialis necesse habebit jus ei facere
C in civitate Autissiodorensi. De baillivis & præpositis comitissæ vel comitis, vel domini civitatis qui pro tempore fuerit, ita est ordinatum, quod seu conveniantur coram officiali episcopi, vel in curia decani, ubi primo conventi fuerint, ibi necesse habebunt litigare, & si objecerint exceptionem fori, nec admittentur, nec ad aliam curiam remittentur. Litigantes autem coram decano vel ejus officiali quicumque fuerint, poterunt ad curiam episcopi appellare, clerici autem beneficiati, ab episcopo, si coram officiali episcopi conveniantur de iis quæ pertinent ad beneficia sua, ibi tenebuntur litigare, & allegantes fori exceptionem ad decanum non mittentur: alii autem homines civitatis Autissiodorensis, ut puta homines
D ecclesiarum & homines comitissæ, vel pro tempore domini civitatis, vel quorumcumque aliorum, si conveniantur coram officiali curiæ episcopi, & de foro decani exceperint petentes ad eum remitti, admittantur. De bedellis autem baillivorum & præpositorum utrum si coram officiali episcopi conveniantur, ad exceptionem fori admittantur: item & de hominibus episcopi & ejus familia, si coram officiali episcopi aliquem convenerint, utrum ad exceptionem fori admittantur: item & de clericis civitatis non beneficiatis vel beneficiatis, ab episcopo non a canonicis majoris ecclesiæ, si ratione contractuum vel delictorum conveniantur coram officiali episcopi, utrum ad exceptionem fori admittantur. Item & de causis criminalibus ad quem spectant & quomodo: item & de
E proventibus sive explectis causarum utriusque curiæ, videlicet episcopi & decani quorum esse debeant: item & de ordinatione prædictarum domorum ad quem spectet, in nos fuit ab utraque parte compromissum de voluntate capituli Autissiodorensis, sicut per litteras ejusdem capituli nobis constitit evidenter. Ita quod supradicti episcopus & decanus firmiter promiserunt per litteras suas patentes, confirmantes id ipsum, quod quidquid superdictis articulis pro bono pacis vellemus statuere, sive ordinare, ratum haberent & gratum, & inviolabiliter observarent. Nos autem de bono & æquo procedere cupientes, præcognito utriusque partis assensu, de bonorum consilio ordinavimus in hunc modum. Si bedelli baillivorum vel præpositorum deliquisse dicuntur in rebus memorati

episcopi, vel hominibus ejus, vel familia, vel rebus eorum, si super hiis conveniantur coram officiali episcopi, non habebunt exceptionem fori ut ad decanum remittantur. In aliis autem causis generaliter secundum communem legem aliorum hominum civitatis si excipiant iidem bedelli coram officiali episcopi, necesse habebit eos remittere ad curiam decani: de hominibus & familia episcopi ita pronunciamus, quod si conveniant homines qui sunt de jurisdictione decani, & illi excipiant de foro coram officiali episcopi, remittentur ad decanum. De clericis civitatis non beneficiatis vel beneficiatis ab episcopo non canonicis majoris ecclesiæ, si ratione contractuum vel delictorum conveniantur coram episcopo, vel ejus officiali & excipiant de foro, debent ad decanum remitti. De criminalibus vero causis sic a nobis est ordinatum: decanus summatim & de plano, si res ita exigat, poterit de criminalibus inquirere & cognoscere, & presbyteros & clericos propter infamiam vel scandalum, vel aliam causam rationabilem suspendere, & de quibus expedire viderit, eos capere & detinere, si tamen incarcerari debeant, episcopo debent tradi; de majoribus autem criminibus in formâ judicii, vel per solemnem inquisitionem cognoscere non pertinet ad decanum. De proventibus autem sive explectis causarum utriusque curiæ ordinavimus, quod inter episcopum & decanum æqualiter dividantur, & jurabit officialis decani episcopo quod bona fide portionem suam ei conservabit & reddet, similiter officialis episcopi jurabit decano quod de proventibus videlicet causarum, hominum civitatis Autissiodorensis, & locorum quæ sunt superius nominata medietatem integraliter ei reddet. Præterea de domo de Monte-Autrico, & de domo leprosorum sancti Simeonis diximus, quod institutio magistrorum & destitutio, si destituendi fuerint, in domibus illis pertinet ad episcopum, vocato tamen ad hoc decano, minor autem jurisdictio & correctio personarum in eisdem domibus & auditus compotorum super proventibus & expensis pertinet ad decanum. Non tamen prohibemus episcopo, quin ipse si velit ex causa, de statu domorum cognoscere & correctionem facere, sine contradictione hoc possit. In cujus rei perpetuam firmitatem præsenti scripturæ sigillum nostrum fecimus apponi. Actum apud Autissiodorum anno gratiæ M. CCXXIV, mense Septembri.

LXXXIII.

Donum factum monachis de Charitate a Mathilde comitissa Nivernensi testatur Henricus episcopus.

1226. HENRICUS Dei gratia Autissiodorensis episcopus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus quod nos litteras nobilis mulieris dilectæ & fidelis nostræ Mathildis comitissæ Nivernensis inspeximus sub hac forma: Ego Mathildis comitissa Nivernensis omnibus notum facimus præsentibus & futuris, quod cum nobis constaret per inspectionem chartarum prædecessorum nostrorum, videlicet bonæ memoriæ Guidonis, & dilecti patris nostri Petri comitis Nivernensis, & carissimæ matris nostræ Agnetis quondam comitissæ Nivernensis, triginta libras annui reditus fuisse concessas in eleemosynam ecclesiæ B. Mariæ de Charitate, & monachis ibidem Deo servientibus, a felicis memoriæ Guillelmo quondam comite Nivernensi qui Bethleem sepultus est, & a prædicto Guidone, nos easdem triginta libras annui reditus confirmamus, insuper & alias decem libras annui reditus eidem ecclesiæ concedimus & donamus pro animæ nostræ & antecessorum nostrorum remedio, & specialiter pro anniversario nostro in eadem ecclesia annuatim perpetuo celebrando, quas quadraginta libras prior de Charitate vel ejus mandatarius percipiet annuatim in natali B. Andreæ apostoli super redditibus nostris Autissiodorensibus. Volumus autem & concedimus quod ille vel illi quicumque redditus ejusdem civitatis ad nos & successores nostros pertinentes receperint, dictas quadraginta libras priori ejusdem ecclesiæ de Charitate vel mandato ejus patentes ipsius litteras deferenti singulis annis absque difficultate aliqua persolvant termino supradicto; quod si facere distulerint, volumus & concedimus ut receptor vel receptores dictorum reddituum quicumque fuerint quinque solidos pro pœna qualibet hebdomada quamdiu dictarum quadraginta librarum solutionem distulerint faciendam dicto priori vel ejus mandato persolvere teneantur post quindecim dies ex quo post dictum terminum a dicto priore vel ejus certo mandato super hoc fuerint requisiti. Rogamus præterea venerabilem patrem Autissiodorensem episcopum ut dictos receptorem vel receptores ad supradicta facienda & omnis ejusdem solutionis faciendæ impeditores & perturbatores per censuram ecclesiasticam compellat & compescat. Sciendum autem est quod dictus prior & conventus de Charitate de omnibus querelis quæ occasione mobilium seu mesprisionum vel injuriarum ad mobilia pertinentium inter antecessores nostros & nos ac dictam ecclesiam hactenus emerserant vel poterant emersisse tam nos quam antecessores nostros penitus quittaverunt. De testamento vero quod felicis memoriæ Herveus quondam comes Nivernensis dominus & maritus noster eis fecisse dicitur, non ad nos, sed ad hæredes dicti Hervei poterunt habere recursum. Quod ut ratum sit & firmum, præsentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum apud *Mahers*, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto, mense Januario.

Nos autem rogati a dicta comitissa per patentes litteras ipsius comitissæ super hoc ad nos specialiter directas, factum istud ratum habentes, volentes, approbantes & dictæ comitissæ precibus annuentes, præsentes litteras sigilli nostri dignum duximus appositione muniri. Datum apud Guacum, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto, mense Januario.

LXXXIV.

Litteræ de hospitatione fratrum Minorum.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, frater Gregorius servus & minister fratrum Minorum 1229.
qui sunt in Francia, salutem & pacem. Notum vobis facio quod fratres Minores apud civitatem Autissiodorensem commorantes, de licentia venerabilis patris & domini Henrici ejusdem civitatis episcopi, domini M. decani & totius capituli S. Stephani hospitantur infra muros civitatis in parochia S. Eusebii. Item quod quando placuerit domino episcopo, sive domino decano, sive capitulo quod fratres ab ipso loco recedant, ipsi sine contradictione locum dimittent & exibunt. Omni autem tempore quo dicti fratres in dicto loco morabuntur, excommunicatos vel interdictos scienter non recipient ad divina. Si vero cathedralis ecclesia aliquando cessaverit, & ipsi fratres similiter cessabunt, cum a domino episcopo, sive decano, sive capitulo ipsis fuerit demandatum. Actum anno Domini M. CCXXVIII, XIII calendas Februarii, mense Januario, in festo SS. Fabiani & Sebastiani.

LXXXV.

Litteræ G. Nivernensis comitis ad B. episcopum Autissiodorensem. Sammarth.

REVERENDO patri & domino carissimo B. Dei gratia episcopo Autissiodorensi, G. comes Nivernensis & Forensis salutem & paratam ad ejus beneplacita voluntatem. Noverit paternitas vestra, quod 1234.

Digitized by Google

nos vobis transmittimus dilectum & fidelem nostrum Humbaudum Chevrelli ad vos portandum, quia dominus de Dunziaco, ut dicitis, vos portare debet, & in saisina estis, & inde litteras habetis a comite Herveo, prout vobis suggeritur a quibusdam, sed nobis dictum est a pluribus, quod vos portare debebat dominus Dunziaci ratione feodi de Giemo, sed quoquo modo sit, dictum Humbaudum ad vos transmittimus, ita tamen quod si invenire possitis, quod dominus prædictus de Dunziaco vos portare debebat pro Giemo, quod vos nos super hoc in pace dimittatis & quittetis & successores nostros. Datum anno Domini 1234, mense Aprilis.

LXXXVI.

Sammarth. *Bernardus auget dominia apud Saciacum.*

1235. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, R. abbas S. Germani, B. abbas S. Petri Autissiodorensis, archidiaconus Morinensis, & I. officialis curiæ decani canonicus Autissiodorensis, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra præsentia constituti Regnaudus *de Choisial* canonicus ecclesiæ Castri-censorii, & nobilis mulier Richaldis mater ejusdem, vendiderunt reverendo patri B. Autissiodorensi episcopo pro centum libris Autissiodorensis monetæ, quidquid ipsi habebant & possidebant apud Saciacum, & circa tam in terris, pratis, vineis, censivis, justitiis, domibus, quam in rebus aliis quibuscumque, quæ omnia erant de feodo ipsius episcopi, ut dicebant, fide corporali præstita promittentes quod contra dictam venditionem per se, vel per alium non venient in futurum, sed eandem venditionem dicto episcopo ejusque successoribus bona fide garentient erga omnes, & præcipue erga Agnetem sororem præfati Regnaudi. Recognoverunt etiam coram nobis dicti Regnaudus & mater ejus, quod de dicta pecunia sibi fuerat plenarie satisfactum. In cujus rei memoriam & testimonium ad petitionem dictorum Regnaudi & Richaldis matris ejus, sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Actum anno gratiæ M. CCXXXV, mense Martio.

LXXXVII.

Sammarth. *Idem concordiam facit cum cantore & capitulo Giemensi super collatione vicariarum in ecclesia S. Stephani.*

1239. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, B. Dei gratia Autissiodorensis episcopus salutem in Domino. Noverint universi, quod cum contentio verteretur inter nos ex una parte, & dilectos filios cantorem & capitulum Giemense ex altera, super collatione vicariarum quæ sunt in ecclesia B Stephani de Giemo; tandem saniori usi consilio voluerunt, & concesserunt, & promiserunt tenere quidquid super prædictis vicariis a nobis fuisset ordinatum. Nos vero habito bonorum virorum consilio, de speciali gratia concessimus eisdem collationem altarium B. Mariæ & B. Johannis: collationem autem tam aliorum altarium quam vicariarum, nobis & successoribus nostris retinentes, & etiam aliorum tam altarium quam vicariarum, si de novo contigerit in eadem ecclesia constitui, vel creari, prout ad nos de jure communi noscitur pertinere. Dicti vero cantor & capitulum post decessum capellanorum duorum altarium supradictorum tenentur concorditer eligere infra 40 dies, & ante institutionem nobis & successoribus nostris præsentare: alioquin a collatione dictorum altarium privabuntur ea vice. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M. CCXXXIX, mense Augusto.

LXXXVIII.

Carta fundationis fratrum Prædicatorum Autissiodorensium a Bernardo de Sulliaco episcopo Autissiodorensi.

B. Dei gratia episcopus, universis præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. Notum facimus quod cum nos & venerabiles viri decanus & capitulum Autissiodorense fratribus de ordine Prædicatorum concessissemus, ut in civitate Autissiodorensi domum aliquam sui ordinis construere & habere possent, & ipsi inter alia loca civitatis, domum quamdam dictorum decani & capituli, cum porprisia, sitam ad portam S. Juliani infra muros civitatis, quæ fuit Bernardi Porcelli, ad domum sui ordinis ædificandam aptam & congruam invenissent, nobilis domina Amicia relicta bonæ memoriæ Galcheri de Joviniaco, & Galcherus filius eorumdem rogaverunt dictos decanum & capitulum, ut ad opus dictorum fratrum eis dictam domum cum porprisia concederent; & ipsi quantum dicta domus cum porprisia valebat eisdem decano & capitulo annuatim tantumdem assignarent eisdem in suis redditibus competenter. Qui tandem considerata utilitate, quæ per præsentiam dictorum fratrum in clero & populo poterat provenire, postulata a dictis Amicia & Galchero unanimiter concesserunt. Dicti vero Amicia & Galcherus attendentes quod præfata domus cum porprisia in redditibus & proventibus dictis decano & capitulo singulis annis quindecim libras Turonenses valebat, dederunt & assignaverunt quindecim libras Turonenses annui reditus, in redditibus villæ suæ de Nannejo Autissiodorensis diœcesis, reddendas annis singulis apud Autissiodorum eisdem vel eorum camerario in octavis B. Andreæ apostoli, obligantes specialiter villam suam & omnes reditus ejusdem villæ prædictis quindecim libris, prout dictum est solvendis, volueruntque & statuerunt, quod quicumque fuerit ballivus, seu villæ prædictæ præpositus, seu etiam redituum receptor juret in capitulo Autissiodorensi annis singulis, vel quoties mutabitur, quod singulis annis prædictas quindecim libras apud Autissiodorum termino prænotato dictis decano & capitulo, vel eorum camerario cum expensis propriis integre & sine difficultate persolvet, & si loco & termino statutis non solverit, quod pro defectu cujuslibet diei quinque solidos Turonenses nomine pœnæ persolvet dictis decano & capitulo, vel eorum camerario, donec tota pecunia fuerit integre persoluta. Promiserunt insuper bona fide quod concessionem & assignationem prædicti reditus garentisabunt erga omnes eisdem decano & capitulo, & quod infra XL dies postquam filia dictæ Amiciæ, & soror dicti Galcheri virum habuerit, ab eadem & marito suo, fide præstita laudari facient & concedi. Et si, quod absit, dictam villam ab eis contingeret evinci, ipsi illas quindecim libras dictis decano & capitulo in aliis suis redditibus ad voluntatem eorum sub prædictis conventionibus assignarent competenter. Promiserunt etiam quod infra quadraginta dies postquam nobilis vir G.* comes Nivernensis a transmarinis partibus redierit, concessionem & assignationem prædictarum ab eo laudari facient & concedi, & per litteras sigillo suo sigillatas confirmari. Et abrenunciavit dicta Amicia coram nobis sponte & expresse omni juris beneficio, quod ratione dotis sive donationis propter nuptias, sive alia quacumque de causa in præsenti negotio posset prodesse. Et dictus Galcherus confessus fuit coram nobis se tempore confectionis præsentium litterarum, ætatis suæ quintum decimum explevisse, terram suam tenere, & feoda a dominis suis recepisse. Has autem omnes & singulas conventiones, prout superius sunt expressæ, fide corporaliter præstita, sponte & cum deliberatione se promiserunt observare &

1241.

* Guido.

facere observari, & ad eas observandas se & hæredes A & successores suos specialiter obligarunt, quantum ad eas se jurisdictioni nostræ supponentes dicti Amicia & Galcherus volentes & concedentes quod, nonobstanti excusatione fori ubicumque manserint, si in aliqua de prædictis conventionibus observandis deficerent vel contravenirent, nos & successores nostri in personas earum excommunicationis, & in villam eorum de Nannejo interdicti sententias proferre possimus." Nos si quidem qui domini sumus feodi, assignationem prædictam volumus, concedimus & laudamus. Actum anno Domini M. CCXLI, mense Junio.

LXXXIX.

Sammarth. *Prior hospitalis Jerusalem in Francia concedit* B *Regnaudo 65 solidos Turonenses ut laudaret eleemosynam quamdam ipsis factam.*

1245. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, frater Andreas Polins sanctæ domus Hospitalis Hierusalem prior humilis in Francia, salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus, quod cum coram reverendo patre B. quondam Autissiodorensi episcopo diutius laboraverimus, ad hoc ut ipse laudaret eleemosynam a defuncto Hugone quondam domino Ulmi nobis & domui nostræ factam, apud Plessium juxta Arbusam in terris, nemoribus, hominibus, justitiis & rebus aliis de feodo episcopi Autissiodorensis moventibus, nos pensata utilitate domus nostræ, de fratrum nostrorum consilio & assensu, pro dicta lau- C datione nobis facienda, 65 solidos Turonenses, quos percipiebamus annuatim in Nativitate B. Johannis-Baptistæ in censibus de feodo ipsius episcopi moventibus extra cruces Saciaci, reverendo patri R. Autissiodorensi episcopo, ejusque successoribus concedimus, & in perpetuum quittamus, promittentes quod contra dictam quittationem per nos vel per alium non veniemus in futurum, &c. Actum anno Domini M. CCXLV, mense Julio.

XC.

Sammarth. *Arbitros eligunt Regnaudus episcopus & Matildis comitissa Nivernensis ob quasdam querelas inter se ortas.*

1246. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, Matildis comitissa Nivernensis in Domino salutem. Notum facimus universis, quod cum contentio verteretur coram venerabili patre ac domino nostro Renaudo Dei gratia Autissiodorensi episcopo inter ipsum ex una parte, & nos ex altera, super hoc quod idem episcopus petebat a nobis, quod nos emendaremus hoc, quod nos ipsum non deportavimus ad cathedralem ecclesiam Autissiodorensem die intronisationis suæ cum aliis Baronibus, qui eum tenebantur deportare, cum ecclesia Autissiodorensis sit in possessione de portatione prædicta a comite Autissiodorensi facienda, ut idem episcopus dicebat; & super quod petebat a nobis, quod juraremus fidelitatem ecclesiæ Autissiodorensi, cum ipsa ecclesia sit in possessione fidelitatis prædictæ a comite Nivernensi faciendæ, sicut dicebat idem episcopus; & super hoc etiam quod petebat à nobis, quod amoveri faceremus eicomiolas, quas levari feceramus pro pedagio a transeuntibus levando tempore prædecessoris sui in præjudicium ecclesiæ Autissiodorensis, cum comes Nivernensis absque assensu episcopi Autissiodorensis aliquam immutationem, vel innovationem, seu consuetudinem in villa Autissiodorensi facere non posset, ut dicebat dictus episcopus. De quibus omnibus dicebamus nos nullam injuriam facere eidem domino episcopo, vel Autissiodorensi ecclesiæ. Tandem mediantibus bonis viris, de præmissis querelis compro-

misimus in dilectos nostros dominum Johannem Ruffinum Autissiodorensem canonicum, & dominum Burellum de Riparia militem, qui per juramentum ab eisdem præstitum tenentur secundum rationes ab utraque parte coram eis propositas & proponendas, dictas contentiones terminare infra Pentecosten: & si dicti arbitri in unam concordare sententiam nequiverint, debent eligere tertium, qui tertius secundum rationes coram prædictis duobus arbitris propositas, & eidem ab ipsis arbitris exhibendas, negotium mediante justitia terminabit infra festum beatæ Mariæ Magdalenæ. Nos autem arbitrium prædictorum duorum, vel tertii, si concordare nequiverint, sub pœna 100 marcarum argenti promittimus nos firmiter & inviolabiliter servaturos. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas. Actum anno Domini 1245, mense Januario.

XCI.

De portatione episcopi Autissiodorensis in die intronisationis suæ epistola Matildis comitissæ Guidoni episcopo. Sammarth.

REVERENDO patri ac domino & amico suo in Christo carissimo Guidoni Dei gratia Autissiodorensi episcopo M. comitissa Nivernensis salutem, & cum omni reverentia & honore paratam ad ejus beneplacita voluntatem. Cum per litteras bonæ memoriæ comitis Hervei Nivernensis quondam domini & mariti nostri, quas vidimus ipsius sigillo sigillatas, nobis constiterit evidenter episcopum Autissiodorensem esse in possessione portationis die intronisationis suæ ab eodem comite Herveo faciendæ pro feodo hæreditatis suæ, quod dictus comes Herveus & ejus antecessores, teneri dicebantur ab episcopo Autissiodorensi, vestræ significamus paternitati, quod nos ad hoc proximum festum Paschæ, ad vos apud Autissiodorum pro vestra portatione facienda non possumus personaliter interesse, pluribus negotiis impeditæ. Quare nos dilectum & fidelem nostrum dominum Hugonem de Varigniaco dominum Ancesiaci pro vestra portatione dicta die Paschæ facienda nostræ possessionis supradictæ loco nostri duximus transmittendum. Datum apud Montemonsium die Jovis D benedicto, anno M. CCXLVI. 1247.

XCII.

Innocentius IV permittit monialibus de Insulis succedere in possessiones parentum.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ & conventui monasterii de Insulis, Cisterciensis ordinis, Autissiodorensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ precibus inclinati, ut possessiones & alia bona mobilia & immobilia, exceptis feudalibus, quæ personas sororum ad monasterium vestrum mundi relicta vanitate volantium & E professionem facientium in eodem, tanquam si remansissent in sæculo, ratione successionis seu quocumque alio justo titulo contigissent, petere, recipere, ac retinere libere valeatis, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ constitutionis paginam, &c. Datum Lugduni XII calend. Septembr. pontificatus nostri anno V. 1247.

XCIII.

Hominium Guidonis de Orto militis pro domo sua. Sammarth.

EGO Guillelmus de Melloto dominus S. Prisci, & ego Droco de Melloto dominus Locharum, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, 1247.

Digitized by Google

quod in nostra præsentia constitutus Guido de Orto miles, recognovit se tenere a reverendo patre Dei gratia Autissiodorensi episcopo, domum suam de Orto cum omnibus appendiciis & pertinentiis dictæ domus, & homo suus ligius est de dicta domo, & de appendiciis & pertinentiis supradictis, prout ea in allodio possidebat & tenebat, & eandem domum reddibilem & jurabilem tenet ab episcopo supradicto. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillis nostris ad petitionem dicti Guidonis duximus roborandas. Actum anno Domini M. CCXLVII, mense Novembri.

XCIV.

Sammarth. *Guillelmus de Melloto domum suam de Belcha ab episcopo in feodum recipit.*

1248. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus de Melloto dominus S. Prisci, salutem in Domino. Notum facio universis, quod ego domum meam de Belcha cum omnibus pertinentiis ejusdem domus, excepto nemore quod habeo in brueria, recepi in feodum ligium & casamentum, a reverendo patre ac domino Guidone Dei gratia episcopo Autissiodorensi, jurabilem & reddibilem dicto episcopo & successoribus, ad parvam vim, & ad magnam; & factus sum homo ligius, post alios dominos meos quos modo habeo, dicto episcopo, & hæredes mei erunt homines ligii dicto episcopo, & successoribus ejus in perpetuum de dicta domo, & pertinentiis: ita quod si ille de hæredibus meis qui erit dominus S. Prisci tenuerit domum prædictam de Belcha, post litigationem quam debebit comiti Autissiodorensi ratione feodi S. Prisci, erit homo ligius ante omnes homines dicto episcopo, & successoribus ejus in perpetuum, si de jure possit esse. Si vero alius de hæredibus meis quam ille qui erit dominus S. Prisci habuerit, vel tenuerit dictam domum, ipse & hæredes sui erunt homines ligii ante omnes dicto episcopo & successoribus ejus, si de jure possit esse. Et si ego vel hæredes mei aliquid acquisivimus, vel acquiremus in futurum, circa vel juxta domum prædictam, quod non sit de feodo alterius, ego & hæredes mei quos ad hoc obligo, illud tenebimus a dicto episcopo & successoribus ejus in feodum, cum aliis rebus quæ sunt de feodo supradicto. Et ad omnia prædicta tenenda, complenda, & firmiter observanda obligo me & hæredes meos specialiter & expresse, &c. Actum anno 1248, mense Julio.

XCV.

Sammarth. *Drogo de Melloto testatur Guillelmum recepisse domum suam in feodum ab episcopo.*

1248. EGO Drogo de Melloto dominus Locharum & Meduanæ, notum facio universis, quod in præsentia mea constitutus carissimus frater meus Guillelmus de Melloto dominus S. Prisci, recepit in feodum ligium & casamentum a reverendo patre ac domino Guidone Dei gratia episcopo Autissiodorensi, domum suam de Belcha cum omnibus pertinentiis ejusdem domus, excepto nemore quod habet in brueria, jurabilem & reddibilem eidem episcopo & successoribus ejus in perpetuum ad parvam vim & ad magnam, & factus est homo ligius coram me dicto episcopo, post alios dominos suos quos modo habet, & erunt similiter hæredes sui homines ligii dicto episcopo & successoribus ejus in perpetuum. Ita quod si ille de hæredibus dicti Guillelmi qui erit dominus S. Prisci, tenuerit dictam domum, post ligiationem quam debet comiti Autissiodorensi, ratione feodi S. Prisci, erit homo ligius ante omnes dicto episcopo & successoribus ejus, si de jure possit esse. Si vero alius de hæredibus dicti Guillelmi, quam ille qui erit dominus S. Prisci, tenuerit dictam domum, erit homo dicto episcopo & successoribus ejus ligius ante omnes, si de jure possit esse. Promisit etiam idem Guillelmus coram me, quod ipse vel hæredes sui, quos ad hoc obligavit specialiter & expresse, contra prædicta vel aliquod prædictorum non venient aliquatenus in futurum. In cujus rei testimonium sigillum meum duxi præsentibus apponendum. Datum 1248, mense Julio.

XCVI.

Permutatio capituli cum episcopo de quibusdam terris. Sammarth.

OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, H. decanus, totumque capitulum Autissiodorense, salutem in Domino. Noverint universi, quod cum nos emissemus a viro nobili Drocone de Melloto domino Espossiæ, castri Canini & Ulmi, & Helvidi uxore ejus laudante, & consentiente venerabili patre nostro Guidone Dei gratia Autissiodorensi episcopo, burgum de Conchiis juxta Varziacum, & omnia quæ ipsi habebant, tenebant & possidebant apud Varziacum, sicut in litteris prædictorum Droconis & uxoris ejus, & venerabilium patrum Lingonensis & Nivernensis episcoporum, & etiam in litteris prædicti patris Guidonis episcopi Autissiodorensis, de cujus feodo omnia prædicta a nobis empta dinoscuntur movere, plenius continetur; tandem nos attendentes utilitatem tam prædicti patris Guidonis Dei gratia Autissiodorensis episcopi & successorum ejus, quam nostram, eo quod prædicta a nobis empta, juxta & intra Varziacum sita utiliora videbantur prædicto patri & successoribus suis, quam nobis, cum & idem pater aliquos redditus haberet juxta nos, nobis utiliores, talem cum ipso commutationem duximus faciendam: videlicet quod nos omnia prædicta a nobis empta prædicto patri & successoribus ejus dedimus & concessimus in perpetuum possidenda, pro granchia sua de Chicheriaco, villa nostra, & terris, & pratis, & censu eidem granchiæ appendentibus, quæ eodem tempore quo dicta commutatio inter nos & ipsum facta fuit, ad admodiationem tenebat major de Chicheriaco ab eodem, & pro triginta & quatuor libris Turonensibus singulis annis a nobis in teloneo suo de Autissiodoro percipiendis. Voluit etiam & concessit idem G. episcopus, & successores suos ad hæc specialiter obligavit, quod quicumque tenuerit dictum teloneum, solvat nobis annuatim prædictas 34 libras Turonenses; videlicet ad festum S. Remigii decem & septem libras Turonenses, & ad Pascha decem & septem libras Turonenses. Si vero illum, vel illos qui dictum teloneum a dicto episcopo, vel a successoribus suis tenerent in solutione dictæ pecuniæ quacumque occasione in dictis terminis, vel in aliquo eorum deficere contingeret, obligavit se dictus episcopus & successores suos ad dictam pecuniam dictis terminis nobis integre persolvendam. Hæc autem omnia prædicta sub prædictis conventionibus idem pater pro commutatione rerum a nobis emptarum superius expressarum dedit nobis & quittavit in perpetuum possidenda, nisi ipse, vel successores ejus nomine episcopatus redditus emerent, qui secundum arbitrium quatuor personarum ecclesiæ Autissiodorensis, quæ pro tempore erunt, capitulo Autissiodorensi æque vel magis utiles videantur: quos redditus a prædicto G. episcopo, vel a successoribus ejus emptos, capitulum Autissiodorense loco prædictorum redditüum in perpetuum possidebit. Et tunc omnia prædicta, quæ per commutationem inter nos & ipsum factam tenebamus, ad episcopatum libere revertentur, &c. Actum anno Domini M. CCXLVIII, mense Junio. 1248.

XCVII.

Ex chartular. Crisenonensi.

Guillelmus comes Jovigniaci monialibus de Crisenone assignat quindecim libras Autissiodorenses super furnum de Colangiis-vinosis.

1248. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus comes Jovigniaci, salutem. Noverint universi, quod cum abbatissa & conventus de Crisenone haberent quatuor libras annui reditus in furno nostro de Colengiis-vinosis, & haberent circiter quatuordecim arpenta pratorum sitorum juxta Escolinas super rivum fontis qui dicitur *Croset*; nos attendentes prædicta prata nobis esse propinqua, & a prædictis abbatissa & conventu remota, de voluntate & consensu earum talem eis commutationem duximus faciendam; videlicet quod pro prædictis quatuor libris annui redditus, & pro pratis prædictis, assignavimus eisdem in perpetuum & singulis annis percipiendas & possidendas concessimus quindecim libras Autissiodorensis monetæ, singulis annis eisdem a præpositis nostris de Colengiis, in octabis B. Andreæ apostoli persolvendas in redditibus dictæ præpositurae a nobis in perpetuum assignatas: ita tamen quod si prædicta die præpositus vel præpositi nostri in solutionem dictæ pecuniæ deficerent, ex tunc pro pœna, laboribus & expensis, præpositus vel præpositi qui pro tempore essent, singulis diebus ad pœnam duodecim denariorum dictis sanctimonialibus tenerentur. Nos etiam tam ipsos præpositos, quam terram nostram de Colengiis-vinosis jurisdictioni curiæ Autissiodorensis supposuimus; volentes & concedentes, quod si ad exhibitionem præsentium præpositi nostri qui pro tempore erunt, in solutione dictæ summæ dicta die facienda deficerent, in ipsos officialis curiæ Autissiodorensis excommunicationis, & in terram nostram de Colengiis interdicti sententias promulgaret. In cujus rei memoriam sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Hæc autem omnia supradicta, & sigilla prout superius sunt expressa, voluit & laudavit spontanea, non coacta nobilis mulier Agnes uxor nostra comitissa Jovigniaci, promittens fide corporali in manu nuncii venerabilis viri H. decani Autissiodorensis ad hoc specialiter destinati præstita, quod contra prædicta per se, vel per alium non veniet in futurum. Ad cujus comitissæ petitionem sigillum prædicti decani est præsentibus appensum. Datum anno Domini M. CC quadragesimo octavo, mense Junio.

XCVIII.

Sammarth.

Guido de Orto miles recognoscit se tenere a Guidone episcopo domum suam de Orto in feodum coram Gilone archiepiscopo Senonensi.

1249. GILO Dei gratia Senonensis archiepiscopus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverint universi, quod in nostra præsentia constitutus Guido de Orto miles, recognovit se recepisse & tenere in feodum & homagium ligium præ omnibus hominibus, a venerabili fratre Guidone Autissiodorensi episcopo domum suam de Orto, jurabilem & reddibilem episcopo prædicto & successoribus suis Autissiodorensibus episcopis ad magnam vim & ad parvam cum omnibus pertinentiis dictæ domus, videlicet prata sita circa domum prædictam, & insulas, & saliceta, & terram arabilem de Campo *Chardon*, & censum quem tenet in valle *de Beoue*, & in Iouchiis, & terram arabilem de Campo *Polin*, & denarios, & avenam quæ debentur eidem de vineis de Ulmo-fendu, & censum & avenam in quibus partitur cum episcopo Autissiodorensi, de vineis & domibus S. Gervasii, & tam homines quam fœminas, & omnes vineas quæ dictus G. miles habet Autissio-

A dori, & omnia alia quæcumque ibidem tenet, excepta vinea de Campo Polini, & tali modo debet idem G. miles, & hæredes sui in perpetuum tenere ab episcopo Autissiodorensi qui pro tempore fuerit, domum & pertinentias prædictas, & quidquid acquisierint in futurum circa domum prædictam quod non sit de alterius feodo: & ad omnia tenenda & adimplenda obligavit prædictus miles hæredes suos specialiter & expresse. Præterea dictus G. miles res pertinentes ad domum prædictam facere valere tenetur 60 libras terræ annuatim. Quod si aliquis in domo vel rebus prædictis ratione feodi, vel alio quocumque modo aliquid imposterum reclamaret, dictus miles & hæredes sui quos ad hoc obligavit, tenentur dictum feodum dicto episcopo & suis successoribus B garentire, & pro hiis faciendis dedit dictus episcopus prædicto militi 80 libras Turonenses, de quibus recognovit sibi a dicto episcopo in pecunia numerata plenarie satisfactum. In cujus rei testimonium & munimen ad petitionem prædicti militis præsentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Senonis apud S. Paulum super Vennam, anno Domini M. CCXLIX, in vigilia apostolorum Simonis & Judæ, mense Octobri.

XCIX.

Sammarth.

Guido archidiaconatum Autissiodorensem in duos partitur, quod confirmat Innocentius papa IV.

C INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Autissiodorensi salutem & apostolicam benedictionem, &c. Cum igitur olim te nobis insinuante tantam esse in tua diœcesi populi multitudinem, quod vix poterat per solum archidiaconum Autissiodorensis ecclesiæ, cum unicus dumtaxat esset, in ea visitari pro tempore, & per hoc nonnulla posse animarum pericula provenire, nos tuis supplicationibus inclinati, super hoc utiliter providere volentes, dividendi archidiaconatus ipsius ecclesiæ in tres archidiaconatus, dummodo ad id archidiaconi qui tunc erat, ac majoris & sanioris partis capituli Autissiodorensis assensus accederet, necnon & deputandi per te ipsum in augmentum archidiaconatus hujusmodi, postquam jam recepti de mandato apostolico in præfata ecclesia præbendas fuerint assecuti, D præbendam integram proximo tunc vacaturam in ea, & compescendi contradictores per censuram ecclesiasticam, tibi per nostras litteras sub certa forma concesserimus facultatem. Tu auctoritate litterarum ipsarum de assensu decani, archidiaconi & capituli Autissiodorensis, & aliorum proborum virorum consilio, prædictum archidiaconatum in duos dividens, statuisti, quod præbenda vacatura proximo juxta earumdem litterarum continentiam, in ecclesia supradicta, hoc modo cedat in augmentum archidiaconatuum eorumdem, videlicet quod capitulum Autissiodorense præbendam eamdem percipiet integre, ac pro ea majori archidiacono præter distributionem quam percipere consuevit tanquam canonicus, aliam distributionem integram, minori vero archidiacono excepta distri- E butione quam percipiet ratione præbendæ suæ, medietatem alterius distributionis integre assignare tenebitur, postquam præbenda vacaverit supradicta. Præter hæc majori archidiaconatui de Nonnaxo & minori archidiaconatui de Trigniaco ecclesiis tuæ diœcesis vacantibus, & spectantibus ad collationem tuam cum oneribus & emolumentis suis, salvo in omnibus in utraque jure episcopali annexis, retenta tibi nihilominus potestate permutandi dictas ecclesias archidiaconatibus ipsis, cum aliis ecclesiis ad tuam collationem spectantibus, cum eas vacare contigerit, vel etiam cum aliis ecclesiis de consensu patronorum ipsarum, quæ commodiores prædictis archidiaconis videbuntur, si de tua & ipsorum archidiaconorum processerint 1249.

Digitized by Google

voluntate. Statuisti etiam quod iidem archidiaconi in institutione sua teneantur jurare, quod per nonaginta dies in Autissiodorensi ecclesia prout ejusdem canonici faciunt, & in visitando archidiaconatu suo per totidem alios dies, & in ecclesia parochiali annexa archidiaconatui per 60 dies, facient residentiam personalem, quodque infra annum institutionis suæ ad sacerdotii ordinem se facient promoveri: qui si ab episcopo qui pro tempore fuerit, vel capitulo Autissiodorensi vocati fuerint, vel alicubi destinati, seu causa peregrinationis partes transmarinas adierint, vel apostolorum Petri & Pauli, sive Jacobi limina visitaverint, quandiu fuerint in ipsorum episcopi & capituli obsequiis, aut in hujusmodi peregrinationibus constituti, pro residentibus habebuntur; ita tamen quod distributiones non habebunt, nisi sicut alii canonici in similibus casibus percipiunt, vel percipient in futurum, & quod nec episcopus, nec capitulum possint remittere juramenta hujusmodi, nec contra præmissa in aliquo dispensare. Adjecisti præterea, statuendo quod minor archidiaconus post quatuor personas ab antiquo in Autissiodorensi ecclesia constitutas, persona existat, & post easdem quatuor personas in omnibus tam in choro quam in capitulo habeatur, idemque minor archidiaconus sit homo ligius tuus, & episcoporum Autissiodorensium qui pro tempore fuerint, sicut aliæ personæ Autissiodorensis ecclesiæ sæpedictæ, ac post fidelitatem episcopo præstitam, salva ea, fidelitatem capitulo tenebitur exhibere. Archidiaconatus vero minoris sive majoris collatio semper ad episcopum pertinebit: memoratam quoque residentiam non tenebuntur facere archidiaconi prædicti, nisi cum secundum ecclesiæ consuetudinem percipere poterunt fructus præbendarum suarum, & tunc demum prius juramento præstito, quantum ad residentiam astringentur, prout in tuis, & ipsorum decani, archidiaconi, & capituli litteris inde factis plenius continetur. Nos igitur tuis, & ipsorum decani & capituli, archidiaconi precibus inclinati, præmissa sicut proinde facta sunt, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, proviso quod dilectis filiis Gaufrido *Chauderoim*, & Conradino nato dilecti filii Jacobi *Papie* civis Januensis canonicis Autissiodorensibus per confirmationem hujusmodi nullum præjudicium generetur, &c. Datum Lugduni X calendas Novembris, pontificatus nostri anno 7.

C.

Ex Sammarthanis.

Statuit Guido scholasticum ecclesiæ Autissiodorensis futurum deinceps ejus capellanum ac vicarium.

1249. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, Guido divina miseratione episcopus Autissiodorensis salutem in Domino. Cum nos tam causa visitandi episcopatum Autissiodorensem quam aliis justis causis contingat ab Autissiodorensi civitate frequentius procul esse, nec in ecclesia Autissiodorensi fuerit hactenus aliquis, qui ex officio suo vices absentis pontificis agere teneatur, propter quod possint nonnulla animarum pericula provenire; nos super hoc salubre consilium apponere cupientes, vacante scholastica ecclesiæ Autissiodorensis ad nostram collationem spectante, statuimus quod scholasticus Autissiodor. sit capellanus episcopi, & teneatur assistere & servire episcopo Autissiodorensi quando celebrabit solemniter in majori ecclesia, & alibi si præsens sit, & episcopum contigerit solemniter celebrare, & in aliis horis similiter quando divinum officium celebrabit. Statuimus etiam quod absente episcopo, in officiis ad episcopum pertinentibus suppleat vices ejus, sicut in exclusione pœnitentium ab ecclesia in capite jejuniorum, & in reconciliatione eorumdem in die Cœnæ & in similibus. Statuimus etiam quod illis diebus in quibus consuetum est episcopum, si præsens est, divinum officium celebrare, si personæ ecclesiæ Autissiodorensis absentes fuerint, vel dictum officium celebrare noluerint, vel nequiverint, ipse loco episcopi teneatur celebrare, nisi justum habeat impedimentum, vel justa de causa absens fuerit, quo casu ad hebdomadarium pertinebit. Præter hæc statuimus, quod in institutione sua tenebitur jurare episcopo, quod ad ordines sacerdotii promovebitur infra annum, jurabit etiam quod in ecclesia Autissiodorensi residentiam faciet personalem per novem menses, nisi vocatus fuerit ab episcopo, vel ab eodem episcopo alicubi destinatus, seu etiam a capitulo pro negotiis ecclesiæ alicubi destinatus, ita tamen quod missus a capitulo infra dies quindecim revertatur, & tunc quantum ad juramentum pro residenti habebitur vel nisi in peregrinatione profectus fuerit ultra mare, vel ad sedem apostolicam, vel ad S. Jacobum: jurabit nihilominus quod scholas ad suam collationem pertinentes, bona fide gratis conferet personis, sub quibus crediderit auditores posse proficere & debere: tenebitur etiam audire confessiones loco episcopi, cum ad ipsum venire contigerit confitentes. Et quoniam dicto officio onus solito majus juxta præsentis statuti tenorem duximus apponendum, ut ejus majori labore beneficium consequatur, statuimus quod idem capellanus, ultra redditus quos percipere consuevit ratione scholasticæ, decem libras Turonenses percipiat annis singulis in perpetuum in festo B. Andreæ apostoli in decima de Saciaco, quæ spectat ad ecclesiam de Betriaco, vacantem & ad collationem nostram spectantem. Dicta autem scholastica & capellania ad collationem episcopi pertinent, & semper pertinebunt, scholasticus vero & capellanus erit homo ligius episcopi, & ei fidelitatem faciet, salva tamen fidelitate quam debet capitulo tanquam canonicus. Nos vero H. decanus, totumque capitulum Autissiodorense præsenti statuto consentimus, & quantum in nobis est, approbamus: in cujus rei testimonium & munimen, nos Guido prædictus episcopus, & nos H. decanus & capitulum Autissiodorense sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Actum anno Domini M. CCXLIX, die Martis post festum beati Martini hiemalis.

C I.

Ex Sammarthanis.

Petunt Præmonstratenses S. Mariani a Guidone episcopo ut electum ab ipsis abbatem admittere velit.

REVERENDO patri ac domino suo carissimo G. Dei gratia Autissiodorensi episcopo, humiles ejus filii frater G. prior & conventus ecclesiæ S. Mariani Autissiodorensis salutem & obedientiam cum omni reverentia & honore. Nuper ecclesia nostra vacante, & die ad eligendum nobis præfixa, nos ipsa die, invocata prius Spiritus sancti gratia, omnibusque rite peractis quæ secundum nostrum ordinem in electione debent fieri, vel requiri, virum religiosum Stephanum tunc abbatem S. Pauli Senonensis postulantes, nominavimus & eleginius canonice & concorditer in abbatem ecclesiæ nostræ & pastorem, unde paternitati vestræ humiliter supplicamus, quatinus ipsum in nostra gratia recommendatum habentes, ad curam nostri monasterii admittatis. Valeatis in Domino Jesu Christo. Datum die Veneris ante festum beati Peregrini, anno Domini M. CCLI. 1251.

C I I.

Ex Sammarthanis.

Guido recipit hominium H. domini Charniaci pro villa de Petrafiicta.

1252. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, H. dominus Charniaci & Mabilia uxor ejus salutem in Domino. Notum facimus quod nos tenemus in feodum & homagium ligium a reverendo patre G. Dei gratia episcopo Autissiodorensi nomine episcopatus Autissiodorensis, villam nostram quæ vocatur Petrafiicta, & partem illam quam habemus in villa *de Arcy* juxta Petramfictam, & in nemoribus, & quidquid habemus in villa *de Lugny* & in molendino de Planchiis, & in censu de Villeri, & in omnibus pertinentiis & appenditiis villarum, & locorum omnium prædictorum: promittentes per juramentum nostrum corporaliter præstitum, quod prædicta omnia prædicto domino episcopo, & successoribus suis episcopis Autissiodorensibus garantisabimus, & deffendemus contra omnes sine aliquo feodo vel retrofeodo, & ad hæc omnia firmiter tenenda & inviolabiliter observanda nos & hæredes nostros obligamus specialiter & expresse. Ego vero Mabilia uxor dicti Hugonis, de cujus capite movent omnia quæ superius sunt expressa, prædicta omnia feci, laudavi, volui & concessi, non coacta, non circumventa, non seducta, sed spontanea voluntate, promittens per idem juramentum quod contra prædicta, vel aliqua prædictorum per me vel per alium non veniam in futurum, &c. Actum anno Domini M. CCLII, mense Januario.

C I I I.

Ex Sammarthanis.

Droinus de Melloto jurat in manibus archiepiscopi Senonensis de legatis ab avo & patruo.

1258. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus Dei gratia Senonensis archiepiscopus, salutem in Domino. Notum facimus quod in nostra præsentia constitutus Droinus de Melloto armiger, Spissiæ & castri Canini dominus, super sancta Dei Evangelia juravit, & per juramentum suum promisit, quod eleemosynas, legata & feuda, atque dona quæ nobiles viri bonæ memoriæ G. de Melloto quondam dominus S. Prisci avus suus, & Droco de Melloto quondam dominus Locharum frater ejusdem Guillelmi contulerunt, seu legaverunt quibuscumque locis vel personis, solvet integre & plenarie, prout venerabilis frater Autissiodorensis episcopus patruus ejusdem Droyni ordinaverit, vel quocumque modo duxerit statuendum, & assignationem quam de donis, legatis, seu eleemosynis & feodis supradictis facere duxerit super terram ipsius Droyni prædictus Autissiodorensis episcopus, ratam habebit & gratam idem Droynus, nec contra veniet per se vel per alium aliquatenus in futurum: sed quantum ad hoc jurisdictioni nostræ & successorum nostrorum supponens dictus Droynus ubicumque maneat, vel existat, &c. Datum anno Domini 1258, mense Junio.

C I V.

Ex Sammarthanis.

Excusatio Johannis abbatis S. Germani quod non adsit synodo episcopi Autissiodorensis.

1263. REVERENDO patri ac domino G. Autissiodorensi episcopo frater Johannes humilis abbas S. Germani Autissiodorensis salutem, & cum omni reverentia & honore obedientiam, tam debitam quam devotam. Cum nos hac instanti die Martis post octavas Pentecostes, ad vestram synodum non possimus personaliter interesse, diversis & inevitabilibus ecclesiæ nostræ negotiis impediti, paternitatem vestram rogamus, quatenus absentiam nostram habere dignemini excusatam. Datum anno 1263, die Lunæ ante dictum diem.

C V.

Bulla Clementis IV pro episcopo Autissiodorensi. Ex Sammarthanis.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Autissiodorensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. In eminenti sedis apostolicæ specula disponente Domino constituti, ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio, fratres & coepiscopos nostros honorare debemus attentius, & sincera caritate diligere, & loca eorum gubernationi commissa, B. Petri patrocinio communire, ut de suscepti prosecutione officii tanto possint sollicitiores existere, quanto amplius a mundanorum fluctuum tempestatibus securi fuerint & quieti. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus benigno concurrentes assensu, ad exemplar patrum & prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Eugenii, Adriani, Alexandri & Clementis Romanorum pontificum, Autissiodorensem ecclesiam, cui auctore Deo præsides, præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia juste & canonice possidet, aut in futurum largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, tibi tuisque successoribus firma & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam videlicet S. Laurentii de abbatia, ecclesiam S. Petri regularium, ecclesiam B. Mariæ extra muros, ecclesiam S. Amatoris, ecclesiam sancti Mariani. Sancimus etiam, ut sine alicujus personæ contradictione, liceat vobis in eisdem locis canonicum ordinem in melius reformare: abbatiam sanctimonialium S. Juliani in suburbio Autissiodorensi, abbatiam sanctimonialium de Crisennio, castellum Varziaci cum omni immunitate sua & ecclesiis ejusdem loci, videlicet S. Petri & S. Eugeniæ: castellum de Corada cum ecclesia S. Laurentii ibidem sita, castellum de Toziaco cum ecclesiis B. Mariæ & B. Petri, & his quæ ad dominum castelli infra & extra, & ad jus ecclesiarum pertinent, ecclesiam de Fontanis cum decimis suis, ecclesiam sancti Memmi de Madriaco: redditus decimarum de Saziaco & Toriaco, & de villis ejusdem parochiæ: castellum de Apponiaco cum terris & aquis, & ecclesia B. Petri ibi sita cum decimis ejusdem parochiæ, ecclesiam de Baserna cum decimarum redditibus, ecclesiam de S. Prisco cum decimis ejusdem parochiæ, ecclesias de Luiniaco, de Rengeio, de Venussia, de Montiniaco, de Mislelisidis & ecclesias de Valle, ecclesiam de Oratorio præter illam partem oblationum quam monachi de Boniaco ibidem accipiunt. Illud quod quondam Stephanus cantor de castro S. Aniani in ecclesia de Boiaco a vobis tenebat: ecclesiam S. Martini de Clamiciaco cum omnibus ad eam pertinentibus, in loco qui dicitur de Caritate, in ecclesiis, in clero & populo, quidquid ad jus pontificale noscitur pertinere, præter interdictum in congregatione monachorum, qui tamen excommunicatos vestros nulla ratione recipiant. Quod etiam quondam Petrus Cluniacensis abbas in præsentia prædicti prædecessoris nostri sanctæ recordationis Eugenii papæ, & fratrum suorum, præsentibus quoque suis fratribus recognovit de singulis domibus ejusdem parochiæ de Caritate, habitatores earum in festivitate Pentecostes, aut apud Varziacum singulos obolos, aut apud Caritatem singulos nummos ministerialibus vestris solvant, sicut antiquitus consuetum est, & de toto alio episcopatu vobis persolvuntur, præter castellum S. Salvatoris &

Digitized by Google

monasterium *Merlen.* In abbatia S. Germani benedictionem abbatis & obedientiam, & quidquid ad jus episcopale noscitur pertinere; in reditu consecrationis episcopi, susceptionem ejus in jam dicta abbatia cum processione conventus, & in ipsa die procurationem cum clericis & servientibus suis: cæteris vero diebus cum privata familia sua, usque ad diem quo in sedem episcopalem intronisandus fuerit, sicut prædecessores tui, & tu hactenus habuisti: de qua utique abbatia, cum inter bonæ memoriæ Hugonem prædecessorem tuum, & prædictum Petrum abbatem ac monachos Cluniacenses, in præsentia bonæ memoriæ prædecessoris nostri papæ Eugenii controversia tractaretur, rationibus hinc inde cum fratribus diligenter auditis & plenarie cognitis, talis est sententia promulgata, ut videlicet absque Cluniacensis abbatis consilio, qui ante ibi & receptionem & ordinis correctionem habuerat, abbas ibi nullatenus eligatur; electum vero approbandi & reprobandi canonice, & si dignus fuerit benedicendi, penes Autissiodorensem episcopum qui pro tempore fuerit, auctoritas maneat & facultas; qui gratiam benedictionis adeptus, obedientiam ei promittat. Depositio quoque ipsius, si depositione dignus extiterit, ordine judiciario facienda, & canonica tam abbatis quam monachorum correctio ad episcopum nihilominus pertinebit. Ab eodem præterea episcopo abbas & monachi ejusdem loci crisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum & ordinationes monachorum vel clericorum, qui ad sacros ordines promovendi fuerint, sortientur, donec idem episcopus gratiam apostolicæ sedis habuerit. Porro investituram ipsius abbatiæ de cætero per baculum prædictus antecessor noster ab abbate Cluniacensi abbati S. Germani fieri interdixit. Hujus nimirum vestigiis inhærentes, eandem sententiam confirmamus, & futuris temporibus ratam & inconcussam permanere sancimus. Præsenti quoque decreto statuimus, ut clericorum vestrorum bona, qui intestati decesserint, libere in vestra potestate & dispositione permaneant. Si quis vero de clericis ecclesiæ vestræ in aliam ecclesiam ad episcopatum assumptus fuerit, quæcumque beneficia de ipsa ecclesia habebat in libera vestra potestate consistant. Præterea quæ a prædecessoribus vestris illicite, sine assensu capituli ejusdem ecclesiæ, de possessionibus seu consuetudinibus hominum atque terrarum, laicis concessa sunt, in irritum auctoritate apostolica ducimus, & ad jus proprium Autissiodorensis ecclesiæ revocari præcipimus. Unde etiam in Cartaginensi concilio noscitur institutum: « irrita erit episcopi do-
» natio, vel alienatio de rebus ecclesiæ, nisi clericorum
» suorum conniventia confirmetur. Episcopus enim
» rebus ecclesiæ non tanquam propriis, sed tanquam commendatis uti debet. » Nulli quoque personæ, vel ecclesiæ, ea quæ de casamentis ejusdem ecclesiæ sunt, liceat sine vestro & ecclesiæ ipsius assensu acquirere vel obtinere. Porro immunitates & consuetudines quas Autissiodorenses episcopi, & homines habitantes Varziaci, & in aliis castris, ac villis eidem ecclesiæ pertinentibus, necnon in claustro beati protomartyris, & in claustris aliarum ecclesiarum suburbanarum hactenus habuistis, quiete vobis, & in posterum obtinendas auctoritate nostra firmamus. Denique res decedentium episcoporum ab aliquo inquietari vel usurpari sub pœna anathematis interdicimus; sed potius omnia substituendo episcopo integra & inconcussa servari sancimus. Nulli ergo omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & in prædictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua sane in posterum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore, ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen. Ego Clemens catholicæ ecclesiæ episcopus ss. Ego Ancherus tituli S. praxedis presbyter cardinalis ss. Ego Guillermus tituli S. Marci presbyter cardin. ss. Ego frater Ambaldus basilicæ XII apostol. presbyter cardinalis ss. Ego Odo Tusculanus episcopus ss. Ego Stephanus Prænestinus episc. ss. Ego frater Johannes Portuensis & S. Rufinæ episcopus ss. Ego Henricus Ostiensis & Veliternensis episcopus ss. Ego Richardus sancti Angeli diaconus cardinalis ss. Ego Gonfridus S. Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis ss. Ubertus S. Eustachii diaconus cardinalis ss. Datum Viterbii per manum Mag. Michaelis sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii, idibus Maii, indictione IX, Incarnationis Domini anno M. CCLXVI, pontificatus vero domini papæ Clementis IV anno II.

C V I.

Tria hominia præstita a Drocone de Melloto Guidoni episcopo Autissiodorensi. Sammarth.

EGO Droco de Melloto miles dominus S. Prisci 1269.
& castri Canini, notum facio universis, quod domus fortis de Belcha prope Autissiodorum, quæ fuit nobilis viri defuncti Guillelmi de Melloto, quondam domini S. Prisci avi mei, cessit in partem & portionem meam, & ad me devenit per legitimam partitionem & divisionem factam inter me & hæredes meos de hæreditariis bonis nostris. Item notum facio & publice recognosco, quod prædicta domus est & movet, ac esse & movere debet de ligio feodo episcopi Autissiodorensis, quicunque sit, nomine Autissiodorensis ecclesiæ, & quod prædictus carissimus avus meus receperat a tempore quo decessit, tenebat nomine Autissiodorensis ecclesiæ prædictam domum in feodum ligium a carissimo patruo meo & filio suo Guidone de Melloto, Dei gratia episcopo Autissiodorensi, & quod de ipsa fecit eidem episcopo filio suo nomine Autissiodorensis ecclesiæ ligium homagium manuale. Item publice recognosco, quod ego eandem domum recepi, & teneo ab eodem patruo meo episcopo Autissiodorensi, nomine Autissiodorensis ecclesiæ, in feodum ligium, & de ea feci sibi, nomine Autissiodorensis ecclesiæ homagium manuale, & quod ego sum, & esse debeo homo dicti episcopi de dicta domo, & hæredes mei qui dictam domum tenebunt post me, similiter esse debent homines dicti episcopi de dicta domo, nomine Autissiodorensis ecclesiæ & successorum suorum episcoporum Autissiodorensium qui pro tempore erunt, & dictam domum ab eis recipere & tenere debent nomine dictæ ecclesiæ, & de ea eis facere ligium homagium manuale. Datum anno Domini M. CCLXIX, mense Aprili.

C V I I.

EGO Droco de Melloto miles, dominus S. Prisci 1269.
& castri Canini, notum facio universis, quod ego sum homo ligius, & hæredes mei similiter esse debebunt homines ligii reverendi patris & carissimi patrui mei Guidonis de Melloto Dei gratia Autissiodorensis episcopi, nomine Autissiodorensis ecclesiæ, & successorum suorum episcop. Autissiodorensium

qui pro tempore erunt, de 200 libratis terræ, ad Parif. reddituálibus datis, affeffis & affignatis mihi ab eodem patruo meo, quæ ratione fucceffionis hæreditariæ devenerunt, & quod eas recepi in feodum ligium ab eodem, & quod de ipfis feci eidem patruo meo nomine dictæ ecclefiæ homagium manuale, &c. Item notum facio & publice recognofco, quod ego & hæredes mei effe debebimus homines ligii prædicti epifcopi, nomine dictæ ecclefiæ, & fucceflorum fuorum epifcoporum Autiffiodorenfium, de toto eo quod ad nos devenerit ultra prædictas ducentas libratas terræ, ex refiduo totius hæreditatis paternæ, quæ ad ipfum epifcopum in prædicta terra de Belcha ratione hæreditariæ fucceffionis devenit, & de hoc fimiliter facere tenebimur homagium ligium epifcopis Autiffiodorenfibus qui pro tempore erunt. In cujus rei teftimonium & munimèn, præfentes litteras dicto domino epifcopo tradidi figilli noftri munimine roboratas. Datum anno Domini M. CCLXIX, menfe Aprili.

C V I I I.

1269. EGO Droco de Melloto miles, dominus S. Prifci & caftri Canini, notum facio univerfis, quod ego volo, confentio & concedo, quod fi domum fortem de Belcha prope Autiffiodorum, quam recepi, & teneo in ligium feodum a reverendo patre & cariffimo patruo meo Guidone de Melloto Dei gratia Autiffiodorenfi epifcopo, nomine Autiffiodorenfis ecclefiæ, & 200 libratas terræ ad Parifien. reddituales, quas idem cariffimus patruus meus epifcopus Autiffiodorenfis mihi dedit & affignavit in ligium feodum, & perpetuum hæreditagium fuper bonis illis patrimonialibus, quæ in dicta terra de Belcha, ex parte patris fui ratione fucceffionis devenerint ad ipfum, ac illud totum quod ad me, vel hæredes meos de prædictis bonis patrimonialibus ultra dictas 200 libratas terræ devenerit, feu aliquid de prædictis inter plures cohæredes dividi, aut partiri contingeret in futurum, quotquot fuerint hæredes, tot homagia finguli fingulariter pro rata fua in forma confimili epifcopis Autiffiodorenfibus, qui pro tempore fuerint, facere teneantur. In cujus rei teftimonium & munimen, præfentes litteras dicto domino epifcopo tradidi figilli noftri munimine roboratas. Datum anno Domini M. CCLXIX; menfe Aprili.

C I X.

Sammarth. *Controverfia orta inter epifcopum Autiffiodorenfem & monachos Caritatis fopitur mediantibus Petro archiepifcopo Senonenfi & abbate Cluniacenfi.*

1271. PETRUS miferatione divina Senonenfis archiepifcopus, & frater Yvo eadem miferatione Cluniacenfis ecclefiæ minifter humilis, univerfis præfentes litteras infpecturis falutem in Domino. Noveritis, quod cum fuper diverfis articulis inter venerabilem fratrem & patrem E. Dei gratia Autiffiodorenfem epifcopum nomine ecclefiæ fuæ Autiffiodorenfis ex parte una, & religiofum virum M. priorem de Caritate, ordinis Cluniacenfis, nomine monafterii fui ex altera, materia quæftionis & diffenfionis fuborta fuiffet, lataque fententia interdicti de mandato & auctoritate prædicti epifcopi, in villam & ecclefias de Caritate, occafione cujufdam mulierculæ fufpectæ de hærefi, quæ a præpofito de Caritate temporalem jurifdictionem exercente, loco prioris prædicti in villa de Caritate, pro fufpicione hærefis capta fuerat & detenta: tandem in nos fuper prædictis omnibus articulis fub certa forma, a dictis partibus extitit compromiffum, prout in litteris, figillis dictorum epifcopi, & prioris figillatis, plenius continetur. Nos autem die Jovis poft feftum Nativitatis Domini apud S. Salvatorem in Puifeya, partibus in noftra præfentia A conftitutis, tractatibus aliquibus habitis cum eifdem, pro bono pacis arbitrando pronunciamus, quod unus ex monachis de Caritate pro omnibus, qui ut interdictum ferrent in villa de Caritate, & in violatione ejufdem interdicti culpabiles extiterunt, humiliter & devote flexis genibus, veniam fratri & patri domino E. Dei gratia Autiffiodorenfi epifcopo fupplicabit, ut interdictum latum in prædicta villa relaxet, & eidem epifcopo tam pro interdicto, quam pro violatione in noftra præfentia emendabit, & epifcopus teneatur fententiam per fuas patentes litteras relaxare: item quod de quolibet cimiterio ecclefiarum parochialium de Caritate exhumabuntur viginti corpora extra cimiterium exiftenda, quo ufque una miffa de defunctis pro ipfis fuerit celebrata, quæ incontinenti B poft exhumationem incipietur, & quod hæredes vel fucceffores hujufmodi defunctorum teneantur rectoribus ecclefiarum parochialium exfolvere, quod in talibus fidelium devotione in parochiis illis extitit introductum; & quod fi qui ultra viginti in quolibet cimiterio durante interdicto fepulti fuerint, nifi hæredes vel fucceffores fatisfecerint, rectoribus antedictis fecundum piam confuetudinem fupradictam, ficut & viginti debeant exhumari, & quod prior compellat homines fuos ad fatisfaciendum rectoribus antedictis. Si vero monachi aliquid receperunt a peregrinis & tranfeuntibus, quod habuiffent rectores, vel habere debuiffent, fi per eos, vel capellanos fuos traditi fuiffent ecclefiafticæ fepulturæ, illud prior de Caritate reftitui faciet rectoribus antedictis; fi autem C aliqui nominatim excommunicati in cimiteriis infra fepta, five claufuram prioratus de Caritate exiftentibus, fepulti fuerint, extrahentur ex eifdem, & ecclefiaftica fepultura carebunt, nifi in ipfis viventibus figna pœnitentiæ apparuerint, & tunc abfolutione ipforum a judicibus competentibus impetrata, tradentur ecclefiafticæ fepulturæ. Quia vero monachi dicunt, quod habent privilegia a fede apoftolica, quod durantibus interdictis poffunt admittere in fuis cimiteriis ad jus ecclefiafticæ fepulturæ omnes illos qui non funt nominatim excommunicati, vel interdicti, vel qui caufam, vel occafionem interdicto ferendo nullatenus præftiterant, parte epifcopi contrarium afferente, & maxime in hoc cafu cum aliis quibufdam articulis hinc inde exhibitis coram nobis, D quia caufæ cognitionem longiorem defiderant, de voluntate partium fecundum tenorem peregrinationis factæ noftræ, arbitrali fine refervamus. Si vero aliquid, vel aliquod præmifforum partes dubium reputaverint, vel dixerint, declarationem noftro arbitrio fimiliter refervamus. Sane pro certo tenentes priorem & conventum de Caritate nullum privilegium habere, vel habere poffe in eis, vel contra ea quæ funt contra hæreticos a facris canonibus inftituta; per ea tamen quæ arbitrando protulimus, privilegiis quæ alias habent, feu in aliis cafibus, non intendimus, nec volumus in aliquo derogari. In cujus rei teftimonium præfentes litteras figillis noftris fecimus figillari. Datum die & loco prædictis anno Domini M. CCLXXI.

C X.

E *Yolandis comitiffa Nivernenfis recognofcit coram Hugone duce Burgundiæ fe teneri ad portandum epifcopum Autiffiodor. in die intronifationis fuæ.* Sammarth.

NOS Hugo dux Burgundiæ, omnibus præfentes litteras infpecturis falutem in Domino. Noverint univerfi; quod cum controverfia verteretur inter venerabilem patrem E. Dei gratia Autiffiodorenfem epifc. ex una parte, & nobilem mulierem Yolandim comitiffam Nivernenfem cariffimam filiam defuncti Odonis primogeniti noftri ex altera, eo quod ad diem intronifationis fuæ citata, ipfum ad cathedralem ecclefiam cum aliis non portaverat, nec fufficienter 1261.

Digitized by Google

miserat, prædicto episcopo asserente quod ad ipsum portandum & successores suos die intronisationis suæ dicta comitissa tenebatur ratione feodi de Donziaco, & ratione feodi Autissiodorensis: ipsa comitissa concedente, quod ratione feodi de Donziaco ad hoc tenebatur, nisi posset probare quod dicta portatio ratione feodi de Giemo dicto episcopo deberetur, non autem ratione feodi Autissiodorensis: quia tamen in præsentia nostra dictæ comitissæ constitit per litteram bonæ memoriæ Petri quondam comitis Autissiodorensis, dictum episcopum & antecessores suos esse in possessione memoratæ portationis ratione feodi Autissiodorensis, dicta comitissa recognovit publice coram nobis, quod ipsa & successores sui tenentur portare prædictum episcopum Autissiodorensem & successores suos, cum idem episcopus & prædecessores sui sint & fuerint in possessione memoratæ portationis, tam ab ipsa quam ab hæredibus suis Autissiodorensi episcopo faciendæ, non solum ratione feodi Donziaci, ut prædictum est, sed etiam ratione feodi Autissiodorensis quod ab ipso tenet. In cujus rei testimonium, nos Hugo dux Burgundiæ ad requisitionem dictæ comitissæ neptis nostræ, præsentibus litteris sigillum nostrum apposuimus in testimonium veritatis. Actum & datum apud Autissiodorum anno Domini M. CCLXXI, die Martis post Brandones.

CXI.

Erardi episcopi Autissiodorensis carta de his quæ contulit ecclesiæ suæ.

1272. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Erardus miseratione divina Autissiodorensis episcopus, salutem in Domino. Notum facimus quod cum nos recepimus a venerabilibus viris decano & capitulo ecclesiæ Autissiodorensis duas domos ipsorum confines & contiguas sitas in claustro Autissiodorensi desuper portam pendentem; quarum unam defunctus Theobaldus de Compenso, & alteram Johannes *de Magdelon* quondam canonici Autissiodorenses tenere solebant, & nobis & successoribus nostris episcopis Autissiodori possidendas perpetuo & tenendas pro annua pensione viginti librarum Turonensium, vel æquivalentis monetæ currentis Autissiodori, nos dictas XX libras fieri reddituales prædictis decano & capitulo, consensu ipsorum super hoc accedente, assidemus & assignavimus percipiendas ab ipsis perpetuo annis singulis super proventibus sigilli curiæ nostræ Autissiodorensis, & explementis ipsius curiæ, duobus terminis, videlicet medietatem in festo beatæ sacratissimæ Virginis, & aliam medietatem in festo apostolorum Philippi & Jacobi. Item dedimus eisdem decano & capitulo XL solidos prædictæ monetæ annui reditus distribuendos personis & canonicis qui præsentes fuerint, prout moris est, primis duabus missis, quæ die festo Nativitatis Domini celebrantur, videlicet in qualibet missa XX solidos. Item dedimus ipsis decano & capitulo alios XX solidos reddituales distribuendos in missa die Cœnæ Domini in forma quæ superius est expressa. Item dedimus eisdem decano & capitulo in augmentum anniversarii bonæ memoriæ carissimi avunculi & prædecessoris nostri decem libras Turonenses, vel æquivalentis monetæ currentis Autissiodori annui reditus: ita quod clerici de choro ecclesiæ Autissiodorensis XL solidos de dicto augmento percipiant die dicti anniversarii inter se distribuendos. Item dedimus in augmento prædicti anniversarii de consensu prædictorum decani & capituli locis inferius nominatis reditum infra scriptum, videlicet abbatiæ S. Germani XL solidos Turonenses, abbatiæ S. Petri Autissiodorensis XX solidos Turonenses, abbatiæ S. Mariani Autissiodorensis XX solidos, fratribus Prædicatoribus XX solidos, fratribus B. Eusebii Autissiodorensis X solidos, fratribus B. Amatoris Autissiodorensis X solidos, & fratribus B. Mariæ extra muros Autissiodorenses X solidos persolvendos annuatim prædictis ecclesiis die anniversarii dicti avunculi nostri a decano & capitulo supradictis: ita videlicet quod conventus prædictarum abbatiarum & locorum ipsorum ad majorem ecclesiam Autissiodorensem processionaliter conveniant, & intersint obsequio in vigilia & die anniversarii supradicti. Et si quæ congregatio de dictis conventibus defuerit, portio sibi debita de augmento prædicto accrescet decano & capitulo memoratis. Item dedimus eisdem decano & capitulo LX solidos redituales pro anniversario carissimæ quondam sororis nostræ dominæ de Creciaco defunctæ. Quos omnes reditus cum prædictis XX libris debitis pro domibus Autissiodorensibus assignavimus & assidemus dictis decano & capitulo de eorum consensu & voluntate percipiendos & habendos annuatim super prædictis proventibus & explementis sigilli curiæ nostræ Autissiodorensis terminis supradictis. Et quia vacante sede Autissiodorensi jurisdictio curiæ episcopi ad duos archidiaconos qui in eadem ecclesia præsunt Autissiodorensi, videlicet ad quemlibet in archidiaconatu suo devolvitur, volumus & statuimus de consensu dictorum decani & capituli, quod si forte sedes ipsa tamdiu vacaret, quod de proventibus curiæ & sigilli prædicta pensio debita pro dictis domibus, scilicet XX libræ & alii reditus antedicti percipi vel haberi non possent, eadem pensio & reditus de reditibus & proventibus nostri telonei Autissiodorensis integre persolvantur, ipsamque pensionem XX librarum debitam pro domibus supradictis, & reditus omnes supradictos assidemus & assignamus dictis decano & capitulo de consensu ipsorum percipiendos & habendos in casu prædicto super omnibus proventibus & reditibus nostri telonei supradicti. Et quantum ad omnia prædicta tuenda & complenda, nos & successores nostros futuros Autissiodorenses episcopos de consensu dictorum decani & capituli obligamus. Datum anno Domini M. CCLXXII, mense Maio.

CXII.

Sententia Matthæi abbatis S. Dionysii & Henrici de Virziliaco super controversia orta inter episcopum & comitem Autissiodorenses. Sammarth.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, M. Dei gratia abbas S. Dionysii in Francia, & magister Henricus de Virziliaco thesaurarius Laudunensis, salutem in Domino. 1275. Notum facimus quod cum discordia esset inter reverendum patrem E. Dei gratia Autissiodorensem episcopum ex una parte, & illustrem virum Johannem comitem Autissiodorensem ex altera, super hoc quod dictus episcopus dicebat, quod dictus comes perforari fecerat Autissiodorensis muros villæ, prope clausum ecclesiæ B. Mariæ extra muros civitatis, & aperturam tantam fecerat in eisdem, quod patebat aditus intrandi & exeundi villam per aperturam prædictam, in præjudicium dicti episcopi & ecclesiæ Autissiodorensis, & contra prohibitionem dicti episcopi, seu mandati ipsius, dicto comite in contrarium asserente. Item super hoc quod dictus episcopus dicebat, quod dictus comes seu mandatum ipsius amoverat, seu fecerat amoveri per violentiam in præjudicium dicti episcopi & ecclesiæ Autissiodorensis, & contra prohibitionem dicti episcopi, vel ejus mandati quasdam portas versus Yonam subtus domum dicti episcopi pendentes, in muris claustrum suum circumcingentibus, claudentes & aperientes infra claustrum, cum dictus episcopus esset tempore amotionis, & adhuc sit nomine ecclesiæ suæ in possessione habendi in loco prædicto portas claudentes & aperientes. Item super hoc quod dictus comes injuste & in præjudicium prædicti episcopi & ecclesiæ Autissiodorensis

Digitized by Google

Autissiodorensis per vim suam amoverat, seu amoveri fecerat contra prohibitionem dicti episcopi, vel ejus mandati, barellum & serram cujusdam alterius portæ, quæ vocatur porta pendens, sitæ & pendentis in muris claustrum ipsius episcopi circumcingentibus, & clavem ipsius serræ asportari fecerat, cum dictus episcopus esset tempore amotionis, & adhuc sit nomine ecclesiæ suæ in possessione habendi in loco prædicto dictam portam claudentem, aperientem & firmantem, necnon in possessione claudendi, aperiendi & firmandi eamdem. Tandem pro bono pacis in curia domini regis inter partes, & ipsis partibus expresse consentientibus, super dictis discordiis taliter extitit ordinatum, videlicet quod prædictus comes aperturam prædictam quam fecit, seu fieri fecit in muris villæ prope dictum clausum, reobturari faciet, & ex toto reduci in pristinum statum, in quo erant antequam facta esset apertura prædicta; qui murus sic refectus absque ulla discussione in statu remanebit antiquo, sine præjudicio comitis in possessione, vel in proprietate murorum. De portis autem fuit taliter ordinatum, quod prædictus comes portas deversus Yonam quas fecerat amoveri, restituet & reponet, seu restitui & reponi faciet in loco suo in quo erant tempore amotionis prædictæ. In altera quoque porta quæ dicitur porta pendens barellum, serram & clavem quæ fecerat amoveri, reponi faciet & restitui in eadem, & reponi in statu in quo erant ante amotionem, ita quod & claudi, & aperiri & firmari poterunt. Quæ prædicta omnia fient, & restituentur per baillivum & præpositos dicti comitis in statum pristinum, sub forma prædicta infra instans festum B. Hilarii: super discordiis vero dictarum portarum, videlicet portarum deversus Yonam, & portæ pendentis, electi sunt duo videlicet venerabilis vir Guillelmus archidiaconus Autissiodorensis pro parte dicti episcopi, & Guido de Meso quondam baillivus Autissiodorensis pro parte dicti comitis, qui prædicta porta deversus Yonam, & barrello, & serra, & clave portæ pendentis in statu pristino sub forma prædicta primitus repositis, tenebunt præmissa in manu sua, & dictis portis sine amotione aliqua in statu pristino remanentibus, cognoscent & diligenter inquirent de dictis discordiis quantum ad dictas portas & dictas discordias infra finem instantis parlamenti quod erit post Pentecostem, si in unam possint concordare sententiam, pace vel judicio terminabunt; si vero discordes fuerint, debent infra finem dicti parlamenti tradere nobis abbati prædicto tertio arbitro, seu arbitratori a partibus electo, illud in quo essent discordes sufficienter instructum. Et nos dictus abbas solus, vel cum altero prædictorum duorum, dictas discordias pace vel judicio, alte & basse infra dictum finem parlamenti terminabimus, si commode facere potuerimus; alioquin infra finem immediate subsequentis parlamenti, quod erit in festo B. Martini hyemalis: promiserunt autem dictæ partes stare arbitrio, seu ordinationi dictorum arbitrorum si concordare possint, vel dicto, seu ordinationi nostri abbatis prædicti, sub forma superius annotata. Dictus autem episcopus ad preces nostras super hoc quod citaverat dictum comitem coram se super refectione quorumdam castrorum moventium de feodo dicti episcopi, & repositione eorum in bono statu supersedebit ad præsens: & voluit dictus episcopus ad preces nostras, quod præpositi Autissiodorenses excommunicati, auctoritate officialis sui pro fractura claustri ipsius episcopi, si petant absolvi, in forma ecclesiæ absolvantur, & emendam si voluerit levare, levabit de consilio nostri abbatis prædicti. Nos autem prædictus episcopus & comes prædictus, & nos Aalidis comitissa Autissiodorensis, prædicta omnia volumus & concedimus, & in prædictis expresse consentimus, & sigilla nostra una cum sigillis venerabilis patris abbatis prædicti, & venerabilis viri magistri Henrici de Virziliaco prædicti, præsentibus litteris apposuimus in testimonium præmissorum. Actum Parisiis anno Domini M. CCLXXV, die Sabbati post festum B. Nicolai hiemalis.

CXIII.

Hugo de Ulmo hominium præstare tenetur episcopo Autissiodorensi. Sammarth.

EGO Siguinus de Tornella castri Canini dominus, & ego Hugo dominus Glennæ, notum volumus fieri tam præsentibus quam futuris, quod cum diu controversia extitisset inter dominum Erardum Autissiodorensem episcopum, & Hugonem de Ulmo, super homagio episcopo Autissiodorensi a domino Ulmi præstando; tandem mediante concordia inter eos statutum est & concessum, quod dominus Ulmi ligium debet præstare hominium episcopo Autissiodorensi, salva fidelitate quam comiti debet Nivernensi, & quod singulis annis reddere tenetur ecclesiæ beati Stephani cereum 50 librarum ceræ, mortuo Hugone de Ulmo: facta est hæc eadem conventio inter dominum episcopum & sororem nostram præfati H. relictam, concedente filio suo Hugone, quod quam cito terram suam in manu sua teneret, ligium præstaret hominium Autissiodorensi episcopo, salva fidelitate comitis Nivernensis, & quod singulis annis cereum reddet sicut statutum est. Nos vero pro bono pacis concessimus, quod si idem Hugo ab conventione ista resilire præsumeret, nullum ei super hoc præstaremus auxilium, sed conventionem ita fuisse factam testificaremus. Ad majorem autem hujus rei notitiam præsenti cartæ sigilla nostra apposuimus. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M. CCLXXV. 1275.

CXIV.

Erardus plures immunitates concedit capitulo Autissiodorensi. Sammarth.

OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, Erardus miseratione divina Autissiodorensis episcopus, salutem in Domino. Noveritis quod nos dilectis in Christo filiis decano & capitulo Autissiodorensis ecclesiæ, eorumque successoribus canonicis ejusdem ecclesiæ, illam totalem & omnimodam jurisdictionem, & justitiam temporalem quam habemus, seu habere possumus & debemus ratione quacunque, & quam nos & prædecessores nostri Autissiod. episcopi hactenus exercuimus aut exercere potuimus, & debuimus quocumque modo, & in quocunque casu in omnibus domibus, & earum porprisiis, quas dicti decanus & capitulum haberent impræsentiarum & possident, & acquisierunt hactenus, & imposterum habebunt, possidebunt, & acquirent vacantes, vel inhabitatas, sitas infra claustrum nostrum Autissiodorense, & quas suas, vel gratis, aut conductas inhabitant, vel inhabitabunt ibidem, necnon in familia canonicorum ipsius ecclesiæ, ac etiam in personis, & in familiis aliorum domos ipsas, nunc & imposterum inhabitantium, seu tenentium a decano & capitulo supradictis, exceptis murtro, homicidio, raptu & furto, & excepta confiscatione bonorum, ubi propter delictum alicujus ejus bona confiscari debebunt, excepta etiam tota magna justitia, quocunque genere censeatur, ex mera gratia concedimus ad perpetuitatem, remittimus pariter & quittamus, volentes & concedentes quod quilibet de canonicis ipsius ecclesiæ qui modo sunt & erunt ex nunc imperpetuum, habeat, possideat, exerceat, & exequatur libere per se, vel per alium, prout sibi expedire viderit in domibus suis, & earum porprisiis prædictis, & in tota familia sua, necnon in quolibet extraneo in eisdem domibus & porprisiis delinquentes, illam totalem & omnimodam jurisdictionem & justitiam, quam prædiximus, 1276.

præter illa quæ superius sunt excepta, & omne commodum seu emolumentum quod ex iis proveniet, seu provenire poterit in casibus in quibus eis concedimus, sicut prædictum est, jurisdictionem & justitiam supradictas. Nosque de toto jure prædictæ jurisdictionis & justitiæ devestientes, venerabilem virum Hugonem decanum Autissiodorensem, suo & prædicti capituli nomine, per nostri traditionem investivimus, de eodem animo transferendi in ipsos plenum dominium, & veram possessionem totius juris nostri prædicti, ipsosque & eorum successores constituimus ex nunc ratione juris prædicti veros dominos & legitimos possessores. Concedimus insuper prædictis decano & capitulo, quod tota dispositio bonorum canonicorum ipsius capituli ab intestato decedentium ad ipsos decanum & capitulum jure pertineat; istud nobis specialiter retinentes, quod si de bonis alicujus taliter decedentis, eos minus sufficienter disposuisse credamus, ipsi decanus & capitulum, de omnibus bonis prædictis fidelem nobis vel nostris successoribus teneantur reddere rationem. Cæterum ad perpetuam hujus nostræ concessionis & muneris firmitatem, & sine interruptionis obstaculo valituram, volumus & concedimus, quod si forte processu temporis per nostram aut nostrorum improbitatem, seu per negligentiam dictorum decani & capituli, vel canonicorum, a nobis vel nostris, aliquid in contrarium semel, aut pluries intercipi seu attentari contingeret, circa justitiam & jurisdictionem prædictas, nullum proprietatis, saisinæ, usus, vel possessionis commodum nobis, aut successoribus nostris per hoc de uno acquiratur, quin potius nobis & successoribus nostris, ex tali usu, seu possessione secuta præscriptio, contra dictos decanum & capitulum & canonicos non prodesset, nec ipsos per hoc circa proprietatem & possessionem jurisdictionis, & justitiæ prædictarum, præjudicium posset aliquod generari. Rogamus insuper, & requirimus reverendum in Christo patrem dominum Dei gratia Senonensem archiepiscopum, qui pro tempore erit, ut ad solam exhibitionem præsentium litterarum, & requisitionem dictorum Decani & Capituli, huic nostræ donationi & concessioni benignum impertiatur assensum, & eas prout supraścriptæ sunt, litterarum suarum patrocinio harum seriem continentium communiat & confirmet. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum duximus apponendum. Actum & datum anno Domini MCCLXXVI, mense Septembri.

C X V.

Sammarth. *Johannes de Cabilone hominium præstat episcopo Autissiodorensi pro comitatu Autissiodorensi.*

1280. OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, Nos Johannes abbas S. Satyri Bituricensis diœcesis, ordinis S. Augustini, Johannes abbas S. Petri Autissiod. ejusdem ordinis, Johannes abbas S. Mariani Autissiodorensis ordinis Præmonstratensis, Stephanus abbas Reigniaci ordinis Cisterciensis, frater Guillermus de Guerchi prior Fratrum Prædicatorum, frater Johannes de S. Gervasio gardianus Fratrum minorum, salutem in Domino. Notum facimus universis præsen-

* 1280. tibus & futuris, quod anno Domini MCCXXC *, die Jovis post festum B. Gregorii papæ, nobis præsentibus in aula superiori reverendi patris Guillelmi Dei gratia Autissiodorensis episcopi, apud Autissiodorum, vidimus & audivimus quod nobilis vir Johannes dictus de Cabilone comes Autissiodorensis, fecit memorato episcopo homagium ligium de comitatu Autissiodorensi, & de omnibus pertinentibus ad dictum comitatum, sub modis & forma quibus fecit dictum homagium bonæ memoriæ domino Erardo prædecessori episcopi antedicti. Quo facto dictus dominus episcopus de dicto feodo investivit eundem. Deinde

A prædictus comes secundo fecit homagium præfato episcopo de castro de Colengiis super Yonam, & omnibus pertinentiis ejus; quo facto, præfatus episcopus eum de dicto feodo investivit. Quibus sic peractis, præfatus comes juramentum præstitit ad sancta Dei evangelia memorato episcopo, quod corpus ipsius episcopi, ut pote domini sui custodiet, & jura Autissiodorensis ecclesiæ pro viribus tuebitur. Hæc autem omnia facta fuerunt nobis videntibus & audientibus, præsentibus nobilibus viris Hugone domino de S. Verano, Guillelmo de S. Fidolo, Guillelmo de S. Ferreolo, Stephano de Novovico, Ymbaudo de Congiaco, Milone de Autissiodoro militibus, præsentibus etiam venerabilibus viris Guillelmo archidiacono Autissiodorensi, Stephano succentore B ejusdem ecclesiæ, magistris Guillelmo de Noa, Jacobo de S. Germano, Hugone de Armenio, Hugone de S. Jagulfo, Vincentio de Meva, Ansello de Mailliaco canonicis Autissiodorensibus & pluribus aliis religiosis, secularibus & clericis ad hæc specialiter vocatis. In cujus rei testimonium, &c. Datum anno & die superius nominatis.

C X V I.

Robertus de Flandria comes Nivernensis homagium ligium eidem præstat. Sammarth.

OMNIBUS præsentes litteras inspecturis, Johannes abbas S. Mariani ordinis Præmonstratensis, 1281.
C Johannes abbas S. Petri ordinis S. Augustini, G. archidiaconus Autissiodorensis, M. archidiaconus in ecclesia Autissiodorensi, prior S. Eusebii, Gaufridus prior de Testis, civitatis & diœcesis Autissiodorensis, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus universis præsentibus & futuris, quod anno Domini MCCXXCI, die Mercurii post Pentecostem, nos omnes existentes in aula superiori reverendi patris miseratione divina Autissiodorensis episcopi, vidimus & audivimus quod nobilis vir Robertus de Flandria comes Nivernensis fecit homagium ligium dicto domino Autissiodorensi episcopo, de feodo quod tenebat ab eodem episcopo, videlicet de terra, & omni baronia, & castellania de Donziaco, de Conada, de S. Salvatore, & de Murato, de dicto feodo & pertinentiis D eorumdem; quo facto, præfatus episcopus investivit eumdem comitem de dicto feodo. Hæc autem omnia facta fuerunt nobis omnibus, atque Stephano succentore ecclesiæ Autissiodorensis, mag. Hugone de Hermeto, Petro de Apoigni, Guillelmo de Noa præsentibus, &c.

C X V I I.

Haymundus comes Campaniæ idem hominium exhibet episcopo Autissiodorensi. Sammarth.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Felisius humilis abbas de Cella Trecensi, Guillelmus 1281.
archidiaconus, Thomas officialis, magister Anselmus E archipresbyter Autissiodorensis, magister Petrus de Appoigniaco archipresbyter de Varziaco, magistri H. de Hermanto, Andreas de S. Germano canonici Autissiodorenses, salutem in Domino. Notum facimus quod nobilis vir Haymundus comes Campaniæ, nobis præsentibus die Lunæ post festum omnium Sanctorum, fecit homagium apud pontem de Naiseles reverendo patri ac domino Guillelmo Dei gratia Autissiodorensi episcopo per hæc verba: Domine, ego facio vobis homagium de his omnibus de quibus prædecessores mei alias fecerunt homagium prædecessoribus vestris episcopis Autissiodor. qui pro tempore præfuerunt ecclesiæ memoratæ, & eodem modo quo fecerunt, de quibus certificabo vos in brevi; & in quorum memoriam & testimonium præsentibus

litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum die & loco prædictis anno Domini MCCXXCI.

CXVIII.

Electam Crisenonis abbatissam confirmat episcopus Autissiodorensis.

1287. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Guillelmus miseratione divina Autissiodorensis episcopus, æternam in Domino salutem. Noveritis quod anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo septimo, die Mercurii post Ascensionem Domini, accedentes ad nos magister Gaufridus curatus ecclesiæ de Acolajo, Jacobus de Bracagenoillia presbyteri, & soror comitissa celleraria monasterii de Crisenone ordinis S. Benedicti, nostræ diœcesis, procuratores constituti religiosis mulieribus priorissa & conventu dicti monasterii, ad insinuandum nobis formam & processum electionis celebratæ in dicto monasterio die sabbathi post Ascensionem Domini, de religiosa muliere Margareta *de Drees* moniali dicti monasterii, & ad præsentandum nobis ipsam electionem, necnon ad petendum ipsius electionis confirmationem, & etiam ad petendum a nobis quod nos loco & tempore munus benedictionis impenderemus electæ supradictæ, prout in procuratorio super hoc confecto plenius vidimus contineri. Nobis formam, processum & decretum ipsius electionis præsentaverunt nobis humiliter supplicantes, ut electionem prædictam factam de dicta Margareta confirmare paterna sollicitudine curaremus; nos vero dictis processu & decreto prædictæ electionis diligenter inspectis & examinatis, factaque a nobis inquisitione summaria de prædictis, & de sufficientia personæ dictæ electæ per testes legitimos, qui de prædictis, de ætate & meritis ipsius electæ cognitionem plenariam habuerunt, electionem ipsam invenimus canonice celebratam, ipsamque electam invenimus esse ætatis legitimæ, in spiritualibus providam & in temporalibus circumspectam, scientem & valentem bona & jura dicti monasterii regere & tueri. Propter quod nos, deliberatione præhabita super hoc diligenti, habitoque super hoc diligenti tractatu & consilio cum peritis, personam præfatæ electæ approbantes, electionem de se factam auctoritate ordinaria confirmamus. In cujus rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum apud Varziacum die Mercurii & anno supradictis.

CXIX.

Ex Sammart. *Translatio Petri* de Mornay *ab Aurelianensi ad Autissiodorensem ecclesiam.*

1296. BONIFACIUS servus servorum Dei, Philippo regi Franciæ illustri. Dudum ecclesia Autissiodorensis per obitum Guillelmi episcopi Autissiodorensis pastoris solatio destituta, dilecti filii decanus & capitulum ipsius ecclesiæ duas electiones in discordia celebrarunt, unam videlicet de Ferrico de Lotharingia præposito de Sancto Deodato Tullensis diœcesis, & aliam de magistro Petro de Gressibus canonico dictæ ecclesiæ Autissiodorensis. Appellatione facta, Petrus Moronus Cœlestinus papa V, antecessor noster, Petrum S. Eustachii diaconum cardinalem concessit eis in causa hujuscemodi suscipiendi auditorem; iidem electi in nostra præsentia constituti renunciaverunt sponte, libere omni juri, si quod eorum alterutri de prædictis electionibus competebat, nosque hujusmodi eorum resignatione recepta, provisionem ipsius ecclesiæ...... dictum Petrum episcopum Autissiodorensem a vinculo quo tenebatur Aurelianensi ecclesiæ, cui præerat, absolventes, ad eamdem Autissiodorensem ecclesiam trans-

A tulimus. Datum Romæ apud S. Petrum, II non. Februar. pontificatus nostri anno 2.

CXX.

Libellus supplex a comite Joigniaci abbatissæ S. Juliani oblatus.

A Tous ceus qui ces presentes lettres verront, Nous Jehans Cuens de Joigni, salut. Comme nous aions à present mestier de marrien à maisonner, & à nostre requestre il plaise à religieuse Dame Ysabel la Voiere, abbeesse dou Moustier de Saint Julian d'Aucerre, que nous aiens la tondente de VII arpens de bois à penre en la forest dou val de lis de lee la veute; sachent tuit B *que nous voulons & otroions que ceste chose ne face nul préjudice à ladite abesse, ne à l'église, ne à nos, ne à noz hers, ne aus lettres que elles ont de nous & de nos devanciers, ne à celles que nos avons d'eus. Ou tesmoing de laquelle chose nous avons fait seeller ces presentes lettres de nostre seel. Données l'an de grace mil trois cens & VII, ou mois de Décembre.* 1307.

CXXI.

Bulla Eugenii III, qua monasterium S. Germani in protectionem suscipit, omniaque illius privilegia, ecclesias & bona confirmat. [a] Ex chartis domesticis.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Arduino abbati monasterii S. Ger- 1152.
C mani quod secus civitatem Autissiodorensem situm est, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quoniam sine veræ cultu religionis nec caritatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium, expedit apostolicæ auctoritati religiosas personas diligere & religiosa loca sedis apostolicæ munimine confortare; ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum,
D largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci; firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. In episcopatu Autissiodorensi ecclesiam S. Lupi, ecclesiam Digiæ, ecclesiam de Escam, ecclesiam de Patriniaco, ecclesiam de Bladiniaco, ecclesiam de Baina, ecclesiam de Vennoto, ecclesiam de Pratis, ecclesiam de Irenciaco, ecclesiam de Airiaco, ecclesiam de Siliniaco, ecclesiam de Rouredo, ecclesiam de Castro S. Ferreoli, quinque solidos in ecclesia quæ dicitur ad Sanctos; monasterium Meleredense cum adjacentibus ecclesiis, videlicet ecclesia S. Petri de ipso burgo, ecclesia S. Columbæ, ecclesia S. Boniti, ecclesia S. Amandi,
E & ecclesia de Annayo; monasterium S. Salvatoris cum adjacente ecclesia S. Johannis Baptistæ; monasterium de Saxiaco, cum adjacentibus ecclesiis S. Christofori & S. Machuti; quindecim solidos in ecclesia de Asneriis; monasterium S. Verani cum ipsa ecclesia: in parochia Senonensi monasterium S. Florentini cum pertinentiis suis, monasterium Airaldi cum pertinentiis suis, ecclesiam de Agriaco; quidquid habetis in ecclesia de Corbeliis, ecclesiam de Seneasio, ecclesiam de Ulmado, ecclesiam de Alta-ripa, ecclesiam de Monte S. Sulpicii, ecclesiam

[a] Præsens instrumentum quod suo loco & ordine dare omisimus, nempe columna 123 ad quam pertinebat, hic restituendum duximus potius quam in Appendicem rejiciendum.

Digitized by Google

de Bodoliaco: in episcopatu Trecensi, ecclesiam de Britiniaco: in episcopatu Lingonensi monasterium S. Leodegarii cum adjacentibus ecclesiis, videlicet ecclesia S. Mariæ in eodem burgo, ecclesia de Monasteriolo, & ecclesia de Mainiaco; monasterium S. Valentini cum ecclesiis de Niceto, videlicet de Lamnia & de Pontiaco, ecclesiam de Lineroleia, ecclesiam de Quadrisiaco, ecclesiam de Mollaio, ecclesiam de Annaio: in episcopatu Æduensi ecclesiam de Luciaco, ecclesiam de Vultiniaco: in episcopatu Nivernensi monasterium S. Petri de Disesia cum ecclesiis S. Mariæ, S. Martini, S. Mauritii, & S. Leodegarii; quidquid habetis in ecclesia de Toriaco; monasterium de Massiliis cum ecclesiis de Viridi-prato, de Montolvan, de Vendenessa, & de S. Jacobo; monasterium de Castellione cum ecclesiis ejusdem castri, videlicet S. Johannis Baptistæ, S. Ceciliæ, S. Mariæ; ecclesiam de Alvia, de Fraxineto & de Chainniaco, ecclesiam S. Mariæ de Capella de Catis; constituimus quoque ut in parochialibus ecclesiis quas tenetis presbyteros eligatis & diœcesano episcopo præsentetis; quibus, si idonei fuerint, episcopus animarum curam committat, ut hujusmodi sacerdotes de plebis quidem cura episcopo respondeant; vobis vero pro rebus temporalibus ad vestrum monasterium pertinentibus dignam subjectionem exhibeant: decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium tenere, perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & diœcesanorum episcoporum canonica justitia; si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Datum Signiæ quinto idus Februarii, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quinquagesimo primo, pontificatus vero domni Eugenii tertii papæ anno septimo.

CXXII.

Consecratio ecclesiæ Bassæ villæ.

1331. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, frater Petrus ordinis Prædicatorum, permissione divina & apostolicæ sedis gratia Patriarcha Ierosolymitanus, salutem in eo qui pro nostra omniumque salute misericorditer elegit Ierosolymis crucifigi. Noveritis quod nos ecclesiam prioratus vallis S. Johannis de Bassa-villa, ordinis Carthusiensis, Autissiodorensis diœcesis, & ejus altare principale, in honore & memoria beatissimæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ & beati Johannis Baptistæ, consecravimus ac etiam dedicavimus anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo primo, die secunda mensis Aprilis, de licentia reverendi patris domini Aymerici Dei & apostolicæ sedis gratia electi confirmati Autissiodorensis; cujus accedente consensu, concessimus in die ipsius dedicationis. . . . . . & in die anniversaria ipsius dedicationis annis singulis in perpetuum quadraginta dies de indulgentia omnibus ad dictam ecclesiam confluentibus, vere pœnitentibus & confessis; die vero præcedente, scilicet prima die Aprilis, de licentia ejusdem patris electi confirmati Autissiodorensis, benediximus cimiterium ecclesiæ supradictæ. In quorum testimonium, sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum anno, die & loco prædictis.

CXXIII.

Charta Aymerici episcopi Autissiodorensis, pro conventu Carthusiensium de Bassa-villa.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Aymericus miseratione divina episcopus Autissiodor. salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos ad prioratum monasterii vallis S. Johannis de Bassa-villa, Carthusiensis ordinis, nostræ Autissiodorensis diœcesis, die prima mensis Septembris anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo quinto, causa peregrinationis & devotionis, quam ad dictum monasterium & personas ejusdem habemus, personaliter accessisse; ibique per totam diem moram traxisse ac etiam pernoctasse, non causa visitationis, seu procurationis, sed solummodo causa peregrinationis & devotionis prædictæ: tenore præsentium decernentes ac etiam declarantes dicto monasterio seu personis nullum per hoc seu propter hoc in futurum generari præjudicium, nec nobis, nec successoribus nostris fuisse jus aliquod acquisitum. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum in dicto prioratu die & anno prædictis. 1335.

CXXIV.

De fundatione Anniversarii Johannis & Stephani Arthuis.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Johannes humilis abbas S. Laurentii de abbatia, ordinis S. Augustini, Autissiodorensis diœcesis, totusque dicti loci conventus, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod cum gentes illustrissimi principis domini regis Francorum ad nos & prædictum nostrum monasterium accessissent pro petendo a nobis subsidio eidem domino regi a nobis impendendo causa suæ guerræ præsentis, quam ipse dominus rex contra regem Angliæ dicitur se habere, nosque ipsis gentibus regalibus nomine dicti regis, & pro subsidio dictæ guerræ nostro, monasterii nostri, & conventus nomine concessimus subsidium secundum ecclesiæ nostræ facultatem, & plusquam etiam non competerent dictæ nostræ ecclesiæ facultates; non habentes unde dicto domino regi possemus in pecunia subvenire, dictis gentibus regalibus, causa dicti subsidii, decem & octo cyphos argenteos conventus nostri prædicti concessimus capiendos. Quos cum gentes ipsæ regales cepissent, & apud Autissiodorum portari intra certum diem præcepissent; ipsos cyphos per grenetarium nostri monasterii duximus transmittendos. Tandem ipse grenetarius cum venisset Autissiodori cum dictis gentibus regalibus, fecit finentiam ad trigenta libras Turonensium pro subsidio ante dicto in liberationem & acquitationem cyphorum argenteorum prædictorum. Demum Johannes & Stephanus dicti *Arthuis* fratres erga quos nos nostro, monasteriique nostri prædicti nomine eramus in trigenta libris Turonensium, ex causa veri & legitimi mutui nobis facti, legitime & efficaciter obligati, attendentes & considerantes iidem Johannes & Stephanus fratres affectionem & devotionem quam ipsi habebant, & adhuc habent erga nos, conventum nostrum & monasterium nostrum prædictum, contemplatione dilecti nostri concanonici fratris Johannis dicti *Arthuis* pictanciarii nostri, & dicti conventus, fratris prædictorum Johannis & Stephani, spontanei 1339.

& ex mera voluntate sua voluerunt & concesserunt, quod nos dictas triginta libras in redemptionem, acquitationem & liberationem dictorum cyphorum argenteorum dictis gentibus regalibus solveremus, occasione subsidii ante dicti; tali modo quod de cætero perpetuo ob remedium animarum fratrum prædictorum, parentumque suorum in nostra ecclesia anniversarium annis singulis celebretur, ac in libro nostrorum anniversariorum ipsorum fratrum nomina reponantur. Et dicti cyphi ad opus conventus monasterii nostri prædicti, & pro concanonicis nostris in dicto conventu serviendis, libere pureque perpetuo remanebunt, nec poterunt a nobis, nostrisque successoribus aliqualiter removeri; nisi, quod absit, in monasterio vel infra clausuram murorum abbatiæ, ruina incendii pervenerit in futurum. Et tunc si hoc, quod absit, contingeret evenire, dicti cyphi ad ædificationem dicti monasterii, seu domorum infra clausuram murorum dictæ abbatiæ, absque difficultate libere convertantur. Nos vero attendentes, & considerantes præmissa omnia & singula, in utilitatem nostræ ecclesiæ redundare: volentes etiam prædictos fratres, ac ipsorum parentes omnium ac singulorum beneficiorum spiritualium quæ fiunt & fient de cætero participes effici & consortes, præmissa omnia volumus, laudamus, ratificamus, ac etiam approbamus, nosque, successoresque nostros ad præmissa penitus obligantes: promittentes bona fide nos præmissa legitime servaturos, & contra ea vel aliqua de eisdem in futurum quacumque ratione, causa, seu titulo non venire. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris duximus apponenda. Datum anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo nono, in vigilia beatissimi Laurentii Martyris, in nostro generali capitulo.

CXXV.

Guillelmus abbas Pontiniaci episcopo & ecclesiæ Autissiodorensi jurat fidelitatem.

1340. IN nomine Domini, amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, quod anno a Nativitate ejusdem millesimo trecentesimo quadragesimo, indictione octava, mensis Augusti die undecima, videlicet die Veneris post beati Laurentii festum, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini Benedicti papæ duodecimi anno sexto, in ecclesia Autissiod. juxta majus altare dictæ ecclesiæ, venerabilis religiosus vir frater Guillelmus, abbas monasterii Pontiniacensis, ordinis Cisterciensis, Autissiodorensis diœcesis, fuit instanter requisitus in mei notarii dicti *de Piris*, clerici Autissiodorensis, auctoritate apostolica publici notarii, & testium infra dictorum ad hoc vocatorum & rogatorum, in præsentia ac multitudine aliorum, tam clericorum, quam laicorum, per venerabiles & discretos viros dominos Pontium Stephanum cantorem, Guillermum de Anneziaco archidiaconum, Johannem de domna-Maria thesaurarium, & nonnullos alios canonicos dictæ ecclesiæ, quod supradictus abbas, prout per prædecessores suos abbates dicti monasterii Pontiniacensis factum fuerat, subjectionem, obedientiam domino Autissiodorensi episcopo, licet absenti, tamen tanquam præsenti, & ecclesiæ Autissiodorensi promitteret, & ad sancta Dei evangelia juraret, & prout dicti sui prædecessores fecerant, quamdam cedulam manu sua propria scriptam traderet super his, ut cum aliis cedulis prædecessorum suorum poneretur. Qui abbas Pontiniacensis respondit, quod prout per prædecessores suos promissum fuerat & factum, promittere & facere paratus erat, & quod bene credebat quod aliqui prædecessorum suorum qui scribere sciebant, dictam cedulam manu propria scripserant. . . . .
. . . .

A Sed cum scribere nesciret ipse abbas, ut dicebat, & pro constanti affirmabat, sufficere dicebat si dictam promissionem faciebat, quamdam cedulam aliena manu scriptam tradendo: quod si scribere sciret, eam libentius manu propria scriptam traderet; unde super his se excusabat & se excusavit. Quibus requisitione & excusatione factis, dicti venerabiles dictam excusationem admiserunt; & ipse dominus abbas dictis subjectionem, reverentiam & obedientiam promisit, & ad sancta evangelia juravit, quamdam cedulam in scriptis legit, & tradidit aliena manu scriptam, cujus tenor talis est:

« Ego frater Guillelmus abbas Pontiniacensis, Cisterciensis ordinis, subjectionem, reverentiam, obe- «
dientiam a sanctis patribus institutam secundum re- «
B gulam sancti Benedicti, tibi domine pater episcope, «
tuisque successoribus canonice substituendis, & sanctæ «
sedi Autissiod. salvo ordine nostro, perpetuo me «
exhibiturum promitto, &c. »

Acta fuerunt hæc in ecclesia Autissiodorensi, hora quasi prima, anno, indictione, mense, die & pontificatu prædictis.

CXXVI.

Litteræ comitis Joigniaci ad abbatissam S. Juliani.

A religieuse dame noble & sage madame Jehanne la Chauderonne abbesse de l'église de S. Julien d'Auceurre, Jehans de Noyers conte de Joogny & sires d'Anchigny, salut; & luy appareillé à faire ce qui luy 1340.
C *plairoit. Chiere dame & aymée, comme nous de nostre bon amé escuyer Guillaume seigneur d'Erbloy, qui par fortune de vent est aprefent cheoient, ayons octroyé deux arpens de bois prins attenant de ligne en la forest jurée se il vous plaist, car d'aultrement en nulle maniere nous ne le voudrions faire ne le povons se ce n'est de vostre gré & que il vous plaise. Si vous prions très acertes & si affectueusement come nous povons que pour l'amour de nous vous veuilliès consentir ledit don, & il nous plaist que toutes fois que il vous plaira nous voulons & consentons que vous en pregniez à pareil selon ce que vous prenés contre nous en la portion & vente desdits bois, se il vous plaist à prendre dudit bois & se mieux voulés & il vous plaist que du premier payement de nostre vendue de bois, il vous soit aloué & deconté sur nous, &*
D *voulons que vous preniés & tournés par devant vous & en vostre profit en deniers autant come les deux arpens valent ou puent valoir selon ce que miex vous plera; si en veulés tant faire que nous en soyons tenus à vous, car nous ne faudrient des choses que nous puissions faire. Donné à Bussy sous nostre seel, le jeudy après sainte Luce vierge, l'an mil trois cens & quarente.*

CXXVII.

Litteræ de non exigenda procuratione ab abbatibus de Pontiniaco & de Rupibus.

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Humbertus *de Salemart* canonicus Autissiodorensis, 1343.
locum-tenens, seu substitutus in hac parte a discreto
E viro domino Guillelmo *de Banceure*, rectore ecclesiæ de Santellis, Bajocensis diœcesis, vicario generali in spiritualibus & temporalibus reverendi in Christo patris ac Domini domini Hugonis miseratione divina S. Laurentii in Damaso presbyteri Cardinalis, archidiaconi Puseyæ in ecclesia Autissiodorensi, salutem in Domino. Noveritis nos prædicti domini Cardinalis quasdam litteras clausas ipsius sigillo in cera rubea sano & integro sigillatas, ex parte ipsius domini Cardinalis nobis directas, prout patet in superscriptione exteriori, quæ talis est: VENERABILI ET DISCRETO VIRO DOMINO IMBERTO DE SALEMART, CANONICO AUTISSIOD. AMICO NOSTRO CARISSIMO, recepisse;

Digitized by Google

quas postmodum aperuimus, & quarum tenor intra scriptus de verbo ad verbum sequitur in hunc modum. Ex parte abbatum de Pontiniaco, & de Rupibus monasteriorum, Cistercienſis ordinis, Autiſſiodorenſis diœceſis, fuit nobis conquerendo monſtratum, quod ille qui nuper nomine noſtro pro jure archidiaconatus noſtri de Puſaya in eccleſia Autiſſiodorenſi in illis partibus procurabat, accedens ad prædicta monaſteria petiit ſibi dari procurationes pecuniarias, quanquam prout aſſerunt. . . . . . privilegiis apoſtolicis nunquam niſi a perſonis ordinis viſitati fuerint, nec procurationes pecuniarias alicui dederint, nec aliud præter pabulum caritatis, fulminando contra eos excommunicationis ſententias, niſi dictas procurationes ſolverent termino ſibi ſuper hoc aſſignato. Quare humiliter ſupplicarunt ut vellemus eis ſuper his de opportuno remedio providere. Nos vero qui ordinem ipſum ab antiquo diligimus, & proſequi volumus favoribus opportunis, vobis mandamus ſententias ſi quas occaſione prædictorum contra dicta monaſteria, eorum privilegia, ſeu perſonas, prolatæ fuerint, ſuſpendatis, & ab exigendo dictas procurationes pecuniarias deſiſtatis, donec a nobis aliud receperitis in mandatis, vel niſi alias prædeceſſores noſtri conſueverint in eiſdem procurari. Datum Villæ-novæ Avenionenſis diœceſis, quinta die menſis Octobris, anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo tertio. Earumdem autem litterarum ſubſcriptio, intervallo ſpatii unius pollicis diſtans, vel circa, a ſcriptura prædicta, ſequitur per hæc verba: HUGO MISERATIONE DIVINA S. LAURENTII IN DAMASO PRESBYTER CARDINALIS. Quibus litteris ipſius Domini Cardinalis receptis, viſis & intellectis, nos earum & commiſſionis nobis factæ virtute & auctoritate, ſententias in de Pontigniaco & de Rupibus monaſteriorum abbates, ſi quæ in eos, eorumve monaſteria aut privilegia, prolatæ fuerint, in quantum poſſumus, ſuſpendimus, & ab exactione procurationum pecuniariarum deſiſtimus, donec ab eodem domino Cardinali aliud receperimus in mandatis. In cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum una cum curiæ Autiſſiodorenſis ſigillo, quod rogavimus & obtinuimus appendi, his præſentibus litteris duximus apponendum. Sub anno domini prædicto, die Lunæ poſt feſtum B. Lucæ Evangeliſtæ.

CXXVIII.

Johannes rex decano & capitulo Autiſſiodorenſi dat licentiam eligendi epiſcopi.

1362. JOHANNES Dei gratia Francorum rex, dilectis noſtris decano & capitulo eccleſiæ Autiſſiodorenſis, ſalutem & dilectionem. . . . . Intelleximus . . . . . . veſtra eccleſia prædicta per obitum bonæ memoriæ Johannis ultimi epiſcopi ejuſdem, dudum dilecti & fidelis conſiliarii veſtri, ſit ad præſens. . . . . Nos veſtris ſupplicationibus inclinati licentiam eligendi, faciendique omnia quæ dictæ eccleſiæ veſtræ neceſſaria fuerint, ad providendam eidem. . . . . Datum Pariſiis penultima die Octobris, anno Domini M. CCC ſexageſimo ſecundo, ſub ſigillo Caſtell. . . . . . noſtro majore abſente.

CXXIX.

Littera decani & capituli pro futura electione epiſcopi poſt mortem Johannis Germani.

1362. DECANUS & capitulum eccleſiæ Autiſſiodorenſis, dilectis nobis in Chriſto Johanni *Mariete*, Guillelmo de Magobrio, Stephano de Nemoſio, Petro Aurifabri, Guidoni Sutoris, alias de Brecomvilla, Gonterio de Balneolis, Dionyſio Regis, Stephano *Belin*, Odoni Graſſeti, Jacobo de Rocha,
A Bertrando de Clauſo, Johanni *Ociez*, Petro *Pitoyte*, alias de Ligniaco, ejuſdem eccleſiæ concanonicis abſentibus ſalutem in Chriſto ſalutis auctore. Cum recolendæ memoriæ dominus Johannes quondam & ultimo epiſcopus Autiſſiodorenſis, die Sabbati poſt feſtum B. Dionyſii ultimo præterit, quod non ſine grandi mentis amaritudine referimus, naturæ ſolvens debitum, ſpiritum reddiderit Creatori; nos ipſius corpore exinde in dicta eccleſia, ut decuit, eccleſiaſticæ tradito ſepulturæ, nolentes quod dicta eccleſia noſtra paſtoris exiſteret diutius ſolatio deſtituta, ab illuſtriſſimo principe & domino noſtro, domino Johanne Dei gratia Francorum rege, licentiam futuri pontificis eligendi, juxta conſuetudinem in talibus obſervatam, duximus impetrandam, & eam obti-
B nuimus cum effectu; & ex poſtfacto, nobis die Jovis poſt feſtum Omnium Sanctorum tertia die menſis Novembris in noſtro capitulo ad ſonum campanæ ſpecialiter congregatis, & capitulantibus, ſeu capitulum tenentibus in eamdem, ut moris eſt, diem viceſimam-octavam dicti menſis Novembris cum continuatione dierum ſequentium, & cum proteſtatione de ipſa, ſi neceſſe fuerit, proroganda; deliberatione inter nos prahabita diligenti concorditer præfiximus ad electionem futuri pontificis in noſtro capitulo prædicto celebrandam, & ad omnia alia & ſingula peragenda quæ ipſius electionis negotium contingere dignoſcuntur. Ut igitur ignorantiam ſuper hæc prætendere nequeatis, vobis & veſtrum cuilibet præfixionem hujuſmodi duximus tenore præſentium
C intimandam & ſignificandam; mandantes vobis & veſtrûm cuilibet, quatinus dicta die mane hora capituli ſolita, quam diem & horam cum omnibus diebus ſequentibus, quo uſque ipſius electionis negotium fuerit totaliter expeditum, vobis etiam tenore præſentium prædictarum quoad hæc aſſignamus ad dictum noſtrum capitulum veniatis, una nobiſcum de futuri electione pontificis tractaturi, & in ipſo electionis negotio modo debito proceſſuri: alioquin vobis non expectatis nec ulterius etiamſi prædictus terminus fuerit prorogatus convocatis in hujuſmodi electionis negotio procedemus, veſtra abſentia non obſtante, prout fuerit rationis. Ad iſtas autem litteras vobis præſentatas, dilectum noſtrum concanonicum magiſtrum Guillelmum de Rupe, & Johannem *de*
D *Tailleſontaine* clericum chori noſtri latores ipſarum, & quemlibet ipſorum in ſolidum ſpecialiter duximus deputandos, mandantes vobis quatinus in ſignum viſionis præſentium & intimationis ac ſignificationis prædictarum vobis canonice factarum, quilibet veſtrûm in cauda præſentium in qua nomen ejus conſcriptum eſt, ſuum apponat ſigillum. Cæterum ſi contingat, quod abſit, vos in locis domiciliorum veſtrorum a latore præſentium minime perſonaliter reperiri, eidem latori vobis univerſis & ſingulis, ac aliis concanonicis noſtris abſentibus ſi quos repererint ſeu repererit in regno Franciæ in loco tuto in quo eſſet de jure vel conſuetudine pro præmiſſis ſcribendum ad loca domiciliorum veſtrorum prædictorum, vel in eccleſia loci cujuſlibet domicilii veſtri, & ad
E perſonas vel domicilia aliorum prædictorum repertorum, ut eſt dictum, præmiſſa omnia & ſingula intimandi & notificandi tenore præſentium prædictarum licentiam & auctoritatem impertimur, & etiam poteſtatem ac mandatum ſpeciale; cujus latoris relationi exinde nobis ſuper hæc faciendæ adhiberi volumus & adhibemus plenariam fidem. Datum & actum in dicto noſtro capitulo ſub noſtro ſigillo quo unice utimur hiis præſentibus appenſo in teſtimonium præmiſſorum, anno Domini milleſimo CCC ſexageſimo ſecundo, dicta die tertia menſis Novembris.

Digitized by Google

CXXX.

Litteræ Nicolai de Arceiis episcopi Autissiodorensis quibus patet abbatem & conventum S. Germani uno die teneri hospitio suscipere novum episcopum Autissiodorensem eique pro expensis unam marcham argenti dare.

1375. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Nicolaus Dei & apostolicæ sedis gratia Autissiodorensis episcopus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum discordia moveretur seu moveri speraretur inter nos, ratione episcopatus nostri ex una parte, & religiosos abbatem & conventum S. Germani Autissiodorensis ex alia, super eo quod ipsi religiosi asserebant quod virtute cujusdam privilegii eisdem religiosis, & eorum monasterio per felicis recordationis Urbanum papam quintum concessi, nos vel quicumque alii Autissiodorenses episcopi non poteramus in nostro primo ingressu in civitate Autissiodorensi ad monasterium ipsorum declinare, nec ibidem hospitari, ipsis invitis; nec etiam aliquid ratione hujusmodi primi ingressus in pecunia qualicumque alias exigere ab eisdem; nobis contra dicentibus, quod ipsum privilegium sive concessio eis facta, fuerat & est per dominum nostrum Gregorium papam modernum ipsius Urbani immediatum successorem, pro parte revocatum, & ipsa concessio limitata: per cujus litteras apostolicas piæ memoriæ domino P. Autissiodorensi episcopo prædecessori nostro immediato, & suis successoribus Autissiodorensibus episcopis concessas apparebat, quod nos & nostri successores Autissiodorenses episcopi ipso primo ingressu poteramus, & nobis licebat ad ipsorum religiosorum monasterium declinare, & ibidem hospitari: tenebanturque dicti religiosi nos in dicto suo monasterio recipere, honestumque locum, & statui nostro competentem assignare per unam diem naturalem, ac nobis pro nostris expensis decem libras Turonenses solvere, juxta prædictarum apostolicarum litterarum continentiam & tenorem; tandem post aliquos & varios tractatus, ad talem pro bono pacis concordiam nos partes prædictæ finaliter devenimus. Videlicet quod præfati religiosi in ipso ingressu tenebuntur nos & successores nostros Autissiodorenses episcopos cum nostris gentibus per unum diem naturalem in suo monasterio recipere condecenter, & pro nostris expensis nobis solvere unam marcam argenti; quam concordiam seu compositionem ratam & gratam habemus: volumusque quod si præfati religiosi nobis aut nostris successoribus ex sua liberalitate aliquid ultra id quod tenentur impenderint, quod per hoc nobis aut nostris successoribus, nullum jus acquiratur in ipsis religiosis, aut eorum monasterio præjudicium aliquod generetur. In quorum testimonium sigillum nostrum proprium præsentibus litteris duximus apponendum. Datum in nostro castro Regenn.... anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, die Martis ante festum Ascensionis ejusdem.

CXXXI.

Concordata inter reverendum patrem Michaelem de Creneyo episcopum Autissiodorensem, & capitulum ecclesiæ cathedralis, super jurisdictione utriusque, & super aliis rebus.

1401. IN nomine Domini, amen. Ad perpetuam rei memoriam universis præsentes litteras inspecturis, Michael permissione divina episcopus, & nos Petrus de Chessiaco decanus, Johannes *de Porte* licentiatus in utroque jure, archidiaconus, Guillelmus *Nazaire* thesaurarius, Stephanus Mauguini pœnitentiarius, Laurentius Maronis, Johannes *Aleste*, Nicolaus *Rugimand*, Stephanus Blandini, Marcus Gilberti suc-

A centor, Johannes Juventi, Johannes *de Marayac* lector, bacchalaureus in sacra pagina, Guillelmus *Blesel*, Johannes *Pognard*, Johannes *Veniam*, Theudras Philippi, Petrus Paternus, Johannes *Theriac*, Johannes Clarangeli, Guillelmus Maugini, Guillelmus *de Crinax*, Petrus *Perins*, Stephanus Pauleti, Johannes Colessoirii, Guillelmus Huginis, Henricus de Marchampo, Johannes Piguemus, Johannes de Tritis, Johannes Bonaty, Egidius Pamenia, Johannes Bretonni & Reginaldus de Fontanis, canonici ecclesiæ Autissiodorensis, totumque ipsius ecclesiæ Autissiodorensis capitulum, ad sonum campanæ in loco solito, ut moris est, invicem personaliter congregati & capitulantes, capitulumque tenentes & facientes, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus, B quod cum plures lites & discordiæ essent motæ, sperarenturque moveri inter nos episcopum ex una parte, & nos decanum & capitulum prædictos parte ex altera, tam ad causam usus litterarum infra scriptarum, & interpretationis earumdem, quarum quidem litterarum tenor qui sequitur est talis:

Universis præsentes litteras inspecturis, Johannes *Germain*, miseratione divina episcopus Autissiodorensis, salutem in Domino. Noveritis quod cum inter nos ex una parte, ac dilectos in Christo filios nostros decanum & capitulum ecclesiæ nostræ Autissiodorensis ex altera, orirentur, seu oriri sperarentur discordiæ & dissentionis materia, super omnimoda spirituali jurisdictione domorum canonialium claustralium, & adjacentiarum omnium earumdem, quam præfati decanus & capitulum in suos familiares, & quoscumque C alios se ibidem habere prætendebant, ipsamque exercuisse quotiens casus evenit, modo & forma quibus debet spiritalis jurisdictio exerceri, nobis & ministris nostris, ac nostris prædecessoribus, & suis similiter ministris valere scientibus, vel scire valentibus pacifice & quiete, etiam a tanto tempore, de quibus contraria hominum memoria non poterat recordari; ac de ipsa taliter exercenda erant, & per prædecessores suos fuerant in bona & pacifica possessione & saisina a tempore supradicto: nobis in contrarium dicentibus, & quod ad nos solum præfata spiritalis jurisdictio in prædictis domibus pertinebat, ac super hoc inter nos & aliquos prædecessores nostros, dictosque decanum & capitulum jam diuque fuisset pluries & frequenter altercatum, & plures rixæ & dissensiones exortæ, D cum magno partium incommodo expensarum: tandem pro bono pacis, cum dicto nostro capitulo semper pacem & concordiam habere cupientes, nolentes eosdem in suis juribus, & libertatibus consuetis & antiquis, & de quibus posset nobis legitime constare, in aliquo impedire; de præmissis nos informare & scire voluimus, & inquirere veritatem, ac tam per illos quam per nostros commissarios specialiter super hoc deputatos, nos informavimus & requisivimus diligenter. Per quam informationem reperimus, & satis nobis clarum de jure dicti capituli apparuit, quod in his quæ taliter prætendebant, maxime quoad possessionem, jus habebant, seque dicta jurisdictione in prædictis omnibus usos fuisse taliter ab antiquo. Et idcirco habita super iis deliberatione diligenti, E utilitateque nostra, & ecclesiæ nostræ pensata, pro vitandisque discordiis quæ super hoc inter nos successoresque nostros, & præfatos decanum & capitulum imposterum possent oriri; attendentes etiam commodum præfatæ jurisdictionis, nobis & nostris successoribus valde modicum potissimæ utilitatis seu valoris, si nobis etiam remaneret; necnon recompensationem cujusdam sui molendini siti in villa nostra de Giaco, summæ nobis & ecclesiæ Autissiodorensi utilitatis, quod nobis si in aliquo ob hoc possent & deberent teneri, & recompensationem facere de præmissis tenerentur satisfacere . . . . cum effectu cujus quidem molendini emolumentum nobis & ecclesiæ Autissiodorensi majorem ferre utilitatem

Digitized by Google

speramus quam jurisdictionem prædictam: communicato etiam prius consilio super hoc cum nostris consiliariis pluribus, cum quibus ad nostram conscientiam exonerandam, plenissimam deliberationem habuimus & maturam; Deum solum habentes præ oculis, commodum ecclesiæ nostræ ac præfati capituli quantum cum Deo plus potuimus attendentes; pronunciavimus & declaravimus, pronunciamus & declaramus prædictos decanum & capitulum, ac singulos canonicos, suo & nomine ejusdem capituli, cum suis præfatis domibus canonialibus claustralibus, adjacentiis, porprisiis & pertinentiis earumdem universis, per eosdem canonicos vel alios habitatis, seu etiam vacantibus, quas nunc obtinent, & quas etiam imposterum acquirent & habebunt, præfatam omnimodam spiritalem jurisdictionem, exceptis solum duobus casibus, videlicet homicidio & raptu, obtinere & habere, & ad ipsos pertinere decernentes præfatam jurisdictionem per se vel alios deinceps, exceptis duobus casibus, tam in omnes & singulos sive familiares, & quoscumque ministros cujuscumque status & conditionis existant, ubicumque deliquerint, quam alios quoscumque ibidem delinquentes, per omnimodam censuram ecclesiasticam, vel aliter, in modo & forma melioribus quibus potest, debet & consuevit spiritualis jurisdictio in quibuscumque personis exerceri; & ideo quod si contingat quod aliquis de prædictis, sive familiaribus, vel etiam quicumque alius extraneus in dictis sive domibus canonialibus deliquerint, vel excessum aliquem ibidem commiserint, & antequam de dictis excessibus, vel delictis provocati fuerint, de eisdem domibus excesserint, si ab officiali nostro, seu aliis ministris nostram jurisdictionem regentibus petantur sic delinquentes remitti, nobis placet & volumus, & volumus quod ad ipsorum hujusmodi requisita, sibi absque difficultate remittantur, per eosdem capitulum & prædictos canonicos seu alios eorumdem nomine, & pro ipsis de præfatis excessibus in suis domibus canonialibus sic commissis canonice puniendi. Insuper volumus & sibi concedimus, quod si quis per dictum capitulum, seu præfatos canonicos, vel alium pro eisdem suam jurisdictionem exercentem, de prædictis, quacumque ex causa, excommunicationis sententia fuerit innodatus, quod ad petitionem & rogatum eorumdem, taliter excommunicati per officialem nostrum per totam nostram Autissiodorensem jurisdictionem pro excommunicatis publice nunciari mandentur: & una cum hoc, quod si de causis coram ipsis in dictis domibus fuerit aliquis incarceratus..... & sunt de hoc testes necessarii, vel aliud documentum necessarium pro causa decidenda; quod ad requisitum & rogatum dictorum capituli & canonicorum, seu alterius qui pro ipsis jurisdictionem gubernabit, hujusmodi testes & alii pro causa necessarii, per officialem nostrum Autissiodorensem eisdem mittantur, si tamen dicti testes sunt in civitate & suburbiis Autissiodorensibus commorantes; si vero longius, ad dictorum rogatum dictus officialis noster ut suos citare faciet, & citatos sibi remittet, prout in talibus est fieri consuetum, & iidem etiam e converso: nam si testes in dictis domibus existentes necessarii fuerint pro causa coram dicto officiali nostro, & petantur ab eodem officiali nostro remitti ab eodem capitulo, canonico vel alio ipsorum, ut dictum est, jurisdictionem regente, similiter remittantur. Declaramus insuper quod appellatione canonialium domorum prædictarum, etiam & locum illum ecclesiæ ubi teneri & exerceri consuevit capitulum, intelligimus & volumus contineri & etiam comprehendi. Quam quidem jurisdictionem sibi taliter declaratam, per eosdem, ut dictum est exercendam, etiam de mera & speciali gratia, si sit opus, & eisdem necesse fuerit, sibi pro se & suis successoribus, damus & concedimus, remittimus ad perpetuitatem etiam & quit-

A tamus, nosque de eadem quoad domus prædictas devestimus, & Jacobum pœnitentiarium, vice & nomine dicti capituli, pro se & suis successoribus, per annuli nostri traditionem investimus: concedentes etiam ad perpetuam hujusmodi nostræ declarationis & concessionis firmitatem, si forte processu temporis per nostram & successorum nostrorum seu aliquorum ministrorum improbitatem, vel dicti capituli negligentiam, aliquid in contrarium semel vel pluries quantacumque etiam temporis diuturnitate continget attentari, quod nobis vel successoribus nostris propter hoc nullum commodum acquiratur profuturum, decano & capitulo proprietatis vel saisinæ nullum præjudicium similiter generetur. Et ad majorem confirmationem & securitatem omnium præmissorum,
B rogamus & requirimus reverendum in Christo patrem & Dominum dominum Dei gratia Senonensem archiepiscopum, ut ad solam præsentium exhibitionem & requisitionem dictorum decani & capituli, huic nostræ ordinationi, pronunciationi & declarationi, & etiam concessioni, benignum suum interponat assensum, ac omnia & singula, prout sunt superius declarata, litterarum suarum patrocinio harum seriem continentium, communiat & confirmet. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum apud Regennam domum nostram, die Martis post festum Exaltationis S. Crucis, anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo.

Quia de & super pluribus aliis infra scriptis, pro
C bono pacis, & ad evitandum anfractus litium & jurgia quæ ex eis possunt oriri verisimiliter in futurum; super eisdem debite informati, mediantibus pluribus probis viris discretis & sapientibus, in his & majoribus notitiam habentibus, matura deliberatione præhabita inter nos super ipsis, congregati propter hoc ad sonum campanæ in capitulo ecclesiæ Autissiodorensis præfatæ, Deum præ oculis habentes, ad concordiam de & super his, Spiritus sancti gratia, ut speramus, interveniente, pervenimus, super declarationibus & interpretationibus præmissorum, modo & forma quæ sequuntur.

Et primo, quia in dictis litteris fit mentio de familiaribus, concordatum est inter nos episcopum & nos decanum & capitulum prædictos, quod per ver-
D bum FAMILIARES in prædictis litteris contentum, intelliguntur familiares domestici cum ipsis canonicis, & eorum sumptibus commorantes sine fraude infra muros civitatis.

Item, quia in dictis litteris fit mentio de ministris, concordatum est quod si sunt non canonici, intelliguntur camerarius, granatarius, receptor anniversariorum, notarius capituli, magister domus Dei sancti Stephani & ostiarius capituli, ubicumque delinquant, exceptis homicidio & raptu, ut in dictis continentur litteris, proviso quod habitum ecclesiæ deferant, excepto ostiario; qui omnes manent subditi decano & capitulo, ut in dictis litteris continetur. At vero viginti-octo beneficiati, adstricti ratione suorum beneficiorum ad servitium divinum dictæ ecclesiæ
E dumtaxat, in his dumtaxat quæ concernunt dictum officium, & quamdiu in dicta civitate & ecclesia Autissiodorensi residebunt; in cæteris vero erunt subditi episcopo. Sunt autem prædicti viginti-octo beneficiati adstricti ad divinum servitium exercendum, qui sequuntur; videlicet, duodecim vicarii, scilicet sex vicarii beati Michaëlis, & sex vicarii sancti Johannis Rotundi, qui debent interesse omnibus horis cum tortatiis, demptis prima & nona; duo capellani S. Andreæ, qui debent interesse matutinis & missæ vel vesperis; capellanus SS. Gervasii & Prothasii qui certis, & capellanus S. Eligii qui omnibus horis debent interesse; capellanus S. Petri ad altare B. Mariæ de reliquiis, qui tenetur portare cappam decani, parare in choro, & jacere in ecclesia,

&

Digitized by Google

& plura alia: item, duo capellani ad altare S. Crucis, qui tenentur jacere in ecclesia, & plura alia; tertius capellanus ibidem ad altare B. Mariæ Magdalenæ, juxta introitum chori, qui tenetur interesse omnibus horis, capellanus S. Catharinæ, juxta altare S. Sebastiani, qui tenetur interesse omnibus horis cum tortariis; capellanus SS. Lazari, Magdalenæ & Marthæ, qui tenetur interesse omnibus horis, capellanus S. Catharinæ in Renestiario, qui tenetur parare sulphur cum oleo, & accendere lampadem ante ipsum Renestiarium, & plura alia; matricularius clericus thesaurarii, qui tenetur pulsare, parare altare, accendere, extinguere, aperire, claudere, & alia quamplurima: quatuor canonici Trinitatis, qui debent interesse matutinis, & tenentur ad plura alia facienda.

Item, concordatum est quod per ipsos decanum & capitulum deputabitur unus solus officialis, qui jure & nomine eorumdem, jurisdictionem spiritualem in prænominatos exercebit in loco certo, determinato in locum capituli, vel in domo capituli claustrali ante novum portale, in quo sedet baillivus temporalitatis dictorum decani & capituli juxta cœmeterium clericorum chori dictæ ecclesiæ Autissiodorensis. Qui officialis de causis ad dictam jurisdictionem spiritualem spectantibus agnoscere poterit; & tam per se quam per alium, ad domos & metas suæ jurisdictionis se transferre ad se informandum, & inquirendum, & alia faciendum, sine quibus jurisdictio commode exerceri non potest, absque tamen decisione causæ principalis ibidem facienda, quæ fiet in dicto capitulo, vel in dicta domo, & sine nova multiplicatione aliorum officiariorum. Poterit etiam capitulum de causis, sive coram eorum officiali inceptis, sive non inceptis, capitulariter cognoscere & determinare, aut eas dicto suo officiali remittere.

Item, dictus decanus & capitulum habebunt jurisdictionem spiritualem in dictis domibus claustralibus tam acquisitis quam acquirendis, ut cavetur in litteris prædictis, infra tamen limites claustri existentibus, excepto de extraneis in dictis domibus delinquentibus, in quos episcopus solus insolidum habet, & habebit omnimodam jurisdictionem exercere juxta metas suæ jurisdictionis.

Item, concordatum est quod dictus decanus & capitulum non habebunt jurisdictionem in familiares, & officiarios dicti episcopi non canonicos, & tortarios, aut de sex ministris superius declaratis. Ubi vero dicti officiarii vel familiares essent canonici, etiam tortarii, vel de sex superius nominatis, si delinquant in eorum officiis, dominus episcopus poterit ipsos punire & corrigere secundum exigentiam casus, absque tamen detentione & incarceratione. Habebunt etiam jurisdictionem dictus decanus & capitulum in dictis viginti-octo adstrictis ad dictum divinum officium exercendum supra nominatum, in quantum concernet divinum officium duntaxat, supposito quod sint familiares aut officiarii dicti domini episcopi.

Item, concordatum est quod si contingat familiares & ministros superius nominatos appellare a dictis decano & capitulo, non devolvetur appellatio ad dictum dominum episcopum; & idem de dictis viginti-octo beneficiariis in ecclesia, si appellent a dictis decano & capitulo, seu officiali in causis concernentibus divinum officium ad quod tenentur dicti viginti-octo quilibet secundum fundationem sui beneficii.

Item, concordatum est quod officialis Autissiodorensis litteras rogatorias concedet dictis decano & capitulo rogantibus . . . .
. . . .
quoad contractus, in aliis autem quoad remissionem delinquentium & testium, & quoad examinationem testium fiat ab utraque parte, ut in præscriptis litteris continetur, expensis tamen partium.

Item, concordatum est quod per hujusmodi de-

A claratiionem, nihil aliud quam ut superius expressum est, alteri nominatarum partium prædictarum acquiratur de novo, aut etiam deperdatur.

Item, quia fuit contentio & discordia super jurisdictione spirituali dictarum domorum canonicalium & claustralium, concordatum est quod salvis moderationibus & interpretationibus prædictis, dictus decanus & capitulum in dictis domibus habebunt dictam jurisdictionem spiritualem juxta prædictum intellectum literarum supra scriptarum.

Item, concordatum est quod nos dictus episcopus de cætero trademus litteras dimissorias pro recipiendis ordinibus, canonicis ecclesiæ Autissiodorensis etiam tortariis . . . . & per capitulum. . . . .

B Item, quia nos episcopus conquesti fueramus in casu novitatis super eo quod dictus decanus & capitulum rogaverant baillivum Autissiodorensem ut adjournaret certos testes, ut perhiberetur testimonium veritatis in certis causis pendentibus coram ipsis; concordatum est quod expleta querimoniæ hujusmodi reputentur pro non factis, sine præjudicio partium.

Item, quia quidam vocatus . . . . . DE BORDIS prope Autissiodorum, defunctus, tempore mortis suæ habebat bona, tam in dictis Bordis, in quibus nos episcopus habemus manum-mortuam, quam etiam in justitia de monastello, in quo nos episcopus nihil habemus quoad jurisdictionem temporalem; & nihilominus quia dictus defunctus erat dictæ manus-mortuæ, cum prosecutione, dicebamus bona præsentia in justitia de monastello ad nos pertinere: nobis
C decano & capitulo contrarium asserentibus & dicentibus bona dicti defuncti existentia in justitia de monastello jam dicto, in quo omnimodam jurisdictionem temporalem habemus, tanquam vacantia ad defectum hæredis, ad nos pertinere; concordatum est quod baillivi nostri de præmissis informabunt, & dictam discordiam terminabunt.

Item, quia fuit quædam discordia super bonis cujusdam curati de Bellovidere, dicti Petri *Rousselet*, cujus bona nos decanus & capitulum, tanquam vacantia dicebamus ad nos pertinere ob defectum hæredis, cum soli, & insolidum simus domini temporaliter dicti loci de Bellovidere: nobis episcopo Autissiodorensi asserentibus contrarium, cum esset curatus parochialis ecclesiæ dicti loci, & nobis sub-
D jectus, & sic bona dicti curati debebant ad nos pertinere; concordatum est quod testamentum dicti curati complebitur, debita solventur de bonis dicti curati: residuum autem expendetur in refectione domus presbyteralis dicti loci de Bellovidere, absque præjudicio utriusque partis.

Item, quia quæstio fuit de synodo paranda; inter nos concordatum est quod thesaurarius ecclesiæ Autissiodorensis tradat paramenta, & bastonarii parent, ut consuetum est, quodque expleta & querimoniæ adnullabuntur absque expensis.

Item, quia fuit dissentio de claudendo & aperiendo certis horis ostio domus episcopi, quod respicit magnum altare dictæ ecclesiæ; concordatum est quod nobis episcopo existente in civitate Autissiod. dictum
E ostium non erit fermatum a parte ecclesiæ de die nec de nocte; & nobis existentibus extra vel de nocte fermabitur a parte ecclesiæ, & aperietur, & tenebitur apertum a secunda pulsatione matutinorum, donec servitium de mane sit factum; & similiter a pulsatione nonæ usque ad servitium divinum completum.

Item, de ostio inferiori, per quod itur de domo episcopali ad crotas; concordatum est ut muretur, & arbitrio domini episcopi fiat alibi ostium ubi commodius poterit, per quod nos exeuntes de domo nostra possimus intrare ad capellam Trinitatis in crotis, tam de die quam de nocte, nobis existentibus in civitate Autissiodorensi, nobis vero existentibus extra civitatem, fermabitur continue a parte ecclesiæ.

Item, de certis decimis, quas nos episcopus possidebamus ad causam certorum hæreditagiorum, quæ decanus & capitulum habent in villa de Appogniaco; concordatum est quod nos decanus & capitulum trademus in scriptis hæreditagia ab antiquo possessa, & etiam de novo acquisita in manibus nostrorum baillivorum; & dicti baillivi decident quæstionem visis litteris & juribus partium prædictarum.

Item, quia Jacobus de Ulmo repertus fuit mortuus in ecclesia Autissiodorensi, & per baillivum decani & capituli visitatus . . . . ad informandum, super quo nos episcopus fueramus conquesti; concordatum est quod expleta & querimoniæ habeantur & habebuntur pro non factis, sine præjudicio partium: & nos episcopus pari forma & eodem modo poterimus facere si casus evenerit, sicut decanus & capitulum prædictum.

Item, quia plures canonici congregaverunt se pro faciendo capitulum cujusdam festi, festum fatuorum vulgariter nuncupati, in domo in qua tenetur capitulum ecclesiæ Autissiodorensis, & ipsum capitulum dicti festi fecerat procuratorium; quod procuratorium quidam canonici occupaverant, & confecta fuerant certa instrumenta per antiquos canonicos ecclesiæ Autissiodorensis notarios apostolicos, super quibus nos episcopus conquesti fueramus in casu novitatis contra dictos canonicos; concordatum est quod expletum & querimonia in curia sæculari facta, ac appellatio in curia Senonensi ecclesiastica pendens super hoc, & quæcumque inde sequentia, habebuntur pro non factis, absque præjudicio utriusque partis.

Item, concordatum est quod capitulum requiret a justitia familiares suos domesticos, & hos ministros in hoc accordo supra nominatos, ab eadem sæculari justitia captos; & querimonia & expletum super requisitione facta, absque præjudicio partium, habebuntur & habentur pro non factis.

Item, pro sigillis curiæ nostræ episcopalis præfatæ, concordatum est quod corpus capituli nihil solvet de sigillis, singulares vero canonici, tortarii & cæteri in ecclesia ipsa beneficiati, pro ordinibus recipiendis nihil solvent; in cæteris autem faciet episcopus qui nunc est, & qui pro tempore fuerit, quod sibi placuerit.

Item, concordatum est quod si canonici curati ecclesiæ Autissiodorensis delinquant in his quæ concernunt curam animarum, super qua orta fuerat querimonia in casu novitatis in parlamento, quod expleta & querimoniæ habeantur pro non factis, absque præjudicio partium.

Item, concordatum est inter nos, quod si oriatur dubium super præmissis, seu aliquo eorumdem declarabitur & interpretabitur per venerabiles & sapientes viros dominos Hugonem Blancheti thesaurarium sacræ Capellæ palatii domini nostri regis, magistros Johannem de Arceis & Guillelmum de Villaribus, dicti domini nostri regis consiliarios, aut per duos ex eisdem, per quorum consilium præmissa fuerunt tractata, necnon magistrum Silvestrum *Baudry*. Et si alia quæstio vel debatum ultra præmissa affuerat, aut fuisset mota vel motum, quæ vel quod ad notitiam nostram nunc non pervenerit, & de quo vel qua superius non fuit facta mentio, declarabitur & determinabitur per eosdem prænominatos, vel duos, ut præmittitur, ex eisdem.

Item, concordatum est quod per præmissa, processus pendentes in quacumque curia ex præmissis, vel aliquo præmissorum dependentes sopiantur, & maneant sopiti juxta concordiam & interpretationem supradictam.

Item, concordatum est quod omnia expleta & querimoniæ, de quibus superius est facta mentio, habebuntur & habentur pro non adventis; levabuntur manus appositiones, absque præjudicio partium & sine expensis, si placet curiæ parlamenti quoad causas in ipsa curia interdictas.

Præmissa autem & singula, sicut superius exprimuntur, nos episcopus, in verbo episcopi, manum nostram dextram ad pectus apponendo, & nos decanus & capitulum prædictum, & singuli nostrûm, per fidem nostram in manu Nicolai Januarii unius notariorum publicorum infra scriptorum, corporaliter præstitam, promisimus & juravimus, ac promittimus & juramus nos perpetuo & inviolabiliter servaturos. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, nostras litteras seu instrumentum publicum inde conficiendum, tractatum & accordatum hujusmodi in se continentes, seu continens, exinde fieri, & per notarios publicos infra scriptos subscribi & publicari mandamus, nostrorumque sigillorum volumus appensione muniri. Datum & actum Autissiodori, anno Domini millesimo quadringentesimo primo, indictione nona, die Jovis, in octavis consecrationis Corporis Christi, qui fuit nona mensis Junii; ab electione domini Benedicti * tertii-decimi in papam electi anno septimo, præsentibus venerabilibus & circumspectis viris magistris Johanne Chartoni secretario in legibus, archidiacono de. . . . . in ecclesia Suessionensi domini nostri regis consiliario, Johanne *Dagny* canonico & cantore ecclesiæ Dervacensis, dominisque quatuor tractatoribus superius dictis, videlicet domino Hugone Blancheti, magistris Johanne de Arceys, Guillelmo de Villaribus & Sylvestro Baudry, ac Johanne Blancheti & Johanne Morelli canonicis ecclesiæ Senonensis, una cum aliis pluribus testibus ad præmissa vocatis & specialiter rogatis, hic signatis; & me Nicolao Januario pro ipsis. Et quia ego Stephanus Maronis, &c.

* Bonifacii IX.

CXXXII.

Juramentum fidelitatis exhibitum ab abbate sancti Mariani episcopo Autissiodorensi.

1402.

Universis præsentes litteras inspecturis, Michaël divina permissione Autissiod. episcopus, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod nos jura & libertates ecclesiæ S. Mariani Autissiodorensis, ordinis Præmonstratensis, in aliquo diminui nolentes, sed potius augeri, ex nostra certa scientia & spontanea voluntate voluimus, & eidem ecclesiæ concessimus, volumusque & concedimus per præsentes quod per ea quæ frater Richardus electus confirmatus in abbatem dictæ ecclesiæ S. Mariani, juravit nobis in benedictione eidem per nos concessa, seu in dictæ benedictionis professione facta per ipsum & per verba in forma dictæ professionis posita, cujus tenor sequitur, & est talis: Ego frater Richardus humilis abbas S. Mariani Autissiodorensis, ordinis Præmonstratensis, reverendo in Christo Patri ac Domino, domino Michaëli divina permissione Autissiodorensi episcopo, suisque successoribus, atque matrici ecclesiæ Autissiodorensi debitam subjectionem, obedientiam & reverentiam secundum instituta sanctorum patrum, ore promitto & manu confirmo: quam formam dicebamus hactenus per suos prædecessores in consimili actu fuisse observatam, & a libris antiquis ecclesiæ Autissiodorensis extractam; dicto electo, suis successoribus vel ecclesiæ S. Mariani supra dictæ nullum præjudicium generetur in futurum, nec per dictam formam aliquid contra ipsos acquirere; sed hiis non obstantibus, suis libertatibus, si quas habeant, uti valeant & gaudere, prout videbitur eisdem melius faciendum. Non intendimus tamen quod propter ea nobis seu successoribus nostris, juribusque & libertatibus nostris & nostri episcopatus generetur aliquod præjudicium in futurum, sed nihilominus jus nostrum integrum & salvum volumus in omnibus remanere. In cujus rei testimonium nostrum hiis præsentibus duximus apponi sigillum die secunda Aprilis, anno Domini millesimo quadringentesimo secundo, ante Pascha.

A

CXXXIII.

Henricus Franciæ & Angliæ rex dat licentiam capitulo Autissiodorensi episcopum eligendi.

1426. *HENRY, par la grace de Dieu, roy de France & d'Angleterre : Au premier huissier de notre Parlement, ou autre notre sergent qui sur ce requis, salut. Comme il soit nouvellement venu à nostre cognoissance l'eglise cathedrale d'Aucerre estre vacant & destituée de pastour, par le trepassement du derrenier evesque d'icelle : & par ce les doyen & chapitre de ladicte eglise ne peuvent, ne doivent proceder à l'eslection du futur pastour d'icelle eglise, sans prealablement avoir demandé & requis nostre congié & licence sur ce ; Pour ce est-il que nous te mandons & commettons par ces presentes, que tu faces deffenses de par nous, sur peine de deux mil marcs d'argent à nous appliquer, ausdiz doyen & chapitre, & aux singuliers chanoines de ladite eglise, & à tous autres qu'il appartiendra, qu'ils ne procedent à l'eslection dudit futur pastour jusques ad ce qu'ils ayent requis & demandé de nous lesdiz congié & licence : à prendre & parcevoir lesdites peines sur le temporel desdiz doyen & chapitre, & desdiz singuliers chanoines. Et de ce que fait en auras, certifie duëment nostre très-cher & très-amé cousin le Chancellier de France, & les autres gens de notre Grand-Conseil à Paris. Car ainsi nous plaist-il estre fait par ces presentes. Donné à Paris le derrenier jour d'Octobre, l'an de grace mil quatre cent vingt-six, & de notre regne le quint. Ainsi signé par le roy, à la relation du Conseil.* BOULENGIER.

B C

Par vertu desquelles lettres dessus transcriptes je me suis transporté en la ville & cité d'Aucerre, pour lesdites lettres mettre à execution. Et moy estant audit lieu, & souffisamment conforté de justice, je, le douziesme jour de novembre l'an mil quatre cent vingt-six, me transportay en l'eglise de saint Estienne d'Aucerre, par devers, & à la personne de honorable homme & saige maistre Hugues des Noes, doyen en ladite eglise d'Auxerre, auquel je présentay & fis construction & lecture desdictes lettres-royaux, en lui requerant qu'il assemblast & fist assembler les autres chanoines de ladicte eglise d'Auxerre [a] au *ou [a] chapitre d'icelle, pour oyr le contenu es dictes lettres, & icelle mettre à execution, selon le contenu en icelles. Lequel doyen me respondit que voulentiers le feroit : & tantost après fist sonner la cloche accoustumée de sonner pour assembler ledit chapitre ; ouquel [b] & en la presence dudit doyen, & plusieurs des chanoines d'icelle eglise, en grand & souffisant nombre, faisant la plus grande & saine partie desdits chanoines, se assemblerent. Et eux assemblés oudit chapitre, chappitrans & chapitre tenans au lieu, heure & en la maniere accoustumée, je fis lecture à haute voix desdites lettres-royaux de mot à mot. Et ce fait ausdiz doyen & chapitre, & aux singuliers chanoines de ladicte eglise ainsi assemblés, comme dit est, feiz deffenses de par le roi notre sire, qu'ils ne procedent à l'eslection, ny à eslire evesque & pastour à icelle eglise d'Auxerre, jusques à ce qu'ils en ayent requis & demandé congié & licence du roy nostredit sire, sur peine de deux mil marcs d'argent, à lui appliquer ; à prendre & percevoir lesdites peines sur le temporel desditz doyen & chapitre, & desditz singuliers chanoines, & tout selon la forme & teneur desdites lettres royaux. Lesquels doyen & chapitre me respondirent qu'ils se garderoient de mesprendre, en moy requerant coppie & retenue de tout mondit exploit ; auquel doyen & chapitre leur baillay ladicte coppie. Et tout ce, mes très-chers & redoubtés seigneurs, vous certifie par moy avoir esté fait par cette mienne présente relation signée de mon seing manuel, & scellée de mon seel, duquel je use en mondit office faisant, qui fut fait l'an & jour dessusdictz.*

G. DE MARISY.

[b] auquel

CXXXIV.

Litteræ Eugenii papæ de bonis ecclesiæ Autissiodorensis non alienandis.

EUGENIUS episcopus servus servorum Dei ; dilectis filiis S. Petri Autissiodorensis & sancti Mariani extra muros Autissiod. monasteriorum abbatibus salutem in domino & benedictionem apostolicam. Ad audientiam nostram pervenit quod tam dilecti filii decanus & capitulum ecclesiæ Autissiod. quam prædecessores eorum qui fuerunt pro tempore, decimas, primitias, census, fructus, redditus, proventus, jura, homagia, jurisdictiones, legata, servitia, emolumenta, censualia, sepulturas, terras, territoria, possessiones, hæreditates, domos, hortos, vineas, campos, prata, pascua, nemora, molendina, lacus, stagna, piscarias, acta, litteras, instrumenta, codicillos, debiti cedulas, libros, cruces, calices, indumenta ecclesiastica, sanctorum reliquias, fustes, trabes, postes, lectos, vestes, clamides, pannos laneos & lineos, vini, frumenti, cupri, stanni, auri & argenti, leguminum, lanarum quantitates, oves, boves, equos, capras, agnos, caballos, pecuniarum summas, & quædam alia bona mobilia & immobilia ad mensam capitularem dictæ ecclesiæ spectantia, datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renuntiationibus & pœnis adjunctis, in gravem ipsius mensæ læsionem, nonnullis clericis & laicis aliquibus, eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, & aliis perpetuo, ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super his confirmationis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hoc de opportuno remedio providere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ea quæ de bonis ipsius mensæ per concessiones ejusmodi alienata inveneritis illicite vel distracta, nonobstantibus litteris, instrumentis, juramentis, renuntiationibus, pœnis & confirmationibus supradictis, ad jus & proprietatem ejusdem mensæ legitime revocare curetis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerunt nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si ambo his obsequendis non poteritis interesse, alterutrum ea nihilominus exequatur. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo primo, II nonas Febr. pontificatus nostri anno primo. 1431

D

CXXXV.

Bulla Callixti papæ contra eos qui occupaverant bona decani & capituli Autissiodorensis.

CALLIXTUS episcopus servus servorum Dei ; dilectis filiis S. Germani & S. Columbæ prope Senones monasteriorum abbatibus, & cantori beatæ Mariæ Autissiodorensis, salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod tam dilecti filii decanus & capitulum Autissiodorensis ecclesiæ, quam nonnullæ singulares personæ, qui in dicta ecclesia præcesserunt eosdem, decimas, fructus, terras, domos, vineas, possessiones, grangias, piscarias, castra, casalia, prata, pascua, stagna, lacus, nemora, molendina, aquas, aquarum discursus, jura, jurisdictiones & quædam alia bona ad mensam capitularem dictæ ecclesiæ spectantia, datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis juramentis, factis renuntiationibus & pœnis adjectis, in gravem ipsius mensæ læsionem, nonnullis 1457.

E

Digitized by Google

clericis & laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, & aliis perpetuo, ad firmam vel sub censu annuo concesserunt; quorum aliqui dicuntur super his confirmationum litteras in communi forma a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hoc de opportuno remedio providere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ea quæ de bonis ipsius mensæ per concessiones hujusmodi alienata inveneritis illicite vel distracta, nonobstantibus litteris, instrumentis, juramentis, renuntiationibus, pœnis & confirmationibus supradictis, ad jus & proprietatem ejusdem mensæ legitime revocare curetis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postbabita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si omnes his exequendis non potueritis interesse, duo aut unus vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, decimo kal. Novembris, pontificatus nostri anno tertio.

CXXXVI.

Concordata inter episcopum & capitulum Autissiodorenses.

1458. *A Tous ceux qui ces presentes lettres verront; Germain Tioué licentié es loix, & Simon Tribollé gardes du scel du roy nostre sire en la prevosté d'Auxerre, salut. Savoir faisons que par-devant Blaize Moirotte clerc tabellion-juré du roy nostredit sire en la cour de ladite prevosté, comparurent en leurs personnes reverend pere en Dieu monseigneur Pierre, par la permission divine evesque d'Auxerre, pour lui d'une part; venerables & discretes personnes maistres Guillaume de Longueil chanoine & grand archidiacre de l'eglise d'Auxerre, Jehan de Molins chanoine de ladite eglise & archidiacre de Puisaye, Guillaume Ivon Penaveur, mess. Simon Bosche souschantre, Estienne le Begue, Jehan Buron, Jehan Maulvoisin, Jehan Guinard, Jehan Choin, Pierre Jouchii, Vincent Gerbavet, Gui Bertavet, Nicolo du Crot, Estienne Champoin, Guillaume du Couil, Jehan Tannere, Estienne Vaudet, Jehan Thoin, Jehan du Champ, Anthoine Thiart, Pierre des Portes, Germain le Begue & Philippe Cotte, tous chanoines de ladite eglise d'Auxerre, assemblez ensemble au son de la cloche en leur chapitre capitulans au lieu, heure & en la maniere accoustumée, pour & au nom de ladite eglise & du chapitre d'icelle d'autre part, & en l'absence du doyen d'icelle eglise: disans & maintenans icelles parties, comme procez & debats fussent meus & esperanses d'estre & mouvoir entre elles pour raison, cause & occasion de ce, premierement, que les venerables doyen & chapitre d'icelle eglise d'Auxerre disoient, maintenoient & avoient intention de dire & maintenir à l'encontre du reverend pere en Dieu que jacoit, & combien qu'icelui reverend à cause de son eglise & evesché d'Auxerre fust tenu & chargé de rendre & payer ausdits venerables doyen & chapitre, chacun an, de rente annuelle & perpetuelle, la somme de cent quatorze livres douze deniers Tournois, aux termes & selon la forme & teneur de certain arrest de la Cour de Parlement, & pour les causes contenues & declarées en icelui, donné en datte du huitieme jour du mois d'Avril l'an mil quattre cent vingt-ung avant Pasques. Neantmoins, & ce nonobstant, ledit reverend pere avoit & a cessé de payer entierement ladite somme pour l'année derniere passée; requerant iceulx venerables audit reverend qu'icelle somme leur voulist rendre & payer selon la forme & teneur dudit arrest. A quoi icelluy reverend disoit & respondoit que voirement ledit evesché d'Auxerre estoit & est chargé envers lesdits venerables de rendre & payer à eux & à leurs successeurs doyen & chapitre*

A *de ladite eglise, chacun an, ladite rente & somme devant dicte, pour les causes & aux termes contenus audit arrest: mais les rentes, revenus, prouffits & emolumens dudit evesché estoient en telle maniere diminués & amoindris, que par raison il ne leur pourroit bonnement payer ne satisfaire entierement ladicte somme; requerant ausdits venerables que considerées les guerres, mortalités, famines & autres fortunes contraires qui ont courues audit evesché d'Auxerre depuis ledit arrest de Parlement, ils voulussent de & sur ce faire remission, diminution & moderation telle que faire se pourroit & devroit par raison & pour eviter procez & debats, & nourrir bonne paix & amour entre icelles parties; & à cette fin ledit reverend offroit & a offert ausdits venerables que durant sa vie audit evesché il quittoit tous les chanoines de ladicte eglise,*
B *presens & advenir, curez audit evesché d'Auxerre, des droicts qu'il a droict & accoustumé de prendre en visitant & pour raison de la visitation & procuration desdites cures.* Item, *& avec ce disoient & maintenoient lesdits venerables contre leurdit reverend que à cause de leurdite eglise ils estoient & sont exempts dudit reverend & de toute sa jurisdiction, en telle maniere que ledit reverend ne peut par lui, ses vicaires, official, scelleur, promoteurs ou autres de ses officiers, exercer aucune jurisdiction, exploict de justice civilement ou criminellement, en & sur les chanoines & tortriers de ladicte eglise, & autres ayans dignitez ou offices perpetuelles en icelle, ne sur les serviteurs & familiers domestiques d'eux, ne de chacun d'eux demeurants en leurs maisons cloistrales & canonniales, pour quelconque caz ou delict que ce soit, ne pour*
C *autre cause ou occasion, exceptez en tant qu'il touche lesdits serviteurs ou familiers en deux cas tant seulement, c'est à sçavoir en cas d'homicide & de ravissement, & tout selon la forme & maniere contenue en certain accord de recreance, donné en datte de l'an mil quatre cent & quinze, le quinzieme jour d'Apvril avant Pasques; & à iceux compete & appartient, & doit par raison competer la jurisdiction, cognoissance, punition & correction, & à l'occasion de ce ont droicts lesdits venerables, & sont en bonne possession & saisine, que ce aucun des susdits pour aucun cas & crime qu'il ait commis, fait & perpetré, est cité, convenu, pris ou emprisonné par aucun juge lay ou temporel, de en avoir singulierement toute la requisitoire punition & correction, en telle maniere que ledit reverend à cause de sa jurisdiction ne autrement, n'y a que voir ne que cognoistre. Néan-*
D *moins, ces choses nonobstant, ledit reverend pere pour ce que maistre Guillaume Chevalier chanoine prebendé en ladite eglise, nagueres avoit esté prins & detenu prisonnier par les gens & officiers gardans la justice temporel des religieux, abbé & convent de saint Germain d'Auxerre, pour aucun cas, crime & delict que l'on lui imposoit avoir fait & perpetré en leur jurisdiction, ledit reverend pere en Dieu, ou ses procureurs, gens ou officiers de la justice spirituelle, s'étoit parforcé de faire la requisitoire dudit maistre Guillaume Chevalier ausdits gens & officiers desdits religieux de S. Germain, en leur requerant que ils le lui voulissent rendre & bailler chargé desdits cas pour lesquelles ils le detenoient prisonnier, pour d'iceux crime & delicts le punir, justicier & corriger ainsi qu'il appartiendroit: & pour ce que*
E *les gens & officiers desdits religieux avoient refusé audit reverend la rendue dudit maistre Guillaume, icelui reverend en avoit pris & obtenu une complainte du cas & matiere de possession, de saisine & de nouvelleté allencontre desdits religieux; lesquelles choses ledit reverend avoit fait & fait faire au prejudice & dommage des droicts desdits venerables, & en les troublant & empeschant en leurs saizines & possessions à tort, sans cause, induement & de nouvelle, si comme lesdits venerables disoient & pour ce requeroient iceulx venerables audit reverend que ces choses il voulsist reparer & amender. Ledit reverend disoit au contraire, & à ce non estre tenu, & que à bonne & juste cause il s'étoit complaint en matiere de nouvelleté contre lesdits religieux; car ledit*

Digitized by Google

Chevalier estoit son scelleur, son familier domestique & clerc notoirement, portant habit & tonsure, & que lesdits religieux l'avoient detenu prisonnier en leurs prisons seculieres après ladicte requisitoire outre vingt & quatre heures & plus : ce que faire ne pouvoient, ne debvoient, mais le debvoient rendre audit reverend, & plusieurs autres causes & raison qu'il disoit & proposoit, & avoit intention de dire, proposer & alleguer en temps & lieu, & en disoit outre & maintenoit ledit reverend pere en Dieu que jacoit ce & combien que la succession eschoitte en biens meubles des prebstres & curez morant & decedant en son evesché quand ils vont de vie à trepassement intestats, & sans aucun vrai heritier, luy compete & appartient, & par raison lui doit competer & appartenir. Neantmoins, & ces choses nonobstant, lesdits venerables puis un an & demy en ça avoient & ont pris & apprehendé, ont fait prendre & apprehender touts les biens meubles demourez par le decez & trepassement de feu messire Pierre Oribon, en son vivant prestre curé de Lindry, qui mort & trepassé estoit intestat & sans hoirs, qui fut ne soit apparut audit lieu de Lindry qui est de son evesché; & pour ce requeroit ledit reverend ausdits venerables que ils lui voussissent rendre & restituer touts les biens meubles demourez par le deceds & trepassement dudit feu messire Pierre. Lesdits venerables disants & alleguants au contraire, & à ce non estre tenu, & que iceulx biens leur competoient & appartenoient comme biens vacans, pour ce que ledit Oribond estoit demourant & trepassé audict lieu de Lindry assis en la justice temporelle desdicts venerables, & autres causes & raisons qu'ils avoient intention de dire, proposer & alleguer en temps & en lieu; que de ce ils estoient en bonne possession & saizine, & plusieurs autres moyens, causes & raisons que lesdites parties proposoient, disoient & maintenoient, & avoient intention de dire, proposer, maintenir & alleguer l'une contre l'autre touchant les choses dessusdictes autrefois quand mestier seroit. Finablement lesdites parties, tant d'une part que d'autre, pour le bien de la paix, & pour avoir, norrir & tenir bon amour, dilection & concorde entre elles, aujourd'hui, par devant ledit juré, icelles parties estant assemblées audit chapitre comme dit est, de leur bon gré, franchises & volontez, ont congnu & confessé avoir fait traictié, transigié, promis & accordé entre elles sur des choses dessusdictes leurs dependenses en la maniere qui s'ensuit; & premierement, sur le premier article de ces presentes touchant le fait de la somme de cent quatorze livres douze deniers deubs ausdits venerables chacun an & en la maniere dessus declarée, & le fait de la procuration que ledit reverend pere en Dieu demande aux chanoines d'icelle eglise, curez & tenants cures & eglises paroissiales en sondit evesché, lesdits venerables assemblés & capitulans en leurdit chapitre comme dit est, pour la reverense dudit reverend, & pour le grand amour qu'ils ont à luy, ont voulu & consenti audit reverend pere en Dieu que icelluy reverend, le cours de sa vie durant & estant evesque d'Auxerre, ne leur paye, ne soit tenu de payer de la somme de cent quatorze livres douze deniers que la somme de quatre-vingt-quinze livres Tournois chacun an, aux termes & par la forme & maniere que contenu est audict arrest, & pour l'amour que ledict reverend a ausdicts venerables, & en recompensation de ce que dict est, ledict reverend pere en Dieu a voulu, consenti, promis & accordé que doresnavant, tant comme icelluy reverend pere en Dieu vivra & sera evesque d'Auxerre, ne demandera, prendra, ne aura aucune procuration d'aucuns desdicts venerables qui tiennent ou tiendront aucunes cures ou eglises paroissiales en sondict evesché, supposé & combien que ledict reverend les visite & veille visiter. Item, *& quand au second article ci-dessus escript, faisant mention de la requisitoire dudict maistre Guillaume Chevalier, les parties ont voulu & consenti, veulent & consentent que ladicte requisitoire qui faicte a esté par ledict reverend ausdicts officiers desdicts religieux, abbé & convent de S. Germain au regard d'eux & en tant* A *qu'il leur peut toucher, & tout ce qui en est intervenu entre luy, est dict & reputé comme non faict & non advenu, sans prejudice des droicts, possessions & prerogatives de l'une des partyes, ne de l'autre pour le temps advenir, en telle maniere & soubs telle condition que quelque chose qui advienne ou pourra advenir du faict d'une complainte en cas de possession, de saizine & de nouvellete, prise & obtenue par ledit reverend pere en Dieu allencontre desdits religieux, abbé & convent de saint Germain d'Auxerre & de leurs officiers touchant le faict de ladicte requisitoire dudict maistre Guillaume Chevalier, & aussi d'une autre complainte prise & obtenue par lesdicts venerables contre lesdicts religieux, touchant aussi ladicte requisitoire dudict maistre Guillaume Chevalier, ny quelque fin ou conclusion que lesdicts procez d'icelles* B *complaintes pregnent, icelles complaintes ne tourneront, ne pourront tourner à prejudice à l'une desdictes parties ne à l'autre.* Item, *& quand au dernier article de sesdictes presentes lettres faisant mention des biens dudict messire Pierre Oribond, ledict reverend pere en Dieu, pour l'honneur & l'amour desdicts venerablrs, est d'accord non faire aucune poursuite contre lesdicts venerables, & que lesdicts biens demeurent au profit desdicts venerables, & tout sans prejudice dudict reverend en Dieu, ne des droits & prerogatives de sondict evesché, ne aussi desdicts venerables pour le temps à venir : car ainsi a il esté passé & accordé par lesdictes parties. Et toutes les choses dessus dictes & chacune d'icelles ont icelles parties voulu, consenti, promis & accordé icelles parties, & une chacune d'icelles promettant par leur foy, c'est* C *à sçavoir, ledict reverend pere en Dieu en parolles de prelat, & lesdicts venerables dessus nommés, & chacun d'eux, en parolles de prebstre, les mains mises au prez & sous obligation, c'est à sçavoir, ledict reverend des biens temporels de sondict evesché, & lesdicts venerables des biens temporels de leurdicte eglise, que contre les traictiez, accords, compositions & convenanses dessus dictes, ou aulcunes d'icelles, jamais ne viendront, ne feront venir par eux ne par autre. . . . . les tiendront & entretiendront de poinct en poinct selon leur forme & teneur, sur peine de rendre & payer l'une partie à l'autre tous coustz, pertes, dommages & interest qui par deffault desdictes choses dessus dictes, ou aulcune d'icelles, non tenue, entretenue & accomplie comme dit est, pourroient estre faictes ou soustenues; & quand à ce lesdites parties & une chacune d'icelles se* D *soubsmirent & sont soubsmises à la jurisdiction & . . . . de la cour de ladicte prevosté & à toutes autres, pour estre constraintes & justitiees par la prise, vendue & exploitation de leursdicts biens, renonceantes en ce faict lesdictes parties par leurdicte foy, à toutes actions, exceptions & deceptions à tout droit escrit & non escrit, canon & civil, au droict disans generalle renonciacion non valloir se le speciale ne precede, & generalement à toutes les choses qui contre ces lettres pourroient estre dictes ou apposées. . . . . . . & appellées à ce en temoignage par ledict juré, honnorables hommes & sages maistre Tosseaulme. Court-jaret & Jacques Driart licentié es loix, & Jehan Adnaut procureur demeurant à Auxerre. En temoing de ce nous, au rapport dudit juré, avons scellé les presentes du scel* E *de ladicte prevosté. Donné l'an de grace mil quatre cent cinquante-huict, le huictieme jour du moys de Novembre.*

Ainsi signé MOIROT *avec paraphe, & scellé en scel de ladicte prevosté, avec contre-scel en cire verte.*

CXXXVII.

Fundatio canonicorum S. Ferreoli.

NOUS *Antoine de Chabannes, comte de Dampmartin, baron de Thoucy, du Tour en Champagne, de Cemeirac & de la Givole, seigneur de Moret, de Crecy & des pays de Puysaye & de Bedeyne, grand maistre d'hostel de France, sçavoir faisons à tous presens & à venir, que pour la bonne devotion que nous avons* 1472.

Digitized by Google

envers notre Seigneur, ferme esperance en l'ayde de son glorieux martyr monsieur S. Ferreol, & singuliere affection à l'eglise d'iceluy martyr, assize & située en nostre ville de S. Fergeau ez pays de Puisaye, au diœcese d'Auxerre, afin qu'iceluy benoist martyr soit tousiours vray intercesseur envers notre Seigneur pour nous, nostre tres-aymée compagne, nos predecesseurs & successeurs; & aussy pour le salut & remede de l'ame de feu prince de bonne memoire le feu roy Charles septieme, que Dieu absolve, duquel avons receu plusieurs grands biens & honneurs. Considerans que de tout nostre estat, faict ou œuvre mortel & transitoire, n'emporterons que le seul merite devant la face du Juge Eternel; & aussy qu'entre tous autres biens, aumosnes & charités sont à Dieu agréables, ausquels mesmement ceux qui plus ont de prest de Dieu sont plus obligés, & plus leur profite à l'ame ce bien faict en vie qu'après la mort, de laquelle l'heure est toute incertaine, doultans que par icelle ne soyons soudainement prevenuz sans rapporter bonne œuvre ou fruict meritoire. A l'honneur & louange de Dieu tout-puissant, de sa glorieuse Vierge mere & dudit benoist martyr, pour le divin service ordinairement & chacun jour perpetuellement estre faict & accomply en ladicte eglise, fondons un college perpetuel de nombre de neuf personnes ecclesiastiques, c'est à sçavoir un doyen qui sera le curé en chef de ladicte eglise, cinq chanoines, deux enfans de chœur & un marillier, tous seculiers, avec les fraiz & par les charges & manieres ci-après declarées. Et premierement voulons & ordonnons pour lesdits fondation & divin service faire & accomplir, ledit college estre fondé & doué, & iceluy fondons & douons de la somme de deux cens livres Tournois de revenue, monnoye courante à present au royaume de France, laquelle revenue ferons faire admortir à nos propres cousts & despens, & payer toutes indemnités, interest & despens, tant envers le roy nostre sire, ses gens & officiers en sa Chambre des Comptes à Paris, & les seigneurs ou dames dont les terres où ladite revenue sera assise & seront tenues: & ladite somme de deux cens livres Tournois monnoye dicte, voulons & ordonnons estre prise, cueillie & levée par lesdits doyen & chanoines sur toutes les terres & seigneuries de nous & nos successeurs generalement, & icelles, quant à ce, estre obligées, affectées & ypotequées jusques à ce que par nous ou aucuns de nosdits successeurs ou autres personnes à ce par nous commis, lesdits deux cens livres de revenue soient assises, assignées & admortyes comme dit est nommement & deuement par parties declarées par le menu à nosdits doyen & chapitre; lesquelles deux cens livres Tournois de revenue voulons & ordonnons à iceux estre payés & delivrés, & entre eux parties & divisées par chacun an par esgale portion pour leur vye & estat selon ce qu'ils resideroient au service, qui sera en somme à chacun pour teste desdits chanoines, trente livres Tournois par an, sauf que sur icelle somme totale le doyen curé prendra pour un chanoine & demy; moyennant & parmy ce que toutes les oblations qui seront doresnavant faicles & offertes en icelle eglise monsieur S. Ferreol, & ès eglises assises & situées ès fins & mettes de ladicte cure dudict lieu, en quelque maniere que ce soit, soient communes entre lesdits doyen & chanoines par la maniere que dessus: & aussy que tous lays & donations quelsconques que doresnavant seront faicts & delaissez en ladicte eglise, demeureront communes entre eux; & à chascun desdicts enfans de chœur vingt sols Tournois par terme, faisant une somme par an quatre livres Tournois par teste. Item, *au marguillier de ladicte eglise pour faire ce qu'il appartient à ladicte eglise & audit office, vingt sols Tournois pour chascun terme, faisant quatre livres Tournois par chascun an; lesquels enfans & marilliers pourront iceux doyen & chanoines instituer & destituer.* Item, *pour faire le luminaire & faire le divin service par lesdicts doyen & chapitre, auquel luminaire seront ordinairement employez deux cierges à l'autel & aux festes doubles & solemnelles, deux autres pour les clercs & enfans de*

A *chœur, & deux torches ordinaires à servir, faire & continuer le divin service, huict livres Tournois; lesquelles sommes dessusdictes font en somme toutes lesdites deux cens livres Tournois, & en ce ne seront point comprises les maisons canonialles qu'avons jà encommancées à faire & esperons parfaire pour lesdicts sieurs chanoines seulement, parce que ledict doyen curé a d'ancienneté le presbytere pour demeurance; & aussy plusieurs croix, calices, joyaux & ornemens d'eglise que leur avons jà baillé pour le divin service entretenir & pour la fondation: & moyennant lesdictes deux cens livres Tournois de revenue & autres choses dessusdites, iceux doyen & chapitre seront tenus & chargez à tousioursmais perpetuellement dire & celebrer par chacun jour en ladicte eglise pour le remede des ames de nous & de nostre* B *très-chere & très-aymée compagne Marguerite de Nantueil contesse, & aussy pour le salut & remede de l'ame de feu prince de bonne memoire le feu roy Charles septieme, que Dieu absolve, duquel avons receu plusieurs grands biens & honneurs comme dict est, & nos predecesseurs & successeurs, deux messes ordinaires, & touttes les Heures canonialles comme en l'eglise d'Aucerre, c'est à sçavoir Matines, Primes, Tierces, Midy, Nonnes, Vespres & Complies, selon l'usage de ladicte eglise d'Aucerre, à heures convenables & à haute voix, & par especial lesdites Matines à quatre ou cinq heures du matin, & après le poinct du jour en tout temps & saisons, sauf en festes solemnelles; l'une desdites messes basses chaque jour, qui sera dite & celebrée le Dimanche en l'honneur de la saincte Trinité, le Lundy des Trepassez, le Mardy du S. Esprit, le Mercredy dudict* C *glorieux martyr monsieur S. Ferreol, le Jeudy du sainct Sacrement, le Vendredy de la Croix & le Samedy de Nostre-Dame; laquelle messe se coppetera chascun jour trente coups par long traict à la grosse cloche, & après ladicte messe à heure de sept ou huict du matin, à haulte voix Prime selon l'usage d'Aucerre; & tantost après Tierce, & incontinent après ladite grande messe à diacre & sousdiacre comme en tel cas appartient, & selon la forme & maniere de ladicte eglise d'Auxerre; & après ladicte grande messe, Midy à haute voix comme devant, & pareillement l'heure de Nonne à deux ou trois heures après midy, Vespres & Complies consequemment à l'heure competant selon la maniere cy-dessus divisée, & tout ainsy que plus à plein sera ordonné faire par reverend pere en Dieu monsieur l'evesque d'Auxerre ou ses commis,* D *par statuts & ordonnances expresses comme il est accoustumé de faire en tel cas.* Item, *& que ez festes solemnelles, & tous les Dimanches & jours des feries de Pasques, de Pentecoste, de Noel & à toutes les festes Nostre-Dame, lesdicts doyen & chanoines, avant leur grande messe, seront tenus faire ausdits jours une procession autour de leur eglise & service propre selon le jour des festes, à haute voix; & quand ils seront au droit du cimetiere, dire* De profundis *& les oraisons pour les Trepassez; & après l'entrée de ladite eglise, dire devant l'image Nostre-Dame* Salve regina, Inviolata, *ou autres respons & oraisons selon le temps.* Item, *& avec ce, seront tenus à tousioursmais dire & celebrer quatre anniversaires en l'année ez quatre Vendredys des Quatre-temps, à chacun desdits jours seront dits & celebrez* E *à haulte voix solemnellement le Jeudy. comme Vespres des Morts, sonner les cloches comme il appartient, & le Vendredy Vigiles des Morts à neuf pseaulmes & neuf leçons, trois grandes messes à nottes, diacre & sousdiacre, l'une du S. Esprit ou du jour quand il y aura office propre, l'autre de Nostre-Dame, & la derniere des Trepassez & deux messes basses; & ainsi seront cinq messes, & la messe coppetée qui se continuera après le poinct du jour ainsy que devant est dict, & par ainsy lesdittes Vendredy des Quatre-temps, lesdicts doyen & chanoines seront tenus de dire chascun messe; & aussy seront tenus estre prestres dedans l'an après la possession par eux prise, & de faire sur ledit lieu de S. Fergeau continuelle residence, & continuellement servir*

Digitized by Google

esdittes heures & messes, quelques autres benefices que ils ayent ailllieurs, à peine de privation de leurdite prebende, ne sur ce impetrer lettres de non residence, sinon qu'ils fussent occupez pour le bien & utilité & par la deliberation dudict college, ou qu'ils fussent malades; lesquelles prebendes audict cas. & toutes & quantes fois qu'elles vacqueront canoniquement par le moyen que dessus ou autrement, nous fondateur & protecteur d'icelles, nos successeurs seigneurs & comte de Dampmartin, vivans & descendans de nostre corps, ou nostre plus prochain parent & lignager portant nos nom & armes, les presenteront audict reverend pere & à ses successeurs pour les consentir selon Dieu & nostre conscience, ainsy que il nous semblera: & pour iceluy college faire & encommencer, avons presenté & presentons par ces presentes audict reverend pere, messire Gerard de la Melye curé dudit S. Fergeau, pour estre doyen curé dudict college, Girard Poterat, Jean Boudin, Estienne Giles, Laurent Guiard & Guillaume Veillat, tous prestres, comme idoines & suffisans pour faire & celebrer le divin service ainsi que dessus, & par nous ordonné, pour par iceluy reverend pere conferer & ordonner à chascun d'iceux icelles doyenné, chanoinnyes & prebendes, pour en jouir selon nostredicte ordonnance, en requerant à iceluy reverend pere ainsy le faire, & mander estre receu à ce. Et pour ce que la presentation de laditte cure appartient au reverend pere en Dieu monsieur l'abbé de S. Germain d'Aucerre, de l'ordre de S. Benoist, patron d'icelle cure, lequel a presenté ledict messire Girard audict reverend pere en Dieu monsieur l'evesque d'Auxerre, voulons & consentons que toutes & quantes fois que ledit benefice vacquera par decebs, permutation, privation ou autrement, que nous & ledict abbé & ses successeurs, alternis vicibus, *la presenteront audict evesque pour conferer à celuy qui par nous ou ledict abbé sera presenté, lesquels doyen & curé ne seront reputez qu'un seul benefice conjoints & unis ensemble. Et quant à ladicte fondation par la forme & maniere que dessus faire a.complir & entretenir, obligeons touttes nosdictes terres, revenues, seigneuries & possessions, & celles de nos heires ou ayans cause, ou quelles soient de present ou pour lors. Promettons par la foy de nostre corps à Dieu & au benoist martyr, les choses ci-dessus, & chascune d'icelles faire, continuer & entretenir en la maniere dessus ditte, sans jamais venir au contraire. Et pour laditte fondation plus solemnellement & seurement estre faite, avons en tesmoing de ce signé ces presentes lettres de nostre seing manuel, & fait signer du seing manuel de nostre secretaire, & icelles du scel de nos armes. Presens venerables & discrettes personnes monsieur Guillaume Ragonneau chantre de Gien, nottaire apostolique, noble homme Pierre Clerct seigneur de Mere, honorable homme & saige M. Jean Bourgeois licentié ez loys, bailly de Nemours, & Thomas Musnier nostre procureur en nostredite terre de Puisaye. Le Vendredy dix-septieme jour d'Appril après Pasques de l'an mil quatre cens soixante-douze. Ainsy signé* A. DE CHABANNES. *Et au reply signé* REGNAULT *par vostre commandement. Et scellé du grand scel à double queue de cire rouge.*

CXXXVIII.

Episcopus Autissiodorensis confirmat fundationem & statuta ecclesiæ collegialis S. Ferreoli.

1472. PETRUS miseratione divina Autissiodorensis episcopus, universis & singulis nostras præsentes litteras visuris & audituris, salutem in domino sempiternam. Cum nuper in collegialis ecclesiæ sancti Ferreoli per potentem & nobilem dominum dominum Anthonium *de Chabannes* militem, comitem Domni-martini, baronem de Thouciaco, dominumque Puysaiæ & dicti S. Ferreoli, & magnum hospitii Franciæ magistrum, facta de nostro assensu expresso in parrochiali prius ecclesia ejusdem sancti Ferreoli memorata, nostræ Autissiodorensis diœcesis, erectione, fundatione atque dotatione; cura ipsa parrochialis de nunc ejusdem existentis curati consensu & voluntate, erecta fuit in decanatum, cui eadem a modo cura cum semi-præbenda ipsius collegialis ecclesiæ annectitur, & cujus ipse idem curatus qui nunc est, in proximo decanus ejusdem futurus, & ad eamdem jam per ipsum dominum fundatorem nobis præsentatus, & qui pro tempore futuro erunt decani, curati erunt una cum hoc canonici præbendati, & sic pro uno canonico cum dimidio in omnibus in eadem percipient collegiata ecclesia portionem juxta sui fundationis tenorem: certe super oblationibus quibuscumque quæ ad ipsam parrochialem curam antedictam collegialem fundationem pertinebant, atque super juribus parrochialibus & aliis quibusdam, conventiones & pactiones inter eumdem memoratum dominum fundatorem pro & nomine collegii ipsius seu capituli ex una parte, ac eumdem curatum qui nunc est, decanum in proximo futurum curatum & canonicum præbendatum, pro se suisque futuris successoribus decanis ejusdem collegiatæ ecclesiæ curatis canonicis præbendatis, ex parte altera, initæ fuerint, passatæ & coram magistro Guillermo Ragonelli notario apostolico publico concordatæ, prout in instrumento publico per eumdem notarium confecto & signato nostri officialatus Varziaci sigillo roborato, cui præsentes sunt annexæ litteræ ad plenum continetur. Notum facimus quod nos ejusdem instrumenti & in eodem contentorum, viso tenore & attento, pactiones & conventiones hujusmodi in eodem expressatas & declaratas instrumento, laudavimus, consensimus, ratificavimus, confirmamus, & nostra cum interpositione decreti approbamus, nostro & cujuslibet in omnibus jure salvo. In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum nostrum præsentibus nostris litteris jussimus apponi sigillum. Datum in nostro Varziaci castro, die vicesima prima mensis Aprilis, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo post Pascha.

Sic signatum per dominum episcopum.

J. DE PORTIS.

CXXXIX.

Carta fundationis decanatus in ecclesia sancti Ferreoli.

IN nomine Domini, amen. Universis præsentes litteras inspecturis & audituris officialis Varziacensis Autissiodorensis diœcesis salutem in Domino. Notum facimus quod in dilecti & fidelis mandati nostri, videlicet magistri Guillelmi Ragonelli presbyteri cantoris & canonici ecclesiæ collegiatæ B. Stephani de Giemo Autissiodorensis diœcesis, auctoritatibus apostolica & imperiali curiæque Varziacensis notarii jurati nostri subscripti, cui quoad hoc & majora loco nostri recipienda commisimus vices nostras, necnon testium infra scriptorum ad hæc vocatorum specialiter & rogatorum præsentia, propter hoc personaliter constituti nobilis & potens dominus Anthonius *de Chabannes* miles, comes Domni-martini, baro de Puisaya, dominus S. Ferreoli & magnus magister domus Franciæ parte ex una; & discretus vir dominus Girauldus *de la Molie* presbyter curatus ecclesiæ parrochialis dicti S. Ferreoli in Puisaya, dictæ Autissiod. diœcesis, parte ex alia, dicentes & asserentes quod cum ipse nobilis & potens dominus in ecclesia parrochiali dicti S. Ferreoli, cujus temporale dominium obtinet, ad honorem Dei & beatissimæ Virginis Mariæ ejus genitricis, beatique Ferreoli martyris & divini cultus augmentum pro suæ animæ salubri remedio dotare & fundare proposuisset unum collegium novem personarum, videlicet decani & quinque canonicorum, duorum puerorum & unius matercularii. 1472.

Quod facere nolebat dictus dominus in dampnum & jacturam alterius, videlicet ipsius curati, immo in sui beneficii utilitatem & augmentationem, & ut cum ipso curato & suis successoribus dictum collegium seu canonici ejusdem connexionem in perpetuum haberent, quod ipse curatus consentiret, quod omnes oblationes dictæ ecclesiæ S. Ferreoli & aliarum ecclesiarum seu capellaniarum infra metas dictæ parrochiæ situatarum essent communes inter decanum & canonicos, & quod legata & fundationes quæ de cætero fierent a parrochianis seu aliis quibuscumque personis dictæ ecclesiæ tam in anniversariis, missis, quam alias, converterentur in utilitatem & commodum bursæ communis dicti collegii: & quod ipse curatus & sui successores in perpetuum essent decani, canonici & curati, & quod perciperet & ejus successores perciperent pro uno canonico cum dimidio in omnibus quibuscumque redditibus, proventibus & emolumentis dicti collegii quovis modo provenientibus; qui quidem curatus nolens tam caritativum opus, & meritorium ac devotionem ipsius domini temporalis, necnon divini cultus augmentum impedire, immo desiderans dotationem & fundationem dicti domini comitis tamquam piam & justam ad effectum perduci; & ut canonici per ipsum dominum reverendo in Christo patri & domino domino Petro miseratione divina Autissiodorensi episcopo præsentati & nominati, eorumque successores in futurum insimul Deo famulantes in dicta ecclesia pacifice & quiete vivere possent, limitando sua jura, prærogativas & præeminentias; fecerunt dicti dominus temporalis pro & nomine dicti collegii, promittens eisdem canonicis per ipsum creatis post eorum institutionem & pacificam possessionem adeptam ratificari facere, & dictus curatus nomine dictæ suæ curiæ, ex eorum certa scientia, non vi, dolo, metu, sed ex eorum spontanea voluntate & tamquam bene consulti, ut dicebant, inierunt & concordaverunt invicem transactiones & conventiones sequentes, videlicet dictus curatus, præmissis attentis & consideratis, in contemplationem dicti domini comitis, & signanter quod per ejus fundationem collegii ipse curatus & ejus successores in perpetuum erunt decani, canonici & curati, & percipiant pro uno canonico cum dimidio, voluit expresse, consensit fundationi dicti collegii novem personarum superius designatarum, & quod ipse & sui canonici jam creati, & per dictum reverendum patrem instituendi, eorumque successores percipiant & habeant in perpetuum omnes oblationes panis, vini, argenti & ceræ in dicta ecclesia sancti Ferreoli, & aliis ecclesiis seu capellaniis dictæ parrochiæ tam in exequiis & servitiis, & etiam luminaria & pallia quæ ponuntur supra & juxta feretra seu corpora defunctorum, quam alias & in quibuscumque rebus & bonis consistant, dividendis inter ipsum tanquam decanum curatum & dictos canonicos; in quibus oblationibus percipiet & habebit, seu ejus successores percipient & habebunt, sicut in aliis quibuscumque distributionibus & redditibus dictæ ecclesiæ prout in litteris fundationis dicti domini comitis latius continetur, videlicet pro uno canonico cum dimidio. Hoc addito quod oblationes quæ offeruntur supra altare a Christi fidelibus communicantibus illico post Corporis Christi receptionem, quocumque tempore, & etiam cristinate seu illa quæ loco ipsius a mulieribus post partum ecclesiam intrantibus offeruntur, dictus curatus percipiet & habebit. Insuper voluit & consensit dictus curatus, quod legata & fundationes quæ de cætero fient a parrochianis seu aliis quibuscumque personis ipsi curato ecclesiæ prædictæ tam in anniversariis, missis, exequiis & servitiis, quam aliis quovis modo, cedant in utilitatem, commodum & augmentationem bursæ communis dicti collegii, in quibus ipse tamquam decanus & curatus, & ejus successores, percipiant &

A habebunt sicut in aliis distributionibus ut præmittitur. Sed in decimis, redditibus, proventibus & aliis juribus parrochialibus quibuscumque ab antiquo per ipsum curatum & ejus prædecessores percipi & haberi consuetis, demptis juribus præmissis, nihil percipient nec habebunt dicti canonici, immo ipse decanus & curatus percipiet & habebit; ratione quorum quidem reddituum, proventuum & jurium tenetur, & ejus successores tenebuntur facere servitium suis parrochianis consuetum. At insuper fuit concordatum, quod de confessionibus parrochianorum dicti sancti Ferreoli audiendis, aliisque sacramentis ecclesiasticis ministrandis non se intromittent quovis modo dicti canonici sine licentia ipsius decani curati, & suorum successorum; nec etiam facient ipsi canonici aliquod

B servitium seu exequias defunctorum in dicta ecclesia sine licentia dicti decani curati, nisi totum collegium fuerit requisitum, & tunc collegialiter ipso decano debite requisito moram faciente seu venire recusante per se vel per ejus capellanum, facere poterunt, & pecunia in talibus data distribuetur præsentibus; in qua distributione ipse decanus curatus seu ejus capellanus præsens pro ipso percipiet pro uno canonico cum dimidio sicut in aliis distributionibus. Sed in exequiis minoribus & de servitiis in quibus collegium non fuerit requisitum, dictus decanus curatus seu ejus capellanus percipiet & habebit pro salario suo prout habere consuevit, & non dicti canonici. Item, quod dictus decanus curatus tenebitur & ejus successores tenebuntur in futurum solvere jura episco-

C palia archidiaconi, archipresbyteri, & alia jura ecclesiastica ab antiquo per ipsum & ejus prædecessores solvi consueta, & signanter solvere tenebuntur dicti decanus curatus & ejus successores in perpetuum dominis abbati & conventui S. Germani Autissiodorensis ordinis S. Benedicti, termino festi B. Remigii in capite Octobris, summam quinquaginta solidorum Turonensium per ipsum curatum eisdem dominis ratione juris patronatus quod ipsi habent in eadem ecclesia annuatim debitorum, necnon etiam sacrista prioratus de Monasteriis membrum dependens a dicto monasterio S. Germani Autissiodorensis percipiet & habebit, & ejus successores in perpetuum percipient & habebunt duas partes oblationum tribus diebus quolibet anno videlicet die Dominica post festum

D B. Ferreoli in mense Septembris, die festi Omnium Sanctorum, & die Nativitatis B. Stephani in crastino Natalis Domini provenientium a Christi fidelibus in missa parrochiali dictæ ecclesiæ dictis tribus diebus solummodo oblatarum, si dictus sacrista seu ab eo deputatus religiosus dicti prioratus de Monasteriis dictam missam parrochialem prout consuetum est celebraverit, & dicti decanus curatus & capitulum percipient & habebunt aliam tertiam partem oblationum dictæ missæ parrochialis. Ac etiam fuit expresse concordatum quod dictus dominus abbas S. Germani Autissiodorensis & ejus successores in perpetuum præsentabunt alternatis vicibus cum dicto domino comite fundatore & suis successoribus ut præmittitur, dicto reverendo in Christo patri & domino domino Autissiodorensi episcopo & suis successoribus in

E futurum dictos decanatum & ecclesiam parrochialem dicti S. Ferreoli insimul unitos, totiens quotiens per obitum, permutationem, resignationem, aut alias quovis modo vacaverint, seu dictum beneficium vacabit. Ac insuper fuit concordatum quod dicto decano curato supra locum residente, si fuerit occupatus pro facto suæ curiæ, ipse poterit per ejus capellanum dicere & celebrari facere magnam missam, primam, tertiam, sextam & nonam, & officium diaconi & subdiaconi sicut ipsemet decanus curatus faceret, dempto in festis solemnibus. Item, quod dictus decanus curatus per se vel ejus capellanum diebus Dominicis & festivis solemnibus & annualibus tenebitur celebrare suam missam parrochialem circa horam

horam octavam, ne propter ejus celebrationem officium collegii seu capituli impediatur; & si propter prædicationem publicam seu processionem pro pace, seu temporis serenitate aut aliàs opus sit horam prævenire, tunc dicti decanus curatus & capitulum insimul convenire poterunt de hora competenti. Item, quod matercularius capituli levabit & percipiet omnes & singulas oblationes dictæ ecclesiæ & ecclesiarum seu capellaniarum parrochiæ quas tenebitur per juramentum fideliter quoad pecuniam in gazophylacio seu pyxida capituli reponere. De qua pyxida decanus cum uno vel duobus canonicis claves habebunt pro ipsis distribuendis in communi, & alias oblationes panis, vini & ceræ easdem distribuere seu facere distribui prout ipsis decano & capitulo videbitur expedire: præmissa ut præmittitur, * peracta casu quo placuerit reverendo in Christo patri & domino domino Autissiodorensi episcopo. Quas quidem conventiones omnes & singulas promiserunt dictæ partes, videlicet dictus dominus comes nomine dicti sui collegii: dictus vero curatus nomine dictæ suæ parrochialis ecclesiæ, & suorum successorum, per fidem suam propter hoc in manu dicti jurati nostri corporaliter præstitam tenere, complere & inviolabiliter observare, ac contra nullo tempore venire seu venire facere per se vel per alium, seu alios directe vel indirecte quovis modo, immo dictus dominus comes facere observare in futurum dictis creatis & nominatis canonicis per ipsum ut præmittitur sub obligatione omnium bonorum suorum mobilium & immobilium præsentium & futurorum ubicumque sint, & quemcumque specialiter & expresse obligando ac jurisdictioni & coercitioni curiæ Varziacensis, & omnium aliarum curiarum ecclesiasticarum & sæcularium submittendo & supponendo ubicumque facient mansionem, renunciantes dictæ partes in hoc facto omni exceptioni doli mali, læsionis & circumventionis, ac omnibus aliis & singulis quæ contra præsentes litteras objici possent sive dici, jurique dicenti generalem renunciationem non valere, nisi præcesserit specialis. In cujus rei testimonium nos ad relationem dicti jurati nostri qui nobis præmissa retulit esse vera, sigillum curiæ Varziacensis una cum signo publico apostolico & subscriptione dicti notarii litteris præsentibus duximus apponendum. Præsentibus ad hæc nobilibus viris & prudentibus Carolo *de Boort* domino de Petrafìcta, Petro *Cleret* domino *de Mere*, Petro *Coustart*, Stephano *Reynaut* ejusdem domini comitis secretario, Thoma *Munier*, & domino Johanne *Guiard* presbytero, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Datum & actum apud locum S. Ferreoli in Puysaya dictæ diœcesis Autissiodorensis, sub anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, indictione quinta, mensis vero Aprilis die XX, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini domini Sixti divina providentia papæ quarti anno primo.

* Aliquid deest.

Et ego Guillermus Ragonelli presbyter in jure canonico baccalaureus, cantor & canonicus ecclesiæ collegiatæ B. Stephani de Giemo supra Ligerim, Autissiod. diœcesis, curiæque Autissiodorensis notarius juratus, quia prædictis conventionibus & transactionibus per dictum dominum comitem Domni-martini, & dictum curatum sancti Ferreoli sicut præmittitur initis, cæterisque præmissis omnibus & singulis, dum sicut supra scribuntur, agerentur, dicerentur & fierent, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, audivi & recepi, ac in notam sumpsi, &c. Datum ut supra.

CXL.

Confirmatio canonicorum in ecclesia S. Ferreoli.

Petrus miseratione divina Autissiodorensis episcopus notum facimus universis præsentibus & futuris, quod visis per nos cartis fundationis collegii ecclesiastici in ecclesia prius parrochiali S. Ferreoli nostræ Autissiodorensis diœcesis per nobilem & potentem dominum dominum Anthonium *de Chabannes* militem, comitem Domni-martini, baronem de Thouciaco, dominum Puisayæ & S. Ferreoli præfati, magnumque magistrum hospitii Franciæ, dotationisque & ordinationum quarumdam, & super eisdem nuperrime factarum, patentibusque suis litteris quibus memorata parrochialis cura in decanatum cum semipræbenda eidem unita erigitur, similiterque canonicatus sex cum totidem præbendis in eadem, quorum ipse decanus alterum habebit cum alia integra præbenda pro collegiali ecclesia instituuntur sub certis constitutionibus, qualificationibus & modis in litteris ejusdem fundationis & dotationis, quibus nostræ præsentes sunt annexæ litteræ, ad plenum declaratis. Ad ipsius domini comitis fundatoris & domini abbatis S. Germani Autissiodorensis ordinis B. Benedicti in sæpefata parrochiali ecclesia ipsi decanatui cum semipræbenda nunc unita prius jus præsentandi habentis quoad ipsum decanatum solum curatum alternis vicibus, & quoad cæteros sex canonicatus & præbendas ad ejusdem domini comitis fundatoris tantum præsentationem nostramque collationem & institutionem & quamlibet aliam dispositionem instituuntur & ordinantur. Nos hujusmodi fundationem, dotationem & ordinationes in eisdem contentas & declaratas litteris, ad Dei laudem divinique cultus augmentum, & ob ejusdem domini fundatoris contemplationem quantum melius de jure possumus, laudavimus, consensimus & approbavimus, laudamusque, consentimus & præsentium tenore approbamus, nostro & cujuslibet in omnibus jure semper salvo. In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum, nostrum præsentibus jussimus litteris sigillum impendendum. Datum in nostro Varziaci castro die vicesima prima mensis Aprilis, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo post Pascha. 1472.

CXLI.

Carta Johannis Baillet *episcopi Autissiodorensis de translatione corporis S. Cotti martyris.*

Universis præsentes litteras inspecturis, Johannes Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia Autissiodorensis episcopus, ad perpetuam rei memoriam. Licet sanctorum animæ humanis non indigeant laudibus, cum requiescant in cœlis, ubi immarcessibilem æternæ gloriæ coronam de manu Domini percipere meruerunt; nos tamen qui in hujus mundi naufragio periculose navigamus, ipsorum reliquias in terris nimis honorare non possumus, ut ipsorum precibus & meritis, hujusmodi coronæ participes effici mereamur. Accedentes igitur ad ecclesiam parrochialem B. Prisci de S. Prisco nostræ diœcesis Autissiodorensis ad debitum visitationis impendendum officium, Stephanus Regnaudus incola dicti loci nobis devote & humiliter supplicavit, ut reliquias S. Cotti in præfata ecclesia in quadam capsa lapidea retro majus altare ipsius ecclesiæ quiescentes, de ipsa capsa in quamdam aliam novam ligneam, quam ad dictas transferendum reliquias fecit honorifice fieri, transferre vellemus, ut ibidem ad dicti Sancti majorem excellentiam honorificentius requiescerent, & devotio populi ad Sanctum eumdem ferventius & propensius augeretur. Nos autem hujusmodi supplicationi zelo 1480.

Digitized by Google

devotionis inducti benigne annuentes, & ipsum Regnaudum in devotione sua confovere volentes, quia comperimus & audivimus quam plura miracula per intercessionem S. Cotti facta, & quamdam litteram antiquam valde in petra desuper ipsa lapidea in muro sculptam, quam vidimus & legi fecimus, in effectu continentem: HIC REQUIESCIT SANCTUS COTIUS, QUI CUM CAPITE SANCTI PRISCI MARTIRIS SUSCEPIT MARTIRIUM: necnon plura alia nos & animum nostrum moventia ad hæc; idcirco ad translationem hujusmodi procedere cupientes, dictam antiquam capsam lapideam in nostra præsentia pontificalibus ornamentis ornati, jussimus & fecimus aperiri, in qua honorabiles reliquias dicti S. Cotti, videlicet caput, corporis ossa per particulas, sicut pie credimus, invenimus, & dictas reliquias a dicta antiqua capsa lapidea, in dictam novam ligneam, manu propria transtulimus præsentium die datæ, assistentibus nobis & præsentibus venerabilibus in Christo patribus dominis Hugone abbate sancti Germani Autissiodor. ordinis S. Benedicti, Johanne abbate sancti Mariani prope Autissiodorum, ordinis Præmonstratensis, & Johanne abbate S. Petri Autissiodorensis ordinis S. Augustini. Solemnitatem hujusmodi translationis indiximus & ordinavimus in dicta parrochiali ecclesia perpetuo celebrandam annis singulis die datæ præsentium, ut dicti sancti Cotti, & omnium aliorum meritis & intercessionibus adjuti præfatam coronam assequi valeamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum oblongum præsentibus litteris, una cum signo & subscriptione magistri Radulphi *Chesdeville* presbyteri, notarii publici secretarii nostri duximus apponendum.

CXLII.

Carta cantoris & capituli S. Stephani de Gyemo qua assensum præbent fundationi patrum Minimorum in suburbio Gyemensi.

1494. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, cantor & capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Stephani de Gyemo Autissiodorensis diœcesis, in eo qui est omnium vera salus, ad perpetuam rei memoriam. Pro parte devotissimæ, excellentissimæ & illustrissimæ principis dominæ Annæ de Francia, ducissæ de Borbonio, comitissæ de Gyemo; nobis fuit declaratum quod ipsa cogitans de propria salute, & cupiens terrena pro cœlestibus, & pro æternis transitoria, domino auxiliante, commercio fœlici commutare misericordiæ opera præcipue, quæ salutaria sunt, & ad animarum salutem necessaria, exercendo, unum pium locum seu conventum in suburbiis suæ dictæ urbis de Gyemo, in quo perpetuo degent & remanebunt homines devoti ordinis S. Francisci de Paula, ad Dei Omnipotentis & ejus gloriosæ Virginis Mariæ genitricis, & totius cœlestis curiæ honorem, ac divini cultus augmentationem summopere eligere & fundare desiderat, ad instar sanctissimi Domini nostri Jesu-Christi, suorumque duodecim apostolorum comitatus; qui sanctis suis orationibus, bona conversatione pariter & doctrina orabunt Altissimum pro fœlici successu ejusdem dominæ fundatricis. Et quia pro dicta erectione facienda, locus in quo ab antiquo personæ miserabiles percussæ lepra solitæ sunt hospitare *; cupiens illum locum habere, & alibi hospitium leprosorum collocare, pro sua adimplenda devotione; quod facere non potest sine damno & jactura nostri & capituli ecclesiæ nostræ, eo quod consuevimus, & prædecessores nostri consueverunt ab antiquo percipere & levare tamquam fundati de jure communi in perceptione oblationum in dicta villa & suburbiis de Gyemo oblationes quæ ad manum magistri seu administratoris aut alterius cujusque . . . . in capella dicti loci, nisi recompensatione mediante, salutem in

* hic aliquid deesse videtur.

A Domino. Notum facimus, quod visis in nostri dicti capituli congregatione litteris dictæ illustrissimæ principis, de data diei vigesimi secundi mensis Januarii, anni Domini millesimi quadringentesimi nonagesimi tertii, signatis signo manuali magistri Johannis *de la Barre* secretarii dictæ dominæ, ac subscriptis manu propria ipsius dominæ, suoque sigillo rotundo sigillatis; habita quoque inter nos debita deliberatione super commodo vel incommodo dictæ nostræ ecclesiæ in futuro contingentibus, compensationem de qua in prædictis litteris fit mentio, laudamus & acceptamus, ratamque, firmam & acceptabilem pro nunc & in perpetuum habere, & inviolabiliter observare declaramus, hoc tamen adjecto, quod prædicta domina, ejusque successores, prædictam compensa- B tionem, juxta sui tenorem & valorem, sine diminutione aliqua garentizare, & de omni indemnitate erga dominum nostrum regem admortisare, admortisatamque apud omnes defendere in judicio & extra, in perpetuum tenebuntur. Quamobrem juribus, oblationibus, aliisque ecclesiasticis proventibus, de quibus in dictis litteris tangitur, & quos soliti fuimus hucusque percipere & levare in dicta ecclesia, aut conventu de novo a dicta domina fundato & erecto de dictis fratribus religiosis dicti ordinis S. Francisci de Paula, quæ per antea leprosaria vocabatur, ad perpetuam utilitatem dictorum fratrum & conventus eorum, renunciavimus, renunciamusque per præsentes. Datum & actum in dicto nostro capitulo capitulantes, capitulumque nostrum tenentes & facientes, ad sonum C campanæ more solito aggregati, die vigesima septima mensis Junii, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto.

CXLIII.

Fundatio conventus patrum Minimorum in urbe Giemensi.

ANNE DE FRANCE, duchesse de Bourbonnois & d'Auvergne, comtesse de Clermont, de Forest, de la Marche & de Gien, vicomtesse de Carlat, de Murat & de Chastelhaeyrauld, dame de Beaujeulois, d'Anonnoy & de Bourbon-Lanceiz & de Roche en Reymer. Sçavoir faisons à tous presens & à venir, que comme ja pieça feu nostre très-redoubté seigneur & espoux 1497. *D monseigneur Pierre, en son vivant duc de Bourbonnois & d'Auvergne, & nous, à nostre devocion & à l'honneur, louenge, gloire & reverance de Dieu nostre createur, de la benoiste glorieuse Vierge Marie, & de toute la court celestielle de paradis; ayons voué, deliberé & conclud avecques grande & meure deliberation de conseil, faire & fonder lez nostre ville de Gyem en l'honneur & reverance de la saincte Trinité, un convent & monastaire de l'ordre des freres Minimes, autrement appellez les Bons-hommes, dont nostre bien aymé & religieuse personne frere François de Paule est general, instituteur & correcteur; pour illec prier Dieu pour nous, pour le remede & salut de nos ames, & de nostre très-chiere & très-aymée fille Susanne de Bourbon, que aussy feux nos très-chiers seigneurs & dames nos peres & meres, E & autres nos predecesseurs & parents trespassez, que Dieu absolve, & de tous nos successeurs: & à cette cause, & en continuant & perseverant en nos dits veuz, deliberacions & conclusions, ayons ja fait construire & edifier prez de nostredite ville de Giem une belle eglise nommée la saincte Trinité, & icelle fait consacrer en reverance de laditte saincte Trinité, avecques cloistre, refectouer, dortouer, chappittre & autres maisons & lieux, & aultres choses aptes & convenables à ladicte religion & reguliere observance d'icelluy ordre, garnies de livres, croix, calices, ornemens d'eglise & aultres choses ad ce necessaires, & illec mis & estably certain nombre de religieux dudict ordre des Minimes, qui puis aulcun temps en ça on encommencé & continuent de jour*

en jour à y faire le divin service, sans ce que encores leur ayons ordonné nostreditte fondation, ne fait declaration de nostre vouloir & intention. Parquoy nous voulons faire & accomplir nostredit veu & promesse, en recognoissance mesmement des grans graces que Dieu nostre createur nous a faictes. Pour ces causes & aultres à ce nous mouvans, & soubs le bon plaisir de nostre sainct pere le pape, avons en ladite eglise de la saincte Trinité dudit Giem, fondé & fondons à perpetuel un convent & college dudit ordre des freres Minimes; assavoir est un correcteur & douze religieux avecques leur oblat & serviteur, lesquelz & leurs successeurs seront tenus & chargez faire à tousiours le divin service en ladite eglise ainsi qui s'en suit. C'est assavoir chacun jour dire & celebrer la grant messe conventuelle avecques toutes les heures canonialles, comme matines, prime, tierce, sexte, nonne, vespres, complies & aultres prieres & oraisons & suffrages contenus en leurs statuz & reigle, & telz & semblables, & en la sorte & qualité & maniere que les religieux dudit ordre ont accoustumé & sont tenus & obligez de faire, dire & chanter & celebrer. Et affin que nostredicte fondacion puisse mieux estre entretenue & continuée sans interruption, nous avons voulu & ordonné, voulons & ordonnons que lesdits correcteur & religieux qui à present sont & seront ou temps à venir audit convent, ne pourront eux charger d'aulcun service perpetuel. Et pour la fondacion de ladite eglise & convent, & pour la nourriture & entretenement & necessitez desdits religieux & freres Minimes & leur serviteur, & aussy pour entretenir ledit office de ladite eglise & ses appartenances, & afin qu'ils ayent de quoy vivre & soustenir leur estat au divin service, & qu'ils n'ayent cause de mandier leur vie, nous ledit convent avons doué & par ces presentes douons & fondons perpetuellement de quatre cens livres Tournois de rente annuelle & perpetuelle & rendable par chacun an; lesquelles quatre cens livres Tournois nous leur donnons, baillons & delivrons & asseons à les prendre, avoir & recevoir par eulx & leurs successeurs perpetuellement à tousiours chascun an, ou par leur oblat, receveur ou commis & deputtez, tel que bon leur semblera, à deux termes par chascun an par esgalles porcions: c'est assavoir deux cens livres Tournois au terme & feste de monseigneur sainct Jean-Baptiste, & deux cens livres Tournois au jour & feste de la Nativité de Nostre-Seigneur; le premier terme commençant à ladite feste monseigneur sainct Jean-Baptiste derrenierement & prochainement escheus. Laquelle aumosne de quattre cens livres Tournois avons assise & assignée, asseons & assignons par ces presentes ausdits religieux & leurs successeurs audit monastere & convent especialement sur les premiers & plus clers, evidans & apparens deniers de nostre conté dudit Giem, que à ce nous avons expressement ypothequée & obligée, obligeons & ypothequons par ces presentes; & icelle somme avons voulu & ordonné, voulons & ordonnons par cesdittes presentes, estre solue & payée ausdits commis & depputez chascun an ausdits termes & festes par nostre receveur ordinaire de nostredit conté de Giem, presens & advenir, auquel receveur ou receveurs, tant pour nous que nos successeurs, mandons ainsy le faire. Et d'icelle somme de quatre cens livres Tournois dès à present quittons nosdits receveurs, & prenons quittance desdits religieux & convent, ou commis & depputez pour eulx, de ce qu'ilz en auront payé; & voulons & ordonnons que lesdits religieux & convent puissent contraindre lesdits receveurs par vendicion & exploutation de biens, & aultrement ainsy que nous-mesmes ferions & faire pourrions; & de ce leur avons donné & donnons plain pouvoir, puissance, auctorité & mandement especial; & promettons en bonne foy pour nous & nos successeurs, non revoquer jamais ledit pouvoir, ne venir encontre en aucune maniere; & audit povoir de renonciation avons renoncé & renonçons par ces mesmes presentes: & pour plus grand seureté audit payement desdittes quatre cens livres Tournois, & que ne noz vouloir A *& intencion ne soient defraudez, & oultre pour plus grande approbation, avons commis & commettons dès à present comme deslors, & deslors comme à present, les procureurs dudit convent, oblats ou autres ayant de ladite religion pouvoir, ausquelz nous avons donné & donnons, tant pour nous que nosdits successeurs, plein pouvoir, auctorité & puissance & mandement especial par ces presentes de contraindre & faire contraindre lesdits receveurs à payer ladite somme de quattre cens livres Tournois par chascun an ausdits religieux sans aucun delay ne delacion lesdits termes escheus & advenuz. Et lesdits quattre cens livres Tournois de aumosne annuelle & perpetuelle nous avons donné & delaissés, donnons & delaissons perpetuellement à tousiours mais ausdits religieux, correcteur & peres Minimes, à ladite* B *eglise de la Trinité dudit Giem, & les en faisons vraiz seigneurs pour eulx & leursdits successeurs, voulans qu'ils les puissent tenir à perpetuité comme indempnées, amorties, & du tout à Dieu dedié: lesquelles, en tant que besoing est, leur avons indemnées & amorties, indempnons & amortissons par ces mesmes presentes, & promettons de procurer envers & contre tous aultres à qui il appartiendra, icelles estre amorties & faire admortir de tout nostre pouvoir. Touttefois nous avons reservé & retenu, reservons & retenons que touttefois que nous ou nosdits successeurs voudrons, offrirons & baillerons de fait ausditz religieux lesdittes quattre cens livres Tournois ailleurs & aultre part, bien & convenablement asseurées, & de telle vallue & qualité, icelles quattre cens livres Tournois, en ce faisant & accomplissant,* C *reviendront à nous & à nos successeurs, & sera & demourra nostreditte comté de Giem quitte, franche & deschargée d'icelle aumosne desdittes quattre cens livres Tournois, sans aucune autre chose y retenir pour nous & nosdits successeurs; sauf pour retribution estre perpetuellement es prieres, suffrages & oraisons dudit convent, & de tout ledit ordre, tant messe, matines, primes, tierce, sexte, nonne, vespres & complies, & quelconques aultres services & suffrages, jeusnes & penitances & aultres abstinances; lesquels religieux seront tenus dire & continuer par chacun jour selon l'usage Romain, ainsy qu'ils ont accoustumé faire selon leur ordre & reigle, & comme il est cy-dessus dit & declaré, en priant Dieu pour feu nostredit seigneur & espoux, pour nous & nos tres-chiers fils Charles & Susanne, nostreditte fille son espouse & autres nos predecesseurs & successeurs. Et* D *à ce que ce soit chose ferme & establi à tousiours, nous avons signé cesdites presentes de nostre main, & fait signer par nostre secretaire dessoubz signé, & scellé de nostre scel. Donné à Chastelleraud le dix-septieme jour d'Octobre, l'an de grace mil cinq cent & cinq.*

ANNE DE FRANCE.

CXLIV.

Donatio ecclesiæ S. Lazari Giemensis patribus Minimis.

ANNE, *fille & sœur du roy de France, duchesse de Bourbonnois & d'Auvergne, comtesse de Clermont, de Fourest & de la Marche & de Giem, vicomtesse* 1497. E *du Carlat & de Murat, dame de Beaujeulois & de Bourbon-Lanceiz; sçavoir faisons à tous presens & advenir, que comme puis aucun temps en ça, par l'auctorité de nostre très-redoubté seigneur monseigneur nostre espoux, nous eussions à l'honneur & reverance de Nostre-Seigneur Jesus-Christ, & à l'exaltation de sa foy & de la benoiste glorieuse Vierge Marie sa Mere, voué & conclud fonder en nostre ville de Giem un convent des freres Minimes: & pour icelluy faire & edifier, parce que l'eglise S. Ladre & logiez des malades dudit Giem nous a semblé estre convenable pour ladite fondacion, ayans fait faire une aultre eglise & logiez pour lesdits malades, & prins leurditte ancienne eglise & logiez, & pareillement ayons acquis illec autour certaines*

Digitized by Google

aultres terres & heritages pour l'ampliation & decoration dudit convent, ou quel ayons depuis fait venir certain nombre de religieux dudit ordre, qui y ont fait & font continuellement le divin service pour le salut de mon dit seigneur, de nous & de nostre très-chere & très-aymée fille Susanne de Bourbon & autres nos successeurs: ausdits religieux & convent, & à leurs successeurs, donnons pour ces causes par l'autorité que dessus, & en accomplissement de nostredit veu, avons donné, cedé & delaissé, donnons, cedons & delaissons par ces presentes, & à Dieu & à ladite eglise, dedié & dedions perpetuellement & à toujours pour la fondation d'icelluy convent, ladite eglise saint Ladre & logiez ancien & jardins desdits malades, avecques toutes & chacunes les terres & heritages assis auprès, ainsy par nous acquises, contenant cc. Donné à Moulins ou mois de Septembre mil quatre cens nonante-sept.

Ainsy signé ANNE DE FRANCE.

CXLV.

Carta fundationis Clarissarum in Giennensi seu Genabensi urbe.

1500. UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis, Johannes Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia Autissiodorensis episcopus, judex & executor unicus ad infra scripta a sancta sede apostolica datus, & commissus & specialiter deputatus, salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere. Litteras sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Alexandri divina providentia papæ sexti ejus vera bulla plumbea cum cordula canapis more Romanæ curiæ impendente bullatas, sanas siquidem & integras, non viciatas, non cancellatas, nec aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, ut in eis prima facie apparebat, una cum quadam supplicatione manu reverendissimi in Christo patris domini cardinalis S. Praxedis in præsentia ejusdem sanctissimi domini nostri signata, necnon quoddam Breve Apostolicum sub annulo piscatoris confectum & expeditum, nobis pro parte nobilium & serenissimorum principis & principissæ domini Petri ducis & Annæ ejus conthoralis ducissæ Borbonii, principalium in eisdem litteris apostolicis principaliter nominatorum præsentatas, nos cum ea qua decuit reverentia noveritis recepisse. Quarum quidem litterarum necnon supplicationis ac Brevis Apostolici hujusmodi tenores de verbo ad verbum successive sequuntur & sunt tales:

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Autissiod. salutem & apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis affectus quem dilectus filius nobilis vir Petrus dux, & dilecta filia nobilis mulier Anna ejus conthoralis ducissa Borbonii, ad nos & Romanam ecclesiam gerere dinoscuntur, non indigne meretur ut eorum votis, illis præsertim quæ divini cultus augmentum & religionis propagationem respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Petri ducis & Annæ ducissæ prædictorum petitio continebat, quod ipsi ob singularem devotionis affectum quem ad ordinem S. Claræ & illius moniales regularis observantiæ sub perpetua clausura, incertaque mendicitate viventes gerunt, ex suis & aliorum Christi fidelium piis eleemosynis & suffragiis, in villa seu oppido de Gyenno supra Ligerim, Autissiodorensis diœcesis, temporalis dominii ipsorum ducis & ducissæ, unum monasterium monialium dicti ordinis construi & ædificari facere inceperunt: & si super hoc eis licentia sedis apostolicæ suffragetur, perfici facere intendunt ad Dei laudem, divinique cultus augmentum ac religionis propagationem & puellarum volentium virginitatem A & integritatem suam vovere Altissimo, animarum salutem. Quare pro parte ipsorum Petri ducis & Annæ ducissæ nobis fuit humiliter supplicatum, ut in villa seu oppido hujuscemodi, in loco ubi jam per dictos ducem & ducissam monasterium prædictum fabricari inceptum est, unum monasterium monialium dicti ordinis S. Claræ, quæ inibi sub perpetua clausura & regulari observantia, ac sub cura generalis Ultramontani & provincialis provinciæ Lugdunensis, vicariorum ordinis fratrum Minorum regularis observantiæ secundum morem dicti ordinis, ac monasteriorum reformationis sororis Collettæ nuncupatæ, ac in vota mendicitate Altissimo famulentur, cum ecclesia, campanili, campana, cimiterio, claustro, refectorio, dormitorio, horto, hortaliciis, & aliis officinis necessariis, erigere, dictisque duci & ducissæ B illud pro una abbatissa & aliis monialibus dicti ordinis S. Claræ, perficiendi licentiam & facultatem concedere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui divini cultus augmentum & religionis propagationem nostris potissime temporibus intensis desideramus affectibus, Petrum ducem & Annam ducissam præfatos a quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ac pium propositum ipsorum ducis & du- C cissæ plurimum in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus in dicta villa vel oppido, in loco ubi jam per dictos ducem & ducissam monasterium prædictum fabricari inceptum est, unum monasterium monialium dicti ordinis S. Claræ, pro una abbatissa & monialibus ejusdem dicti ordinis, quæ inibi sub regulari observantia & perpetua clausura, & sub cura generalis Ultramontani & provincialis provinciæ Lugdunensis, vicariorum ordinis fratrum Minorum regularis observantiæ, secundum morem dicti ordinis ac monasteriorum reformationis sororis Collettæ nuncupatæ, ac in vota mendicitate Altissimo famulentur, cum ecclesia, campanili, campana, cimiterio, claustro, refectorio, dormitorio, D hortis & hortaliciis, aliisque officinis necessariis, sine alicujus præjudicio, auctoritate nostra erigas, dictisque duci & ducissæ monasterium prædictum cum ecclesia & aliis officinis prædictis, perficiendi licentiam & facultatem eadem auctoritate nostra concedas; necnon vicariis prædictis, ut monasterium prædictum sic erectum, sub eorum cura, visitatione, correctione & superioritate recipiant, ac in illud, postquam habitationes ad hoc opportunas habuerint, moniales dicti ordinis S. Claræ introducant, seu virgines vel alias honestas mulieres inibi sub regulari observantia & perpetua clausura, ac in vota mendicitate, si illam sponte emittere voluerint regularem recipiant & admittant, ac unum vel duos fratres qui confessiones earumdem monialium audiant ac eis missas, ac alia divina officia celebrent, necnon alia ecclesiastica sacra- E menta ministrent, inibi constituant & deputent, ac de monasterio necnon monialibus prædictis curam habeant prout de aliis monasteriis dicti ordinis sanctæ Claræ eorum curæ subjectis habent, in virtute sanctæ obedientiæ ac sub excommunicationis sententia dicta auctoritate nostra præcipias atque mandes. Nos enim si erectionem hujusmodi per te vigore præsentium fieri contigerit, ut præfertur, dicto monasterio sic erecto illiusque abbatissæ & monialibus pro tempore existentibus, quod omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis & indultis spiritualibus & temporalibus, aliis monasteriis monialium dicti ordinis S. Claræ regularis observantiæ, ac illorum abbatissis & monialibus sub perpetua clausura

Digitized by Google

& in vota mendicitate, ac sub cura, visitatione & correctione vicariorum prædictorum viventibus, in genere concessis & concedendis, & quibus de jure vel de consuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, seu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere possint & debeant, auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus; jure tamen parrochialis ecclesiæ & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo, nonobstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac ordinum prædictorum juramentis, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, ac eidem ordini fratrum Minorum sub quibuscumque tenoribus concessis privilegiis, quibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialis mentio habenda esset, & illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter ac expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, quartodecimo kalendas Martii, pontificatus nostri anno septimo.

BEatissime pater, exposito nuper S. V. pro parte devotorum oratorum vestrorum Petri ducis & Annæ ejus conthoralis ducissæ Borbonii, quod ipsi ob singularem devotionis affectum quem ad ordinem S. Claræ & illius moniales regularis observantiæ sub perpetua clausura in votaque mendicitate viventes gerebant, ex suis & aliorum Christi fidelium piis eleemosynis & suffragiis, in villa seu oppido de Gienno supra Ligerim, Autissiodorensis diœcesis, temporalis dominii ipsorum ducis & ducissæ, unum monasterium monialium dicti ordinis construi & ædificari facere incœperint, & si super hoc licentia sedis apostolicæ suffragaretur, perfici intendebant; S. V. per certas suas litteras apostolicas ad supplicationem eorumdem oratorum prædictorum, R. P. D. episcopo Autissiodorensi dedit in mandatis, quatenus in dicta villa seu oppido in loco ubi tunc per dictos oratores monasterium prædictum cœptum erat, unum monasterium monialium dicti ordinis S. Claræ, auctoritate apostolica erigere, dictisque oratoribus monasterium prædictum cum ecclesia & aliis officinis perficiendi licentiam & facultatem eadem auctoritate apostolica concederet, necnon vicariis ordinis fratrum Minorum regularis observantiæ inter alia ut in monasterium prædictum, postquam ad hoc habitationes opportunas habuerint, moniales reciperent & admitterent, & dictos fratres qui confessiones earumdem monialium audirent, ac eis missas & alia divina officia celebrarent, necnon alia ecclesiastica sacramenta ministrarent, inibi constituerent & deputarent, præcipere prout in eisdem litteris, in quibus quod locus ipse, ubi dictum monasterium cœptum est, non est infra muros & clausuram villæ sive oppidi, mentio nulla facta extitit, plenius continetur. Cum autem, pater sancte, in privilegiis seu statutis dicti ordinis S. Claræ, caveri dicatur, quod monasteria ejusdem ordinis, nonnisi in civitatibus, oppidis vel locis clausis erigi & esse debeant; & cum monasterium ipsum de se sufficienter clausum existat, seu illud oratores ipsi claudere intendant, & etiam oratores ipsi incœperint novam clausuram dictæ villæ seu oppidi, infra quam monasterium ipsum includi speratur; recurritur ad sanctitatem vestram pro parte dictorum ducis & ducissæ oratorum, humiliter supplicando, quatenus præfato episcopo ut ad dictas erectiones dicti monasterii in præfato loco, & licentiæ & facultatis oratoribus concessionem & præceptum dictis vicariis, ac aliis plenariam executionem dictarum litterarum procedat, & procedi mandet, & faciat in omnibus & per omnia perinde ac si de præmissis in eisdem litteris, sufficiens mentio facta, ipsisque statutis, ac privilegiis ea vice derogatum fuisset, committere & mandare,

A ac statutis & privilegiis hujusmodi hac vice dumtaxat derogare dignemini de gratia speciali præmissis, necnon constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac etiam aliis dicti ordinis, etiam juramento, &c. firmatis, statutis, &c. cæterisque contrariis quibuscumque cum eis * opportun. Concessum ut petitur in præsentia domini papæ, A. cardinalis S. Praxedis; & per Breve S. V. concess. A. card. S. Praxedis. Datum Romæ apud sanctum Petrum quinto calendas Aprilis, anno 8.°

* clausulis.

ALEXANDER papa VI, venerabilis frater, salutem & apostolicam benedictionem. Mittimus fraternitati tuæ supplicationem præsentibus interclusam, manu dilecti filii nostri Antonii cardinalis S. Praxedis B in præsentia nostra signatam. Quare fraternitati tuæ committimus ac mandamus ut vocatis vocandis, executionem litterarum de quibus in eadem supplicatione fit mentio, procedas juxta ipsius supplicationis continentiam designaturam. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XIIII Aprilis millesimo quingentesimo, pontificatus anno octavo. Et supra Breve, venerabili fratri episcopo Autissiod. Post quarum quidem litterarum apostolicarum, necnon supplicationis ac Brevis Apostolici hujusmodi præsentationem & receptionem, nobis & per nos, ut præmittitur, factas, fuimus pro parte præfatorum nobilium principis ac principissæ debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem dictarum litterarum apostolicarum, necnon supplicationis & brevis C apostolici hujusmodi ac contentorum in eisdem procedere curaremus juxta traditam seu directam per eas & illud a sede apostolica præfata nobis formam. Nos igitur Johannes judex & executor præfatus, attendentes requisitionem hujusmodi fore justam, & rationi consonam, volentesque mandatum apostolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi ut tenemur; idcirco auctoritate apostolica nobis commissa & qua fungimur in hac parte, venerabiles viros cantorem & capitulum ecclesiæ nostræ collegiatæ S. Stephani de Giemo, necnon rectorem seu curatum parrochialis ecclesiæ S. Petri de Giemo veteri, nostræ Autissiodorensis diœcesis, omnesque alios & singulos utriusque sexus sua interesse credentes, coram nobis citari ac vocari fecimus, & mandavimus ad certam D diem, diu est, elapsam, dicturos, propositiuros, allegaturos & objecturos contra dictas litteras & contenta in eisdem quicquid dicere, proponere, allegare & objicere vellent, visurosque & audituros dictas litteras per nos executioni demandari, si de jure fieri deberet, ac ulterius cum eisdem dominis principe & principissa super hiis processuros, prout juris foret & rationis, cum intimatione in talibus assueta. Qua die adveniente, comparuerunt coram nobis præfati princeps ac principissa impetratores & actores per honorabilem & sapientem virum magistrum Stephanum *Bourgoys* eorum procuratorem debite ac litteratorie fundatum parte ex una, necnon præfati cantor & capitulum dictæ nostræ collegiatæ ecclesiæ sancti Stephani de Giemo, & religiosus vir frater Ludovicus E *d'Arfeuille* prior prioratus de Giemo veteri, membri a monasterio S. Benedicti Floriacensi dependentis, ac discretus vir magister Johannes *Serretain* presbyter in decretis bacalarius, rector seu curatus dictæ parrochialis ecclesiæ S. Petri, ejusdemque loci de Giemo veteri rei seu eorum procuratores pro se ex parte altera. Qua comparitione facta, dictus magister Stephanus *Bourgoys* ut & tanquam procurator & nomine procuratorio dictorum actorum nobis instanter requisivit, iteratis vicibus, quatenus ad earumdem litterarum executionem procederemus, plures causas & rationes verbo tenus allegando, per quas dicebat & prætendebat nos illud facere debere. Prædicti autem rei etiam plures causas & rationes verbo tenus proposuerunt & allegaverunt, propter quas id facere non

Digitized by Google

debebamus; & si contingeret nos super hoc procedere, petierunt & requisierunt primitus & ante omnia recompensam condignam sibi fieri de suis dampnis & interesse. Et ut certius super hoc procederemus, ordinavimus quod dictæ partes hinc inde suas causas & rationes per ipsas allegatas in scriptis traderent, & super damnis & interesse per ipsas protensis nos informarent, infra certam diem tunc sequentem. Prædictæ autem partes rationes suas hinc inde in scriptis redegerunt, & coram nobis produxerunt, necnon plures testes super contentis in eisdem suis rationibus produxerunt & examinari fecerunt; ac deinde quicquid voluerunt, produxerunt; & tandem eisdem partibus assignavimus diem hodiernam in villa nostra Conadæ dictæ nostræ diœcesis Autissiodorensis, ad audiendum jus sibi per nos fieri, & nostram sententiam diffinitivam fieri, si commode fieri posset. Ipsa igitur die hodierna, partibus prædictis coram nobis in dicta villa nostra Conadæ, videlicet sæpedictis dominis principe & principissa per affatum magistrum Stephanum *Bourgoys*, & dictis cantore & capitulo, necnon dicto magistro Johanne *Serretain* curato dictæ parrochialis ecclesiæ de Giemo veteri per magistrum Guillermum *Portevin* presbyterum, procuratores suos sufficienter ac litteratorie fundatos, comparentibus, & dictam sententiam seu ordinationem nostram super hiis ferri poscentibus; nos sententiam seu ordinationem nostram prædictam protulimus prout & proferimus in modum & formam sequentes.

IN nomine Domini, amen. Visis per nos Johannem Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia Autissiodorensem episcopum, judicem & executorem unicum quoad infra scripta a sanctissimo in Christo patre ac domino nostro Alexandro papa moderno commissum & deputatum, litteris apostolicis, necnon supplicatione & brevi apostolico nobis pro parte nobilium principis ac principissæ domini Petri ducis ac dominæ Annæ ducissæ Borbonii ad exequendum præsentatis, ac etiam rationibus & allegationibus. Procedemus ad executionem dictarum litterarum apostolicarum, & ipsas exequendo in loco de Giemo, & curatus S. Petri de Giemo, nostræ Autissiodorensis diœcesis, quibus satagebant ne procederemus ad dictarum executionem litterarum. Visis etiam certis informationibus ex nostra ordinatione per dilectum nostrum magistrum Johannem *Saviot* pœnitentiarium & canonicum nostræ Autissiodorensis ecclesiæ, de partium prædictarum consensu factis, necnon productione dictorum cantoris & capituli, habito tamen prius jurisperitorum consilio per hanc nostram sententiam seu ordinationem diffinitivam, quam nos pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, ipsius nomine primitus invocato, ferimus hiis in scriptis, dicimus & declaramus quod nonobstantibus dictarum partium rationibus & allegationibus procedemus ad executionem dictarum litterarum apostolicarum, & ipsas exequendo in loco de Giemo ubi jam per dictos ducem & ducissam monasterium fabricari inceptum est, unum monasterium monialium ordinis sanctæ Claræ pro una abbatissa & monialibus ejusdem ordinis, quæ inibi sub regulari observantia & perpetua clausura, ac sub cura generalis Ultramontani & provincialis provinciæ Lugdunensis vicariorum ordinis fratrum Minorum regularis observantiæ, secundum tenorem dicti ordinis ac monasteriorum reformationis sororis Colletæ nuncupatæ, ac in vota mendicitate altissimo famulantur, cum ecclesia, campanili, campana, cimiterio, claustro, refectorio, dormitorio, hortis, hortaliciis, aliisque officinis necessariis, auctoritate apostolica nobis commissa de qua fungimur in hac parte erigimus, dictisque duci ac ducissæ monasterium prædictum cum ecclesia & aliis officinis prædictis perficiendi licentiam & auctoritatem, eadem auctoritate apostolica concedimus;

A necnon vicariis prædictis, ut monasterium prædictum per nos eadem auctoritate, & sic erectum, sub eorum cura, visitatione, correctione & superioritate recipiant, ac in illud, postquam habitationes ad hoc opportunas habuerint, moniales dicti ordinis sanctæ Claræ introducant, seu virgines vel alias honestas mulieres inibi sub regulari observantia & perpetua clausura ac in vota mendicitate altissimo famulari volentes, in illinc moniales recipiant, eisque habitum per moniales dicti ordinis sanctæ Claræ gestari solitum exhibeant, ac ab eis professionem per moniales ejusdem ordinis sanctæ Claræ emitti solitam, si illam sponte emittere voluerint regularem recipiant & admittant, ac unum vel duos fratres qui confessiones earundem monialium audiant, ac eis missas & alia B divina officia celebrent, necnon alia sacramenta ecclesiastica ministrent, inibi constituant & deputent, ac de monasterio necnon de monialibus prædictis curam habeant prout de aliis monasteriis dicti ordinis sanctæ Claræ eorum curæ subjectis habent, in virtute sanctæ obedientiæ ac sub excommunicationis sententia dicta auctoritate apostolica præcipimus & mandamus. Et nihilominus pro interesse tam dictorum cantoris & capituli, quam dictorum prioris & curati, ratione oblationum, sepulturarum & aliorum jurium parrochialium quorumcumque, adjudicamus dictis cantori & capitulo summam sex librarum, octo solidorum parisiensium; præfatis autem priori & curato summam sexaginta quatuor solidorum parisiensium annui & perpetui redditus, absque tamen præjudicio consuetudinis observari in nostra diœcesi solitæ, ratione C sepulturarum electarum in conventibus fratrum Minorum & Prædicatorum; necnon dicto priori pro recompensatione census & aliorum jurium occasione loci in quo jam dictum monasterium inceptum est, summam octo solidorum parisiensium redditus pariter adjudicamus. Quos quidem redditus præfati princeps & principissa ante omnia eisdem assignare & admortizari facere tenebuntur: expensis hinc inde compensatis & ex causa. Quæ omnia & singula, omnibus & singulis quorum interest & intererit, seu interesse poterit quomodolibet in futurum intimamus, insinuamus & notificamus. In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras, processum nostrum hujusmodi in se continentes, per notarium publicum suscriptum, sub- D scribi ac signari, nostrique appensione sigilli roborari fecimus ac jussimus. Datum in dicta villa nostra Conadæ in domo nostræ solitæ residentiæ, sub anno Domini millesimo quingentesimo, indictione quarta, die vero quarta mensis februarii, pontificatus præfati sanctissimi domini nostri domini Alexandri divina providentia papæ sexti anno octavo. Præsentibus & nobiscum assistentibus venerabilibus viris magistris Johanne *Saviot* canonico & pœnitentiario nostræ Autissiodorensis ecclesiæ, Johanne *Garnier* cantore, & Johanne *Guillot* thesaurario, & canonicis ecclesiæ nostræ collegiatæ S. Laurentii de Conada, & Jacobo *Pierreau* baillivo nostro in dicta villa nostra Conadæ in legibus & decretis licentiatis & graduatis, ac pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis & appellatis.

E ET ego Franciscus *Farineau* clericus Autissiodorensis diœcesis, auctoritatibus apostolica & regia, necnon venerabilis curiæ Autissiodorensis notarius & juratus, quia sententiæ prædictæ prolationi, aliisque præmissis in prolatione dictæ sententiæ contentis, dum sicut præmittitur per dictum dominum reverendum Autissiodorensem episcopum, judicem apostolicum & executorem unicum, agerentur, dicerentur, pronunciarentur & fierent, una cum prænominatis testibus, præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & dici audivi, ac in notam sumpsi. Idcirco præsentes manu tamen alterius fideliter scriptas exinde confeci & in hanc publicam formam redegi, signoque ac nomine

meis consuetis, una cum appensione sigilli ejusdem domini reverendi judicis & executoris præfati, hic me manu propria subscribendo signavi in fidem & veritatis testimonium omnium & singulorum præmissorum requisitus & specialiter rogatus.

C X L V I.

Littera decani & capituli pro futura electione episcopi post mortem Johannis Baillet.

1513. JOHANNES *Saujot* decanus, Johannes *Hannequin* archidiaconus, Johannes *de Noyon* cantor, Droco *Picard* thesaurarius, Odoardus *Hannequin* archidiaconus Puysaiæ, Germanus *de Charmoy*, Henricus *Petit*, Johannes *du Broc*, Radulphus *Chesdeville*, Michaël *le Caron* lector, Guillelmus *Litum*, Franciscus *le Duc*, Vincentius *Souëf*, Adam *de Bemon*, Johannes *Pelault*, Johannes *le May*, Christianus *Maillart* succentor, Hugo *de Valle*, Johannes *Babus*, Crispinus *Prevost*, Stephanus *Leger*, Johannes *le Roy*, Robertus *Pourcin*, Petrus *Myete*, Nicolaus *Belin*, & Johannes *Paucaire*, insignis ecclesiæ Autissiodorensis canonici, in claustro ejusdem residentes, capitulumque dictæ ecclesiæ facientes & repræsentantes; dilectis fratribus nostris magistris Carolo Bourgonii, Guillelmo *de Vaudetard* seniori, Petro *de Pilles*, Johanni *du Drac*, Petro de Fontenció, Nicolao de Beszo, Ludovico *Juvenal*, Gabrieli *Goffier*, Guillelmo *Andrault*, Petro *Bodin*, Ludovico *Bude*, Claudio *Doudieu*, Simoni *de Noviant*, Jacobo *Leviste*, Johanni *de la Porte*, Johanni *Bohault*, Ludovico *de Bigars*, Nicolao *Arbaleste*, Petro *Vasseau*, Antonio *Daulnay*, & Petro *Riote*, ejusdem ecclesiæ canonicis, tunc vero ab eadem absentibus, salutem & sinceram in Domino caritatem. Cum recolendæ memoriæ dominus Johannes *Baillet*, hujus ecclesiæ Autissiodorensis episcopus & pastor novissimus, die Jovis in vigilia S. Martini hiemalis, decima mensis Novembris ultimate lapsa, quod dolenter referimus, naturæ solvens debitum in sua domo episcopali Autissiodorensi suum spiritum Creatori reddiderit, in ipsaque ecclesia nostra & in capella S. Alexandri ejusdem, corpore ejus reverenter, ut decuit, ecclesiasticæ tradito sepulturæ: nolentes quod ipsa nostra ecclesia pastoris solatio diutius existeret destituta, nobis die Lunæ post festum beati Andreæ apostoli, quinta mensis Decembris, in nostro capitulo ad sonum campanæ congregatis, & capitulantibus, seu capitulum nostrum, ut moris est, tenentibus, diem Lunæ ante instans festum Purificationis B. Mariæ Virginis, quæ erit penultima mensis Januarii proxime futuri, cum continuatione dierum sequentium, concorditer præfiximus ad futuri pastoris electionem in præfata ecclesia nostra celebrandam, & ad omnia peragendum quæ electionis ipsius negotium contingere dinoscuntur. Ut igitur ignorantiam super hiis prætendere nequeatis aliquam, vobis & vestrum cuilibet præfixionem hujusmodi duximus insinuandam. . . . . & quemlibet vestrum citantes, prout citamus & vobis mandamus, quatenus dicta die Lunæ ante dictum festum Purificationis B. Virginis Mariæ, hora capitulari solita; quam diem & horam, cum omnibus diebus & horis sequentibus, quousque ipsius electionis negotium fuerit totaliter terminatum & adimpletum, vobis harum serie assignamus & præfigimus ad præfatum nostrum capitulum, si volueritis & si vestra credatis interesse, veniatis & compareatis una nobiscum de futuri pastoris & episcopi electione tractaturi, & in ipsius electionis negocio, modo debito processuri; alioquin vobis non expectatis, nec ulterius, etiamsi dictus terminus per nos fuerit prorogatus, convocatis, in hujusmodi negotio procedemus, vestra absentia non obstante, prout fuerit rationis. Ad præsentes autem nostras literas vobis & vestrum cuilibet præsentandas & intimandas, & ad ipsas executioni demandandas, dilectum nostrum Nicolaum *le Noble* clericum publicum, curiæque Autissiodorensis notarium duximus deputandum, injungentes eidem ut ex parte nostra vos & quemlibet vestrum ad dictos diem, locum & horam convocet & citet, vobisque & cuilibet vestrum denunciet, quod vobis non expectatis, nec ulterius, etiamsi dictus terminus fuerit per nos prorogatus, convocatis, in hujusmodi negocio procedemus, vestra absentia non obstante, prout fuerit rationis. Datum & actum in dicto capitulo nostro, nobis expresse in ipso ad sonum campanæ convocatis, congregatis & capitulantibus, sub sigillo nostro. . . . . signis manualibus notariorum publicorum subscriptorum, die supradicta præfati mensis Decembris, anno Domini millesimo quingentesimo decimo tertio.

C X L V I I.

Decretum supremi Parisiensis senatus, quo monachi S. Germani conservantur in omnimoda libertate ab episcopi jurisdictione.

VEU le procez d'entre les religieux, abbé & convent de sainct Germain d'Auxerre, ayans prins la cause pour frere Philbert de Beaujeu, vicaire & grand-prieur de ladicte abbaye, demandeurs & complaignans en cas de saisine, & de nouvelleté, d'une part; & l'evesque d'Auxerre ayans prins la cause pour maistre Guillaume Chausson son official, & Pierre Maignan son promoteur, defendeur & opposant oudit cas, d'autre part. Les advertissemens accordez, lettres, tiltres, contredits, & salvations desdites Partyes, & tout ce qu'elles ont produit. Veu aussi certain incident appoincté en droit entre lesdites Partyes sur l'enterinement de certaines lettres royaux obtenues par ledit defendeur le vingthuictiesme mars dernier passé, lequel incident par appoinctement du huictiesme avril ensuivant a esté joinct audit procez, pour en le jugeant y faire preallablement droit. Les advertissemens desdictes Partyes, & tout ce qu'elles ont produit oudit incident, & les memoriaulx a ouir droit; & tout veu, &c. Il est dit touchant ledit incident que en enterinant lesdites lettres royaulx obtenues par ledit defendeur, la Cour l'a receu, & reçoit à adjouster à son advertissement la conclusion mentionné esdites lettres. Et quant au procez principal est dit que lesdictes Partyes à chacune d'elles seront maintenues & gardées, & les maintient, & garde la Court respectivement ès possessions, & saisines cy-après déclarées; c'est à sçavoir, ledit défendeur en possession & saisine qu'il n'a esté, & n'est loisible auxdits demandeurs administrer le Corps de Nostre-Seigneur, & derniere onction à gens clercs, ou laiz sans congé & licence. En possession & saisine que s'ils administrent lesdits sacrements aux dessusdits sans congé, que ledit defendeur les peut faire citer, le tout selon la clementine, Relligiosi. *Et lesdits demandeurs en possession & saisine qu'ils peuvent, & leur est loisible administrer lesdits sacrements après le congé obtenu selon ladicte clementine. En possession & saisine que ledit defendeur, ses official, promoteur & autres officiers ne peuvent entreprendre court, juridiction, ne congnoissance contre lesdits demandeurs, ne aucun d'eux ne decerner citations, icelles executer, ne autres censures ecclesiastiques contre eux, & que lesdits demandeurs n'y sont tenus y respondre, sinon au cas dessus dit, & sans prejudice des autres cas reservés de droit aux evesques contre les exempts. Et icelles Parties en possession & saisine que si l'une ou l'autre s'efforçoit faire le contraire des possessions dessus dictes, de le contredire, debattre, & empescher, & le tout faire reparer & remettre au premier estat & deu. Et lieve la Court la main du Roy, & tout autre empeschement mis, & opposé esdictes choses contentieuses pour le debat desdictes Parties au profit* 1525.

Digitized by Google

de chacune d'elles par la maniere dessus dite, tous despens, dommages, & interets compensés, & pour cause. Prononcé en la presence de C. Ronsart, procureur desdits demandeurs, d'une part, & R. Bourgeois, procureur dudit defendeur, d'autre part. Le vingtiesme jour de Maî l'an mil cinq cent vingt-cinq. Signé DU MESNIL, *avec son paraphe.*

CXLVIII.

Ingressus solemnis Philippi *de Lenoncourt* in urbem Autissiodorensem, & qui ritus in eo usurpati.

1560. *EN l'an mil cinq cent soixante, le huitième Décembre, jour de Dimanche, Edme Vincent, Lieutenant général en la prevôté d'Aucerre, advocat, conseil & bailli ès terres & chastellenies de Toucy, Appoigny & Charbüy; voulant laisser à la mémoire un modelle des entrées que font les evesque d'Aucerre, prit acte devant nottaires de ce qui se passa à celle de Philippe de Lenoncourt, lesquels nottaires se transporterent avec lui sur tous les lieux de cette solemnité.*

Et premièrement, au delà du pont de pierre, sur les deux à trois heures après disner, trouverent ledit Philippe de Lenoncourt qui venoit du chastel de Regenne, accompagné de quantité d'ecclésiastiques & gentilhommes, qui marchant les uns devant les autres derriere icelui Philippe en bon ordre, entre autres, messire Anthoine de Melphe evesque de Troye, Jean de Lenoncourt abbé des . . . . Laurent Petitsou abbé de S. Pere & vicaire général du Cardinal de Guise abbé de S. Germain, Estienne de la Barre doyen de S. Estienne d'Aucerre, Jean de Marasin abbé de Bellevaux, André d'Assigny curé de Roigny, seigneur de Vachy, Jean de Lenoncourt seigneur dudit lieu, frere de cet evesque, Jean de la Riviere seigneur dudit lieu & de Signelay, François de Marasin seigneur d'Avignart, George de . . . . . . Fernat seigneur de Pruniere; auquel lieu ledit evesque fut salué par les officiers de la justice ecclesiastique, tous à cheval, vestus de leurs grandes robbes, qui lui firent la révérence par maistre Germain de Charmoy son vicegerent, avec harangue réciproque, docte (de la part de l'evesque). Cela fait, ils se mirent deux à deux devant la compagnie dudit evesque. Vindrent après les officiers de la justice séculiere à cheval, vestus de leurs grandes robbes, & l'oraison faite par honorable homme & sage maistre Guillaume du Broc seigneur des Granges, bailly de Varzy, Sacy & Gy-l'evesque; & puis se seroient accouplez avec les officiers ecclesiastiques. Et continuans le chemin jusques à la chesnée, illec seroient venus les prevosts, Gouverneurs, jurez & eschevins de la ville, maistres Estienne David, Adrian Legeron & Laurent Chrestien esleuz à Aucerre, avec le concierge dudit Aucerre orné de ses vestemens de livrée, avec grand nombre de citoyens & habitans vestus bien honnestement comme représentans le corps de la ville, manans & habitans, par honorable homme & sage maistre Jacques Chalmeaux prevost d'Aucerre, avec oraison à sa louange. Ce fait, ledit prevost, eschevins & esleuz se seroient accouplez avec les officiers dudit seigneur; lequel étant au droit de la chapelle S. Simeon, seroient venus les curez & vicaires de toutes les eglises parrochiales de la ville, avec croix & eau-benîte, ornez de leurs chappes. Et semblablement les Cordeliers & Jacobins avec leurs croix & eau-benîte, l'une desquelles deux, à sçavoir celle des Cordeliers, lui auroit esté presentée; à la présentation de laquelle ledit révérend seroit descendu de sa mulle, & illec ayant les genoux en terre auroit revérée & baisée icelle croix avec grande humilité.

Et ce fait, seroit entré en la chapelle dudit lieu S. Simeon où illec ayant pris son rochet & bonnet rond, & delaissé ses vestemens des champs, & ainsi accompagné, les gens du siège presidial l'auroient trouvé à l'endroit de la chapelle de Notre-Dame de Lorette, avec les advocats & procureurs estans à cheval & vestus de leurs grandes robbes, avec plusieurs advocats, procureurs & sergens tant à cheval qu'à pied, la harangue faite par maître Girard Remond ancien conseiller pour l'absence des lieutenans général & particulier.

Sur la grande porte de S. Simeon auroient esté trouvées les armoiries dudit reverend, & celles du reverendissime cardinal de Lenoncourt son oncle & resignant, & au milieu ces paroles: BENEDICTUS QUI VENIT IN NOMINE DOMINI, *apposées par les gouverneurs, jurez & eschevins.*

Arrivé au devant de l'eglise & abaye de S. Germain accompagné comme dessus, seroient venus les religieux de S. Germain avec la croix, eau-benîte jusques à la porte d'icelle eglise, vestus de chapes, où illec harangué par frere Pierre de Pesseliere prieur, en latin; à laquelle doctement de même langage ledit reverend auroit respondu. Et ledit Pesseliere auroit présenté un livre, sur lequel il auroit requis ledit reverend toucher, pour jurer QU'IL GARDEROIT LES RELIGIEUX EN LEURS PRIVILEGES, ET QU'IL NE DEROGEROIT A ICEUX. *A quoi le reverend répondit, que ses prédécesseurs n'avoient fait ce jurement, & qu'il ne le feroit; au moyen de quoi ledit Pesseliere auroit protesté que l'entrée qu'il faisoit en icelle eglise ne peust préjudicier aux droits d'icelle abaye, & ledit reverend au contraire. Ce fait, auroient tous les religieux conduit avec la croix & eau-benite ledit reverend, chantans le* TE DEUM *jusques devant le grand autel, où illec à genoux sur carreaux preparez auroit demeuré ledit reverend pendant le cantique, lequel achevé ledit reverend se seroit levé & chanté une collecte de S. Germain, & d'illec seroit esté mené & conduit par Laurent Petitsou grand vicaire dudit S. Germain & autres officiers dudit lieu de S. Germain, en la chambre abbatiale, où illec arrivé avec ses domestiques auroit exigé d'y être procuré avec son train jusques à l'heure qu'il partiroit pour aller en la cathédrale, ou bien un marc d'argent. Lesquels Petitsou, Pesseliere & autres, auroient fait reponse, que par rescrit du saint siege apostolique, mesmes par le feu pape Urbain, ils auroient esté exemptez de telle procuration; voires que par ledit rescrit il leur estoit enjoint de ne recevoir les evesques d'Aucerre à leurs nouvelles entrées, soit pour les pernocter ou les procurer en aucune manière: & aussi qu'autrefois icelle dispute seroit intervenue, laquelle auroit esté terminée par consentement arbitral donné par l'abbé de Vezeley, auquel les parties auroient compromis; mais seulement auroient esté condamnez à aller au devant dudit evesque jusques à la porte de l'eglise, avec croix, eau-benite & chappes, & de là le conduire jusques au grand autel, chantant le* TE DEUM, *offrant faire apparoir dudit rescrit & sentence audit evesque ou à ses officiers; ce qu'il auroit accepté.*

Et le lendemain heure de huit à neuf heures, ledit Vincent bailly dudit reverend, avec maître Edme Tribolé son procureur, estant en ladite abbaye, auroient ledit Petitsou & Pesseliere fait apparoir desdits rescrits & sentence. Et repliquerent lesdits officiers que ces rescrit & sentence avoient esté donnez sans ouyr les evesques qui nonobstant estoient en possession, joint que la sentence n'estoit signée; & ne s'estant pû accorder, auroient esté faites protestations réciproques. Et a esté baillé copie dudit rescrit & sentence.

De là lesdits Officiers de l'evesque se sont transportez en la maison episcopale, où illec ledit Vincent & du Broc assis sur une chaire, & maître Nicolas Tribolé son lieutenant en une autre, & ayant le greffier nommé maître Edme Liger, par ledit Vincent auroit esté déduit comme de tout temps & ancienneté estoient tenus de comparoir aux entrées des evesques, le comte d'Aucerre, le baron de Donzi, le baron de Touci & le baron de Saint-Verain-des-bois, comme vassaux dudit reverend, pour le porter dans une chaire depuis l'eglise de Saint Germain & grand autel d'icelle, jusques en l'eglise

Digitized by Google

eglise de Saint Estienne ; & que pour y vaquer, tous les susdits auroient eu assignations en vertu de la commission émanée dudit reverend à cejourd'hui heure de neuf heures, par Germain Armant sergent & garde dudit reverend, & contre lesquels ledit reverend se seroit présenté, requerant ledit greffier iceux appeller les uns après les autres.

A l'appel desquels seroient comparus, à sçavoir, maître Girard Remond plus ancien conseiller audit bailliage, & maitre Claude d'Her procureur du Roy en icelui bailliage pour & au nom du Roy. Jean de Chelles escuyer, seigneur du Renard & maître d'hôtel du Duc de Nivernois, protesta que la comparition que faisoit le Roy comme comte d'Aucerre, ne prejudiciast au seigneur duc de Nivernois, qui prétend le comté d'Aucerre lui appartenir.

Protesta aussi le bailly de l'evesque, que la comparition du baron de Toucy ne peust prejudicier au procez pendant aux requestes du palais par renvoi de la Cour, pour raison de ladite baronnie, que pretend ledit evesque par droit de retenue, & le baron au contraire.

Ledit reverend commencé d'estre installé par messire Toussains de Monté vicaire du grand archidiacre à Sens, accompagné de maîtres Guillaume Sougere & Jean Billotin chanoines dudit Sens, commis & deputés par ledit archidiacre, comme ils disoient ; lequel de Monté, après quelques oraisons concernantes l'installation, auroit mis ledit reverend en une chaire couverte & parée d'un parement de drap d'or ; en laquelle estant, ledit Vincent auroit requis lesdits barons qu'ils eussent à satisfaire au debvoir auquel ils étoient tenus, &c. Et s'estans mis en devoir de ce faire, ledit reverend se seroit levé, déclaré qu'il se contentoit, & qu'il iroit à pied, & sans tirer à consequence.

Les ecclésiastiques, Cordeliers & Jacobins, en après les officiers de l'evesque, les ecclesiastiques à dextre, & les autres à senestre ; les quatre barons proche d'eux, la chaire portée par quatre forts hommes ; du costé droit le comte d'Aucerre & le baron de Donzy, à senestre le baron de Saint-Verain & le seigneur de Toucy, l'evesque après lui, l'evesque de Troye, l'abbé de Belleveaux, &c. les sergens de la ville, le présidial, prevost, jurez, eschevins.

CXLIX.

Visitatio reliquiarum S. Germani per Dominicum Seguier *episcopum.*

1634. DOMINICUS *Seguier* Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia Meldensis episcopus Christianissimi domini nostri regis & sui status, & sanctioris consilii consiliarius, necnon suæ majestatis primus eleemosynarius, & nuper Autissiodorensis episcopus. Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod cum in sancta Autissiodorensi ecclesia sederemus, anno scilicet M. DC. XXXIV, Novembris secunda die ad nos devote & humiliter accesserunt, nobisque episcopo (ad cujus officium & dignitatem spectabat hujusce rei recognitio) insinuaverunt prior & monachi S. Germani Autissiodorensis, Benedictini ordinis, congregationis S. Mauri : quod cum a sancto Peregrino primo ejusdem urbis antistite, usque ad nos qui centesimum præsulem in eadem sede agebamus, nonaginta novem episcopi fluxissent, ea semper fuisset cum antiquorum, tum recentium authorum constans & firma sententia ex tanto episcoporum numero, sanctos Germanum, Alodium, Fraternum, Censurium, Ursum, Theodosium, Gregorium, Optatum, Romanum, Eleutherium, Etherium, Aunarium, Desiderium, Heribaldum, Abbonem, Gerannum, Bethonem ; beatissimos item Quintilianum, Aidulfum, Angelelmum, necnon probatissimæ vitæ Christianum, Gualdricum, Johannem, Hugonem Cabilonentem, Hugonem de Monte-acuto omnes prædictæ A sedis episcopos, & cum iis sanctos Lupum in superiori parte Burgundiæ olim episcopum, Sanctinum & Memorium presbyteros, Moderatum & Felicem pueros & martyres, Maximamque virginem ; in præfata S. Germani ecclesia supremum sepulturæ munus habuisse & in eam insuper successu ex diversis orbis christiani partibus translata fuisse multa alia diversorum sanctorum corpora seu reliquias, in primis vero corpus S. Romani abbatis, sanctique patris Benedicti in vita religiosa institutoris ; corpora etiam sanctorum Urbani papæ & martyris, Tiburtii etiam martyris atque septem fratrum ; necnon insignes reliquias S. Mauritii & sociorum ejus, S. Eugeniæ virginis & martyris, S. Theobaldi confessoris, S. Mariani item confessoris, & multa alia sanctorum pignora quæ sigillatim B enumerare prolixius esset ; ipsaque sanctorum corpora, exceptis Germani, Desiderii, Aunarii, Romani abbatis, Urbani & Tiburtii, Mauritii, Eugeniæ & Theobaldi reliquiis seu corporibus nusquam, ut credebatur, ex humili sepulturæ loco in capsas collocata : licet a populo christiano undequaque circumfluente, semper & maxime die Novembris octava, eorum consecrata memoriæ maximo honore & reverentia semper habita fuerint & etiam nunc habeantur.

Verum quia anno Domini M. D. LXVII, urbe Autissiodoro, ab hæreticis fraude intercepta & occupata prædictum S. Germani monasterium suis omnibus ornamentis, opibus, sanctorum reliquiis quæ in thecis aureis & argenteis elegantissime elaboratis asservabantur, omni etiam ligno & tegula, solis intactis C parietibus spoliatum fuisset, non mediocris erat dubitandi locus utrum sacræ prænominatorum sanctorum reliquiæ nusquam, ut præfatum est, in capsas collocatæ sacrilegas ipsorum Calvinistarum hæreticorum manus effugissent. Ita ut jamjam antiqua piaque fidelium fides non tantum vacillare, immo etiam e quorumdam cordibus aboleri cœpisset ; quocirca ii si præfatus prior & monachi qui rem maximi esse momenti perpendebant, nobis humiliter & obnixe supplicabant, quatenus ad eadem sanctorum sepulchra visitanda, ipsorum adire Cœnobium dignaretur.

Quorum votis benigne annuentes anno Domini prænotato, videlicet M. DC. XXXIV, die 11 Novembris, una cum multis tam e clero quam ex præcipuis civibus & populi ad idem monasterium nos D contulimus ; invocatoque Dei nomine hinc inde duobus monachis in albis & in torstitiis, clausis tamen ecclesiæ foribus, subsequente præfati monasterii conventu ; superpelliceo rochetoque induti, devote & reverenter ad hunc locum ecclesiæ accessimus, in quo S. Gregorii episcopi Autissiodorensis corpus veteri traditione contineri testabantur.* In cujus rei testimonium, depictus erat antiquis litteris in proximo pariete talis titulus, *Saint Gregoire ;* everso itaque dimotoque circumquaque ecclesiæ pavimento nulla intermedia terra, magni ambitus lapis inventus, cunctis astantibus, nobis vero præcipue antistiti ansam dedit ulterius explorandi id quod Deus obtulerat. Diductoque lapide, jacens corpus in lapideo sarcophago ferreis circumsepto cancellis ab omnibus visum est, E juxta cujus humeros segmentum sericum nondum consumptum, prope pedes corium calceorum seu sandaliorum, quinque insuper monetæ species inventæ, quarum maxima argentea ex una parte signo crucis insignita cum hac inscriptione : SIT NOMEN DOMINI CHRISTI BENEDICTUM. Ex altera vero eminebat K coronatum cum duobus utrinque floribus liliorum, aliisque per circuitum ex eadem parte, cum aliquo alio titulo qui legi non potuit. Hoc facto claudi sepulchrum jussimus.

Inde ad capellam S. Germani sitam in cryptis ejusdem ecclesiæ sub altari majori, ut supra comitati, secessimus : ibique ad partem australem ejusdem sacelli, juxta antiquam inscriptionem quæ sic habet : *Cy gist le corps de Monsieur saint Theodore qui fut*

evesque de cette cité, & trepassa le xxvii jour de Juillet. xx. extractis aliquot pavimentis inventum est sepulchrum concava in modum fornicis superficie, quo discooperto, corpus fere omnino in cineres redactum, magnitudinis quatuor circiter pedum & sesqui, cum parte sandaliorum nondum corrupta, vidimus; & eodem tempore aliqui ex circumstantibus sepulchrum ipsum, odorem suavissimum planeque divinissimum exhalasse protestati sunt. Observato & postea clauso eodem sarcophago, accessimus ad sepulchrum S. Germani, in cujus fundo, ad decem circiter pedes, sub altari ejusdem capellæ, perspeximus perantiquum magnumque sarcophagum lapideum, ex quodam lapide raro & eximio in modum fornicis, simili lapide coopertum; quo quidem operculo sublato, vidimus in illius sarcophagi superiori atque distincta parte, contineri multos cineres, officulum item, necnon plura fragmenta sive particulas cujusdam alterius sarcophagi lignei, quæ quidem omnia, veras esse S. Germani reliquias declaravimus, partemque prædicti lignei cui congruum honorem exhiberemus, nobiscum asportavimus, viso præcipue ac perlecto libro de gestis abbatum ejusdem monasterii, martyrologioque Corbeiensi perantiquo in quibus de hoc sepulchro & de contentis in eodem reliquiis agebatur: quia vero tardior hora se protrahebat, nec ad cætera sanctorum sepulchra visitanda opportuna; ejusmodi negotium in aliud tempus distulimus; præfatos priorem & monachos maxime commonentes ut visis seduloque perlectis sui monasterii chartis, libris & instrumentis; nos de prædictis sepulchris, & aliis nondum detectis plenius instruerent. Hæc acta sunt Autissiodori in jam dicta S. Germani ecclesia, die & anno quibus supra.

Anno vero M. DC. XXXVI, Septembris XVII die, supplicantibus iisdem priore & monachis rursus multis ex clero & populo comitantibus ad eamdem S. Germani ecclesiam accessimus. Præmissaque humili oratione, inspectis cryptarum parietibus circumquaque literis & pictura imbutis, effossa humo, in variis locis reperimus sarcophagos lapideos; quibus reseratis visa sunt corpora quæ inscriptionibus propriis notata aliquomodo respondebant. Et primo in capella S. Germani in qua ejus habetur tumulus præter illud, quod S. Theodosii esse perhibetur, invenimus duo alia sepulchra, unum juxta præfatum S. Theodosii tumulum, quod S. Romani quondam Autissiodorensium episcopi & martyris esse volunt, cujus corpus in cineres ferme redactum multo pulveri, qui forte per sarcophagi rimulas irrepserat, miscetur: juxta illud vero sepulchrum ejusdem sancti imaginem hoc titulo, *Sainct Romain*, duplicique inscriptione insignitam conspeximus.

Cy gist le corps de Monsieur sainct Romain evesque & martyr qui regna en la cité trois ans quinze jours & fut martyrisé le sixiesme d'Octobre du temps de Justin le dernier empereur.

Ex adversa autem parte, aliud autem sepulchrum in quo corpus proceræ staturæ jam multis partibus in cineres redactum; huic vero sepulchro correspondebat in pariete depicta imago cujusdam episcopi cum hac inscriptione.

Hic : requiescit : sanctæ : recordationis : beatus : Lupus : episcopus : qui : cum : Crotheechilde : regina : de : superioribus : partibus : Burgundiæ : venit : quo : tempore : beati : Germani : ædificabat : ecclesiam : ibi : que : præventus : suo : fine : decimo : sexto : kalendas : Julii : migravit :

Juxta idem sepulchrum duo reperti lapides concavi & contecti, quorum quisque decem circiter pollices

A longitudinis habebat. In illis nihil repertum præter cineres, & in eorum uno, aliquod officulum miræ albedinis.

In inferiori parte ipsiusmet sacelli sive cryptæ S. Germani sex sarcophagos lapideos, binos & binos in ipso pariete quasi absconditos vidimus, quorum unus major, præter quod multo plura continebat ossa quam quæ ad humani corporis compositionem sufficere possent, alium intra se habebat sarcophagum lapideum unius pedis cum sesqui; in quo alicujus erat corpus infantis aliquorum mensium cujus officula sanguine terraque conspersa esse videbantur. Alter vero ex ipsis sex sarcophagis majoribus, cancellis ferreis occludebatur, in quo etiam cum ipsis ossibus massa crassitudinis pugni ex sanguine & pulvere concreta cernebatur.

B Inde progressi, vidimus sepulchrum sancti Heribaldi Autissiodorensium episcopi, cujus corpus in sarcophago lapideo, omnium qui in ipsis cryptis habentur, si sarcophagum S. Germani excipias, pulcherrimo, casula indutum ea forma visebatur qua in pariete ejus imago depicta; hujus autem sepulchri duplex erat elogium, unum latino idiomate, necnon vetustiori caractere, alterum vulgari sermone, verbis scilicet quæ sequuntur.

Hic : requiescit : sanctæ : recordationis : Heribaldus : qui : fuit : abbas : istius : monasterii : postea : episcopus : factus : rexit : Autissiodorensem : ecclesiam : annis : trigenta : quatuor : obiit : autem : septimo : calendarum : majarum : & : in : basilica : sancti : Germani : habuit : sepulturam :	*Cy gist le corps de Monsieur sainct Heribald qui fut abbé de cette abbaye, puis fut evesque de cette cité & y regna trente-quatre ans & mourut le vingt-cinquiesme d'Avril ayant relevé le corps de S.t Germain.*

C

Paulo inferius in eisdem cryptis, tria sepulchra nobis ostensa sunt, in quorum uno (quod medium est) corpus cilicio indutum, superposito habitu monachali, quem nunc floccum vocant eadem omnino forma qua nostro tempore patres reformatos ejusdem cœnobii indutos videmus; in aliis vero duobus sepulchris ossa nullo ordine congesta, nec forte omnia continebantur. Eodem etiam loco supra sepulchrum quod S. Censurii esse existimant, elevatam capsam

D sive arcam ligneam sera & clavi olim obseratam, jam vero vetustate consumptam & in frusta collabentem, in qua multæ diversorum sanctorum reliquiæ separatis sericis habebantur inclusæ, aspeximus; hanc vero arculam cum ipsis ossibus sive reliquiis in fenestram proximam, donec de aptiori decentiorique loco provideretur, deferri curavimus.

Præfatis autem tribus sepulchris contiguæ erant quatuor imagines totidem episcoporum in parietibus depictæ cum hisce inscriptionibus.

Hic : requiescit : sanctæ : recordationis : Abbo : qui : prius : abbas : illius : ecclesiæ : postea : episcopus : Autissiodorensis : rexit : ecclesiam : Autissiodorensem : annis : duobus : mensibus : decem :	*Cy gist le corps de Monsieur S.t Abbon qui fut abbé de cette église & après evesque de cette cité & regna deux ans & dix mois.*

E

Hic : requiescit : sanctæ : recordationis : Fraternus : episcopus : & : martyr : qui : eadem : die : qua : ordinatus : est : episcopus : a : Barbaris : martyrio : coronatus : est : die : tertia : calendarum : Octobrium :	*Cy gist d'heureuse mémoire S.t Fraterne evesque & martyr, lequel au mesme jour qu'il fut élu & sacré fut occis & martyrisé qui fut le penultiesme de Septembre qu'il fut inhumé à S.t Germain.*

Digitized by Google

Hic : requiescit : sanctæ : recordationis: Censurius: episcopus : qui : rexit : ecclesiam : Autissiodorensem : annis : triginta : quinque : mensibus : tribus : diebus : sex :	*Cy gist d'heureuse mémoire S.t Censure evesque qui gouverna l'église d'Aucerre trente cinq ans trois mois & six jours.*

Hic requiescit sanctæ recordationis Gregorius episcopus qui rexit ecclesiam Autissiodorensem annis duodecim mensibus sex decimo quarto calend. Junii humatus in ecclesia S. Germani.	*Cy gist d'heureuse mémoire Gregoire evesque qui gouverna l'église d'Aucerre douze ans six mois. Il mourut le dix neufiesme jour de May.*

Juxta vero arcam ligneam in qua multorum sanctorum, ut jam diximus, reliquiæ asservabantur talis erat titulus.

Hic : continentur : reliquiæ : plurimorum : sanctorum : in : quodam : scrinio : ligneo : quod : fuit : inventum : quondam : retro : altare : matutinale : quorum : nomina : solius : Dei : scientia : novit :	*Cy dessous sont contenus en un petit coffre de bois des reliques de plusieurs saincts de long temps trouvez derriere l'autel matutinal desquelz Dieu seul sçait les noms.*

Juxta ipsummet locum in cornu epistolæ altaris sacelli S. Benedicti, inventa sunt in angulo parietis, ad id tamen ut videbatur ædificato & dispositio, viginti quinque corpora & amplius simul congesta, variisque cingulorum, calceorum, ciliciorumque fragmentis confuse adjunctis. Notatu vero dignum ibi aliqua ossa atro colore venerabili tamen, quasi flammis concremata, visa fuisse; unum vero veluti gladio confossum.

Ad capellam sanctæ Maximæ exinde properantes invenimus pro foribus ejus sepulchrum aliquod sive sarcophagum lapideum in terram defossum in quo corpus sive ossa pulveri terræque immixta situ tamen naturali; læva vero parte ejusdem sepulchri tale elogium columnæ inscriptum legimus.

> Hic : requiescit : sanctæ : recordationis : Marianus : confessor : gloriosus : juxta : quem : requiescit : Gerannus : episcopus : ut : epitaphia : multum : antiqua : supra : sepulturam : ipsius : attestatur : rexit : autem : ecclesiam : Autissiodorensem : annis : quatuor : mensibus : sex : diebus : undecim : migravit : ad : Dominum : quinto : calend. : Augusti : Verte : dorsum : & : videbis : antiquum : epitaphium : B : positum :

Illud autem epitaphium de quo hic agitur, nimia vetustate consumptum legi non potuit; verum in ejus loco hæc recentiora epitaphia leguntur.

> *Cy gist le corps Monsieur S.t Marien, moine de ceans qui trepassa le xii de May.*

> *Cy gist le corps Monsieur S.t Geranne, evesque de cette cité, le xlii qui trepassa le v d'Aoust.*

Horum autem sanctorum Geranni scilicet & Mariani depictæ erant in eadem tabula in pariete imagines.

In capella sanctæ Maximæ, ex parte quæ non longe est a cornu evangelii quatuor imagines inspeximus primam S. Maximæ, secundam S. Optati episcopi, duas vero alias duorum sanctorum presbyterorum

A Sanctini videlicet & Memorii : quibus quidem imaginibus talia concordabant elogia.

> *Cy gist le corps de Madame S.te Maxime vierge, l'une des vierges qui accompagna S.t Germain de Ravennes jusques en ce monastere avec S.te Palaise, S.te Magnence, S.te Camille & S.te Porcaire.*

> *Cy gist le corps Monsieur S.t Optat qui fut evesque de cette cité le xiv qui trepassa le dernier jour d'Août.*

> *Cy gist le corps Monsieur sainct Sanctin qui fut prestre.*

B

> *Cy gist le corps Monsieur S.t Memorien qui fut prestre.*

Advertimus etiam depictam in pariete manum quæ suo indice & veteri scriptura videbatur demonstrare in hoc altari sanctæ Maximæ vel non longe, esse conditum corpus prædictæ virginis, verum ab hæreticis, in odium sanctorum, prædictam scripturam fuisse olim abrasam satis constabat; quocirca nihil in ea, quod completum sensum redderet legere potuimus.

Egressi ex hoc sacello sanctæ Maximæ, accessimus exploraturi ad parietem qui est inter præfatam sanctæ Maximæ capellam, & sacellum sancti Martini, alias C Nostræ Dominæ de consolatione, cujus quidem parietis medium, Crucis signum præferre videbatur; quem locum, sæpius osculando eamdem crucem, devotus Autissiodorensis populus singulari pietate visitare consueverat à majoribus accepta fide & traditione quod ibidem sub crucis signaculo multæ pretiosæque sanctorum reliquiæ continerentur. Itaque nostra autoritate dimota hac cruce inventus est locus profundus ad decem pedes, in cujus infima parte, sepulchrum lapideum duobus vel tribus lapidibus occlusum latebat : quibus sublatis, ossa quinque aut sex circiter corporum inventa sunt, de quibus quidem ossibus cum a nonnullis dubitaretur, utrum veræ essent sanctorum reliquiæ quibus honor deberet exhiberi, factam & auditam fuisse præfatorum ossium, D nullo visibiliter impellente, inter se collisionem, a viris fide dignis aliquando audivimus.

Conversi ad alium parietem duas imagines sanctorum Alaudii & Ursi episcoporum antiquissimas quidem sed ab hæreticis, ut apparebat, mutilatas inspeximus. Quibus imaginibus proxime suppositi erant duo sarcophagi lapidei; in quorum uno, alter sarcophagus ligneus, in singulis vero, singula corpora proceræ magnitudinis & utrique sepulchro convenientia elogia diversis caractetibus parieti erant insculpta. Inventus etiam tertius sarcophagus lapideus, & pro angustia loci exiguus; in quo quidem sarcophago unius corporis ossa cuculla, vel aliquo alio id genus indumento, tenebantur inclusa, patuit.

E Pro sancto Urso hæc legimus epitaphia :

BEATÆ RECORDATIONIS URSUS EPISCOPUS.

Beatus : Ursus :
Episcopali :
Obiit : tertio :
Calendas : Augusti : cum :
Esset : annorum : octoginta :
Duorum : rexit : autem :
Autissiodorensem : ecclesiam :
Anno : LXVIII : a : beato Germano.

Hic : requiescit : sanctæ : recordationis : Ursus : episcopus : qui : rexit : ecclesiam : Autissiodorensem : annis : sex : mensibus : quatuor :	*Cy gist le corps de M.r S.t Urse, qui fut evesque de cette ville, le dixiesme après monsieur S.t Germain, & regna en laditte evesché six ans quatre mois.*

Sancti autem Alaudii sepulchro hæc apposita erant elogia :

Hic : requiescit : sanctæ : recordationis : Alaudius : qui : fuit : archimandrites : illius : ecclesiæ : postea : episcopus : factus : rexit : ecclesiam : Autissiodorensem : annis : triginta : mense : uno : diebus : duodecim :	*Cy gist le corps de M.r S.t Alaude, qui fut Gouverneur de ceans pour monsieur S.t Germain, & puis après le decez dudit S.t Germain fut eleu evesque, & regna trente ans un mois & douze jours en laditte evesché, & fut le huittieme.*

Proximiori loco juxta parietem patuit sepulchrum S. Bethonis cujus corpus hujuscemodi erat indutum cuculla sive flocco quo S. Abbonis corpus opertum diximus cilicio aspero subtus adhærente; inscriptio autem ejus sepulchri hæc erat :

Hic : requiescit : sanctæ : recordationis : Betto : episcopus : qui : rexit : ecclesiam : Autissiodorensem : annis : 2 : mensibus : XII diebus : XIV : sepultusque : in : ecclesia : beati : Germani : XXVI : calendas : Martii :	*Cy gist le corps monsieur S.t Beton, qui fut evesque de cette cité le XLIII, & gouverna l'eglise d'Auxerre deux ans onze mois quatorze jours, inhumé en l'église de saint Germain le XXVI jour de Mars.*

Nec procul ab hisce sanctorum Alaudii, Ursi & Bettonis sepulchris, antiquam deprehendimus depictam in pariete tabellam, qua omnium sanctorum & præcipuarum quæ in hac ecclesia condebantur reliquiarum nomina videbantur exponi; verum quia sanctorum infensissimi hostes Calvinistæ præfatam tabellam oblitterare tentaverant, pauca in ea legi potuere, & inter cætera sive sanctorum, sive piorum nomina, Christiani Autissiodorensis episcopi nomen erat expressum.

Tandem venimus ad ostium præfatæ cryptæ quod est versus meridiem juxta quod inter capellas sanctæ Trinitatis & S. Mariæ Angelorum, ut nunc vocant, vidimus imaginem episcopi depictam in pariete quam vulgari traditione dicunt esse S. Etharii episcopi Autissiodorensis; ibi etiam situm erat parvum altare unius pedis cum sesqui sub quo inventa quædam ossa absque ullo sarcophago aut inscriptione; hic tamen erat titulus altaris in pariete descriptus.

Hoc altare consecratum est in honorem S. Laurentii & Vincentii levitarum & martyrum, & sancti Leodegarii sanctorumque innocentium atque omnium sanctorum.

Ostenderunt etiam nobis præfati prior & monachi magnum lapidem crucis signaculo concavum quem superioribus annis reliquiis sanctorum plenum in medio majoris altaris, dum instauraretur, se invenisse affirmarunt, quin etiam ipsasmet reliquias cum parte sudarii S. Germani, ut credunt, quod religiose cum iisdem reliquiis in sacristia conservabant protulerunt. Hæc acta sunt in eadem S. Germani ecclesia die & anno quibus supra.

His ita peractis priorem & monachos rogavimus, num sive ex cartis, sive ex libris sui monasterii, sive ex quibusdam aliis codicibus alibi repertis, alia proferre possent testimonia quibus de sepulchris & reliquiis in ipsamet ecclesia reconditis nos plenius informare & instruere possent; qui quidem in primis

A protulerunt breviarium parvum sed antiquissimum ejusdem cœnobii in quo pro die octava Novembris tales assignabantur lectiones matutinis horis in choro recitandæ.

Lectio prima.

Ad magnificandam gloriam sublimis Dei dum se extendere humanæ capacitas scientiæ desiderat, nihil condignum reperire quivit nisi quod David propheta exhortando dicit laudate dominum in sanctis ejus, tunc enim Deum laude dignum ducimus honorare, dum magnifica opera quæ per sanctos suos honorifice gessit, laudum præconiis in sublime efferimus.

Secunda.

Unde pene quia totus orbis præcelsam solemnitatem omnium sanctorum uti a venerandis patribus decretum est B atque sancitum in calendis Novembris excolit; idcirco concio cœnobii B. Germani Autissiodorensis operam dare instituit, id authorisante episcopali decreto, cum consensu universalis cleri & populi, in ejusdem octavis denominatæ solemnitatis, sublimiter fieri ab omni cœtu humano ejusdem episcopii, festivum diem omnium sanctorum, martyrum, confessorum ac virginum qui intra confinia hujus tumulata consistunt, & præcipue eorum qui infra ambitum monasterii S. Mauritii & S. Germani corporea pausant præsentia.

Tertia.

Adsunt enim ibi oculis visibilia quantitate præcipua, virtute probata, nonnullorum apostolorum veneranda busta, martyrum reliquiæ innumerabiles vel corpora, pontificum sanctorum indicibilis congeries, virginalis approbata coram Deo & hominibus corporalis species & beatam Anastasim præstolantia beatorum pignora; quorum quanto sunt frequentiora natalitia, tanto minus venerantur in terris a mor- C talibus festa.

Quarta.

Sed nos desides dum solemniter eorum solemnia ut accidunt excolere nequimus, saltem in hac solemnitate eorum merita pro modulo nostræ fragilitatis recolere studeamus quatinus suis auxiliis & orationibus adjutos, nos de infimis hujus mundi ærumnis ad superna polorum secum piissime perducant.

Quinta.

Quia vero largiente omni potentissima Deitatis bonitate electorum suorum membris ad gloriam majestatis decoratus hujus ecclesiæ sinus, dignum valde videtur in hac eorum universali celebritate recensere ex autentica patrum & certissima descriptione qualiter sanctorum pignoribus martyrum ab urbe Roma delatis meruit honorari.

D

Sexta.

Gratia namque meritorum summi & incomparabilis patris nostri Germani interveniente, anno Incarnati Dei DCCCLXII fratrum quidam mandatis pariter & epistolis regiis instructi, urbem Romam expetunt, tum orationis gratia, cum etiam quarumdam ecclesiasticarum studio causarum quas Deo negotium procurante & allegarunt strenue & efficaciter expleverunt.

Septima.

Nicolaus papa tunc cathedræ præsidens, vicem apostolici culminis & dignitate & studio præferebat qui cum prænominatis legatariis ad cuncta quæ vellent per dies aliquot plenissime sui copiam fecisset, magna sui ac ministrorum ejus gratia discessuris sanctorum martyrum Urbani papæ & martyris & Tiburtii reliquias tradidit, additis insuper reliquiis S. Sebastiani, sanctorumque septem fratrum martyrum.

E

Octava.

His ita peractis privilegium etiam sanctæ sedis apostolicæ ob immunitatem nostri loci supradictus papa Nicolaus eisdem contulit; quod si quem scientia movet, in archivis publicis ecclesiæ nostræ invenire potest sicque Dei favore & obtentu regis Caroli, quod alias laboriosum vel impossibile erat, facili negotio confecerunt. Tu autem Domine, &c.

Item transumptum quoddam Errici monachi ex bibliotheca domini *du Chesne* historiographi regii juxta originale quod in ecclesia Laudunensi asservatur; quod quidem manuscriptum duobus libris constabat, quorum primus liber quinquaginta quinque, secundus vero octodecim capitula continet; & præcipue

Digitized by Google

ostenderunt nobis caput decimum quintum libri secundi, cujus quidem capituli talis erat titulus:

Qualiter SS. corpora translata & pontificum Autissiodorensium succincta commemoratio.

Sic vero incipiebat ejusmodi capitulum:

Postquam longe superius comprehensum opus visum est, & ecclesiastico decori congruum, & sanctorum componendis pignoribus condignum, exercitata sapientum sententia optimum factu judicatum est, ut supra memoratæ martyrum reliquiæ, necnon & corpora beatorum pontificum Autissiodorensium olim in ipsa ecclesia tumulata transferrentur in cryptas, & circa corpus beatissimi Germani præcipua officii diligentia conderentur divina mente, probo consilio; ut quos eadem cœli regia continet, ejusdem quoque in terris habitaculi capacitas sociaret. Factum ita est, & dextro quidem latere, id est a plaga australi, ossa beati Urbani papæ cum capite Innocentii martyris eodem loculo composita sunt. Hinc corpus venerabilis Alaudii successoris quondam ejus, ac trium deinde sanctorum pontificum Ursi, Romani & Theodosii.

A parte pedum, id est plaga orientali pretiosi confessoris & præsulis Aunarii membra sacratissima requiescunt.

Sinistrum, id est, septentrionale latus gloriosi martyris Tiburtii pignora occuparunt, subjunctis quinque pontificum corporibus venerandis, hoc est sancti Fraterni episcopi & martyris, Censurii, Gregorii, Desiderii ac Lupi; & extra hos S. Moderati pueri quondam martyris coronati.

Item transumptum aliud de vita sancti Romani abbatis ex magnis legendariis manuscriptis ecclesiæ cathedralis Senonensis, in quo hæc verba præcipue continebantur:

Deinde majore adhuc desiderio accenditur quærere ubi sancti corporis haberentur reliquiæ, comperiensque in jam dicto beatissimi Germani cœnobio sancti corpus haberi, deprecatus est primum domnum Hugonem loci ipsius abbatem revera autem totius regni moderatorem ac principem; dein direxit illuc Abonem Nivernensis ecclesiæ episcopum..... & post pauca.

Accedit episcopus ad locum quo sanctissimi scematis thesaurus erat absconditus, fratribusque cum litania divinum suffragium invocantibus, sumitque glebam prædicti corporis divini odoris nectare fragrantem reponens loco eodem prætiosissimas sanctorum ac martyrum reliquias quæ hodie ibidem condigno venerantur honore.

Item aliud transumptum ex quodam manuscripto S. Petri vivi Senonensis cum his verbis:

Anno 877, Johannes papa Romanus ad Gallias venit, postea in Italiam rediit relinquens Formosum episcopum Portuensem, & multas reliquias Ansegiso archiepiscopo Senonensi; qui Formosus ad monasterium S. Faræ in Brigeso dimisit caput beatæ Agnetis, quod dum poneret super altare, cunctæ Deo sacratæ in terram ruerunt velut in extasi positæ. . . . . . & post pauca.

Postea profectus est Altissiodorum ibique in cœnobio S. Germani præciosas reliquias posuit, &c.

Item librum manuscriptum de gestis pontificum Autissiodorensium, in quo clare multis in locis habetur quomodo supra nominati pontifices, initio scilicet hujusce processus, in eadem sancti Germani ecclesia pro merito suæ sanctitatis supremo sepulturæ officio donati fuerant.

Item duplex chronicon S. Mariani, unum quidem manuscriptum, alterum vero typis nuper excusum, in quibus idem prorsus quod in præfato libro continebatur.

Item multa martyrologia præcipue Romanum S. Stephani Autissiodorensis, Corbeiense duplex, ordinarium scilicet fratris Nivelonis, sancti Laurentii ab Aquis, & S. Johannis Reomensis.

Item manuscriptum de gestis abbatum S. Germani Autissiodorensis, in quibus quidem libris & manuscriptis licet crebra fieret mentio de illatione multorum sanctorum & reliquiarum in eorum ecclesiam S. Germani Autissiodorensis; ex ea tamen nulla sanctorum corpora translata fuisse constabat nisi sanctorum Desiderii episcopi & Romani abbatis; nec

A etiam ulla corpora sive reliquias ex sepulturæ loco in capsas collata nisi tantum præfatorum Desiderii & Romani abbatis, additis corporibus sanctorum Aunarii, Urbani & Tiburtii.

Exhibuerunt etiam quoddam registrum alicujus mercatoris Autissiodorensis, in quo licet agatur de omnibus capsis quæ in prædicti S. Germani ecclesia ante hæreticorum invasionem religiose asservabantur, de sanctis tamen Gregorio, Optato, Romano, Theodosio, Censurio, Fraterno, Urso, Alaudio, Heribaldo, Abbone, Bethone, Geranno, Moderato & Felice pueris, Mariano monacho, Etherio, Eleutherio, Lupo episcopis, ne verbum quidem. Quod præfati prior & monachi dicebant signum esse prædictorum sanctorum corpora adhuc in propriis &
B primis sarcophagis in eorum ecclesia haberi nec unquam e proprio sepulturæ loco in capsas fuisse collocata. Verba autem prædicti registri licet incorrecta, simplicia, rudia & admodum vulgaria lubet tamen hic adscribere iisdem verbis & syllabis.

Memoire de la proucession qui fut faittes en cette ville d'Aucerre.

Le XXIyesine May mil cinq cens cinquente-quatre fure descendus touttes les chasses de cette ville, & sont estez portez en grande devotion pour la deposicion du tans, lequel etoie ainclains à la grande secheresse. En icelle prousesion de dehors, puis à chacune prousesion leur banniere, estoys deux mille cinq cent nonne estois trois groux tourche; la premiere celle cinq George, celle cinq Cartau, & puis celle cinq Jacques; après iceux torche les Pellerins S.t Jacques
C *& les Apoustres, tous par bon hordre; après les Pellerins estoys trente-cinq croys tant de icelle ville que de dehors, puis après les croys, les Cordeliers, puis les Jacobins, puis après les peestres de dehors, puis les prestres de cette ville, tous par bon hordre: & après iceux ceculiers du couté droit le venerable chapitre de S.t Estienne avec leurs nonnins, du couté senestre messieurs les religieux de S.t Germain, & par le milieu d'eux tous les reliques ci-après nommez; le premier des reliques le chef S.t Souscrien, puis après le chef S.t Gou, le chef S.t Pris, la chasse dudit S.t Peis & compagne, le baston S.t Jacques, le baston du nom de Jesus, les reliques S.t François, les reliques de S.te Barbe, puis les reliques S.t Jacques, le relique S.t Fiacre, le chef est à S.t Renobat, le chef S.t Pierre, le relique S.t Sebastien, le baston S.t Vinsans, le baston du Sacrement, la chasse S.t Husebe, la chasse S.t Vigille, le chef S.t Juste, le chef S.te Annes, la chasse S.t Gervais, le suere S.t Germain, le relique S.t Pierre, la chasse S.t Mourice, la chasse S.t Sire*
D *& S.te Julice, la chasse S.t Crisien & S.te Darie, la chasse S.t Aunes, S.t Romain, la chasse S.t Hurbain & S.t Tiburce, la chasse S.t Thibault & androys l'une de l'autre, la chasse S.t Amatre & la chasse S.t Germain; & après iceux reliques la personne du reverent M.r d'Aucerre en son pontise, & iceux porteur de reliques & chasse estoys tous en lainge blanc, pié nus & teste nue en grande devosion avec grand nombre de luminaire, comme cierge, tourche, & la plus grande parcie d'iceux pourtants le luminaire à lainge blans & pié nus avec plusieurs autres reliques que portois les Cordeliers & Jacobins & autres prestres tant de cette ville que de dehors; puis & icelle prousesion un nombre des plus honorable hommes de cette ville commis pour arranger le monde, comme les Nonne, Pellerins, prestres & pourteur de reliques, & les hommes suivant celle prousesion etant quatre à quatre, & au milieu d'eux avoys chemain pour passer les conducteurs d'icelle prousesion, & les femmes suivant celle prousesion par hourdre comme les hommes.*

E Insuper nobis ostenderunt aliquam vitam sancti Germani vulgari lingua manuscriptam, in cujus fine hæc verba legimus:

En l'an de l'Incarnation Nostre-Seigneur IIIIcccc & li regnant Theodoise le jeune qui fut filz l'emperiere Archade aucueeux temps S.t Martin de Tours fut mors & . . . . . l'emper Archade auquel temps S.t Jeriaunez & S.t Amatres furent mors, regnant en Occident Valentinien le jeune & Placide sa mere, fu mors messire S.t Germain, & au cinquantieme jour de sa mort fu receu à Aucerre en son eglise que il avoit fondée de S.t Morise & de ses compagnons, & au temps Charles le chauve fut translaté ii fois, il fu mis en route de la nouvelle euvre, & pourceque nostre sires qui en la grand compagnie de paradis avoit receve l'ame,

Digitized by Google

il voust que li corps fut ensevely en terre entre grand compagnir de sains, dont vous devez scavoir que à dexter du cors S.t Germain li os S.t Urbain qui fut martyr & apostoles de Romme, & chief S.t Innocent le martyr que le apostoles Nicolas qui lours etoit donna à celie emperiere sont en soy, & a joignant dans le corps S.t Aloude, S.t Ours, S.t Romain & S.t Theodose evesque d'Auceurre, S.t Euterre & S.t Agnaires qui furent evesques d'Auceurre; à senestre sont en soy les os S.t Teburcian le martyr qui fu de la compagnie S.te Cecile que sil apostoiles mesmes donna à celle empereur, & illec ajoignant le cors S.t Fraterne le martyr & evesque d'Auceurre, & S.t Morrez qui en son enfance fut martyriez, S.t Cesors, S.t Desiriez & S.t Lou evesque d'Auceurre de si grant hostes est honnorez ci vus; & pour n'est pau de merveilles si tant de miracles ont été faits par cydevant en ce lieu, car ce est lieu de gran oraison, ne nult qui en vraye foi ne en vraye esperance ira sans conforne s'en va, &c.

Tandem pro sepulchro S. Germani, & in eo repertis sive cineribus & ossiculo, sive etiam fragmentis alterius sarcophagi lignei cum denario argenteo antiquæ Autissiodorensis monetæ, protulerunt maxime martyrologium Corbeiense a fratre Nivelone conscriptum, in quo hæc præcipue verba legimus:

8 Idus Januarii, &c.

Eodem die translatio corporis S. Germani Autissiodorensis episcopi.

Postea:

Anno igitur Dominicæ Incarnationis DCCCLIX, regnante piissimo Carolo Ludovici Augusti filio, annuente divina providentia, sæpedicti confessoris mausoleum a loco in quo translatione positum fuerat, denuo est submotum ad præparatum sibi habitaculum transferendum, &c.

Postea:

Per idem vero tempus, nec multo dierum intercedente curriculo, terribili paganorum infestatione metum incutiente, sæpedicti confessoris sepulchrum altius humi profunditate defossa, tenacissimi cementi glutine terræ venis est firmissime infixum; ac super illud aliud est locatus sarcophagus quo fragmina Cipressini loculi in quo corpus illius a Ravenna olim devectum est continentur, quod ob ambiguitatem futuris sæculis tollendam subjungere placuit.

Item librum exhibuerunt de gestis abbatum prædicti monasterii, in quo dum agitur de vita Hugonis abbatis qui florebat circa annum Christi 1120, sic inter alia scribitur: « hujus tempore principale altare S. Germani, quia in pluribus locis corruptum erat, de mandato domini Richardi Albanensis episcopi destructum fuit & in quodam sarcophago lapideo reliquiæ B. Germani inventæ in altari. »


Item eodem in libro de gestis Johannis abbatis: « destructo igitur principali altari anno Domini 1277 in die S. Georgii in aurora dictus abbas, adjunctis sibi quibusdam fratribus sarcophagum lapideum ferratum quod erat in medio altaris fecit removeri & cum reverentia super altare missæ matutinalis non sine magna devotione & lachrymarum effusione deponi & aperiri. Aperto igitur dicto sarcophago, inventum est in eo unum ossiculum de ipso corpore sancti Germani, ut creditur, cum parte serici pallii similis illi pallio sudarii quod habetur in thesauro & multis aliis indumentis tam sericis quam lineis & tribus vel pluribus scriniolis & aliis lignis de capsa, ut creditur, in qua delatum fuit corpus ejusdem sancti pontificis a Ravenna & cum multo pulvere de corpore & interiori ejus sepulchro, ut creditur, inventus etiam ibi unus denarius Autissiod. monetæ, &c. »

Quia vero super his omnibus nullus tunc, saltem qui ad nostram notitiam venerit, factus fuit, ut ita loquamur, processus verbalis, maximo præcipue id impediente populi concursu qui tribus diebus continuis visitandis hisce sepulchris se ultro ingessit, & paucis diebus abhinc elapsis, ad christianissimum regem nos recipere quorumdam negotiorum gratia & præcipue nostro muneri primi eleemosynarii facturi satis, fuerimus compulsi; sequenti vero anno ad sedem Meldensem disponente ipsomet Christianissimo rege translati fuerimus; ipso etiam domno Georgio *Viole* priore S. Germani, qui ejusmodi pium negotium de corporibus sanctorum inveniendis & approbandis maxime urgebat, ad aliud sui ordinis monasterium evocato & nunc in conventu S. Fiacrii nostræ diœceseos commorante: accesserunt ad nos, præfatum Meldensem episcopum prædicti S. Germani monachi cum ipso priore qui tunc erat & jam, ut diximus, in nostra Meldensi diœcesi moratur, nobisque obnixe supplicaverunt quatenus eis litteras nostras præstare dignaremur quibus apud omnes quorum interesset de supra laudata nostra sanctorum corporum in ecclesia S. Germani Autissiodorensis quiescentium visitatione constaret; quod nos tam piæ eorum petitioni annuentes libenter concessimus. Datum Meldis, in nostro palatio episcopali, anno Domini M. DCXLII, die vigesima nona mensis Aprilis.

SEGUIER episcopus Meldensis.

De mandato domini mei domini episcopi Meldensis.

Signatum *PETIT* cum suo paraphe.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ BETHLEEMITANÆ.

I.

Conventiones & permutationes factæ inter Mathildem Nivernensem comitissam & Gotifredum episcopum Bethleemitanum.

1245. IN nomine Domini, amen. Nos Mathildis comitissa Nivernensis, vera hæres & capitanea dicti comitatus, donamus, assignamus & concedimus in perpetuum vobis domine Gottiffride de Præfectis Bethleemitanæ electe, ecclesiæ vestræ & successoribus vestris in perpetuam recompensationem quadraginta libras Turonensium, vel valorem earum, redituales reddendas annuatim a nobis & successoribus nostris, vobis & successoribus vestris, vel certo nuncio vestro, vel ipsorum apud Autissiodorum in octavis Purificationis beatissimæ Virginis Mariæ in censiva nostra de Autissiodoro : ita quod si dicta censiva non valeret dictas quadraginta libras Turonenses, vel ad aliud quodlibet assignaretur; nos & hæredes nostri dictas quadraginta libras annui reditus super alios reditus nostros æquivalentes in comitatu Nivernensi assignare & solvere tenebimur, & tenebuntur pro eo quod nomine dictæ ecclesiæ vestræ Bethleemitanæ dedistis & concessistis pro dicto reditu annuali nobis, hæredibus & successoribus nostris in perpetuum villam vestram de Cersiaco Æduensis diœcesis sitam in comitatu nostro, cum hominibus & omnibus juribus, costumis, justitia, appendiciis & pertinentiis omnibus ejusdem villæ; ita quod si mandatum vestrum vel dictæ ecclesiæ recepturum dictam pecuniam non appareat loco & tempore prædictis, ipsa pecunia penes abbatem & conventum B. Mariæ-Magdalenæ de Viziliaco integre deponetur dictæ ecclesiæ Bethleemitanæ, vel ejus mandato persolvenda. Si autem dicta pecunia in aliquo futuro tempore non persolveretur, ut est dictum, nos promittimus pro nobis, hæredibus & successoribus nostris solvere vobis & successoribus vestris pro singulis diebus more solutionis faciendæ quinque solidos Turonenses nomine pœnæ; & hoc continue de die in diem donec de prædictis pecunia & pœna fuerit satisfactum. Et si per biennium a solutione dictarum quadraginta librarum cessatum fuerit, erit in optione prædictæ ecclesiæ Bethleemitanæ recipere dictum reditum cum pœna nominata, vel rehabere absolute dictam villam de Cersiaco cum omni integritate, jure & justitia, & cum pœna nominata & cum reditu de annis cessatis, eodem tamen reditu quadraginta librarum postea cessaturo, & dicta villa de Cersiaco postmodum in perpetuum dictæ ecclesiæ Bethleemitanæ remanente sicut fuerat usque nunc cum omni melioratione ejus. Hæc autem omnia & singula in hac pagina contenta volumus & concedimus, & per juramentum nostrum corporaliter interpositum promittimus tenere & observare in futurum, ad eadem observanda hæredes & successores nostros specialiter obligantes, & præcipue ut sicut nos juramus & facimus; ita ipsi literas nostras per suas proprias confirmantes, eadem faciant & jurent, infra annum ex quo saisinam comitatus Nivernensis habebunt; & ita singuli qui pro tempore erunt, faciant. Et insuper rogamus sanctissimum patrem dominum papam qui nunc est & qui pro tempore fuerit, quod ipsa omnia & singula in hac pagina contenta confirmare dignetur. Et ipsum dominum papam & reverendos patres Autissiodorensem, Eduensem & Nivernensem episcopos qui sunt in præsenti & qui pro tempore erunt, ut si prædicta omnia & singula non observarentur; ipsi omnes & singuli eos qui in observatione alicujus vel aliquorum eorumdem deficerent, per excommunicationem personalem & interdictum terrarum ad plenariam satisfactionem venire compellant, nec sententias latas in personas vel in terras relaxent aliquatenus donec dictæ ecclesiæ Bethleemitanæ prælato qui erit pro tempore vel ejus mandato super omnibus & singulis in hac pagina contentis fuerit plenarie satisfactum. Volumus etiam quod contractus iste permutationis, vel eschangii, vel quocumque nomine censeatur, & omnia in litteris istis contenta dictæ ecclesiæ Bethleemitanæ & ejus capitulo & prælato ejus qui pro tempore fuerit, & nobis & hæredibus nostris valeant omnibus modis, ac si propriis nominibus & certa demonstratione fuissent designata. Nos autem Gotiffridus de Præfectis dictæ ecclesiæ Bethleemitanæ electus a domino papa confirmatus volumus & concedimus quod nos & successores nostri & capitulum nostrum Bethleemitanum & ecclesiæ nostræ ultramarinæ & citramarinæ teneantur in perpetuum facere obsequium fidelium pro antecessoribus vestris, domina comitissa, pro dictis quadraginta libris redituralibus sicut pro dicta villa de Cersiaco antea tenebantur. Promittimus etiam per nos & ecclesiam nostram Bethleemitanam & successores nostros omnia prædicta rata & firma habere in posterum; & promittimus quod procurabimus & faciemus quod capitulum nostrum Bethleemitanum contra non veniet, sed prædicta omnia benignius observabit. Iterum concedimus & volumus quod si nos vel successores nostri, vel capitulum nostrum Bethleemitanum contra prædicta veniremus aut veniremus, vos domina comitissa & hæredes & successores vestri, si nobis & eis placeret, a solutione dictarum quadraginta librarum Turonensium penitus cessaretis & cessarent in perpetuum; dicta tamen villa cum omnibus ejus pertinentiis nobis & capitulo nostro Bethleemitano, & successoribus nostris in perpetuum extunc integre & libere remaneret. Et nos vobis, domina comitissa, dedimus literas capituli nostri Bethleemitani de ratihabitione quas penes nos habebamus. In quorum testimonium & munimen nos Mathildis comitissa Nivernensis præsentem paginam sigillo nostro fecimus consignari. Et ut hæc omnia & singula rata & firma permaneant in futurum, nos Gotiffridus de Præfectis prædictus Bethleemitanus electus a domino papa confirmatus eamdem paginam sigilli nostri munimine reddidimus roboratam. Nos autem cantor & capitulum B. Martini de Clameciaco ad instantiam & petitionem nobilis dominæ Mathildis comitissæ Nivernensis & venerabilis patris Gotiffredi Bethleemitani electi, a domino papa confirmati, præsentibus literis sigillum nostrum apponendum duximus in testimonium prædictorum. Actum publice apud *Drejam*, anno gratiæ M. CCXLV, IX kalendas Maii.

II.

Ex sequenti instrumento colligitur extitisse sorores ordinis Bethleemitici.

A Tous ceulx qui verront ces presentes lettres, Robert de la Celle garde dou seel madame la comtesse de Flandres, d'Artois & de Bourgoigne, en la prevosté de Clamecy, salut. Soichent tuit que par devant Perrin de Brenes, clerc notaire juré à l'office doudit seel, auquel nous avons commis notre pouvoir quant à ce & à plus granz chouses, pour oir & recevoir en lieu de nous toutes & chacunes les chouses & convenances cy dessous escriptes. Pour ce personnelement establie bien venue fille feux Guillaume le Semre de Clamecy, autrement appellée de Foaces, laquelle de son 1379.

Digitized by Google

bon gré, pure & franche volenté, sans nulle contrainte, recognut & confessa publiquement que comme ja pieça par le sauvement de l'ame de luy elle se feust donnée & rendue en corps & en biens à l'église de Nostre-Dame de Bethleem de Clamecy, & ce par le temps que frere Emart de la Roiche estoit evesque dudit Bethleem & gouverneur de ladite eglise; & avec ce avoit promis de enteriner, tenir, garder & accomplir fermement & senz corrompre tous les pointz & vehuz appartenenz à l'ordre de ladite eglise; & il soit ainsi que après ce qu'elle se fut ainsi donnée & rendue à ladite eglise, elle se feust delaissée du tout en tout d'enteriner & accomplir le vehu de ladite religion, en disant que onques en ladite religion elle n'avoit onque esté professe, ne onques profession n'y avoit fet, & que neant moins qu'elle se feust donnée & rendue à ladite eglise, puisque profession n'avoit faitte de ladite religion au chief de l'an revolu, elle se povoit oster & demettre ou cas qu'il li plairoit; neant moins toutes altercacions mises du tout au neant, elle ladite bien venue, en la presence de reverent pere en Dieu frere Guillaume de Valant par la grace de Dieu evesque doudit Bethleem, & en la presence doudit notaire juré, est venue, à laquelle ledit monsieur l'evesque a dit & exposé que en ladite religion en elle rendent audit monsieur l'evesque frere Emart de la Roiche, elle avoit fet profession, laquelle bien venue de sa pure, bonne & franche volenté, sans contrainte, comme dit est, a reconnu & confessé avoir esté rendue en ladite maison de Bethleem & eglise, en l'ordre S. Augustin, en disant en la presence doudit mons. l'evesque & dudit notaire juré que quant elle se rendi & donna à ladite eglise, à celle propre journée elle fut professe & avoit faite profession en ladite ordre, nonobstant qu'elle disist le contraire, & par sa confession fete de ladite profession pour amander sa concience & pour le sauvement de l'ame de luy, elle a requis audit mons. l'evesque de ce qu'elle avoit peschié au vehu de ladite religion, vraye confession & penitence, à laquelle chouse ledit mons. l'evesque l'a racehue poemy ce qu'elle a promis & juré par sa foy de pourter les toile & les draps de ladite religion, aussi comme les autres freres & seurs le font & l'ont fait ou temps passé, & faire son devoir à l'eglise avec les autres: & a volu & consentu ladite bien venue en la presence doudit juré, veult & consent que tous ses biens meubles conquez & heritaiges qu'elle a & puet avoir, & dont elle est tenent & possedant aujoued'hui, soient senz difficulté à ladite maison & eglise de Bethleem, quar ainsi les chouses dessus dites elle ladite bien venue a volu, consenti, ottroié & accordé en la présence doudit juré. En tesmoing de laquelle chouse nous avons scellé ces presentes lettres dou scel de ladite prevosté, à la relacion & au rapport doudit notaire juré. Donné l'an de grace mil trois cens sexante dix & neuf, le Lundi après la feste saint Mathe apostre.

P. DE BRENES, ita est.

III.

Diploma Caroli regis VI quo episcopum Bethleemitanum & successores ejus consiliarios regios creat, insuper & confirmat prædia eorum ecclesiæ data per Guillelmum & Mathildem comites Nivernenses.

1413. CAROLUS Dei gratia Francorum rex, universis præsentes litteras inspecturis, salutem. Illos solemus ad nostra evocare consilia, quos morum gravitate scientiaque ac prudentia, necnon status honorificentia novimus præcellere, ut reipublicæ nostro commissæ regimini, si & quando opus est salubriter provideatur, nobisque consulatur maturius solertiusque procedatur in agendis. Nos itaque audientes dilectum nostrum Johannem episcopum Bethleemitanum, consiliarium & confessorem carissimi consanguinei nostri ducis Burgundiæ, prædictis & aliis virtutum insigniis pluribus dotatum esse & præditum, deque fidelitate sua confidentes ad plenum, etiam propter sanctitatem & excellentiam suæ ecclesiæ, ipsum in consiliarium nostrum, & de nostro consilio retinuimus & retinemus per præsentes ad honores, præeminentias, franchisias, libertatesque ac immunitates & cæteras prærogativas, eumdem episcopum aliorum consiliariorum nostrorum & de nostro consilio, ut præfertur, consortio aggregantes, volentes ut idem episcopus assistat & assistere possit nostris negotiis & agendis quibuscumque, ac consiliis nostris intersit a cætero quibus cæteri consiliarii nostri solent interesse & in posterum intererunt, statuentes quod deinceps & a cætero omnes & singuli episcopi de Bethleem, si de regno nostro originati fuerint, vel in eodem ut plurimum continuam traxerint moram, si juramentum ad hoc consuetum præstiterint, similibus honoribus, præeminentiis, franchisiis, libertatibus & immunitatibus, & prærogativis universis in regno nostro gaudeant, quibus cæteri prælati nostri & regni consiliarii gaudere consueverunt & in posterum sunt gavisuri. Et quia Guillelmus quondam comes Nivern. ex maximo devotionis fervore ad dictam ecclesiam de Bethleem, in qua, ut suscepimus, propter honorem Salvatoris voluit tumulari, de feudalium suorum assensu & consilio voluit & concessit quod quidquid dictæ ecclesiæ de Bethleem sub ejus & dictorum feudalium assensivis acquireretur, esset eidem ecclesiæ & ejus ministris quietum perpetuo, certaque dominia dictæ ecclesiæ donavit, & finagium *de Sambes* cum terragio parvi Sparonis ex una parte, ac silvam montis Lauducii cum landis & varennis usque ad sudes montis Lamberti cum eorum introitibus & exitibus, & pertinentiis prælibatæ ecclesiæ eleemosynaliter perpetuo possidenda contulit & donavit; Mathildis etiam comitissa Nivernis prædicta omnia confirmavit, ut per eorum scripta nobis factum est notum, & ex certis causis dictam comitissam inducentibus quidquid census, jurisdictionis & redditus in silva montis Bergoleti cum terris adjacentibus usque ad pirum Bertrandi cum valle eidem contigua etiam eleemosynaliter concessit & donavit; timensque idem episcopus propter statuta cancellariæ nostræ in præmissis vexari, nobis supplicari fecit humiliter ut super hiis favorabiliter provideremus. Nos attendentes quod eisdem Guillelmo & Mathildi propter eorum devotam probitatem atque fidelitatem ut omnia præmissa in favorem hospitalitatis facere possent per antea extiterat concessum, attento etiam quod de jam dictis concessionibus & donationibus ipsa ecclesia pacifica exstitit, proviso etiam quod prædicta omnia a castro olim de Sparrone in dicto comitatu, quod castrum francum & liberæ locationis fuit, dependentiam habent, ratione cujus sine feodo & justitia existunt, quidquid supradictus Guillelmus in præmissis statuit & donavit, quidquid etiam dicta Mathildis quondam voluit & concessit præsentium tenore laudamus, & ut prælibatæ ecclesiæ pacifica & quieta existant perpetuo ac sub protectione regia & defensione tenemus, annuentes ut quidquid dicta ecclesia sub dictis assensivis, aut alibi in regno nostro acquirere valebit, dum tamen acquirenda summam ducentarum librarum ad utilitatem ejusdem non excedant, & etiam sine feodo & justitia existant, dictis episcopis administrandi & perpetuo possidendi per præsentes damus auctoritatem & elargimur facultatem. Quocirca dilecto & fideli cancellario nostro & eis qui pro tempore erunt, damus tenore præsentium in mandatis, quatinus ipsum episcopum & ejus successores si hoc petierint, recepto tamen prius ab eis juramento in talibus præstari solito, hujusmodi officio ac honoribus, præeminentiis, libertatibus, franchisiis & immunitatibus, terris, hæreditatibus & redditibus antedictis gaudere, & ut plenarie faciant & permittant, ordinationibus, restrictionibus, mandatis

mandatis & inhibitionibus, ac cancellariæ nostræ statutis ad hoc contrariis nonobstantibus quibuscumque. In cujus rei testimonium nostrum præsentibus fecimus apponi sigillum. Datum Parisius nona die Februarii anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, & regni nostri XXXII. *Et étoit écrit en marge au dessus de la queue où pend le scel:* Per regem domino Anthonio de Cricone, domino Carolo de Savoisisco & domino Philippo de Pictavia præsentibus. *Et signé E. Barreau. Et au dessous de ladite queue en ladite marge:* Relaxata per regem, magistro Roberto *le Masson* & Alexandro *le Boursier* præsentibus. *E. BARREAU.*

Collation faite de cette presente copie à l'original, par moy Jehan Geneste clerc notaire juré de monsieur le conte de Nevers & de Rethel, baron de Donzy, sous le scel de la prevôté de Clamecy, en la présence de Jehan Migniet conseiller de mondit seigneur le comte, & contrôleur du Grenier à sel étably audit lieu, le vendredy XIX jour de Mars, l'an M. CCCC & quarante-quatre. Signé GENESTE avec paraphe.

IV.

Bullæ Clementis VII pro Philiberto episcopo Bethleemitano.

1524. CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Philiberto de Bello-joco Bethleemitano electo, salutem & apostolicam benedictionem. Apostolatus officium meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum quo ecclesiarum omnium regimini divina dispositione præsidemus, utiliter exsequi coadjuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimus & solertes, ut cum de ipsarum ecclesiarum regiminibus agitur committendis, tales in pastores præficere studeamus, qui populum suæ curæ creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias velint & valeant duce domino salubriter regere & feliciter gubernare. Dudum si quidem bonæ memoriæ Martino episcopo Bethleemitano regimini ecclesiæ Bethleemitanæ præsidente, nos cupientes eidem ecclesiæ cum vacaret per apostolicæ sedis providentiam utilem & idoneam præficere personam, provisionem ipsius ecclesiæ ordinationi & dispositioni nostræ duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes ex tunc & inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Post modum vero præfatæ ecclesiæ quæ in partibus infidelium existit, & cui ecclesia de Bethleem nuncupata B. Mariæ prope oppidum Clameciaci Autissiodorensis diœcesis in comitatu Nivernensi Romanæ ecclesiæ immediate subjecta, perpetuo canonice unita, annexa & incorporata existit, per obitum ejusdem Martini episcopi qui extra Romanam curiam debitum naturæ persolvit pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta ad provisionem ejusdem ecclesiæ celerem & felicem, de qua nullus præter nos hac vice se intromittere potuit seu potest, reservatione ac decreto obstantibus supradictis, ne ecclesia prædicta longæ vacationis exponatur incommodis paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de præficiendo eidem ecclesiæ personam utilem & etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te monachum monasterii sancti Germani Autissiodorensis ad eamdem Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis S. Benedicti, ordinem ipsum expresse professum, in decretis licentiatum, ac in presbyteratus ordine constitutum, & de nobili genere ex utroque parente procreatum, pro quo dilecta in Christo filia Maria de Albreto relicta quondam Caroli dum viveret comitis Nivernensis, per suas litteras nobis humiliter supplicavit, & cui apud nos de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia & temporalium circumspectione aliisque multipliciter virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua nobis & eisdem fratribus ob morum exigentiam meritorum accepta ecclesiam Bethleemitanam tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, firma spe, fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos præfata ecclesia Bethleemitana per tuæ circumspectionis industriam & studium fructuosum regetur utiliter & prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus ac temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipias; curam & administrationem prædictas sic exercere studeas sollicite, fideliter & prudenter ut supradicta ecclesia Bethleemitana gubernatori provido & fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque præter æternæ retributionis præmium nostram & dictæ sedis benedictionem & gratiam exinde eo uberius consequi merearis. Volumus autem quod postquam præsentes litteras habueris expeditas, ad ecclesiam Bethleemitanam prædictam te conferas & resideas personaliter in eadem, quodque extra tuas civitatem & diœcesim pontificalia nequeas exercere. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto, sexto decimo calendas Septembris, pontificatus nostri anno primo.

V.

Litteræ Francisci a Clivia ducis Nivernensis quibus Papæ præsentat episcopum Bethleemitanum.

AVous nostre très-saint pere le pape, François de 1560.
Cléves duc de Nivernois, souverain des terres outre Meuse, marquis d'Isles, comte de Rethelois, Beaufort & Auxerre, pair de France, Gouverneur & lieutenant général pour le roy très-chrétien en ses pays de Champagne & Brie, très-humble salut avec honneur & deue obéissance. Comme vacant l'église & l'evesché de Bethléem ez parties des Infideles, auquel l'hôpital fondé en l'honneur de Notre-Dame de Bethléem, vulgairement nommé & appellé près la ville de Clamecy, diocèse d'Auxerre, en notredit duché est pareillement uni; lequel hôpital nos prédécesseurs grans peres & majeurs, en mémoire & recordation du très saint hôpital de Bethléem ez dittes parties des Infideles où Notre-Seigneur Jesus-Christ a été reçû & logé Dieu & Homme, & en icelui a voulu naitre pauvre pour nous faire riches en son royaume, ont fondé & dotté iceluy, en contemplation de quoy la nomination & présentation à cause de notredit duché à nous, & à vous & au saint siége apostolique, la collation & toute autre disposition appartiennent de toute ancienneté toutesfois & quantes que vacation y échet, & soit ainsi qu'il est à présent vaquant par la mort & décès de messire Philibert de Beaujeu, de Bello-joco, *jadis évêque dudit évesché & paisible possesseur, ou de M.e Urbain de Reversin ou autres, nous duement informés des sens, litterature, probité de vie, bonne & louable conversation, suffisance & capacité de vénérable & religieuse personne frere Antoine Trusson prêtre de l'ordre de S. Augustin, & religieux de l'abbaye & monastère de Toussaint en l'isle de Châlons, iceluy audit evesché & hôpital de Notre-Dame de Bethléem audit diocèse d'Auxerre, ses droits, honneurs, prérogatives & prééminences accoustumées par ces présentes, présentons & nommons à votre sainteté, icelle très-humblement suppliant que audit Trusson vouliés conférer & donner ledit evesché & hôpital de Bethléem, avec tous & chacun ses droits, honneurs, prérogatives & prééminences, profits & appartenances, pour par iceluy Trusson jouir & user ainsi que ses prédécesseurs evesques de Bethléem, & donner*

sur ce lettres nécessaires, sauf notre droit & l'autruy. En temoignage de quoy nous avons signé ces présentes de notre main, & fait contresigner par l'un de nos secrétaires, & scellé de notre scel. Donné à Troyes le 5 Décembre 1760. FRANÇOIS DE CLÉVES.

V I.

Episcopus Bethleemitanus quidquid jurisdictionis & dominii a comitibus Nivernensibus acceperat in ecclesiæ suæ dotatione, eisdem divendit, quibusdam retentis & exceptis.

1291. . . . . officialis curiæ Parisiensis, salutem in Domino. Notum facimus quod nos anno Domini 1292, die Martis post hyemale festum beati Martini litteras inferius annotatas vidimus. . . . . . Ego Willelmus Nivernensis comes, & milites & burgenses Clamaciaci decrevimus atque constituimus apud Clamaciacum ædificare domum Dei, videlicet granchiam meam quæ est ultra Icaonam in usus pauperum, & terram quæ est ultra Icaonam, de qua tertias habebamus, & de alia si inveniri poterit aut plana aut nemorosa quantum labori unius carrucæ sufficiat. Concedo etiam prædictæ domui Brunonem & uxorem ejus cum tota possessione sua, si vero usum vel costumam michi debet, clamo quietum, & si de terra mea unde censum vel costumam habeam emetur in domo vel dabitur, similiter clamo quietum. Vicecomes arpentum prati & jugerum terræ quæ est super baronem; & si aliquid emetur in terra sua vel dabitur unde costumam habeat, clamat quietum. Stephanus Albotus dedit de feodo forestam ad necessaria domus, Guido Rufus duodecim censuales quos Odo Acelini reddit, Lambertus de S. Germano & Simon de Amasiaco quidquid habent in pratis Cunciaci & Cavæ-ruppis. Ugo Russelli arpentum prati in Praelis, Renaudus de Aula duodecim & usus in nemore Pulsoli; Guido . . . . duodecim denarios qui sunt in domo & melcha Radulphi figuli de Armis; Isenbardus *Bardet* sex denarios, Ugo Fradelli sex denarios, Guido Gaudricy sex denarios, Acelinus sex denarios, Willermus *Chacebox* minam avenæ censualem & jugerum terræ & usus in nemoribus suis; Ballavena quatuor denarios, capellanus duos, Odo Camberlanus arpentum prati, Garterius præpositus arpentum prati, Nocherus quatuor denarios, & in nemore de Armis usus in parte sua, & Guido similiter usus in nemoribus Luciaci in parte sua; Garterius Acelini sex denarios qui sunt in prato quod est Croiæ baronis; Pincerna quatuor, Vilanus quatuor denarios, Obertus de Berione jugerum terræ & obolum census, Pardionus molendinarius & Guillermus gener ejus duo jugera terræ quæ in prato sunt redacta; Renaudus carnifex vineam quæ est in costa Baudini, Raymundus vineam, Gaufridus de Foiso quinque denarios, Tebortus, Herbertus, Rufus & fratres ejus Cavæ-ruppis, Archedus jugerum terræ ad quercum & obolum census, Garterius *Rochard* sex denarios, Stephanus Pincerna tres denarios, Guido de Viridario vineam, Ugo vetulæ Romæ sex denarios, Gauterus nepos sex denarios, uxor Raimundi duos denarios, Ocenda secunda uxor Doriducii unum denarium, uxor Christiani clamat quietos decem denarios census, Bricius Ballavenæ tres denarios. Actum est hoc apud Clamiciacum, & confirmatum in præsentia domini episcopi Autissiodorensis, & in præsentia Guillermi comitis Nivernensis qui apud Chartosam obiit, & Willermi filii ejus, Eugenio papa, Ugone episcopo Autissiodorensi, Ludovico rege, Willermo comite, anno ab Incarnatione Domini 1147.

Item, alias . . . . præsentes litteras inspecturis. Notum facimus quod hæc est eleemosyna quam Guillelmus quondam comes Niver-

A nensis dedit & concessit ecclesiæ de Bethleem apud quam corpus ipsius . . . . burgum qui vocatur burgus Pantenerii, qui est ultra aquas Icanæ juxta Clamaciacum cum gainagio territorii quod vocatur territorium *de Centbouf*, cum pertinentiis ejusdem gainagii & villam. . . . . . . domus Dei cum gainagiis & vineis & cum nemore quod vocatur hasta comitis, & apud montem Rupellionis burgum de ultra pontes tali conditione quod nos vel hæredes nostri aliquem de . . . . poterimus retinere, nec in prædictis locis homines nostri ab episcopo Bethleemitano, vel a ministris ipsius episcopi poterunt retineri, prædicta concessit idem comes dictæ ecclesiæ quod quidquid provisores dictorum locorum . . . . acquisierint, libere

B tenebunt & pacifice possidebunt. Venerabilis vero pater Reignerius Dei gratia Bethleemitanus episcopus voluit & concessit quod prædicta eleemosyna & omnia quæ provisores & fratres dictorum locorum . . . . & defensione nostra ac hæredum nostrorum, ita quod si contentio inter provisores & fratres dictorum locorum oriretur, nos & hæredes nostri poneremus custodem nostrum in domibus & locis prædictis pro bonis ipsorum . . . . ecclesiæ & episcopi Bethleemitani quousque contentio sedaretur. Nos vero dictam eleemosynam ob remedium animæ nostræ, antecessorum & hæredum nostrorum, ratam habentes & firmam, præsentem paginam . . . . fecimus roborari. Actum anno Domini 1223 mense

C Martii.

Item, alias in hæc verba: Dei ac sedis apostolicæ gratia, nos frater Hugo ecclesiæ S. Nativitatis Christi in Bethleem . . . . universis quod nos hospitalis & capellæ nostræ S. Mariæ de Bethleem juxta pontem Clamaciaci Autissiodorensis diœcesis, nobis & nostræ Bethleemitanæ ecclesiæ immediate subjecti . . . . damnis & dispendiis ob . . . . conditionem eorum facere meliorem burgum qui burgus Pantennerii ab incolis loci vulgariter appellatur, in quo quidem burgo tam hospitale quam capella prædicta sunt sita, & qui quantum ad id quod . . . . temporalis habemus in eo ad prædicta tam hospitale quam capellam, necnon per hoc ad nos . . . . . . & nostram Bethleemitanam

D ecclesiam noscitur pertinere, de fratrum nostrorum ejusdem Bethleemitanæ ecclesiæ consilio & assensu deli . . . . multa physica prout decet in talibus, consultis nichilominus viris prudentibus & gentis qui . . . . dicti burgi quantum ad utilitatem & fructum qui nobis annis singulis ex ea poterit provenire manifestius erat; quidquid in prædicto burgo jurisdictionis & dominii temporalis habemus videlicet homines seu burgenses nostros dicti burgi decimam & festagii nobis ab ipsis debita, necnon & nundinas quas habebamus ibidem cum . . . . Item quidquid juris in burgo de ultra pontes montis Rupillionis habemus & habere debemus illustri & munifico viro domino Roberto primogenito comitis Flandriæ comiti Nivernensi

E tenore præsentium concedimus, tradimus . . . . tam ab eodem comite quam ab ejus hæredibus & successoribus sine contradictione qualibet in perpetuum possidenda, proprietatem tamen & dominium tam ipsius hospitalis quam capellæ, necnon & domus nostræ & domorum & possessionum nostrarum omnium quas in prædicto burgo, exceptis prædictis quæ prout pertractum est, eidem comiti dedimus & concessimus, notum est nos habere. Item jurisdictionem tam fratrum quam conversorum, & eorum qui se & sua nobis dederunt . . . . pro tempore sunt daturi, necnon & totius familiæ nostræ quam habemus vel sumus, nos & successores nostri per successiones

Digitized by Google

temporum habituri. Item libertates reliquas universas A hospitali & capellæ prædictis . . . . nobis & Bethleemitanæ ecclesiæ a cæteris cominibus ejusdem domini comitis prædecessoribus dudum datas liberaliter & concessas, nobis & ecclesiæ nostræ, nostrisque successoribus totaliter & integraliter absque diminutione aliqua . . . . bona fide & in verbo veritatis eidem comiti suisque successoribus seu hæredibus, tam pro nobis quam pro nostris successoribus promittimus & firmamus nos contra donationem & concessionem prædictas directe vel indirecte in perpetuum non venire . . . . ad quod tenendum & observandum firmius omnia bona nostra quæ in Nivernensi comitatu habuimus ubicumque sint vel fuerint obligamus. Nos autem prædictus Robertus comes Flandriæ . . . . Nivernensis comes . . . . Ludovico primo- B genito nostro & ejus ad hoc interveniente assensu & consensu pro nobis & pro ipso cæterisque nostris hæredibus & successoribus quos tenore præsentium ad infra dicenda, quantum . . . . domine Hugo ecclesiæ S. Nativitatis Christi in Bethleem episcope, & in vobis & successoribus vestris omnibus tam . . . . quam ipsorum & vestræ Bethleemitanæ ecclesiæ consimili modo bona fide . . . . possidere donatione & concessione prædictis vobis & successoribus vestris qui pro tempore fuerint, aut certo vestro, vel eorum famulo vel mandato viginti libras parvorum currentium annui & perpetui redditus . . . . in festo Purificationis B. M. V. annis singulis persolvemus, aut apud abbatem & conventum a Virsiliaco in eorum monasterio, vestro & Bethleemitanæ C ecclesiæ nomine cum eamdem pecuniam . . . . . . vobis vel certo vestro nuntio, vel mandato nomine vestro, sine contradictione & diminutione reddendam in præfato termino octavarum Purificationis B. M. V. totaliter & integraliter sine aliquo defectu deponemus . . . . in præfato termino a vobis vel vestro certo nuncio, vel mandato nos seu procuratores nostros casu aliquo contingente contigerit alibi non requiri, quod se in solutione seu desportatione prædictis . . . . . . aliquo tempore . . . . volumus & concedimus, & ad hoc nos hæredes & successores nostros qui pro tempore fuerint modo quo superius est expressum, tenore præsentium obligamus, quod pro singulis diebus quibus in mora seu d . . . . faciendæ fuerimus duos solidos Parisienses nomine pœnæ vobis & Bethleemitanæ ecclesiæ, vel successoribus vestris, nos & successores nostri ac hæredes reddere & solvere teneamur, quam pœnam de die in diem . . . . seu subire volumus donec de dictæ quantitatis summa, & quam propter hoc incurrerimus vel subierimus, pœna vobis & ecclesiæ vestræ prout superius est expressum plene sic & integre satisfacienda . . . . contingat nos hæredes aut successores nostros a dictarum viginti librarum annui redditus plena & prout dictum est integra solutione cessare, volumus nihilominus, & tam pro nobis quam successoribus nostris concedimus ubicumque. . . . . nostrorum existat libere, vel dictas viginti libras cum integra pœna superius nominata exigere a nobis & recipere, vel prædictum burgum ad vestrum & vestræ ecclesiæ Bethleemitanæ dominium plene & libere sicut hactenus . . . . sine contradictione qualibet nostra aut hæredum & successorum nostrorum totaliter & integraliter revocare, in quo casu etiam redditus de annis singulis in quibus cessatum fuerit a solutione seu depositione prædictis . . . . vobis vel vestris successoribus nos hæredes aut successores nostri integre reddere teneamur. Hæc autem omnia prout superius expressa, prout prædiximus bona fide & in verbo veritatis, & sub obligatione . . . . nobis, hæredibus nostris & successoribus, vobis, ecclesiæ vestræ & successoribus tenere promittimus illibate & in perpetuum observare, & casu aliquo directe vel indirecte per nos vel per alium ullo unquam tempore . . . . tam frater Hugo præfatus Bethleemitanus episcopus quam nos Robertus præfatus Nivernensis comes super prædictis omnibus præsentes litteras fieri fecimus, quas in robur majus, evidentiam & testimonium præfatorum munivimus sigillorum, & nihilominus ad perpetuam memoriam præsentium cautelam & providentiam futurorum. Actum est hoc in palatio castri montis Noxii, Nivernensis diœcesis, 27 die Aprilis post festum Resurrectionis Domini, anno ejusdem 1291. Transcriptum autem hujus litterarum sub sigillo curiæ Parisiensis fieri fecimus salvo jure cujuslibet. Datum . . . .



INSTRUMENTA ECCLESIÆ TRECENSIS.

I.

Charta Clotarii III pro monasterio Cellensi.

Circiter 660. CLOTARIUS rex Francorum vir illuster, regia consuetudine, si justis petitionibus sacerdotum, in quo nostris auribus fuerint prolatæ perducimus ad effectum. Igitur Frodobertus monachus ad nostram accessit præsentiam, clementiæ regni nostri suggessit. Eo quod bonæ memoriæ domnus & genitor noster Clodoveus quondam rex per suam auctoritatem sua manu subscriptam, locello nuncupato insula Germanica, qui paludis esse videtur in suburbano Tricassium civitatis ipsius, Frodoberto monacho, ubi monachali sub sancta regula ad cellulam, quam suo opere inibi construxit, bonas acras decem, de ipsa insula (quod pars fisci esse videtur) eidem concessisset: unde & cessionem ipsius principis sua manu subscriptam, se præ manibus habere adfirmat, & rem isto tempore præsente, quieto ordine adserit possidere, vel dominari. Sed pro totius rei firmitate petiit consuetudinem nostri, ut hoc nostrum præceptum in id ipsum plenius confirmare deberemus; cujus petitionem pro reverentia sanctorum dominorum, prompto animo præstitisse vel confirmasse cognoscite: præcipientes enim ut sicut ab ipso domno & genitore nostro jam dicto Frodoberto, ipsas bonas acras de terra in subscripto loco legaliter ad ipsam cellam ubi constructa esse videtur, fuerunt concessa, & hoc præsente tempore subscripti monachi inibi possidere vel dominari videntur, inspecta ipsa cessione superius scripti principis, per nostrum præceptum plenius confirmatum, ad ipsum sanctum locum, vel ad monachulos suos, qui ibidem deservire videntur, perenniter proficiat ad augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, nos & præcelsa domna & genitrix nostra Bathildis regina, manus nostræ signaculis subter eam decrevimus adfirmare. Signum præcelsæ dominæ Bathildis reginæ, Rado, Obto.

II.

Charta de fundatione monasterii Arremarensis.

837. QUIDAM religiosus presbyter Adremarus territorii Tricassium in urbe eadem ab ineunte ætate sanctæ religionis institutionibus educatus atque informatus, assentiente pusillis nisibus memoratæ urbis antistite Adelberto, locum quemdam suæ remotioni aptissimum, ab eadem decem ferme millibus distantem elegit, ac munificentia religiosi comitis Aledranni adeptus est in silva quæ vulgo vocabulo Dervus dicitur, super fluvium Barsam sub mensura videlicet perticarum accingarum in longitudine quingentarum, in latitudine ducentarum viginti qui equis partibus eodem fluvio intersusus, in quo cellam in memoria beatissimi Petri apostoli principis construxit, hac tantum pensione taxata & annua beati Petri apostoli festivitate XX denarios partibus comitis ejusdem civitatis persolvere non detractet, quatenus hoc obsequio, quia comitis fuerit dignoscatur, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo tricesimo septimo, indictione vero XV, anno XXIIII imperii Hludovici Christianissimi imperatoris.

In nomine Domini, Adelbertus episcopus privilegium a me factum consensi. Signum Aledranni comitis qui hoc privilegium fieri rogavit & consensit. Frotharius episcopus Tullensium, Ado episcopus Nametensium, Vacardus Noungensis episcopus. In Dei nomine Joseph episcopus Auriensis.

A

III.

Diploma Caroli regis pro monasterio Arremarensi. Ex Sammarthanis, 864.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Carolus gratia Dei rex. Si sacrosanctis locis divino cultui mancipatis, ibidemque Deo famulantibus reverendis viris, adsensum nostræ amplitudinis secundum quod ipsi petierint, vel necesse habuerint clementer præbemus, regiam consuetudinem exercemus, & divini numinis gratiam ob hoc facilius nos adepturos Christo propitio non dubitamus. Itaque notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ, & nostris præsentibus scilicet atque futuris: quod carissimus nobis atque satis dilectissimus Odo vir inluster comes, ad nostram B accedens serenitatem innotuit, qualiter tempore prædecessoris sui Aledranni quondam fidelis comitis nostri, ex comitatu Tricassino, per licentiam venerandi Pontificis Tricassinæ civitatis Adalberti, & ejusdem prædicti Aledranni, quidam religiosorum virorum Adremarus reverendus Dei sacerdos, in eodem pago & in silva quæ dicitur Dervus super fluvium *Barsam*, petierit sibi locum & licentiam dari exartandi, sive concidendi, atque emundandi, sive procurandi tanti spatii terram, ad ædificandam ibi cellam cæteraque ædificia, vel laborum fructus circa excolendos, quæ per gyrum undique in terram arabilem & silvam cingitur, perticarum accingarum in longitudine quingentarum, in latitudine ducentarum viginti; unde obtulit una cum ejusdem loci reverendis viris, auctoritatem privilegii episcopalis servandam, eorumdem ac venerabilium mani- C bus subter roboratam, atque ejusdem Aledranni scripto firmatam; sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram, ut idem privilegium nostræ authoritatis præcepto plenius confirmare dignaremur. Cujus ergo exaudibiles preces clementer excipientes, hoc authoritatis nostræ præceptum fieri jussimus, per quod præcipimus atque firmamus, ut sicut in eodem privilegio plenius latiusque continetur, sic nostris ac futuris temporibus firmiter inviolabiliterque maneat inconvulsum, eo videlicet modo, ut post excessum ejusdem venerabilis patris Adremari, potestatem habeant superstites ejus qui fuerint, ex sese ejusdem loci præstituendi atque eligendi sibi secundum regulam S. Benedicti, D absque alicujus comitis interrogatione, salva monasticæ regulæ authoritate ad consensum proprii loci abbatem, & annis singulis volumus sicut in eorum privilegio continetur, ut partibus comitis quia de suo jure ipsæ res quondam fuisse noscuntur, in festivitate sancti Petri argenti denarios 20 ejusdem loci abbas persolvat, remota omnis inquietudinis contrarietate vel obpugnatione. Et ut hæc munificentiæ nostræ authoritas firmior habeatur, & per ventura tempora diligentius a Dei fidelibus conservetur, de annulo nostro subter eam jussimus sigillari. Sigedebertus notarius ad vicem Ludovici recognovit. Signum Caroli serenissimi regis, regnante Carolo gloriosissimo rege. Data VII cal. Maii, indictione III, in anno XXIV. Actum Attiniaco palatio regis. E

IV.

Aliud ejusdem regis in gratiam ejusdem monasterii. Ex Sammarthanis, 864.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus Dei gratia rex. Cum ecclesiarum Dei honorem & stabilitatem procuramus, servorumque ejus justis petitionibus obtemperamus, ad præsentis vitæ cursum felicius transfigendum, necnon etiam ad æternæ remunerationis præmium id nobis profuturum non diffidimus. Igitur noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ

Digitized by Google

fidelium, nostrorumque præsentium ac futurorum industria; quia veniens carissimus avunculus noster Radulphus Comes humiliter petiit magnificentiam nostram, divino ductus amore, quatenus sanctis fratribus sub monastico ordine in cellula quæ Dervus vocatur super fluvium *Barsam*, a quodam viro religioso Adremaro nomine quondam initiata atque in honore beati Petri apostolorum principis fundata, Christi obsequiis militantibus liberalitatis nostræ gratia conferremus stirpes, velut vulgo dicitur exastes quosdam, quos ex rebus Tricassinensis comitatus ipsi proprio labore de heremo ad agriculturam perduxisse noscuntur; si quidem res ipsæ his conlaterationibus disterminantur, id est ex uno latere fluvio Barsæ, vel Barsith, ex altera sylva Clarascense, ex una fronte stirpe eorumdem monachorum, & ex altera sylva communi ex potestate sancti Petri de Valleclusa, vel S. Lupi: infra has conterminationes constat habere ejusdem conterritorii in longitudinem perticas 120, & in latitudine 60, cujus petitionem ratam animæ nostræ & salutiferam cognoscentes, libenti animo suscepimus & placabiliter eidem adquievimus. Unde hoc celsitudinis nostræ præceptum ob æternorum remunerationem præmiorum memoratis sanctis fratribus fieri, darique jussimus, per quod præfixas res omnes ad eorum dumtaxat necessarios subministrandros usus liberalitate regia conferimus, atque ad habendum firmissimo jure & pro libitu eorum ordinandas præsenti auctoritate confirmamus, quatenus illarum sumptibus sustentati, nostri nominis memoriam in sacris orationibus frequentare non desinant; & ut hæc nostræ largitionis auctoritas majorem in Dei nomine per futura tempora obtineat vigorem, annuli nostri impressione subter eam jussimus sigillari. Zanzlenus notarius ad vicem Ludovici recognovit. Datum idibus Martii, indictione XII, anno 24, regnante Carolo rege. Actum Compendio palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

V.

Ex Sammarthanis.

Privilegium Karlomanni regis cœnobio Arremarensi concessum.

883. IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Karlomannus gratia Dei rex. Si petitionibus servorum Dei aurem nostræ pietatis accommodamus, & eorum utilitatibus consulimus, Deum omnipotentem retributorem habere confidimus. Qua de re notum esse volumus omnium sanctæ Dei ecclesiæ, nostrorumque tam præsentium quam futurorum industriæ, quoniam post obitum Sadraberti venerandi abbatis, ad nostram accedentes clementiam, monachorum postulationes per intermissionem Hugonis abbatum venerabilissimi, humiliter petierunt ostendentes avi & patris nostri præ manibus præceptum, divarum recordationum Karoli scilicet Augusti, ac Lhudovici pii genitoris ac piissimi regis, in quibus continebatur, quemadmodum avus & pater noster, Monasteriolum in pago Atouriensi quod quondam Alsa vocabatur ob perpetuam sui mercedem in honore sancti Salvatoris fundatum, & rebus suarum proprietatum ditaverant, Rotfridum abbatem ex manso Corbonis, qui cella nova dicitur virum strenuum inibi diebus suis præfecerunt. Deprecati ergo sunt . . . loci monachi celsitudinem nostram, quatinus idem Monasteriolum ob recordationem avi & genitoris nostri, seu aviæ & genitricis, sub immunitate nostra susciperemus, & præcepto nostræ auctoritatis quicquid ibi a præfato avo & genitore nostro collata erant, confirmaremus; & quia dudum Sadrabertum abbatem virum Deo dignum perdiderunt, humiliter petierunt, ut loco ipsius abbatem nomine Rotfridum inibi statueremus, quem ipsi moribus & vita probabilem testantur. Quorum precibus, quia justæ & rationabiles erant, libenter adquiescentes statuimus & confirmavimus præcepta avi & genitoris nostri, & abbatem Rotfridum videlicet, quem ipsi postulaverunt, ipsi loco & congregationi præfecimus, & Alsa monasterium ibi ipsi cum omnibus appendiciis subdidimus; necnon & res quæ per largitionem avi & patris nostri ibi collatæ sunt, sicut in præceptis ipsorum continetur; eo videlicet modo & tenore, ut prædictus abbas Rotfridus idem monasterium, necnon & monachi . . . . . ipsorum cum omnibus sibi legaliter respicientibus, sub mundeburdo & tuitione nostra, ita auctoritate testamenti regiæ dignitatis nostræ corroborata perpetualiter maneant, ut nullus alterius loci monachum in eorum cœnobio mittere præsumat . . . . ministerialem facere, nisi ex ipsis qui regulariter ibi sunt ab infantia nutriti, & secundum sancti Benedicti institutionem, ex sese, non ex aliis haberent eligendi licentiam, abbatem statuimus . . . . neque alia judiciaria potestas ad quælibet loca, id est comitatus, civitates sive mercata in regno nostro, pro suis necessitatibus ipsi aut familia ipsorum exierint ab eis tralaticum aut portaticum, aut rotaticum, aut cespitaticum, aut mansionaticum, vel sidutaticum, aut aliquod obsequium sive redibitionem, exceptis . . . . sed quiete & secure per . . . . . quatinus pro nobis & gloriosis patribus nostris Karolo Augusto & Lhudovico rege, & ava nostra gloriosa regina Hirmendrudi, necnon genitrice nostra Ansgardi, fratreque carissimo Lhudovico, necnon & statu regni nostri, liberius & devotius clementiam Dei Omnipotentis omni tempore exorent, sub nostra tuitione perpetualiter sicut statuimus, maneant. Ut autem hujus nostræ auctoritatis largitio majorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu nostra subterfirmavimus, & annuli nostri impressione subsignari jussimus. Signum Karlomanni gloriosissimi regis, Norbertus notarius subsignavit. Datum x id. Febr. anno quinto, regnante Karlomanno gloriosissimo rege, indictione prima. Actum apud Compendium publicum palatium in Dei nomine feliciter, amen.

V I.

Præceptum Odonis regis pro abbatia Arremarensi. *Ex Sammarthanis. Ex autographo.*

IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Odo clementia Dei rex. Si petitionibus servorum Dei aurem nostræ pietatis accommodamus, & eorum utilitatibus consulimus, Deum Omnipotentem supernum habere retributorem confidimus. Quocirca noverit omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, nostrorumque tam præsentium quam futurorum solertia, quoniam adiens celsitudinem nostram quidam monachus Agnius nomine, qui cellam quam Sadrovertus abbas a serenissimo piæ recordationis Karolo impetrare decertaverat, ante præsentiam fidelium nostrorum repetiit. Quam ob causam, cum ad placitum nostrum apud Vermeriam venissem, affuerunt inibi Fulco venerabilis archiepiscopus, Walterus archiepiscopus, Wuido archiepiscopus, Dido episcopus, Honoratus episcopus, Riculphus episcopus, qui illius proclamationis repetitionem more antecessorum suorum discutiendo investigarent; cujus petitionem inutilem invenientes, talem eidem sententiam diffiniendo dederunt, ut monasterium ex manso Corboni, qui nova cella dicitur, pergeret, atque sub abbatis Erchengeri ordinatione regulariter consisteret, nihil amplius ex hac nefaria repetitione se intermittens. Quorum diffinitionem inanem adjudicans, eamdem cellam, ausu temerario intrando repetiit. Quapropter jam nominatus abbas Erchengerius, nostram adiens excellentiam, obtulit nobis præcepta antecessorum nostrorum regum scilicet atque privilegia apostolicæ sedis, ubi continebatur, qualiter monasterium quod quondam vocabatur manso Corboni, qui nova cella dicitur, subjectum priscis temporibus dinosceretur,

892.

Digitized by Google

atque super hoc nostræ altitudinis præceptum expetiit, ut jam nominatum monasteriolum suæ ditioni, ejusque successorum pareret; cujus petitionem ratam invenientes, una cum consensu fidelium nostrorum id fieri decrevimus, eo videlicet more & tenore, ut prædictus abbas Erchengerius successoresque sui, itidem monasterium, necnon sui monachi ac familia illorum, cum omnibus sibi legaliter pertinentibus sub tuitione nostra perpetualiter maneant, ac nullus alterius monachum in eorum cœnobio mittere præsumat, vel aliquem infra eorum congregationem monasterialem facere, nisi ex ipso, & secundum sancti Benedicti institutionem, ex sese, non ex aliis habeant eligendi licentiam abbatem. Et ut hoc præceptum per omnia tempora majorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, manu propria eum subterfirmavimus, atque annuli nostri impressione insigniri jussimus. Signum Odonis gloriosissimi regis . . . . annus R. notarius ad vicem Askerici episcopi recognovit. Data II cal. Octobris, indictione X, anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCII, anno quinto, regnante domino Odone gloriosissimo rege, apud Coneda, in Dei nomine feliciter. Amen.

VII.

Ex archivis Dervensibus.

Charta Magenardi episcopi pro ecclesia B. M. de Rosnaico.

1035. IN Dei nomine, ego Magenardus augustæ ecclesiæ Trecorum episcopus, tam præsentibus quam futuris notum esse cupimus, quia dominus comes Isambardus ad nos venit implorans nostram clementiam summis precum miserationibus, ut quoddam altare cum ecclesiâ in honore sanctæ Mariæ dedicata cum omni redditione quæ ad illud altare & ad ecclesiam pertinent, concederemus canonicis illic Deo servientibus, quæ est sita in castello quod vulgo Rosnaicum nuncupatur, cujus petitionem quia cumulatam adminiculo præsentis utilitatis & futuræ retributionis percepimus, gratanter quod petivit salvo ecclesiastico jure ei indulsimus, ita tamen ut singulis annis in anni renovatione episcopo tres solidos denariorum canonici ejusdem ecclesiæ legaliter persolvant. Hoc autem scriptum mea sponte præsens fieri jussi a nemine subvertendum, verum etiam Dei ecclesiæ a cunctis amatoribus faciendum hujus conventionis monimentum, in quo scripto mei archidiaconi secuti meum exemplum utpote omnes imitantes pastorem suum portionem sui juris prætitulatis canonicis tradiderunt, quibus ita actis manibus illud firmavimus propriis aliisque episcopis meis vicinis ceterisque clericis corroborandum tradidimus, cujus integritatem si quis mei honoris futurus hæres, vel aliquis Tricassinæ urbis comes infringere voluerit, æternaliter æternæ jaceat subditus excommunicationi. Actum est hoc Trecas publice, regnante Henrico Francorum anno quinto rege.

VIII.

Charta regis Henrici de monachis apud sanctum Aigulphum instituendis.

1048. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Henricus gratia Dei Francorum rex, cum in exhibitione temporalium rerum quas humana religio divino cultui famulando locis sanctis & congregationibus fidelium devotione animi largitur tam præsentis quam perpetuæ vitæ ut jampridem multis expertum indiciis solatium acquiratur saluberrimus, valde & omnibus imitabilis est hic fructus primitivæ virtutis, videlicet charitatis, per quem & mundi prosperatur tranquillitas, & felici remuneratione æterna succedit felicitas. Noverint ergo & præsentis status & posteritas sanctæ matris ecclesiæ filiorum nostrorum quoque primatum, & omnium sub nostro reginine degentium, quod quidam summæ nobilitatis comes Theobaldus nomine nostræ serenitatis adierit præsentiam, rogans & obnixe postulans ut sibi in quamdam ecclesiam S. videlicet Aigulphi sub Pruvinensi oppido sitam, quam de nobis beneficiose tenebat, liceret monachos de monasterio domni Petri Tricassini Cellensis cognominati primitive ponere, & ad Dei servitium perpetualiter & continue quod inibi prius negligenter agebatur administrandam destinare, ea tamen ratione ut quidquid archiepiscopus Senonensis in eadem ecclesia possidebat, videlicet altare, ab eo impetraret, & simili adstipulatione monachis præmissis in futurum habendum nostræ auctoritatis præceptum perpetualiter firmaret: cæterum regia censura decrevimus ut quod præsens habet dicta ecclesia semper habeat, & quod a fidelibus populis illi dandum est æterno tempore possideant monachi qui nunc ponuntur, & qui de memorato loco per successionem ibi transfundentur, ibi serviant, & res loci administratione necessaria impleant modis omnibus. Tandem inhibemus ne quilibet suppositi veniant qui adulatorio susurro dicti comitis aures demulceant, vel pecunia animam ejus vel successorum ejus dignitatis corrumpant, ne alii seminent, alii colligant; ne alii frigus, famem, labores patiantur, & alii per nefas bonis paratis injuste abutantur, sed qui dignis & prioribus studiis nascentis religionis insudabunt in sancta post modum otia resolvantur: jam vero & comitis petitionibus benigne annuimus, & donationes ejus archiepiscopales traditiones libere fieri concedimus. Ut autem evidens esset nostræ voluntatis assensus sigilli nostri impressione hanc chartam adsignari præcepimus. Actum publice in Senonico palatio, anno Incarnati Verbi 1048, & regni Henrici regis 17. Gilduinus archiepiscopus, Imbertus Parisiacensis episcopus, Isambardus Aurelianensis episcopus, Mainardus Trecensis episcopus, Hugo Nivernensis episcopus, Herbertus Autissiodorensis episcopus, Valterius Meldensis episcopus, Robertus dux Burgundiæ, Theobaldus comes, Arnaudus comes. Ego Balduinus cancellarius relegendo subscripsi.

IX.

Hugo episcopus ecclesiam de Villa-Caroli monasterio Caziacensi concedit.

Ex Autographo Caziaci.

IN Dei Omnipotentis nomine, ego Hugo Dei gratia Tricassinus episcopus, notum fieri volumus 1063. præsentibus pariter & futuris. Quoniam Tedbaldus comes & Odo nepos ejus, quadam silva extirpata igneque cremata, terram prius squallentem & incultam frugiferam reddiderunt & fertilem, villamque inibi construxerunt, quæ Villa-Caroli modo vocatur, ecclesia aliisque usibus amplificaverunt. Porro salubri atque altiori consilio ecclesiam supra annotatam cum decimis & omnibus sibi pertinentibus ex consilio & favore procerum suorum, ecclesiæ Caziacensi in usibus monachorum ibi sub Rodulfo abbate Deo servientium, condonaverunt. Denique donis suis nondum contenti, justis atque honestissimis precibus adjuncto memorati abbatis interventu, a nobis exegerunt, quatenus supradictam ecclesiam pontificali benedictione in honore S. Mariæ & omnium sanctorum, & in dominio S. Petri & S. Pauli Caziacensis ecclesiæ consecraremus. Horum itaque salutaribus desideriis acquiescendo satisfecimus precibus eorum. Ego vero Hugo Tricassinus episcopus tanti beneficii particeps cupiens esse, simulque supradictorum principum atque abbatis precibus commonitus, altare ipsius supradictæ ecclesiæ quod nostri juris videbatur esse, communi consilio parique consensu clericorum nostrorum contulimus sanctæ Caziacensi ecclesiæ in

stipendiis monachorum sine vicario, perpetua largitione, A atque omnes calumniatores confodi anathematis pugione, salva tamen pontificali consuetudine; ita scilicet ut in tertio anno denarios duodecim persolvant fratres Caziacensis ecclesiæ reditibus episcopi, & unoquoque anno duobus synodis octo denarios in singulis. Ut autem hæc carta firma permaneat, ego firmavi, & manibus meorum firmam dedi. Actum Trecis publice, anno Dominicæ Incarnationis M. LXIII, in Galliis regnante Philippo rege & Trecorum episcopo Hugone. Ego Hugo episcopus manu mea firmavi. Willelmus archidiaconus. S. Rainerii præpositi & cancellarii, S. Anselli archidiaconi, S. Raineri archidiaconi, S. Arnulfi cantoris, S. Goleni abbatis, S. Otberti presbyteri, S. Rainerii, S. Tedbaldi comitis, S. Tedbaldi militis, S. Gosberti B archidiaconi, S. Giraldi presbyteri, S. Odonis.

X.

Ex Chartario Cluniaci.

Hugonis episcopi Charta de ecclesia Waiæ.

1079. EGO in Dei nomine Hugo Trecassinæ ecclesiæ nominatus episcopus, atque universus clerus ejusdem ecclesiæ sub nostro ducatu cœlesti regi militans, omnibus ubique fidelibus tam præsentibus quam futuris, notum fieri volumus, quia Fridericus miles præsentiam nostram adiit, postulans quatenus ecclesiam Waiæ, quæ nostræ diœceseos erat, atque altare Cesanæ, quantum ipse in dominio habebat, sæculari conditione liberaremus, & ad serviendum Deo C inibi monachis ecclesiæ Cluniacensis tranquilla & quieta redderemus. Nos vero communi utilitati consulendo, & in posterum prævidentes, adquievimus saluberrimæ petitioni ejus; cupientes beneficiorum sancti Petri atque eleemosynarum justorum fieri participes, redditis prius nobis quæcumque supradicti militis juris fuerant: salvis quoque omnibus quæ sunt pontificalis dictionis, synodis dico & paratis ceterisque nihilominus, quæ antecessores nostri ecclesiastico jure tenuisse noscuntur, & ut monachi inibi servientes aut servituri subjectionem catholicæ debitam episcopis reddere procurarent. Igitur concessimus eis totam supradictam ecclesiam, excepta sexta parte corporis ecclesiæ, annuentibus dominis Ansoaldo scilicet atque Galgero, quorum beneficium erat. Reli- D quam vero partem itidem donare molimur, si prius pacifice acquirere poterimus. Altaris vero supradicti, illud totum quod in domino præsentialiter habemus perpetua largitione tradimus, annuentibus dominis Warnerio & Gotifrido, de quibus tenere videmur. Cæterum quod restat si possibilitas adquirendi fuerit, similiter donamus. Istis denique ego Fridericus addo etiam totam medietatem prædiorum meorum. Denique pro talibus donis ego Hugo episcopus consentiente toto clero nostro ecclesiam supradictam & monachos in ea habitantes, ab omni laica inquietudine immunes fore sancimus, atque anathemate prohibemus: ita ut nulli mortalium obnoxii maneant, nullumque carnale servitium exhibeant, præter orationes & eleemosynas, & ea quæ ad salutem animarum pertineant. Actum E Trecis publice in capitulo S. Petri ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo & septuagesimo nono anno, regnante in cœlis Domino nostro Jesu Christo, sedente Gregorio papa in Romana cathedra, incubante Philippo rege in Gallia, tenente Tetbaldo comite Trecas, Hugone secundo ejusdem urbis episcopo. Sunt autem testes hujus cautionis Gosbertus archidiaconus, Nocherus archidiaconus, Stephanus præpositus, Arnulfus cantor, Winereus præpositus, Hugo & Petrus servientes, Hildebertus decanus, idem Fridericus, cujus fuit donum. Ego Girardus propria manu scripsi. S. Hugonis episcopi, S. Odonis decani.

X I.

Charta fundationis prioratus S. Juliani de Sesana.

IN nomine sanctæ Trinitatis. Notum sit omnibus 1081. tam futuris quam præsentibus, quod nobilis comes Stephanus Henricus præclarissimi consulis Theobaldi filius, non oblivioni tradens quod scriptum esse audierat, hoc est: *date eleemosynam & omnia munda sunt vobis*, &, *honora Dominum de tua substantia*, & *frange esurienti panem tuum*, quodque de ædificatoribus ecclesiarum audiri consueverat, *qui domum Dei ædificat, regnum Dei sibi præparat.* Hæc ut diximus, in libro sui cordis conscripta sentiens pro salute animæ suæ parentumque suorum, quamdam parrochialem ecclesiam in honore S. Juliani martyris constructam, in villa quæ dicitur Sezanna, cum omnibus rebus dictæ ecclesiæ pertinentibus, hoc est feodum presbyterorum, oblationes, decimas, sepulturas & ea quæ prædecessores vel successores pro animabus eorum tam in terris quam in vineis dederunt vel daturi erunt, sanctæ Mariæ de Caritate quæ est supra Ligerim, omnique conventui, ibi regi Christo famulanti, dono dare placuit. Quomodo vero hæc donatio firmata sit, manifestandum est. Bartholomæus si quidem Brehearum miles famosissimus, qui & ipsam ecclesiam quamvis injuste tenebat, quam nemo laicus juste tenet, cum ex hac vita casu migraret, supradictus comes Stephanus Henricus ad regendum suscepit honorem, quoad usque Hugo ipsius Bartholomæi filius qui orfanus & parvulus remanserat, ad virilem pervenisset ætatem. Cumque ei reddi paternam hæreditatem placeret, exhortatus & obsecratus comitis & multorum aliorum admonitione, & maxime pro ejus animæ redemptione & patris sui, atque cognomine ejus, & ipse Bardulfus cognominabatur, ipsam ecclesiam & omnem donationem concessit & tradidit sicut & comes Stephanus Henricus fecerat, ut supra taxavimus. Nam ipse ultroneus in ipsam designatam ecclesiam ad altare accessit, & donum, ut diximus, confirmavit, quemdam nigrum cultellum monachili usui aptum super altare posuit, astante comitissa uxore Stephani Henrici comitis & militibus ipsius juvenis faventibus & laudantibus, videlicet Nacherio, Leonio, Fulcone, Rolando filio Arduini, & Hugone filio Germundi, atque Hugone & fratribus de Belloforte. Unde etiam testes & confirmatores, Guiomundus Stephani Henrici comitis dapifer, Ansoldus de Carnoto, Bartholomæus & frater ejus Radulfus de ipsa Sezanna, & Arduinus cellerarius, & Guido de Pruvino, & Philippus miles. Quapropter monachi ibidem Deo servientes ipsi Hugoni, & omnibus qui cum eo erant societatem dederunt, tam in orationibus quam in vigiliis atque eleemosynis; quam societatem post eum ipso die & comitissæ supradictæ donaverunt. Fuit autem ista donatio facta anno ab Incarnatione Domini M. LXXXI, sed M. CLXXXV firmata, Christo regnante in cœlis, Philippo rege Francorum sceptrum tenente, Stephano Henrico supradicto sub patre suo Theobaldo consulatum suum optime regente, & domno Gerardo supradictæ ecclesiæ sanctæ Mariæ Charitatis priore & fundatore fuit, Philippo Trecensi episcopo existente, & sancte & strenuissime regente.

X I I.

Charta Hugonis episcopi de monasteriolo quod in Augia habetur.

Ex Chartario Cluniaci.

NOTUM sit omnibus fidelibus tam futuris quam 1082. præsentibus, quod ego Hugo sanctæ Trecassinæ ecclesiæ indignus episcopus de domno Petro Dei indultu princeps & dominus, venerabilium virorum domni videlicet Widonis Cluniacensis præpositi, germanique ipsius Hugonis principis castri quod

Digitized by Google

Plaiola vocatur, motus ratione vel precibus monasteriolum quod in Augia habetur, quod peccatis exigentibus rebus, ædificiis, & quod magis dolendum est religione imminutum & pene adnihilatum est, ecclesiæ Cluniacensi, cui venerabilis Hugo abbas non tam præesse quam prodesse videtur, habendum in posterum concedo, & proprio jure regendum secundum sui voluntatem & loci utilitatem in potestatem prædicti Hugonis abbatis & successorum ejusdem transfundo. Facimus autem hoc cum voluntate & auctoramento archidiaconi nostri domni Nocherii & aliorum clericorum legaliumque laicorum quorum hæc sunt nomina, Humbertus canonicus, Gosbertus, Fredericus, Hugo filius Titbaldi, Hugo filius Bertæ, Fulco. Iterum notum volo fieri quia prædictus Hugo Manasse filius omnes malas consuetudines & exactiones, quas ipse & parentes sui ab hominibus & terris ipsius monasterii hucusque extorquere soliti erant, pro remedio animæ suæ suorumque parentum ex toto dimittit, quatenus idem locus de cætero quietus & immunis ab omni perturbatione, Deo volente, in Christi servitio permaneat, & monasticus ordo reviviscat. Actum hoc anno ab Incarnatione sempiterni principis M. LXXXII, indictione II, præsidente sanctæ Romanæ ecclesiæ Gregorio universali pontifice, Philippo Francorum rege.

X I I I.

Charta Zugonis comitis de immunitatibus domorum Canonicorum S. Petri.

1104. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Zugo comes Dei gratia Trecensis post vulnerum meorum nimis difficilium afflictionem & eorumdem domino medicante evasionem, perpendens me in pluribus divinam . . . . . offendisse pietatem, pœnamque prædictam peccatis meis exigentibus me juste promeritum attendens, longe majorem promeruisse, de collato mihi beneficio a domini benignitate videlicet de reddita mihi sanitate proposui in conferendis beneficiis aliquibus ecclesiis Domino gratias agere, & quod bonum desiderium debet lætos comitari exitus, testante beato Augustino, qui dum erat in bonis principiis meliores adjungebat exitus, quod in interiori meo votis disposueram cohibui effectibus. Dedi igitur ecclesiæ Trecensi B. Petri & S. Salvatoris libertatem domorum canonicarum, videlicet ut nemo præsumat deinceps eas violare propter furem ibi repertum, nec aliquo modo extrahere ipsum, sed liberum permittere in manu atque nutu canonicorum, nec mensuram vini sive annonæ quamvis falsam accipere ibidem, neque extrahere aliquid violentia, nec etiam fugitivum aliquem, nec omnino a canonicis pro re aliqua, neque a domibus eorum exigere aliquam consuetudinem: servientes etiam qui vivunt de proprio victu canonicorum ita liberos efficio, ut etiamsi mercatores fuerint, nullam mihi prorsus vel meis faciant consuetudinem, & nullum pro mercatura solvant teloneum. Quod si forte clamor fiat de aliquibus prædictorum servientium, nemini respondeant, neque in jus veniant, nisi admonitione canonicorum; quid plura! nullum prorsus mihi vel meis faciant servitium. Præterea tres servientes qui custodiunt commune bonum canonicorum, videlicet celerarius & grenitarius atque major, eadem prorsus libertate quæ data est prædictis servientibus a me donantur, & de quocumque officio vivant, nullum teloneum, nulla prorsus consuetudo mihi vel meis ab iis persolvatur, decimam etiam mei telonei hujus civitatis prædictis præbeo canonicis. Hujus rei testes sunt Milo episcopus, Ragnardus præpositus, Girardus, Petrus præpositus; Goscelinus, Drogo, Anscelinus archidiaconi, Gosfridus dapifer, Guido de Wangerneo, Walcherius de Firmitate, comes

A Andreas de Ramenio & Urardus de Firmitate, Andreas de Baldamento, Pontius de Mareyo. Actum Trecis anno millesimo centesimo quarto ab Incarnatione Domini, quarto nonas Aprilis, indictione duodecima, residente Richardo cardinali in supradicta ecclesia, in synodo præsente Manasse Remense archiepiscopo & Manasse Suessionensi episcopo & Hugone Catalaunensi episcopo, multis aliis etiam provincialibus episcopis, præsente etiam Daimberto Senonensi archiepiscopo & Yvone Carnotensi episc. & Johanne Aurelianensi episcopo, multis aliis comprovincialibus episcopis, præsente quoque Radulpho Turonensi episcopo & Margodo Redonensi episcopo, & multis aliis comprovincialibus episcopis, regnante Philippo Francorum rege, Milone urbis Trecorum B episcopo, existente Zugone ejusdem comite.

Signatum tribus majoribus sigillis instrumentum.

X I V.

Philippus Trecensis episc. monasterium S. Salvatoris & S. Marci dictum in tuitionem suscipit. *Ex Sammarthanis.*

PHILIPPUS Dei gratia Trecensium episcopus, omnibus catholicis fidelibus salutem & orationem. 1112. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum fieri volumus omnibus catholicæ ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, dominum Osbertum, atque Alardum sacerdotes nostram præsentiam adiisse, & tam ex parte sua quam ex parte confratrum suorum C a nostra quidem benignitate petisse donari sibi eorumque successoribus, secundum regulam B. Augustini degere volentibus, desertam ecclesiam S. Marci Evangelistæ reædificandam, illius videlicet parochiæ quæ dicitur Bervilla, olim secus Albam positam, scilicet locum quemdam, in quo libere & absolute Deo servire queant, & de labore boum ac fratrum corporaliter sibi subvenientium: quibus & ipsi mutua charitate tam corporalia quam spiritualia communicent, cum nutrituris suis vivere valeant. Hoc etiam postulaverunt, quatinus ipsum monasterium nostro muniremus defensaculo, nostroque tutum redderemus propugnaculo, ab omni humana impugnatione, & ab omni nostrorum successorum, immo omnium hominum exactione. Illa autem quæ postulantur, spiritali desiderio semper convenit impleri omnimodo D affectu. Quapropter concedimus eis, ut in eadem parochia ubicunque voluerint, prædictam ecclesiam reædificent, ibique atrium restituant, oblationes si aliquæ factæ fuerint, habeant. Cætera vero ad antiquam ecclesiam pertinentia (quæ de prava abusione temeritas laicorum usurpare præsumpsit) si tandem quoquomodo a se removere voluerit, nulli alteri ecclesiæ donari, sed huic restitui liceat. Placuit etiam nobis, quod idem locus specialiter sit in custodia præsulis Trecensis ecclesiæ, ut per futura sæcula semper sint debitores pro nobis Dominum deprecari, ut promiserunt . . . . . . psalmus *Exaudiat te Dominus.* Versus *Salvum fac servum tuum.* Collecta *Deus omnium fidelium pastor & rector.* Condescendentes itaque petitioni eorumdem sacerdotum & confratrum suorum, monasterium E ipsum quod dicitur S. Salvatoris, sanctique Marci Evangelistæ jam reddimus liberum, jam fecimus securum per has nostræ episcopalis institutionis literas, ut nullus successorum nostrorum aliqua exactione inquietare præsumat, neque censum, neque aliquod seculare munusculum ab eo expetat, sed secundum paternam affectionem, & piæ correptionis devotionem manum propitiationis adhibeat. Si qua etiam donentur in futuro prædictæ ecclesiæ vel per concessionem principum, vel per oblationem fidelium, canonica auctoritate approbamus. Et ne quis violentiam eidem inferat, vel in his quæ juste modo possidet, vel postmodum juste possessura est, pontificali interdicto prohibemus. Si quis autem contra hujus institutionis paginam

Digitized by Google

paginam venire tentaverit, & prædictam ecclesiam aliqua violentia opprimere præsumpserit, gladio perpetui anathematis percutiatur. Et nisi resipuerit, in ultimo examine inter maledictos maledictus a sententia judicis damnetur, qua hædi ab agnis separabuntur, dicente Domino; *discedite a me maledicti, &c.* Qui vero custodierit hanc nostram institutionem, & servaverit illæsam, omnimoda Dei sit benedictione donatus; eo quod noluit ecclesiæ nostræ esse ingratus, a judice auditurus, *intra in gaudium Domini tui.* Actum Trecis, anno ab Incarnat. Domini M. CXII, indictione IV, anno episcopatus Philippi Trecensis episcopi 29, rege Ludovico regnante, Hugone Trecensium comite existente.

XV.

Ex archivis Dervens.

Charta Philippi episcopi Trecensis de altari sancti Remigii Sigifontis.

1114. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Philippus Dei gratia Trecensis ecclesiæ episcopus, notifico tam præsentibus quam futuris, altare sancti Remigii Sigifontis a comite Breniensi, quod contra jus ecclesiasticum tenebat michi redditum, ecclesiæ sancti Bercharii, cujus juris antiquitus fuerat; sed violentia cujusdam mei prædecessoris injuste sibi ablatum præfatæ ecclesiæ cujus juris erat, uti jus exigebat me restituisse: quidam vero causatus * comitis Breniensis nomine, Hengerbertus dicens se habere in casamento illud altare inde conquestus est, cui diem determinavi ad causam deffiniendam super illo altari, utrum sui juris esset sicut asserebat. Die vero determinato ego & abbas Rogerus in causam venimus; miles autem in causa defecit. Postquam in manu mea illud altare habui liberum & absolutum ab omni calumpnia, salvo jure & consuetudinibus Trecensis ecclesiæ, præfatæ ecclesiæ cujus juris antiquitus fuerat & esse debebat, reddidi; & ut donum meum ratum esset, litteris meo sigillo assignatis illud confirmavi, nec non tertiam partem decimarum ecclesiæ S. Mariæ de Summavern, quod ad feodum præfati comitis attinebat; qui timens periculum animæ suæ, mihi reddidit quicquid de ecclesiis injuste obtinebat, eidem ecclesiæ sancti Bercarii contuli. Si quis autem, quod absit, huic chartæ contradicere præsumpserit, a sinu matris ecclesiæ excludatur, & anathematis gladio feriatur. Hoc autem donum sui astipulatione testimonii confirmant Rainaldus Trecensis ecclesiæ præpositus, & archidiaconi Goscelinus, Drogo, Petrus, Symon, nec non alii domini hoc testantur, Odo cantor, Goffridus decanus, Fulco ex parte abbatis, Gauterus & Odo monachi, Lambertus decanus, Hengersaldus & Petrus clerici, Girbertus, Paganus, Macelinus laici. Hoc autem factum est septimo decimo calendas Septembris, ab Incarnatione Domini anno millesimo centesimo quarto decimo, Ludovico rege Franciæ regnante.

* *f. casatus.*

Huic chartæ affixum est sigillum Philippi, in quo legitur hæc inscriptio: *Sigillum Philippi Trecorum episcopi.*

XVI.

Charta Hugonis pro monasterio Arremarensi & pro ecclesia S. Johannis de Castello.

1122. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Omnibus Christi fidelibus notum fieri volumus quod domnus Hugo excellentissimus comes Tricassinus, dum secunda vice pergeret, apud Æduam civitatem in die festivitatis SS. apostolorum Simonis & Judæ dedit, & perpetualiter obtinere concessit beatis apostolis Petro & Paulo Arremarensis monasterii & ecclesiæ S. Johannis-Baptistæ de Castello, quæ infra muros urbis Tricassinæ sita est, & monachis eis famulantibus, domno videlicet abbati Gualterio & successoribus ejus, sextarium frumenti, sextarium vini, panem, vinum & spatulam porci, quæ omnia singulis annis monachi S. Johannis de Castello soliti erant dare ad portam civitatis, quæ versus abbatiam Arremarensem posita est. Cum vero a S. Dominico sepulcro idem comes rediit, domnus abbas Gualterius præsentiam ejus adiit, eumque humili prece rogavit, ut quod apud Æduam fecerat, hoc coram famulis suis, & coram legitimis testibus Tricassinæ urbis faceret & concederet, quod benevole & amicabiliter fecit. Hoc factum est publice apud Tricassinam urbem in claustro S. Johannis-Baptistæ de Castello, VII idus Octobris, in die festivitatis SS. martyrum Dionysii, Rustici & Eleutherii, anno ab Incarnatione Domini M. CXXII, concurrente epacta XXII, pontificatus domini papæ Calixti II anno V, indictione I, regnante Ludovico rege Francorum, primo anno pontificatus domini Attonis Tricassinæ urbis episcopi.

XVII.

Charta Attonis episcopi pro monasterio Molismensi.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. 1128.
Piæ postulatio voluntatis effectu prosequente debet compleri; quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quapropter ego Hato Dei gratia Trecensis ecclesiæ episcopus, reverendi confratris nostri Guidonis secundi Molismensis cœnobii abbatis, cæterorumque fratrum supplicationibus imploratus, ecclesias quas in nostra diœcesi cœnobium prædictum libere possidet, laude & assensu fratrum & canonicorum nostrorum, eidem loco perpetuo permansuras canonica auctoritate firmare decrevi. Per præsentis igitur privilegii paginam firmamus atque corroboramus quidquid hoc idem Molismense cœnobium in nostro episcopatu fidelium largitionibus Dei gratia hactenus acquisivit; vel quod in futurum nostra benignitate daturi sumus. Ut omnia rata & illibata permaneant, eorum usibus omnimodis profutura pro quorum sustentatione prædictæ ecclesiæ concessa sunt, salvo per omnia jure Trecassinæ ecclesiæ & consuetudinariis redditibus. Et ne in posterum aliqua ecclesiastica secularisve persona ullam violentiam de ipsis rebus eidem Molismensi cœnobio inferre præsumat præsenti decreto interdicimus, easdemque ecclesias decrevimus annotare. Ecclesiam S. Mariæ Fulcheriensis, ecclesiam de Aguceranda, atrium de Bellavilla quæ est juxta Fulcherias, ecclesiam de S. Patroclo, ecclesiam sancti Petri Ilensis, capellam S. Theobaudi in eadem parrochia, capellam de Longavilla, ecclesiam S. Quintini Trecensis, ecclesiam de Planteicio, capellam de Novavilla, ecclesiam sancti Hylarii, capellam de Mariaco, novam ecclesiam ante Mariacum, & atrium & duas partes decimæ S. Ulfi, ecclesiam S. Mariæ ad Ulmos, ecclesiam S. Martini, ecclesiam *de Tast*, ecclesiam de Pejaco coram castro Trecensi cum omni decima ejusdem castelli, ecclesiam de Novavilla juxta Carlivillam, ecclesiam de Curte-felici, ecclesiam de Lemona, ecclesiam de Waarcia, ecclesiam de Radonis-villari, capellam de Domo-Dei in Rosteria, ecclesiam *de Lesmont*, ecclesiam de Catsalata, ecclesiam de Brantiniaco, ecclesiam *de Larzicurte*, ecclesiam de Guarnovillari, ecclesiam S. Medardi, ecclesiam de Villare-ursi, & atrium & medietatem decimæ; decimam tertiæ leugæ, capellam & agrum de Porta, decimam de proprio labore Milonis de Diunvilla, quæ decima pertinet ad domum Radonis-villaris. Decernimus præterea ex privilegio familiaritatis, ut in ecclesiis istis sine contradictione aliqua liceat vobis sacerdotes quærere, & sine minoratione presbyteratuum regulariter ornare & ordinare.

Digitized by Google

Sane si quis hanc nostræ constitutionis paginam A sciens contra eam temere venire præsumpserit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, reum se divino judicio de perpetrata præsumptione cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Domini alienus perpetuo anathemati subjaceat.

Ut autem hoc sit ratum & inviolabile, manu propria firmavi, testibusque tradidi roborandum. S. Odonis præpositi, S. Manasse archidiaconi, S. alterius Manasse archidiaconi, S. Guidonis archidiaconi, Sig. Falconis archidiaconi, S. Gibuini archidiaconi & cantoris, decani, Hugo & Tetgerius canonici, Gillebertus, Burdinus, Gauterius, Petrus filius Gissleberti.

Acta sunt hæc & confirmata Trecis in capitulo sancti Petri, die festo ejusdem, anno Incarnationis B Dominicæ M. CXXVIII, præsidente in sancta Romana ecclesia reverentissimo papa Honorio, regnante glorioso rege Francorum Ludovico. Gibuinus cantor & cancellarius scripsit & subscripsit.

X V I I I.

Bulla Innocentii II de confirmatione paracliti.

1131. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Heloyssæ priorissæ, cæterisque sororibus in oratorio sanctæ Trinitatis, quod in pago Trecensi, in parochia Quinceii supra fluvium Arduconem situm est, divino famulatui mancipatis tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quoties illud a nobis petitur quod rationi C cognoscitur convenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Proinde dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus assensum præbentes, monasterium S. Trinitatis, in quo divino vacatis servitio sub apostolicæ sedis protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona in præsentiarum juste & legitime possidetis, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis in perpetuum & illibata permaneant. Sane laborum vestrorum decimas quas propriis excolitis sumptibus, seu annualium absque contradictione aliqua vobis concedimus possidendas. D Nulli ergo hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed hæc omnia integra conserventur vestris usibus perpetuo profutura. Ad indicium autem perceptæ hujus a Romana ecclesia libertatis, sex nummos quot annis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. E Conservantes autem intervenientibus BB. apostolorum Petri & Pauli meritis gratiam Domini nostri Jesu Christi, & æterna felicitatis præmia consequantur. Amen. Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus. Datum Autissiodori per manum Almerici S. Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, IIII cal. Decembr. indict. X, Incarnationis Dominicæ anno M. CXXXI, pontificatus vero domini Innocentii papæ II an. II.

X I X.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, 1136. dilectis in Christo filiabus Heloysæ, cæterisque sororibus in oratorio S. Trinitatis, quod in pago Trecensi in parochia Quinceii supra fluvium Arduconem situm est, divino famulatui mancipatis tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quotiens illud, &c. *ut in præcedenti.* Ad hæc adjicientes statuimus, ne propter benedictionem & consecrationem percipiendam de monasterio exire cogamini; nec pro electione abbatissæ, aut alia qualibet occasione episcopus, vel alia qualibet persona, ullum vobis gravamen vel molestiam inferre præsumat. Nulli ergo hominum, &c. Ad judicium autem perceptæ hujus a Romana ecclesia libertatis unum obolum aureum quotannis Lateranensi palatio persolvetis. Si qua igitur, &c. Data Pisis, per manum Almerici S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii, XV cal. Julii, indict. XIII, Incarnationis Dominicæ anno M. CXXXVI, pontificatus domini Innocentii papæ II anno VI.

X X.

Charta Galteri abbatis Cellensis Trecensis de donatione quam ipse & conventus Cellensis fecit Quinciacis. *Ex autographo apud Quinciacum descripta.*

SOLET esse propositum christianæ religionis ut 1138. pacis integritas servetur in ecclesia laborare, dicit enim apostolus, quandiu est inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis? qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt; item propheta, veritatem tantum & pacem diligite. Igitur res ecclesiasticas prout cuique opus est, convenit distribuere, non enim aliter fœderari potest ubertas cum paupertate; unde Gregorius res, inquit, ecclesiæ non dare pauperibus, pars sacrilegii est. Hac ego auctoritate promotus Galterius abbas S. Petri sanctique Frodoberti Trecensis cœnobii inopiam Quinceacensium fratrum in parte aliqua de facultate nostræ possessionis supplendam esse decrevi, cujus rei sermonem dum in capitulo nostro fratribus exponerem, placuit omnibus, omnes hortati sunt fieri. Anno igitur ab Incarnatione Domini millesimo centesimo tricesimo octavo, in nomine ipsius Incarnati Verbi, dedimus ecclesiæ beatæ Mariæ de Quinceio, cujus cœnobii mentionem superius fecimus, & servitoribus ejus sex agri jugera jure perpetuo obtinenda apud *Belenou*, ubi postea ædificaverunt grangias suas, cujus donationis testes sunt episcopus Hato Trecensis, Manasses archidiaconus de Villemauro, Odo præpositus filius Susannæ, Falco archidiaconus, Galterius filius Ingelmari, Galterius de Pruvino filius Garini. Hæc igitur in præsenti cartula conscripta sigilli nostri impressione confirmamus.

X X I.

Hatto Trecensis episcopus cœnobium de Ripatorio in ecclesiæ Trecensis tuitionem & suam suscipit. *Sammarth.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Hatto 1140. miseratione divina Trecensis ecclesiæ humilis minister, &c. Quapropter religiosum cœnobium de Ripatorio, & fratres ibidem Deo militantes in tuitionem ecclesiæ Trecensis, & nostram non sine multa devotione suscepimus, & res eis attributas ecclesiastica libertate communimus, singula nominatim determinantes suis distinctionibus. Dominus Girardus abbas S. Lupi, assensu totius capituli sui donavit monachis de Ripatorio locum illum, qui dicitur Bussejacus cum omnibus appenditiis suis, videlicet quæ ibi habebant. Testes dominus Gaufridus Carnotensis episcopus, dominus Bernardus abbas Claraevallis, Guil-

lelmus abbas S. Martini, Odo præpositus, Manasses A archidiaconus, Gibuinus cantor: dominus Guido Arremarensis abbas pari assensu fratrum suorum donavit eisdem locum illum qui dicitur Brusiliacus cum omnibus appenditiis suis, testes Odo præpositus, Manasses archidiaconus, Milo de Dimilla, Pontius filius ejus, Clarembaudus de capis, laudante Mathilde uxore sua, dedit eis nemus quod habebat juxta nemus eorum, inter *Belmont* & Lusiniacum, & in nemore quod dicitur de Doschia, unam carrucatam terræ, & in reliquo omnes aisantias eorum; concessit etiam eis quidquid de feodo suo acquirere potuerunt, testes Albericus Crassus, Galterus de Fresneyo, Milo frater ejus, Galterus filius Ermenoldi. Hilduinus de Vendopera & Girardus Bordellus dederunt eisdem in eodem nemore de Doschia aliam carrucatam terræ, testes Albericus Crassus, Clarembaudus de Capis, Galterus de Fresneyo. B Hugo de Gurgi laudante Emelina uxore sua dedit eis quidquid habebat intra fines villæ Busseiaci, excepto uno prato, & quidquid habebat apud fontem Ærici, videlicet dimidium tenementum grangiæ eorum quæ est ab fontem Ærici. Galterus de Freneyo, Milo Despinei. Radulphus Carduinus laudante uxore sua Damerona, dedit eis totam terram quam habebat in Campania, dimidium scilicet tenementum grangiæ eorum quæ est in Valle secura, testes Guido abbas Arremarensis, Givardus præpositus. Galterus de Villa episcopi, & Savericus de Trecis dederunt eis quidquid ibidem habebant, aliam scilicet partem tenementi ejusdem grangiæ, testes domnus Bernardus Claræ vallis, Guillelmus abbas S. Martini, Manasses archidiaconus. Abbatissa de S. Maria laudante capitulo suo dedit eis C per manum nostram dimidietatem de hoc quod habebat in nemore de Arbrosello, & concessit ut illam acciperent sicut eam dividit rivus de Germona a parte Busseiaci, testes Guillelmus abbas S. Martini, Givardus præpositus. Simile donum, & eandem concessionem, laudante uxore, sua fecit eis Otrannus *Gasteblé* ex sua parte per manum nostram, testes Hilduinus de Vendopera, Givardus præpositus. Lancenia filia Hattonis de Moneta concessit eis hoc ipsum ex sua parte, testes Ganterus de Freneyo, Hugo de Capis nepos Galteri, Guillelmus de Curbetum. Simile donum fecit eis Garnerius de Bernone ex sua parte, testes Falco archidiaconus, Odo filius Gosfem, Paganus de Arbrosello. Hubelina de Trecis dedit eis quidquid habebat in pratis inter nemus eorum & morgea, testes Odo filius Gosfem, Ranudus de Lanis, Fulche- D rius de Lisiniaco. Theobaldus de Vendepora laudante uxore sua Hermengarde, & filio ipsorum Gaufrido dedit eis forestam de Ripatorio, & quidquid ad forestam pertinebat per manum nostram, testes Guillelmus abbas S. Martini, Manasses archidiaconus, Guido Bordellus, & uxor ejus Isabel de cujus capite erat laudaverunt præscriptum donum de foresta: testes de laude Guidonis comes Theobaldus, Hilduinus de Vendopera: testes de laude Isabel Herbenus heremita *de Payenz*, Garnerus, Gebuinus vicecomes *de Payenz*. Godefridus *de Buissi* dedit eis quidquid habebat in aquis, & in pratis subtus fontem Ærici, testes Girbertus de Bio, Petrus *de Bussi*, Paganus de Arbrosello, laudante Hodierna uxore sua, dedit E eis pratum quod habebat subtus Busseiacum, testes Manasses archidiaconus, Givardus præpositus. Hoc autem totum, &c. Sigillum Hattonis episcopi, Odonis præpositi, Manasse de Villamauri, Odonis, Falconis archidiaconi, Guillelmi abbatis, Girardi abbatis, Manasse de Rumiliaco.

XXII.

Erectio abbatiæ de Berlancuria *.

Ex chartario S. Petri Montis. 1141.

CONSTANTINUS humilis minister ecclesiæ de S. Petri Monte, totusque ejusdem ecclesiæ conventus suis fratribus *de Berlancort* ibidem in Christo congregatis obedientiæ bonum. Quoniam ad meritum multum proficit concordia fratrum & amor proximorum, futuræ perpetuæ paci utrarumque ecclesiarum providentes, auctoritate domini papæ & consilio religiosorum virorum hoc statuimus, ut ecclesia *de Berlancort* abbatia fiat, & ut abbas consilio abbatis de S. Petri Monte & utriusque capituli eligatur, & eodem electo, utrique abbates sese vinculo pacis ligent, ut quicquid in præsenti privilegio continetur ab utroque indissolubiliter observetur, & electus promoveatur: promotus vero si irreligiose vixerit, in capitulo *de Berlancort* ab eodem abbate corrigatur, & si ibidem incorrigibilis manserit, ad capitulum S. Petri de Monte emendandus ducatur. Hoc quidem de reliquis fratribus & clericis & laicis teneatur. Et cum præfatus abbas ecclesiæ de S. Petri Monte ad eamdem ecclesiam *de Berlancort* venerit, in omni dignitate abbatis teneatur, & quamdiu ibidem fuerit, præsentis loci abbas vicem teneat prioris, & quidquid pro nostris fratribus defunctis facimus, ab illis fiat, & nos pro illis similiter faciemus. Insuper ne de quibus institutionibus utrarumque ecclesiarum sine consensu utriusque capituli aliquid permutetur. Et si aliquem fratrem de nostris ad illos pro quacumque causa miserimus, ut unus ex illis inter eos per omnia habeatur; quod de illis similiter faciemus. Et si forte qualibet prædictarum ecclesiarum indiguerit bonis utrarumque, caritative sibi vicissim subveniant. Abbas quoque præfati *Berlancort* singulis annis pridie nonas Maii cum reddendo censu x scilicet solidorum Catalaunensis monetæ ad cotidianam lucernam concinnandam sese apud nos repræsentet. Quod si facere nequiverit, fidum nuncium pro se mittat ad idem faciendum. Quem censum consilio cardinalium & religiosorum virorum, ne contra Romanam ecclesiam sub cujus jure & protectione specialiter consovemur, facere videamur, persolvendum statuimus. Hanc autem præscriptam dignitatem quam habet ecclesia de sancti Petri Monte in ecclesia *de Berlancort*, nulla deinceps persona audeat mutare. Hoc cyrographum firmatum est apud *Berlancort* ab utriusque abbatibus, Constantino de S. Petri Monte & Martino *de Berlancort*, præsentibus abbatibus Theobaldo abbate Dervensi, & Fulcone abbate Sparnacensis ecclesiæ. Anno Incarnationis Dominicæ M. C X L I.

XXIII.

Litteræ conventus S. Petri de Monte de eadem erectione.

PUSILLUS grex ecclesiæ B. Petri de Monte, dilectissimis in Christo fratribus suis *de Berlancort*, gratia vobis & pax a Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo. Notum facimus fratres carissimi, vestræ dilectioni propter imminentes ecclesiæ vestræ utilitates, ut de loco illo in quo estis, *Berlancort* scilicet, abbatia fiat nos concessisse, & quo tenore, quove ordine concessum sit hic breviter subnotasse. Attendentes si quidem in hoc maxime Dei honorem, volumus ut ecclesia vestra & nostra, & si temporaliter dividantur, spiritaliter tamen uniantur, & quod nostra tenuerit in observationibus regularibus, vestra teneat, nec minuere nec mutare absque consensu capituli utriusque liceat. Cætera secundum morem & institutionem Cisterciensium, tam in electione & depositione, quam in sustentatione abbatis ecclesiæ

* Vide epistolam S. Bernardi ad abbatem de S. Petri Monte.

Digitized by Google

illius fieri decernimus, ecclesiæque nostræ reverentia A sive a prælatis seu a subjectis talis exhibeatur, qualis a præfatis Cistercienfibus impenditur suæ institutionis primoribus. Præterea ne contra Romanam ecclesiam sub cujus jure & protectione specialiter degimus, facere videamur, consilio bonorum & præcipue cardinalium Romanorum accepto, in hoc ipsum pariter convenimus, quatenus ecclesia illa centum singulis annis ecclesiæ nostræ ad indicium hujus perceptæ libertatis persolvat, X videlicet solidos Catalaunensis monetæ, ad concinnanda luminaria ecclesiæ nostræ. Hujus autem pacti memoria sub adventu abbatis illius ecclesiæ pridie nonas Maii semper apud nos recenseatur, quam die prædicto cum ipso pariter censu sine rationali devitatione repræsentari capitulo nostro volumus. Sit pax & gratia vobis, & ipsis B juste servantibus regulariterque sub beati patris nostri Augustini professione degentibus salubriterque præstantibus hic & in æternum in sæcula sæculorum. Amen.

X X I V.

Charta Walteri comitis Brennensis pro Basso-fonte.

1143. CUM multa sint necessaria humanæ fragilitati, maxime necessarium est hominibus, ut qui a peccatis depravantur, aliquibus beneficiis subleventur. Notum sit ergo omnibus tam præsentibus quam posteris, quod Walterus Brenæ comes ob remedium animæ suæ & prædecessorum suorum, dono concessit Deo & ecclesiæ in honorem sanctæ Dei genitricis & C Virginis Mariæ fundatæ, in loco qui dicitur *Bassafontana*, decimam redituum suorum de Brena castello, videlicet Giovatici sui, & venditionis fori ac minagii, decimum quoque vas annonæ totius cellarii sui, excepta avena, quam ad opus equorum suorum emerit, vini quoque decimam concessit excepto quod aut vendet aut emerit; concessit etiam dono decimam redituum *Pisnei* & redituum nemoris in donariis & in annona, excepta illa quæ sumitur de forefactis, atque decimam pasnagii, nec non etiam suarum culturarum decimam si legaliter & salve valeat concedere, nec antea alicui sit concessa ab aliquo prædecessorum, sin autem redecimam. Cum his etiam concessit a rivo *de Pontou* usque ad rivum qui dicitur *Prose* terram inter viam & ripam Albæ fluvii jacentem, liberam & absolutam. De nemore etiam intra D supradictos rivulos, a via ante nemus, quantum arcus jactare potest intra ipsum nemus, terram quoque *de Courcellis* inter pontem *Martilii* & Alberti *Manile*, in divisione etiam territorii nostri, inter rivulos commemoratos, supradictæ ecclesiæ vestræ ad usus vestros super Albulam fluvium construere concessit molendinum suis nullatenus nocivum molendinis, ipsum quoque fluvium liberum intra septa atrii. Denique concessit usuaria in omnibus aquis suis, & in cunctis nemoribus suis, excepto nemore quod dicitur *Ajoium*, ad ædificia nostra & pecora nostra degenda, ita videlicet quod ad villas noctu quiescere pergant, nec aliquam domum, aut aliquod ædificium in eis nemoribus absque suo consensu & licentia, eorum pastores faciant. Ad hujus autem doni institutionem E confirmandam, testes adhibere curavimus eorumque nomina subscribenda signari, Erardi filii sui, Andreæ filii sui, Mariæ filiæ suæ, Landrici, Clementis, Goberti sacerdotum, Guidonis *de Larzcourt*, Johannis de Brena clericorum, Hugonis de Calvo-Mongolio, Walteri *de Larzcourt*, Walteri *de Briart*, Zazonis Guidonis fratris comitis, Hugonis de Maceriis, Philippi de Valentigniaco, Petri *de Mathoul* militum. Hoc autem definitum & corroboratum notificamus anno ab Incarnatione Domini M. CXLIII, X kalendas Februarii, luna 22, Ludovico rege Franciæ regnante, præsidente quoque venerabili Hatone Trecensis urbis præsule.

X X V.

Charta Attonis de ecclesia Lusigniaci & decima ejusdem villæ.

EGO Hato Dei gratia Trecensis episcopus, notum 1143. fieri volo omnibus tam futuris quam præsentibus, quod bonæ memoriæ domnus Bernardus abbas Claræ-vallis a nobis petiit quatenus ecclesiam Lusigniaci canonicis B. Lupi Trecensis concederemus, quem scilicet abbatem cum pro sua sanctitate in magna veneratione habemus, nihilque ei quod a nobis juste peteret omnino negare vellemus, prædictam ecclesiam supradictis canonicis domno scilicet Evrardo abbati cæterisque fratribus sub ejus regimine Deo famulantibus eorumque successoribus, salvo nostro episcopali jure in perpetuum concessimus: & quia quidam miles nomine Galterus Piscator tertiam partem in minuta decima, & in oblationibus quatuor majorum solemnitatum, & in censu atrii antiquitus habuerat, & usque ad nostrum tempus tenuerat, totum hoc vigore ecclesiasticæ justitiæ de manu ejusdem militis excussimus, & donum quod de cæteris in eadem ecclesia prædictis canonicis feceramus de hoc etiam supplere curavimus. Hoc autem tali modo factum est quod prædicto abbati suisque successoribus capellanum qui eidem ecclesiæ deserviat, sive regularem, sive sæcularem eligere licebit, qui cum idoneam personam elegerit, eam episcopo præsentabit; idem vero capellanus de his quæ ad jus episcopale pertinent, scilicet de circadiis & synodis, respondebit: debet autem eadem ecclesia per singulos annos XVI denarios, VIII videlicet in paschali synodo, octo vero in illa synodo quæ in Septembri agitur, in tertio autem anno V solidos. His itaque a presbytero qui in eadem ecclesia erit sicut consuetudinis est in generali synodo persolutis, de cætero idem presbyter liber & ab omni exactionis genere absolutus permanebit. Hujus rei cooperator extitit dilectus filius & archidiaconus noster Manasses de Villa-Mauro, ad cujus curam eadem ecclesia spectabat. Quia ergo hoc donum quanta saniori intentione factum fuit, tanta majori sollicitudine ne aliqua in futuro calumnia quassaretur confirmari debuit; idcirco nos præsens scriptum inde fieri voluimus, quod non solum nostri sigilli impressione, sed etiam legitimarum personarum, quarum nomina subsequuntur, attestatione munitum reliquimus. Actum est anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. CXLIII.

X X V I.

Littera Simonis domini Brecarum ad Hugonem Reclusum de nemore de Talus.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego 1144. Simon dominus Brecarum dedi venerabili viro Hugoni Recluso pro anima mea & antecessorum meorum, fratribusque secum morantibus in loco qui antiquitus vocabatur fons Balimi, nunc autem Reclusus, omnes aisantias nemoris mei *de Talut* præter exsartiare. Hoc donum laudavit uxor mea Felicitas. Hujus rei sunt testes Theobaldus, Ramellus & Paganus miles de Brecis, & alii plures.

X X V I I.

Diploma Henrici Trecensis comitis in gratiam canonicorum B. Petri majoris ecclesiæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus 1144. divina miseratione comes Trecensis, tam præsen- *aut* tibus quam futuris in perpetuum, notum fieri volo 1145. christianis omnibus tam clericis quam laicis subur-

bium quoddam Trecis haberi, quod vulgariter sancti Dionysii burgus appellatur. Porro prædecessores mei comites Tricassini canonicis B. Petri majoris ecclesiæ præfatum burgum a temporibus antiquis liberum donaverunt & immunem ab omni justitia & exactione vel consuetudine, tam ipsorum comitum quam omnium ministerialium suorum. Pater vero meus bonæ memoriæ excellentissimus comes Theobaldus quod alii comites donum fecerant, pie laudavit, & proprio sigillo firmavit. Ego & post illius decessum quod ipse laudaverat, satis benigne concessi; sed post aliquantulum tempus ira & impetu indignationis propriæ burgo infracto pro captione cujusdam Octravini qui homo erat episcopi, tandem pœnitentia ductus ad vocem & consilium domini Bernardi abbatis reverendi ex Claravalle veni in capitulum S. Petri, ubi in præsentia domini Henrici episcopi, abbatum, clericorum & militum meorum forisfactum meum humiliter recognovi, & in manu Odonis præpositi ejusdem ecclesiæ manu propria rectum faciendo totum emendavi, & pro lege quam debebam Guarrico archidiacono & camerario pileum meum in hujus facti memoriam reservandum obtuli & donavi, recognita ad plenum, & ore meo prorsus approbata præfati burgi libertate & immunitate antiqua. Quod ut ratum, &c.

XXVIII.

Ex chartario Cluniac.

Carta Atonis Trecensis episcopi de donatione trium ecclesiarum & unius prebendæ in ecclesia sancti Petri Trecensis Cluniacensibus.

1145. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ato Dei gratia Trecensis ecclesiæ humilis minister, omnibus fidelibus in perpetuum salutem. Summa divinitas sapienter cuncta gubernans, ad informationem humanæ vitæ misericorditer veniens, prudenter hic providit, & juste pieque ordinavit ut qui ecclesiasticis sunt intenti servitiis, ecclesiasticis jure proficiantur beneficiis; quidquid ergo ad utilitatem & necessitatem servorum Dei efficere contendimus, profuturum nobis ad æternam beatitudinem promerendam confidimus. Quocirca notum fieri volumus tam præsentibus quam futuris fidelibus, quod charissimi fratres Cluniacenses ad nos humiliter accedentes, petierunt ut pro amore Dei aliquod beneficium illi sanctissimæ domui Cluniacensi impertiri dignaremur, si quid justa petentibus aures claudere divina pietas non permittit, provide considerantes piam eorum esse petitionem, eorum supplicationibus gratanter adnuimus, atque ecclesiam de Berbona ecclesiasque de Lintis & Lintellis perpetuo jure possidendas cedimus & concessimus, ita tamen ut Iterius presbyter quandiu vixerit, quinque per singulos annos solidos Cluniacensi ecclesiæ de ecclesia de Berbona persolvat, & nepos meus Urricus decem solidos in vita sua; post mortem vero illorum, illæ prænominatæ tres ecclesiæ in proprium deveniant dominium monachorum, ita ut habeant liberam potestatem eligendi in eisdem ecclesiis idoneos sacerdotes quos Trecensi episcopo repræsentantes curam animarum de ejus manu recipiant, monachi vero de ecclesiasticis beneficiis eisdem presbyteris mensurate provideant: Dedimus etiam ecclesiæ Cluniacensi, laudantibus & concedentibus clericis nostris, petente hoc ac exigente papa Innocentio, unam præbendam in ecclesia beati Petri in perpetuum tenendam. Quod ne aliqua temporum vetustate, aut personarum varietate mutaretur vel infirmaretur, jussimus hanc chartam nostri sigilli auctoritate roborari, & nomina idonearum personarum quæ interfuerunt subtitulari. S. Odonis archidiaconi, S. Manassei archidiaconi, S. Falconis archidiaconi, S. Tegeri canonici, S. Urrici canonici nepotis episcopi.

XXIX.

*Epistola Petri prioris S. Johannis Senonensis ad Hatonem Trecensem episcopum beati Benedicti feliciter laureatum *.*

PETRUS pusillus servus Christi oblivisci populum suum & domum patris sui. 1145.

Sacramentum unctionis tuæ transmigratio tua, venerande pater, non dissolvit; sed quo magis accedis ad Dominum, eo gemma tui meriti pulchrius elucescit, lucerna quippe ne ventis exsuffletur a publico sublata melius in domo lucet; & navis quam tempestas in fluctibus agitabat, latibula cryptarum ingressa tuta manet, & persona quæ mundi turbines evadens domum pacis ingreditur, jacturas aliorum respiciens de tranquillitate sua gratulatur. Recessus a mundo sicut paternitas tua novit, accessus ad cœlestem thronum, & cathedra sponte derelicta, majoris est dignitatis signum. Eapropter plures domos suas exierunt, & majora satis felici commercio lucrati sunt. Gregorius Nazianzenus sedi suæ renuncians, ruri vitam monachi egit. Justus Lugdunensis ad eremum Ægyptium declinavit, Wlfrannus Senonensis Frisonum apostolus Fontanellæ ad extremum se tradidit; quia hi quidem meritis exigentibus sacris pulvinaribus corporaliter exhibentur, pontificale vero nomen etiam sepultis conservatur. Possem & alios hujusmodi adducere plures in medium, sed in omni verbo sufficere potest trium testimonium. Cæterum ad te, carissime pater, stylum verto, tuæ felicitati totus congaudeo, quem Senonensis ecclesia *decanum & archidiaconum habuit,* Tricassina sedes pontificem gloriosum obtinuit, Cluniacus civem sanctorum & domesticum Dei facit. Tribus comparationum gradibus grammatica nostra utitur, in quibus superlativum eminere constat. Unde quando venerabilem personam tuam præeminere fateor, te felicissimum esse variis argumentis comprobare possum, sed non expedit, quia quivis simplex istud facile comprehendit, summam namque felicitatem esse quis ambigit in hac vita, prosequenda perpetua vita! Cluniacensi vita vivere constat ab antiquo Domino complacere. In hac sancti patres Odo, Mayolus, Odilo, Hugo mirifice floruerunt, & sanctis cum Deo regnantibus numerati sunt. Crucient qui volunt corpora sua, & se pelliceis vestibus ac femoralibus carere gratulentur; ego quod ad salutem sufficit mutari debere non existimo, neque si salvus esse possum, magis salvus esse desidero. Qui enim magis salvus esse appetit, sobrium spiritum non habet, & de vanæ gloriæ supercilio notari potest. Sufficere potest Cluniacus ad salutem omni homini quærenti Dominum; cujus rei prædictorum abbatum sanctitas certum est argumentum. In hoc loco Petrus retia sua reficit, & in mare mundi petit in capturam, & concludit piscium multitudinem copiosam. O quales & quanti pisces ad hoc littus aliquoties tracti sunt! Andegavensis episcopus, Belvacensis, Cadorcensis, Eduensis, Nivernensis, dux Burgundionum, & alii quamplurimi proceres his retibus conclusi ad Cluniacense littus applicati sunt: ad hoc littus magnum quemdam & præcipuum piscem Petri rete traxit, quem præ cæteris admirans, Petrus ad apostolicum destinavit, & eum Urbanum competenti vocabulo nominavit, qui vir magnus & urbanæ eloquentiæ quis vel quantus esset apud Clarum-montem aperuit, & verbis suis orbem Latium fere totum moriens ad Jerosolymam liberandam mirabili potentia misit; quem nemo dubitet in Cluniacensi monasterio in quo prior extiterat, scientiam illam & verborum affluentiam collegisse, quæ universis fidelibus edocendis sufficeret, & ad comprimendos infideles christianis audaciam daret, quod hoc tantum bonum ab

* Apud Severtium in episcopis Matiscon. p. 135.

eodem sancto loco processit, de cujus fonte vir ille apostolicus tantæ religionis & tantæ facundiæ fluenta bibit. Ut autem secundum rethores ad extremum fortioribus utamur argumentis, in hoc glorioso monasterio Dominum Jesum sanctis & spiritualibus viris in choro & in capitulo compertum est apparuisse ad ostensionem gratiæ suæ & confirmationem sanctæ ipsius religionis. Cui rei ordinem licet sicut a sanctis & magni nominis viris audivi, memoriter teneam, tamen ne quid forte mutasse inveniar, hortor ut a beatis collegis tuis diligenter inquiras, & cum perceperis majestatem Verbi, dicas exultanter, *lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*, quam gloriosa domus, in qua ille se videndum præbuit, quem videre vita videntium fuit. O beati oculi! qui videre meruerunt quod multi reges & prophetæ videre voluerunt, & non viderunt. Ad hanc igitur domum, venerande pater, sponsus ille te vocavit, & vocatum introduxit, de quo sponsa in amoris cantico gratulando dixit: *introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinavit in me caritatem*. Quia enim vinum lætificat cor hominis, recte cella vinaria dicitur, in qua perpetua lætitia commoratur, ubi etiam caritas ordinatur, quia ibi Deus super omnia, fratres a se mutuo diliguntur. In hac domo caritatis & lætitiæ collocaris & læraris sub apostolo Petro, de cujus religione boni odoris fama circumquaque diffunditur, cujus scientia in divinis pariter & humanis magna esse perhibetur. Inspiravit jam pridem tibi Deus, ut hunc sanctum virum unice coleres, & indissolubiliter sancto adhæreres, perfecitque opus suum implendo desiderium tuum, collegitque vos in unum, quæ unitas, quia a Deo est, non dissolvetur in æternum. Litteras quas meæ parvitati misisti debita cum veneratione suscepi, lectas in archivo meo reposui, futurum ut eas sæpissime legam. Vale pater, & benedic mihi, & ora pro me.

XXX.

Bulla Eugenii papæ in gratiam Galtheri abbatis S. Mariæ de Capella ad Plancas.

1147. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Galthero abbati S. Mariæ de Capella d Plancas, ejusque fratribus, &c. Dilecti in Domino filii vestris justis supplicationibus clementer annuimus, & præfatam ecclesiam in qua divino estis mancipati obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona impresentiarum juste & canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Territorium in quo ipsa ecclesia constructa est, datum a Simone domino Belfortensi, & Emelina matre ejus, cum usuaria totius nemoris usque ad castrum Mercheri-curte, cum appendiciis suis, terramque quæ circa ipsam curtem est ex dono Radulfi de S. Margareta, molendinum de Suzanno monte cum terra quæ molendino adjacet: similiter ex dono prædicti Radulfi fratribus suis concedentibus, & dominis de quorum feodo erat, comite videlicet Theobaldo, Egidio cum fratre suo Lebaldo & Macario de Magnicurte. Curtem sanctæ Petronillæ cum appendiciis suis, terram de Altignis, novam domum quæ sita est super Maxennam. Tertiam partem decimæ de villa S. Audoeni, quam habetis ab ecclesia S. Quintini Belvacensis, & quicquid ibidem ipsa S. Quintini ecclesia jure possidebat. Decimam totam de Curcellis excepta parte presbyteri. Medietatem tertiæ partis decimæ Juncherii, salvo jure monachorum Rosnarum. Partem decimæ de Longavilla in ecclesia Chaccricurtis, liberam electionem sacerdotis ab Attone Trecensi episcopo vobis concessam. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimam exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnibus profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur &c. Datum parisiis per manum Hugonis presbiteri cardinalis, agentis vicem Guidonis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, idibus Maii, indictione X, Incarnationis Dominicæ M. CXLVII, pontificatus anno 3.

XXXI.

Henricus Trecensis episc. Bernardo Claræuallensi abbati dat ecclesiam dictam Bullencuria *cum omnibus possessionibus.*

VENERABILI & reverendissimo patri Bernardo Clarevallensi abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis, ego Henricus Trecensis episcopus in perpetuum salutem. Si monasteriis & ecclesiis in episcopatu nostro constitutis curam & vigilantiam ut in melius proficiant, adhibemus, ab illo cui cura est de omnibus, speramus auxilium & præmium expectamus. In episcopatu nostro quædam ecclesia canonicorum erat Bullencuria nomine, abbatem habens, canonicos & conversos, & mulieres, qui omnes voverant propositum sanctitatis, ubi cum disciplina penitus defecisset, regnaret insolentia, honestas deperisset, vocatus ab illius loci habitatoribus qui jam seipsos per semetipsos sustinere non poterant, adveni ibi ab illius loci abbate, & ab omnibus tam canonicis quam conversis & mulieribus, cum multis precibus rogatus sum ut ecclesiam ipsam, & omnes possessiones ejus, quæ jam per se stare non poterant, Deo, & ordini Cisterciensi specialiter autem eam venerabili patri & domno Claræuallis emendandam possidendamque juxta consuetudinem Cisterciensis ordinis in sempiternum concederem. Abbas autem prædicti loci in manu nostra abbatiam dimisit, & ad opus Claravallense reddidit. Videns ergo quia omnipotens Deus tua sollicitudine, sapientia & religione, pene totum illuminaverat & correxerat mundum, ipsam ecclesiam Cisterciensi ordini, tuæ paternitati, & Claræuallensi domno cum omnibus possessionibus suis in perpetuum dono, in quibus hæc sunt quæ nominibus propriis duximus adnotanda; terram abbatiæ adjacentem, grangiam de Frigido-fonte, Pertam in Rosteria, Pertam Haynonis, Pertam siccam, Domperotum, Bruliam cum omnibus appenditiis ipsarum grangiarum universarum, quæ prædicta ecclesia in Domino possidebat. Ne autem aliqua temporis vetustate, vel alicujus hominis perversitate, aut mutaretur aut penitus deperiret, sigilli nostri munimine confirmavi. Actum hoc anno ab incarnatione Domini M. CLII, regnante Ludovico juniore rege Francorum. 1152.

XXXII.

Epistola S. Bernardi ad Petrum abbatem Cellensem. *Ex cartario Cellensi.*

PETRO Dei gratia venerabili abbati S. Petri de Cella, frater Bernardus Claræuallis vocatus abbas, salutem & quas potest orationes in Domino. Concedimus & confirmamus vobis & domui vestræ furnum apud Trecas positum, qui erat domus nostræ *de Mores*. Quia enim fratres nostri ejusmodi reditus tenere non possunt, per manum nostram qui eundem locum ædificant, acceptis 43 libris quas in ædificationem loci ipsius expenderant, vobis & domui vestræ 1152.

libere obtinendum tradiderunt. Quod nos ratum A haberi volumus, & sigilli nostri impressione firmamus. Testes sunt fratres domus vestræ Petrus prior, Jocelinus subprior, Stephanus præpositus, Valcherus quoque & Rainaldus cellarii nostri, & Fromundus qui locum ipsum ædificabat. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CLII.

XXXIII.

Charta Henrici episcopi ad Petrum abbatem Cellensem.

HENRICUS Dei gratia Trecensis episcopus, Petro eadem gratia Cellensi abbati. Facilius quilibet erroris socium quam veritatis invenit; plerumque B quod pium dispensavit arbitrium, impiorum perversitate in malos usus & pravam consuetudinem devenit: & nocet aliquando pietas possidenti. Ne igitur tibi tale aliquid contingat, Petre abba, & retribuatur pro bona voluntate malicia, ducimus idoneum litterarum tenacitati commendare qua conditione concesseris capellam construi in villa *de Cernel*, quæ pertinet ad parrochiam ecclesiæ de Monasteriolo. Noverit igitur præsens & tempus futurum, quod domina Adeladis de Cappis jam senio & infirmitate depressa, per nos & alios amicos suos tuam benevolentiam petiit consentire ut capellam construeret in prædicta villa *de Cernel*, eo videlicet pacto, ut post obitum illius illa capella cum omnibus ornamentis suis ad ecclesiam vestram transiret, & quod nullus ibi cantaret, nisi C quem tu vel successor tuus laudaverit. Sicque factum est, licet nolente capitulo tuo, ut assentires petitionibus nostris devotæ voluntati mulieris. In argumentum hujus rei hoc scriptum sigillo nostro munimus.

XXXIV.

Charta Henrici episcopi ad Petrum Cellensem de restitutione ecclesiæ S. Flavitii.

1154. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Munificentiæ pontificalis beneficia equidem venerabilibus locis indulta ut grata debent esse ita & rata. Non immerito itaque ad hoc ut perpetuo sint valitura tam ex auctoritate quam ex consuetudine, litterarum D deposcunt contra calumniarum maligna machinamenta, non imbecilla suffragia. Hic namque sua liberalitate non evacuatur dantis bonitas, & accipientis nihilominus non frustrantur exoptata desideria. Eapropter ego Henricus Dei gratia Trecensium episcopus, tibi & ecclesiæ tuæ, Petre venerabilis abba de Cella, ecclesiam S. Flavitii de Villa-maura cum omni jure suo concedo, confirmo & sigilli mei auctoritate consigno, salvo nimirum jure episcopali & Trecensis ecclesiæ per omnia & in omnibus. Hanc si quidem monasterium tuum antiquitus jure possidebat, sed hominum sive temporum malitia intervenicnte, & si non de jure, de facto tamen possidere desierat. Tum itaque tua instantia, tum ratione æquitatis, tum itaque gratia præeunte divina repulsis, E qui vitiose & injuste incubabant possessioni vestræ, & injustitiam suam & vestram justitiam recognoscentes, in manu nostra quam injuste tenebant deposuerunt, & monasterium vestrum de ecclesia illa per nos revestierunt. Sæculares quoque canonici, qui per manum laicam præbendas seu ecclesiastica beneficia contra sanctorum patrum instituta recipiendo ingressi fuerant in ecclesiam illam, potius ex misericordia nostra quam ex justitia sua beneficium quod habebant tantummodo dum in sæculo viverent retinuerunt. Sunt autem hi Manasses archidiaconus, Manasses de Pugeio, Thebaudus, Iterus, Milo de *Canloth*, Rahaudus Herbertusi rufus. Dominus quoque castri Hilduinus nomine, sed & mater ejus Helia cum humilitate a nobis veniam de peccato suo expetierunt, & quicquid in datione præbendarum usurpaverant, in manu nostra recusaverunt. Hoc autem solemniter factum est in curia nostra, assistentibus religiosis & venerabilibus personis Guidone Arremarensi, Iterio S. Lupi, Guillelmo S. Martini abbatibus, Manasse de Villa-maura, Siurgico, Falcone archidiaconis, Petro Strabone, Giraudo Bareuli, Bernardo canonicis, & Galterio de Breio. Interfuerunt etiam laici quamplures, Drogo, Bornus, Galterus, Garulfus, Milo, Robertus filius Richerii, & Ebrardus præpositus domini ejusdem castri, Galterius Bonellus, Guibaudus. Gibuinus cantor & cancellarius scripsit & recognovit anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, regnante Ludovico rege, atque Henrico comite vivente.

XXXV.

Charta Henrici comitis Trecensis de translatione abbatiæ de Recluso. *Ex autographo in monast. Charmeia asservato.*

OMNICREATOR & omnisciens Deus cæcitatis 1164. nostræ ignorantiam doctrinæ suæ radiis diligenter dignatus instruere, agnosce, inquit, o christiane! dignitatem tuam & divinæ consors factus naturæ, cujus capitis & cujus corporis sis membrum reminiscere, ut imitator divinæ dilectionis quæ in opere consistit, ereptus de potestate tenebrarum translatus sis in Dei lumen & regnum. Spe promissionis hujus præeonis allectus, ego Henricus Trecensium comes Palatinus, notum volo fieri præsentibus & futuris quod compassus sum nimiæ paupertati ecclesiæ de Recluso, ut ab arido loco & parum fertili, quo insidebat abbatia, ad uberiorem locum & magis commodum transferretur jam nominata ecclesia præ timore & amore ejus summi patris familias qui dat salutem regibus, ad salutem animæ meæ & parentum meorum dedi in eleemosynam omne fagetum meum. Dedi etiam & quitum clamare feci quidquid Ingelmerus de Sanceio & sui participes ibidem tenuerant. Præterea concessi duos forestarios, Robertum scilicet & Ulricum de Soleriis ad custodiendum nemus. Hæc omnia ad honorem & pacem Cisterciensis ordinis ita libere & quiete dedi & concessi abbatiæ quæ dicitur Donum comitis, quod nemo infra prædictum fagetum ullam penitus consuetudinem habeat; illud etiam addidi, & perpetuo possidendum concessi quod fratres jam dictæ abbatiæ omnimodum usuarium, exartuatione excepta, in nemoribus meis de Wesseio & pascua habeant. Præterea eisdem fratribus concessi quod ipsi eant & redeant per totam terram meam ab omni justitia & consuetudine liberi, & quidquid homines mei sese vel sua præfatæ abbatiæ reddere voluerint, ipsos & sua libere & quiete concessi institutis tamen Cisterciensis ordinis intemerate observatis. Et ut hæc omnia inconcussa & inviolata in æternum permaneant, hæc ita fore sigilli mei testimonio confirmavi. Testibus Radulfo abbate Vallisclaræ, Arnulfo abbate de Recluso, Tecelino abbate de Sacro-portu, Johanne abbate de Virtute, Henrico monacho de Hinneio, Bartholomæo de Brenna, Odone de Condi, Odone de Eoldra, Guarino *de Brecis*, Hugone de Planceio, Hugone de Warno, Johanne de Possessa, Guillelmo & Gervasio mareschaldis, Alberto *de Montomer*, Angelberto *de Molins*, Simone *de Taloiri*, Galterio *de Sparnai*, Ertaldo de Remis, Gelero & Girberto de Bara, Hugone *de Coheirart*, conversis ejusdem loci. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M. CLXIIII, Ludovico rege Francorum regnante, Guidone Cathalaunensi episcopo existente. Traditur apud Trecas per manum Guillelmi cancellarii.

Digitized by Google

XXXVI.

Bulla Alexandri III pro monasterio Cantumerulæ.

1165. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Gregorio abbati ecclesiæ S. Sereni de Cantumerula, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris canonicam vitam professis. Effectum justa postulantibus indulgere, & vigor æquitatis & ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio ad exemplar prædecessoris nostri felicis memoriæ Adriani papæ sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis si quidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, totam parochiam castri de Cantumerula, atrium cum sepulturis, exceptis his qui manent in mercatu Rainaldi de Poycio; medietatem decimæ annonæ & vini ejusdem castri, & totam minutam decimam & quartam partem minagii, & medietatem stallagii, & quidquid habetis in potestate ipsius castri, tam in hominibus quam in vineis & terris & villis subscriptis, scilicet tertiam partem decimationis annonæ Sclavollæ, quidquid habetis apud Panniacum & S. Ferreolum, quidquid habetis in decima villæ Gruis, & duas partes minutæ decimæ; duas quoque partes oblationis secundo die post Natale Domini, & totum atrium; quidquid habetis apud montes Figuli & apud Stinellas, & ad montem Genoldi & ad Folletteriam, apud Carmeiam quoque quidquid decimæ habetis; quidquid habetis *Faiel*, apud Gubitos, apud Nufeium & Vofeium, apud S. Quintinum & S. Saturninum & S. Sepulchrum, curtem de Chasnella & de monte Scopato cum pertinentiis suis; tertiam partem decimæ *de Constant*, & totam decimam agriculturæ vestræ in eadem parochia: quidquid etiam in territorio ejusdem villæ habetis, tam in hominibus quam in terris & pratis & aqua; totum territorium de Festo cum tota decima quam dedit vobis Hen. Trecensis episcopus; ecclesiam de Marcilleio cum decima grossa & minuta & atrio; ecclesiam de Ponstengio cum curte sicut eas bonæ memoriæ Hatto quondam Trecensis episcopus rationabili vobis dispositione concessit, & scripti sui pagina confirmavit: duas partes totius decimationis ejusdem villæ, & totam decimam de Nusiamento & de Vallibus & de Bannoneriis. Ad hæc libertatem a duobus dominis ejusdem castri comite videlicet & Oddone de Averli, & quatuor militibus qui vulgo pares vocantur, pia vobis devotione concessam ut quidquid de eis tenetur in capite libere sine assensu & requisitione ipsorum dono vel pretio aut quolibet alio legitimo titulo acquirere valeatis, auctoritate vobis apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum decimas a vobis nullus præsumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentationi concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & dioecesani canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Paris. per manum Hermanni sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii, XVIII calendas Maii, indictione XIII, Incarnationis Dominicæ anno M. CLXV, pontificatus vero domini Alexandri papæ III anno sexto.

XXXVII.

Charta Hugonis domini Brecarum de pluribus donationibus erga Reclusum.

PIA christianorum fides principum in nullo clarius innotescit, quam si operibus pietatis intenti sanctarum ecclesiarum gravamina relevent, & pauperum Christi consulant egestati, eum scilicet in his suorum beneficiorum constituentes participem qui bonorum omnium tribuit ubertatem. Hac igitur consideratione inductus, & Henrici Trecensis episcopi exhortatione & consilio, ego Hugo Dei gratia dominus Brecarum, servos Dei apud Reclusum sub Cisterciensis ordinis disciplina Domino servientes devota pietate respexi, & eorum nimiæ paupertati compassus pro mea meorumque parentum salute eisdem fratribus prædictæ abbatiæ quæ a tempore Hattonis Trecensium episcopi extiterat, & adhuc abbatia existit, Alnetum *de Morein* subtus Reclusum ab omni consuetudine liberum, & utramque ejusdem aquæ ripam & quantum sedes abbatiæ & vinarii continet in eleemosynam concessi & donavi. Dedi etiam quarreriam super ripam prædictæ aquæ cum campo & terram figulorum ad faciendas teulas, & viam eundi & redeundi ad eamdem terram. Addidi etiam eisdem fratribus partem nemorum meorum, quæ pars extensa est a fossa juxta Roncheriam usque ad transitum rivuli *Barnel* *, qui juxta pratum Rainaldi situs est subtus vinarium, & a prato Rainaldi sicut rivulus descendit, & sicut foresta dividitur ab alio nemore *Bateilz* usque ad campum Eurardi, & ab eodem campo usque ad aquam *de Moren* absque exartatione, nemorum venditione & donatione nihil omnino in manu mea retinens, nec etiam posteris meis attribuens. Præterea ut præfatæ ecclesiæ ædificator dedi & perpetuo jure concessi quod eant & redeant per terram meam ab omni consuetudine liberi, & communia pascua totius terræ meæ. Constitui nihilominus in molendinis Bayæ, vel in aliis redditibus, quantum olei convenit per annum lampadi per noctem ardendi super sepulturam domini Hugonis Reclusi. Præterea statui ut quidquid ecclesia de meo & de meis casamentis quoquomodo extra vel intra villas & confinitatem Baiæ & *Talus* * libere & quiete obtineat, & omni exceptione remota quidquid a Placeio *de Talus* super *Morein* in omnibus ex parte abbatiæ acquirere poterit; concessi etiam eis partem montis Avoldi contra meridiem ad ædificandas vineas viginti arpenta. Hoc autem factum est ad laudem filii mei & fratris mei Simonis. Notum vero sit quod quidquid ecclesia, cujus institutor extiti, obtinet & acquisierit a manu mea & filii mei & posterorum nostrorum nullo modo removebitur, & nos protectores & defensores ecclesiæ erimus, & erga omnes garandiam portabimus.

1168.

* Bagneus.

* *f.* possidet.

portabimus. Ego quoque Henricus Trecensium episcopus hanc eleemosynam sigilli mei impressione confirmavi, quam si quis destituere voluerit, a Christo & omnibus sanctis, & a me ipso anathema sit, quoad usque ecclesiæ prædictæ satisfecerit. Hujus eleemosynæ testes sunt Pontius abbas Claravallis, Radulphus abbas Vallisclaræ, Harduinus abbas Ripatorii, magister Girardus archidiaconus, Petrus abbas de Reclauso, & alii, anno Incarnati Verbi M. CLXVIII, regnante Ludovico Francorum rege.

XXXVIII.

Charta erectionis ecclesiæ de Machereto.

Circa 1168. EGO Guillelmus de Dampetra quid crastina pariet dies ignorans, quia ut ait quidam sapiens, nemini nostrum ultima nota dies est, sic mea in animæ meæ salutem disponere volo dum licet, quatenus Deus in donis suis laudetur, atque per ea post obitum iter prosperum ad Deum animæ meæ præparetur, ne forte cum placitum erit, non sit licitum. Eapropter notum fieri volo omnibus sanctæ ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quod ego voluntate & assensu uxoris meæ, filiorum & filiarum mearum dedi fratribus de Magno-monte boscum *de Macheray*, & pro animæ meæ salute per singulos annos usque in sempiternum duos modios segetis de molendino Dampetræ ad mensuram Dampetræ, unum modium frumenti & siliginis, & alium avenæ. Dedi etiam eis duos sextarios frumenti ad hostias faciendas de terragio meo ante S. Justum & ante Clacsses, & de meliori vino meo albo ad Villenosse pro missarum celebratione tres modios juxta modium Dampetræ. De passagio autem meo ad Dampetram dedi prædictis fratribus quadraginta solidos, qui distribuantur in vestimentis fratrum. Per singulos autem annos pro lumine ecclesiæ suæ ad festum S. Remigii de censu meo ad S. Mauritium dedi eis ..... denarios unde emant dimidiam summam olei. Si quis vero suadente diabolo prædictis fratribus pro his donis post obitum meum violentiam intulerit, anathema sit, & a Corpore Christi separetur. Ut autem hæc dona rata sint & stabili firmitate suffulta, usque in æternum per singulos annos recipienda immobiliter perseverent, sigillorum domni Guillelmi Senonensis archiepiscopi, & domni Matthæi Trecensis episcopi, & comitis Henrici, & mei impressione confirmare feci.

XXXIX.

Litteræ Henrici comitis Trecensis de nemore de Machereio.

1168. EGO Henricus Trecensis comes Palatinus, universis præsentibus & futuris, notum facio quod cum monachi de Charitate apud S. Justum commorantes in nemore de Macherio usuarium ad necessaria domus suæ clamant, & domini Guillelmus de Domno-Petro, & Hugo de Planceio, quorum nemus erat, illud eis negarent; tandem ad preces Bonorum-hominum de Macherio & causa Dei, prædicti Guillelmus & Hugo dictis monachis de sancto Justo usuarium domui suæ in prædictis nemoribus concesserunt ubique præterquam in occupatione mansionis Bonorum-hominum. In ipsa vero occupatione nihil clamant monachi, quamdiu Boni-homines ibi fuerint; sed si forte inde recederent, & nemus in manum Guillelmi & Hugonis rediret, ipsis monachis usuarium ibi etiam sicut alibi in eisdem nemoribus concesserunt. Depacti sunt etiam quod cum prius totum nemus vendere vel extirpare possent, illud a modo nec vendere, nec destruere licitum eis fuerit, sed illud bona fide custodient & defendent. Tamen cum apud S. Justum venerint, ad proprium ignem & ad proprios usus de nemore prædicto accipere poterunt. Hoc laudavimus dominus Trecensis episcopus & ego, de quorum feodo res erat; & ad majorem hujus rei confirmationem præsentem chartam sigillorum nostrorum appositione communire decrevimus. Ipsi quoque dominus Guillelmus & dominus Hugo, qui donum hoc fecerunt, sigilla sua apposuerunt cum nostris. De laudatione & confirmatione nostra testes fuerunt ex parte domini episcopi magister Gerardus & magister Bernardus archidiaconi; ex parte mea Guillelmus Rex marescallus & Artaudus camerarius; ex parte domini Guillelmi Luco de Trecis, Terricus filius Herfredi & Renatus de Domno-Petro; ex parte vero domini Hugonis Haïcius frater ejus, & Thomas de Vallibus. Actum est anno Incarnati Verbi M. CLXVIII. Datum Trecis per manum Haïcli cancellarii.

XL.

Charta Matthæi episcopi de donatione facta ab ecclesia Cellensi Constantio presbytero. Ex autographo.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Matthæus Dei gratia Trecensis episcopus, universis 1172. tam futuris quam præsentibus notum fieri volumus quod terragia & universa quæ apud Hozramontem in omnibus commodis quæ habet ecclesia B. Petri de Cella, Constantio presbytero in vita sua concessit tenenda exceptis duobus solidis quos Hugo eidem debet ecclesiæ. Ipse autem presbyter omnibus annis vitæ suæ XVIII sextaria annonæ ecclesiæ beati Petri persolvet, novem videlicet sextaria frumenti & novem avenæ: prata vero ad medietatem faciet, custodiam & universas expensas ipse procurabit, & ecclesia B. Petri medietatem absque aliquo sumptu accipiet. Præterea sciendum est quod idem Constantius presbyter sacramentum juramenti præstitit ecclesiæ quod bona fide & absque aliqua fraude hujusmodi pactum tenebit, & res ecclesiæ illi pro viribus perquirere & accrescere studebit. Denique si inspiratione melioris propositi ductus habitum mutaverit, aut quandoque vita decesserit, ecclesia B. Petri Cellensis absque cujuslibet reclamatione vel inquietatione recipiet, & pro voluntate & arbitrio ecclesiæ disponet. Ut autem hoc ratum & inconcussum perseveret, tam sigilli nostri impressione quam testium subscriptione muniendo confirmamus; unde sunt testes magister Guiardus Trecensis canonicus, Evrardus decanus, Rad. de Sunsais, Theodoricus de Juncheriaco. Actum est hoc in palatio pontificali Trecensi, anno ab Incarnatione Domini M. CLXXII.

XLI.

De controversia inter abbates Cellensem & Arremarensem.

EGO Matthæus Dei gratia Trecensis episcopus, 1174. notum fieri volo & præsentibus & futuris quod contentio erat inter abbatem Dervensis ecclesiæ & abbatem Cellensem propter quosdam qui exeuntes de Fontenero ædificaverant domos *Alabrau*, quem locum abbas Dervensis ecclesiæ ad parochiam suam astruebat pertinere. Similiter abbas Cellæ infra terminos parochiæ suæ concludi prædictum locum asserebat. Cumque diu in hunc modum decertassent, tandem consilio meo & consensu utriusque abbatis compositio facta est inter ipsos; & divisio decimationum pertinentium ad parochias prædictorum abbatum, scilicet ad parochiam Cavangiarum seu Fonteneti, pertinentem ad abbatem Cellæ & parochiam Bellforti seu Villareti, pertinentem ad abbatem Derventem. Divisio autem decimationum ab occidente a Petro Haimonis incipiens, recta linea tendit ad

Digitized by Google

arborem Pomi quæ sita est in margine viæ publicæ, quæ ducit euntes *de Belsou* ad S. Margaretam, & ab arbore prædicta per eamdem viam publicam usque ad rivum *de Labrau*, & ab eadem via divisio progreditur usque ad fontem rivi prædicti : item a fonte dirigitur per concam Bovotionis ad arborem quam indigenæ *Canordel* appellant : item ab ea usque ad viam quæ est juxta domum Roberti de Dumo ex parte Cavangiarum. Ne autem hoc processu temporis vel mutaretur vel deperiret, litteris meis & sigillo meo confirmavi. Hujus rei testes sunt Gualterus abbas monasterii Arremarensis, Terricus abbas de Bullensi curia, Iterus abbas S. Lupi, Manasses de Villamauri, Rainaudus Pruvinensis, magister Bernardus Trecenses archidiaconi, magister Guiardus, Alexander Gualterus camerarius, Jacobus præpositus Cellensis, Letericus, Stephanus præpositus monasterii Arremarensis, Petrus Furnarius & alii multi. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo quarto.

XLII.

De ecclesia de Buceio & redditu ejusdem ecclesiæ.

1180. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Matthæus Dei gratia Trecensis episcopus, notum fieri volo præsentibus & futuris quod nos ad propagationem religionis & ad precem nobilis viri Garneri *de Bucci*, ecclesiam *de Bucci* cum pertinentiis suis, cujus ipse prædictus Garnerus fundator erat ab ecclesia de Tussiaco separatam & disjunctam ad quam prius pro parochiatu spectare videbatur ecclesiæ beati Lupi Trecensis, & tibi frater Guitere abbas & successoribus tuis, laudante fratre & archidiacono nostro Manasse salvo in omnibus episcopali jure in perpetuum donavimus; ita tamen ut canonici regulares ibidem Deo deserviant, & unus ex eis vobis ab abbate suo præsentatus de cura parochiali nobis respondeat. Notum etiam fieri volo quod prædictus Garnerius in præsentia nostra retractavit & recognovit se, laudante uxore sua Melisende præfatæ ecclesiæ B. Jacobi *de Bucci* & habitatoribus ejus, in perpetuum concessisse & concedere plenum usuarium in nemoribus suis excepta foresta & in pascuis suis, & terram totam quam comparavit Guerricus frater ejus de feodo suo a Pontio de Fonvenna, & in molendinis suis quantum ad partem suam spectat molere sine moltura, & de feodis suis & de hominibus suis quidquid vel per eleemosynam vel per emptionem potuerunt acquirere, & decimas culturæ arari sui, & dimidium modium annonæ in terragio suo *de Bucci*, scilicet duos sextarios siliginis & IIII trimensis, & culturam quæ Poncta vocatur, & virgultum quod est juxta ecclesiam, sicut fossato cingitur a porta munitionis usque ad plasletum & mansum extra portam quem tenere solebant *Hoziout* & Robertus Pelliparius. Hoc autem totum quia pie factum est, ne qui malignari voluerit in posterum pervertere vel mutare prævaleat, vel aliquatenus res gestas a memoria per oblivionem recedat ex ordine scribi præcepimus, scriptumque sigillo nostro subscriptarumque personarum subnotatione communivimus. Actum publice apud S. Leonem in domo pontificali, anno Incarnati Verbi M. CLXXX.

XLIII.

Hæc charta innuit quod Matthæus episc. Trecensis fuerit olim decanus ecclesiæ S. Quiriaci.

1184. EGO Maria Trecensis comitissa, notum facio præsentibus & futuris quod controversia vertebatur inter canonicos sancti Quiriaci & hæredes Mathæi quondam Trecensis episcopi & ejusdem ecclesiæ decani, in præsentia mea super quibusdam decimis, scilicet de Bono-sacco, de S. Martino, de Aiuotro & de Marechellis & *de Loan*, & de quadam vinea de Monte-roco, & super quamdam domum quæ sita est ante prædictam ecclesiam, quæ omnia prædictus Matthæus episcopus ecclesiæ S. Quiriaci legaverat. Tandem convenerunt in hunc modum quod quidquid juris dicebant se habere in prædictis decimis & in vinea & in domo, hæredes ejus, scilicet Petrus *des Marres* & Petrus frater ejus, pueri defuncti Drogonis Bristaudi, Adam de Melduco & Helevisa uxor ejus, & filii defuncti Petri Bristaudi, ecclesiæ quittaverunt & habendum concesserunt. Ipsi prædicti hæredes propter hoc de bono ecclesiæ usque ad VI^{xx} libras & C solidos habuerunt, hanc pacem perpetuo tenendam bona fide fiduciaverunt, & me & filium meum Henricum obsides & plegios dederunt, & hoc omnes alii hæredes laudaverunt. Quod ut notum permaneat, & firmum teneatur litteris annotatum sigilli mei impressione firmavi. Testibus domino Rem. archiepiscopo, Willelmo Gaufrido Eventato, Ansondo de Columberio, Artaudo camerario & Milone de Pruvino. Datum Pruvini anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXIIII, data per manum Haici cancellarii, nota Willelmi.

XLIV.

Carta pro monialibus ecclesiæ B. Mariæ Trecensis.

MANASSES Dei gratia Trecensis episcopus, universis ad quos præsentes litteræ pervenerint in 1188.
Domino salutem. Quoniam patres & prædecessores nostros in bono imitari volumus, & debemus, beneficium quod ipsi sanctimonialibus in ecclesia B. Mariæ Trecensis Deo servientibus in parochia ejusdem ecclesiæ contulerunt, ad preces & instantiam venerabilis abbatissæ G. sororumque suarum laudavimus, concessimus, & confirmavimus, & singillatim singula, ne quæstio inde suboriri possit distinximus. Præsentatio si quidem sacerdotis ejusdem ecclesiæ & electio spectat ad abbatissam proprie consulto capitulo suo, qui præsentatus ab abbatissa curam reportabit ab episcopo. In singulis Dominicis diebus habet presbiter curatus ejusdem ecclesiæ tantum modo duos nummos in principali missa; reliquæ oblationes erunt B. Mariæ, & in cæteris missis per septimanam habet abbatissa duas partes oblationum, & sacerdos tertiam, & medietatem panis & vini. In legatis vero mortuorum quæ vulgo dimissiones vocantur, habebit sancta Maria per se totum legatum suum, & de legato quod sacerdoti fiet, habet sancta Maria medietatem, & sacerdos alteram. In Pascha in missa parochiali habet sacerdos tantum duos solidos, & reliquum sancta Maria. In Assumptione B. Mariæ habet sacerdos in missa parochiali octo denarios, & reliquum S. Maria. In festivitate omnium Sanctorum habet sacerdos in missa parochiali XVIII denarios & reliquum S. Maria. In die crastina habet sacerdos omnium oblationum tertiam partem exceptis candelis. In Natale Domini habet sacerdos in parochiali missa duos solidos, & reliquum totum S. Maria. In Apparitione habet sacerdos in parochiali missa octo denarios & octo panes & VIII vina, & residuum sancta Maria. In die Parasceve habet sacerdos octo denarios, & reliquum sancta Maria. De nuptiis vero ita statutum est, quod si sacerdos pro pastu suo nummos accepit, S. Maria habebit inde medietatem & de IIII denariis sponsi & sponsæ habebit similiter S. Maria medietatem. Et sciendum quod de omnibus candelis quæ offeruntur per annum nihil habet sacerdos præterquam de cereis mortuorum medietatem, & in Purificatione B. Mariæ plenum pugnum candelarum. Ut autem hæc omnia rata permaneant & inconcussa ad dirimendas lites inter sanctimoniales & presbiterum sæpe dictæ ecclesiæ exscribi fecimus, & sigilli nostri munimine confirmari. Testes sunt Johannes abbas Belli-loci

Odo abbas S. Martini Trecensis, magister Stephanus *Gamer*, sacerdos S. Michaelis, dominus Hugo *de Linam*, Galterus de Spina, Garnerus *Gever*. Actum hoc anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXVIII.

XLV.

Ex Sammarthanis.

Charta Henrici Trecensis comitis de restauratione monasterii Sigilleriarum.

1190. EGO Henricus Trecensis comes Palatinus, considerans & attendens quod ecclesia beatæ Mariæ Sceleriarum, tum ex defectu temporalium, tum ex immoderato debitorum suorum gravamine, ad filiorum suorum dispersionem cogeretur, intuitu pietatis & misericordiæ ductus, de revocanda fratrum dispersione, & de loci restitutione diligenter apud me tractavi, & eam in manu mea cœpi, & de parvitatis meæ beneficio ad sustentationem fratrum pro salute animæ meæ, & pro remedio bonæ memoriæ patris mei comitis Henrici, & Mariæ matris meæ illustris comitissæ, memoratæ ecclesiæ dedi decem modios frumenti, assignatos apud Nogentum super Sequanam, & apud Fontemmacon reddendos annuatim ad festum S. Remigii. Addidi etiam & contuli eidem ecclesiæ pro vestimentis fratrum decem libras annui redditus in intragio vinorum apud Pruvinum reddendas fratribus annuatim in nundinis S. Aygulphi de primis nummis qui inde provenient. Dedi etiam memoratæ ecclesiæ 16 sextarios vini apud Barbonam in vinagio assignatos ad opus sacramenti missarum. Quod ut notum permaneat, & ratum teneatur, litteris annotatum, sigillo meo confirmavi. Actum Trecis, anno Verbi Incarnati 1190.

XLVI.

Ex autographo.

Charta de domo de Paaine *concessa monialibus B. Mariæ Trecensis.*

1192. BARTHOLOMÆUS[a] Dei gratia Trecensis episcopus, omnibus ad quos litteræ præsentes pervenerint in Salvatore salutem. Si circa domos & ecclesias nobis commissas destituta restituimus & restituta conservamus, profecto id ad quod sumus constituti perficimus. Super hoc igitur nos vel aliqua vice vigilantes & domum Dei quæ dicitur *de Paaine*[b] sub prava & enormi habitantium cura diu languisse considerantes, in regularis observantiæ custodiam eam dignum duximus esse reducendam. Inde est quod precibus abbatissæ venerabilis eclesiæ beatæ Mariæ Trecensis ejusdemque conventus supplicationi condescendentes, quamplurimorum tamen discretorum consilio id agentes, prædictam domum cum appenditiis suis & pertinentiis omnibus præfatæ abbatissæ & ejusdem conventui universisque eisdem successuris in perpetuum possidendam concessimus. Ne hoc autem mundana fragilitate depereat, sed stabile ratumque permaneat, sigilli nostri impressione muniendum esse decrevimus, anno ab Incarnatione Domini M. CXCII.

XLVII.

Ex autographo.

Alia charta ejusdem Bartholomæi.

EGO Bartholomæus Trecensis episcopus, beati Stephani decanus totumque ejusdem ecclesiæ capitulum, notum facimus tam presentibus quam futuris, quod nos permisimus fieri matrimonium inter Silvestrum filium Andreæ ad pedem hominis beati Petri ex una parte, & Arenburgem filiam Terrici hominis nostri facta commutatione duarum mulierum, quarum una, scilicet Hildeburgis filia prædicti Andreæ hominis beati Petri, erit nostra, & altera scilicet Aremburgis filia memorati Terrici hominis nostri, sub justitia & dominio capituli B. Petri in perpetuum permanebit. Quod ut ratum permaneat, & firmum teneatur, sigilli nostri roboravimus munimento. Actum anno Incarnati Verbi M. CXCII.

[a] Bartholomæus de Planceyo seu Plancineio ortus ab antiqua & nobili stirpe *de Plancy*.

[b] *Payens* seu de Paganis, Trecis duabus leucis distans.

XLVIII.

Litteræ Bartholomæi episcopi pro canonicis Pruvinensibus.

BARTHOLOMÆUS Dei gratia Trecensis episcopus omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, in domino salutem. Notum facimus præsentibus & futuris quod cum quædam querela inter prædecessorem nostrum M. Trecensem episcopum & canonicos Pruvinenses super quadam decima *de Loan* diu ageretur, abbas Pruliaci & abbas Joiaci quibus causa erat a sede apostolica delegata, prædictos canonicos in possessionem miserunt. Interim vero præfato M. prædecessore nostro naturæ debitum persolvente, nos jus canonicorum super præfata decima cognoscentes eamdem decimam ecclesiæ B. Quiriaci libere & quiete perpetuo possidendam concessimus & quitavimus. Memorati vero canonici nobis concesserunt quod singulis annis Dominica qua cantatur *Oculi mei* quandiu vixerimus & post mortem nostram die aniversarii nostri sæpedictæ decimæ proventus canonicis officio astantibus distribuentur. Et ut hoc ratum & firmum teneatur, litteris annotatum sigilli nostri roboravimus munimento. Anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo secundo. 1192.

XLIX.

Charta Garnerii episcopi de ecclesia parochiali sancti Albini paraclito concessa.

GARNERIUS Dei gratia Trecensis episcopus, universis ecclesiæ filiis præsentes litteras inspecturis salutem in eo, in quem conspicere angeli satiantur. Cum ibi locare beneficia debeamus ubi gratia locum invenit, ubi meritum dinoscitur respondere, numerantes innumera liberalitatis obsequia quæ tam domina quam filia charissima nostra in christo Milezendis, meritis & honestate commendabilis alti sanguinis ingenuitate spectabilis, paraclitensis nobis abbatissa impendere non cessavit, pensantes etiam devotionem, quam erga nos & nostros habebant tam universæ quam singulæ sanctimoniales quæ in eodem cœnobio Domino famulantur, prædictæ abbatissæ, suisque sororibus dedimus parochialem ecclesiam S. Albini cum pertinentiis ejusdem, & eis eamdem de voluntate & assensu dilecti consanguinei nostri Galteri archidiaconi ejusdem loci, concessimus jure perpetuo possidendam &c. Actum anno 1193. 1193.

L.

Ex chartario Paracliti.

Litteræ Garnerii Trecensis episcopi de donis factis Paraclito in dedicatione ecclesiæ, & quando sanctimoniales oratorium ingressæ sunt.

GARNERIUS Dei gratia Trecensis ecclesiæ humilis minister, dilectis in Christo filiis: paternæ dilectionis affectum nostis charissimi; noverunt omnes quanto majorem sollicitudinem & curam filiabus suis unusquisque impendere debeat quam filiis, quarum & infirmior est sexus & ignominiosior lapsus; Dominus autem qui utrumque sexum redimere venit, & de muliere nascendo quantum infirmioris sexus virtutem dilexerit, patenter exhibuit, non solum filios, sed etiam filias spiritales proprias videlicet sponsas suas providentiæ nostræ commisit, & maxime Para- 1194.

Digitized by Google

clitensibus ancillis Christi quæ sub Dei & nostra protectione degunt, debemus specialiter curam impendere. Sed quoniam de proprio earum inopiæ sufficere non valemus, hoc unum saltem eis indulgemus ut qui in redditibus decimis ecclesiarum sæculares viri per violentiam tenent; si hæc illis concesserunt ipsæ nostra donatione hæc libere habeant. Milo dominus Nogentii in cujus territorio Paraclitense constructum est oratorium, ei loco donavit culturas tres, unam inter Brusletum & viam, alteram juxta Carmam, tertiam juxta viam Tiagnelli ad sinistram; concessit insuper prædicto loco quæcumque homines sui de universo feodo suo ei darent; dedit etiam usuarium nemoris sui de Monte-Morvei omni tempore ad omnia necessaria ipsius loci, necnon & totum mareschium in rivieria Ardutionis loco illi adjacens, tam ad hortos faciendos quam ad cætera necessaria quæ omnia in dedicatione ipsius oratorii seu benedictione cymiterii, & omnimodam immunitatem totius loci coram omni populo qui aderat in manu domini Trecensis episcopi posuit, & sic in perpetuum confirmavit, præsentibus istis Hilduino decano, Hilduino magno, Stephano *Ridel*, Rainaldo *Carnail;* die insuper illo quo sanctimoniales oratorium ingressæ possederunt, donavit eis piscaturam totam Ardutionis flumen penitus immunem a S. Albino usque Quinceium, qui etiam pro comitissa nepte sua in sanctimonialem suscepta dedit furnum de S. Albino cum usario nemoris quod furnus habebat, præsentibus Ansello de Triagnello, Milone sancto & Petro fratre suo; pro anima Hugonis filii sui ibidem sepulti, dedit culturam ad *Noereth* cum tertia parte molendini de Guaninoneriis, præsentibus illis qui sepulturæ affuerunt, Milone videlicet sancto, Petro fratre ejus, Rainaldo *Cernail,* Harduino. Simon de Nogennio dedit de alodio suo culturas, unam in qua ipsum oratorium constructum est, & aliam in monte Limarsum, in præsentia Hilduini decani & Milonis de Nogennio. Hubertus de Nogennio duo jugera terræ ante ipsum oratorium per manum Milonis de Nogennio, præsentibus Rainaldo *Cernail* & Saslio. Harduinus de Trecis particulas quasdam terræ quas habebat juxta ulmum per manum domini Milonis, præsentibus Hilduino decano, Milone sancto & Harduino de Nogennio. Josbertus de Maarnaio culturam de Fonte-aman; Rainaldus frater ejus totam terram quam habebat in parochia Quinceii ex utraque parte Arducionis fluvioli, per manum domini Milonis, præsentibus Arduino decano, Aalelmo & Johanne sacerdotibus & Rainaldo *Cernail;* Garinus præpositus de Nogennio molendinum de Brusleto per manum domini Milonis; Milo sanctus pro filia comitissa dimidium furnum Quinceii per manum domini Milonis, præsente domino Ansello & Petro sancto; pro alia filia sua Agnete vineam *Boloel* de Calceto quam comes Theobaldus viginti quinque solidis redemit, laudante domino Milone. Harduinus de Mairiaco pro anima uxoris suæ ibi sepultæ & pro susceptione filiæ suæ Euphemiæ, quidquid tenebat circa Sequanam de feodo domini Milonis de Nogennio, præsente ipso Milone, Herberto Crasso & Johanne de Curomani, & Galcherio de Mairiaco. Huldiernis de Quinciaco tria jugera terræ a Buissenum, præsentibus Hulduino decano, Bartholomæo sacerdote, domino Milone & Godefrido præposito. Josbertus filius Vagonis ad conversionem veniens, terram quam habebat apud Fontinetum-petrosum, & apud Brocium Vagonis & in valle *Faiel,* in præsentia Arnulfi de Insulis, Galterii *Belet* & Radulfi *Boissuns.* Radulfus *Maridon* pro matre sua quatuor oschas apud Ferroum, teste & fidejussore Joiffrido Esuente, præsentibus Joiffrido Esuente filio suo & Guillelmo filio Adolinæ de Braio. Mater Aganonis *Ecornai* decem jugera terræ alodii sui apud Bocemiaium, Maria de Balbusia tertiam partem molendini apud pontes,

A & sextam partem molini *Boyaut*, & totam piscationem quam ibi habebat; affuerunt Agano presbyter, Simon de Balbusia, *Agano-Painetvin*, & Petrus de Tornella: dedit etiam terram quam habebat apud Pomerulos. Venerabilis & Deo dilectus comes Theobaldus unum modium frumenti in molendinis suis ad pontes, & totam piscationem; Herfridus de Callestra pro filia sua vineam unam, & duodecim denarios census apud S. Ferreolum, testibus Johanne sacerdote *Tirant*, Garnerio majore; Robertus de Calestra partem suam vineæ cujusdam pro anima sua, testibus Johanne sacerdote, Herfrido & Constantio; fœmina Dulcia nomine de Calestria partem vinearum quam ibi habebat, & quinque solidos census concedentibus filia sua & genero suo Constantio; Odo de Villa-nixa pro
B sorore sua Hersendi quinque solidos census de alodio suo in eadem villa ad festum S. Remigii, in præsentia comitis & Joffridi *de Bollepoth* & Tancræ de Brayo; Hildeburgis de Evilleyo pro filia sua Eloysa tres solidos ad montem Potarium, præsentibus Mainardo Ernulpho de Ruilleyo & Petro de Fontineto concessu liberorum suorum; Joifridus *Evantez* terram *de Culoyson*, præsentibus domino Milone de Nogennio, Harduino & Reginaldo *Carnail;* Reinaldus filius Milonis totam terram quam habebat apud Murgerios, præsentibus domino Milone & Milo sancto & filio ejus Freerio, & Freerio fratre ipsius Reinaldi, & Huldino decano; Guilermus *de Curguiolt* usuarium nemoris sui tam ad ædificium domorum quam ad pastum porcorum, & ad omnia necessaria, & quinque
C solidos in ponte Baldimenti ad festum S. Remigii, & quidquid habebat in prato *Godelen*, & sex solidos in molino *de Canturane;* dedit etiam pro filiabus suis duas partes decimæ & custodiam grangiæ & tractum, & quidquid habebat in atrio, teste & concedente fratre ejus Galeranno & Petro avunculo ejus de Novo-vico, Johanne *de Curguiol* & Roberto de Villa-nova cognatis ejus; Paganus de Herbleyo pro filia vineam *de Saldon* & facturam vineæ, & tres solidos census, testibus Galterio de Curti-mara & filiis ejus Philippo & Galterio, Roberto de Villa-nova, & Normanno fratre ejus, & Harraceno; dederunt etiam Guilermus & Paganus fidejussores Petrum de Novovico, Robertum de Villa-nova & Normannum de Cammmerulo; Salo de Suleyo terram de villa *Peet*,
D Petrus Joiseta totam terram de Teilleyo, præsentibus domino Milone de Nogennio, Galcherio de Mairiaco, Milone *de Curtenolt* & Freerio nepote domini Milonis concessu matris & liberorum suorum qui etiam concesserunt eis quidquid de feodo ipsorum acquirere poterunt; Girardus Berengarius usuarium nemoris de Poisseio, tam ad ædificium domorum quam ad pastum porcorum, & ad quæcumque necessaria, laudante Elia domina de Villa-mori, & concedente Elisabeth uxore ejusdem Girardi, & matre ejus Hermengardi; Otrannus filius Falconis pro Agnete sorore sua molendinum *de Bassaon* per manum Thomæ avunculi sui, testibus Hulduino decano, Milone sancto, Stephano *Ridel* & Fromondo de Pomeris; comes Theobaldus molendinum de fonte Aniam, dimidium emptum a canonicis S. Gregorii,
E laudante domino Milone de Nogennio, & testibus Freerio sancto & Sthephano *Ridel;* Josselinus Molinarius & Hersendis uxor ejus ibidem sepulti, partem quam habebant in molendino Pagani de Ferrohum, testibus Herberto Pellipario & Herberto filio ejus; Huguo de Regiis medietatem minutæ decimæ sancti Albini, & medietatem candelarum in Purificatione B. Mariæ, & postea medietatem magnæ decimæ; Radulphus *Buissons* quartam partem decimæ tam magnæ quam minutæ de *Aventz;* Petrus sanctus pro susceptione filiæ suæ quartam partem decimæ & quod habebat in oblatione ecclesiæ *de Trenqueiel;* Radulphus *Maridon* quartam partem ejusdem decimæ & quidquid habebat apud *Aventz*, & minimam decimam

de Trenquelel, & tertiam partem oblationis & censum A atrii & quidquid habebat in decima Parrigniaci; Maria de Balbuza quidquid habebat in minuta decima & in decima vini, & in oblatione altaris, & in magna decima; pro filia sua medietatem illius partis quam pater suus tenuerat, & Gascio filius ejusdem Mariæ tertiam partem ejusdem decimæ; Hagano *Painetvin* tertiam partem ejusdem decimæ; Fulcherius Burda pro anima filii sui Josfridi quidquid habebat apud S. Petrum in decima tam vini quam annonæ; Gascio filius Bove tertiam partem decimæ Quincei & decimæ partem quam soror ejus habuerat apud Ulmellos; Guillelmus *de Curguiolt* pro filiabus suis duas partes decimæ & custodiam grangiæ, & quidquid habebat in atrio; Radulphus Javis pro nepte sua quidquid habebat in decima de Villagruis, & Odo frater ejus B in eadem decima tres sextarios frumenti & tres sextarios siliginis; Galterius *de Curtimain* unum sextarium frumenti & alterum siliginis in decima ejusdem villæ pro nepte sua; Stephanus *Ridel* pro filia sua tertiam partem utriusque decimæ Nogennii, & turtellos ecclesiæ ejusdem castri in crastino Natalis Domini, & in Purificatione S. Mariæ omnes candelas & cereos & residuum cerei Paschalis; idem quoque Stephanus duas partes decimæ apud Aurigniacum, & custodiam & tractum grangiæ & baltum & volugranum & vaspale & paleas & stramen; Hilduinus Braidis tertiam partem decimæ de Occyo & tertium tractum, & decimam Malpiniaci; Prosania filia Hugonis & Hermensendis defunctorum dederunt propinqui partem decimæ de Ulmellis quam mater tenuerat, & terram C de Grevis, & duos solidos census apud Senones; Garinus *de Triegnel* pro se ipso totam minutam decimam de S. Flavito, & pro filia sua tertiam partem magnæ decimæ; Hugo de Bliva quartam partem decimæ *de Avenz* tam magnæ quam minutæ. Hæc autem bona superius memoratæ ecclesiæ collata, rata, firma & immobilia in perpetuum esse decernimus, & auctoritate nostra & impressione sigilli nostri confirmamus, salvo per omnia jure Trecensis ecclesiæ. Anno ab Incarnatione Domini M. CLXXXXIV.

L I.

Ex autographo quod in archivo monialium asservatur.

Concessio facta monialibus de Bricol *ab episcopo Trecensi.* D

1196. GARNERIUS Dei gratia Trecensis episcopus, universis præsentes litteras inspecturis salutem in vero salutari. Noverit universitas vestra quod nos pensata devotione quam habebant erga nos carissimæ in Christo filiæ Ida abbatissa & sanctimoniales quæ sub ipsius regimine in novella ecclesia beatæ Mariæ de Bosco se Deo sacrificium obtulerunt, eis parrochialem ecclesiam de Castellione cum omnibus pertinentiis suis de resignatione Theobaldi presbiteri nostræ donationi vacantem, volente & consentiente dilecto consanguineo nostro G. ejusdem loci archidiacono devote contulimus & concessimus, salvo jure episcopali libere & quiete in perpetuum possidendam, hoc videlicet modo quod post decessum dicti T. E quem ad præsentationem dictæ abbatissæ de cura ejusdem ecclesiæ post modum investivimus tanquam abbatiæ redditum & devotum, sæpe dictæ abbatissæ & ei in administratione ecclesiæ successuris licebit unum de fratribus suis presbiterum ad curam suscipiendam nobis & nostris successoribus præsentare. Ad hujus itaque donationis nostræ perpetuam firmitatem presens scriptum sigilli nostri fecimus patrocinio roborari. Actum anno Incarnati Verbi MC. XCVI, mense Junio.

L I I.

Charta Radulfi abbatis Belli-loci.

Ex chartaria Claravallensi.

NOTUM sit omnibus præsentibus & futuris, quod cum ego Radulphus de Bello-loco me aliquando 1197. a cura jam dictæ domus subtraherem, & ad vitam privatam & magis securam me transferrem, fratres mei mihi de communi consilio providentes grangiam *de Belinfay* cum omnibus utilitatibus & pertinentiis mihi quoad viverem contulerunt; processu vero temporis domnus Hugo qui in cura domus de Bello-loco mihi poximus successit, & totus domus suæ conventus meo apposito consilio & assensu prævidentes domus suæ utilitati fratribus Clarævallis supradictam grangiam vendiderunt; cum igitur ego apostolico mandato sim in gradum pristinum revocatus venditionem prædictam de grangia *de Belinfay* quam me & laudante & volente fecerunt prefati Hugo tunc abbas & conventus domui Clarævallis, iterum laudo iterum approbo & concedo & rei hujus testimonium huic paginæ sigillum meum appono. Actum anno Verbi Incarnati M. CXCVII. Sub iis testibus domino Johanne quondam archiepiscopo Lugdunensi cujus sigillum ad preces meas est inferius appensum, &c.

L I I I.

Pacta conventa inter Theobaldum comitem Trecensem & canonicos B. Petri Trecensis.

EGO Theobaldus Trecensium comes Palatinus, 1198. universis præsentes litteras inspecturis. Notum facio quod discordia quæ erat inter me & canonicos B. Petri Trecensis, vertebatur super justitia hominum suorum compromissione facta, & a jam dictis canonicis in Dominum Senonensem Michaëlem archiepisc. & Gaufridum marescallum Campaniæ receptis ex utraque parte testibus terminata est in hunc modum. Si quis conqueritur de aliquo hominum B. Petri qui non sit de liberis servientibus capituli, ipse homo ire debet ad citationem præpositi mei; sed si de aliqua querela agatur contra eum, non respondebit ibi nec remanebit, sed in curia canonicorum querela audietur & terminabitur, & de omnibus querelis & admissionibus homines capituli non nisi coram canonicis respondebunt. Si ego iturus sum in exercitum aut expeditionem in propria persona pro negotio proprio per litteras meas vel per credibilem nuntium mandabo canonicis ut homines suos submoveant & hoc faciant canonici, & ad ipsorum submonitionem ibunt homines & aliter non & me ipso incunte. Diffinitum est etiam quod hæc est libertas claustri B. Petri & domorum in quibuscumque canonici manent, sive in claustro, sive extra claustrum, quod nec furem, nec falsam mensuram, nec aliquam aliam rem poterit præpositus meus, vel aliquis alius capere in eis, nec aliquid justitiæ habebit in eis, nec aliquis ex parte mea: omnes etiam servientes canonicorum qui de bonis eorum vivunt in domibus suis liberi sunt ab omnibus consuetudinibus & clamoribus & ab omnibus servitiis, & hanc libertatem habent tres servientes capituli, scilicet Granetarius, cellarius & major eorum. Si quis autem omnium istorum in justitia mea captus sit vel deprehensus ad præsens & cognitum delictum, justitia erit mea: si vero delictum negetur præpositus meus vel servientes mei hominem captum recredent, & in curia canonicorum probabunt delictum & probata veritate ego justitiam obtinebo. Quod ut ratum & inconcussum maneat, litteris annotatum sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo octavo.

Digitized by Google

L I V.

Concessio facta ecclesiæ S. Lupi de domo Dei de Chaleta cum pertinentiis.

1206. FRATER Droco B. Lupi Trecensis dictus abbas, & totus ejusdem loci conventus, omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod venerabiles patres, & domini nostri, Milo decanus & capitulum ecclesiæ sancti Petri Trecensis considerantes quod domus de Chaleta multis oppressa debitis ad tantam devenisset inopiam & defectum, quod ejusdem domus tam fratres quam sorores in variis locis dispersi fuissent, nec ibidem Deo serviretur, nec regularis ordo sicut antiquitus observaretur, prædictæ domus miseriæ compatientes & desolationi, cum eidem domui non posset altero modo melius subveniri, ipsam cum omnibus pertinentiis suis nobis & ecclesiæ nostræ salvo jure episcopali & suo concesserunt tenendam in perpetuum & pacifice possidendam, ita quod usque ad decem annos decima pars omnium proventuum & redditunm ad eamdem domum pertinentium dabitur pauperibus domus Dei ibidem antiquitus constitutæ, expletis vero X annis sexta pars eorumdem proventuum præfatæ domui & pauperibus in perpetuum dabitur & assignabitur; concesserunt etiam ut domus Dei de Brena nobis & ecclesiæ nostræ penitus & perpetuo sit subjecta sicut tempore prædecessorum suorum subdita fuit domui de Chaleta. Quod ut ratum & inconcussum permaneat, præsentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Actum anno Incarnati Verbi M. CCVI.

L V.

Ex epistolis Innocentii III, t. 2, p. 132.

Litteræ Innocentii III ad Herveum episcopum directæ de quibusdam præbendis a rege Francorum, sede episcopali vacante, collatis.

1208. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, Herveo Trecensi, episcopo salutem & apostolicam benedictionem, &c. Solet annuere, &c. Ex litteris si quidem fraternitatis tuæ intelleximus evidenter quod licet inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum regem illustrem occasione quorumdam archidiaconatuum & præbendarum, quas quibusdam clericis idem rex ecclesia tua vacante concesserat, emerserit scrupulus questionis, eodem rege firmiter asserente donationes præbendarum ad se, ipsa ecclesia vacante, spectare, idem tamen rex postmodum jus tuum & libertatem ecclesiæ recognoscens, regia benignitate concessit ut archidiaconatus, præbendæ ac alia beneficia quæ ibidem vacare contigerit ecclesia ipsa pastoris officio destituta, donationi substituendi pontificis de cætero reserventur, statuens nihilominus ut de benificiis quæ nuper sede vacante concesserat, tuam faceres voluntatem, libere profitendo se in ipsis nihil juris penitus habuisse. Possessiones insuper & quædam alia tam tibi quam tuis successoribus idem rex auctoritate regia confirmavit; sicut hæc omnia in privilegio præfati regis plenius perspeximus contineri, cujus tenorem de verbo ad verbum præsentibus litteris duximus inserendum. In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri quod carissimus quondam genitor noster Ludovicus Mathæo tunc temporis Trecensi episcopo ejusque successoribus quæ subter annexa sunt in perpetuum concessit & confirmavit, videlicet villam quæ dicitur S. Leo cum appenditiis suis, & quidquid juris idem episcopus habebat in villa quæ dicitur *Avenz*, quicquid juris habebat in villa quæ dicitur *Lanes*, quicquid juris habebat in villa quæ dicitur Angularia, & in-

A sulam quæ juxta eam sita est in flumine Alba, villam quæ dicitur Aquis cum appenditiis suis in ea libertate quæ ipsi Trecensi episcopo a dominis de Villa-Mauri concessa est, videlicet ut cum Trecensem ecclesiam suo antistite vacare contigerit, domini Villæ-Mauri vel ministri eorum de rebus episcopi vel suorum hominum jurisdictionis ejusdem villæ nihil accipient, sed usibus & dispositioni ejus qui illic fuerit subrogandus antistes in sua incolumitate omnia conserventur. Quicquid etiam idem episcopus habebat in villa nuncupata summus fons, cum jure & libertate quam in eisdem locis habuerunt antecessores sui. Præterea libertatem sibi & ecclesiæ suæ a bonæ memoriæ comite Hugone concessam, scilicet ut qui ab eodem episcopo servientes aliquod publicum officium obtinuerint, ab omni justitia & exactione comi- B tum Trecensium ac suorum ministerialium, quandiu officium ipsum habuerint, liberi sint & immunes. Adjecit etiam bonæ memoriæ supradictus genitor noster ut domus episcopales & curtes cum omnibus in eis contentis in obitu episcoporum illam libertatem obtineant quam comes Henricus ei concessisse & confirmasse dinoscitur. Ad hæc, unum modium frumenti quem idem comes Henricus ei de molendinis quæ sub turre sita sunt pro hominibus apud curtes insulæ habitantibus dedit in vigilia Omnium Sanctorum annuatim persolvendum, & unum sextarium frumenti in novis molendinis juxta ecclesiam S. Quintini pro censu quem debet Paganus de Tuso. Furnum quoque in Burgo episcopi in ea integritate libertatis C quam ei memoratus comes Henricus concessit & scripto suo roboravit. Centum etiam solidos quos idem comes Henricus dedit matriculariis ecclesiæ S. Petri in theloneo suo Trecensi singulis annis persolvendos. Grangiam quoque villæ Cestini cum appenditiis suis, quæ acquisivit & acquirere posset. Præterea honorem de Meriaco cum casamentis, terris cultis & incultis, fluviis, aquis, aquarumve decursibus, pratis, pascuis, & nemoribus, servis & ancillis, sicut antecessores ejus ab ipso genitore nostro & suis antecessoribus habuerunt. Casamenta etiam quæ domini de Triagnello, castrum videlicet de Venesiaco, cum aliis quæ ab ecclesia Trecensi habent. Casamenta etiam quæ Guido de Domnipetra & Hugo de Planceo hactenus ab ecclesia Trecensi tenuerunt. Casamenta etiam quæ vicecomes Seno- D nensis & dominus de Chasceneio apud molendinum Leonis tenent. Casamentum quod Odo de Avelleio ab ecclesia Trecensi tenet, cum aliis omnibus quæ hactenus ecclesia Trecensis habuisse dinoscitur. Nos igitur prædicta omnia sicut in privilegio patris nostri continentur confirmamus. Præterea de donatione præbendarum quæ vacarunt in ecclesia B. Petri Trecensis vacante sede illa, quia non inveniebamus aliquem qui vidisset quod nos eas dedissemus aut quod genitor noster piæ recordationis rex Ludovicus ipsius tempore vacantis sedis vacantes dedisset, & quia etiam ex assertione plurium audivimus quod præbendæ archidiaconatus, & alia beneficia tempore illo vacantia futuro reservarentur episcopo Trecensi ad conferendum quibus vellet, concedimus dilecto nostro E Herveo Trecensi episcopo ut ea conferat, & donationem illorum habeat tam ipse quam successores ejus episcopi Trecenses. Concedimus autem eidem episcopo ut de donationibus quas super iis fecimus suam faciat voluntatem, ut pote qui nihil juris in hujusmodi donationibus habebamus. Ut autem prædicta omnia perpetuum robur obtineant sigilli nostri auctoritate, & regii nominis charactere inferius annotato præsentem paginam confirmamus. Actum apud sanctum Germanum in Loia, anno Incarnationis Domini M. CCVII, astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. S. Guidonis buticularii, S. Mathæi camerarii, S. Droconis constabularii. Datum vacante cancel-

laria. Nos igitur devotionem regiam propter hoc in Domino commendantes, & tam concessionem quam constitutionem & confirmationem approbantes ipsius, easdem auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, &c. Nostræ confirmationis, &c. Si quis autem, &c. Datum Laterani VII idus februarii, anno decimo.

Eidem.

JUSTIS petentium, &c. Usque complere. Cum igitur carissimus in Christo filius noster Philippus rex francorum illustris statuerit ut de beneficiis quæ nuper sede vacante concesserat tuam faceres voluntatem, libere profitendo se in illis nihil juris penitus habuisse, ac tu postmodum ipsa personis idoneis assignaris, nos tuis precibus inclinati, concessionem ipsam, sicut canonice facta est, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis, &c. Nulli ergo, &c. Nostræ confirmationis, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum II calendas februarii, anno decimo.

L V I.

Ex epistolis Innocentii III, l. 2, p. 250.

Bulla Innocentii III pro confirmatione possessionum ecclesiæ S. Petri.

1209. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, Herveo episcopo Trecensi, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Cum honestas tua, frater episcope, ac devotio mereantur ut apud nos in tuis debeas petitionibus exaudiri, tanto tibi libentius in iis quæ secundum Deum duxeris requirenda deferimus, quanto gratiam apostolicæ sedis comparasse tibi nosceris pleniorem. Eapropter venerabilis in Christo Frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri Trecensem ecclesiam, cui auctore Deo præesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam de S. Leone, & ipsam villam cum appendiciis & pertinentiis earum, ecclesiam de Aquis & villam cum appendiciis & pertinentiis suis, decimam de Barbereio, decimam capellæ S. Lucæ tam in annona quam in vino, ecclesiam de Caliato, ecclesiam de Villagruis, ecclesiam de Nigella, ecclesiam de Monte-poterii, ecclesiam de Monte-Gevoldi, ecclesiam de Larbusia, ecclesiam de Pontibus, ecclesiam de Nogento, ecclesiam S. Petri & S. Martini de Bocenaio, ecclesiam *de Avenz*, ecclesiam de Mariniaco, ecclesiam de Castris, ecclesiam sancti Saviniani, ecclesiam de Saveriis, ecclesiam sanctæ Mauræ, ecclesiam de Corlavelleio, ecclesiam de Verreriis, ecclesiam de Lusineio, ecclesiam de Bulliaco, ecclesiam de Villamauri, ecclesiam S. Medardi, ecclesiam de Bretteniaco, ecclesiam *de Fols*, ecclesiam de Barbona, ecclesiam de Esterniaco, ecclesiam de Campo-guidonis, ecclesiam de Busseiaco, ecclesiam de Curia-Givoldi, ecclesiam de Tombis, ecclesiam de S. Justo, ecclesiam de S. Ferreolo, ecclesiam de Arceiis, ecclesiam Troci de S. Basolo, ecclesiam S. Ulfi, ecclesiam de Salona, ecclesiam de Calderiaco, ecclesiam de Allebauderiis, ecclesiam de Viaspero cum capella Bonæ-vicinæ, ecclesiam de Grandivilla, ecclesiam de Herbita, ecclesiam de Villeriis, ecclesiam de semonia cum capella campi Grillonis, ecclesiam de Ulmis, ecclesiam de Estraellis, ecclesiam de Bolegiis, ecclesiam de Summovere, ecclesiam de Septem-fontibus, ecclesiam de Puellari monasterio, ecclesiam *de Poenz*, ecclesiam de Nucerio, ecclesiam de Dienvilla, ecclesiam de Crespeio, ecclesiam de Sublenis, ecclesiam de Pigneio, ecclesiam de Hispania, ecclesiam *de Loves*, ecclesiam de Sumpsesio, ecclesiam de sancta Susanna, ecclesiam *de Pipere*, ecclesiam de Guasconia, ecclesiam de Marcilliaco, ecclesiam de Summo-fonte. Præterea canonicales ecclesias ad jus Trecensis ecclesiæ pertinentes, scilicet ecclesiam sancti Nicolai de Sezanna, ecclesiam S. Remigii de Pleiotro, ecclesiam S. Blicherii de Breccis, ecclesiam S. Flaviti de Villa-mauri, ecclesiam sancti Nicolai de Pugeio, ecclesiam S. Laurentii de Planceio, ecclesiam quoque S. Stephani prope civitatem Trecensem, cujus curam Decani ejusdem loci de manibus tuis debent suscipere, cum omni obedientia & subjectione quam tibi tuisque successoribus iidem Decani cum hominii tenentur exhibitione persolvere, auctoritate apostolica confirmamus. Ad instar præterea bonæ memoriæ Eugenii papæ prædecessoris nostri abbatiam S. Lupi, abbatiam S. Petri de Cella, abbatiam S. Martini, abbatiam S. Petri Arremarensis, abbatiam S. Petri de Nigella, abbatiam quæ vulgo dicitur Oia, abbatiam S. Sereni de Cantumerula, abbatiam S. Mariæ de Arripatorio, abbatiam S. Mariæ *de Bullencourt*, abbatiam S. Mariæ de Recluso, abbatiam de Bello-loco, abbatiam de Capella, abbatiam de Basso-fonte, abbatiam S. Mariæ quæ sita est in suburbio Trecassino, abbatiam quæ vocatur Paraclitus, decimam de Molceio, decimam de Marineio, decimam de Jardourio, decimam de Summo-fonte, decimam *de Avantz*, decimam de Villa-Arduini, decimam de S. Leone, decimam de Martileio, decimam de Bretenaio, decimam de S. Victore, decimam de Chellis, decimam de Novo-vico, decimam *de Fontebetun*, & decimam de Busseriis, tibi & ecclesiæ tuæ auctoritate apostolica confirmamus. Ad hæc, cum de prudentum & religiosorum virorum consilio bonæ memoriæ prædecessor tuus statuisse dicatur ut in Trecensi ecclesia septem canonicorum ad minus presbyteri & septem diacones, præter archidiaconos, sint assidui, quibus decedentibus nulli debeant subrogari, nisi præsbyteri, vel diacones, aut etiam alii in talibus ordinibus constituti quod propinquioribus quatuor temporibus quæ occurrunt ad illos ordines assumantur promissione, ac professione nihilominus præstita de assiduitate in prædicta ecclesia facienda, idem Alexander prædecessor noster ejusdem episcopi petitionibus benigne, prout decuit annuendo, constitutionem ipsam ratam habens & firmam, eamdem perpetuis temporibus illibatam manere decrevit, adjiciens quod si eis inferiorum ordinum clerici fuerint substituti, & commoniti primis quatuor temporibus illos ordines non reciperent, liceret dicto episcopo & successoribus suis illis loca sua & fructus interdicere præbendarum; & si nec sic in subsequentibus quatuor temporibus ordines illos recipere procurarent, eis prorsus amotis, alios subrogandi liberam haberet auctoritate apostolica facultatem. Præterea de ipsius episcopi conscientia & voluntate idem prædecessor noster instituit ut si qui canonici Trecensis ecclesiæ in ejusdem episcopi vel successorum suorum, aut etiam in ejusdem ecclesiæ servitio forsan existerent, vel cum licentia jam dicti episcopi & capituli vacarent scholasticis disciplinis, aut essent infirmitate detenti, suarum nihilominus integros fructus perciperent præbendarum, alii vero canonici, qui ecclesiæ assidue non servirent, viginti tantummodo solidos perciperent annuatim. Insuper idem Alexander prædecessor noster adjecit ut tam a præfato episcopo quam a successoribus suis in prædicta ecclesia, cum decano careret, in decanum presbyter canonicus statuatur, aut etiam diaconus, qui primis quatuor temporibus quæ occurrerint in presbiterum ordinetur; & si commonitus in eisdem quatuor temporibus

Digitized by Google

ordinem presbyteri suscipere forte neglexerit, fas præfato episcopo & suis successoribus esset illi auctoritatem & potestatem ipsius officii & sedem in choro & capitulo interdicere; ac si nec sic in subsequentibus quatuor temporibus ordinem presbyteratus susciperet, eo amoto libere alium subrogaret. Nos igitur ejusdem prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, quæ ab ipso super præmissis articulis approbata vel statuta sunt approbando, eadem auctoritate apostolica confirmamus. Ad hæc, ad instar ejusdem Alexandri prædecessoris nostri sancimus ut nec tibi, neque tuis successoribus liceat præscriptas parochiales ecclesias ad mensam episcopi specialiter pertinentes a mensa vestra sine auctoritate Romani pontificis aliquatenus alienare. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Johannis S. Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii, XV kalendas Februarii, indictione XII, Incarnationis Dominicæ anno M. CCIX, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno undecimo.

L V I I.

Charta Simonis de Legniaco de dono abbatiæ Safadini.

1209. NOVERINT universi præsentem chartam inspecturi, quod ego Simon de Legniaco pro remedio animæ meæ & antecessorum meorum Deo & ecclesiæ S. Lupi Trecensis abbatiam Safadini in honore sancti Salvatoris fundatam, cum omnibus tenementis suis in perpetuum libere & quiete possidendam, cum medietate decimarum terræ meæ quam tunc tenebam, largior & assigno. Ut autem hoc donum firmum & ratum permaneat, præsentem chartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc apud Calamatam, anno Domini M. CCIX, videntibus & laudantibus domino Odone, venerabili electo Coronæ, Nicolao presbytero, Haimone canonico Coronæ, magistro Galtero canonico Coronæ & multis aliis.

Quoniam labente temporum curriculo memoria diluitur humana usu accidit nonnullos pro suis possessionibus inique litis sustinere molestiam; eapropter adversus hujusmodi periculum procurans remedium, ego Gaufridus de Villa-hardo Rom. seneschallus abbatiam Sphadini in honore sancti Salvatoris fundatam ecclesiæ B. Lupi Trecensis prius a domino Symone *de Legni*, postea a domino Girardo *de Germignum* eidem ecclesiæ in perpetuam eleemosynam cum omnibus pertinentiis suis datam & concessam, & etiam cum duabus carrutis terræ quas ego prædictæ ecclesiæ pro salute animæ meæ dederam, ita tamen quod sæpe dicta ecclesia unum capellanum continue in supra dicta abbatia habere tenetur. Ne autem in posterum a jam dicto beneficio privari valeat sigilli mei munimine roboravi, adjungens & concedens prædictæ abbatiæ S. Salvatoris medietatem omnium decimarum totius terræ domini G. *de Germignum*, audientibus & videntibus nobilibus viris domino domino *Gileb* Amilcarensium episcopo, domino O. Coroni episcopo, R. *de Brier*, G. *de Trimolai* & pluribus aliis. Actum Incarnati Verbi M. CCIX idus Septembris.

L V I I I.

Charta Guillelmi abbatis Cellensis pro infirmis.

FRATER Guillelmus monasterii Cellæ dictus abbas & totus ejusdem loci conventus, omnibus præsentes litteras inspecturis in Domino salutem. 1217. Quoniam fratres nostri infirmi, senes & debiles multas pati solent indigentias, præcipue cum hoc communis expostcat utilitas, & ad hoc charitatis officio teneamur, salubri consilio providemus & statuimus, eorum afflictioni fraterno compatientes affectu, ut decimæ nostræ de S. Johanne de Bona-valle tam grossæ quam minutæ in usus infirmorum & fratrum nostrorum debilium cedant in perpetuum, & eligatur ab abbate frater idoneus ad hæc recipienda bona fide & fideliter conservanda, qui fratribus infirmis secundum Dei timorem sit solitus providere. Foregium siquidem dictæ grossæ decimæ ad usus animalium nostrorum in grangia nostra de Primeio remanebit, admodiabitur etiam dicta decima de consilio abbatis vel præpositi nostri, & in grangia nostra de Primeio tenetur; bladum vero cedet in usus infirmorum. Cum etiam frater qui providebit infirmis ab abbate fuerit requisitus, coram eo de receptis & expensis computabit. Si quis fratrum infirmus est, ibit in infirmaria de licentia prioris vel alterius loco illius constituti; qui si cibis conventualibus uti non potest, infirmarius ei necessaria ministrabit, præter panem & vinum, donec iterum possit esse cum cæteris in conventu. Si vero ita debilis sit, quod non possit ire in conventu, ut pote claudus, vel cæcus, nimis senex aut debilis, & escas quibus conventus utitur comedere potest, tribus diebus in hebdomada infirmarius ei pitanciam dabit, & in illis diebus nihil percipiet in coquina. Quod ut ratum permaneat, præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine roboramus. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo septimo decimo.

L I X.

De fundatione parthenonis B. Mariæ de Prato.

R. Divina permissione Trecensis episcopus, ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in Domino. 1231. Gratias agimus Salvatori, quod nostris temporibus, per suos fideles, domos religiosas, novasque religionis plantulas instituere non desistit in augmentum fidei christianæ & testimonium veritatis, quibus cum de genere sint bonorum, tanto tenemur facilius consentire, quanto credimus tertius ea ad honorem Salvatoris esse facta. Unde cum de novo in justitia capituli Trecensis & censiva, in quadam grangia Stephani de Campo-Guidonis, quæ vocatur Chicheriacum juxta Trecas, quædam moniales habitum album gerentes esse cœperint, ad serviendum ibidem Creatori, & dictum capitulum aliquando contradixerit, quia id in justitia ipsius capituli, & censiva factum fuit sine eis, & pro his, ut dicebant, possent ibidem jura eorum & ecclesiæ Trecensis deperire, ad quæ servanda specialiter sunt astricti. Tamen bonum jam inceptum nolens capitulum impedire, assensum suum ut dictæ moniales ibi remaneant præbuit, in hunc modum. Dictæ moniales omnino suberunt nobis & successoribus nostris, nec poterunt in censiva, justitia, decimatione, vel dominio ecclesiæ Trecensis, aliquo genere adquisitionis aliquid acquirere, sine speciali licentia & assensu capituli; nec impetrabunt aliquid, aut

aut impetrari facient per se, vel aliquam interpositam personam a D. papa, vel aliquo sedis apostolicæ, per quod jus, vel honor, aut utilitas ecclesiæ Trecensis vel capituli in spiritualibus vel temporalibus minuatur; & si impetraverint vel fecerint impetrari, non valebit ipso jure; nec sine licentia capituli vel assensu poterunt se extendere ad faciendas officinas, vel ædificia ultra fossata quæ nunc temporis sunt ibidem, nec permutare poterunt vel excambire locum illum sine speciali licentia capituli sæpedicti; quod si fecerint, locus ille ad dictum capitulum cum omni jure libere & pacifice revertetur, sicut antea erat, antequam dictæ moniales ibi essent. Præterea dictum capitulum quitavit eisdem monialibus tantummodo justitiam & censum sex denariorum, quos idem capitulum habuit infra fossata grangiæ memoratæ, conventionibus tamen præmissis plenius observatis, retentisque nihilominus penes dictum capitulum justitia, censiva & jure omni quod habet extra fossata dicti loci. In quorum omnium testimonium, nos ad petitionem dicti capituli, necnon & dictarum monialium, sigillum nostrum apponi fecimus huic scripto. Actum anno 1231 mense Augusto.

L X.

Sententia Gregorii IX lata in gratiam monialium de Prato adversus monachos Cellenses.

1234. GREGORIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus priorissæ & monialibus monasterii de Prato B. Mariæ juxta Trecas, salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ a rationis tramite non discedant effectu consequente complere. Oblata si quidem nobis ex parte vestra petitio continebat quod cum olim vos & Stephanum civem Trecensem abbas & conventus monasterii de Cella Trecensis, super eo quod eumdem Stephanum quamdam capellam infra limites parochiæ ipsorum ecclesiæ S. Andreæ contra tenorem privilegii construxisse, & vos in ea in ipsorum præjudicium intrusas esse dicebant, capellam eamdem dirui, & vos etiam exinde removeri petentes; auctoritate nostra coram abbate S. Jacobi de Pruvino & S. Jacobi de Calestria parva prioribus Senonensis diœcesis traxissent in causam, & iidem judices causam ipsam instructam ad sedem apostolicam remisissent; nos partibus præfixo termino comparentibus coram nobis dilectum filium nostrum Sinibaldum tituli S. Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem dedimus auditorem, qui utriusque partis rationibus diligenter auditis, vos & nomine vestro procuratorem vestrum in prædictis ab impetitione dictorum abbatis & conventus duxit sententialiter absolvendas, prout in litteris cardinalis ejusdem inferius annotatis plenius continetur. Nos enim sententiam cardinalis ipsius ratam habentes eam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum præsentibus inserentes qui talis est: Sinibaldus, Dei gratia, tituli S. Laurentii in Lucina præsbyter cardinalis, universis præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Constitutis in præsentia nostra fratre Johanne monacho & procuratore monasterii B. Petri de Cella Trecensis ex parte una, & Jacobo curato de Colaverzeio procuratore priorissæ & monialium de Prato S. Mariæ juxta Trecas ex altera. Idem Johannes pro abbate & conventu supradicti monasterii proposuit quod cum olim litteras apostolicas impetrassent ad abbatem S. Jacobi Pruvinensis & conjudices suos in hac forma: Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati sancti Jacobi Pruvinensis & S. Jacobi de Calestria parva prioribus Senonensis diœcesis, salutem & apostolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum abbatis & conventus monasterii de Cella Trecensis recepimus continentem, quod Stephanus de Campo-Guidonis civis Trecensis infra limites . . . . S. Andreæ quamdam capellam eorum & præsbyteri parrochialis irrequisito consensu construxit contra suorum privilegiorum tenorem temere veniendo, in qua quædam mulieres quæ filiæ Dei vulgariter appellantur auctoritate propria se . . . . eorum præjudicium & gravamen. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi & auditis hinc inde propositis quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia, odio, vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani, quinto nonas Julii, pontificatus nostri anno quarto. Et coram eisdem judicibus libellum porrexissent in hac forma: Dicunt abbas & conventus S. Petri de Cella Trecensis diœcesis contra Stephanum de Campo-Guidonis civem Trecensem, quod ipse quondam in grangia sua capellam sitam infra fines parrochiæ S. Andreæ ad jus patronatus ipsorum Cellensium pertinentis, eorum assensu minime requisito construxit contra privilegiorum suorum tenorem temere veniendo. Unde petunt quod illud quod taliter est ædificatum ab ipso demoliatur. Petunt a quibusdam religiosis mulieribus ibidem autoritate propria intrusis, ut de dicto loco recedant, & ibidem de cætero divina non audiant, cum hoc sit in præjudicium Cellensis ecclesiæ & gravamen. Petunt autem a præsbytero ibidem contra jura dictorum Cellensium celebrante quod in eodem loco de cætero divina non præsumat celebrare. Hæc omnia petunt dicti Cellenses a supradictis personis salvo jure addendi, minuendi, mutandi & corrigendi & etiam declarandi usque ad definitivam sententiam. Et lis super eodem libello & coram eisdem judicibus esset legitime contestata. Confessiones factæ & testes producti. Tandem causa a dictis judicibus fuit ad apostolicam sedem remissa, & partibus terminus assignatus quo se apostolico conspectui præsentarent. Comparens igitur dictus monachus coram nobis, quem dominus papa dedit partibus auditorem, petebat ut secundum quod in libello continetur prædicto ad omnia in eo petita partem condemnaremus adversam. Petitionem suam fulciens jure communi auctoritate privilegiorum sedis apostolicæ & concessionum & declarationum bonæ memoriæ Manassæ & Garnerii episcoporum Trecensium sicut in eorum litteris plenius continetur. Nihilominus etiam ex dictis testium & confessionibus partis adversæ. E contrario vero procurator priorissæ & monialium se priorissam & moniales prædictas, in causa absolutionis esse multis rationibus ostendebat, & maxime cum ex earum habitatione nullum prædicto monasterio præjudicium generetur. Nos autem visis & auditis his & aliis rationibus utriusque partis, deliberatione præhabita diligenti, dictas priorissam & moniales & earum nomine Jacobum procuratorem ipsarum in prædictis ex causis positis in libello per definitivam sententiam absolvimus ab impetitione dictorum abbatis & conventus ac procuratoris eorum; Stephanum autem de Campo-Guidonis licet absentem, ejus tamen absentia Dei præsentia repleta, similiter ab impetitione per deffinitivam sententiam absolvimus eorumdem, ipsum propter ejus contumaciam, summaria cognitione præmissâ, in triginta libris Turonensibus condemnantes. Causæ autem sacerdotis, cum lite pendente sorte humana Dei judicio sit exemptus, duximus supersedendum. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas. Actum Romæ, apud S. Martinum

A in Montibus, in anno Domini M. CCXXXIV, XVI die intrante Martio, indictione VI, pontificatus Domini Gregorii papæ noni, anno VII. Ibi fuere testes Songellus præpositus, Nicolas ..... magister Guillelmus de ..... & Paulus *de Garsignan* capellani dicti domini Synibaldi cardinalis. Dominus Johannes de Verzellis canonicus Belvacensis, & magister Johannes clericus ejus, magister Johannes de Caserta advocatus curiæ, & alii plures. Ego Albertus sacri palatii, notarius interfui, & hanc ex præcepto dicti domini Synibaldi cardin. scripsi, publicavi, & signum meum apposui. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii nonas martii, pontificatus nostri anno octavo.

GREGORIUS papa IX.

L X I.

Moniales de Prato ordini Cisterciensi addicuntur.

1235. DILECTIS in Christo, de Ripatorio, de Bullencuria & de Moris coabbatibus suis frater G. dictus abbas Cisterciensis, salutem & sinceram in Domino charitatem. Cum venerabilis pater N. Dei gratia episcopus & capitulum Trecense contradicant ne moniales de Prato juxta Trecas incorporentur ordini nostro, occasione cujusdam compositionis initæ inter ipsos & dictas moniales, scilicet quod omnino essent subjectæ episcopo Trecensi & successoribus ejus. Tandem bonis viris mediantibus, dictam compositionem temperare intendunt in hunc modum, quod obedientiam dicto episcopo & ecclesiæ Trecensi exhibebunt, & justis sententiis, monitionibus & mandatis ipsius episcopi parebunt in omnibus, quæ non sunt contra libertates ordinis, nec excommunicatos aut interdictos ad aliqua sacramenta, vel divina officia recipient, nec tradent ecclesiasticæ sepulturæ, sed tempore interdicti januis clausis celebrabunt. Quod si in his deliquerint & contravenire præsumpserint, episcopus Trecensis compellere poterit ipsas ad satisfactionem, saisiendo de bonis ipsarum usque ad valorem unius modii frumenti. Et si dictæ moniales in sua contumacia perduraverint, abbas Clarevallis excommunicabit eas, cum a dicto episcopo super hac re fuerit requisitus, si de suis excessibus contumaciter satisfacere recusaverint, & nihilominus dictus episcopus in familias earumdem excommunicationis sententiam poterit promulgare, si dictæ moniales, ut dictum est, in supradictis casibus satisfacere recusarent. Cætera vero contenta in dicta compositione, dummodo non sint contra libertates ordinis fideliter observabunt, & abbatissa dicti loci quando contigerit ipsam benedici, sub religione jam suscepta, promittet quod omnia supradicta observabit, & pro posse suo faciet observari. Hinc est quod mandamus quatinus ad dictam domum pariter accedentes, eam auctoritate generalis capituli, ordini nostro incorporetis, & ibidem abbatissam instituatis, non obstantibus conditionibus prætaxatis. Datum anno gratiæ 1235, mense Januario.

L X I I.

Litteræ Innocentii IV directæ ad Mariam Paracliti abbatissam.

1254. CUM Maria monialis de Paraclito in abbatissam ipsius monasterii assumpta fuisset, locum quem in eodem monasterio velut monialis habuerat, Agneti abbatissæ monasterii de Pomeria Senonensis diœcesis tunc moniali S. Mariæ Autissiodorensis prout ad eam spectare dicitur, conferre curavit. Quia vero dicta Agnete post modum assumpta in abbatissam ejusdem monasterii de Pomeria præfatus locus vacat ad præsens, maxime cum ibidem certus numerus monialium habeatur. Nos obtentu venerabilis fratris nostri archiepiscopi Rotomagensis, qui pro eadem Maria germana sua personaliter apostolicam gratiam imploravit, ipsius Mariæ supplicationibus annuentes, litterarum nostrarum auctoritate sibi duximus concedendum, ut si forte pro infirmitate ac debilitate sui corporis cesserit regimini abbatiæ, prædictum locum aliqua consuetudine, seu constitutione contraria, non obstante ad opus suum, quoad vixerit, valeat retinere. Datum Laterani VII cal. Maii, pontificatus nostri anno XI.

L X I I I.

B *Litteræ reginæ Navarræ de donatione accepta ab abbate Arremarensi.*

EGO B. Dei gratia regina Navarræ, Campaniæ & Briæ comitissa Palatina, notum facio omnibus quod de quadringentis & sexaginta libris quas homines de Chaorsia dederunt carissimo filio meo Th. regi Navarræ, dedit mihi abbas Arremarensis Robertus medietatem quam de jure debebat habere, ut dicebat, secundum testimonium chartæ comitis Henrici. Et ne huic chartæ super hoc præjudicium fieret in futurum, ad petitionem dicti abbatis præsentes litteras fieri volui in testimonium hujus rei, videlicet quod partem suam scilicet medietatem quam C in prædictis quadringentis sexaginta libris de jure debebat habere, ut dicebat liberaliter mihi dedit. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini M. CCLV, die Dominica in festo Decollationis sancti Johannis Baptistæ. 1255.

L X I V.

De uno sancto corpore Thebeæ legionis ecclesiæ Arremarensi concesso. Cartular. Arremar.

NOS G. miseratione divina abbas sancti Mauritii Agaunensis, notum facimus universis quod nos considerata & frequenter inspecta religiosorum virorum reverendi patris in Christo domini R. Dei gratia abbatis monasterii Arremarensis, totiusque ejusdem D loci conventus perspicua & honestissima totaliterque Deo dedicata vita & conversatione, unum sacrosanctum corpus beatæ Thebeæ legionis sub Maximiano imperatore ad fidem Christianam passæ quæ in ecclesia nostra Agaunensi requiescunt anno Domini M. CCLXXXVII, VI idus Junii, in monasterio Arremarensi prædicto, licet tantum sanctuarium tangere immeriti, propriis manibus duximus reponendum, & in verbo religionis & veritatis testificamur prædictum sacrosanctum corpus inter corpora sanctorum martyrum Thebeæ legionis assumsisse, & nos in monasterio Arremarensi prædicto, ut ibidem cum regulari devotione servaretur personaliter detulisse. In cujus rei testimonium nos prædictus abbas Agaunensis E sigillum nostrum una cum sigillo religiosi viri fratris Petri eleemosynarii ecclesiæ nostræ prædictæ qui omnibus prædictis una nobiscum interfuit, apposuimus huic scripto. Datum idibus & anno supradictis in monasterio Arremarensi supradicto. 1287.

L X V.

Bulla papæ Clementis de unione monasterii Oyensis cum monasterio Cellensi. Ex Chartulario Cellensi.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui monasterii Celiæ, ordinis S. Benedicti, Trecensis diœcesis, salutem & 1342.

& apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis providentia circumspecta utilitatem & bonum statum ecclesiarum & monasteriorum omnium diligenter affectans, ad eorum commoda totis studiis libenter intendit, & iis præsertim quæ pro relevatione religiosorum locorum quodam modo collapsorum, ac eorum statu prospero reformando facta provide dignoscuntur, libenter robur adjicit apostolicæ firmitatis. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod olim pro parte dilectorum filiorum prioris tunc abbatis, & conventus prioratus tunc monasterii Oyensis, ordinis S. Benedicti, Trecensis diœcesis, quondam Johanni electo Trecensi exposito, quod redditus & proventus dicti tunc Oyensis monasterii per invasiones aliquorum magnatum, a quibus tam ipsi quam eorum prædecessores gravati hactenus fuerant multipliciter & oppressi, adeo erant tenues & exiles, quod ad ipsius tunc monasterii supportanda onera, & ad maxima debita persolvenda, quæ de die in diem sub usuris gravissimis augebantur, & ad monasterium & alia eorumdem ædificia reædificanda, quæ tam per incendium fortuitum quam per antiquitatem nimiam quasi diruta extiterant penitus & destructa, & ad hereditagia reparanda quæ propter defectum culturæ ob maximam inopiam eorumdem inculta penitus remanebant, nequiebant sufficere, quodque propter defectum victualium in ipso tunc monasterio cultus diminuebatur divinus, non servabatur obedientia nec regularis etiam disciplina; propterque necesse habebant, nisi eisdem succurreretur celeriter evagari pro victualibus & aliis eorum necessariis perquirendis; & quod pro eo quod hujusmodi eorum evidentibus & notoriis ac manifestis necessitatibus per eos non poterat aliquatinus subveniri, ipsi in eorum capitulo ad hoc specialiter congregati ejusdem tunc monasterii Oyensis utilitate pensata; & ut altissimo ibidem redderetur debitus famulatus, & etiam ut succurreretur eorum necessitatibus, & ab ipsorum relevarentur oppressionibus supradictis, omnes unanimes & concordes communicato prius peritorum consilio & deliberatione præhabita diligenti, voluerant & expresse consenserant quod dictum tunc monasterium Oyense cum omnibus personis patronatibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus, bonisque adjacentibus, & ad illud pertinentibus quibuscumque vestro monasterio perpetuo uniretur ac eidem electo & cæteris aliis ad quos pertinere poterat humiliter supplicato, ut dictæ unioni non solum ipsi tunc monasterio Oyensi utili, sed etiam necessariæ benignum impertientes assensum, unionem ipsam facere & complere, ac dictum tunc Oyense monasterium prioratum monasterio vestro prædicto immediate subjectum manendum sub obedientia abbatis ipsius vestri monasterii qui foret pro tempore ordinare, dictusque electus de præmissis in veritate niterentur, & utrum dicta unio, seu subjectio esset expediens utilis & necessaria diligente prius inquisitione facta, ac super iis dilectorum filiorum capituli ecclesiæ Trecensis, ac abbatis dicti vestri monasterii qui tunc erat, necnon nostri filii conventus requisito & obtento consilio & assensu, ac super præmissis deliberatione præhabita diligenti dictam unionem decrevit tanquam utilem, honestam & necessariam existere faciendam, ac dictum tunc Oyense monasterium cum omnibus ejus membris juribus, adjacentibus villis, domibus & prioratibus, si qui essent, grangiis, patronatibus, redditibus, exitibus, proventibus, obventionibus, ceterisque universis bonis de consensu dictorum capituli præfato vestro monasterio annexuit & subjecit perpetuo, & munit: & ut nihil de cultu divino in eodem tunc Oyensi monasterio minueretur, sed Deo & sancto Godoni dicti tunc Oyensis monasterii patrono redderetur debitus famulatus, de ipso tunc monasterio Oyensi creavit & fecit prioratum conventualem, ac in prioratum conventualem redegit sub certo numero monachorum immediate subjectum dicto vestro monasterio, & sub abbatis ipsius, ac successorum suorum qui forent pro tempore obedientia perpetuo permanendum; & quod ipsius prioratus conventualis ad abbatem vestri monasterii & successores prædictos institutio & destitutio pertineret in perpetuum pleno jure, ac abbas vestri monasterii, & successores prædicti ad ecclesias patronatus ejusdem olim Oyensis monasterii personas idoneas præsentarent, officiaque conferrent ipsius, prout abbas ipsius tunc monasterii Oyensis consueverat facere usque ad tempus unionis seu subjectionis ejusdem, prout in autenticis litteris inde confectis ejusdem electi sigillo munitis, quorum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicastis ut unionem subjectionis & alia supra dicta per eumdem electum cum tanta deliberatione ac maturitate loci utriusque facta ad hoc ut stabilius & firmius perpetuis futuris temporibus perseveret confirmare auctoritate apostolica dignaremur.

Nos itaque vestris in hac parte supplicationibus inclinati, quæ super præmissis omnibus & singulis ab eodem electo facta sunt rata & grata habentes, ea auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, ac personas scripti patrocinio communimus, decernentes irritum & inane quidquid contra unionem & subjectionem prædictas attemptatum est hactenus, vel contigerit imposterum attemptari, supplentes etiam omnem defectum si quis ex quacumque causa in præmissis, vel eorum aliquo intervenisset quomodolibet de apostolicæ plenitudine potestatis, non obstantibus lite quæ inter te, fili abbas, & dilectum filium Petrum Fortis præsbiterum per te, abbas prædicte, ad ecclesiam de Aunayo super Maternam de jure patronatus dicti olim Oyensis monasterii existentem, Catalaunensis diœcesis, vigore unionis seu subjectionis hujusmodi præsentatum ex parte una, & venerabilem fratrem nostrum episcopum Catalaunensem, ac dilectum filium Mathæum de Virtuto clericum dictæ Catalaunensis diœcesis super eadem ecclesia conjunctim vel divisim ex altera, ex qua usque ad præstationem juramenti de calumnia, & ad certos alios actus est processum, & quibuslibet aliis litibus occasione unionis & subjectionum prædictarum subortis, quibus per hæc nullum volumus præjudicium generari.

Datum apud Villam-novam, Avenionensis diœcesis, x calendas septemb. pontificatus nostri anno 1.

LXVI.

De unione abbatiæ Jardini monasterio Joyaci.


LUDOVICUS regis quondam Francorum filius, dux Aurelianensis, comesque Valesii, Blesensis & Bellimontis, ac dominus Conciaci, notum facimus universis præsentibus pariter & futuris, nos vidisse litteras formam quæ sequitur continentes. Nos frater Jacobus abbas monasterii Cistercii, Cabilonensis diœcesis, ceterique abbates definitores capituli generalis nostri Cisterciensis ordinis, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod anno nuper lapso in nostro dicti Cisterciensis ordinis capitulo generali Cistercii celebrato facta fuit, & est quædam definitio, cujus tenor sequitur in hæc verba: Quoniam observari discretio debet in numero religiosorum in monasteriis ponendorum, ut videlicet tot simul & non plures cohabitent qui unum possint ordinare, ne vel excusante paupertate vivant irregulariter, vel pro multitudine cohabitantium necessitatibus eorum illicita quærere compellantur, sed dum quærunt plura, exterior cura crescit, per diversas regiones ecclesiæ beneficia sparguntur, & pro regendis ipsis fratres necessario sparsi subsequuntur, soli inter sæculares habitant, 1403.

& nolentes pati fraudem, judicio contendere sunt parati. Qui vero per cellulas duo vel tres, vel etiam quatuor aut quinque simul habitant, claustrali non coarctantur lege, sed pro libito plerumque suo vivunt, & inter gentes commixti discunt eorum vitam & opera, & inter saeculares divers . . . . . . serviunt sculptilibus vitiorum, ac religionis statuta & ordinis formam, ac observationes devotas, nedum non observantes, pene penitus obliviscuntur: propter quod nostri antiqui patres sancti salubriter, imo necessario propter observantiam regulae S. Benedicti, secundum quam regulam nos omnes solemniter vivimus & promisimus conversari, statuerunt in diffinitionibus per eos editis, ut ad novam abbatiam minus quam duodecim monachi cum abbate tertio decimo non mitterentur, ipso loco prius domibus, libris & aliis necessariis sic aptato, quod ibi competenter vivere possent & regulam observare, quodque minora monasteria tam monachorum quam monialium, in quibus non possent congrue sustentari duodecim monachi vel moniales ibidem assidue residentes, ut per omnia possent communia statuta ordinis observare, patres abbates committerent aliis monasteriis & unirent. Cum igitur monasterium monialium de Jardino Trecensis dioecesis immediate Cistercienci subjectum monasterio sit adeo tenuiter redituatum & bonis temporalibus insufficienter dotatum, quod nullatenus aut vix in eodem monasterio possit dictus numerus monialium cum personis eis propter sua spiritualia temporaliaque negotia procuranda necessariis ad vitam suam transigendam sufficienter procurari seu commode sustentari, generale capitulum propter hoc & alia plura ipsum ad hoc merito inducentia, multum juste unit, incorporat & annectit dictum monasterium de Jardino monasterio Joyaci eidem satis propinquo pro grangia vel cellario faciendis, abbati dicti monasterii de Joyaco committendo, praecipiens & injungens idem capitulum quatinus abbatissam, moniales & caeteras personas regulares quae nunc sunt dicti monasterii de Jardino emittat auctoritate dicti capituli extra dictum monasterium ad alia singula monasteria monialium dicti nostri ordinis, quae potentia sint ad sibi necessaria sicut caeteris suis monialibus ministranda, & in eisdem singulis monasteriis faciat eas recipi regulariter quamdiu vixerint commorandas, possessionemque dicti monasterii de Jardino veram, manualem & realem redituum, proventuum, fructuum & emolumentorum, bonorum, haereditagiorum, possessionum, rerum ac pertinentiarum mobilium & immobilium ejusdem accipiat ac intret pro se & suo conventu ac monasterio Joyaci per censuram ordinis

A invocato ad praemissa & infra scripta si opus sit auxilio brachii saecularis, ita tamen quod ipsi abbas & conventus dicti monasterii de Joyaco & sui successores jugiter omni tempore teneant in loco dicti monasterii de Jardino, expulsis inde perpetuo monialibus & aliis mulieribus quibuscumque, & sustentent in suis necessariis, & ad haec facienda sint adstricti & obligati, tot sacerdotes quot ibidem propter reverentiam divini cultus & inhumatorum corporum humanorum, & salutem animarum ipsorum qualibet die una missa ad minus indefallibiliter celebretur; & nihilominus committit idem capitulum generale universis & singulis abbatibus dicti ordinis, & specialiter abbatibus de Pruliaco & de Vallelucenti, & eorum cuilibet, quatenus si necesse fuerit, & ad hoc ex parte dictorum

B abbatis & conventus de Joyaco fuerint requisiti ad dictum monasterium de Jardino, & ipsius pertinentias personaliter se transferant, & executioni debitae praesentem diffinitionem demandent; praecepitque districte ac injungit sub poenis excommunicationis & incarcerationis perpetuae praefatis abbatissae & monialibus quae pro nunc sunt in dicto monasterio de Jardino, quod dicto abbati Joyaci, caeterisque commissariis abbatibus, si qui ad hoc fuerint evocati, pareant humiliter & devote nullam rebellionem vel contradictionem in his quae concernunt nostrum praesens statutum vel ipsum contingentia & tangentia seu dependentia per se ipsas vel alias quascumque personas aliquatenus inferendo. In quorum munimen & singulorum praemissorum robur & testimonium nos abbates & deffinitores supradicti sigillum nostrum

C consuetum praesentibus litteris duximus apponendum. Datum Cistercii tempore dicti nostri capituli generalis, videlicet die quarta decima mensis Septembris, anno Domini 1403. Quas quidem literas superius insertas, dictamque unionem & omnia & singula in quantum rite facta fuerunt; & quod hoc nos tangit aut tangere potest, rata & grata habentes, ipsas laudamus, ratificamus & approbamus, ac tenore praesentium de gratia speciali confirmamus, mandantes omnibus & singulis justiciariis, officiariis & subditis nostris praesentibus & futuris, & eorum cuilibet prout ad eum pertinuerit, quatenus nostra praesenti laudatione, ratificatione & approbatione abbatem praedictum Joyaci uti & gaudere pacifice & quiete perpetuis faciant temporibus, & permittant nihil in contrarium attemptando. Quod ut firmum & stabile perpetuis permaneat temporibus, nostrum his praesentibus fecimus apponi sigillum, salvo in omnibus jure nostro & etiam quolibet alieno. Datum Parisius anno Domini 1403, mense Februarii.



Digitized by

INSTRUMENTA ECCLESIÆ NIVERNENSIS.

I.

Ex originali in chartulario Nivernensi asservato.

Donatio de Salviniaco, & de terra quæ est apud Leobernagum.

817. DOMINO sacro & exorabili oratorio S. Stephani in loco nuncupante Salviniaco, quem bone memorie domnus quondam Hieronymus episcopus suo studio edificavit, modo sub regimine constante Jone episcopi, sub dictione rerum S. Cyrici Nivernensis ecclesie. Nos enim in Dei nomine Antidius, Ogdilo & Bernoicus donatores ipsius sancti locelli ob anime nostre emolumentum seu prefati quondam presulis donamus res nostras sitas in pago Nivernense, in agro Mariniacense in loco nuncupante Leobnago, hoc est terris, silvis incretis, cultis & incultis quantumcumque prefatus quondam presul in ipso agro conquisivit de Rodiado & Ildelinde, preter illo campo qui est ad illas maceriis quem Bernoico dedimus In reliquo vero totum & ad integrum ipsius sancti loci donamus, tradimus atque transfundimus jure proprietario, ita ut perpetuo tempore ibidem proficiat in augmentum sub dictione rectoris ipsius loci; & quod placuit nobis institui, ut si ullus quilibet rector de luminaribus, vel dictione ipsius sancti loci abstrahere, aut alicubi beneficiare voluerit, omnino id agendi pertimescat. Quod & si fecerit nostris vel parentibus nostrorum revocandum esse dominatione, sed & de repetitionibus inseri placuit, quod nullatenus fieri credimus, si nos ipsi, aut ullus de nostris heredibus, seu obmissa quelibet persona qui contra hanc donationem unquam tempore venire aut recausare conaverit, nullatenus illud valeat vindicare, sed sit culpabilis partibus rectoris prefate ecclesie fisci socio auri uncias tres; & hec presens donatio omni tempore firma & inconvulsa valeat perdurare cum stipulatione subnixa.

Antidius donatione a me facta B. relegi. Signum Odiloni qui hanc donationem fieri & adfirmare rogav. S. Bernoico donatione a me facta relegi, S. Dodraldo, S. Cufirbirno, S. Abraham, S. Isemberto, S. Fulcrado, S. Arulfo, S. Archardo, S. Leobrado, S. Eldegrimo, S. Formaldo, S. Arbaldo, S. Amelioni, S. Uthbeto, S. Wlfrado, S. Adalgardo, S. Zahard, S. Jordano, S. Agembto.

Teotbaldus scripsit & datavit in mense Octobris, ubi fecit dies tredecim, anno IIII° regnante Ludovico Imper.

I I.

Ex chartular. Nivernensi.

Diploma Caroli Calvi pro ecclesia Nivernensi.

841. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Karolus gratia Dei rex. Si igitur congruis & oportunis negociis fidelium nostrorum cum sacris petitionibus pro commoditate rerum & exaltatione vel stabilitate regni nostri sive efflagitationibus servorum Dei aurem celsitudinis nostre accomodare non differimus, & ea que pro utilitate sancte Dei ecclesie, sive eorum necessitate nobis indixerint, ad effectum usque perduximus, ad honorem regni nostri nobis a Deo collati pertinere non diffidimus, ac per hoc divinam majestatem nostris excessibus propiciari manifeste credimus. Quocirca notum sit omnium S. Dei ecclesie fidelium atque nostrorum tam presentium quam futurorum magnitudini, qualiter vir venerabilis Erinmanus Nivernensis ecclesie pontifex celsitudinis nostre adiens clementiam deprecatus est serenitatis nostre potestatem ut preceptum auctoritatis, sive immunitatis ei fieri juberemus regali celsitudine corroboratum sicut suis antecessoribus Hieronymo & Jone pontificibus insignis prosapia nostra fieri decrevit, videlicet avus noster bone memorie invictissimus augustus & equivocus, necnon & genitor piissimus imperator germanusque Pippinus devotissime fecerunt, per quod res memorate ecclesie firmiter in omnibus mundanis actionibus ac querelis quiete tenere ac defendere legaliter potuissent. Unde & in auctoritatibus predecessorum nostrorum continetur qualiter memorata ecclesia tempore rebellionis exspoliata fuisset rebus & mancipiis, ac plene, nec ad Dei servitium peragendum amminiculari, nec clericis ibidem Deo deservientibus subsidia prebere potuissent, ac partim casu, partim incuria, sive incendii raptu, sive negligentie cultu strumenta cartarum per que res vel mancipia eidem sancte Dei ecclesie collate fuerunt ea tempestate in eadem perierunt urbe, pro quo nos sancimus sicut avus ac genitor decreverunt in suis auctoritatibus ut per hanc nostram firmitatis cartam ita defendi ac teneri res memorate ecclesie possint quasi ipsa strumenta presentialiter adessent. Postea domnus & avus equivocus noster, sicut in auctoritate genitoris nostri continetur, ad petitionem Hieronymi quondam ejusdem civitatis episcopi pro commercio anime sue, ac remuneratione ipsius sancto loco ejusdem ecclesie ex ipsis rebus propriis, villas ac cellulas reddidit cum mancipiis vel aliis facultatibus, que dudum abstracte fuerunt, quibus & ipse locus melius subsistere potuisset & Dei servitium, & sibi suisque successoribus liberius ibidem peragi. Post modum domnus & genitor noster Hludovicus invictissimus augustus, necnon & Pipinus germanus noster auctoritatem gloriosi avi nostri Karoli cum summa auctoritate confirmaverunt, & ea que ibi reddidit libenti animo concesserunt & scriptis corroboraverunt & prescripte ecclesie cum omnibus rebus & hominibus ibi juste legaliterque attinentibus per idipsum sive tuicionis mundeburdo defensionis munimine scriptum receperunt. Proinde ergo petiit magnificentiam nostram prenominatus vir Erimanus sepedicte ecclesie presul ut prefatam auctoritatem regaliter stabilientes per nostre mansuetudinis preceptum confirmare denuo dignaremur. Nos denique ut divinam super nos in hoc utcumque provocemus misericordiam, quod deprecatus est non negavimus, sed prompto animo satisque libenti concessimus, auctoritatisque hoc scriptum speciali conditione fieri jussimus per quod eas res que antiquitus videntur pertinere, & quas avus equivocus noster Hieronymo pontifici reddidit, & postea adquisivit, & que moderno tempore possidet; sive divina pietas ibi largiendo voluerit augere ei delegentes, denuo confirmamus nostris etiam futurisque temporibus mansurum esse volumus. Ut ipse & successores sui quiete teneant sub jure ac potestate nostre firmitatis cum ecclesiastica institutione precipientes atque jubentes ut nullus judex publicus aut quislibet judiciariam exercens potestatem, seu ullus fidelium nostrorum tam instantium quam futurorum in ecclesias, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones infra ditionem regni nostri quas moderno tempore juste legaliterque possidere in quibuslibet pagis vel territoriis, sive ea que deinceps in jure ipsius sancti loci aut per nos, aut per alios quoscumque divina pietas largiendo voluerit augere ad causas audiendas, vel freda exigenda; aut mansionaticos, sive paratas faciendas, aut fidejussores alicui tollendos, aut canonicos ipsius matris ecclesie seu eorum facultates, sive ceteros homines tam ingenuos quam & servos super ipsam terram commanentes, vel consistentes; vel alios ingenuos qui antiquitus sub defensione ipsius ecclesie consliterunt,

Digitized by Google

distringendos, vel inquietandos; nec ullas reddibitiones aut inlicitas occasiones requirendas nostris neq; futuris temporibus ingredi audeat, nec a degentibus super ipsius sacri loci terram quibuscumque ex censu plusquam priscorum usus se habet educere temptet. Si que autem cause adversus supradicte ecclesie fuerint orte canonicos a proprio distringuntur episcopo, nisi forte criminalis fuerint actionis, de quibus est ratiocinandum proprio eorum advocato, sed & quidquid de prefati venerandosi loci rebus, fiscus noster exigeré poterat, eterno pro compendio eidem in integre totum concedimus ecclesie scilicet ut perpetualibus temporibus in stipendiis fratrum inibi Deo famulantium & alimoniis pauperum proficiat in augmentum quatenus pro nostra incolumitate, ac regni nostri stabilitate. Clementissimam Dei miserationem eos in perpetuum exorare delectet. Hec vero auctoritatis nostre prescriptio, ut meliorem obtineat firmitatem, manu nostra eam subscripsimus, & ex annulo nostro sigillari jussimus.

Signum Karoli K R A V L S gloriosissimi regis.

Pridie idus Januarii, anno I, indictione IIII, regnante Karolo gloriosissimo rege.

Actum Bituricis civitate, in Dei nomine feliciter.

III.

Privilegium Caroli regis de pastoris electione.

843. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Carolus gratia Dei rex. Si igitur, &c. *ut in precedenti.* Quocirca notum sit omnium sancte Dei ecclesie fidelium atq; nostrorum tam presentium quamq; futurorum magnitudini qualiter vir venerabilis Herimanus Nivernis ecclesie pontifex nostre celsitudinis adiens clementiam deprecatus est serenitatis nostre potestatem ut preceptum auctoritatis, sive electionis, vel immunitatis ei fieri juberemus regali celsitudine corroboratum, sicut suis antecessoribus illius scilicet ecclesie pontificibus insignis prosapia nostra fieri decrevit, videlicet avus noster bone memorie invictissimus augustus & equivocus, necnon & genitor noster piissimus imperator germanusque Pippinus devotissime fecerunt, per quod res memorate ecclesie firmiter in omnibus mundanis actionibus ac querelis quiete teneri ac defendi potuisset legaliter, quod in auctoritatibus predecessorum nostrorum continetur. Deprecatus est etiam nostram clementiam super hoc, quia memorata ecclesia tempore rebellionis expoliata fuisset rebus & mancipiis, & plene nec ad Dei servitium peragendum amminiculari, nec clericis ibidem Deo deservientibus subsidia prebere potuissent. Insuper partim casu & incuria, sive incendii raptu, sive negligentie cultu strumenta chartarum per que res vel mancipia loco ejusdem ecclesie conlate fuerunt tempestate diversarum cladium quam diximus perierunt in eadem urbe. Ceterum nos pro utilitate sancte Dei ecclesie & repugnatione inimicorum nostrorum ipsum locum valde oppressimus, deinde contra eosdem inimicos & infideles sancte ecclesie & regni nostri bellico apparatu decertantes, Deo inprimis concedente, & sanctorum illius loci intercessione succurrente, atq; ut credimus oratione servorum Dei in prefata ecclesia deservientium satis juvante prout volueramus, & necessitas exposcebat victoriam pleniter consequuti sumus, pro quo nos sancimus sicut avus & genitor noster decreverunt in suis auctoritatibus, ut per hanc nostram firmitatis gratiam ita defendi ac teneri res memorate ecclesie possint, quasi ipsa strumenta presentialiter adessent: nam dominus & avus equivocus A noster, sicut in auctoritate genitoris nostri continetur, ad petitionem Hieronymi quondam ejusdem loci & urbis episcopi, pro commercio anime sue ac remuneratione ipsius sancti loci ejusdemq; ecclesie ex ipsis rebus propriis villas & cellulas reddidit cum mancipiis vel aliis facultatibus que dudum abstracte inde fuerant, quibus ipse locus melius subsistere potuisset. Post modum domnus & genitor noster Hludovicus, nec non & Pippinus germanus noster auctoritatem gloriosi avi Caroli cum summa voluntate confirmaverunt, & ibi ea que reddidit libenti animo concesserunt & scriptis corroboraverunt, & prescripte ecclesie cum omnibus rebus & omnibus ibi juste legaliterq; attinentibus per idipsum sive tuitionis mundeburdo defensionis munimine scriptum receperunt. Proinde B ergo petiit magnificentiam nostram prenominatus vir Herimannus sepedicte ecclesie presul ut prefatam auctoritatem regaliter stabilientes, per nostræ mansuetudinis preceptum confirmare denuo dignaremur. Nos denique divinam super nos utcumque provocemus misericordiam quod deprecatus est non negavimus, sed prompto animo concessimus; & quia ex illo loco exeuntes divino adjuti subsidio ut supra inserui, placuit nobis una cum consultu fidelium nostrorum in primis jam dicte ecclesie electione, ut neq; nos, neq; ullus successorum nostrorum ibi ullum instituat, nisi ab ipsis loci incolis pastorem electum. Dumq; memoramus quam fideliter milites ejusdem loci nobiscum contra hostes nostros solatia prebuerunt, & simul se nobiscum tradiderunt periculo, placuit nobis auctores atq; electos ejusdem sedis monere ut nullus C eorum presumat aliquem illorum aut ullum de heredibus ipsorum degradare & beneficia tollere, nisi prius in causis palatinis fuerit adductus & criminali multatione damnatus. Deinde nostre auctoritatis hoc scriptum speciali conditione fieri jussimus, per quod eas res que antiquitus videntur ad ipsam ecclesiam pertinere, & quas avus & equivocus noster ejusdem loci pontifici Hieronymo reddidit, & postea adquisivit, & que moderno tempore possidet, sive quæ divina pietas ibi largiendo voluerit augere delegantes denuo confirmamus, nostris etiam futurisque temporibus mansurum esse volumus ut ipse & successores sui quiete teneant sub jure & potestate nostre firmitatis cum ecclesiastica institutione. Sed & concedimus ibidem auctoritate regia omnes res ejusdem ecclesie que quon- D dam fuerunt ab ea abstracte, & quas modo nostri indominicati vassalli tenent, tali ratione ut quia ipsi nobiscum dimicaverunt fideliter in vita sua tantum cum consensu supradicti episcopi eas teneant, post mortem vero illorum absque ulla contradictione ad eumdem locum perveniant: interdum namq; investituram nonas & decimas ipsa ecclesia inde recipiat. Excipimus autem hoc quod comes ejusdem potestatis habere debet. Precipimus autem atq; jubemus ut nullus judex publicus, &c. *ut in precedenti.*

Signum CAROLI gloriosissimi regis.

Pridie idus Januarii anno III, indictione VII, regnante Carolo gloriosissimo rege. Actum. . . . .
E in Dei nomine feliciter.

IV.

Hermanni episcopi Nivernensis charta de institutione 60 canonicorum in ecclesia S. Cyrici, 16 in ecclesia S. Martini, & de restauratione monasterii S. Genesii, &c.

AUCTORITAS divina testatur ut episcopi per 849.
diversa loca constituti licentiam habeant res ecclesiarum secundum canonicam auctoritatem cum Dei amore & reverentia distribuendi & ordinandi, videlicet in canonicis, monachis, sanctimonialibus,

Digitized by Google

pauperibus, juxta creditam sibi dispensationem. Ideoq; ego in Dei nomine Hermannus Nevernensis ecclesie indignus episcopus, ob amorem & reverentiam Dei Omnipotentis sanctorumq; martyrum Cyrici & Gervasii presentaliter constituo, atque diuturnis temporibus inconvulsum manere decerno villas scilicet cum mancipiis aliisq; rebus ad eorum stipendia qui in sanctis locis serviunt sive servituri sunt. Fuit enim olim ipsa civitas cum aliis sue parochie locis nobiliter & canonice ordinata; sed propendiente hostium perturbatione regumq; discissione, res ipsius ecclesie & dilacerate extiterunt sicut plurimis cognitum est, omnisq; ordo religionis funditus annulatus: sed dominus Carolus invictissimus augustus clementia Dei tactus, partim ex rebus memorate ecclesie reddidit Hieronymo episcopo ad sacra loca restauranda vel munienda; sed loca dum canonice restaurare vellet, migravit ex hac vita. Postmodum Jonas episcopus antecessor noster in quantum potuit & tempus dictavit in ipsa ecclesia laborare non distulit. Nos vero Dei adjutorio fulti, & hoc quod illi instituerunt observavimus, & tum ex rebus ipsius ecclesie quam ex nostris propriis augmentare juxta exiguitatem nostram non distulimus. Primum ergo infra civitatem constituimus canonicos LX, eorumque stipendiis has perpetualiter habendas delegavimus villas Patriniacum, Germiniacum, Salviniacum, Viringium, Wariniacum cum omnibus eorum appenditiis; proprium vero nostrum, id est Patriniacum cum ecclesia & edificiis omnibusq; suis adjacentiis, totum & ad integrum eis dedimus sicut carta donationis quam eis fecimus continetur. Ex proprio quoq; nostro in pago Nivernense & in agro *Morvin* dedimus eis ecclesiam in honore S. Salvatoris, in loco qui dicitur Montilius, cum omnibus suis appendiciis; in loco qui vocatur *Lions* ecclesiam in honore S. Cyrici, cum adjacentiis suis; in loco qui dicitur Callidus-fons quidquid ibi habuimus & villam Coloriam cum ecclesia S. Martini, nec non & ea que Hildradus comes ipsis canonicis in villa Arcus dedit, & ex proprio Hermodi abbatis avunculi mei dedimus eis mansos VI in pago Nivernense & Avaliense. Dedimus etiam juxta murum civitatis mansum cum vinea quem de Bernone comparavimus, nec non & vineas infra extraq; civitatem que sunt de ratione S. Cyrici. Insuper quecumque divina pietas eidem ecclesie in futurum conferre voluerit, tam per nos quam per alios quosque. Preterea in monasterio S. Martini constituimus canonicos XVI, eorumq; stipendiis dedimus villam seu campum cum integritate sui, & in villa Artado mansos IIII, in Orbado I, in villa Bordenago quicquid predicte ecclesie Ragenfredus quondam vocatus episcopus dedit, & medietatem vince que adheret eidem ecclesie. In pago Patriniacense dedimus eis mansos V ex proprio nostro, cum mancipiis rebusq; ad se pertinentibus; causa sepulture nostre in monasterio S. Aniani constituimus monachos, & in monasterio S. Genesii sanctimoniales, & res ad easdem cellas pertinentes cum integritate reddimus, confirmamus, volumus ut habeant licentiam una cum sensu & voluntate sui pontificis ex seipsis eligendi abbatem vel abbatissam; si tamen tales inibi reperti fuerint, sin alias episcopus secundum suam dispensationem undecumq; dignum duxerit, ordinet eis abbatem vel abbatissam. Cetera sancta loca vel cellas quantum divina clementia largiri dignata est, & possibilitas suppetit restaurari curavimus. Si autem successores nostri eisdem locis aliquid augmentare voluerint, in eorum maneat arbitrio. Verumtamen itaque a nobis & a sanctis patribus nostris canonice ordinata sunt, inviolabiliter ita permanere concedant; simulque per Deum & propter Deum omnes successores nostros optestamur ut nullus de locis supranominatis cuiquam laico homini beneficiario jure tribuapt, sed liceat eis sub prefatis testamentis habere. Hospitum denique loca non longe a nostra

A civitate duo constituimus, unum ad pauperes recipiendos, alterum ad nobiles viros undique confluentes, tam ex nostro proprio quam ex rebus, ex nonis & decimis ejusdem ecclesie. Si quis vero, quod minime futurum credimus, aliquis extiterit tergiversator, & hec que a nobis canonice acta sunt convellere ac destruere voluerit, in adventu Domini anathematis sententia puniatur, si non resipuerit. Et ut hæc auctoritas Dei & nostra pleniorem in Dei nomine optineat firmitatem, manu propria eam subterfirmavimus, & sanctorum patrum * nostrorum manibus roborandam esse decrevimus. * *f.* fratrum.

V.

Corroboratio Caroli regis de rebus ab Herimanno datis ecclesiæ Nivernensi. *Ex chartario Nivernensi.*

B IN nomine sancte & individue Trinitatis. Karolus Dei gratia rex. Si sacerdotum Dei petitionibus maxime in ecclesiasticis utilitatibus benignum assensum prebemus, regiam consuetudinem exercemus, ac per hoc facilius nos eternam beatitudinem adepturos procul dubio confidimus. Itaque notum sit omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus & nostris presentibus atq; futuris; quia venerabilis vir Herimannus Nevernensis ecclesie episcopus culminis nostri adiens sublimitatem innotuit qualiter ministerii sui opus exercens pastorali officio providerit utilitatibus ecclesie sibi commisse, & quomodo de facultatibus ejusdem deputaverit. Quasdam villas usibus & stipendiis Deo servientium canonicorum suorum, tam infra civitatem consistentium C quam etiam in aliis monasteriis sue sedi appendentibus, sive subjectis degentium; quatenus sine mordacis inopie sollicitudine secundum canonicam & regularem institutionem interius & exterius victu tegumentoq; contenti Deo valeant militari. Unde etiam testamenti scriptum faciens propriaq; manu roborans sanctorum patrum episcoporum, scilicet regni nostri pro utilitate sancte Dei ecclesie octingentesimo quadragesimo nono anno Incarnationis Domini Jesu-Christi, & regni nostri nono in die N N. Novembris Parisius convenientium auctoritate studuit confirmari. Itaq; humiliter petiit ut eamdem imprevaricabilem auctoritatem precellentie nostre precepto regaliter corroboraremus. Videlicet ut devotionis & sacre voluntatis participes, de excessibus nostris D divine pietatis munere facilius indulgentiam consequi mereamur; ejus inquam petitionem clementer audisse & libentissime exaudisse cunctis notum esse volumus. Quare altitudinis nostre scriptum hoc fieri jussimus per quod constituimus & firmamus ut sicut immemorato a sanctis patribus presulibus regni nostri confirmato privilegio continetur; quicquid superius nominatus reverendus episcopus Herimagnus ex facultatibus & villis episcopatus sui tam clericis sedis sue quam & aliis per cellas eidem ecclesie sue subjectas canonicis & monachis & sanctimonialibus deputaverit: & quidquid preterea ex rebus sue proprietatis ad augmentum stipendiorum ipsorum addidit; secundum ejus rationabilem constitutionem nostris & futuris diebus maneat firmum & inconvulsum, nulliq; liceat presentibus aut futuris temporibus secus eamdem E laudabilem institutionem exinde aliquid invertere aut inmutare, quatenus tantorum sanctorum virorum consensio ex futurorum fidelium assensu in omnibus seculis semper confirmata laudetur. Ut aut; hec magnitudinis nostre confirmatio in Christi nomine meliorem optineat vigorem, de annulo nostro sup. eam jussimus sigillari. 850.

Signum Karoli K R A V L S gloriosissimi regis.

Æneas notarius ad vicem Ludovici recognovit.

Datum VIIII Kalendas Junii indictione XIII, in

Digitized by Google

anno x regni Karoli gloriosissimi regis. Actum in A Vermeria palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

V I.

Ex Sammarthanis.

Restitutio Herimanni episcopi.

853. OMNIBUS sanctæ dilectionis fratribus, ad quorum hæc poterunt pervenire notitiam, Wenilo Senonum, Hincmarus Remorum, Paulus Rotomagensium, Amalricus Turonum archiepisc. &c. apud Vermeriam palatium jussu gloriosi principis Karoli, anno ab Incarnatione Domini 853, indict. I, VI cal. Septembris, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi synodaliter congregati salutem. Notum fraternitati vestræ fieri voluimus, quia nuper instanti anno, B per præsentem primam indictionem apud urbem Suessonum x cal. Maii ad synodum convenientes, cui sacro conventui idem gloriosus rex suam est dignatus exhibere præsentiam, inter cætera ecclesiastica negotia, de venerabili fratre nostro Herimanno Nivernensis urbis episcopo quæstionalis est ratio nobis oblata: videlicet quia infirmitate præoccupatus, seu præpeditus corporea, sæpe ineptire, & quædam quæ ad naufragium rerum & facultatum ecclesiasticarum pertinere, atque ad salvationem, ac debitam seu rationabilem dispensationem impedire poterant, nisi celeri remedio subventum foret, agere indiscrete soleret. Cujus suggestionis certa experimentorum documenta evidentius perquirentes, aliquanta invenimus, quæ nobis fidem fecerunt aliis quæ audieramus sensum accommodare. C Unde secundum quod in decretalibus B. Gregorii exemplo reperimus, statuimus illi œconomum persuadere, qui ei suffragium, & ecclesiæ sibi commissæ custodiam debitam & canonicam exhiberet, donec annuente Domino, isdem frater venerabilis a sua infirmitate optabiliter convalesceret. Sed quoniam intimatum est nobis, in sua ecclesia neminem posse reperiri, qui interim eumdem venerabilem, partim indebita forte pietate, partim reverentia seniorali, secundum modum a nobis constitutum custodire aut vellet, aut posset, consilii consultu illum hortati sumus, ut cum domno Wenilone prænominato, scilicet reverentissimo confratre nostro & archiepiscopo suo maneret, illeque ei conveniens studium impertiri curaret, & ecclesiæ Nivernensi ea quibus indigeret D visitatorio officio impenderet & ordinaret, quo usque æstivum tempus, quod hujusmodi infirmitati, qua impediri dicebatur, valde contrarium est, pertransiret & sæpefatus dilectissimus ac venerabilis frater noster, ut prædiximus, a sua infirmitate immelioraretur, & suæ potestati, suæque ipsius custodiæ, suæve ecclesiæ dispositioni, ut est debitum, restitueretur. Quæ quoniam gratias Deo ad votum, juxta divinam ordinationem, ut fuerant disposita, sunt quoque perducta, & canonica habet auctoritas, ut ab uno quilibet rejectus episcopo, non dicamus a tantis pro tempore, & ad tempus remotus secundum quemdam modum episcopis, non recipiatur sine testimonii, aut litterarum evidentissimo documento: per hos nostræ humanitatis apices, plerumque dictum venerabilem fratrem nos- E trum suæ ditioni & potestati, atque episcopali custodiæ, suæque ecclesiæ gubernationi debite restituimus & nos eum non morum vitiis, aut peccatis publicis quæ censura damnat ecclesiastica, a sua illum ecclesia aliquantulum removisse, quod sine aperta convictione, vel manifesta confessione fieri non licet, qua de re & non libet, sed corporeæ suæ infirmitati, & ecclesiæ sibi commissæ necessitati, pietative consuluisse manifestissime demonstramus. Quod ut præsentibus scilicet & futuris temporibus enucleatius cognoscatur, his gestis manibus propriis subterfirmare decrevimus.

V I I.

Privilegium de Magniaco a Karolo rege concessum. Ex chartul. Nivernens. 859.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, Karolus, gratia Dei rex. Si fidelium nostrorum aurem, &c. *Ut in sequenti, differt tantum sub sequentibus verbis.* Tunc placuit nobis res pariter collectas per auctoritatis nostre conscriptionem ibi redintegrare que abstracte inde fuerant cum iis que ibi perdurabant, scilicet vicum cum integritate; servientes *quoq; Dominicum Grimblum*, infantesq; *Marie cum eorum posteritate ibidem* delegavimus: in villa Lusiaco, Rainaldum cum dimidio quem tenet manso: in villa *Luciaco* Siguinum cum manso quem colit: in *Olonziaco* colonicam que fuit Benigni, mercatum ibi adherentem; cundeminam adherentem fronti jam dicte ecclesie; pratum quod dicitur ad Laurum & respicit ad plagam occidentalem, cum reliquis pratis ad illum locum attingentibus: alterum etiam pratum quod commutavit Adelardus ejusdem ecclesie presbiter ad Laurum partibus occidentalibus. Hanc commutationem consentimus, & quod ex illo prato superest, ibi largimur. Donationes etiam ad locum sepulture omnes ibi permanere volumus.

Placuit etiam ut matri ecclesie Nevernensi sit subjecta, &c. *Ut in sequenti.*

V I I I.

Privilegium aliud de Magniaco. Ex chartul. Nivernens.

859. IN nomine sancte & individue Trinitatis, Karolus, gratia Dei rex. Si fidelium nostrorum aurem celsitudinis nostre petitionibus accomodaverimus morem predecessorum nostrorum parentum regum scilicet exercebimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie presentibus scilicet atq; futuris quia in conflictu altercationis fraterne quando me notissima concertatio agebat ut vires resistendi penes me restaurarentur in fratrem Nevernensem comitatum deveni apud Magniacum vicum, ubi corpus sacratissimum B. Vincentii confessoris Christi memorabili veneratione percolitur ibiq; munificum largitorem Deum in ejus commemoratione adorans deprecatus sum ut ejus suffragiis munimen divine protectionis adipiscerer quatinus per suam exobtabilem intercessionem tranquille prosperitati restituerer. Enim vero sub spe talis adsecutionis votis me obligavi ibidem ac beneficia temporalia conferre ejus ministris perseveranter promisi; quocirca percepta quiete potitusq; victoria, ut spes anelabat, libuit perquirere dotem ipsius ecclesie scire volens utrum seriem ejusdem tenoris haberet quam avus memorabilis noster Karolus quondam imperator cunctis vicis fieri statuit quam nostris obtutibus delatam reperimus a jam dicto tenore alienam existere, scilicet per diminutiones aliorum beneficiorum cessisse potestatibus res quondam ibi delegatas. Tunc placuit nobis res pariter collectas per auctoritatis nostre conscriptionem ibi redintegrare que abstracte inde fuerant cum iis que ibi perdurabant, & per divisibilia exercitia tres inde divisiones fieri, unam in usu salutaris sacrificii ac reparationis ecclesie, alteram ad luminaria amministranda, tertiam ad usus necessarios cleriorum ibi deservientium excolendos quas quindecim mansis & colonicis quatuor que solvunt in censum denarios duodecim, id est solidos quatuor fieri statuimus, quos a nostris nostrorumque fidelium usibus ex comitatu Nevernensi abstraximus, & in honore Omnipotentis Dei, necnon & veneratione sanctorum ejus Nazarii & Vincentii, quorum reliquiæ ibi venerantur sicut antiquitus exstiterat restaurando ibi contulimus, quemadmodum in altero auctoritatis nostre precepto quod de eadem ratione ad presbyterii honestatem fieri

fieri jussimus reperiri potest, permanente in suo statu ratione presbyterii ex suo beneficio ibi collato. Volumus etiam matri ecclesie Nevernensi omnia hec sint subjecta sub nostraq; immunitate posita, & nullius honoris cultum alii ibi exerceant, sed sub tutela presulis ejusdem loci ordinata consistant, ubi anni orbita redeunte, libram cere in censum in festivitate S. Cyrici publice persolvant. Quapropter volumus ut nullus comes, nullus judex, nulla opposita persona exinde quidquam exigere presumat, nec censum, nec paratam, nec aliquod obsequium servitutis, sed jam dicte matri ecclesie tali ordine deservire. Et liceat Adalardo presbytero cujus labore & studio hoc agimus suisq; successoribus memoratas res quiete possidere, & absq; obstaculo alicujus impeditionis perpetualiter tenere & ordinare, ut pro incolumitate mea & conjugis sobolisq; prosperitate beatus Vincentius in cujus commemoratione agitur ante Deum pius precator adsistat, sed & hoc cunctis catholicis ortodoxa religione viventibus notum manere volumus, quia pro studio laboris & constructionis quod eidem loco Adelardus presbyter impendit, licentiam concessimus ut nullus se opponat successor qui jam dicte ecclesie sacerdos subrogetur post ejus obitum, nisi quem in vita sua ipse elegerit, & vice sua ministrum constituerit, aut ex parentela progeniei sue, aut quemlibet alium quem ad id peragendum idoneum providerit. Ipsi quoque a nullo temporale donum adquiratur, nisi soli Deo cui servitio fungi unicuique sacerdoti convenit. Et ut nostre largitionis presens auctoritas firmior habeatur & diligentiori observatione custodiatur, anuli nostri impressione subter insigniri jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi regis.

Datum XIII Kalendas Januarii, indictione VI, anno XVIIII, regnante Karolo gloriosissimo rege.

Actum in Magniaco, in Dei nomine feliciter.

I X.

Ex chartario Nivernensi.

Alterum privilegium de Magniaco.

867. IN nomine Domini nostri Jesu-Christi, Abbo Nevernensis ecclesie episcopus, una per consensum & voluntatem domni archiepiscopi mei Egili, ac ceterorum episcoporum sibi subditorum, omnibus tam presentibus quam & futuris sancte Dei ecclesie coepiscopis notum esse volumus religionis canonice quemdam sacerdotem Adelardum nomine adiisse nostram immo omnium sancte synodi Trecas habite ceterorum coepiscoporum paternitatem, quorum nomina in sequentibus cum propriis adsignationibus inserta tenentur; petiitq; humiliter ut regiam donationem quam per venerabilem preceptorum suorum conscriptionem ecclesiis sanctorum que in nostra Nevernensi parochia habentur, scilicet S. Nazarii venerandi martyris, & S. Vincentii preciosi confessoris, ubi ejus sacratissimum corpus jacens miraculis clarescit, sancti quoque Johannis Precursoris Domini, sanctiq; Martini, nec non & S. Hilarii ac S. Germani conferre dignatus est ad restaurationem & relevationem earumdem ecclesiarum nostra confirmatione & auctoritate corroboraremus. Repperit enim dominus & senior noster res quondam ibi delegatas, ut ejus auctoritas testatur per diminutiones beneficiorum quorumdam exinde inordinabiliter abstractas, unde substentari debuerant & contineri, & sollicita procuratione reintegrare ordinabili amministratione eas ut prius fuerant studuit, videlicet in usu sacrificii salutaris, & in illuminatione ac reedificatione jam dictarum sanctarum ecclesiarum quas multimoda eversione destitutas condoluit, seu in victu & stipendiis canonicorum ibidem deservientium omnem donationem & redintegrationem statuit distribuendam, quemadmodum precepti ejus veneranda conscripta pronunciant. Donat preterea idem Adelardus eidem vico Magniaco res quasdam proprietatis sue in honore S. Vincentii, ejus videlicet criptæ, ubi sanctum ejus corpus in ecclesia S. Nazarii jacet, que sunt in pago Nevernense, in agro Magniacense, in villa Lursiaco; hoc est casales cum vineis & ortilibus, ubi colligi possunt vini modii centum quinquaginta: posceitq; ut tam ea que ipse confert, quam etiam ea que catholici fideles devoti ob utilitatem suam ibi contulerint, nostra auctoritate firmentur, & corroboratione fulciantur. Quod nos audientes, piaq; meditatione tractantes, equum credimus ratumq; ducimus, talibus petitionibus assensum prebere cum ea obsecratione in qua precatur, ut omnis illa donatio ab ordinatione & dominatione laicorum, comitum scilicet vel principum secularium abstrahatur, & sub dominatione Nevernensis episcopi agatur, ita ut idem Adelardus ejusq; successores deinceps annis singulis matri ecclesie S. Cyrici libram cere exsolvant. Notamus * aliud humane servitutis obsequium a jam dicto Adelardo ejusq; successoribus propter hoc exiguatur, nisi quod dilectionis dulcedo per caritatis amministrationem exhibere jubet prelatis. Unde in Christi nomine cunctos, qui nobis Deo propitio per tempora labentia sunt successuri, coepiscopos contestantes precamur ut nullo pacto tantorum virorum decretum parvi pendatis, sed potius vestra sanctissima auctoritate quicquid in presenti privilegio de eodem vico, regiisq; redintegrationibus, ac Adelardi petitionibus a sancta synodo definitum habetur, inconvulsum atque inviolatum permanere consentiatis, & paterna defensione spiritaliq; munimine eis auxilium conferre in omnibus quibuscumque vestri indiguerint, prout vobis Deum propitium habere vultis, non differatis, nec ullam seculi potestatem exinde nocere sinatis: sed liceat eumdem locum canonica exercitatione degere, ac predictas donationes & petitiones ubi delegate sunt permanere, absq; aliqua inquietatione principum, & sine preter quod superius insertum est censu, quatenus quieto ordine ac secura mente Deo ibi servire ejusq; sanctis, ac pro pace & utilitate sancte Dei ecclesie ejusdem loci canonici valeant exorare, nec non etiam pro regis salute & prosperitate, ac pro conjugis & sobolis incolumitate omnibus diebus ac noctibus intercedere, atq; clementiam superni regis per eorumdem sanctorum interventionem pulsare.

* *forte* non tamen.

✝ Eigil archiepiscopus sancte Senonensis ecclesie subscripsi, Wanilo humilis Rotomorum episcopus, Æneas Parisiensis episcopus, Herardus Turonum archiepiscopus, Folchricus indignus episcopus, Actardus episcopus, Helisceus in D. Gislebertus humilis Carnotensis episcopus, Hildegarius Meldensis ecclesie humilis episcopus, Abbo humilis Nevernensis ecclesie episcopus, Auno archidiaconus ad vicem. Agil Aurelianensis ecclesie episcopus. Acta IIII nonas Novembris, anno Incarnationis Domini nostri Jesu-Christi DCCCLXVII, indictione I, anno etiam XXVI regnante domino nostro Karolo rege in Dei nomine feliciter.

X.

Corroboratio Ludovici regis de rebus S. Cyrici.

Ex Chartul. Nivern.

IN nomine Dei eterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus misericordia Dei rex. Si fidelium nostrorum aurem celsitudinis nostre petitionibus accomodamus, morem predecessorum regum & imperatorum parentum nostrorum exercemus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie & nostris presentibus scilicet atq; futuris, quia Abbo Nevernensis ecclesie venerabilis episcopus ad nostram accedens eccellentiam, ostendit nobis precepta genitoris nostri pie memorie Karoli imperatoris augusti, in quibus erat insertum qualiter idem dominus genitor 878.

noster quasdam res & mancipia sue proprietatis eidem ecclesie Nevernensi, que est constructa in honore S. Cyrici martyris contulerit atq; subjiciendo confirmaverit. Deprecatus est ergo regiam celsitudinem nostram quatenus ipsas res & mancipia sicut domnus genitor noster egit precepto nostre auctoritatis ipsi ecclesie Nevernensi concederemus, & concedendo subiceremus. Cujus precibus libenter adquiescentes concedimus easdem res & mancipia ipsi ecclesie Nevernensi, cui prefatus episcopus Abbo preesse videtur, & statuentes precepta genitoris nostri perpetuo subjiciendo delegamus, id est Magniacum vicum, ubi beatus Vincentius corpore requiescit, cum omnibus appendiciis suis & mancipiis utriusq; sexus desuper commanentibus, & aliis mansis ibidem aspicientibus, sicut in preceptis nostri continetur genitoris. Unde altitudinis nostre preceptum hoc fieri, illiq; dari jussimus, per quod precepimus atque jubemus ut memoratas res tam ipse quam sui successores episcopi subjectas ad prefatam ecclesiam Nevernensem cum omnibus sibi pertinentibus & aliis mancipiis sicut precepto sue auctoritatis genitor noster imperator regni Aquitanici predicto sancto Vincentio confirmavit, que in pagis videlicet Autissiodorensi, Augustudunensi, Nevernensi, Avalensi consugerunt, & ibi manere ac residere dignoscuntur, perpetualiter teneant atq; possideant nemine inquietante. Volumus etiam ut predictus episcopus Abbo sive sui successores cum clero sibi commisso memoriam domni genitoris nostri ac nostram in suis sacris orationibus continuatim habeant. Ut autem hec nostre munificentie auctoritas semper in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem manu propria subt. eam firmavimus, & anuli nostri impressione assignari jussimus.

Signum HLUDOVICI gloriosissimi regis.

Vualfardus notarius ad vicem Gosleni recognovit.

Datum IIII id. Septemb. indict. XI, anno I regni domni Luudovici gloriosissimi regis. Actum Trecas civitate. In Dei nomine feliciter. Amen.

X I.

Diploma Carolomanni regis in gratiam Abbonis Nivernensis episcopi.

881. IN nomine Domini Dei eterni & salvatoris nostri Jesu Christi, Karolomannus gratia Dei rex. Si regia sollicitudo ea procuret que ad instaurationem sancte ecclesie Catholice pertinere noscuntur, procul dubio magnum regii culminis statum preparare probatur & non solùm in presenti stabilimentum regni corroborat, sed etiam in futuro premium eterne retributionis conciliat. Qua de re notum esse volumus omnium fidelium Dei atq; nostrorum presentium scilicet atque futurorum industrie, quod nostram adiens mansuetudinem venerabilis vir & deo dignus Abbo Nevernorum episcopus innotuit quamdam villam vocabulo *Curtim*, cum omnibus appendiciis suis sitam in pago Nevern. in vicaria Latiniacense super fluvium Ligeris XXX mansos in se habentem, que debebat deservire ecclesie sancti Cyrici Neverno site, ipsi dicto amabili episcopo commisse postulans ut eandem villam cum omnibus appendiciis suis ecclesie sibi commisse nostra liberalitas restitueret, que ab externis in beneficium diu possessa fuerat. Agentes itaque commune consilium cum proceribus atque primoribus palatii nostri decrevimus ejus annuere precibus, & tam pro nostra quam pro patrum nostrorum indulgentia prædictam villam cum omnibus appendiciis suis sancte Mari ecclesie Nevernis per præceptum nostre authoritatis reddidimus. Habeat itaq; predicta mater ecclesia potestatem facere ex illa quicquid potius elegerit jure ecclesiastico, sive in usus pauperum vel alimonias

A clericorum aut ecclesie servitorum, prout canonica docuerunt instituta. Et ut hoc nostre auctoritatis preceptum inviolabilem optineat vigorem, manu propria subt. firmavimus & anulo nostro insigniri jussimus. Signum Karlomanni gloriosissimi regis. Actum apud villam Caciacum pridie Iduum Januarii, indictione XIIII, anno tertio regni Karlomanni gloriosissimi regis. Norbertus notarius ad vicem Wgardi recognovit, &c.

X I I.

De Cutiaco, qualiter sub jugo Nevernensis episcopi esse debeat. *Chartular. Nivern.*

B IN nomine sancte & individue Trinitatis, Karolus gratia Dei imperator augustus. Si imperialis sollicitudo ea procuret que ad instaurationem sancte ecclesie pertinere noscuntur, sine dubio magnum imperii culminis statum preparare comprobatur & non solum in presenti stabilimentum regni & imperii corroborat; sed etiam in futuro eterne retributionis bonum sibi conciliat; sit ergo cognitum cunctis fidelibus sancte Dei ecclesie, tam presentibus quam & futuris, quia Emmenus venerabilis episcopus Nevernensis ecclesie ad nostram clementiam veniens indicavit nobis, quod monasterium in villa sancti Martini de suburbio Nevernis in Cuciaco qui est in Arvernensi comitatu fundabat, & sanctimoniales feminas divine militie famulaturas ibi constituebat. Petiit denique providens in futurum C ut eisdem sanctimonialibus præceptum nostre firmitatis concederemus, ut in eodem loco fiducialiter Deo famularentur, & numquam ab ullo pontifice Nevernensis ecclesie a statu monastici ordinis evellerentur aut mutarentur, & neque alius ordo nisi sanctimonialium feminarum ibi constitueretur; dignum itaq; intuentes quod poscebat consensimus pro omnibus & voluntati ejus. Volumus itaq; & per hujus precepti constitutionem roboramus ut ab hodierna die nullus ordo ecclesiasticus nisi sanctimoniales femine in Cuciaco villa, que ad sanctum Martinum de suburbio Nevernis pertinet in monasterio, quod Emmenus ibi construi jussit episcopus Deo famulari presumat, & neque ab ullo pontifice, vel ab aliqua seculari potestate dissipetur vel transmittetur, abbatissa quoque D ejusdem monasterii decedente tribuimus illis & imperiali more delegavimus firmiterq; concedendo indulsimus, quamcumque ex suis maluerint licentiam eligendi abbatissam. Episcopus vero Nevernensis ecclesie nullo modo sine consensu sanctimonialium aliam aliunde abbatissam ibi constituat nisi unam ex ipsis sororibus in invicem consentientibus. Ut autem ipse sanctimoniales subjectionem debere se recognoscant Nevernensi episcopo, ne aliquando velint se subtrahere a jugo & ordinatione Nevernensis ecclesie, constituimus consilio fidelium nostrorum ut omni anno festivitate S. Martini in mense Novembris, in censu exsolvant episcopo Nevernensi libram argenti unam; deinde per hoc precepti institutum confirmamus & confirmando prohibemus ut decime nec aliquid umquam ab eis amplius exigatur preter annualem censum quem E causa subjectionis decrevimus & diffinimus. Confirmamus quoque per hoc preceptum, ut nullus comes, nullus judex publicus, nullus episcopus de his que ad usus sanctimonialium pertinent, neque in ipso monasterio, neque alibi extra monasterium aliquid dominari per potentiam presumant, & nec ulla apposita persona paratas nec censum, nec aliquod obsequium a sanctimonialibus exigant; sed absque ullo obstaculo impedicionis quiete vivere & secundum libitum sua ordinare, & pro incolumitate regum & regni pace Deum jugiter velint & delectentur exorare, & omnia que ad ipsarum sanctimonialium causam pertinere videntur sub immunitate rerum S. Cyrici, sicut in preceptis predecessorum nostrorum regum videlicet & imperatorum 885.

Digitized by Google

continetur tali dispositione permaneant; decrevimus denique omnimodisq; vetamus & vetando firmiter prohibemus quatinus ab hodierno & in reliquum nullus ibi concursus aliorum fiat, neque a .... illic standi aut commorandi, neque confugium inibi faciendi aut mora, exceptis iis qui ad Omnipotentis clementiam exorandam eumdem locum sanctum humiliter petierint, qui eisdem Deo sacratis nullam molestiam inferant. Si qui forte illud presumtive agere temptaverint, aut capite minuantur, aut tantum auri pondus prætaxato sanctissimo loco conferant, quo tam abbatisse quam reliquis illic Deo militantibus satisfaciant, quia nullatenus illum ad hospitale concessimus alicujus mortalis, sed ad sanctorum suffragia poscenda pro statu regni, & temporis tranquillitate, & omnium christianorum salute singulariter diuturne. Et ut auctoritas hujus precepti vigeat, subtus manu propria firmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi imperatoris augusti.

Amalbertus ad vicem Liuthuardi recognovi.

Data XVI kal. Septembr. anno Incarnationis Domini DCCCLXXXV, indictione IIII, anno autem regni domni Karoli piissimi imperatoris augusti in Italia V, in Francia IIII, in Gallia II. Actum Atiniaco palatio feliciter.

XIII.

Chartular. Nivern.

Alterum privilegium de Cuciaco valentius & expressius.

886. IN nomine sancte, &c. *ut in precedenti usque ad hæc verba*, dissipetur vel transmutetur. Statuimus etiam ut de omnibus appendiciis villarum ejusdem abbatie que nunc habentur, vel que ipsa abbatia adquisierit, omnis decimatio frugum, que ad orreum & cellarium dominicum veniunt, ad abbatem sancti Martini de suburbio Nevernis, ad necessitatem canonicorum ibi Deo servientium referatur, & absque contradictione reddatur, sicut consuetudo est de omnibus villis in omni nostro imperio; congregatio autem sanctimonialium qualem habeat numerum ibi Deo servientium judicio & discretione Nevernensis episcopi concedimus ordinandum, ut nec plus quam expediat numerus sanctimonialium crescat, nec minus quam oporteat ibi Deo famulantes constituat. Abbatissa quoque decedente ejusdem monasterii nullatenus sanctimoniales sibi abbatissam erigere presumant sine consensu & judicio Nevernensis episcopi, & episcopus Nevernensis nullomodo sine consensu sanctimonialium aliam aliunde abbatissam ibi constituat, nisi unam ex ipsis sororibus in invicem consentientibus. Ut autem ipse sanctimoniales subjectionem debere se recognoscant Nevernensi episcopo, ne aliquando velint se subtrahere a jugo & ordinatione Nevernensis ecclesie, constituimus consilio fidelium nostrorum ut omni anno festivitate S. Martini in mense Novembrio in censum exsolvant episcopo Nevern. libram argenti I. Deinde per hoc precepti institutum confirmamus, & confirmando prohibemus ut nunquam ab eis amplius exigatur preter annualem censum, quem causa subjectionis decrevimus & diffinivimus, nisi eum quem sibi pontificem habuerint causa caritatis, aut itineris necessitate, aut superventu liberaliter susceperint. Confirmamus quoque per hoc preceptum ut nullus comes, nullus judex, nullus episcopus, de hiis que ad usus sanctimonialium pertinent, neque in ipso monasterio, neque alicubi extra monasterium aliquid dominari per potentiam presumant, & nec ulla opposita persona paratas, nec censum, nec aliquod obsequium a sanctimonialibus exigat, sed absque ullo obstaculo impeditionis quiete vivere, & secundum libitum sua ordinare, & pro incolumitate regum & regni pace Deum jugiter velint & delectentur exorare, & omnia que ad ipsarum sanctimonialium causam pertinere videntur, sub immunitate rerum S. Cyrici sicut in preceptis predecessorum nostrorum regum & imperatorum continentur tali dispositione permaneant. Et ut auctoritas hujus precepti vigeat, suptus manu propria firmavimus, & anulo nostro insigniri jussimus.

Signum KAROLI gloriosissimi augusti.

Amalbertus ad vicem Liutuardi recognovit.

Data XVII kalend. Septembris, anno Incarnationis Domini DCCCLXXXVI, indictione IIII, anno autem regni domni Karoli piissimi imperatoris augusti in Italia V, in Francia IIII, in Gallia II. Actum Attiniaco palatio feliciter. Amen.

XIV.

De Isodro abbatia S. Petri & cella S. Reveriani.

Ex chartul. Nivern.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, Karolus gratia Dei imperator augustus. Si imperialis sollicitudo ea procuret que ad instaurationem sancte ecclesie catholice pertinere noscuntur, sine dubio magnum imperii culminis statum preparare comprobatur; & non solum in presenti stabilimentum regni & imperii corroborat; sed etiam in futuro eterne retributionis premium sibi conciliat. Sit ergo cognitum cunctis fidelibus sancte Dei ecclesie tam presentibus quam & futuris, quoniam Willelmo comite adeunte nostram celsitudinem exorati sumus ab ipso & deprecati ut ad memoriam reduceremus inviolatam patris sui Bernardi fidelitatem, & pro memoria nostri nominis, & pro redemtione anime patris sui Bernardi comitis ecclesie S. Cyrici, cui Emmenus presidet episcopus Isodro abbatiam S. Petri sitam in Augustudunensi comitatu, & cellam S. Reveriani beatissimi martyris sub precepti testamento in dispositione Nevernensis episcopi subditas constitueremus. Consilio autem adhibito cum consiliariis nostris rememorantes cum quanta fiducia & animi virtute, & permanenti fidelitate Bernardus gloriosus comes & marchio se opposuerit contra hostes nostros & insidiatores ac devastatores regni contra Bosonem tyrannum & sequaces ejus, & quam promto animo mori in bello contra supradictos infideles pro excellentia nostre fidelitatis pugnans amaverit. Decentissimum repperimus ut quod filius ejus Willelmus comes & marchio postulabat exsequeremur; precepto igitur presentis auctoritatis & confirmationis res supradictas, cellulam sancti Reveriani beatissimi martyris sitam in Nevernensi comitatu cum omnibus appendiciis suis, villis, silvis & campis, pratis & ecclesiis & mancipiis, Isodro etiam sancti Petri abbatiam sitam in Augustudunensi comitatu simili modo cum omnibus suis reditibus sibi pertinentibus Deo & beato Cyrico martyri & presidibus ipsius ecclesie ad possidendum & disponendum & dominandum subjugamus ut indulgentiarum Dominus nobis & illi fideli nostro, si in aliquo deliquimus contra rectores ipsius ecclesie Nevernensis in futuro de omni excessu reatus dignetur esse propicius. Deinde hoc decretum largitionis nostre ut perseveranti auctoritate consistat, subtus propria manu signavimus, & impressione anuli nostri precepimus sigillari.

Signum KAROLI gloriosissimi imperatoris augusti.

Amalbertus notarius ad vicem Liuguardi recognovi.

Actum XV kalend. Septembris, anno V regnante domno Karolo imperatore in Francia III, in Italia IIII, indictione VI feliciter.

Digitized by Google

X V.

Annales Bened. tom. III, pag. 687 & 688.

Privilegium Caroli Craſſi imperatoris de omnibus abbatiis & curtibus eccleſiæ Nivernenſis.

887. IN nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, Carolus gratia Dei imperator auguſtus. Si fidelium noſtrorum aurem celſitudinis noſtre petitionibus accommodaverimus, morem predeceſſorum noſtrorum, parentum, regum ſcilicet & imperatorum exercebimus. Igitur cognoſcat prudentia & inquiſitio fidelium ſancte eccleſie catholice preſentium ſcilicet & futurorum, quia dum apud Pariſium cum Germanis & Francis ad obſidionem ſederemus contra paganos, Emmeneus venerabilis epiſcopus Nivernenſis eccleſie in eadem militia nobis pernoctans, quadam die precepta predeceſſorum noſtrorum imperatorum & regum cognoſcenda & relegenda obtulit, in quibus continebantur immunitates ſui epiſcopii, & abbatiæ & curtes indominicate, & reddita beneficia ab avunculo noſtro Carolo imperatore fratre patris noſtri Ludovici germanorum regis. Poſtulabat itaque predictus epiſcopus ut preceptum noſtre roborationis & conſenſus priorum patrum addere dignaremur. Nos autem etiamſi de majori re poſtulaſſet, cum illi prompta mente favere ob reverentiam ſui ſacerdotii conabamur, adepto conſilio cum primoribus palatii noſtri, probavimus quod innoteſcebat & precabatur agendum; morem denique regum & imperatorum, patres ſcilicet & avunculos noſtros imitantes, & eorum inſtituta toto animo conſervare optantes, conſtituimus precepti conſcriptum Nevernenſi eccleſie & venerabili pontifici Emmeno, de abbatia S. Martini extra murum Nivernis ſita, & de omnibus ſuis reditibus; de abbatia S. Troeſii, de abbatia S. Agricole, de abbatia S. Salvatoris, de abbatia S. Geldardi ſanctiq; Lupi, de abbatia S. Francovei, de abbatia S. Vincentii in Magniaco, de curte etiam ultra Ligerim, de abbatia S. Geneſii & S. Mariæ Dei genitricis, in qua ſanctimoniales femine Deo militant; de abbatia in Cuciaco juſſu & ſtudio Emmeni epiſcopi ædificata, de qua conſtituimus in aliud preceptum ut ſanctimoniales duas partes ſuis uſibus de omni beneficio abſq; ullo ſervitutis obſequio habeant, & omnem tertiam partem de omni beneficio totius abbatie, ſive de alode nobilium ibi condonato habendam Nevernenſi epiſcopo cenſuimus, niſi ipſe epiſcopus ſuam tertiam partem ſanctimonialibus feminis ſponte tempore famis, aut pro aliqua opportunitate vel neceſſitate uſque ad conſtitutum ab epiſcopo tempus reliquerit, & licenter uti & exfruticari permiſerit: de abbatia etiam in inſula Galli poſita cum omnibus ſuis beneficiis, & de beneficio quod Richardus comes eidem abbatie per cartæ ſcriptum appoſuit Emmeno epiſcopo poſtulante; de abbatia Glandone cum omnibus ſibi pertinentibus, de cellula ſancti Deſiderii extra & contra portam civitatis poſita, de abbatia S. Petruſii in Morvenno cum omnibus ſuis appenditiis, de abbatia S. Patricii inter Ligerim & Alaricum fluvios cum omnibus appendiciis; de porta etiam civitatis cum ambabus turribus contra S. Deſiderium ſtructa, que & porta epiſcopalis dicitur; & de clauſtro canonicorum & de omnibus areis infra civitatem poſitis, ut nullus judex, nullus ſcilicet principatus manſionare aut ſervitium exigere, aut occupare preſumat; de manu etiam firmis, ut judicio epiſcopi & diſpoſitione ſicut incipiunt habere exordium: ita judicio & definitione epiſcopi utrum vere an falſe ſint, utrum ſtabiles an inutiles ſint tantummodo abſque judiciali poteſtate comprobentur, ordinentur & definiantur. De Amſiaco & mallis ejus, ut ſicut ab antiquo, ita etiam ex hoc tempore omnia conſerventur, de Urſiaco, de Variniaco ac mallis ejus ex antiquitate conſervatis; de Marſiaco, de Primriaco, de Dagoniaco, de Marſiciaco, de Diguntio, de Artado &

A de beneficio in Provintia, & de illis beneficiis que ſunt in Matcodonenſe comitatu & in Catolonenſi comitatu, & in Auguſtudunenſi comitatu, & in Autoſidorenſi comitatu, & in Bituricenſi comitatu, & in Arvernenſi comitatu quantumcumque ex S. Cyrici ratione ab antiquitate eſſe cognoſcitur; & ut immunitas integra in omnibus conſervetur, & ut eumdem honorem & obſervantiam quam ceteri epiſcopi in ſuis urbibus habent, epiſcopus Nivernenſis eccleſie in ſuis que ad ſe pertinent habeat hoc precepto inſtituimus, & inſtituendo decernimus. De cauſa quoque fratrum canonicorum S. Cyrici quidquid a regibus, & ab epiſcopis ejuſdem eccleſie de Patriniaco, de Seviriaco, de Curte, de Germiniaco, de Wariniaco, de Jurmico, de alodiis communibus eorum ſicut diſi-
B nitum eſt, ita & nos conſentiendo diſinimus, & hoc preceptum manu propria ſubſcripſimus, & anulo noſtro adſignari rogavimus.

Signum CAROLI glorioſiſſimi imperatoris auguſti.

Amalbertus notharius ad vicem Liutuardi recognovi.

Datum XV calendas Januarii, anno Incarnationis Domini DCCCLXXXVIII, indictione V, anno VI regni Caroli piiſſimi imperatoris auguſti in Italia, in Francia IIII, in Gallia II. Acta Pariſius in Dei nomine feliciter. Amen.

X V I.

C *Permutatio inter Franconem epiſcopum & Raonconem ab Odone rege confirmata.* Ex Sammarthanis.

IN nomine Domini Dei eterni, & ſalvatoris Jeſu-Chriſti Odo clementia Dei rex. Si ea que inter ſe fideles loci temporiſve commoda opportunitate ex rebus propriis, aut jure beneficii ſibi commiſſis, cauſa augmenti meliorationis juſte & legaliter agendum deliberaverint, noſtris confirmamus edictis, regiæ nimirum celſitudinis morem perſequimur, idque ad regni divinitus nobis collati tutelam perficere non dubitamus. Ergo cunctorum ſancte Dei eccleſie fidelium ſolertia noverit, quoniam adiens noſtre præſentiam ſerenitatis Franco venerabilis epiſcopus ſanctæ Matris eccleſiæ Nivernenſis, quæ conſtructa & dedicata noſcitur in honore ac nomine pretioſi Martiris
D Cirici, humiliter petiit ut quandam precariam quam cum Raoncone fideli noſtro, cum aſſenſu Fratrum Chriſto inibi militantium ex rebus jam dicti S. Cyrici, ſanctique Martini fecerat, præcepto noſtræ eminentiæ confirmare dignaremur. Sunt autem hæ res quas jam dictus Franco epiſcopus memorato Roconi dedit, in pago Matiſcenſi in villa Fiſciaſco de poteſtate S. Cyrici manſos 3 veſtitos cum terra apſa ad ipſam poteſtatem in eadem villa aſpiciente, & in villa Circiaco manſos 2 veſtitos, in villa quoque .... de poteſtate manſos 2 apſos, & de rebus S. Geneſi æque manſos 3 apſos, & in pago Cabilonenſi villa Cacenaco de rebus S. Cyrici manſos 4 de ratione vero ſancti Martini in villa Montis eccleſiam cum mancipio uno, terraque ad ipſam pertinente veſtita 1. Pro hac vero
E rerum præſtaria poſſeſſione, conferre præfatus Roco ſupraſcriptæ matri eccleſie ex rebus propriis in pago Matiſcenſi, in villa Colonias manſum 1 & in Juviniaco manſum 1, eo jure ut tam ipſe quam conjux ejus Garna, eorumque infantes Raculſus ſcilicet & Tendrada, uſufructuario in ſua habeant vita, anniſque omnibus in feſtivitate S. Martini ſolvant rectori ſanctæ eccleſiæ præſcriptæ pro cenſu ſolid. X, poſtque eorum diſceſſum utræque res melioratæ revertantur cum omni integritate ad poteſtatem S. Cyrici. Faventes itaque libentiſſime precibus memorati epiſcopi, hoc noſtræ ſublimitatis præceptum fieri juſſimus, per quod jubemus, ut juxta præſcriptionem diſpoſitionis præſcripti epiſcopi, dictus Roco cum uxore, & nominatis 894.

Digitized by Google

infantibus, afcriptas res, falvo per omnia jure ecclefiaftico teneat, atque ufufructuario poffideat. Et ut hoc noftræ auctoritatis præceptum jus in Dei nomine per tempora fupervenientia fubfiftere valeat, manu propria fubterfirmavimus, noftroque annulo figillari juffimus.

Signum ODONIS gloriofiffimi regis.

Data v idus Julii, indict. XII, anno 7 regnante Odone gloriofiffimo rege.

XVII.

Ex chartario ecclefiæ Nivernenfis.

Franco epifcopus dat quafdam res S. Cyrici ecclefiæ S. Symphoriani.

897. IN Chrifti nomine Franco Nevernenfis ecclefie pontifex. Notum fieri volumus omnibus fancte Dei ecclefie fidelibus noftris noftrorumque fucceffloribus, hujus rei curam amminiftrantibus, quia petiit a nobis quidam canonicus nofter facerdos nomine Teutdgrimmus, ut ei concederemus ex rebus S. Cyrici ad meliorandam ecclefiam S. Symphoriani de beneficio Trutbaldi, confentiente ipfo jam dicto Trutbaldo, hoc eft, iflam fuper alveum Aleril, & campum unum juxta S. Amancium, & duas oleas juxta ecclefiam pro remedio animarum noftrarum & concederemus ei pratum quod dicitur Martiacus ad cenfum totum & ad integrum ea fcilicet ratione ut annis fingulis Kalend. Martii facerdos ipfius ecclefie rectori beneficiorum pro ipfo prato folid. X exfolvat: cujus petitionibus adquiefcentes fatisfecimus ea vero ratione ut annis fingulis fupradictum cenfum ficut fcriptum eft perfolvat, & fi inde tardus aut neglegens extiterit in duplum reftituat & pratum non amittat. Et ut hæc auctoritas certius credatur diligentiufq; obfervetur, manu propria fubfcripfimus & canonicorum noftrorum manibus roborandam effe decrevimus. Actum Nevernis civitate coram omnibus.

S. Franconis epifcopi, S. Hildegrini decani, S. Leotdegarii p'. S. Helie archiclavi. Atto laudavit. Data in menfe Januario anno V regnante Karolo rege. Johannes primus tabellio rogatus fcripfit.

XVIII.

Ex chartario ecclefiæ Nivernenfis.

Idem præful ex nonis & decimis epifcopatus aliquid confert capellæ S. Vincentii martyris.

903. QUISQUIS locum conftructum in Dei honore & fanctorum ejus veneratione, confecrata donis aliquibus aucmentare defiderat, mercedem indeficientis boni apud eternum largitorem recepturum fe nequaquam fore dubitet. Quocirca Franco paftor venerabilis ecclefie Nevernenfis notum effe cupimus ecclefie fidelibus cunctis prefentibus fcilicet atque futuris, quoniam anno falutifere Incarnationis Dei & Domini noftri Jefu-Chrifti nongentefimo tertio, regni vero Karoli regis fexto, nono etiam noftræ ordinationis, refidente me in Neverno civitate, in publica fynodo ad jufta judicia difcernenda, & inequalia deftrhuenda fub die quinta kal. Maii venit, Acto ecclefie noftre archidiaconus & domui noftre protocapellanus humiliter deprecatus eft noftre pietatis clementiam ut paftorali more cuidam capelle fue proprietatis in villa Calioveti fite & in honore perpetue virginis Marie, necnon & incliti martyris Chrifti Vincentii dedicate aliquid ex nonis & decimis noftri epifcopatus inibi concedere dignaremur, quatinus minifter inibi Deo ferviens noftro fulcitus juvamine adjuvatricem celorum reginam perpetuam Virginem defferviendo pro nobis & anteceffloribus, nec non & fucceffloribus noftris propinquis & parentibus noftris Deum exorare delectet. Cujus peticionem ratam adprobantes fidelitatem quoque illius reminifcentes per confilium noftrorum fidelium canonicorum fcilicet cardinalium & archiprefbyterorum, atque forenfium facerdotum, amicorum etiam & fidelium laicorum fecimus quod precabatur, & concedendo concedimus in primis res proprietatis fue fitas in pago Nevernenfe in finibus noftre parochie fuis indominicatis cum laboratoriis & ex medietariis medietatem, & in dominicatis etiam noftris decimis & nonis concedimus ibi ex villa Sarmafia, P. Vendellam fcilicet quam eidem Attoni conlatam habebamus & in parochia etiam S. Laurentii de Villa-Gemillis Mafnile unum villulam fcilicet que vocatur Suliacus. De parochia etiam ex villa Sarmafias eamdem villam Calioveturn in qua hedificata eft eadem ecclefia ad integrum cum omni integritate fui; villam etiam Varennas cum omni integritate fui. Has enim duas villas ad jamdictam capellam conceffimus, ea fcilicet ratione ut omni anno feftivitate fancti Mauricii prefbytero ejufdem ecclefie folidos tres fenior fupradicte capelle in cenfum perfolvat, & fupradictas res quieto ordine teneat, & poffideat abfque illius inquietudine & contradictione.

XIX.

De villa Amangias, & de quarta parte Brienonis.

Ex Chartul. Nivern.

IN nomine fancte & individue Trinitatis, gratia Dei Rodulfus rex. Regie celfitudinis magnificentia folemniter exigit ut fideles noftros Claros debeamus honoribus fublimare. Ideo cognofcat totius regni noftri venerabilis fidelitas, quia accedens ad manfuetudinem noftram Gozfredus comes fatis reverenter expetiit, ut Tedelgrino Nevernenfis ecclefie prefuli quafdam res poteftatis noftræ quas ei in beneficium dederamus regii precepti inftitutione confirmaremus. 935. Cujus petitionibus eo promtiffime ceffimus, quo magis eos noftris fervitiis habiliores & promptiores effe cognofcebamus. Ideoque ad deprecationem jamdicti fidelis noftri juffimus prefato amiftiti hoc regale preceptum fieri, in quo confirmando decernimus, & decernendo firmamus, ut Amangias villam cum ecclefiis duabus ad fe pertinentibus, Biliacum videlicet & monafteriolum in pago Eduenfi fitam, & quartam partem Briennonis ville in pago Nevernenfi cum ecclefiis fimiliter duabus, quarum altera vocatur fancta Genovefa, altera Cavaroca, quatenus deftinatus pontifex & fucceffores ejus diebus vite fue teneant atque poffideant eo fervato tenore ut ex Amangiis nonas & decimas S. Symphoriano, & X folidos denariorum ad refectionem fratrum ejufdem loci per fingulos annos exfolvant, & ex Briennone fancto Andree ejufque rectori, nihilominus reddant. Ut autem hujus noftre munificentie largitio firmior habeatur, & ftabilis confervetur, manu propria eam firmavimus, & anuli noftri impreffione juffimus figillari.

Signum RODULFI gloriofiffimi regis.

Hugo cancellarius ad vicem Anfufi epifcopi recognovit & fubfcripfit.

Actum Autiffiodoro II idus Decembris, indict. VI, anno XIII, regnante gloriofiffimo rege Rodulfo.

XX.

Tedalgrinus epifcopus favet petitioni Eptini viceconitis.

Ex chartario ecclefiæ Nivernenfis.

IN Chrifti nomine Tedalgrinus Nevernenfis ecclefie humilis epifcopus. Notum fieri volumus fidelibus 947. fancte Dei ecclefie prefentibus & futuris, quia petiit nobis Eptinus vicecomes & uxor fua Grimaldis quod filio eorum Norduino videlicet noftro militi aliquid noftri juris videlicet ex ratione canonicorum cenfualiter concederemus. Sunt autem manfi duo cum eorum appendiciis, fcilicet, terris, pratis, vineis atque alie

Digitized by Google

vinee quas ipse Eptinus canonicis prefate ecclesie A contulit que sunt in pago Nevernense, in vicaria Magniacense, in villa Tuciaco, quidquid videlicet in eadem villa visi sumus habere sub omni integritate ipsis concedimus sicut diximus ut vite eorum tempore teneant & possideant, & annis singulis festivitate S. Cyrici canonicis istius ecclesie solid. x in censum persolvant; & si ex ipso neglegentes fuerint, in duplum restituant, & propter hoc hanc terram a nobis concessam non amittant. Et ut melius credatur & confirmetur, manu propria eam subt. firmavimus, & canonicorum nostrorum manibus corroborari decrevimus.

Actum est Nivernis civitate. Tedalgrinus peccator episcopus. Eroicus indignus archidiaconus scripsit. Atto archiclavus, Ragenardus dc. Luinus presbyter, Walterius levites, Guido presbyter, Tedalgrimnus dc. B Guosselmus sacerdos, Frotmundus presbyter, Bertradus presbyter, Willelmus levites, Johannes dc. Romaldus presbyter, Adalgaudus dc. Ardradus clericus, Ermengaldus. Datum mense Augusto, anno XII regnante Ludovico rege.

XXI.

Charta donationis Liutgardis canonicis S. Cyrici.

947. CULTU divine religionis ac superne institutionis pro adhipiscendis eterne remunerationis premiis quicumque afflatus sacrorum locorum ministros ex propriis rebus dilatando sublimaverit, quibus gratiam benedictionis, necnon & pie recordationis aliquando percipere possint credimus sanctorum intervenientibus C meritis quibus ad serviendum a progenitoribus traditi sunt, cum participem fieri cum ipsis in benedictione celesti. Unde & ego Liuthgardis uxor quondam domini Rodulfi karissimi senioris mei, ac helemosynarii ejus Eptinus, videlicet atque Nordoinus, nec non & Guinerannus ob memoriam & recordationem ejus; & ut ei Dominus in futuro vitam dignetur prestare sempiternam, donamus alodum ipsius qui est in comitatu Nivernensi & in villa Trangiaco prope Nivernis civitatem, cum vineis, terris, pratis, aquis ad usus & stipendia canonicorum S. Cyrici. Donamus etiam alodum qui est in villa Karisiaco, scilicet quem adquisivit Rodulfus comes de Rocleno, totum & ad integrum. Hec omnia superius dicta donamus; donataq; in perpetuum esse volumus ad usus predictorum D canonicorum, ut omni tempore teneant jure hereditario, atque possideant pariter. Ea ratione ut nullus ex ipsis sine aliorum communione, vel ulla quelibet persona nullo precatu, neque ullo interventu muneris dono hanc hereditatem tenere presumat; quod si fecerit, jam dicta hereditas revertatur ad proprios heredes prelibati Rodulfi. Et ut hæc donatio in reliquum ampliorem obtineat vigorem, manibus nostris eam corroboravimus, ac manibus nobilium virorum confirmandam tradidimus. Si quis contra hanc donationis chartam aliquam calumpniam promovere voluerit, quod repetet, non vindicet; sed insuper iram Dei Omnipotentis incurrat, coactusq; exsolvat auri libras decem ac presens donatio omni tempore firma & stabilis permaneat. Actum Nivernis civitate solempniter. E S. Liutgardis que fieri & firmari rogavit, sig. Eptini vicecomitis qui similiter fieri rogavit, sig. Norduini qui nec minus fieri rogavit, sig. Guineranni qui similiter consensit. Gualterius levites scripsit. Data anno XII Ludovici regis, mense videlicet octobr.

XXII.

Restitutio cujusdam alodi canonicis sancti Cyrici ab Attone archidiacono Nivernensi. Ex chartul. Nivern.

QUICUMQUE Dei salute animæ suæ cupit esse sollicitus, sanctos Dei qui pro peccatis hominum intercessores existunt, de rebus sibi conlatis honorare studeat; & si aliquid ex ecclesiis eorum injuste aut neglegenter tenuit, illud ante diem mortis suæ amore ipsorum reddat, ne damnum animæ sustineat. Quocirca notum sit omnibus ecclesiæ fidelibus præsentibus atque futuris, quoniam Atto S. Cyrici archidiaconus atque thesaurarius, dum gravi infirmitate tactus de redimendis peccatis suis cogitaret, & facultates suas in ecclesiis & pauperibus distribueret, rememoravit inter cætera, quod quemdam alodum, quem ipse tenebat prope Nevernem civitatem, & in villa Calovedi situm, duo episcopi avunculi sui, Atto videlicet & Tedalgrinus, ecclesiæ S. Cyrici ad victum & stipendium canonicorum ejus devoverant. Unde convocatis fratribus & amicis suis, quibus summam suarum rerum commiserat, salubre consilium cum ipsis reperit, ut ipsum Domino Deo & S. Cyrico & canonicis ipsius ecclesiæ cum omni integritate redderet, quod & fecit. Reddidit ergo ipsum alodum ad usus, ut dictum est, canonicorum S. Cyrico deservientium, cum omnibus quæ ad ipsum pertinent, cum capella in honore S. Vincentii sacrata, & vineis, terris, pratis, silvis. Insuper cum omni adjectione & acquisitione, quam iidem duo episcopi, & ipse nepos eorum per commutationes & comparationes ad hunc alodum adjunxerunt & adquisierunt, eo tenore, ut sicut illi hunc viventes tenuerunt, ita præfati canonici absque ulla diminutione ipsum teneant & possideant, & pro animabus ipsorum episcoporum & sua Deum & S. Cyricum jugiter exorent, ipsosque orationum suarum perpetuo participes faciant. Ut autem hæc donationis carta ab omnibus hæredibus suis cunctisque personis falso oppositis inviolabilem obtineat vigorem, manu propria illam confirmavit, & manibus fratrum & parentum seu amicorum suorum confirmandam tradidit; illud ad stabilitatem ipsius donationis constituens, ut si quilibet invasor & presumptuosus hanc calumniare temptaverit, primo iram Dei & S. Cyrici omniumque sanctorum incurrat, & deinde ipsis canonicis quibus litem intulerit, auri libras centum coactus componat, & hæc donatio firma & inviolata permaneat. Actum est in Nivernis civitate publice.

Circa 950.

XXIII.

Charta Gosberti Nivernensis episcopi de terra sancti Cyrici in villa Artado, & in pago Autissiodorensi in villa Patriniaco. Ex chartul. Nivern.

GOSBERTUS Nevernensis ecclesiæ episcopus. 955. Notum fieri volumus cunctis ecclesiæ fidelibus præsentibus scilicet & futuris, quoniam petiit a nobis quidam fidelium nostrorum Siguinus nomine, ut illi & uxori suæ Hilariæ, & duobus filiis suis Siguino & Udoni aliquid ex terra S. Cyrici sub firmitatis scripto concederemus; cujus petitionibus adquiescentes concessimus illi & uxori suæ, præfatisque filiis in pago Nevernensi & in villa Artado, terram de potestate S. Cyrici, quam Arbaldus clericus olim nostro dono tenuit cum omnibus quæ ad hanc recte pertinere videntur. In pago etiam Autissiodorensi concessimus illis terram similiter S. Cyrici, quæ est in villa Patriniaco, cum capella in honore S. Baudelii consecrata, & his quæ ad eam pertinere videntur, sicut ipse Arbaldus eamdem terram tenere visus fuit, eo tenore, ut quamdiu isdem Siguinus & prædicti hæredes ejus nostrum senioratum & nostrorum successorum habue-

rint, & eam deservierint sine censu præfatam terram teneant & possideant, sed tantum nonas & decimas, sicut consuetudo est, annuatim reddant: si vero hanc terram deservire nullo modo potuerint, ex eadem terra solidos decem festivitate sancti Cyrici omnibus annis reddere studeant, & quieto ordine teneant & possideant, præfatæque nonæ & decimæ huic matri ecclesiæ omni tempore reddantur; quod si ex prædicto censu neglegentes fuerint duplicatum eum componant, & ideo hanc terram a nobis sibi concessam non perdant. Et ut melius credatur, & diligentius conserveiur, manu propria illis hanc firmitatis chartam confirmavimus, & canonicorum nostrorum manibus confirmari jussimus. P. Gosbertus humilis episcopus. S. Addo archiclavus, S. Dodo archidiaconus, S. Unbertus presbyter, S. Luinus decanus, Romaldus, Guido presbyter, Gozlelmus presbyter, S. Hildefredus presbyter, S. Bertradus presbyter, S. Hildegerius presbyter, Hildradus presbyter, Teterius diaconus, Erbertus diaconus, Adalgaudus diaconus, Girardus diaconus, Randuinus subdiaconus, Guillelmus subdiaconus, Ricardus subdiaconus, Garnerius clericus, Abbo clericus, Roclinus, Gillebertus diaconus. . . . & datavit in vicem Teterii. Anno II regnante Lothario rege in mense Aprili.

XXIV.

Ex chartul. Nivern.

Manufirmatio de terra sancti Cyrici in Matisconensi patria.

955. GAUBERTUS sanctæ Nevernensis ecclesie episcopus. Notum fieri volumus omnibus tam presentibus quam futuris, qualiter veniens quidam illustris clericus, nomine Teodericus, ante præsentiam nostram expetiit mansuetudinem nostram quatenus concederemus ei quasdam res huic sanctæ ecclesiæ subditas in pago Matisconense sitas, hoc est ecclesiam in honore sancti Martini dicatam in villa que dicitur Mons & in altera villa, quæ vocatur Bello-planus, atque altera Cerciacus, necnon & in villa Fisceiaco, ultra quoque Sagonnam fluvium omnia que ibi sanctus Cyricus habere dignoscitur, cujus petitionibus libenter adquiescentes concessimus ei & uno heredi, cui ipse voluerit, post obitum suum, cum omnibus videlicet appendiciis, id est vineis, campis, silvis, aquis, pratis inquisitum & inquirendum. Ipse vero concessit sancto Cyrico unum mansum in pago Nevernense in villa Severias, tali tenore, ut quandiu vixerit ipse atque supradictus heres teneant, solventes in censum missa sancti Cyrici ex manso solidos III, & ex supradictis rebus solidos XII, & sic demum teneant omnia cum servis & ancillis; & si tardi aut negligentes de ipso censu fuerint, non amittant, sed dupliciter censum componant. Actum Nevernis publice. S. Gaubertus sanctæ Nevernensis ecclesiæ episcopus S. Atto archidiaconus, S. Tedelgrinus, S. Umbertus, S. Dodo archidiaconus S. Randuini, S. Widonis, S. Gausfredi, S. Erberti, S. Eldeberti, S. Bertadi. Ego Gillebertus scripsi & firmavi ad vicem Teterii, regnante Lotherio rege anno II.

XXV.

Ex chartulario ecclesiæ Nivern.

Charta Bertæ comitissæ qua donat duas curtes ecclesiæ S. Cyrici.

966. DEI fidelibus de futura vita cogitantibus illud est propositum ut de ablutione animæ suæ seu parentum suorum solliciti ecclesias sanctorum de propriis rebus suis honorent, quo ipsi sanctos pro se intercessores habeant. Quapropter ego in Dei nomine Berta comitissa pro remedio animæ meæ seu senioris mei Siguini comitis filiorumque meorum ab hoc seculo decessorum dono ecclesiæ S. Cyrici curtes duas quarum altera vocatur Vivarius, altera Villa, quæ olim ab eadem ecclesia subtractæ fuerunt, easque regali præcepto prædictus senior meus adquisivit. Ad hanc autem quæ Vivarius vocatur, pertinent ecclesiæ duæ, Druiacus & Selgiacus; pertinent etiam villæ, campi, prata, silvæ, pascua, aquæ, aquarumq; decursus & mancipia utriusque sexus. Ad illam vero quæ Villa vocatur, pertinet ecclesia una quæ in eadem villa est constructa, simul etiam villæ & campi, prata, silvæ, pascua, aquæ, aquarumq; decursus & mancipia utriusque sexus ibi consistentia. Hæc etenim omnia supradicta, & quicquid ad ea pertinere videntur, sicut olim Siguinus meus senior tenuit, seu quicquid Tecbaldus filius meus S. Cyrico dedit, sub integritate eidem S. Cyrico condono, præter duos mansos de Curtevillæ qui sunt in Crisiaco villa & mancipia ista, Evrardum cum uxore sua & infantibus suis, Girbertum cum uxore sua & infantibus suis, & uxorem Bonæ fide cum infantibus suis quæ tenet Ugo. Alia omnia quæ remanent, omnia, sicut dixi, ecclesiæ S. Cyrici tribuo, eo tenore ut diebus vitæ meæ ista omnia teneam & possideam, præter indominicatum de Curtevillæ quod S. Cyrico in vestitura relinquo. Post meum vero obitum omnis hæc terra præter illam quam Tecbaldus Gozfrido per cartam dedit, sicut supradixi, ad ecclesiam S. Cyrici sub potestate episcoporum ibi Deo servientium, sine aliqua interpellatione personarum perveniat. Si vero aliqua persona hæredum meorum contra hanc chartam insurrexerit, nichil evindicet; sed iram Dei Omnipotentis & sanctorum ejus incurrat, & coactus centum libras auri cocti cui litem intulerit persolvat, & præsens donatio firma permaneat. Actum est in Nevernis. ✠ Berta comitissa hanc chartam firmavit & firmare rogavit. S. Anserici vicecomitis, S. Hugonis filii ejus, S. Gozfridi, S. Ottranni, S. Leterii, S. Guchardi, S. Hildeberti, S. Rodulfi, S. Rotberti, S. Hugonis, S. Ottranni, S. Villerii, S. Ingelbaldi. A. Magnerius. . . . . & datavit in mense Maii anno XII regnante Loterio rege.

XXVI.

Donatio Teterii & nepotis ejus in gratiam canonicorum S. Cyrici.

Ex chartulario ecclesiæ Nivernensis.

IN nomine Dei. Notum sit omnibus quoniam ego Teterius S. Cyrici canonicus atque decanus pro 969.
redimendis peccatis meis, & Tetgerius nepos meus donamus ecclesiæ S. Cyrici ad victum & stipendium canonicorum alodum nostrum in pago Nevernensi, in vicaria Ginniacense, in villa Tilio juxta vineam S. Cyrici quam nos per manum firmam tenemus; videlicet quicquid ibi visi sumus habere tam ex paterna hæreditate quam ex adquisitione, totum canonicis S. Cyrici tribuimus, eo tenore ut illud teneant & possideant ad victum scilicet & stipendium suum, sicut diximus, absque alicujus personæ interpellatione. Si vero aliquis nostrorum hæredum hanc donationis chartam calumpniare voluerit, nichil evindicet, sed canonicis quibus litem intulerit auri cocti libras X coactus componat, & postea hæc donationis charta firma permaneat. Actum est in Nevernis civitate. Ego Teterius & nepos meus Tetgerius hanc donationis chartam confirmavimus & confirmari jussimus. S. Rocleni, S. Leuterici, S. Guicardi, S. Foltri, S. Odolrici. Tetgerius levites ad vicem Teterii, & datavit in mense Aprili anno XVI regnante Loterio rege.

Digitized by Google

XXVII.

Ex chartul. Nivern. *Adraldus donum a Natranno episcopo suscipit.*

968. NATRANNUS Nevernensis ecclesiæ episcopus. Notum fieri volumus omnibus nostræ ecclesie fidelibus presentibus atq; futuris, quoniam petiit a nobis quidam vir nomine Adraldus, ut illi arpentum unum & dimidium & perticas sex ex nostra hereditate, quam Antidius nobis dimisit in villa Pusco ad medietatem plantationis concederemus. Terminatur in uno latere terra S. Marie & S. Cyrici & S. Geldardi, in una fronte terra S. Cyrici, in duabus frontibus vie publice; infra has terminationes concessimus illi hanc terram ad medietatem plantationis, eo tenore ut infra quinquennium eam teneant & possideant, & expleto quinquennio unam medietatem advineatam & bene constructam nobis reddat, & ex altera faciat quod voluerit. Sed quisquis eam tenuerit in camera Domini, hujus terre denarium I, ex censu pro ea persolvat. Actum est in Nevernis civitate. P. Natrannus episcopus, S. Erbertus levites, Ricardus levites, S. Rainardus levites, S. Teterius decanus, S. Guido archipresbyter, S. Guauterius presbyter, Tetgerius levites scripsit & datavit in mense feber. anno XV, regnante Loterio rege.

XXVIII.

Charta Natranni episcopi Nivernensis.

986. QUAMVIS commune propositum sit christianorum omnium vario gradu & schemate viventium de statu & religione sanctæ matris ecclesiæ cogitare; episcoporum tamen regimini grandior hujus imminet cura, qui vice Petri, cui Deus pascendos agnos ovesque commisit, aliorumque apostolorum positi, baculo sibi tradito, caulas ab hostium incursu latentium debent astute tueri; & quia breves sunt hominis dies, & apostolus clamat, curre miser dum tempus habes, ne incidas in mortem, tanta ab eis cura status & religio ecclesiæ fulciendus est & sustentandus, quanta lupum rapacem, qui circuit quærens quem devoret, insidiantem cognoscunt suis ovibus. Plurimis etenim & innumerabilibus modis in ecclesia sævit serpens antiquissimus, sed una criminosa & damnanda consuetudine ipsam affligit, dum pastores illius cupiditate illecti terras ecclesiæ, aut alicui distrahere, aut in alterius dominio compellit inrecuperabiliter transferre. Unde exorta famis penuria, ministri ecclesiæ afflicti, canonici videlicet & monachi, ordo quoque sanctimonialium ceterique servitores ecclesiæ vulgo dispersi statum illius paulatim destitui consentiunt, quem juribus privati sustinere non valent. Cujus immutationis damnum si forte aliquis successor meliori spiritu restauraverit, procul dubio sciat se in futuro mercedem supernæ retributionis accepturum. Quocirca notum sit cunctis ecclesiæ fidelibus præsentibus & futuris, quoniam Natrannus Nevernensis ecclesiæ Dei nutu episcopus, inspectis a primo suæ consecrationis tempore, sibi commissæ ecclesiæ variis asperisque indigentiis, partim persecutione paganorum malorumque christianorum, partim antecessorum suorum culpa innatis, inter cætera canonicorum statum, quod sibi pejus visum est, adeo imminutum & turbatum aspexit, ut ex ecclesiæ sumtibus nullus horum tantum caperet, unde ab episcopo & prælatis ad officia divina constringi nec cohiberi nisi pro libitu potuisset. Pro quo dispendio idem pastor multum gemens, dominico afflatus impulsu, fideliumque suorum adepto consilio, dedit ad supplementum victus canonicorum S. Cyrici quarumdam ecclesiarum altaria cum decimis & oblationibus cunctisque ad ea pertinentibus, quarum etiam beneficia ipsorum erant canonicorum; suntque in pago Nevernensi, ex quibus duo in præsenti ipsis

A largitur canonicis, alterum in honore S. Medardi in villa Arcus, alterum in honore S. Vincentii in villa Pruvia constitum; tertium quoque post mortem Teterii hujus ecclesiæ decani, de ecclesia Salviniaci in honore sancti Stephani consecratum. Dedit etiam idem præsul prædictis canonicis alodum quemdam sibi ab Antidio consanguineo suo eo tenore dimissum in eodem pago Nivernensi & in villa Pusco situm, clausum videlicet sibi cohærentem cum terra & prato & silva, & quidquid illi olim Antidius dimisit, & ipse postea ab eleemosynariis suis comparavit, ipsis canonicis possidendum perpetuo dimisit. Deinde hac donatione ex animo facta & testamento scripti corroborata, hanc legem & tenorem ipse pastor summo interdictu ipsis canonicis imposuit, ut de ecclesiis jam B dictis terraque, nec occasione beneficii seu cujuslibet oppressionis aliquam cuilibet horum dare seu vendere, vel accommodare possint, sed perpetuo jure ad stipendium sui victus has teneant & possideant, singulisque synodis ex unaquaque sanctæ matris ecclesiæ denarios VI investitura persolvant, & in die quo transitus illius episcopi advenerit, summo studio vigiliarum & missarum officiis, sicut mos est, in ecclesia pro anima ejus frequentatis & decantatis, ex sumptibus illarum ecclesiarum in refectorio communiter vivant, & postea pro animabus omnium successorum ejus & sua Deum sanctumque Cyricum assidue rogent, & si possibile est pro illis similia faciant. Hoc autem magna obsecratione & interdictu ipse prohibet episcopus ut nullus successorum suorum aut qualibet alia persona C quidquam ex supradictis rebus ausus sit ipsis subtrahere canonicis; quod si fecerit, ira Dei Omnipotentis damnatus maneat, habeatque partem cum *Dathan* & *Abiron*, & cum eis qui dixerunt Domino Deo: *recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Ut autem hæc auctoritas majore sit firmitate fulcita, non solum memoratus pontifex manu sua, sed etiam archiepiscoporum & coepiscoporum provinciæ manibus auctorizandam & confirmandam tradidit, quorum nominibus titulata ab omni sit calumniatorum atque æmulorum defensa versutia.

Actum est in Divionis castro. P. Natrannus pastor humilisque episcopus subscripsi, Sevinnus sanctæ Senonensis ecclesiæ archipræsul, Gibuinus Catalaunensis ecclesiæ episcopus subscripsi, Albero Lodunensis ecclesiæ episcopus subscripsi, Letulfus vocatus D Nivionensis * ecclesiæ episcopus subscripsi, Guedricus Lingonensis ecclesiæ episcopus, Rodulfus Cabilonensis ecclesiæ episcopus, Hugo diaconus ante præsentiam regis & datavit in mente Martio, anno XXXII regnante Lotherio rege.

* *f.* Noviom.

XXIX.

Charta Rocleni episcopi de altario sanctæ Mariæ, de Capella & S. Amandi de Garigniaco. Ex chartul. Nivern.

LICET adsistat communis recompensatio christianorum omnium de cultu religioneque almifluæ 986. matris ecclesiæ estimare; præsulum tamen potestati E altior instat cura, qui jure beati Petri apostoli cui omnium auctor rerum fovendas ovium greges commisit, orthodoxorum turmas & ecclesiæ caulas a morsibus seu a stimulis callidi hostis obnixe debent vallo piæ munitionis tueri. Et quia dinoscimus brevem mortalium hominum adfore terminum, consideremus dicentem apostolum: *Curre miser dum tempus habes, ne incidas in mortem.* Totiens est enim cultus ecclesiæ & status venerandus ac fulciendus, quoties congaudet sevissimus serpens dilaniari ac discerpere fidelium mentes. Est etiam vitanda consuetudo Deo odibilis & præfato invido habilis qua iisdem universalem affligit ecclesiam, cum pastores illius aviditate iniquæ cupiditatis inlaqueati terras ecclesiæ aut cuilibet distrahere, aut in alterius lege volunt inrecuperabiliter committere.

Quo

Quo more ministri ecclesiæ afflicti & circum quaque A dispersi secularium jus imitantes divinum officium nimis postponunt. Quod si forte quispiam nostrum ab hoc dolo recesserit, absque dubio noscat se in futuro munus supernæ habitationis accepturum. Ideoque Roclenus Nevernicæ sedis, annuente Christi clementia præsul ad supplementum victus canonicorum S. Cyrici quoddam altare in veneratione Domini nostri Jesu Christi genitricis Mariæ consecratum, cum decimis & oblationibus illi pertinentibus tribuo, quod altare prolocutum est situm in provincia Nevernensium, in loco quem vocitamus capellam[a]. Sit vobis vero omnibus cognitum quoniam memorans facti antecessoris mei Natranni cari præsulis, qui propter cœlestis gratiæ dignitatem possidendam bona quæ agere prædictis canonicis potuit libenter adimplevit, B cujus exemplum imitari cupiens, secundum quod potuero, largiente Domino, gratanter perficiam. In ipso etenim pago simili modo aliud altare ipsis memoratis canonicis concedo in honore sancti Amandi[b] dedicatum, qualiter perpetualiter possideant. Hanc vero exiguam donationem taliter corroboramus, ut ex præfatis ecclesiarum terris, nec occasione beneficii, seu cujuspiam potestatis detractione vendere vel accommodare cuipiam nemo nostrorum successorum amodo valeat, sed in stipendiis canonicorum jam prædicti Cyrici ibi deservientium æternali more permaneat, & singulis annis ex una quaque matri ecclesiæ investitura denar. IIII persolvat. Unam quam vocamus Capellam quamdiu vixerit Oldegerius teneat, in villa Guarigniaca Hoterius possideat; & post illorum necem C perpetualiter Cyrici ministri habeant; & humili devotione deposco, ut cum ingenti studio orationum & missarum sollemniis sicuti propter animæ meæ indulgentiam ex sumtibus earum in refectorio vivant, & pro animabus defunctorum fidelium preces fundere non cessent. Quisquis hoc exiguum munus a sacris sanctæ matris ecclesiæ ministris inibi deservientibus abstraxerit, anathematizatus sit atque excommunicatus, & cum iis qui dixerunt Domino Deo: *Scientiam viarum tuarum habere nolumus*, pereat, inferni claustra possideat, in libro cœlestis vitæ non scribatur, sed æterno supplicio damnetur, in die novissima sit cum sinistris, nihil commune habeat cum dextris.

Roclenus humilis episcopus, Henricus Burgundiæ dux, Erbertus Autissiodorensium pontifex, Guil- D lelmus comes, Galterius episcopus, Giberta comitissa, Landricus gloriosus miles. Rodulfus levita scripsit & datavit mense Aprilis, primo anno regnante Ludovico rege.

[a] Ballerg.
[b] Garigny.

XXX.

Rocleni episcopi donum Bercherio & ejus uxori factum.

Circa 986 aut 987. ROCLENUS Nevernensis episcopus, cognitum facimus omnibus nostre ecclesie fidelibus presentibus & futuris, qualiter concedo cuidam Villano nomine Bercherio & uxori ejus Adallardi arpentos duos qui conjacent in pago Nevernensi in villa Valle de terra ad medietatem plantationis per consensum Eldradi militis & Gozfridi, de quorum beneficio adesse videtur, est autem ex terra S. Cyrici, & terminatur ita, in tribus partibus terra ejusdem sancti Cirici, in quarta via publica. Infra istas terminationes concedo predictis hominibus prefatam terram, eo tenore ut infra quinquennium eam teneant, & post quinquennium unam medietatem advineatam rectoribus ipsius terre reddant, & ex alia medietate denar. IIII in censu persolvant singulis annis prenominato terre rectori, & postea quecumque voluerint faciant, & si neglegentes fuerint, duplicatum componant & propter hoc non perdant. Actum est civitate Nevernis. S. Rocleni presulis, S. Guidonis decani, S. Floterii prepositi, S. Gosfridi archiclavi, S. Hugonis levite.

XXXI.

Charta Hugonis Nivernensis in favorem Aureæ-vallis. Ex chartular. Nivernensi.

AUCTORITATE antiquorum patrum sancitum est ut ea que in posteris volumus fore firma, ne astu fallacie cavillentur, scripturis adnotatione corroborentur. 1015. aut 1016. Unde notum esse volumus tam presentibus quam secuturis sancte Dei ecclesie rectoribus qualiter venientes per consilium Ugonis comitis atq; Autissiodorensis episcopi quidam monachi domni Odilonis abbatis ex cenobio quod vocatur Aureavallis, scilicet Unbertus, Andraldus, Rannulfus atq; Odo ante presentiam reverentissimi presulis Hugonis Nevernensis & clericorum sub eo degentium expetierunt clementiam eorum ut quamdam terram almi martyris Christi Cyrici que sita est in pago Augustudunensi justa fluvium Ligerim, & vocatur ipsa terra Vivent sibi & ad locum Aureævallis quod dedicatum est in honore S. Salvatoris & S. Marie sanctiq; Johannis pro precaria concederent; quorum peticionem prefatus presul per consilium clericorum suorum suscipiens predictam terram cum omnibus rebus que ad eam adspiciunt vel adspicere videntur omnibus in locis, id est, agris silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus, totum ad integrum, usque ad inquirendum, nec non & mancipiis utriusque sexus ea ratione concessit, ut annis singulis rectores jam dicti loci, quod vocatur Aureavallis, quo in loco domnus abbas Odilo preesse videtur in festivitate Beati Martini sol. II ad victualia fratrum in censum persolvant. Et si de ipso neglegentes in aliquo extiterint, in duplo restituant. Simili modo concessit in aliis locis, id est, in villa Neusiaco & in Moncello seu Senviniaco, & in Villeretum, & in circuitu S. Johannis & in Mulneto, & in campo Aabaldi, & in monte Benedicti, & ad sanctum Dionysium, & in Tempoiaco, & in Digompiaco, quantum in eisdem vallibus vel locis beatus Martyr Cyricus videtur habere, id est, in terris, silvis, pratis, pascuis, vineis, aquis, aquarumve decursibus, exitibus & regressibus & mancipiis utriusque sexus, totum ad integrum usque ad inquirendum: eo tenore ut omni anno rectores jamdicti loci sol. III in censu persolvant. Ut enim hæc præcaria omni tempore majorem optineat firmitatis vigorem, manu jam dicti episcopi & ejus clericorum assignationibus roborata est. Actum est civitate Nevernis publice. S. Hugonis presulis, S. Guidonis archidiaconi, S. Berteloni abbatis, S. Evrardi prepositi, S. Ragembaldi decani, S. Teobaldi presbyteri, S. Odonis presbyteri. Tetbertus presbiter cancellarius scripsit datavitq; mense Julio, anno XX regnante Rotberto rege.

XXXII.

Hugo episcopus dat ecclesiæ sancti Cyrici abbatiam S. Troësii ad supplementum victus.

QUANQUAM commune sit propositum christicolarum omnium sepe meditari de statu sancte Circa 1025. E matris ecclesie, episcoporum tamen regimini hujus imminet grandior cura pre cunctis qui vice B. Petri ceterorumq; apostolorum positi, quibus Deus agnos ovesque quas ipse proprio corpore redemerat commisit, virga sibi tradita ovilia ecclesiæ a faucibus circumvenientium defendere debent hostium. Quoniamq; sunt breves hominis dies, & apostolus clamat: *Curre miser, dum tempus habes, ne cadas in mortem;* tanto propensius debent ecclesie statum regere, quanto attentius cernunt insidiari rapacem lupum ovilibus suis; plurimis quidem & pene innumerabilibus pro sui multitudine modis sevit infra universalis ecclesie viscera ipse antiquus hostis humani generis, dum pastores illius insaciabili aviditate detenti, terras ecclesie dis-

Digitized by Google

trahunt, quod minime licitum est, aut in alieno dominio irrecuperabiliter transferunt, qua de re inopia famis exorta ecclesie ministri afflicti vulgoque dispersi, statum illius paulatim destrui consentiunt, quem viribus privati sustentare non possunt; cujus perverse imminutionis dampnum si forte aliquis successor restauraverit, procul dubio sciat se in futuro mercedem superne retributionis accepturum. Idcirco innotescat omnibus ecclesie filiis tam præsentibus quam & futuris, quoniam ego Hugo Nevernensis ecclesie episcopus quamvis peccator & indignus, cupiens sequi vestigia antecessorum meorum, scilicet Herimanni & Natranni, qui pro capiendo celestis regni bravio ecclesiam sibi commissam prout potuerunt libenter exaltare studuerunt, dono ad supplementum victus canonicorum B. Christi martyris & infantis Cyrici, & ejus matris Julitte, quorum corpora hec sancta mater amplectitur ecclesia, quamdam abbatiam in honore S. Troësii confessoris & monachi consecratam, & in suburbio hujus urbis sitam, cum omnibus suis appendiciis, videlicet terris, vineis, pratis, silvis, aquarumque cursibus, molendinis & furnis, consensu quidem & voluntate Euvrardi canonici atque prepositi, cujus beneficium esse videbatur, necnon & per publicum nostrorum omnium auctoramentum, eo pacto ut nullus episcopus, neque comes, aut aliqua secularis persona infra ipsam abbatiam aliquam pravam consuetudinem mittere presumat: quod si fecerit, eterna perditione dampnetur, nisi resipuerit. Concedo etiam predictorum canonicorum victui quandam ecclesiam in pago Nivernensi sitam, & in honore sancti Francovei dedicatam, cum omnibus suis appendiciis, duobusque altaribus ibi pertinentibus, e quibus unum in honore S. Firmini est consecratum, scilicet in villa que Bucciacus appellatur, alterum vero in honore S. Benigni sacratum esse videtur, consensu & voluntate Widonis hujus loci archidiaconi, qui hec tria altaria tenebat firmitatis cartula a Rocleno antecessore meo sibi facta, quam cartulam ipse michi spontanea mente reddidit, & hoc donum firmum & stabile eternaliter esse censuit. Iterum concedo prædictis canonicis quandam silvam, quæ vulgari nomine Calma vocatur; furnos equidem duos similiter eis tribuo intra menia hujus urbis sitos, unum ante dormitorium, alterum vero in confinio claustri. Consuetudines igitur pravas quas habuerunt antecessores mei & ego actenus tenui in canonicali terra, omnino dimitto, videlicet de capiendo villanorum vino vindemiarum tempore. Hec autem parve donationis munuscula concedo ipsis canonicis, inprimis pro exaltatione ecclesie michi commisse. Postque pro meorum prevaricatione peccaminum, atque pro redimendis facinoribus mei patris Hugonis meeque Helizabeth matris, successores autem meos pro Deo & propter Deum obsecror, ut nichil de rebusculis predictis sanctorum canonicis a me distributis cuiquam homini jure beneficialio aut censualiter vel cartula tribuant; sed canonici semper habeant, & inde communiter vivant, perpetualiterq; possideant. Si quis vero tergiversator, quod absit, contra hec falso insurgere voluerit, in adventu superni judicis anathematis mucrone feriatur, & excommunicationis gladio juguletur, ultionisq; divine ictu moriatur, nisi resipuerit & ad emendationem venerit. Ut autem hec auctoritas majori & stabiliori sit firmitate fulcita, non solum ego manu propria subscribens firmavi, sed etiam domni Landrici istius urbis comitis, ejusque filiorum omnium, necnon & cunctorum fidelium nostrorum manibus firmandam & roborandam esse decrevi. Ego in Dei nomine Hugo indignus episcopus huic testamento a me facto subscripsi. Acta sunt hec Nivernis ab Hugone episcopo, XI ordinationis sue anno. Odo levita atque cancellarius scripsit jussu Hugonis presulis.

XXXIII.

De altario S. Gervasii & de cimiterio præceptum Hugonis episcopi. *Ex chartul. Nivern.*

EGO Hugo gratia Dei Nevernensis episcopus. 1029.
Notum volo fieri cunctis fidelibus tam presentibus quam futuris qualiter venerunt canonici S. Cyrici ante meam præsentiam deprecantes, ut eis altaria in dextera parte contra meridiem monasterii S. Cyrici sita concederem, unum quod dedicatum in honore sanctorum confessorum Gregorii, Nicolai, Hieronymi atque Augustini ipsique totum membrum basilicæ ædificarent, & me auctorizante atque sanciente, sacraretur claustrum ut esset illis placabilis locus sepulturæ cuicumque esset velle. Quorum petitione suscepta, consensu ac voluntate Goffridi clavigerii ac Rodulfi decani sive secretarii, de quorum ministerio supradicta altaria esse videbantur. Concedo libenter ut & ipsi & eorum posteri nominati canonici quæcumque ex eis exierint, Deo donante habeant in communionem. Si quis vero hominum invidiæ stimulo percussus huic chartulæ vel donationi ullo modo contradicere conatus fuerit, quod agere contra fas & jus voluit, irritum maneat, ad nihilum veniat, sitque illi mansio cum *Dathan & Abyron*, quos terra deglutivit vivos, & Juda proditore Domini, & cum illis qui dixerunt Domino Deo: *Recede a nobis, quoniam scientiam viarum tuarum nolumus.* Auctoritas vero hujus cartulæ, ut firma & stabilis permaneat, eam propria manu firmavimus, nostrosque idem facere jussimus. S. Hugonis præsulis qui hoc fieri jussit, S. Widonis archidiaconi atque præpositi, S. Goffridi archiclavi, S. Rodulfi decani atque secretarii, ceterorum canonicorum Teibaldi, Rodulfi, Raginaldi, Goffridi, Richardi, Rannulfi, Landrici, Ingelberti: diaconorum nomina hæc sunt Umberti, Otberti, Malguini, Odonis, Bernardi, Girardi: hæc sunt nomina subdiaconorum Goffridi, Tedalgrimi, Hugonis, Raginaldi, Rocleni, Elranni. S. Raginaldi comitis, S. Hugonis vicecomitis, Fromundi, Rocleni, Landrici, Fromundi filii Fromundi Gozberti. Acta civitate Nevernis publice. Odo præceptor atque cancellarius scripsit mense Decembri, regnante Roberto rege anno XXXIII.

XXXIV.

Hugo episcopus Nivernensis dat abbatiam sancti Salvatoris Cluniaco.

SOLERTISSIME prælati sanctæ Dei ecclesiæ pro- 1045.
curare debent, ut omnia sibi a Domino credita ita constituant ne proruant, & quæ viderint depravata, juvante Domino, prout potuerint in melius restituant. Quapropter ego in Dei nomine Hugo Nivernensium humilis præsul cernens quamdam abbatiam in honore Domini nostri Salvatoris rite fundatam, sanctoque Cyrico delegatam, priscis temporibus monastici ordinis decoratam; sed nostrorum prædecessorum incuria valde depravatam, atque regulam almi confessoris Christi benedicti pene foris eliminatam, cupiens in pristinum restituere gradum, cum consilio Adalelmi ejusdem rectoris loci ceterorumque clericorum & omnium fidelium nostrorum, tradimus Deo & sanctis apostolis ejus Petro & Paulo, & loco Cluniaco, cui magis prodesse quam præesse videtur D. Odilo, suisque successoribus, ob requiem animæ nostræ & antecessorum & successorum nostrorum hunc locum sublimatum, quatenus eorum frequentia precum omnes mereamur ascribi in libro viventium, cum appendiciis & adjacentiis, & sibi cohærentiis acquisitis scilicet & acquirendis, ut ab hodierna die & deinceps prædicti rectores loci teneant & possideant,

Digitized by Google

& quo modo melius eis secundum regulam S. Benedicti visum fuerit absque alicujus contradictione & calumnia disponant, tali conventione ut prædictus locus omni tempore in S. Cyrici Nivernensis matris ecclesiæ maneat subjectione, sitque acclivis & subditus ipsius sedis præsulibus, manus nostras a cœcitatis munere excutientibus. Successores vero & posteros nostros propter Deum & pro Deo obtestamur, ut hoc testamentum a nobis conscriptum inviolatum conservent, ne quandoque cavillantium vigente versutia in reliquum fiat irritum. Si quis vero, quod minime credimus, contra hanc testamentalem chartam calumniare ac contradicere temptaverit, sciat se primitus non vindicaturum quod præsumpserit, ac deinceps in adventu Domini cum venerit pro ausis illicitis feriendum jugulo. Ut autem hoc privilegium a nobis editum in posterum maneat inconvulsum, manu propria firmantes clericis & laicis confirmandum tradidimus. Hugo Nivernensis ecclesiæ episcopus huic testamento subscripsi. Actum civitate Nivernis publice in sancta synodo, anno Dominicæ Incarnationis M. XLV, indictione XI, regnante Henrico rege Francorum. S. Hugo episcopus, Adalelmus, Goffridus decanus, Malguinus archidiaconus, Goffridus thesaurarius, Hugo præpositus, Rannulfus presbyter, Landricus, Angilbertus, Hildebertus, Bernardus, Ramnulfus, Rodulfus, Rotbertus, Roclenus, Raginardus & alii quamplurimi. Odo præcentor atque cancellarius scripsit octavo idus Novembris.

XXXV.

Ex chartul. Nivern.

Hugo episcopus dat præposituram Hugonis præpositi canonicis S. Cyrici.

1050. IN Dei nomine, ego Nivernensis episcopus Hugo notum volo fieri omnibus sanctæ Dei ecclesiæ filiis tam presentibus quam futuris, quia venerunt ad me clerici illius loci & S. Cyrici alumni multum deplorantes querimoniamq; facientes de quodam clerico nostro, homine * Hugone ac præposito, qui omnes sanctæ hujus ecclesiæ terras vastabat, & pene ipsos fratres ad penuriam redegerat, & bona communia dissipaverat; quorum clamoribus commotus & fletibus multoties eum redargui & increpavi, ac pene usque ad excommunicationem ira permotus objurgavi. Hic autem penitentia ductus, & resipiscens de pristinis pravis actibus, salubre consilium elegit, meque adiit, & michi spontanea voluntate preposituram reddidit, eo tenore ut darem eam communi fratrum victui pro remediis peccatorum suorum & parentum omnium, & ut quod inde commiserat errando, indulgeret ei lapsorum omnium reparator. Et hoc unanimes ipsi postulaverunt canonici: timebant enim ne aliquis alius succederet ei, qui bona fratrum similiter dissiparet, & ad nichilum sicut & iste redigeret & pejora prioribus adderet. Ego vero eorum egestati condolens, & petitionibus adquiescens cunctis fratribus in unum adunatis eis, & communi eorum victui in dominio prefatam preposituram concessi. Igitur fratres supradicti volentes fratri & concanonico suo satisfacere ecclesiam S. Troesii in suburbio Nivernis civitatis sitam cum omnibus appendiciis quam olim concesseram communi eorum victui sub testamento privilegii, & villam unam que Vitingia dicitur, & terram Rusci, quam domnus predecessor meus Natrannus felicis memorie episcopus, cum strumento carte dimiserat sancte sedi delegaverunt illi, ea ratione ut dum viveret terrarum illarum usumfructum acciperet; post excessum vero ejus ad dominium eorum unde erant universa illa redirent. Proinde vero sepe dicti canonici petierunt humilitatem meam ut sub carte testamento donum hoc auctoritate propria firmarem. Ego denique ut divinam super me in hoc utcunque misericordiam provocem, quod deprecati sunt non negavi, sed prompto ac libentissimo animo concessi, auctoritatisque hoc scriptum speciali condicione fieri jussi, per quod & eas res que prius eis a me fuerant date *queq; postea eis delegare denuo confirmavi, meis etiam futurisq; temporibus mansurum esse volui ut ipsi canonici & successores sui quiete teneant sub jure ac potestate mee firmitatis, cum canonica institutione, detestans, atque sub anathemate mandans ut nullus subsequens episcopus, aut aliquis hujus ecclesie prelatus quod a me factum & auctorisatum est inficere vel calumpniare audeat. Si quis autem contra hoc aliquid molitus fuerit, & . . . . . . huic ecclesie restituere voluerit, accipiat partem cum inimico humani generis, & in perpetuum pene subjaceat tartareali. Habeat itaq; predicta mater ecclesia potestatem facere ex supradictis rebus quicquid voluerit, prout canonica instituta docuerint. Ut autem hec carta inviolabilem teneat vigorem, domnus Leo nonus sancte Romanæ sedis apostolicus synodo Vercellensi manu propria subtus firmavit, atq; manibus ceterorum episcoporum firmari jussit; & ut nullus testituere propositum supradicte ecclesie audeat, cum omnibus episcopis qui in sancta illa synodo possidebant * excommunicavit. Ego quoque huic carte manum posui, & ut firmior sit, confirmando sigillavi.

* f. nomine.

* forte præsidebant.

XXXVI.

Hugo episcopus dat ecclesiam S. Stephani canonicis regulam S. Silvestri papæ tenentibus.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, ad notitiam posterorum notis memoriæ literis assignamus, qualiter olim quoddam oratorium in honore Nativitatis fili Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, & B. Mariæ Virginis matris ejus nec non & B. Stephani protomartyris Christi, ac B. Johannis Evangelistæ dilecti Domini, ac sanctorum Innocentium dedicatum, quorumdam nefaria impietate perculsum & annihilatum, statum maximæ dignitatis amiserit, non reminiscentium illius Davidici psalmi: *Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: qui dixerunt possideamus sanctuarium Dei.* Et qui minus spiritualiter & nimis carnaliter sapientes res ecclesie, scilicet sacrificium in sacrilegium retorserunt ad laicorum usum; quibus quia plurimum lacrymæ debemus quam culpæ, minus suæ crudelitati dabimus proloquium. 1063.

Vir namque beatæ vitæ Columbanus abbas de talento sibi credito, ne sine lucro redderet, semper sollicitus, præmeditabatur duplicare in usura fidei, quod se reddditurum non ignorabat austero judici: unde ne torporis ignavia damnaretur a Domino, seipsum spirituale templum divinæ fecit gratiæ, & per multarum terrarum spatia quamplurima Deo ædificavit templa, quorum unum hoc, de quo prælibavimus, legimus illum fundasse in suburbio Nivernis civitatis, in quo uniquique suprascriptæ venerationi suum singulare ac marmoreum altare consecravit, sicuti adhuc presens dies indicat nobis: decoravit quidem ipsam ecclesiam honestate parietum & compositione marmorearum pyramidum, quod ex vetustate consumitur, & residuum igne comburitur: thesaurizavit vero illic auri & argenti & lapidis pretiosi, ac ornamenti diversi copiam, quod sacrilegæ manus in infernum deportaverunt, atque diversarum gazarum supplebatur copia, ecce ligni & lapidis premitur indigentia.

Aggregavit ergo inibi B. Columbanus sanctimonialium collegium, quæ regulæ subjacerent, & contemplativæ vitæ desudarent: illis autem obeuntibus, & cæteris earum subsequacibus per multorum annorum curricula ad tantam inopiam reversus est locus, ut qui plurimorum beneficiorum ditatus fuerat stipendiis, & a multis ibi Deo servientibus totius corporis pecuniam * abigebat, nunc solius hominis vitæ necessaria

* f. penuriam.

Digitized by Google

procul abnegat: quamvis enim authentica dicat scriptura; *Qui altari deservit, cum eo participet.* Tamen nemo ei participat quod nihil habet: istud namque altare peccatis nostris exigentibus adeo spirituali anihilatur obsequio, & terreno privatur beneficio, ut non sit qui sibi serviat vel si esset qui ejus servituti vacaret, profecto unde viveret non haberet, nisi aliunde quæreret.

Qua de re ego Hugo gratia Dei Nivernensis episcopus, intimo cordis dolore tactus, & mentis compassione compunctus, lacrymabili voce querimoniam hujus loci ante oculos Dei sæpius fudi, & obnixe deprecatus fui, ut statum hujus sanctæ ecclesiæ mihi commissæ idem Dominus Deus ad honorem suæ laudis relevando revocaret, quoniam mei officii est jus ecclesiasticum procurare, & quod bene constitutum est, ne proruat videre, & quod dissipatum depravatur in melius redintegrare. Cum vero in hac orationis frequentia meus incessanter animus perseveraret, venit quidam clericus nomine Hugo, nepos meus, nostræque ecclesiæ decanus, qui medietatem hujus olim abbatiæ, nunc jam nec abbatiæ, nec pene ecclesiæ, habebat a fratribus meis, qui eam tenebant a comite, videlicet domino Willelmo, in beneficio, dicens se invenisse secundum fragilitatem sæculi boni testimonii clericos qui irriguum inferius, quod est timor inferni, & irriguum superius, quod est amor Dei, secundum sui possibilitatem in hac basilica libenter procurassent.

Unde cum de consolatione ecclesiæ quod volebam audirem, D. Willelmum comitem regali genere natum, & magnificum virum, qui hujus loci altaria ex episcopali dignitate tenebat, & fratres meos Hugonem vicecomitem, atque Leonem more episcopali exorando monui, & monendo deprecatus fui, ut in hac fabrica pietatis manum mitterent, & in restauratione corporis ecclesiæ corpus peccati pro certo destruerent. Qui ut sapientes meæ saluberrimæ exhortationi bono animo acquieverunt, & auxiliante Deo, ut in unum omnium convenit sententia, canonicum ordinem in hac ecclesia esse, semperque fore decrevimus: his vero fratribus, quos hic in Dei nomine & canonico ordine congregamus, B. Sylvestri papæ Romani regulam tenentibus, hanc pauperrimam ecclesiam ab omni servitutis nodo solutam, pro Dei amore concedimus. Indignum enim valde judicamus, ut quæ est sponsa Dei, & mater nostra, nobis ad serviendum sit subjecta.

Quapropter & ut melius ædificent, & in ea laborando desudent, & de suis proprietatibus eam honorando amplificent, illis & omnibus posteris eorum hanc chartam perpetualiter firmamus, & adstipulando in infinitum firmissime corroboramus. Nos ergo auctoritate divina solidati, quæ vendentes & ementes flagellando de templo ejecit, omnino prohibemus & excommunicamus, ne præbenda hujus loci, vel aliquid ecclesiasticæ dignitatis alicui vendatur, seu ab aliquo ematur, neque Simon Magus hic lucrandæ cupiditatis evacuet sacculum, nec Judas traditor Domini mercator pessimus denuo vendat Christum, sed procul omnino exclusa totius pecuniæ nequitia, frater probabilis vitæ a cæteris eligatur, & immunis illis jungatur, & qui in hac congregatione voluerit esse major, sit illorum servus & ministrator. Ipsi vero fratres ex se ipsis cum deprecatione Dei priorem eligant, qui illis præsit canonice verbo & opere, & totius mentis intentione. In Dei nomine vehementer prohibemus ut neminem huic congregationi adjungat, nisi illum quem cæteri fratres idoneum æstimatum præsentaverint. Frater quoque adjungendus veluti in proximo moriturus, qualiscumque sit dives seu pauper sapienter definiendo sua dividat, & deinceps Ananiæ & Saphiræ qui non ex alieno, sed ex suo perierunt, proprietatem non habeat.

Igitur ego Willelmus memor Salomonis dicentis: A *Divitiæ viri redemptio animæ ejus;* pro salute animæ meæ, & omnium parentum ac fidelium meorum, reddo ac concedo Omnipotenti Deo, & S. Mariæ atque S. Stephano, cæterisque sanctis ibi veneratis, & canonicis ibidem servientibus ac servituris, per laudationem domini Hugonis episcopi & domini Goffridi Autissiodorensis præsulis, nec non matris meæ, & uxoris meæ, & filii mei Raginaldi, & cæterorum meorum Willelmi atque Roberti, & filiarum mearum, & Hugonis vicecomitis, & fratrum ejus Leonis & Raginaldi, quibus hoc beneficium ex me descendebat; hospitalitates hominum & equorum, & justiciam omnium hominum ibi manentium, omnemque consuetudinem hujus abbatiæ, quam ibi habebam; omnes quoque terras tam acquisitas quam acquirendas, B quascumque ad suum commune proficuum revocare poterunt, reddo, dono & laudo, & omnibus fidelibus meis laudare facio. Et ut hæc charta firma stabilisque & inconvulsa permaneat, manibus & nominibus nostris eam firmamus.

Actum Niverni tertio nonas Martii, indictione decima-quinta, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo tertio, regnante Philippo rege anno tertio, regimen sanctæ Romanæ ecclesiæ gubernante Alexandro papa anno secundo. Signum Richerii Senonensis archiepiscopi, S. domni Hugonis Nivern. episcopi, S. domini Goffridi Autissiodorensis episcopi, S. Hugonis decani, S. Malguini archidiaconi, S. Gaufridi thesaurarii, S. Odonis cantoris, S. Gosberti editui, S. Ragenardi abbatis, S. Ranulfi pres- C byteri, S. Odonis presbyteri, S. Rodulfi presbyteri, S. Galdini diaconi, S. Rodulfi diaconi, S. Landrici diaconi, S. Rocleni subdiaconi, S. Agmardi subdiac. S. Hervei subdiac. S. Falconis subdiac. S. Guillelmi comitis, S. Ragenaldi filii ejus, S. Guillelmi filii ejus, S. Roberti filii ejus, S. Hugonis vicecomitis, S. Leonis fratris ejus, S. Ragenaldi fratris ejus, S. Frodmundi militis, S. Roberti militis, S. Ragenardi militis, S. Landrici militis, S. Falconis militis, S. Gosberti militis, S. Eldradi militis, S. Bernardi milit. S. Ragemundi præpositi. Odo cancellarius scripsit mense Martio.... Ad laudem sancte firmatur Marie.

Hæc charta confirmata est in concilio Cabilonensi anno sequenti cum his subscriptionibus:

D ✠ Petrus Ostiensis episcopus legatus Romanæ ecclesiæ firmavit. ✠ Richerius Sennensis archiepisc. firmavit. ✠ Ugo archiepiscopus Bisuntinus firmavit. Ermenfredus Sedunensis episcopus firmavit. Signum Haimonis archipræsulis Bituricensis, S. Walterii præsulis Meldensis, S. Nivernensis episcopi Hugonis, S. Hugonis Cluniacensis abbatis. Agano Eduensis episcopus firmavit. Sig. Duranni præsulis Tolosensis, S. Rostagni Luctavensis episcopi (forsan Lutevensis vel Lodovensis), S. Goifredi Autissiodorensis episc. S. Achardi Cabilonensis episc. S. Drogonis Matisconensis episcopi, S. Aderici Aurelianensis episcopi, S. Amonis abbatis Eduensis cœnobii sancti Martini, S. Odonis Flaviniacensis cœnobii S. Petri, S. Giraldi E abbatis Trenorcensis cœnobii S. Filiberti, S. Seinfredi abbatis Cabilonensis sancti Petri, S. Araldi abbatis Bremensis, S. Walterii abbatis Ferrariensis, S. Gilberti Senonensis abbatis sancti Petri, S. Willelmi abbatis Iciodorensis, S. Gurjonis abbatis Balmensis, S. Tebaldi abbatis Viridiacensis.

Acta sunt autem hec octavis S. Laurentii XVI kal. Septembr. in Cabilonensi concilio, cui prefuit Petrus cognomento Damianus, S. R. E. legatus & Ostiensis episcopus, anno scilicet ab Incarnatione Salvatoris M. LXIIII, regnante Philippo rege Francorum anno III, in prima vero sequenti festivitate Nativitatis sancte Marie quando predictus Hugo episcopus in hac eadem ecclesia, de qua loquimur, presente clero & populo necnon comite Willelmo missam celebravit, fuit iterum

recitata hec carta cum magno favore totius populi,
presentibus etiam Gosberto milite cum uxore & filiis
ejus, atque Hugone vicecomite. Odo cancellarius
scripsit in mense Sept. Gosbertus edituus recitavit.

XXXVII.

Eamdem sancti Stephani ecclesiam reddit Cluniaco Malguinus episcopus.

1068. POSTQUAM Dominus ac Redemptor noster de-
victo mortis principe, illo unde descenderat, rediit;
post apostolorum ejus gloriosa certamina, post innu-
merabilium martyrum agones, & ab eo percepta pre-
mia gratiam & misericordiam, illius per diversas re-
B giones exstiterunt sancti viri, qui ejus preventi gratia,
spreto mundo & calcatis vitiis diaboli, crucem suam
ferendo, ejus magisterio se subdiderunt & jugo leni.
Ex quibus pater Columbanus de Ibernia nobili pro-
sapia ortus, pro amore ejus ad Gallias transitum faciens,
multorum cœnobiorum ibidem fundator exstitit de-
votus, tempore Theoderici regis Francorum qui eum-
dem patrem de regno suo ejiciens, ad multorum
salutem Italiam ire compulit. Ex quibus in suburbio
Nevernensis urbis unum exstitit in honore B. Marie
semper Virginis, & S. Stephani protomartyris x̃pi,
quod valde religiosum fuisse, & clarum adhuc multis
patet indiciis, cujus ruina cum per multa annorum
curricula imminserata maneret, nos peccatores & indigni
Malguinus Nevernensis episcopus, & comes ejusdem
C urbis Willelmus, & Hugo ipsius ecclesie Nevernensis
decanus, adjunctis nobis Hugone vicecomite, & fratre
ejus Leone cum Gausberto milite, præmissa horum
omnium auctoritate, & dono Geraldi clerici jam aliis
canonicis defunctis adhuc eidem loco presidenti,
ceteris etiam clericis laudantibus qui jam ex parte
manum miserant, ut se eidem loco attitularent, dona-
mus & stabili firmitate concedimus eamdem ecclesiam,
& omnia que pertinent ad eam Domino Deo & SS.
apostolis ejus Petro & Paulo ad locum Cluniacum,
ubi domnus Hugo abbas præesse videtur, & dimit-
timus omnes malas consuetudines quas ibi habebamus,
& ita liberum & absolutum reddimus, ut ab hodierna
die & dehinceps nullus mortalium ibi aliquid requirat
nisi Deus & SS. apostoli ejus Petrus & Paulus, &
D locus Cluniacus, & abbates & monachi qui ibi ser-
vierint. Si quis autem, quod fieri non credimus,
contra hanc nostre donationis cartam in aliquo secus
egerit, nisi resipuerit, inprimis iram Domini Dei
incurrat, sancti quoque apostoli ejus Petrus & Paulus,
quibus potestatem dedit ligandi & solvendi in celo &
in terra, ei januam vite claudant. Qui autem conser-
vator exstiterit absolutionem suorum peccatorum ab
eisdem apostolis consequi mereatur. Et ut hec carta
firma & stabilis maneat, manibus nostris confirma-
mavimus, & testibus roborandam tradidimus. Signum
Malguini Nevernensis episcopi, S. Willelmi comitis
& filiorum ejus Rainaldi & Willelmi, Sig. Geraldi
canonici, S. Hugonis decani, S. Hugonis viceco-
mitis & Leonis fratris ejus, S. Gauzberti militis. Facta
E autem fuit hec carta anno M. LXVIII ab Incarnat.
Domini nostri Jesu Christi, epacta VI, indict. XI.

XXXVIII.

Testamentum Hugonis episcopi.

1074. IN nomine Jesu Christi filii Dei vivi. Notum sit
omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis tam præsen-
tibus quam eorum posteris, quod ego Hugo sola Dei
gratuita bonitate, non mei recompensatione meriti,
sancte Nivern. ecclesie episcopus licet indignus, testa-
mentum de bonis que michi de episcopatu proventura
sunt ad laudem Dei & honorem institui precipio, &
quemadmodum quelibet persona laicalis uxorem sibi
A legitime vinctam juxta mundanæ legis traditionem
dotat de bonis suis terrenis & honorat, ita ego spon-
sam mihi spiritualiter vinctam, hanc videlicet ecclesiam
de bonis meis supradictis bona voluntate & bono corde
doto secundum traditionem sanctorum canonum &
honoro, tali videlicet modo, ut quandoque michi ex
Dei voluntate de hac vita caduca migrare contigerit,
medietas bonorum meorum de episcopatu, tam in
pane, quam in vino, auro & argento, & bestiis om-
nique suppellectili, tamen persoluto prius, si quod
fuerit tunc temporis, meo debito, canonicis Deo
sanctoque Cyrico die noctuque servientibus ex meo
jussu & dono tribuatur; altera vero bonorum medietas
rursus per medium dividatur, quorum unam partem
peregrinis & viduis in domo Dei infirmantibus; par-
B tem vero alteram monachis in monasterio S. Marie
sanctique protho * Stephani in suburbio nostre civitatis
servientibus erogari precipio; in quo scilicet monas-
terio michi sepulture locum elegi, si quidem in hoc
vel Altissiodorensi episcopatu michi obitus evenerit.
Si quis vero alio modo fecerit, vel hujus testamenti
ratam firmationem aliquatenus violare præsumpserit,
disperdat illum Deus, & ex divina auctoritate &
nostri ministerii potestate anathematis sub vinculo
tandiu teneatur, quoad usque Deus in hac presenti
vita acriter in eum ulciscatur, & respondeat clerus &
populus, fiat, fiat. Recitatum est hoc testamentum in
civitate Nivernis in ecclesia S. Cyrici, anno Dominice
Incarnationis M. LXXIIII, indictione XII, in calend.
Nov. fer. 7, quando idem ipse episcopus Hugo in sede
C pontificali intronisatus est, astantibus & audientibus Gos-
frido Autissiod. episcopo, & Willelmo comite, aliisque
primatibus multis, una cum clero & populo civitatis.
Recitatum est autem 2.° in sequenti septimana in plena
synodo. Rainerius vero dictavit præcentor ecclesie &
scripsit, regnante Philippo rege Francorum.

XXXIX.

Donatio abbatiæ S. Vincentii ecclesiæ sancti Cyrici ab eodem Hugone episcopo Nivernensi.

IN nomine Jesu Christi filii Dei Patris altissimi, 1075.
amen. Quicumque divine majestati in posterum
placere desiderant, & ad future retributionis bravium
D post mortalis cursum vite properant, necesse est qua-
tenus sanctam matrem eorum ecclesiam, & de rebus
propriis ut pote filii dulcissimi honorificent; & si quid
ex ea male usurpando distraxerint, ad eam ante diem
mortis dum locus est venie revertentes, sibi restaurent.
Hoc autem cum impositum communiter sit omnibus,
quodam tamen singularitatis privilegio episcopis quibus
commissa est injunctum esse videtur, quippe qui ob
hoc ceteris omnibus anteponuntur, ut bona quæ vi-
derint in ea toto mentis desiderio in melius promo-
veant, & mala si qua pullulaverint, falce justitie resecare
non differant. Qui & si ex sola Dei gratuita largitate
sortem adepti sunt apostolorum, aberrare nullatenus
debent unquam a vestigiis eorum. Unde notum sit
omnibus fideliter in Christo viventibus sancte matris
E ecclesie filiis tam presentibus quam in posterum venien-
tibus, quod ego Hugo Nivernensis ecclesie episcopus
peccator & indignus salutis usus consilio quamdam
abbatiam in suburbio nostre civitatis sitam, & in honore
sancti Vincentii martyris & B. Agricole episcopi &
confessoris dedicatam, sed quorumdam qui ante me
fuerunt pravitate & negligentia male dissipatam, ex
voluntate & consensu domni Goffridi Autissiodorensis
episcopi, videlicet patrui mei qui tenebat eam de me
jure beneficii, Deo & sancto Cyrico ad stipendium
canonicorum die & nocte in ecclesia servientium cum
omnibus appendiciis trado, & bona cordis voluntate
concedo. Hanc autem donationem bono corde &
bona mente ego & domnus Goffridus facimus atque

* In chartulario omittitur vox *martyris*.

concedimus in primis ad honorem sancte matris ecclesie; deinde pro redimendis peccatis nostris, & ad salutem anime Hugonis vicecomitis patris domni Goffridi qui supradictam abbatiam pro peccato suo male dilaceravit, & ad suam ipsius salutem, qui quod pater suus fecerat post modum laudavit, tali videlicet tenore, ut & ipsi & qui post eos venturi sunt, ejusdem ecclesie canonici habeant, & absque calumnia teneant atque perpetualiter possideant. Si quis vero contra hoc insurgere presumpserit, anathematis vinculo constringatur, & in adventu summi judicis a regno Dei nisi resipuerit confusus separetur. Ego Richerius Senonensis archiepiscopus confirmo. Sig. domni Hugonis Nivernensis episcopi qui hanc donationem fecit & firmari precepit, S. Goffridi Autissiodorensis episcopi, S. Rotberti Carnotensis episc. Omnes isti episcopi, quorum nomina hic pernotantur, excommunicant, & sub anathematis vinculo ponunt omnes illos qui hanc donationis cartam calumniaverint vel destruere presumpserint. Actum est civitate Aurelianis publice, in crastino Pasche, VIII id. Aprilis, regnante Philippo rege & concedente.

X L.

Ex chartular. Nivernens.

De terra S. Agricolæ quæ est in burgo S. Stephani, mutuata pro his quæ comes in Patriniaco habebat.

1083. IN nomine Dei summi. Notum volumus fieri omnibus sancte matris ecclesie filiis tam præsentibus quam eorum posteris, quod ego tercius Hugo Dei gratia Nivernensis episcopus communi decreto canonicorum meorum & assensu, terram que burgo sancti Stephani jungitur, & ab uno latere terra S. Petri clauditur, quam sub censu octo denariorum Hubertus tenuit hostilarius, cujus terre parochia S. Agricole fuisse dicebatur, monasterio S. Stephani, quod situm est in suburbio Nivernis, & monachis inibi servientibus terram illam censumq; supradictum & parochiam jure perpetuo tradimus. Et quia hoc facimus, domnus Willelmus comes, qui predictum locum S. Stephani destructum atque pauperrimum reedificare nititur, concedit ecclesie sancti Cyrici canonicis per manum nostram quod satis est opportunius, quæcumque scilicet in villa Parigniaci habere videbatur, id est terram & censum, & ejusdem terræ mansionarios cum consuetudinibus suis. Si posterorum aliquis traditionem istam legaliter sancitam calumpniare presumpserit sub maledicto erit quod annuntiat lator prisce legis; maledictus sit, inquit, qui patrum suorum statuta divellit. Acta est Nivernis publice, anno Domini M. LXXXIII, indictione VI, regnante Philippo rege Francorum. Raginerius a commentariis dictavit & scripsit XIIII kalendas Junii, feria VI. S. Hugo episcopus, S. Wibodus decanus, S. Golbertus thesaurarius, S. Raginerius cantor atq; scholarum ecclesie magister, S. Odo, S. Giraldus, S. Stephanus, S. Willelmus comes cum filiis suis Raginaldo, Willelmo & Rotberto Autissiod. episcopo.

X L I.

Charta Henrici regis pro S. Victore Nivernensi.

1085. IN nomine summe Trinitatis & individue Unitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Notum fieri volumus omnibus sancte matris ecclesie filiis tam presentibus quam eorumdem posteris, quatenus Henricus Francorum rex abbatiam sancti Victoris martyris in suburbio Nivernensi sitam penitus fecit liberam & ab omni requisitione de se & de suis successoribus reddidit absolutam, vidente & audiente Odone milite de Albiniaco in loco qui Capella Hugonis appellatur, dum ad podium sancte Marie exercitum duceret; quam cum ego Willelmus Nivernensium comes de predicto rege tenerem, laudante atque volente tertio Hugone nostræ civitatis presule, tradidi & concessi Deo & ecclesie sancte Dei genitricis Marie de Caritate, quatinus monachi ejusdem loci eam in perpetuum teneant & possideant, & monachos quos & quot voluerint inibi absque ulla inquietudine Domino servire faciant. Acta est Nivernis publice anno Domini M. LXXXV, indictione VIII, regnante Philippo. Rainerius cancellarius dictavit, & Fulcherius levita vice ejus scripsit VII calendas Julii, feria IIII. Sig. Willelmi comitis, S. Hugonis presulis. ✠ Fiat P. G. comes Nivernensis, & P. Matildis ejus uxor. Dono insuper predicte ecclesie ego Willelmus comes ad stipendium monachorum quamdam terram quam appellamus terram S. Victoris, quam ego conquisivi de Seguino de Lonna, & ita hanc donationem facio quatinus monachi ibi servientes post decessum mei habeant, & in eternum possideant, & in vita mea si mihi placuerit; quod si aliquis homo de terra illa aliquid habet, & pro anima sua huic ecclesie dare voluerit, ego volo, laudo & concedo.

X L I I.

Ex chartular. Nivernens.

De terra sancti Cyrici in Augustodunensi territorio & in villa Poliaco sita, monachis de Pariciaco sub censu concessa.

IN nomine sanctæ Trinitatis & individuæ Unitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Notum fieri volumus ego tertius Hugo Nivernensis episcopus, & cuncta congregatio nostra, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis tam præsentibus quam eorum posteris, quod Petrus prior & monachi de Parriciaco cum quibusdam laicis ante nostram venerunt præsentiam in capitulo sancti Cyrici humo tenus postulantes, ut ego & canonici nostri quamdam terram in Augustudunensi territorio sitam, in villa scilicet quæ dicitur Poliacus, quæ de beneficio canonicorum esse videtur, Deo & sanctæ genitrici ejus Mariæ, sanctoque Benedicto & fratribus ibidem Deo servientibus ad censum concederemus. Quorum precibus adquiescentes terram, quam a nobis postulaverunt illis habendam censualiter concessimus, tali videlicet ratione, ut uno quoque anno in festivitate S. Cyrici V solidos communi canonicorum conventui in censu solvant, & non tantum terram eis concessimus, sed etiam communem loci nostri fraternitatem tribuimus. Ipsi vero similiter loci sui societatem nobis concesserunt; adeo ut si aliquem nostrûm mori contigerit, tantum pro eo facient, quantum pro fratre suo facere debent; & si forte quempiam canonicorum nostrorum itineris necessitas Parriciacum conduxerit, tam honorifice ab eis suscipiatur atque hospitetur, ac si unus ex fratribus ipsius loci haberetur. Nos autem vicissim eamdem hospitalitatis humanitatem eis, si ad nos venerint, impertiri promisimus, ita dumtaxat dum in refectorio communiter vixerimus. Acta in Nivernis publice, anno Domini M. LXXXVIIII. Fulderius levita dictavit & scripsit vice Rainerii cancellarii, V idus Januarii, feria IIII, regnante Philippo rege Francorum. S. Hugonis præsulis, S. Rainerii precentoris, S. Raginardi abbatis, S. Landrici sacerdotis, S. Rotberti sacerdotis, S. Hugonis & Odonis in diebus illis præpositorum, S. Bernardi cancellarii, S. totius conventus, S. Seguini militis. 1089.

X L I I I.

Charta fundationis seu dotationis monasterii sancti Stephani Nivernensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti. Ego Willelmus Dei gratia Nivernensis comes, notitiæ tam præsentium quam 1097.

futurorum, literarum apicibus, tradere volo, ne aliqua vetustatis abolitione in oblivionem veniat venturæ posteritatis qualiter monasterium, cujus primus fundator exstiterat B. Columbanus in honore Nativitatis Salvatoris nostri Jesu Christi, & B. Mariæ semper Virginis, gloriosique protomartyris Stephani, necnon & dilecti Domini discipuli S. Johannis Evangelistæ, sanctorumque Innocentium in suburbio Nivernensi propriis sumptibus reædificavi, possessionibus ampliavi, ornamentis etiam ecclesiasticis decoravi; atque ab omnibus exactionibus seu consuetudinibus liberum, domno Hugoni abbati Cluniacensi, & per eum Cluniacensi ecclesiæ perpetuo possidendum, ordinandum & disponendum cum omnibus pertinentiis suis tradidi. Ego enim Willelmus divinæ pietatis inspiratione compunctus ad memet ipsum rediens, cœpi mentis oculum in contemplationem rerum transeuntium infigere, & in iis quæ in hujus nostri ruentis semper in deteriora seculi cursu fiunt plurimum immorari. Consideravi itaque & vidi, quia, juxta sapientis sententiam *Omnia vanitas, & veritas non est in eis:* tanta enim inest in his varietatis transmutatio, & deficientium, rursumque sibi succedentium rerum vicissitudinis obumbratio, ut nihil fere unquam in eodem statu permaneat; & folio quod a vento movetur & rapitur, omnia comparanda esse videantur. Unde & veram esse cognovi illam de homine sententiam qua dicitur, *Quia omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus sicut flos fœni:* quæ quidem David confirmatur testimonio, quo dicitur, *Homo sicut fœnum, & dies ejus tanquam flos agri sic efflorebit.* In Job quoque legitur, *Quia homo sicut flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Quid igitur amplius habet homo de universo labore suo quo laborat sub Sole! Transeunt enim cuncta quæ temporaliter obtinentur. Sed & homo in imagine pertransiens thesaurizat, & ignorat cui congreget ea, quia cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus, juxta illud, *Nudus egressus sum ex utero matris meæ, nudus revertar illuc.* His igitur, & aliis quamplurimis hujuscemodi sermonibus & exemplis per religiosos & literatos viros edoctus & instructus, cœpi de salute animæ meæ sollicite cogitare & qualiter peccata mea eleemosynis, ac bonis operibus redimerem, thesaurumque indeficientem mihi in cœlis thesaurizarem diligentissime pertractare, juxta illam Domini vocem dicentis, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo;* & alibi, *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Quæcumque enim, juxta apostolum, in præsenti seminaverit homo, hæc & metet in futuro. Sed quoniam qui in carne seminat (in qua & ego ejus utique concupiscentia abstractus, & illectus plurimum seminavi de carne) juxta apostolum, non metet nisi in corruptionem, placuit mihi de cætero in spiritu seminare, quatenus divinæ pietatis & misericordiæ dono, de spiritu, bonorum operum falce, in æterna segete, vitæ æternæ fructum mererer colligere. Insedit itaque animo, instigante me, & exhortante domino Hugone prius quidem decano, postea vero Nivernensi episcopo, jam dictum beatæ Dei genitricis, necnon & gloriosi protomartyris Stephani monasterium jamjam dirutum, & omnino pessundatum funditus reædificare, & religiosos monastici ordinis viros inibi constituere, quos inter me & Deum haberem mediatores, & apud Supremum Judicem pro peccatis meis indefessos intercessores. Ut igitur quod corde conceperam in effectum proferrem operis, primum quidem ipsum locum alti fortisque muri clausura per circuitum ambivi; deinde nobile monasterium cum tribus turribus satis pulchro venustoque opere, quemadmodum ab intuentibus videri potest, construxi. Claustra quoque & officinas quæ fratrum numero Deo inibi famulantium sufficere possent, cum capella infirmorum, ædificare curavi. Ornamenta quoque ecclesiastica eidem loco contuli, duas videlicet

A cruces, unam auream & aliam argenteam, textumque argenti deauratum, thuribulumque argenteum, & capsam argenteam, duo quoque paria candelabra de argento, cum calice aureo & tribus capis, ac una casula. Ad substantationem quoque servorum Dei inibi commorantium, meorum utique in cœlesti curia advocatorum, dono & concedo Deo & beatæ Mariæ semper Virgini, necnon glorioso protomartyri Stephano, cæterisque sanctis inibi veneratis, & supradictis fratribus Cluniacensibus eorumque successoribus, totum burgum sicuti modo pro burgo habetur, aut unquam melius habebitur, qui jam ex re nomen habens Burgus sancti Stephani appellatur, cum terra & hominibus inibi hospitatis seu hospitaturis, omnibusque consuetudinibus quas inibi habebam, nihil mihi penitus in ea retinens. B Sicut enim de meis peccatis nullum mihi a Supremo Judice in die extremi examinis volo reservari, sed potius omnia condonari, ita & in hoc dono nihil mihi retineo, nihil reservo, sed totum quicquid illud est, quod ibi habebam vel habere poteram si hanc donationem non fecissem, Deo & beatæ Mariæ semper Virgini, ac beato protomartyri Stephano, & monachis ejusdem loci dono & concedo. Nisi quod si forte homines de terra mea pro tollenda consuetudine mea, se mihi subtrahendo hanc terram ad habitandum delegerint, prior quidem habebit in eis consuetudines & justitiam suam sicut in cæteris hominibus suis ejusdem burgi, mihi tamen serviant sicut homines mei. De alia vero terra vel provincia quicunque adveniens hanc terram ad habitandum elegerit, liber sit ab omni mea, meorumque hominum C justitia & consuetudine, monachisque tantum serviat & respondeat. De cætero sint omnes homines, hujus burgi terram inhabitantes, futuris semper temporibus liberi & immunes ab omni exactione, justitia & consuetudine mea, meorumque hominum; & nulli unquam, nisi priori & fratribus ejusdem loci serviant, vel de aliquo foresacto respondeant: nullique unquam hæredum vel hominum meorum liceat hanc a me traditam & concessam libertatem, atque immunitatem in aliquo violare, vel supradicti burgi homines qualibet occasione inquietare. Liceat quoque eis mercatores & viatores omnes quicunque apud eos hospitari voluerint absque omni contradictione hospitio recipere; fenestras & bannos macelli ad vendendum & emendum sicut eis expedierit & priori placuerit, habere. Quando ego bannum fecero de annona mea vel vino, homines D illius burgi non observent hanc conditionem, sed omni tempore liceat eis emere & vendere in omni terra monachorum secundum arbitrium prioris. Si forte homines meos opportuerit ire in aliquam expeditionem seu alicujus mandati mei executionem, homines istius burgi semper in pace remaneant. Sufficit enim mihi ut domini eorum monachi fortiter pro me apud Dominum intercedant. Si macellarii de alia terra ad hanc, causa vendendi carnes advenerint, ego & domnus Hugo Nivernensis episcopus donamus pro Deo, & concedimus monachis infirmis consuetudines nostras. Quod si homines hujus burgi duellum inter se firmaverint, in arbitrio prioris erit facere de eis quod voluerit. Si cum homine meo, seu cum homine ali-E cujus hominis mei, homo istius terræ bellum firmaverit, & placitum coram me aut coram præposito, seu coram aliquo homine meo actum fuerit, si prior vel legatus suus interfuerit, accipiet fidejussores, & justitiam de homine suo, sicuti meus præpositus accipiet de suo: si vero ad placitum ex parte primi, qui hoc faciat non adfuerit, præpositus meus accipiet loco prioris fidejussores & justitiam de homine ipsius; & mox ut eum vel ministrum ejus invenerit, investiet eum de justitia & fidejussoribus sui hominis, sicuti investiturus esset si præsens in causa fuisset. Similiter & prior faciet de homine nostro, si coram eo placitaverit, & opus fuerit. Quod si aliquis reus timore perterritus fugiens, hujus burgi terram intraverit, ex

Digitized by Google

quo pedem in ea habuerit, non sit ausus aliquis eum insequi vel apprehendere, seu qualibet occasione infracturam aliquam in eadem terra facere, sed sit quasi in ecclesia securus, & liber quantum hujus terræ tenet capacitas. Quotquot autem hujus burgi fuerint habitatores, facultatem habeant utendi omnibus opportunitatibus & aisantiis in aquis, in pascuis, in sylvis, in mercatis & in nundinis, atque in viis, & semitis sicut cæteri homines mei sine omni contradictione tam in civitate quam extra civitatem. Præterea ego Willelmus & ego Hugo Nivernensis episcopus donamus hujus loci fratribus Cluniacensibus cursum, & usum per omnes sylvas nostras ad calefaciendum & ad ædificandum, & porcis eorum pastinatium. Ego quoque Willelmus comes dono eisdem monachis terram & clausum vinearum, & censum & quidquid tenebam ultra Croam & ad S. Benignum. Dono & concedo eis ut homines advenæ qui hic hospitati sunt vel hospitaturi, liberi sint ab omni mea consuetudine. Dono & vineas Clementis hæretici, & vineas de Bussiliaco quæ fuerunt matris meæ, & hæreditatem Rainaldi de Vallano, & allodium quod habebam Vernaco, & terram de Forgiis cum hominibus & consuetudinibus suis. Dono etiam feudum de Moysiaco qui est prope castellum Montis-Onesii quod est in casamentum, & quod habebam in dominio apud castrum Moncellum. Dono eis similiter allodium meum de Marcilliaco, in quo pars burgi videtur esse quæ adjacet castro, & capellas de Moncellis, & ea quæ ad capellas pertinent. Dono etiam decimam salmonum meorum. Hugo quoque de Montigniaco pro amore meo concessit eis ecclesiam cum curte de Luxiaco, & ea quæ de terra ecclesiæ quolibet modo acquirere potuerit, quia ego liberavi eum de captione Archibaldi Burbonensis. Engilbertus Mirepes cum uxore sua Elisabeth & filio suo Rainaldo concedit & reddit molendinum de Moysiaco cum aquæ ductu, & terra quæ est in circuitu. Præterea ego dedi eis allodium de Mellerano, & concessi terrulam quam dedit Bonifacius presbyter juxta Campum vertum. Apud veterem Croam, in villa quæ vocatur Chevinias, juxta Alvisiacum, medietatem decimæ de annona quæ ad hunc locum pertinebat, redimo & reddo sicut cætera. Rodulfus de Essartis dedit vineam & modicum allodii pro me, & morte Odonis Titionis apud Campum vertum. Dono tres ramatas in flumine proximo quæ fuerunt Hugoni de Luperciaco. Concedo & ecclesiam sancti Petri quæ est in suburbio Nivernensi; terram quoque & censum quæ Olivarius habebat in supradicto burgo dedit pro amore meo, infantibus suis laudantibus Gauberto & Francone cum aliis suis, ex cujus feodo pars quædam erat. Ego vero consuetudines quas ibi habebam dimitto. Super hæc omnia laudo, dono, concedo & confirmo ut quicumque huic nostræ eleemosinæ fundamento superædificare voluerit, & de iis quæ de beneficio vel feodo nostro descendent, hujus nostri doni augmentare quantitatem, liceat ei hoc facere, & monachis absque aliqua hæredum meorum contradictione recipere. Hæc autem omnia sicut scripta sunt dono, concedo & confirmo Deo & B. Mariæ semper Virgini, gloriosoque protomartyri Stephano, cæterisque sanctis in hoc loco veneratis, & domno Hugoni sanctissimo Cluniacensi abbati, domnoque Petro priori, & cæteris fratribus Cluniacensibus Deo in hoc loco famulantibus, eorumque successoribus, laudante & concedente nepote meo Willelmo & Reginaldo præposito, cæterisque baronibus meis & fidelibus. In dedicatione quoque hujus ecclesiæ, quæ id. Decembris facta est, acta est solenniter hæc donatio, præsentibus venerabilibus episcopis, videlicet domno Yvone Carnotensi, Guidone Nivernensi, Galterio Cabilonensi, Humbaldo Altissiodorensi, & ante altare gloriosæ semper Virginis Mariæ, gloriosique protomartyris Stephani lecta est hæc charta, & confirmata in conventu & audientia eorumdem episcoporum, & Willelmi nepotis mei, cæterorumque qui affuerunt clericorum & laicorum. Igitur ego Yvo Carnotensis episcopus, hujus sanctæ basilicæ consecrator indignus, cum sodalibus meis dominis supradictis episcopis, prece, jussu & voluntate domini Willelmi comitis, hujus sanctæ basilicæ fundatoris, & cæterorum qui affuerunt, excommunicamus, & a liminibus sanctæ Dei ecclesiæ sequestramus horum donorum calumniatores sive raptores, seu in aliquo defraudatores nisi ad emendationem & satisfactionem venerint. Et quicumque similiter in hujus ecclesiæ terra infracturam fecerit, vel per violentiam aliquid abstulerit de iis quæ huic ecclesiæ data sunt, vel juste dabuntur, vel quæ modo quolibet acquisita, vel acquirenda sunt, maledictio illa super eum veniat quæ in lege scripta est, *Maledictus qui transfert terminos patrum suorum.* Et quicumque hæc negligendo infregerit, maledictus sit sicut *Dathan* & *Abiron*; pars ejus sit cum Apostata Juliano, cum Daciano & Symone Mago: maledictus sit comedendo, stando, dormiendo, seu modo quolibet se habendo. Et quicumque huic ecclesiæ servierit, vel secundum vires suas servitores adjuverit, particeps sit in ecclesiæ benefactis, & mercedem hic & in futuro recipiat. Amen. Actum est hoc anno Incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo septimo, indictione quinta, regni Philippi regis Francorum anno trigesimo.

XLIV.

Donatio facta canonicis sancti Cyrici.

Ex chartul. Nivernensi.

OMNIBUS in Christo viventibus, notum fieri volumus tam presentibus quam eorum posteris, quod domnus tertius Hugo ecclesie nostre episcopus, pro salute anime sue & antecessorum suorum donavit nobis canonicis S. Cyrici ecclesiam in honore sanctorum confessorum Lupi & Geldardi consecratam, laudante Girbaldo milite de Marziaco atque volente, & nepotibus suis Malguino scilicet & Girbaldo laudantibus atque volentibus, qui de domno Seguino milite eam habere videbantur. Sed postmodum idem Seguinus inde nobis calumpniam intulit, quam postea precibus domni Willelmi comitis, & nostris pulsatus, in capitulo sancti Cyrici bono corde & bona voluntate absque ullo retentu dimisit, & quod Girbaldus & nepotes ejus fecerant, laudavit atque concessit nonas Martii, feria VI, tali videlicet ratione, quatinus in ea juxta dispositionem nostram, prout libitum nobis fuerit, deinceps & in perpetuum absque ulla calumpnia faciamus. Nos vero postmodum existente Widone nostro presule predicti Hugonis successore, communi consilio & communi decreto dedimus eam & concessimus ecclesie S. Laurentii de abbatia sanctique Hilarii per manum domni Dongionis primi abbatis ejusdem loci, quatinus ipse deinceps clericos inibi juxta regularem institutionem Deo servire faciat. Decrevimus etiam in generali capitulo, & constituimus ut si cui canonicorum nostrorum, sive alicui alii dederit Deus ibi manendi voluntatem, per licentiam nostram ibi maneat, & Deo & ecclesiæ serviat, & prebendam quam apud nos habet integram simili modo habeat, & septimanam quam ecclesie nostre debet, quilibet de confratribus inibi manentibus tempore suo faciat. Prebendam quoque quam in monasterio sancte Marie pro moruo * canonico nostro per XXX dies habemus, & in anniversariis diebus canonicorum, si nos in refectorio manducaverimus, victum mortui qui ad eum diem pertinet predicte ecclesie servitoribus donamus similiter & concedimus. Item subsequenti tempore IIII nonas Maii, feria VI, cum domnus Herveus noster episcopus, vir per omnia magnificus, in generali capitulo nostro resideret, & domnus Dongius predictus abbas pariter adesset, laudavit atque bona voluntate concessit una cum omnibus nobis

1100.

* mortuo.

nobis canonicis, si quis canonicorum nostrorum obiret, quatinus predicte ecclesie servitores prebendam mortui canonici usque ad anniversarium depositionis ejus diem ex integro in perpetuum haberent, & ipsi pro anima defuncti tempore congruo missam celebrarent. Predictus autem Girbaldus cum nepotibus suis, atque domnus Seguinus concedunt eidem ecclesie quidquid de beneficiis ad eam pertinentibus servitores ejus quolibet modo acquirere potuerunt. Hiis autem omnibus ita peractis, ne lateret posteros donatio eorum, notitiam hanc inde fieri jusserunt, factamque firmaverunt, & alios firmare fecerunt. Hec autem carta scripta est nonis Maii, feria II, indictione VIII, anno Domini M. C secundum Dionysium, regnante Philippo rege Franchorum. Ragintrius cancellarius dictavit. S. Hervei presulis. S. Teri decani, S. Matthei archidiaconi, S. Hugonis presbyteri, S. Rodulfi capellani, S. Girberii diaconi.

X L V.

Herveus episcopus testis est cujusdam donationis.

1103. NOTUM sit omnibus sancte matris ecclesie filiis tam presentibus quam eorum posteris, quod Rodulfus de Patengiis & Hugo frater ejus, bono corde & bona voluntate dimittunt atq; condonant Galterio Garimberti filio & fratribus ejus, atque sororibus eorumq; filiis & filiabus pariterq; nepotibus & neptibus, & omni posteritati que de eis processura est, totam illam calumpniam quam in eis sive juste sive injuste videbantur habere. Condonant insuper ipsis judicium quod pro terra demonstranda firmaverant, commendatelam etiam quam a villanis de Catengiis exigebant ipsis modo dictis, villanis scilicet de Catengiis, eam omnino absque retentatione dimittunt, pro qua condonatione a dimissione habuerunt XL solidos denariorum. Acta sunt hæc Nivernis publice in capitulo S. Cyrici, adstantibus & videntibus Herveo pontifice & Pontio decano, nec non etiam Bernardo præcentore. Adfuerunt etiam quam plures laici, Hugo Mansellus, Guido de Castone, Raginaldus filius Rodberti, Girbertus Rubeus, Raimbaldus de Porta, Raginaldus de Machiaco, Arnulfus de Parriniaco, Golbertus de Parriniaco, Rodbertus de Parriniaco, VII calendas julii, fer. V, anno Domini M. CIII, regnante Philippo rege Franchorum.

X L V I.

Ex chartulario ecclesiæ Nivern.

Fundatio duarum prebendarum pro mortuis ab Hugone IV.

Circa 1120. ETERNA & sine mutabilitate semper manens Dei sapientia, quicquid ab initio de statu sancte ecclesie providit & providendo disposuit, ne eveniat nulla ratione impediri poterit: sed quamvis bonum a Deo perordinatum effectu suo carere non possit, ex liberi tamen facultate arbitrii licet nobis velle & operari, nec hujusmodi voluntas seu operatio per Dei gratiam sui frustrabitur quandoque retributione premii, imo juxta apostolum qui plus laborat, plus est accepturus mercedis: oportet igitur nos bonum operari & non deficere ad quod invitamur ejusdem apostoli exhortatione: ait enim, bonum autem facientes non deficientes tempore enim suo metemus non deficientes: benefaciendi vero semper nobis adesse poterit studium si mentis nostre oculis proponamus assidue meditandum ad hoc omnem hominem esse factum ut Deum timeat & ejus mandata custodiat in quibus custodiendis, teste psalmista, consistit retributio multa. Hujus itaque beate retributionis gaudio perfrui desiderans, ego quartus Hugo cui divina dispositione Nivernensis ecclesie commissa est pontificalis provisio, ad utilitatem ipsius ecclesie quiddam instituere intendo, unde & bene viventium in melius proficiat conversatio, & peccantium proveniat Dei miseratione festina correctio. Attendens quippe ego & mecum canonicorum nostrorum concio, quoniam quicquid terrarum sive redituum ecclesia nostra habet, totum a fidelibus pro remedio animarum suarum ei collatum est, dignum justumq; esse duximus quatenus pro illis quorum cotidiano beneficio sustentamur, cotidianum sacrificium corporis & sanguinis Christi ibidem Deo offerretur. Placuit ergo nobis ad hoc cotidianum sacrificium celebrandum duos sacerdotes canonicos constituere; quibus ita gestis [a] & pure concederentur prebende, ut neque episcopus, neque decanus, neque cantor pro concessione earum aliquid temporale commodum requirat, sed nec canonicorum conventus pastu [b] vel pro pastu quicquam inde exigat. Justum quippe est ut ab omni vinculo simonie sint absoluti & liberi qui pro reorum absolutione Deo offerunt hostiam libationis [c]. His etiam sacerdotibus ad cohabitandum & ad communem insimul comedendi & dormiendi usum quandam concedimus domum cum prato habentem claustrum, que ante cellarium canonicorum sita solius vie publice interpositione ab episcopi disjungit [d] curia. Hanc autem donationem tam domus quam beneficia tali ratione facimus duobus primis sacerdotibus Alberto scilicet atq; Guidoni ut illis quoquomodo seu obitu, seu alio quolibet eventu deficientibus, & nec per se, nec per alios nisi infirmitate cogente predictum servitium perficientibus, duo sacerdotes substituantur alii sacrificia primorum [e] vicissim per septimanas celebraturi, & eadem beneficia pari & communi usu possessuri, atque hujusmodi substituendarum vicissitudo personarum nullum permanendi habeat terminum, quandiu ecclesia nostra suum obtinebit statum. Prohibemus etiam ut nec alteram prebendam cum ista, neque capellaniam habeant, nec querant, sed Dei servitium die noctuq; faciant. Et quamvis tante rei honestas simul & utilitas tam presentium quam futurorum animos ad sui observantiam provocare valeat, nos tamen posteros nostros per Dei misericordiam obsecramus, quatenus hoc nostre humilitatis institutum succedentes singuli suis temporibus devote suscipiant, obnixe diligant, ac firmiter teneant, ut cum justus Judex ad judicium venerit in majestate sua pro hujus boni amore & observatione mereantur cum ipso gaudere in eterna gloria. Si vero aliquis, quod minime credimus, adeo anime sue hostis extiterit ut hoc commune bonum & omnibus profuturum impedire velit, & quominus maneat laborare presumpserit, divino judicio percussus atque anathemate ipsius Dei & omnium sanctorum, sacrorum etiam canonum auctoritate firmato, a conventu fidelium expulsus in corpore & anima pereat, nec sue perdicionis ullum remedium inveniat, nisi quod intulerit impedimentum amoverit, & bonum quod impedivit in suum statum reduxerit.

[a] gratis. [b] pastum. [c] liberationis. [d] disjungitur. [e] pro mortuis.

X L V I I.

Bulla Honorii II pro monasterio S. Martini.

HONORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Stephano priori ecclesiæ S. Martini in suburbio Nivernensi constitutæ, & ejus fratribus tam præsentibus quam futuris canonicam vitam ibidem professis in Domino salutem. Apostolici moderaminis clementiæ convenit religiosos viros diligere, & eorum loca paternæ pietatis munimine defensare. Ideoque dilecte in Domino fili Stephane prior, ecclesiam B. Martini Nivernensis, cui Deo auctore præesse dinosceris, sub B. Petri tutelam & apostolicæ sedis protectionem suscipimus, & præsentis scripti nostri pagina roboramus. Possessiones igitur & bona quæ eadem ecclesia in præsentiarum juste & legitime possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis largiente Domino poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant; salva Nivernensis episcopi justitia & reverentia, in 1129.

Digitized by Google

quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda, A videlicet duas ecclesias de Luciniaco cum pertinentiis suis, capellam de Basias, ecclesiam de Buciaco, ecclesiam de Moresca, ecclesiam de Coloncello, ecclesiam de Bazolis, ecclesiam de Spiriaco, ecclesiam de Monte-Rumilionis, ecclesiam de S. Audoeno. Confirmamus etiam vobis donationem annonæ quæ in dedicationibus ecclesiarum offertur a Fromundo Nivernensi episcopo ecclesiæ vestræ collatam. Sane ordo canonicus ibi positus futuris perpetuo temporibus inviolabiliter conservetur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, tam vestris quam pauperum usibus profutura. Si qua ergo in B posterum, &c.

Ego HONORIUS catholicæ ecclesiæ episcopus.

Datum Laterani per manum Aimerici S. Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, v calendas Maii, indictione VII, anno Incarnationis Dominicæ M. C X X I X, pontificatus autem domini Honorii papæ II, anno V.

X L V I I I.

Dotatio monasterii S. Martini facta a Fromundo episcopo Nivernensi.

1130. TOTAM machinam mundi solus Deus administrat C qui eam condidit, cujus Omnipotens bonitas mala fieri non permitteret, si ex ipsis aliqua procedere bona non perspiceret, & revera ejus operante clementia tanta ex damnis contingentibus non nunquam subsequuntur commoda, ut ea que ipso permittente præcessit incommoditas nulli videatur onerosa, fitque multo utilius sic surrexisse quam nullatenus corruisse: cujus rei quam vera sit assertio ipsa humani generis ostendit reparatio. Potuit enim conditor primum hominem ne peccando corrueret stabilire, sed maluit eum sponte lapsum redimendo gloriosius reparare. Potest etiam competenter intelligi divinum subsidium idcirco labentibus rebus aliquando subtrahi, ut sit copia fidelibus populis boni operis exequendi in ipsis restituendis. Probabile est igitur ecclesiam S. Martini D sitam in suburbio Nivernis a sua antiqua felicitate decidisse, Deo sic dispensante, & aliquid de ea in melius disponente; quam tempore domini Fromondi ejusdem urbis episcopi dignatus est misericorditer respicere, & respiciendo relevare & ad ejus relevationem quasi instrumenti vice utens, ipsius pontificis opitulatione. Hic siquidem se & sua ibidem primum contulit, nec multo post Dei providentia inde assumptus, atque in episcopum promotus, majori affectione & ampliori largitione eam est consolatus, majorem scilicet id faciendi opportunitatem ex episcopio nactus, & quoniam longum & forsitan inexplicabile esset omnia quæ ipsi ecclesiæ impendit beneficia referre, libuit ex eorum immensa multitudine aliqua subscribendo narrare, quæ per hanc firmitatis cartam collata sunt E prædicti loci servitoribus ab ejus liberalitate. In villa siquidem quæ Luciniacus appellatur, duas cum appendiciis suis concessit eis ecclesias, & ambarum condonavit paretam & synodum, & in villa quæ dicitur Bæfias capellam cum synodo & pareta, ecclesiam de Bussiaco, & ecclesiam de Maresca, ecclesiam de Coloncella, & ecclesiam de Basollis, ecclesiam de Spiriaco & ecclesiam de Tesgono quæ vulgariter dicitur Mons-Rumilio, ecclesiam de S. Audoeno & x solidos in ecclesia de Trainaco quos reddunt quot annis monachi de S. Petri monasterio & totam annonam quæ in dedicationibus ecclesiarum offertur, & molendinum de Fossa, adhuc autem concessit laudante universo capitulo suo, & concedente ex precepto domini Papæ Innocentii & ammonitione ecclesiam de Guispe cum pertinentiis suis, videlicet ecclesiam sancti Germani, ecclesiam de Escayo, ecclesiam de Scaduno, ecclesiam de Onaco, ecclesiam S. Hilarii, ecclesiam de Suenci, ecclesiam S. Desiderii super Hycaunam. Præterea donavit & concessit quod canonicus ecclesie B. Cyrici si seculo abrenuncians, vitam suam mutare voluerit, & religionis habitum apud S. Martinum suscipere, cujuscunque sit ætatis, vel ordinis prebendæ suæ redditus integre habebit, illius tamen septimanam ecclesia S. Martini celebrabit. Acta est Nivernis publice præsenti capitulo B. Cyrici & collaudante anno Domini M. CXXX, regnante Ludovico rege Francorum. Drogo cancellarius fieri jussit. S. Fromondi episcopi, S. Ugonis decani, S. Matthæi archidiaconi, S. Girberti thesaurarii, S. Gilleberti doctoris, S. Fromundi sacristæ, S. Arnulfi capellani, S. Verandi, S. Seguini de Vultriaco, S. Rainaldi de Frasniaco, S. Rapini, S. Odonis de Draciaco, S. Guidonis de Parriniaco, S. Humberti de Talaia, S. Eudonis de Codreia, S. Giraudi Oliverii, S. Guillermi comitis Nivernensis, S. Hugonis de Tilio, S. Girardi prepositi Nivernensis, S. Aimardi prepositi episcopi.

X L I X.

Litteræ Innocentii papæ ad canonicos S. Martini.

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, 1130. dilecto filio Stephano priori ecclesiæ S. Martini in Nivernensi suburbio constitute, & ejus fratribus tam præsentibus quam futuris, canonicam vitam ibidem professis in Domino salutem. In eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino constituti, religiosis desideriis assensum præbere, & tam ecclesiasticas personas quam eorum loca maxime quæ religionis nitore coruscant a pravorum hominum debemus incursibus defensare. Hac igitur ratione inducti dilecte in Domino fili Stephane prior, tuis rationalibus postulationibus clementer annuentes, & prædecessoris nostri felicis memoriæ papæ Honorii inhærentes vestigiis beati Martini Nivernensis ecclesiam cui Deo auctore præsides apostolicæ sedis suffragio roboramus; per præsentis itaque privilegii paginam statuimus ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia impresentiarum juste & legitime possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis nominibus annotanda subjunximus, videlicet duas ecclesias de Luciniaco cum pertinentiis suis, capellam de Bæfias, ecclesiam de Buciaco, ecclesiam de Moresca, ecclesiam de Coloncello, ecclesiam de Bazolis, ecclesiam de Spiriaco, ecclesiam de Monte-Rumilionis, ecclesiam de S. Audoeno, confirmamus etiam vobis donationem annonæ quæ in dedicationibus ecclesiarum offertur a Fromundo Nivernensi episcopo ecclesiæ vestræ collatam. Ad hæc corroboramus vobis ecclesiam S. Martini de Guispeio cum pertinentiis suis, videlicet ecclesiam sancti Germani de Escaio, S. Georgii de Scaduno, sancti Laurentii de Onacho, S. Stephani, ecclesiam S. Hilarii, sancti Simphoriani, *de Suency*, & S. Desiderii super Hicaunam ab eodem fratre nostro Fromundo episcopo vobis concessam; ita scilicet ut in ipsa B. Martini ecclesia de Gispeio, sicut in vestra ordo canonicus secundum B. Augustini regulam futuris perpetuo temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea ecclesiam sancti Leodegarii de *Saxeis-Bordin* vobis nichilominus confirmamus. Si qua ergo in posterum, &c.

Ego INNOCENTIUS catholicæ ecclesiæ episc.

Datum Disesize per manum Aimerici S. Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, XIV calend.

Januarii, indict. IX, anno Incarnationis Dominicæ M. CXXX, pontificatus domini Innocentii papæ II anno primo.

L.

Fragmentum chartæ Fromundi episcopi Nivernensis.

1136. . . . . Veniens itaque in capitulum sancti Cyrici, accersito conventu canonicorum, & assistente cœtu aliarum personarum ex præcepto domini papæ Innocentii & ammonitione diligenti dedit canonice & cessit præfatæ abbatiæ S. Martini ecclesiam nemoris Giraudi cum omnibus appenditiis suis, videlicet ecclesiam de Huberto, ecclesiam de Charemanto, ecclesiam de S. Genovefa, ecclesiam de Canabo. Hæc autem donatio facta est catholice atque canonice, videntibus & audientibus testibus istis tam clericis quam laicis. S. episcopi Cabilonis, S. Hugonis Oliveri decani, S. Mathæi archidiaconi, S. Artaudi thesaurarii, S. Drogonis cantoris, S. Lierardi sacristæ, S. Odonis de Draceio presbyteri, S. Arnulfi capellani, S. Guidonis presbyteri, S. Humberti de Talaia diaconi, S. Eudonis diaconi, S. Hapaudi Oliveri, S. Willelmi Nivernensis comitis, S. Hugonis de Tilio, S. Raginaudi Morelli, S. Hirardi Nivernis, S. Ainardi præpositi episcopi. Acta est Nivernis publice anno ab Incarnatione Domini M. CXXXVI, regnante Ludovico rege Francorum. Drogo cantor & cancellarius jussit fieri.

L I.

Ex originali. *Fundatio prioratus de Guispeio per Seguinum de Tornella, & confirmatio ejusdem.*

1156. QUI divinæ majestati placere desiderat, & cœlestis vitæ bravium percipere intendit, necesse est quatinus prout possibile fuerit, sanctam ecclesiam de bonis suis honoret & ædificet. Quapropter ego Seguinus de Tornella pro salute animæ patris mei Hugonis & antecessorum meorum, laudante & concedente matre mea Magantia, Willelmo forte vitrico meo similiter laudante & concedente, laudantibus etiam & concedentibus sororibus meis Agnete & Aanorde & Petronilla ad laudem etiam Hugonis clerici de Castellione & fratrum ejus Roberti & Gauffridi, dono & concedo per manum domini Hervei presulis, in capitulo S. Cyrici, astantibus & cernentibus Pontio decano, & Mattheo archidiacono, & Bernardo cantore, & Fromundo S. Martini abbate, & Hugone de Frausinico, & Girberto sacrista, atque subcentore, & Hugone capellano, & Bernardo magistro, & cæteris canonicis audientibus & videntibus Deo & S. Martino de Wispeio & Reginaldo de Gemma & sociis ejus cum eo & post eum inibi Deo servientibus ecclesiam quandam in honore S. Martini dedicatam, & censum & totam rectam consuetudinem cimiterii cum corveia mea. Dono etiam pratum de Ariaco & pratum de Nanto & silvam que Bulchirolia vocatur cum terra adjacenti ad eandem silvam pertinenti. Et quicumque de aliorum terris vel potestatibus causa manendi illuc venerint sine omni consuetudine utentur pascuis & aquis meis & silvis ad caleficiendum & fabricandum quod necesse fuerit, & quidquid de terra mea ipsi coluerint nullam decimam inde reddant, & de meis casamentis quidquid acquirere poterunt, sive dono, sive emptione totum eis concedo & laudo, ita tamen ut hominium meum inde non amittam. Concedo item fratribus inibi Deo & S. Martino servientibus, quatinus similiter sine omni consuetudine ipsi & ministri eorum & pecora utantur pascuis meis cum aquis & silvis. Post hæc omnia dono & concedo ecclesiam S. Germani que ibi juxta est cum censu cimiterii ipsius ecclesie, qui modo ibi est, & quidquid Humbertus & Raginaldus sacerdotes

A propter ecclesiam tenent, tali videlicet ratione, ut quoquomodo dicti sacerdotes mundum relinquant, ipsi canonici habeant & possideant. Ipse etiam Seguinus avunculus meus, & ego, & mater mea donamus pro salute animarum nostrarum & Hugonis patris mei supradictis fratribus decimam totius nostre annone quam habemus ultra Eschiram, tam ex labore nostro quam ex decimatione seu campartione. Concedo etiam supradictis canonicis ecclesiam S. Desiderii que sita est juxta Icaunam fluvium & censum cimiterii cum feodo sacerdotali. Ipse autem dominus Herveus & conventus S. Cyrici dederunt . . . . mee & vitrico meo, ut nos & heredes nostri, sive antecessores participaremur in omnibus orationibus eorum. Hoc viderunt & audierunt Aabaldus Barbatus &
B Hugo, & Butogla, & Hugo de Roca, Reginaldus de Veremaco.

Acta est Nevernis publice jussu domini Bernardi, precentoris & cancellarii, regnante Philippo rege Francorum V idus Septembris, feria septima.

Idem etiam Seguinus tempore subsequenti in presentia domini Fromundi Nivernensis episcopi donavit prefatis canonicis decimam nummorum qui accipiuntur de pastione porcorum in omnibus silvis quas habet Guispeio atque Ariaco, in quibus porcos ipsorum canonicorum proprios licebit discurrere & pasci gratis & pratum de Manicatula cum terra de Prato irato & terra de Breviis, quam ipsi canonici prescindi fecerint, & vinea de Praellis, & terra de Nuce, ubi vinea fuit.

C Hæc dona vero prenominata ad laudem Hugonis Castellionensium dominatoris, ad laudem etiam Agnetis uxoris ejusdem Seguini videnti Hugone de Crux & Maverio ejus consanguineo sunt facta atque concessa. Hec itaque subsequens donatio est facta & precedens nihilominus confirmata his idoneis testibus assistentibus & audientibus. S. Girberti thesaurarii, S. Reginaldi cantoris, S. Odonis sacerdotis, S. Bernardi de Aziaco, S. Seguini Corbelli clerici, S. Hugonis de Roca. Preterea quia scriptum est finis non pugna coronat, ego Seguinus in senectute mea de salute anime curiosior Hierosolymam pergens dono & concedo eisdem canonicis terram Willelmi de Arcei que est juxta terram de Boscheroles, & præfatam ecclesiam ab omni more, ab omni consuetudine servi-
D tutis erga filios meos liberam & immunem in custodia eorum relinquo. Actum est hoc in presentia Gaufridi Dei gratia Nivernensis episcopi apud Bischiam, videntibus & audientibus his, S. Hugonis capellani episcopi, S. Rodulfi *de Agnum*, S. Bernardi de S. Salvio, S. Willelmi *de Nun*, S. Hugonis de Arvei, S. Galonis Eduensis canonici, S. Hugonis archipresbyteri *de Marri*, S. Andree *de Suenci*, S. Hugonis de Limentum, S. Reginaldi *de Crissei*, S. Guidonis *de Montruillon*. S. Oberti *de Donzon*, S. Hugonis *de Monteran*, S. Gaufridi *Billum*, S. Gaufridi *Aubant*, S. Hugonis *de Marri*, S. Galterii *Avin*, S. Thome camerarii episcopi, & aliorum plurium.

Ne deceptorum calumnie & insidie raptorum rebus sancte ecclesie, aut prolixitate temporis, aut oblivionis
E cecitate aliquid detrahant aperte lumen veritatis memoria scriptorum incommutabiliter eluceat. Hujus rei causa ego Bertrannus S. Martini Nivernensis abbas, & omnis conventus fratrum in Christo litteris tradimus, quatinus Seguinus de Tornella dedit predicte ecclesie per manum Gaufridi Dei gratia Nivernensis episcopi, & tres ejus filii, scilicet Hugo, Seguinus, Raginaudus canonicus decimam de Guispeio, decimam de S. Desiderio super Icaunam, decimam de Muncheia, decimam de Honaco, decimam de Escaduno. Certissimum igitur tam preteritis quam presentibus habeatur quatinus predictus Seguinus memor Dominici precepti date & dabitur vobis, dedit & reliquit & filii ejus in manu Domini episcopi supradictas decimas. Hisdem vero G. episcopus precibus

Digitized by Google

Seguini & filiorum ejus investivit ecclesiam S. Martini A de Guispeio.

Post hæc vero Bertrannus abbas concessit Raginaudo canonico predictas decimas dum in habitu clericali viveret tenendas, sic tamen ut de singulis decimis partem annone singulis annis pro investitura possideret. Si vero predictus Raginaudus a clericali se removerit habitu, ecclesia beati Martini de Guispeio decimas pro amore Dei sibi datas integre possideat. Hujus rei sunt testes Gaufridus episcopus, Hugo decanus, Hubertus archidiaconus, Drogo precentor, Eudo sacrista, Hugo capellanus episcopi, Amicus presbiter de Gimellis, Raginaudus camerarius episcopi, Radulfus *de Aignum*. Odo de S. Bonito, Odo de Traceio . . . .
. . . . B
. . . .
depilans ovem. . . . . fado famulus abbatis . . . .
Acta est Nivernens. publice, anno ab Incarnatione Domini M. CLVI, regnante Ludovico rege Francorum Guillelmo existente Nivernensi comite. Drogo precentor & cancellarius jussit fieri.

L I I.

Ex autographo in cartulario S. Stephani & Cluniacensi asservato.

1171.

Guido Nivernensis comes confirmat immunitates burgi S. Stephani Nivernensis.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, ego Wido comes Nivernensis, omnibus fidelibus presentibus & C futuris in perpetuum. Certum est quod Proavus meus Willelmus comes Nivernensis ecclesiam B. Stephani proto-martyris in suburbio Nivernio sitam summa diligentia reedificavit, & reedificatam ordini monastico & ecclesie Cluniacensi obtulit, dedit etiam burgum quod juxta ecclesiam situm est ab omni exactione & consuetudine liberum ita quod homines burgi, nec comiti, nec alicui sibi succedentium servirent, nisi tantum monachis. Dedit etiam eis liberum ingressum & egressum & facultatem vendendi & emendi per totam terram suam sine impedimento; sed quia frater meus Willelmus qui ultra mare obiit, & requiescit in Bethleem, in burgensibus contra prefatam libertatem novas exactiones & impositiones facere cepit, reclamantibus & egre ferentibus monachis hoc pacto dimisit. Videlicet quod pro tribus causis tantummodo, D si captus se redimeret, si filiam suam nupciis traderet, si Hierosolymam pergeret: tria millia solidorum per manum prioris a burgensibus haberet. Quod ego amore Dei & venerabilis Stephani abbatis Cluniacensis & conventus ejusdem ecclesie secutus, prefatam loci libertatem a proavo meo Willelmo comite factam confirmo. Excepto quod tria millia sol. monete que tum Nivernis erit, pro tribus prefatis causis; videlicet si captus me redemero; si filiam meam nupciis tradidero; si Hierosolymam perrexero, a priore prefati loci queram. Et prior levabit eos a burgensibus nihil que aliud a me vel a successoribus meis in perpetuum a priore vel a burgensibus e vi exigetur. Et hoc maxime factum est ut circa deffensionem ecclesie & E burgensium atque rerum suarum, ego & successores mei magis de cetero sollicitii existamus; habent autem respectum persolvendi illa tria millia solid. usque ad quadraginta dies. Nec propter hoc aut propter aliud aisienclas meas eis deffendam, nec res suas auferam quamdiu per manum prioris sui justitiam facere voluerint. Rem istam sicut definita & in presenti determinata est; juravi ego tenere, juravit & Rainaldus frater meus, & uxor mea laudavit; fuit etiam ex juramento meo quod si contigerit me habere heredem masculum qui usque ad annos discretionis perveniat cum submonitus fuero a priore vel a monachis, faciam eum similiter jurare, ut teneat quod in hac carta continetur. Ut autem hoc perpetue firmitatis obtineat vigorem, rogavi dominum Bernardum Niverni episcopum & dominum Willelmum Autissiod. episcopum ut isti carte sigilla sua ponerent. Si qui vero successorum meorum istam mee institutionis pactionem vellent infringere, concedo & precipio ut a prefatis episcopis Nivernens. videlicet & Autissiodor. persone ipsorum anathemati & terra supponatur interdicto, & abbati Cluniac. & monachis S. Stephani ad primam libertatem a prefato proavo meo Willelmo comite ipsius loci reedificatore & datore concessam recurrere liceat. Huic autem carte testimonium perhibent sigilla apposita & nomina eorum qui huic pactioni & confirmationi mee affuerunt que hic adscribi volui. Bernard. episcopus Nivernens. Tebaldus decanus & de militibus meis. Abbo vicecomes, Guarnerius *de Triagnel* senescallus, Ebraldus de Charentum, Rainaldus de Marchia, Guillelmus de Usilo, Guido de Nivern. Iterius qui tunc erat prepositus Nivern. & de monachis. Dominus Stephanus abbas Cluniacensis Bernardus prior S. Stephani, Humbertus sacrista Clun. Rotgerius capellanus abbatis Clun. Radulfus de Arcenvalle, Stephanus prior de Lupere, Hugo prior de S. Salvatore, Johannes prior de S. Reveriano, Martinus subprior de S. Stephano, Constant. sacrista, Guillem. cellar. Richard. & de burgensibus, Girardus prepositus, Arnulfus *de Germing*, Roclenus de Montepodio, Humbertus frater ejusdem, Arnulfus de Borbono, Petrus *de Germing*, Hugo de Velcia amicus vos. . . . . Stephanus Mariscaldus & alii multi. Factum est hoc publice apud S. Stephanum Nivern. anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo LXXI, regnante Ludovico rege Francorum.

L I I I.

Guido comes Nivernensis dat Primeriacum episcopo Nivernensi.

Ex Chartul. Nivern.

1173.

EGO Guido comes Nivernensis, notum facio per præsens scriptum tam presentibus quam futuris, quod pro dilectione quam habeo ad ecclesiam Nivernensem, & pro bono servitio quod sepius fecit mihi Bernardus Nivernensis episcopus, dono & concedo in eleemosynam predicto episcopo & successoribus suis primiriacum qualitercumque & quibus modis, & de quocumque voluerint firmare & firmitatem garentizare pepigi & fiduciavi. Ipse vero Bernardus episcopus ad bonum & ad fidem mihi concessit quod de eadem firmitate mihi aut successoribus meis malum non veniret. Ut autem hoc donum in posterum ratum & inconcussum habeatur exinde ego & ipse litteras nobis in invicem fecimus & sigillis nostris utrumque firmavimus. Ad majoris etiam robur firmitatis sigillum capituli S. Cyrici Nivernensis in testimonium hujus rei apponi fecimus. Et eorum qui hoc viderunt & audierunt hic nomina subscribuntur. Ex parte comitis, Nayaudus de Tociaco, Stephanus de Petrapertusa, Achardus *de Chastum*, Gauterius Betardi, Petrus *de Garchum*, Iterius Erbaudi tunc prepositus Nivernensis, Bernardus Locrannus tunc Marchie. Ex parte domini Nivernensis episcopi, Theobaldus decanus Nivernensis, Hugo archipresbyter, Dodo Decona, Gaufridus capellanus episcopi Nivernensis, Robertus capellanus comitis, magister Tham. Renaldus de Diffesia clericus, Fromondus . . . Actum autem hoc anno Verbi Incarnati M. C. septuagesimo tertio publice apud Colengias Vinosas, regnante Ludovico rege Francorum. Willelmo Autissiodorensi & Stephano Eduensi episcopis.

L I V.

Fundatio Cartusiæ de Aponaio, & ejusdem confirmatio per Philippum regem anno M. CCCX.

1185. PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, notum facimus universis tam præsentibus & futuris, nos infra scriptas vidisse litteras in hæc verba : Ego Theobaldus Dei patientia Nivernensis episcopus, & ego Johannes decanus, & totum capitulum ecclesiæ Nivernensis, notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod nos dedimus & concessimus fratribus ordinis Cartusiensis locum *de Apponay* integre cum pertinentiis suis, scilicet silvis, terris, pratis & aquis, & omnibus quæ in futurum secundum ordinem Cartusiensem loco illi poterunt acquirere juste : ita quod si forte contingeret fratres ordinis locum antedictum (quod absit), relinquere aut non inhabitare, ad ecclesiam Nivernensem locus memoratus libere rediret, & quiete, absque alicujus contradictione cum omnibus ibidem acquisitis. In hujus vero concessionis testimonium & firmitatem præsenti paginæ sigilla nostra fecimus apponi. Actum Nivernis publice anno Incarnati Verbi M. CLXXXV in capitulo S. Cyrici, domino Lucio papa in cathedra Romanæ ecclesiæ præsidente, regnante Philippo Francorum rege. Nos igitur progenitorum nostrorum imitantes vestigia, sacrosanctas Dei ecclesias & ecclesiasticas personas præcipue religiosas favore benevolo prosequentes, ut earum adjuti precibus, sic regnare valeamus in terris, quod ad regnum cœlorum pervenire possimus; dictorum fratrum, priorisque dicti loci devotis supplicationibus inclinati, volumus & præsentium tenore concedimus, præcipue ad nostrorum progenitorum ac nostrorum, recolendæque memoriæ Johannæ Dei gratia Francorum & Navarræ reginæ consortis nostræ quondam carissimæ animarum remedium & salutem quod ipsi prior & fratres qui pro tempore fuerint omnia & singula superius expressa teneant, habeant & possideant in perpetuum libere, pacifice & quiete absque coactione vendendi, vel extra manum suam ponendi seu præstandi propter hoc nobis vel quibusque successoribus nostris financiam qualemcumque, dictasque donationes & concessiones, & omnia supradicta rata habemus & grata; & ea volumus & laudamus, approbamus, & tenore præsentium confirmamus nostro in aliis & alieno in omnibus jure salvo. Quod ut ratum & stabile perseveret, præsentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum Parisius, anno Domini M. CCCX * mense Aprilis.

* Hic aliquis numerus videtur omissus in apographo.

L V.

Ex schedis D. Georgii Violes.

Philippus rex confirmat fundationem monasterii sancti Stephani Nivernensis, & quasdam conventiones.

1186. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quoniam nos intuitu divini amoris, & pro salute animæ nostræ, ad petitionem domni Hugonis venerabilis Cluniacensis abbatis concedimus, & præsenti charta confirmamus donationes omnes & libertates quas Willelmus comes Nivernensis ecclesiæ S. Stephani quam in suburbio Nivernensi reædificavit, dedit & confirmavit; videlicet burgum S. Stephani ab omni exactione & consuetudine liberum, ita quod homines illius burgi nec comiti, nec alicui successorum suorum servire tenerentur, nisi tantum monachis S. Stephani. Dedit eis etiam liberum ingressum & egressum, & facultatem vendendi & emendi, & res suas libere distribuendi per totam terram suam sine aliquo impedimento. Concedimus etiam & confirmamus conventionem quæ inter præfatam A ecclesiam sancti Stephani & Petrum comitem Nivernensem cognatum nostrum, & Agnetem comitissam uxorem ejus, in præsentia nostra facta est; videlicet quod cum idem Petrus comes a burgensibus præfati burgi pro quadam conventione quæ inter prædictam ecclesiam S. Stephani & Guidonem comitem Nivernensem quondam facta est, tria millia solidorum, pro tribus causis, soleret exigere; scilicet pro redemptione sua si quando caperetur, unde redimeretur; vel si quando filiam suam nuptui traderet, vel si civitatem sanctam Hierusalem adiret; præfatus Petrus comes pro salute animæ suæ & pro damnis quæ prænominatæ ecclesiæ S. Stephani intulerat, ipsa tria millia solidorum quæ pro redemptione captionis suæ solebat exigere, remisit & omnino guerpivit, ut nunquam ab ipso vel ab aliquo successorum ejus comitum Nivernensium in perpetuum exigantur. Hoc fecit, laudante & concedente Agnete filia Guidonis comitis uxore sua. De illis autem tribus millibus solidorum quos comes Nivernensis a burgensibus S. Stephani Nivern. habere debet, si quando civitatem sanctam Hierusalem adierit, vel si filiam suam nuptui tradiderit, habere debent burgenses respectum solvendi usque ad quadraginta dies; nec pro hac, sive pro aliqua alia occasione defendet eis comes aisiantias suas, nec res eorum auferet, quamdiu per manum prioris sui justitiam facere voluerint. Hujus igitur conventionis a prædicto Petro comite factæ, rogantibus eodem Petro comite & Agnete comitissa uxore sua, pro ipsis & successoribus eorum, nos & successores nostros reges Franciæ obligamus & fideijussores constituimus ecclesiæ Cluniacensi & præfatæ ecclesiæ, atque burgo S. Stephani, quod omnino libertati eorum, & indemnitati prospiciemus, & inviolabiliter observari faciemus, si forte comitem sive successores suos velle contraire contingeret. Quæ omnia ut perpetuam stabilitatem obtineant, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate, ac regii nominis caractere subter annotato, præcepimus confirmari. Actum publice anno Incarnati Verbi millesimo centesimo octogesimo sexto, regni nostri anno septimo. Astantibus in palatio nostro, quorum nomina supposita sunt & signa. S. comitis Teobaudi dapiferi nostri, S. Guidonis buticularii, S. Mathæi camerarii, S. Radulfi constabularii. Data vacante cancellaria.

D Sigillatum magno sigillo ex cera viridi cum filis sericis crocei & rubri coloris appenso, imaginem referente personæ in throno sedentis 3 coronam in capite habentis, manu dextra globum mundi, sinistra sceptrum tenentis, cum hac circumscriptione, *Philippus Dei gratia Francorum rex.* A tergo autem, florem lilii expressum.

L V I.

Fundatio prabendarum Premeriaci.

EGO Johannes Dei gratia Nivernensis episcopus, notum facimus omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, quod nos attendentes devotionem quam dilecti nostri Gilo archipresbyter de Lureæo, Gaufridus capellanus de S. Francoveo, Hugo *de Varzy*, Durandus archipresbyter de Roca, Isambertus de Troseongis, Martinus de Boona presbyteri, Petrus *de Luzy*, Guillelmus Bercherus, Hugo *Demongos*, in præbendis ecclesiæ *de Premery* de novo institutis habuerunt, eas de bonis suis instituendo, concessimus omnibus ipsis ut singuli eorum præbendas suas alicui de cognatione sua vel de familiaribus, aut cui voluerint duntaxat clerico, possint libere nullius contradictione obstante in vita sua vel in decessu semel tantum assignare & relinquere; & ut permissio ista & concessio rata & inconcussa permaneat, nec alicujus valeat malignitate perverti, præsentem paginam sigillo nostro fecimus roborari. Hujus rei testis fuit Renauldus abbas S. Martini, Bernardus decanus, Guillelmus 1196.

Digitized by Google

archidiaconus, Odo facrifta Nivernenfis, magifter A Hugo de Garna & magifter Hugo nepos ejus, Bartholomæus de Rigniaco, Gaufridus *de Montenefon*, Hugo de Rouza. Actum anno Incarnationis Domini 1196.

L V I I.

Fundatio præbendarum de Tannaio.

1201. EGO G. Dei gratia Nivernenfis epifcopus, & ego B. decanus & univerfum ejufdem ecclefiæ capitulum, omnibus tam præfentibus quam futuris falutem in eo qui novit fuum dare fidelibus falutare. Accedentes ad nos Villicus capellanus de Tannio, Hugo prefbyter, Galterius prefbyter, Johannes *Griven* & B Johannes *Clareu* clerici ejufdem villæ, humiliter nobis fupplicaverunt ut in ecclefia noftra de Tannio præbendas fibi de bonis fuis facere permitteremus. Attendentes igitur prædictorum clericorum piam voluntatem in ecclefia noftra de Tanneio ipfos inftituimus canonicos, G. capellano ejufdem ecclefiæ huic facto præbente affenfum, volentes igitur in ipfa ecclefia divinum cultum ampliari eifdem canonicis conceffimus præfatæ ecclefiæ donum fex librarum ceræ quas in ipfa ecclefia antiquitus annuatim habebamus, falva tamen antiqua penfione centum folidorum quos in illa ecclefia Fromundus piæ recordationis quondam epifcopus Nivernenfis, pro anniverfario fuo faciendo fingulis annis capitulo Nivernenfi affignavit. Commemorati itaque canonici de Tannio antiquam cen- C fivam C folidorum ad anniverfarium præfati epifcopi fingulis annis exfolvent, videlicet L folidos in fynodo hyemali & L folidos in fynodo æftivali. Præpofitus autem quem fibi ex canonicis Nivernenfibus elegerint, priufquam a capitulo Nivernenfi pro præpofito habeatur, cenfivam iftam C folidorum ftatis terminis bona fide reddendam jurabit. Sane canonici prælibati liberam habebunt electionem, ita tamen quod nullum poterunt fibi eligere in præpofitum nifi de canonicis Nivernenfibus. Electum vero capitulo Nivernenfi præfentabunt, qui domino epifcopo Nivernenfi hominium faciet & fidelitatem. Ego vero G. epifcopus ecclefiam illam ab omni exactione quæftarum & procurationum & vifitationis archidiaconi gratiavimus, falvo noftro jure & archiprefbyteri noftri in præfen- D tatione capellani & in obedientia nobis exhibenda. Succedentes autem epifcopi & archidiaconi ad ecclefiam illam accedentes finguli in vita fua fingulas a canonicis recipient procurationes. Ita tamen quod epifcopus Nivernenfis * accipiet procurationem fuam in eundo ad confecrationem fuam & exinde redeundo. Canonici vero qui de fuo proprio præbendas in ecclefia de Tannio inftituerint, quibus placuerit de cognatione fua aut familiaritate in vita fua vel deceffu duntaxat clericis idoneis poterunt affignare, nec ipfa donatio, nifi ad unum tantum per fingulos canonicos extendetur; fucceffores enim iftorum dandi & relinquendi poteftatem non habebunt, fed præbendarum donatio ad præpofitum quem fibi elegerint jure perpetuo pertinebit. Statutum eft tamen de communi E affenfu noftro & canonicorum de Tannaio quod in novitate ifta ufque ad XXX fratres canonicos poterunt recipere; fed poft ipfos numerus dictus & juratus duodenarium non excedet, excepto præpofito fuo. Capellanus ejufdem ecclefiæ qui nunc eft, canonicus erit, & integrum fructum præbendæ percipiet præter quædam alia quæ fibi funt fpecialiter affignata, & capellano qui ei fuccedet fi non fuerit canonicus. Ad majorem hujus inftitutionis firmitatem figilla noftra præfenti fcripto apponi fecimus. Actum eft hoc Niverni publice in capitulo menfe Julio * anno Verbi Incarnati M. CC primo.

* alibi additur non.

* al. Junio.

L V I I I.

Philippus rex ecclefiam Nivernenfem a regalium jure eximit.

Ex camera comput. Parif. littera D.

IN nomine fanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. 1208. Philippus Dei gratia Francorum rex. Noverint univerfi, prefentes pariter & futuri, quod nos dilecto & fideli noftro Guillermo Nivernenfi epifcopo totum jus illud quod habebamus in regalibus Nivernenfibus concedimus & quittamus in perpetuum ipfi & fuccefforibus fuis & donationes etiam præbendarum. Ita quod vacante fede, nihil de mobilibus, vel immobilibus, per nos vel per alium capiemus in domibus epifcopi, nec in caftellis & villis ejufdem, neque in hominibus regalium nec in rebus eorumdem, neque in prædictis regalibus aliquid prorfus retinemus, præter exercitus & procurationes, ficut nos & prædeceffores noftri ea folent & debent habere. Concedimus etiam ut vacante fede eadem regalia fint in manu decani & capituli Nivernenfis, ut tam ea, quam prebendæ & dignitates, fi quæ interim vacaverint, ad opus futuri epifcopi falvæ & integræ refervettur. Quod ut perpetuæ ftabilitatis robur obtineat, figilli noftri autoritate & regii noftri caracteris inferius annotati prefentem paginam confirmamus. Actum apud Fontem-Belliaudi anno Incarnationis Dominicæ M. CC. VIII aftantibus in palatio quorum nomina fuppofita funt & figna. Signum Guidonis buticularii, S. Matthæi camerarii. S. Droconis conftabularii. Data regni noftri anno XXX, vacante cancellaria, per manus fratris Guarini.

L I X.

Commutatio Gervafii epifc. cum abbate S. Laurentii. *Ex chartul.*

IN nomine fanctæ & individuæ Trinitatis. Univerfis 1222. Chrifti fidelibus, ego Gervafius Dei gratia Nivernenfis epifcopus, Hugo decanus totumque capitulum B. Cyrici Nivernenfis, notum fieri volumus quod cum ex predecefforum noftrorum laudabili confuetudine & antiqua prioratus fancti Gildardi fubditus abbatiæ S. Laurentii in ecclefia noftra perciperet annualia præbendarum, quocumque modo illas vacare contigerit, & in ipfa ecclefia noftra duæ præbendæ deputatæ effent ad obfequium mortuorum, quæ de numero aliarum & in omnibus æquales aliis funt præbendis, nos de affenfu & voluntate G. abbatis totiufque conventus abbatiæ S. Laurentii, utriufque ecclefiæ penfata utilitate, commutationem dictarum præbendarum cum annualibus & annualium cum præbendis fecimus, ita quod ecclefia noftra ad opus fabricæ ipfius ecclefiæ ipfa annualia & quidquid occafione annualium prioratus S. Gildardi percipere confuevit five in ecclefia cathedrali, five in monafterio beatæ Mariæ Nivernenfis, five alibi, perpetuo pacifice poffidebit, & nihilominus abbas & conventus S. Laurentii in corpore ipfius abbatiæ facient annualia & fervitium mortuorum pro fingulis noftris canonicis decedentibus, ficut facere confueverunt ab antiquo. Prioratus vero S. Gildardi duas præbendas mortuorum prædictas in ecclefia noftra libere & pacifice & cum omni integritate in perpetuum poffidebit, exceptis domibus quæ deputatæ fuerant prædictis præbendis mortuariis, quæ penes noftrum capitulum in perpetuum libere remanebunt. Duo autem prefbyteri de canonicis S. Gildardi ad fervitium dictarum præbendarum deputabuntur, qui fingulis diebus miffam unam in ecclefia noftra pro mortuis celebrare tenebuntur, exceptis illis diebus in quibus ecclefia noftra non celebrat pro defunctis. Si vero dicti canonici in celebratione hujufmodi miffæ defecerint, pro defectu cujuflibet miffæ pœnam confuetam folvere tenebuntur; quos duos canonicos dictus prior S. Gildardi mutare

poterit pro sua voluntate. Quotidianas vero distributiones duo canonici S. Gildardi, qui ad servitium harum duarum præbendarum deputabuntur, percipient in hunc modum, panem & vinum si interfuerint missæ majori & duabus horis, denarios autem matutinales percipient si vesperis & aliis duabus horis interfuerint, vel solummodo matutinis: si vero majori missæ & duabus horis vel vesperis, & aliis duabus horis interfuerint, in optione eorum erit percipere panem & vinum solummodo, vel denarios matutinales solummodo. Alias vero distributiones sive in capitulo, sive in anniversariis, sive in processionibus vel in aliis quibuscumque locis fient, si præsentes fuerint, percipient sicut alii duo de canonicis nostris, vocem tamen in capitulo non habebunt. . . . . . . In omnibus autem proventibus & expensis quæ percipientur & fient a capitulo Nivernensi, prioratus sancti Gildardi percipiet & contribuet pro rata duarum præbendarum, &c. Actum anno Domini 1222, mense Julio.

L X.

Ex archivis castri Melfensis.

Carta pro abbatia S. Mariæ Nivernensis.

1254. OMNIBUS presentes litteras inspecturis, magister Albericus officialis curie archidiaconus Nivernensis, salutem in Domino. Vobis notum facimus quod nobilis vir Hugo dominus Melsie *(de Meaulce)* miles, & nobilis domina Isabella ejus uxor in nostra presentia constituti concesserunt & dederunt pro remedio animarum suarum ecclesie B. Marie Nivernensis & transtulerunt in ipsam ecclesiam manum mortuam quam nobiles ipsi dicebant se habere in bordelagiis ejusdem ecclesie sitis sub dominio nobilium eorumdem, & totum jus, salva & excepta justitia quam ipsi nobiles possent quocumque tempore in ipsis bordelagiis reclamare. Volentes & concedentes, &c.

Datum anno gracie M. CC LIV. mense septembri.

L X I.

Societas instituta inter abbates sancti Satyri & sancti Martini.

1259. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Amen. Nos Johannes abbas totusque conventus sancti Satyri Bituricensis diœcesis ordinis S. Augustini, notum facimus tam presentibus quam futuris, quod nos consideratione provida & salubri nobis & nostris posteris procurantes beneficiorum non solum spiritualium sed & temporalium incrementa de nostrorum omnium voluntate unanimi & concordi societatem & fraternitatem tam in spiritualibus, quam temporalibus fecimus & statuimus cum devotis veneralibus, & religiosis viris domno Petro abbate S. Martini Nivern. & conventu ac congregatione loci ejusdem sub ea conditione, videlicet ut si abbas ipsius ecclesie canonicis indiget uno vel pluribus mittentur eidem de nostro collegio, ac cum fratrum ipsius ecclesie nobis fuerit obitus nuntiatus, statim obsequium solenne pro eis & omnia quæ pro nostris fratribus defunctis specialiter reddi solent apud nos persolventur, & etiam eorum nomina in nostro martyrologio conscribentur. Cum vero fratres ipsius ecclesie ad nos vel ad ecclesiæ nostræ membra sine negotiis exigentibus duxerint destinandum, ipsi excipientur ut nostri fratres & canonici tractabuntur in omnibus; ac si quemquam ex suis fratribus ob quamcumque causam & casum aliquem mitti contigerit ad nostram ecclesiam, is cum sui abbatis literis suscipietur, & cum nostris canonicis in communi refectorio, in dormitorio, in choro, in capitulo & in claustro tanquam unus ex nobis conversabitur donec reconcilietur aut penitus revocetur. Et similiter dicti abbas & conventus de nostris fratribus & canonicis in prædictis casibus universis & singulis facient versa vice. In quorum omnium memoriam perpetuam & cautelam sigilla nostra præsentibus literis duximus apponenda. Actum anno Domini 1259 mense augusto.

L X I I.

Concordia inter Odonem comitem Nivernensem, Robertum episcopum & capitulum super moneta.

ODO comes Nivernensis & filius ducis Burgundiæ primogenitus, universis presentes litteras inspecturis salutem. Noverint universi quod cum inter nos 1262. ex parte una, & reverendum patrem Robertum episcopum & capitulum Nivernense ex altera, esset contentio super valore, sive pondere ac legalitate monetæ quam faciebamus in comitatu Nivernensi: tandem mediantibus quibusdam bonis & discretis viris, & super moneta facienda expertis, concordatum est inter nos & episcopum & capitulum prædictos in hunc modum, videlicet, quod nos quandiu ratione propriæ potestatis comitatum Nivernensem juxta patriæ consuetudinem tenebimus & habebimus, poterimus sine dictorum episcopi & capituli contradictione facere monetam, hanc videlicet & non aliam, ad tres denarios & obolum, ac mediam pictavinam de bono argento & legali, & viginti solidorum ponderis uno minus plusve denario ad marcham trecentum ad quam monetæ deliberantur. Et ista concordia, sive compositio aut ordinatio durabit quousque hæres comitatus Nivernensis habeat ætatem legitimam secundum consuetudinem patriæ tenendi dictum comitatum, & ex illo tempore in antea dicta compositio carebit roboris firmitate, nulli partium jus tribuens vel præjudicium afferens: sed utrique parti videlicet dicto hæredi ex parte una, & episcopo ac capitulo prædictis ex altera, jus suum illæsum remanebit secundum quod erat antequam dicta compositio inter nos & episcopum & capitulum prædictos fuisset ordinata. Acta sunt hæc Parisiis, præsentibus reverendis patribus & dominis Guillelmo Belvacensi episcopo & Guidone Autissiod. episcopo, Thoma dicto Jegulario huticulario domini regis, Petro Michaëlis panetario regis & Petro dicto *Bourdon* cive Parisiensi, & pluribus aliis, anno domini 1262, die Martis ante festum Nativitatis B. Mariæ Virginis.

L X I I I.

Fundatio capellæ in ecclesia S. Aregii de Dysesia, comprobante Roberto episcopo.

NOS Robertus Dei gratia episcopus & capitulum Nivern. notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod charissimus noster in Christo 1264. magister Guillermus de Dysesia archidiaconus in ecclesia Autissiodor. pro animæ suæ remedio & suorum, de voluntate nostra pariter & assensu in ecclesia beati Aregii de Dysesia nostræ diocesis, instituit & fundavit quandam vicariam & altare in honorem beatissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ de propriis bonis suis usque ad decem libras Turon. annui redditus, donans perpetuo & assignans pro sustentatione presbyteri sive vicarii qui altari prædicto pro præfato archidiacono & suis specialiter & pro cunctis fidelibus vivis & mortuis deserviat in futurum. Huic autem vicariæ dedit archidiaconus antedictus intuitu pietatis decimas suas *de Foyleor* & de Lamenayo, suamque vineam de Crota, prout hæc tenuit & tenebat ante donationem præmissam. Et de rebus ipsis loco vicarii instituendi in ecclesia supradicta, prout superius est expressum, & ad opus vicarii prænotati, nos ad præsens archidiaconus prædictus personaliter investivit, hæredem suum in eisdem rebus instituens solum Deum. Hoc tamen sibi retinens specialiter ac reservans ut quandiu contigerit ipsum & Regnaudum cantorem Tornodorensem

Digitized by Google

nepotem suum vivere Deo dante archidiaconus ipse vel ille qui diutius vixerit successive vicariam conferat cui voluerit & viderit conferendam pro suæ libito voluntatis omni contradictione cessante, & quod post obitum utriusque cum vacare contigerit vicariam antedictam, collatio ejus pertineat, & penitus devolvatur ad prædictum capitulum Nivern. Promittens firmiter bona fide quod singula præmissorum inviolabiter observabit, nec contravenire aliquatenus attemptabit. Dictus autem nepos similiter hæc promisit per juramentum præstitum coram nobis. Ad hæc autem observanda similiter & tenenda archidiaconus & nepos ejus prædicti hæredes suos in perpetuum obligarunt. Quod ut certum & stabile permaneat in futurum, ad petitionem archidiaconi memorati præsentibus litteris sigilla nostra fecimus apponi cum sigillo archidiaconi supradicti, anno gratiæ 1264 mense Junio.

L X I V.

Gilo episcopus ratam habet concordiam a decessore Roberto factam.

1279. EXCELLENTISSIMO domino suo domino Philippo Dei gratia regi Francorum illustri, Gilo ejusdem miseratione Nivern. episcopus. Cum reverentia & honore excellentiæ vestræ tenore præsentium intimamus quod nos processus habitos inter venerabiles viros decanum & capitulum Nivernense ex una parte, & nobilem virum Robertum comitem Nivern. & Yolendim ejus uxorem comitissam coram vobis suo & ecclesiæ nostræ Nivernensis nomine, super facto monetæ, ex altera, ratos & firmos habemus & habebimus in futurum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus litteris duximus apponendum. Datum Nivernis die Lunæ post festum B. Barnabæ apostoli, anno Domini 1279.

L X V.

Ex originali. *Fundatio conventus Dominicanorum in urbe Nivernensi.*

1271. UNIVERSIS presentes litteras inspecturis, Agnes domina Borbonensis salutem in domino sempiternam & notitiam rei geste. Universitati vestre notum facimus quod nos in bona & sana memoria constitute nullius fraude, vel dolo, seu machinatione inducte, vel circumvente sine ulla coactione propria & spontanea voluntate, pro remedio anime nostre & parentum nostrorum dedimus & concessimus, damus etiam & concedimus gratuita, pura, perpetua, perfecta & irrevocabili donatione inter vivos viris religiosis & in Christo karissimis priori, provinciali & fratribus ordinis Prædicatorum provincie Francie in puram & perpetuam eleemosynam, omnes domos nostras, seu totum manerium nostrum quod habemus Nivernis, sitas seu situm juxta muros civitatis antiquos ex una parte, & prope domos decani & canonicorum Nivernensium ex altera, cum ortis & edificiis, & omnibus pertinenciis ipsarum domorum, & quicquid juris habemus, vel habere possumus, seu debemus, quacumque ratione vel causa, tam in predictis fundo & domibus seu edificiis, quam in ortis & omnibus pertinenciis, ad faciendum seu construendum domum conventualem sui ordinis in predicto loco, seu manerio aut etiam in alio loco idoneo ejusdem civitatis, ubi dictis priori & fratribus magis visum fuerit expedire; ita quod si in alio loco dicta domus ordinis fuerit collocanda, dicti prior & fratres habeant liberam & plenariam potestatem prædictas domos nostras sibi concessas cum ortis & pertinenciis in toto vel in parte simul vel divisim, sicut eis videbitur, vendendi, permutandi, donandi vel quolibet titulo alienandi, pro construenda seu facienda prædicta domo ordinis sui in civitate vel suburbio Nivernensi ubicumque eis visum fuerit expedire. De predictis autem domibus, ortis, & pertinenciis devestivimus nos totaliter & devestimus & investimus, atque in possessionem corporalem ponimus dilectum in Christo consanguineum nostrum fratrem Guidonem de Soliaco vice ac nomine dictorum prioris & fratrum, & in ipsos dominium & possessionem dictarum domorum plenarie transtulimus & transferimus, volentes & concedentes tenore presentium ut ex nunc quandocunque placuerit, eis sine alicujus requisitione libere dictas domos & manerium nostrum auctoritate propria ex vi hujus donationis nostre & concessionis occupare valeant manere & inhabitare per se vel per alium, & commoditates suas seu utilitates ordinis sui inde facere pro sue libito voluntatis. Promittimus autem bona fide nos prædictam donationem & concessionem in perpetuum ratam & firmam habituras, nec in unquam ullo tempore per nos vel per alium in judicio vel extra venturas vel venire volenti consensuras. Imo potius predictos priorem & fratres in dictarum domorum jure Dominio & possessione pro posse nostro defensuras. Renuntiamus autem in hoc facto sponte & ex certa scientia exceptionibus doli & in factum, & beneficio velleiali minoris etatis, & restitutionis in integrum, & specialiter juri dicenti generalem renunciationem non valere, & omni juri tam canonico quam civili seu consuetudinario quod contra premissa vel aliquod premissorum posset nobis competere vel prodesse. Ad premissa etiam omnia tenenda firmiter complenda & defendenda heredes nostros quantum possumus expresse & specialiter obligamus. In hujus autem, donationis, concessionis & obligationis testimonium presentem cartam seu litteram sigilli nostri appensione fecimus communiri. Actum & datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo mense Novembri.

L X V I.

Compositio inita inter Johannem episcopum, decanum & capitulum Nivernense.

UNIVERSIS presentes litteras inspecturis, Johannes miseratione divina Nivernensis episcopus, salutem in Domino. Noveritis quod cum inter nos nomine nostro & episcopatus nostri ex una parte, & venerabiles viros decanum & capitulum ecclesie nostre predicte nomine suo, & ecclesie predicte fuisset orta dissensio ex eo quod nos dicebamus nobis licere super homines & servos & ancillas communes nobis & dictis venerabilibus imponere questas ratione nostri jucundi adventus in pecunie summa secundum facultates personarum dictorum servorum & ancillarum, & eas exigere ad commodum & usus nostros, sicque fuit solitum per predecessores nostros. Ipsos etiam venerabiles requisivimus quare super impositione & exactione questarum hujusmodi nos impedire vellent; immo super hoc gratiam & assensum adhiberent. Prefatis venerabilibus in contrarium dicentibus, videlicet predicta nobis non licere de jure, nec per usum aliquem predicta faciendi jus nobis fuisse unquam; idcirco premissa patienter tolerare non poterant in prejudicium dicte ecclesie. Immo cum per statutum in eorum capitulo ab antiquo factum solemniter & juratum per ipsos & eorum successores corporaliter in sua receptione ordinatum fuit, & sic quod non consentient talibus questarum impositionibus super homines communes episcopatus nostri predicti & ipsorum per episcopum dicti loci faciendis. Tamen prædictis eorum allegationibus non obstantibus nos credentes aliquorum monitionibus quod per predecessores nostros ita factum fuisset, de facto processimus ad impositionem & exactionem dictarum questarum super aliquas & plures personas servas communes nobis & ipsis in terra, & in juridictione nostra usque ad partes pecuniarum questarum. 1372.

Digitized by Google

questarum. Verumtamen dictis venerabilibus contradicentibus, & quia a predictis desisteremus nos instanter requirentibus, nos postea saniori usi consilio cum de jure nostro premissa posse fieri nobis non apparuit nec apparet, & attentis propositis per dictos venerabiles jure & ratione fulcitis ab impositione & exactione predictis omnino cessavimus, & in futurum ea facere vel fieri pro nobis vel nomine nostro non intendimus, & ea quæ per nos vel officiarios nostros vel alios quoscumque occasione impositionis & exactionis dictarum questarum a dictis personis communibus servis & eorumdem venerabilium recepta fuerint eisdem venerabilibus integre restituere promittimus, & per eos qui ea nomine nostro receperunt ipsis vel eorum mandato restitui precepimus & mandamus. Promittentes bona fide quod contra præmissa vel eorum aliqua non veniemus, immo ea firmiter & inviolabiliter observare. In quorum testimonium ad perpetuam premissorum memoriam presentes litteras eisdem concessimus, sigillo nostro proprio sigillatas. Datum Niverni in domo nostra episcopali, anno Domini M. CCCLXXII, die Lune post festum Assumptionis B. Marie Virginis.

LXVII.

Decanus ecclesiæ Nivernensis convocat capitulum pro electione novi episcopi.

1283. SIMON decanus & capitulum ecclesiæ Nivernensis viris venerabilibus, & discretis amicis & coecanonicis suis in Christo P. Thesaurario Nivernensi, magistro Heliæ Montis, magistro Gofrido de Chaomo, magistro Johanni de Chaomo, magistro Nicolao de Puiheolis & Johanni Bocherii, salutem & sinceram in Domino caritatem. Bonæ memoriæ Gilone quondam episcopo nostro Nivernensi sicut placuit Deo, ab hac luce substracto, corporeque ipsius condito ecclesiasticæ sepulturæ & ab illustrissimo rege Francorum, prout moris est, petita eligendi licentia & obtenta, nos præsentes Nivernis, anno Domini M. CCLXXXIII, die Lunæ ante Exaltationem S. Crucis, convenientes in capitulo, terminum præfigimus & assignavimus ad eligendum episcopum, vel alias providendum Nivernensi ecclesiæ de Pastore, videlicet diem Lunæ post instantes octavas festi S. Dionysii: ad quam diem vos tenore præsentium citamus peremptorie & vocamus, ut ea die hora capituli, ad tractandum de episcopi electione, vel alia provisione ecclesiæ, una nobiscum in ecclesia Nivernensi personaliter, vel alias vestro nomine conveniatis. Et in signum receptionis præsentium & vocationis vestræ sigilla vestra præsentibus apponatis. Datum anno & die prædictis.

LXVIII.

Sententia arbitralis inter episcopum & decanum Nivernenses.

1396. IN nomine Domini, amen. Universis præsentes litteras inspecturis, Guillelmus Berturdi licentiatus in utroque jure canonicus Nivernensis, & Petrus Grivelli clericus, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod cum lis mota esset seu moveri speraretur inter reverendum in Christo patrem & dominum Philippum Nivern. episcopum ex parte una, & venerabilem virum magistrum Petrum Naudeti decanum ecclesiæ Nivernensis parte ex alia, nomine & ad causam suarum dignitatum, de & super eo quod præfatus reverendus asserebat collationem, provisionem & omnimodam dispositionem ecclesiæ parochialis sancti Desiderii ad se pertinere tanquam fundatorem de jure communi, dicto Domino decano in contrarium asserente quod ad eum ratione dicti sui decanatus solum & in solidum pertinebat & spectabat collatio, provisio & omnimoda dispositio dictæ parochialis A ecclesiæ S. Desiderii de antiqua & approbata consuetudine, & a tanto tempore de cujus contrario memoria hominum non existit: quodque ipse decanus & sui prædecessores ita usi fuerunt a dicto tempore, & per dicta tempora toties quoties dicta ecclesia sancti Desiderii vacavit, scientibus & non contradicentibus dicto episcopo & suis prædecessoribus. Tandem pro bono pacis dictæ partes propter hoc in nostra ac notarii publici infra scripti præsentia constitutæ volentes & cupientes lites amputare, jusque suum cuilibet servari, scientes & sua sponte coram nobis voluerunt, & expresse consenserunt quod de & super præmissis controversia & discordia, ac de jure dictarum partium nos informaremus, ac veritatem facti inquireremus diligenter, tam per testes fide dignos, quam per litteras B & instrumenta & alias legitimas informationes & inquisitiones factas de præmissis. Nos tanquam arbitri seu arbitratores, aut amabiles compositores diceremus, decerneremus & declararemus cui dictarum partium jus conferendi & instituendi & destituendi in dicta parochiali ecclesia curatum competeret & spectaret, & de hujusmodi lite & discordia ordinaremus, prout de jure foret ordinandum: ipsæque partes dictæ declarationi & ordinationi nostris super prædictis stare perpetuo voluerunt & promiserunt coram nobis bona fide sub hypotheca & obligatione omnium bonorum suorum. Nos vero volentes in hujusmodi negotio mature procedere, inquisivimus veritatem de & super præmissis, & nos per multos & notabiles civitatis Nivernensis testes productos a dictis partibus diligentem fecimus C informationem quam in scriptis redigi fecimus. Tandem hodierna die dictis dominis episcopo & decano in nostra præsentia constitutis, & petentibus a nobis jus sibi fieri, decerni & declarari, habito consilio super hoc & diligenti deliberatione præhabita cum venerabili viro Johanne *Coursaireti* licentiato in decretis officialique curiæ Nivernensis, & pluribus aliis juris peritis, per hanc nostram sententiam dicimus, pronunciamus, decernimus & declaramus collationem, provisionem, institutionem & destitutionem & omnimodam dispositionem parochialis ecclesiæ S. Desiderii Nivernensis prædictæ ad præfatum Dominum decanum solum & in solidum & non ad dictum dominum episcopum pertinuisse & pertinere, spectasse & spectare collationemque quam nuper idem dominus episcopus de dicta parochiali ecclesia fecisse dicitur cuidam domino D Guillelmo Dado presbytero, quatenus de facto processit, tanquam invalidam & nullius efficaciæ vel valoris revocantes & nullam declarantes. Qua sententia sic per nos prolata, prefati domini episcopus & decanus ipsam emologaverunt, approbarunt & ratificarunt & perpetuo servandam censuerunt. De quibus omnibus & singulis præmissis dictus dominus decanus pro se & suis successoribus petiit sibi per nos ac venerabilem virum magistrum Johannem Vohata sigilliferum dicti domini episcopi Nivernensis, canonicum publicum auctoritate apostolica & imperiali notarium fieri instrumentum publicum seu litteras testimoniales quas & quod eidem concessimus. Facta sunt hæc Niverni in parva aula domus episcopalis Nivernensis, præsentibus venerabilibus viris magistris Johanne *Coursaireti* officiali, Johanne Vohata subcoll. apostolico & canonico E Nivernensi sigillifero dicti domini episcopi, Hugone *Bertelon* licentiato in legibus promotore causarum curiæ Nivernensis & Adam de Furvello clerico beneficiato in ecclesia Nivernensi testibus ad premissa vocatis. In quorum fidem ad perpetuam rei memoriam sigilla nostra una cum signeto & subscriptione domini subcollectoris auctoritate apostolica notarii præsentibus litteris duximus apponenda. Datum die lunæ post Dominicam qua cantatur in sancta Dei ecclesia *Judica me*, quæ fuit dies 9.ª mensis Aprilis, anno millesimo trecentesimo nonagesimo sexto.

Ego vero præfatus Johannes Vohata presbyter Lemovicensis diœcesis baccalaureus in decretis publicus

Digitized by Google

apostolica & imperiali auctoritate notarius canonicusque & subcollector Nivern. ac sigillifer curiæ episcopalis dicti loci præmissis omnibus & singulis sic per dictos dominos arbitros in præsentia dictorum dominorum episcopi & decani factis, dictis & prolatis, una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque omnia & singula supradicta sic fieri vidi & audivi ac de præcepto, mandato & consensu dictorum dominorum arbitrorum & partium in notam recepi & publicavi, signoque nostro solito cum appensione sigillorum prædictorum dominorum arbitrorum manu mea propria me subscribendo signavi in testimonium præmissorum rogatus & requisitus.

L X I X.

Charta Johannæ de Montagu *qua concedit prioratum de Firmitate in diœcesi Nivernensi situm.*

1400. JOANNA *de Montagu* abbatissa monasterii ad moniales de Crisenone super Yonem, diœcesis Autissiodorensis, ordinis sancti Benedicti, dilectæ nobis in Christo filiæ Ysabellæ de Damo-comitis religiosæ professæ nostri monasterii de Firmitate, salutem in Domino. Prioratum vulgariter & gallice nuncupatum de Firmitate, diœcesis Nivernensis, membrum dependens a dicta nostra abbatia, cujus dum & quotiens vaccatio occurrit, collatio, provisio & quævis alia dispositio ad nos pleno jure ratione nostræ dignitatis abbatialis ab antiquo spectare & pertinere dignoscuntur, vacantem per obitum seu decessum Alip̄d de Molinis religiosæ professæ prædicti ordinis, tibi, tamen absenti, tanquam capaci, sufficienti & idoneæ, una cum omnibus juribus, fructibus & pertinentiis dicti prioratus, concessimus & contulimus, conferimusque & donamus tenore præsentium. Quapropter presbyteris, religiosis ac notariis nobis subditis mandamus, non subditos rogantes, quatenus te vel procuratorem tuum pro te & nomine tuo, in corporalem, realem & actualem possessionem ipsius prioratus de Firmitate, juriumque, fructuum universorum ponant & inducant, adhibitis solennitatibus, & acceptis a te juramentis in talibus præstari solitis, jure nostro & quolibet alieno in omnibus semper salvo. In cujus rei testimonium sigillum nostrum quo in talibus utimur, cum signo nostro manuali, necnon secretarii nostri subscripti, per nos assumpti, præsentibus duximus imponendum. Datum & actum in domo nostra abbatiali de Crisenone, die XXV mensis Novembris, anno Domini millesimo quadringentesimo, præsentibus Ludovico & Guillelmo *le Perrier* agricolis in loco de Crebano commorantibus, testibus.

S. Jehanne de Montagu, abbesse de Crisenon.

L X X.

Processus verbalis ingressus primi Imberti de la Platière *episcopi Nivernensis.*

1512. IN nomine Domini, amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum quod anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, indictione prima, die vero Sabbati duodecima mensis Nov. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri D. Leonis, divina providentia papæ decimi anno primo, in mei notarii publici testiumque infra scriptorum præsentia personaliter constitutus & existens religiosissimus pater reverendus & dominus Imbertus de Plateria Nivernensis episcopus, astante secum cleri & populi multitudine ante magnam portam introitus cimiterii monasterii sancti Martini Nivernensis in vico publico sancti Martini, volens in dicto monasterio pernoctare in jocundissimo suo

A adventu seu nova receptione, prout pernoctarunt sui prædecessores episcopi Nivernenses, dixit, exposuit & declaravit seu exponi & declarari fecit venerabilibus & religiosis viris abbati & conventui predicti sancti Martini in predicta porta in cappis de Serico, cum cruce, cereis & aqua benedicta intra dictam portam processionaliter devote existentibus & dictum dominum reverendum sollicite & ferventer expectantibus & desiderantibus, quod more suorum prædecessorum episcoporum & eosdem insequendo in primo suo jocundo adventu seu nova receptione in prædicto eorumdem monasterio præsenti nocte pernoctare intendebat, petens instanter ad hoc sibi per prædictos venerabiles introitum dari & concedi, & ad hoc admitti & recipi. Ad quod prædicti venerabiles abbas & conventus dixe-

B runt, responderunt & declaraverunt quod humiliter gaudenter & hilariter prædictum introitum eidem domino darent & concederent, ipsumque reciperent & admitterent benigne & gratanter, dum tamen prædictus reverendus sacramenta seu juramenta faceret & præstaret quæ sui prædecessores episcopi Nivernenses in prædicta pernoctatione seu nova receptione alias præstaverant & facere consueverant. Quorum quidem sacramentorum in quodam rotulo papireo in manibus domini Michaëlis *de Lanvaux* prioris claustralis, tenor seu forma talis erat: Hæc est forma sacramenti præstari soliti in jocundissimo adventu seu nova receptione episcopalis dignitatis, cum in pernoctatione in cœnobium abbatiale beati Martini de Nivernis præsul recipitur. Et primo tactis sacrosanctis evange-

C liis religiosissime pater jurabitis ecclesiam abbatialem beati Martini tam in capite quam in membris in sua libertate conservare, nichil de ejus immunitate penitus infringendo. Item, quod de causa & negotio claustrali inter religiosos in forensi vestro judicio per vos vel officiales vestros quovis modo decidere non permittetis, sed ad patrem abbatem, priorem, subpriorem aut alium præpositum ordinis negotium remittendo magna urgente negligentia prædictorum, ex qua scandalum contingeret maximum monitione tamen legitima super hoc præcedente ad reformationem excessuum dumtaxat studebitis. Item, quod religiosos & alios præfatæ domus familiares & domesticos & pari immunitate participes ad judicium vestrum & tribunal, nisi cum magna deliberatione & decreto prævio citari non permittetis, sed quamprimum ad aures vestras

D clamor hujusmodi pervenerit, absque mora citatos remittere festinabitis. Item, quod nisi pro urgenti negotio & necessitate claustrales, & qui divinis officiis jugiter insudant peregrinari & alio ire non ordinabitis, sed quietem ecclesiæ in suo ordine pro modo suæ professionis conservabitis. Item, postremo quod jura, dominia, consuetudines, observantias, usus, possessiones legitime præscriptas & approbatas præfatæ ecclesiæ conservare & manu tenere pro posse curabitis, eisdem religiosis auxilium & favorem impartiendo. Item, quod hæc omnia & singula Deo & B. Genitrici semperque Virgini Mariæ patri nostro Augustino ac sanctissimo patrono nostro Martino, in cujus honorem præsens ecclesia celebratur sub pœnis & censuris quæ ultionem divinam minantur inconcusse

E observare & adimplere juratis & promittitis. Quæ omnia & singula prædictus dominus Michaël *de Lanvaux* prior claustralis prædicti monasterii prout continebantur in prædicto rotulo papireo, & prout hic inseruntur, de verbo ad verbum, nichil de prædictis omittendo coram prædicto domino reverendo alta & intelligibili voce legit, declaravit, dixit & exposuit. Quibus lectis, expositis, visis & auditis, prædictus dominus reverendus tactis sacrosanctis evangeliis, & dicendo, *sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia*, omnia & singula prædicta in prædicto rotulo contenta, & hic inserta adimplere inconcusse & inviolabiliter observare juravit & promisit. Quibus sacramentis seu juramentis per prædictum dominum

reverendum sic prestitis prædicti venerabiles religiosi inceperunt cantando responsum, *sancte Martine Christi confessor audi rogantes servulos*, & prædictum dominum reverendum processionaliter & devote ante altare B. Martini duxerunt, ibique prædictus dominus reverendus benedictionem populo solemnem fecit & dedit. De quibus omnibus & singulis sic gestis, factis, dictis, lectis, visis & auditis, prædicti venerabiles abbas & conventus petierunt a me notario publico & apostolico unum vel plura instrumentum seu instrumenta, quod vel quæ sub hac & hujusmodi forma eisdem concessi, dedi & tradidi. Acta fuerunt hæc anno, die, & loco prædictis, præsentibus ibidem dominis & magistris Michaële *Olivier*, Cirico *Dupont*, Jacobo *Bourgoing*, canonicis ecclesiæ Nivernensis, honorabilibus & sapientibus viris dominis & magistris Johanne *Lamiche*, Petro *Moquot* & Ludovico *Michelin*, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.


Et ego Michaël *Bourbonnat* clericus Nivernensis publicus auctoritatibus apostolica & regia, venerabilisque curiæ episcopalis Nivernensis notarius juratus prædictorum sacramentorum suprascriptorum receptioni cæterisque præmissis omnibus & singulis dum sic dicerentur, agerentur & fierent, una cum prænominatis testibus præsens fui, itaque sic fieri vidi, scivi & audivi : idcirco præsenti huic publico instrumento . . . . manu fideliter scripto, signum meum publicum & solitum in fidem præmissorum apposui requisitus & rogatus.

Sic signatum BOURBONNAT.

LXXI.

Susceptio Eustachii *du Lys* episcopi Nevernensis per Girardum priorem S. Stephani

1606. *LE 9 Novembre 1606, environ l'heure de deux après midi, en présence de nous notaires soussignés, religieuse personne dom Henry Girard prieur de Saint Étienne de Nevers, avec toute la communauté dudit lieu, assistés de quelques autres ecclésiastiques, de quelques-uns* A *de leurs officiers, & de grand nombre d'habitans, tant du bourg. . . . dudit Saint-Étienne que d'autres de la ville de Nevers, estans en procession avec la croix, l'eau bénite, les cierges & l'encens, au lieu de la Porte de la Barre, sous le portail d'icelle, est audit lieu arrivé avec grande, noble & honorable compagnie, reverend père en Dieu M. messire Eustache du Lys, par la permission divine & du saint siége apostolique évêque de Nevers, lequel, après que ledit Girard lui a eu discouru quelques propos de congratulation sur sa bienvenue, ensemble la manière observée des entrées de ses prédécesseurs évêques dudit Nevers, & des sermens dûs & accoûtumés d'être faits par iceux dudit Nevers lors desdites entrées au prieur & convent dudit Saint Étienne, ayant au préalable* B *ledit prieur fait lecture & déclaré audit sieur reverend la teneur desdits sermens, contenans en substance que ledit sieur reverend évêque juroit & promettoit,* tactis sacrosanctis evangeliis ecclesiam S. Stephani, ejus septa seu ambitum non intrare quovis modo, nisi a priore invitatus. Item, libertatem ecclesiæ prædictæ, ordinis Cluniacensis privilegia, burgi franchisiam tenere & inviolabiliter conservare, uti hactenus per prædecessores solitum est fieri. Item, consuetudines, observantias, usus & possessiones laudabiles legitime præscriptas & approbatas ecclesiæ præfatæ & burgi conservare. Item, omnia dicta privilegia sub pœna æternæ maledictionis & privationis pretiosissimi Corporis & Sanguinis Domini nostri J. C. ac illius damnationis quam *Dathan* & *Abyron* sustinuerunt, quos terra absorbuit ultione C divina. *Ledit sieur reverend évêque a fait & juré lesdits sermens sur un livre des évangiles où ils étoient écrits à cet effet, à lui présentés par ledit sieur prieur, auquel ledit sieur reverend a dit & répondu en ces mots :* Immunitates vestras, privilegia conservare volumus & juramus, ea duntaxat quæ prædecessores nostri jurare consueverunt. *Desquels sermens ainsi prêtes par ledit sieur reverend évêque, & de tout ce que dessus, ledit sieur Girard a requis acte à nous Charles Sacré & Étienne Brisson notaires royaux demeurans audit Nevers, soussignés, que lui avons octroyé l'an & jour que dessus.* Ainsi signé DU LYS, episcopus Nivern. *Girard, Sacré & Brisson notaires.*



Digitized by Google

APPENDIX AD ECCLESIAM SENONENSEM.

I.

Bulla Innocentii II in gratiam canonicorum regularium S. Johannis in suburbio Senonensi.

1136. INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Rainardo abbati ecclesiæ S. Johannis evangelistæ quæ in Senonensi suburbio sita est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Officii nostri hortatur nos auctoritas ecclesiarum statuta satagere & earum quieti ac utilitati, salubriter auxiliante Domino, providere. Dignum namque est, & honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad ecclesiarum regimen assumpti fuimus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & B. Petri atque apostolicæ sedis patrocinio muniamus. Quamobrem dilecte in Domino fili Raynarde abbas, petitiones tuas clementer admittimus, & ecclesiam S. Johannis, cui Deo auctore præesse dignosceris, sanctæ Romanæ ecclesiæ privilegio communimus, statuentes ut quæcumque bona, quascumque possessiones eadem ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum vel principum, oblatione fidelium, sive aliis justis modis, ampliante Deo, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus in perpetuum & illibata serventur, in quibus hæc propriis nominibus adnotanda subjunximus, ecclesiam scilicet sancti Stephani de Castro-Raynardi cum suis appenditiis, a venerabili fratre nostro Henrico Senonensi archiepiscopo de consensu capituli sui præfatæ ecclesiæ S. Johannis concessam, ecclesiam quoque S. Salvatoris a capitulo & canonicis Senonensibus, jam dicto fratre nostro Henrico archiepiscopo assensum præbente, vobis cum omnibus pertinentiis suis commissam, & a beatæ memoriæ prædecessore nostro papa Honorio confirmatam concedimus, ratificamus & approbamus auctoritate apostolica, &c. . . . . Datum anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto.

I I.

Hugo archiepiscopus Senonensis confirmat ecclesias & alias possessiones abbatiæ S. Remigii.

1159. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Ego Hugo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, venerabili fratri Stephano ecclesiæ S. Remigii Senon. abbati, cunctisque successoribus suis in perpetuum. Ad nostri præsulatus dignoscitur officium pertinere ecclesiis Dei quæ in nostro constitutæ sunt ministerio præcipue illis in quibus sanctæ conversationis & religionis disciplina conservatur, curam sollicitudinis impendere, ne possessiones earum & bona quæ ad sustentationem regulariter degentium, & pauperum etiam charitatis intuitu donata sunt, violenter seu injuste tollantur, modis quibus possumus tueri. Eapropter charissime in Christo fili Stephane, volumus ut sciant moderni omnes & in venturis sæculis successura posteritas, quoniam quæcumque bona, vel quascumque possessiones in ecclesiis, seu villis, hominibus quoque, decimis, terris, pratis, vineis, nemoribus, censibus, aquis, molendinis, atque in militum feodis, aut in aliis quibuscumque redditibus, quæ omnia quidem propriis duximus exprimenda nominibus, ecclesia tua, domino adjuvante, juste & canonice possidet, aut in futurum juste poterit adipisci, pro tua benigna & humili petitione, præsentis scripti pagina ex sigilli nostri auctoritate confirmamus. Ecclesiam videlicet S. Romani, ecclesiam S. Symphoriani, ecclesiam S. Petri Rotundi, A ecclesiam S. Baudi cum pertinentiis suis quæ sunt in decimis, terris, censu & nemore; ecclesiam de Columnari cum decimis, hominibus, terris, nemoribus, pratis, censu & molendinis; ecclesias de Villa-nova & de Capella cum decimis, hominibus, terris, vineis, pratis, censu & molendinis, duodecim quoque solidos de censu, & tres sextarios frumenti & unum avenæ, quæ persolvit ecclesia Prulliacensis annuatim pro territorio de Acro-monte; ecclesiam de Pontibus super Vannam cum decimis, hominibus, terris, pratis, aquis & censu; ecclesiam de Verellis cum ipsa villa & pertinentiis ejus; ecclesiam de Valle-Hederæ ad conditionem de Verellis, cum ipsa villa & pertinentiis ejus; ecclesiam de Eschigiis cum decimis, hominibus, terris, B nemore & censu; ecclesiam de Calario cum medietate decimarum exceptis laboribus fratrum de templo, quos propriis faciunt manibus vel sumptibus, & medietatem eleemosynarum; ecclesiam de Camaco cum decimis, hominibus, terris, nemoribus, pratis & censu; terram quoque *de Soucy* cum censu, in potestate Vici-novi; locum de Noerellis cum hominibus, terris, pratis, censu & molendinis; apud Pontes supra Yonam homines cum pratis, terris & nemoribus. Præterea feodum vicecomitis Senonensis, feodum domini de Sillimaco, feodum Gosridi *Ferele*, feodum Hilduini manentis, feodum hæredum Maynardi de Furni, feodum Gofridi Valteri, feodum Henrici de Triangulo, feodum Gosberti Bosserii, feodum Vauduini de Merrolis, feodum Salonis de Dongione, feodum Bernardi Crassi, feo-C dum Rodulfi Georgiæ, feodum Girardi *Graver* & feodum alterius Girardi *Graver*, feodum Hugonis de Verellis & Petri, feodum Milonis *Carpinel*. Actum Senonis publice, anno Incarnationis Dominicæ 1159, indictione septima, concurrente in episcopatu nulla, Pontificatus vero nostri anno 17, regnante Ludovico rege minore, laudantibus quidem & assensum præstantibus ecclesiæ personis & archidiaconis.

I I I.

Charta Guillelmi præpositi totiusque capituli Senonensis pro canonicis regularibus S. Johannis.

D IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Guillelmus Senonensis ecclesiæ præpositus, totumque ejusdem capitulum, tam præsentibus quam futuris. 1162. Notum facimus inter nos & venerabiles fratres nostros, Guillelmum scilicet ecclesiæ S. Johannis evangelistæ abbatem, & ejusdem ecclesiæ canonicos super annualibus ecclesiæ nostræ ab antecessoribus nostris olim sibi concessis ortam fuisse controversiam, sed auctore pacis Deo postmodum fuisse sopitam. Causabantur igitur prædicti fratres nostri nos sibi fecisse injuriam de annualibus illarum personarum, quæ cum de nullis præbendis vacantibus fuissent investitæ, obveniebant tamen eis præbendæ quas expectabant, sed antequam aliquem fructum inde reciperent, decedebant. Horum itaque fratrum nostrorum taliter obeuntium annualia E postulantes præfati canonici nihil obtinebant; in hunc tandem compositionis modum totius universitatis nostræ consensu, divina præordinante gratia, convenimus, quod si forte aliquem de non vacante præbenda contigerit investiri, eaque quam expectat, illi viventi obvenerit, eumque antequam aliquem fructum percipiat de medio contingat auferri, quamvis secundum privilegium eorum ab antecessoribus nostris indultum sit, justum esse cognovimus, & hujusmodi annualia absque contradictione prætaxati fratres nostri quiete & pacifice in integrum de cætero possidebunt. Si vero aliqua persona quæ de non vacante præbenda

investita fuerit, antequam vacet præbenda, obierit, super hujusmodi casu annualium nullam ipsi deinceps quæstionem adversam movebunt. Ut autem hoc illibatum & inconcussum futuris temporibus permaneat, præsenti pagina communiri & sigilli nostri patrocinio dignum duximus roborari. Actum in capitulo nostro, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo secundo, adstantibus ecclesiæ nostræ personis & fratribus quorum nomina in memoriam sunt subnotata. Guillelmus præpositus, Odo decanus, Simon thesaurarius, &c.

IV.

Annuale unius præbendæ S. Stephani conceditur canonicis S. Johannis per Guillelmum præpositum & capitulum Senonense.

1164. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Guillelmus præpositus totumque capitulum ecclesiæ Senonensis tam futurorum posteritati quam præsentium existentiæ notum fieri volumus quod ad preces venerabilium patrum nostrorum cardinalium D. scilicet Humbaldi sanctæ Crucis cardinalis & magistri Alberti cardinalis S. Laurentii in Lucina, quod de annualibus nostris vobis deerat ad perfectionis augmentum, ipsorum interventu, tibi venerabilis abbas Guillelme & ecclesiæ S. Johannis, quæ proprie & specialiter nostra est, cui, Deo auctore præsides, tuisque successoribus in perpetuum concedimus. Cum enim antecessores nostri præbendarum nostrarum annualia pro remedio animarum suarum ad vestræ paupertatis sustentationem largirentur, annuale unius tantum prebendæ fratribus nostris canonicis beatæ Mariæ prius necesse, vobis nullatenus nisi de gratuita ipsorum canonicorum donatione concedere poterant. Quod quia ipsum usque ad tempora nostra nondum vobis concessum fuerat, nos propter venerandam præsentium prædictorum patrum nostrorum cardinalium interventionem & Deo amabilem ecclesiæ vestræ honestam religionem, prædictorum fratrum nostrorum canonicorum scilicet B. Mariæ, Leobaudi, Hugonis, Jaconis & Galonis donatione & assensu annuale illud quod vobis deerat præbendæ illius quam de nostræ universitatis portione percipiunt, unanimi omnium nostrûm assensu, vobis vestrisque successoribus quiete habere & in perpetuum possidere concedimus. Ne autem diuturnitate temporum aut pravorum hominum inquietudine hujus nostræ concessionis institutio aboleri valeat aut turbari, &c. Adstantibus ecclesiæ nostræ personis & fratribus, quorum nomina in memoriam sunt subnotata. Actum publice in capitulo nostro, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto. Matthæus præcentor & cancellarius scripsit.

V.

Variæ donationes factæ a Guidone I archiepiscopo Senonensi canonicis deservientibus altari sancti Johannis-Baptistæ in ecclesia S. Stephani.

Ab anno 1180 *usque ad annum circiter* 1192. GUIDO Dei gratia Senonensis archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus ad quos litteræ istæ pervenient, in Domino salutem. Notum fieri volumus tam futuris quam præsentibus, quod dilectis filiis nostris canonicis servitio altaris S. Johannis-Baptistæ deputatis 20 solidos in ecclesia de *Ruemont* & 10 solidos in ecclesia de *Frémont*, in ecclesia quoque de Bugliniaco tres modios annonæ ad mensuram ejusdem villæ, quæ omnia magister Gontherius possederat, perpetua possessione tenenda concessimus & donavimus. Ut ergo hæc nostra donatio rata sit & inconvulsa præsentis paginæ testimonio eam confirmari fecimus, & sigillo nostro muniri. Actum Senonis, anno Incarnati Verbi 1180.

A GUIDO Dei gratia Senonensis archiepiscopus, omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint in Domino salutem. Notum fieri volumus quod Guido Morelli resignavit in manu nostra quidquid habebat in minuta decima *de Bugligny* & Offarvilla, & nos idipsum sicut prædictus Guido & predecessores sui illud tenuerant, canonicis qui altari S. Johannis in ecclesia Senonensi deserviunt concessimus & donavimus possessione perpetua tenendum. In cujus rei memoriam præsentem chartam notari & sigilli nostri impressione muniri fecimus.

IN nomine sanctæ Trinitatis. Ego Guido Dei gratia Senonensis archiepiscopus, omnibus tam futuris quam præsentibus in perpetuum. Beneficia ecclesias- B tica sic acquirenda sunt & ordinanda, ut acquisita honestis conferantur personis, & ordinata perpetuo stabilitatis robore muniantur. Ea propter tam præsentibus quam futuris innotescere volumus quod nos quatuor canonicis qui in altari B. Johannis Baptistæ, quod in ecclesia B. Stephani Senonensis constructum est singulis diebus in perpetuum divina celebrant officia, tres ecclesias, scilicet ecclesiam *de Ville-Manôche*, ecclesiam de Boutigniaco, ecclesiam de Fleurigniaco, quas predecessor noster venerabilis Willelmus etiam archiepis. Senon. concessit & donavit, ex unanimi totius capituli consensu, confirmamus possidendas libere & quiete cum omnibus appenditiis suis, & eas immunes esse volumus ab omni exactione, collecta, circadis & synodis; capellanos etiam eorum C esse immunes ab omni justitia tam archidiaconorum, quam archipresbyterorum, & hospitiis, sicut ecclesias capituli Senonensis confirmamus. Confirmamus etiam eis omnia quæ nunc canonice possident, vel in futurum rationabiliter adipisci poterunt. Ut autem hæc rata & inconcussa permaneant, præsentis scripti attestatione & sigilli nostri auctoritate corroboravimus, &c.

VI.

Guido archiepisc. dat canonicis & capitulo Senonensi ecclesias parrochiales SS. Mauritii, Hilarii, &c.

GUIDO gratia Dei Senonensis archiepiscopus, 1187. omnibus ad quos præsentes litteræ pervenerint in Domino salutem. Quoniam quæ in tempore fiunt D necesse est transire cum tempore, restat ut quæ memoriæ conservare volumus, ne oblivione depereant, scripturæ committamus, quatenus eodem interventu in futuris temporibus ad posterorum notitiam possint pervenire. Notum sit igitur præsentibus & futuris quoniam boni ac sancti patres ecclesiarum super filios suos diligenter invigilant & eisdem sustentandis & alendis necessaria beneficia, misericordiæ ac pietatis obtentu, copiose impendunt, quod profecto non solum in ecclesia nostra, sed & in aliis per orbem ecclesiis sancti pontifices attendentes diversis munificentiæ suæ beneficiis erga filios suos collatis, piam sui memoriam ad posteros transmiserunt. Hujus rei gratia nos paterno affectu animoque benigno charissimorum filiorum nostrorum Senonensis ecclesiæ canonicorum E preces suscepimus, & quamplures ecclesias quas diversis temporibus beatæ memoriæ prædecessores nostri eidem conventui contulerunt, & quas tempore nostro concessimus, ut eas in perpetuum habeant & in pace possideant quas videlicet ecclesias propriis duximus vocabulis exprimendas, Deo autore concedimus & sigilli nostri auctoritate roboramus: ecclesias scilicet de Anjera, de Jona, de Brayo, de Moncellis, de Moisco, de Brisola, de Villanosa, de Compigniaco, cum capella de Montigniaco, & alias de Eurio, de Ponteseriaco, cum ecclesia sancti Ægidii de nemore cum appendiciis suis, salvo jure ecclesiæ S. Johannis Senonensis, de sancto Albino cum capella de Mollera, de Curiavunculi, de Sociaco, de sancto Mar-

Digitized by Google

tino, de Guimerio, de sancto Hilario intra muros, A de S. Mauricio inter duos pontes, de Freteio cum capella Cantu-galli, de Nulliaco, de Dimonte, de Bueria cum capellis S. Victoris, de Bareuilla, de Romulariis, de Mangovilla, de Villelario, Taloam cum capella S. Nicolai de Villa-nova super Yonam; ecclesiam beatæ Mariæ ejusdem Villæ-novæ, de Loviaco, de Aillante, de Bosco regis, de Chancola, de Castellariis, cum capella sancti Germani, & cum capella de Escreniis, de Malayo vicecomitis. Præsentationes etiam presbyterorum, in præfatis capitulo concedimus, qui & medietatem beneficiorum, vel quantum inter eos rationabiliter fuerit compositum, per sacramentum eidem capitulo persolvant, & ab omni exactione, collecta, hospitiis & circadis, etiam & synodis, & ab omni submonitione & justitia tam archidiaconorum, B quam archiepiscoporum * penitus sint immunes. Porro si aliquid in suum ordinem egerint, a nobis de pœnitentia tantummodo corrigantur. Concedimus etiam illis omnibus præfatis ecclesiis, & in illis quæ in posterum conferentur succursum, quotiescumque contigerit ecclesias vacare. Præterea eis concedimus plenitudinem potestatis faciendi & exercendi justitias in malefactoribus suis laïcis (nisi homines nostri fuerint) & in presbyteris suis quantum ad ipsos pertinet. Notandum vero quod duas præfatas ecclesias videlicet de Aillante & de Chancola in usus cujusdam præbendæ, quam in ecclesia Senonensi constituimus, capitulo concessimus & donavimus, inhibentes ne fructus prædictarum ecclesiarum in alios usus quam illius prebendæ expendantur: ecclesiam vero de Bosco regis illis donavimus. C Ipsi vero ad petitionem associaverunt in minutis partitionibus quatuor canonicos, qui debent esse presbyteri, quos constituimus ad altare beati Petri in ecclesia Senonensi, ita quod duo illorum tantumdem percipient in minutis partitionibus quæ fiunt in choro, quantum unus de majoribus canonicis. Actum Senonis in capitulo, &c. Præterea cum supra nominatis ecclesiam *de Veron* similiter confirmamus. In cujus rei testimonium præsentem paginam scribi fecimus, & sigilli nostri auctoritate roborari. Actum anno Verbi Incarnati 1187, datum per manus Petri cancellarii nostri.

* *forte archipresbyterorum.*

VII.

Charta Petri archiepiscopi Senon. in gratiam tredecim presbyterorum urbis Senonensis. D

1220. PETRUS Dei gratia Senonensis archiepiscopus, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Accedentes ad nos dilecti filii presbyteri tredecim parochiarum Senonensium, videlicet sancti Pauli, S. Præjecti, S. Leonis, S. Desiderii, sancti Mauricii, S. Symphoriani, S. Maximini, S. Columbæ de Quadrivio, S. Romani, S. Petri Rotundi, sancti Benedicti, S. Hilarii & S. Petri *de Donjon* nobis supplicaverunt humiliter ut confratriam inter eos jam dudum inceptam & aliquandiu laudabiliter observatam sub nostra protectione suscipere & sigilli nostri impressione confirmare vellemus. Nos itaque pia petentium desideria considerantes, honestumque propositum eorum attendentes, prædictam confratriam presbyterorum & omnes res ad eamdem pertinentes, quas E ipsi ex fidelium eleemosynis & alio modo rationabiliter adepti sunt, & in futurum, Deo largiente, fideliter adipiscentur, sub nostra protectione suscipiendam & præsentium auctoritate duximus confirmandam; decernentes, & firmum ac perpetuum robur habere volentes statuta confratriæ prædictæ, quæ memorati presbyteri in quatuor congregationibus suis, scilicet in feriis sextis, quatuor temporum, tam in divinorum pro fratribus & benefactoribus confratriæ celebrationibus, quam in partitionibus & aliis, quæ ipsi inter se concordi & communi consensu, provide & rationabiliter ordinaverint, & in posterum duxerint ordinanda. Si autem aliquis prædictorum presbyterorum communibus & rationabilibus eorum statutis negligens, aut rebellis inventus fuerit, & monitus ab eis reatum suum emendare neglexerit, statuimus ut secundum providam & communem ipsorum providentiam per substractionem suarum partitionum debite puniatur. Actum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo, mense Februario.

VIII.

Bulla Gregorii XI qua confirmat jus majoris archidiaconi Senonensis in installatione archiepiscoporum Senonen. episcoporum suffraganeorum, abbatum & abbatissarum in suo archidiaconatu positorum.

GREGORIUS, &c. Nuper pro parte dilecti filii M. Nicolai *de Veres* archidiaconi Senonensis 1374. nobis expositum fuit, quod dudum inter venerabilem fratrem nostrum episcopum Autissiodorensem & dictum archidiaconum orta erat materia quæstionis super eo quod idem archidiaconus asserebat, quod ad eum ratione sui archidiaconatus, archiepiscopum Senonensem & alios episcopos provinciæ Senonensis, nec non abbates monasteriorum in dicto archidiaconatu consistentium, in primo adventu eorum in suis ecclesiis & monasteriis installare, & in suis sedibus ponere de antiqua & approbata, & hactenus pacifice observata consuetudine, pleno jure pertinet; & a quolibet sic installato unam auri marcam, & duo canonici Senonenses quos debet eligere, & qui cum eodem archidiacono pro installationibus hujusmodi accedere debent, duas argenti marcas, una cum expensis factis per eosdem archidiaconum & canonicos in eundo & redeundo, percipere debent. Præfatus vero Autissiodorensis episcopus contrarium asserebat. Nos qui dum eramus in minoribus constituti dictum archidiaconatum per multos annos tenuimus, & de ejus juribus eramus tunc plenarie informati, &c. [Iis nonobstantibus vult pontifex inquiri de facto per cardinalem a se delegatum, & post habitam quæstionem relatamque causam statim addit]. Nos etiam toto tempore quo dictum archidiaconatum tenuimus in pacifica possessione installationis & jurium hujusmodi fuimus, & propterea nolumus ipsum archidiaconum super juribus hujusmodi aliquatenus molestari. Nos igitur volentes eumdem archidiaconum paterna benevolentia confovere, autoritate apostolica tenore præsentium declaramus præfatum Nicolaum archidiaconum & ejus successores archidiaconos Senonenses, vel eorum vicarios pacifica possessione installandi archiepiscopum ac episcopos & abbates prædictos cum receptione marcarum prædictarum & aliorum jurium quorumcumque uti & gaudere debere; inhibentes eisdem archiepiscopo, episcopis & abbatibus, ne suas ecclesias & monasteria in novo ipsorum adventu absque installatione hujusmodi aliquatenus intrare, aut aliquid contra tenorem declarationis hujusmodi attentare præsumant, ac decernentes ex nunc inane & irritum si aliquid secus super his a quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, inhibitionis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avenione VIII kal. Nov. pontificatus nostri anno tertio.

Sic signatum supra plicam, *P. DE TURRE.*

IX.

Ingressus solemnis cardinalis & archiepiscopi Jacobi Davy du Perron *in urbem Senonensem, anno 1608.*

1608. IN nomine Domini. Amen. Hujus publici instrumenti tenore cunctis pateat evidenter & sit notum quod anno Domini 1608, die dominica 26 Octobris pontificatus SS. in Christo Patris ac DD. Pauli divina providentia papæ V. anno quarto, postquam illustrissimus ac reverendissimus in Christo pater ac dominus Jacobus, miseratione divina sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Agnetis in Agone presbyter cardinalis *du Perron*, nuncupatus Senonensis archiepiscopus Galliarum & Germaniæ Primas, die præcedenti hora sexta pomeridiana in suas ædes archiepiscopales appulisset, prævidensque se præ corporis infirmitate, temporis incertitudine & brevitate, quæ Vassallos convocare & diem sui jucundi adventus assignare posse. . . . . * aliisque quam plurimis impedimentis justis & legitimis monasterium S. Petri vivi prope Senonas pro laudabili consuetudine adire, ibique pernoctare, & alias ceremonias & solemnitates in pari casu requisitas observare non posse; habito super hoc consilio tam principalium dignitatum, seu personarum insignis ecclesiæ suæ Senonensis, quam reverendi abbatis monasterii S. Petri vivi, pro, & loco dicti monasterii in ecclesiam parochialem sancti Petri de Dongione de patronatu ipsius existentem sese transferre ibidemque ea omnia, quæ in ecclesia prædicti monasterii per se vel alios dicenda, gerenda, præstanda forent, prout melius & propinquius accidendo fieri posset, gerere & prestare, sine præjudicio jurium, prærogativarum, onerum, officiorum ecclesiis & personis nunc & in futurum respective competentium, mature decrevisset in nostrûm Michaëlis *Cuillerot* & Pauli *le Riche* clericorum venerabilis & metropolitanæ Senonensis curiæ notariorum, & tabellionum juratorum debite immatriculatorum præsentia, venerabilis & circumspectus vir dominus & magister Edmundus *Mausjean* in juribus licentiatus, ejusdem metropolitanæ ecclesiæ major Archidiaconus & canonicus præbendatus, indutus cappa panni aurei, venerabili collegio prædictæ ecclesiæ metropolitanæ cum cappis, cruce & vexillis, necnon curatis, cæterisque parochialium ecclesiarum & monasteriorum civitatis & suburbiorum clericis sæcularibus & regularibus similiter cum cappis & crucibus processionaliter incedentibus comitatus, in prædictam parochialem ecclesiam S. Petri de Dongione, pro & loco præfati monasterii ad opus receptionis & installationis præfati illustriss. & reverendissimi D. cardinalis Senonensis archiepiscopi profectus est; in qua quidem ecclesia decantata est per dictum D. *Mausjean*, collecta *Deus qui beato Petro, &c.* in fine responsorii, *Petre amas me*, &c. per præcentorem incœpti; idem archidiaconus debitis honore & reverentia prius præstitis, præfatum illustrissimum & reverendissimum ante majus altare dictæ ecclesiæ stantem, cappa pretiosa, mitraque & cæteris ornamentis pontificalibus indutum, congratulatoria oratiuncula verbis latinis compacta salutavit. Præfatus vero illustrissimus dictum archidiaconum, totumque venerabile collegium gestu ac verbo benigne suscepit, juramentumque solitum in libro aureo capitulari descriptum per dictum majorem archidiaconum adhoc invitatus fecit, & se in dicto libro sibi per decanum oblato, inscripsit. Quo facto præfatus dominus *Mausjean* archidiaconus, ad quem illud muneris ratione suæ archidiaconalis dignitatis spectat & pertinet, eumdem illustrissimum ac reverendum D. cardinalem archiepiscopum Senon. in sedem eminentiorem ecclesiæ dictæ parochialis a parte dextra installavit, dicens ei: *Qui suscitat de pulvere egenum & de stercore elevat pauperem, rult ut sedeas cum*

* *forte non permittebat.*

A *principibus & solium gloriæ teneas.* Deinde in altera sede seu cathedra in medio chori dictæ parochialis ecclesiæ S. Petri de Dongione existente, in qua dictus archiepiscopus deportandus erat in suam ecclesiam metropolitanam posuit & intronizavit. Qui quidem illustrissimus D. archiepiscopus in dicta cathedra existens suos vassallos, qui ibidem adesse & comparere debebant, vocare fecit fidelitatisque juramenta ab his qui præsentes erant recepit, cum protestationibus requisitis & necessariis; & his actis religiosi dicti monasterii abbate præsente & assistente, ipsum illustrissimum archiepiscopum usque ad primam portam ejusdem parochialis ecclesiæ cum cantu solemni cappis sericeis induti deportaverunt, & a dicta porta usque ad majorem portam metropolitanæ ecclesiæ prædictæ Seno-
B nensis servi sui per defectum suorum vassallorum eum deportaverunt, dicto D. archidiacono a latere D. illustrissimi incedente, prædictoque collegio ecclesiæ Senon. una cum collegiis abbatiarum, monasteriorum & mendicantium in urbe & suburbiis Senonensibus laudes Deo decantantibus, populo civitatis exultante, omnibus campanis dictæ ecclesiæ Senonensis pulsantibus. Ad quam metropolitanam Senonens. ecclesiam cum pervenissent janua tunc clausis, D. archidiaconus eumdem D. archiepiscopum interrogavit, dicens, *Est ne pacificus ingressus tuus!* Qui respondit, *Est pacificus.* Et tunc dictus archidiaconus tradidit eidem D. illustrissimo archiepiscopo extremum cujusdam chordæ parvæ campanæ ibidem pendentis, dicens *Pulsa & aperietur tibi.* Qui statim ter pulsavit. Quo facto, &
C apertis janua, præfatus D. archidiaconus ingredi fecit ipsum illustrissimum D. archiepiscopum in dictam ecclesiam Senonensem, dicens, *Ingredere igitur Benedicte Dei*, & conduxit eum usque ad majorem portam chori dictæ ecclesiæ, ubi idem D. archidiaconus tradidit præfato illustrissimo archiepiscopo chordam parvarum campanarum dicens, *Accipe regimen hujus ecclesiæ per ministerium nostrum.* Postmodum vero intrando chorum præfatum illustrissimum archiepiscopum in prima superiori sede a parte dextra installavit dicens; *Accipe cathedram justitiæ, ut solium gloriæ teneas.* Et hoc facto, progredientes accesserunt præfati D. archiepiscopus & D. archidiaconus ad majus altare ejusdem ecclesiæ, quod idem illustrissimus archiepiscopus, oratione prius per eum genibus flexis, ad Deum habita, deosculatus est, dicente ei præfato D. archidiacono; *Sta in fide,*
D *justitia & sanctitate, retine locum a Deo tibi datum, potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam suam.* Exinde vero duxit eumdem illustrissimum D. archiepiscopum in cathedram lapideam pontificalem existentem a parte dextra chori dictæ ecclesiæ & illum in ea installavit & intronizavit idem D. Archidiaconus dicens; *Accipe cathedram justitiæ ut solium gloriæ teneas;* in qua sede seu cathedra prædictus D. archidiaconus canticum laudis, *Te Deum laudamus* alta voce cantare incœpit, cujus pendente decantatione perrexerunt videlicet D. illustrissimus in thesaurum ecclesiæ, ut se ad missam celebrandam pararet, & dictus D. archidiaconus in suam cathedram chori, & dicto cantico per chorum cum organis solemniter decantato, idem D. archidiaconus ante aquilam chori versiculum, *à Domino factum*
E *est illud*, cum collecta *Actiones nostras*, &c. recitavit. Quibus omnibus actis illustrissimus archiepiscopus missam in pontificalibus celebravit, assistentibus sibi dicto archidiacono qui evangelium, & thesaurario, qui epistolam in dicta missa legerunt; præcentore & duobus canonicis præbendatis ejusdem ecclesiæ Senonensis indutis cappis sericeis, chorum tenentibus. De quibus omnibus & singulis præmissis præfati illustrissimus archiepiscopus & D. archidiaconus actum seu instrumentum a nobis notariis fieri & expediri respective petierunt. Quod illis concessimus sub præsenti forma, anno, die & loco supradictis.

M. Cuillerot & P. le Riche.


Digitized by Google

X.

Descriptio contractus inter PP. Societatis Jesu & cives Senonenses initi pro eorumdem patrum in hujus urbis collegium introductione.

1623. *FURENT présents en leurs personnes nobles hommes M.^rs messire Bernard Angenoult, escuyer sieur de Trancault, Machy, Besançon, Pomerey, Charmeceaux, conseiller du roi, lieutenant général au bailliage & siége présidial de Sens; Robert Hémard, escuyer sieur de Paroy, conseiller du roi, juge-magistrat & lieutenant criminel audit bailliage & siége présidial; Blaise Bautru ancien avocat dudit seigneur audit siége, Claude Baltazar conseiller-magistrat & garde des sceaux dudit siége, maire de ladite ville; honorables hommes François Bouquet & Nicolas Blenon marchands bourgeois & anciens échevins dudit Sens; nobles hommes Mrs Edme Aublet avocat & enquesteur, Jerôme Maulmirey avocat, échevins modernes, & Mrs Jean Bourgoing, marchand, procureur & receveur des deniers communs d'icelle ville; nobles hommes Nicolas de Chaceret, escuyer sieur du Mont; Daniel David, Claude Maucourt, Christophe Guillaume, escuyer sieur de Richebourg, Pierre Faurent, conseillers-magistrats audit siége, Louis Maucourt & Guillaume Fauvelet, conseillers & élûs pour le roy en l'élection dudit Sens; Jean-Baptiste Couste, escuyer de la grande écurie du roy; nobles hommes Mrs Claude Marcellat & Daniel Jodrillat avocats audit bailliage, Antoine Guiot procureur, & Claude de la Marre marchand bourgeois dudit Sens, tous demeurans audit Sens, nommés, commis & députés par les citoyens, bourgeois & habitans dudit Sens, convoqués & assemblés à son de trompe & cri public, à l'effet du traité, convenance & contrat avec les RR. PP. Jésuites, au sujet de l'établissement d'un collége de leur compagnie & société audit Sens pour l'instruction de la jeunesse, par acte d'assemblée générale desdits habitans, tenue de l'ordonnance & permission dudit sieur lieutenant général, le Dimanche 17 Septembre 1623, & en laquelle assemblée tous les ordres & officiers dudit Sens ont été appelés, suivant les relations, exploits & rapports des sergens d'icelle ville, comme plus amplement est porté par ledit acte d'assemblée, à la minute duquel sont attachés les exploits & procès-verbaux desdits sergens pour lesdits sieurs, d'une part; & R. P. Imbert Boëtte religieux de l'ordre des RR. PP. Jésuites, assisté du R. P. Guillaume Roze, aussi religieux dudit ordre; ledit R. P. Boëtte fondé de pouvoir spécial à l'effet des présentes du R. P. Jean Bonnet provincial dudit ordre en la province de Champagne, daté du 2 Septembre 1623, signé en fin J. Bonnet, & scellé du scel de ladite société en ladite province, ledit pouvoir inséré en fin des présentes, & l'original attaché à la minute; promettant ledit sieur Boette faire ratifier & avoir pour agréable le contenu au présent contrat, au reverendissime général dudit ordre, dans un an prochain venant, pour ledit sieur Boëtte en ladite qualité, d'autre part. Lesquelles parties ayant considéré que le plus puissant lien pour retenir la jeunesse en son devoir, & la ranger en droit chemin de la vraie piété, science & vertu morale, c'est d'établir un bon collége de personnes de probité suffisante & de bonne vie, & que l'ordre & discipline dudit collége soit durable & permanent: & combien que feu noble & scientifique personne messire Philippe Hodoart en son vivant, docteur en théologie & chanoine de l'église de Sens, eut dès l'an 1536 premièrement fondé en cette ville de Sens un collége, qui depuis sa fondation eût produit bon nombre d'écoliers & personnes de mérite, si est ce que par la succession des temps qui vieillit & altère toutes choses, ledit collége n'auroit été fréquenté de si bon nombre d'écoliers, qu'il auroit été à souhaiter, soit à cause de la fréquente mutation des principaux dudit collége, bien que capables, ou des régens d'icelui, changement, altération ou négligence de l'ordre de la discipline ou autrement; si bien que lesdites parties desirans traiter à l'amiable de l'établissement d'un bon collége & perpétuel pour l'utilité, avancement & instruction de la jeunesse, tant dudit Sens que fauxbourgs, banlieue & ressorts du bailliage dudit Sens, ont accordé ce qui s'ensuit: C'est à savoir que combien que les lettres patentes données par le roy pour l'établissement des RR. PP. audit Sens, portent qu'elles ont été obtenues à la poursuite & supplication desdits sieurs maire, échevins & habitans dudit lieu, si est ce que le R. P. Boette esdits noms a reconnu & reconnoît que lesdites lettres patentes n'ont été obtenues par lesdits habitans, & consent ledit R. P. Boette que ladite clause portée par lesdites lettres ne puisse nuire ni préjudicier auxdits habitans, auxquels habitans ledit R. P. Boette, en vertu du même pouvoir, oblige toute la société desdits PP. Jesuites à l'établissement d'un bon collége audit Sens de personnes de leur ordre, suffisantes & capables pour l'instruction de la jeunesse, tant audit Sens, fauxbourgs, bailliages & autres lieux externes, qui y voudront être enseignés, & ce gratuitement; à l'effet de quoi y entretiendront six régens suffisans qui feront eing classes pour les lettres humaines, langue latine, grecque & rhétorique, & outre lesdites classes faire un cours entier de philosophie complette, à commencer du jour de St Luc prochain venant, & continuer à perpétuité, & ce faire ledit cours de philosophie par un seul desdits regens en deux ans, & à continuer ledit cours de deux ans en deux ans. Seront néanmoins lesdits pères dispensés de faire ledit cours de philosophie pour la premiere année. Ne pourront lesdits pères contraindre alors ni à l'avenir lesdits sicurs maire, échevins, ni habitans dudit Sens, de les bastir, doter ni entretenir, soit pour leur église, ornemens d'icelle, clôture, emmeublemens d'iceux, ni même pour leur nourriture & pensions, sinon que lesdites parties ont accordé que lesdits RR. PP. auront & prendront pour demeure, habitation & établissement dudit collége, l'hostel de ville dudit Sens, cour & enclos d'icelui pour s'y bastir, le tout assis en la paroisse de saint Hilaire, au logis qui fut anciennement appelé les Tournelles, proche & vis-à-vis du couvent des PP. Cordeliers dudit Sens. Seront toutes fois tenus lesdits sieurs maire & échevins payer & acquitter les rentes dont ledit hostel de ville se trouvera chargé, & d'en acquitter & indemniser lesdits RR. PP. Jésuites dès maintenant à toûjours. Et d'autant que ledit hôtel de ville n'est à présent logeable par lesdits pères, a été accordé qu'ils s'habitueront au collége ancien, qui est assez proche du couvent des PP. Célestins dudit Sens, attendant que leur logis soit basti audit hôtel de ville, lesquels bastimens étant achevés audit hôtel de ville, lesdits RR. PP. delaisseront ledit ancien collége auxdits sieurs maire & échevins pour en disposer comme bon leur semblera; & s'habitueront lesdits PP. audit hôtel de ville, sauf toutes fois de pouvoir élargir ledit collége ci-après, & si faire se doit, pour une seule fois seulement, ce qui sera fait suivant la désignation qui leur sera faite par les sicurs principaux officiers, maire & échevins dudit Sens, & ce dans six mois. Ne pourront toutes fois lesdits RR. PP. faire d'autres acquisitions directement ou indirectement, par achats, donations ni legs testamentaires d'aucuns immeubles ni rentes foncières, & dans l'étendue de six lieues à l'environ de ladite ville, sauf qu'ils pourront acquérir au dedans de la banlieue dudit Sens, une maison de la valeur de six mille livres Tournois, & non davantage, d'autant que la plusspart des biens qui sont assis au dedans desdites six lieues, sont & appartiennent aux ecclésiastiques. Ne pourront aussi lesdits RR. PP. faire aucune assemblée sous prétexte de confrairie ou de congrégation, sinon à leurs écoliers, seulement pendant qu'ils seront écoliers; comme aussi ne pourront lesdits RR. PP. tenir aucuns pensionnaires audit collége. Auront & prendront lesdits PP. le revenu dudit ancien collége, hors la muison & bastiment d'icelui, qui demeurera, comme dit est, auxdits maire & échevins, pour*

pour jouir par lesdits PP. dudit revenu à toutes risques & sans garantie quelconque, à commencer dudit jour S.t Luc prochainement venant, & continuer de là en avant à toûjours; à la charge d'entretenir par lesdits PP. les clauses, charges & conditions portées par la première fondation dudit collége : pour toute garantie desdits revenus dudit collége ancien, lesdits sieurs maire & échevins seront tenus fournir auxdits RR. PP. la déclaration desdits revenus, justifiés par tous les titres qui s'en pourront recouvrer. Et à l'égard des deux bourses fondées audit collége, l'une par demoiselle Marguerite de Guillard, & l'autre des sieurs d'Issy, a été accordé que lorsqu'il se présentera des enfans pour tenir lesdites bourses, en ce cas lesdits PP. seront déchargés en fournissant le revenu desdites bourses à chacun desdits boursiers ou leurs parens, suivant la fondation, & ce par chacun an; & au cas qu'il y ait contention pour le choix de ceux qui seront présentés auxdites bourses, l'élection & nomination en sera faite suivant qu'il est prescrit par la fondation d'icelles bourses; pendant le temps qu'elles vacqueront le revenu d'icelles demeurera auxdits PP. Jésuites. Comme aussi a été accordé que s'il y a des legs faits par les feus sieurs cardinal & archevêque du Perron, de la Menardière & de la Ferté abbés de S.te Colombe, pour le collége susdit, ou autres œuvres pieuses, sans autre particulière destination, que lesdits RR. PP. les employeront à l'effet de l'établissement & dotation dudit collége & non ailleurs. Pour quoy lesdits sieurs maire & échevins ont dès-à-présent cédé auxdits PP. acceptant ledit P. Boette, tous leurs noms, raisons & actions, sans que lesdits maire & échevins soient tenus garantir, fournir, ni faire valoir lesdits legs en façon quelconque. Auront & prendront semblablement lesdits PP. le revenu de la prébende préceptoriale affectée audit collége, au moyen du consentement cy-devant presté par les sieurs Taveau & Gibier anciens chanoines dudit Sens, députés par les sieurs du clergé dudit lieu. Seront tenus en outre lesdits PP. Jésuites faire poursuite de leurs droits par-devant monsieur le bailly de Sens ou son lieutenant, & ce tant en demandant que défendant contre toutes personnes de quelque condition qu'elles soient, dans ou dehors ce bailliage, & ce tant au civil qu'au criminel, sauf toutes fois auxdits RR. PP. leurs privilèges ecclésiastiques; & à l'effet desdites poursuites, s'efforceront lesdits RR. PP. obtenir lettres patentes du roy en forme de garde gardienne à leurs frais, qui seront expédiées & vérifiées bien & dûement par-tout où besoin sera, dont les originaux demeureront en l'hostel de cette ville, sauf auxdits RR. PP. d'en retenir des copies par devers eux signées du greffier ordinaire de ce bailliage, & ce par collation; sauf aussi, en cas de besoin, d'aider auxdits RR. PP. par lesdits sieurs maire & échevins desdits originaux. Sera inscrit & fait mémoire en lieu apparent dudit collége, de la première fondation d'icelui, ensemble de ceux qui l'ont augmenté & augmenteront ci après au dedans, des termes susdits & desdites lettres patentes, laquelle inscription sera faite & gravée en cuivre, marbre ou pierre taillée, afin de conserver la mémoire des fondateurs & bienfaiteurs dudit collége, & stimuler les enfans qui y seront instruits & enseignés à prier Dieu pour le remède de l'ame desdits fondateurs & bienfaiteurs. A été semblablement accordé que lesdits RR. PP. seront & demeureront exempts du payement des deux sols d'entrée pour chaque muid de vin, & de tous autres droits appartenans à ladite ville; comme aussi de toutes autres charges d'icelle ville, comme guet, garde de jour & de nuit, logemens, corvées & autres. Sont aussi d'accord qu'il n'y aura dans ladite ville autre collége que celui desdits RR. PP. demeurant toutes fois dans la liberté d'un chacun desdits habitans de pouvoir faire instruire leurs enfans par tels maîtres qu'ils aviseront bon être, pourvû qu'ils ne tiennent classes ouvertes ni lectures publiques, sans qu'ils puissent être contraints d'envoyer leursdits enfans au collége desdits PP. A été accordé qu'il sera payé auxdits PP. Jésuites pour chaque année la somme de trois cens livres Tournois par lesdits sieurs maire & échevins, sinon par les fermiers du passage du vin sous les ponts d'Yonne dudit Sens, & ce des deniers de l'octroy des quatre sols Tournois qu'il a plû à sa majesté concéder auxdits habitans; & ce tant & si longuement que ledit octroy durera, sous toutes fois le bon plaisir de nosseigneurs les trésoriers de France, à commencer le payement d'icelle somme de trois cens livres Tournois aux baux de l'année prochaine, & continuer jusqu'à ce que lesdits RR. PP. ayent les six mille livres de rente portées par leurs lettres patentes; & où ledit octroy cessera, en seront lesdits maire & échevins déchargés. Pour sûreté de toutes lesdites clauses & conditions ledit R. P. Boette, en vertu de sondit pouvoir, a obligé & oblige tout le bien & revenu temporel de ladite société. Seront tenus lesdits PP. se servir de l'imprimeur de ladite ville, sans en pouvoir prendre d'autres. Et seront les titres de la fondation dudit ancien collége, bourses d'icelui & testament de ladite damoiselle Guillard, registrés en fin des présentes, pour y avoir recours quand besoin sera. Comme aussi le présent contrat sera registré tant au greffe de ce bailliage qu'au chapitre dudit Sens & hostel de ville dudit lieu. Et a été le présent contrat fait & signé en présence & y assistant M.e Fauvelet procureur du roy audit bailliage, & a été signifié le scel des présentes dans les trente jours, suivant l'edit. Si comme, &c. promettant, &c. obligeant, &c. renonçant. Fait & passé en l'hostel de ville dudit lieu, par nous Jacques Laurent & Eracle Villiers, notaires royaux héréditaires dudit Sens, le 20 Septembre 1623.



Digitized by Google

ADDENDA ET SUPPLENDA IN INSTRUMENTIS ECCLESIÆ BETHLEEMITANÆ.

MONITUM.

SEQUENTES chartas tres quas in instrumentis ecclesiæ Bethleemitanæ mancas, deformatas & lacunis scatentes, castigatioribus tunc temporis destituti, edidimus, emendatas nunc & ad verum expressas ex autographo asservato in camera computorum Nivern. cura & studio eruditi viri D. Parmentier, *qui eas nobiscum humanissime communicavit, & cui plures alias ad ecclesiæ Nivernensis historiam spectantes debemus, iterum recudendas duximus, ut earum integritate fruatur lector. Cæterum doctissimo & urbanissimo viro monemus omnem habendam fidem, qui autographa vidit & adamussim exscripsit ipse, utpote qui comitatus seu ducatus Nivernensis historiam meditatur, quam prope diem palam facturus est.*

I.

Ex autographo asservato in camera computorum Nivern.

Fundatio Domus-Dei *de Bethléem* dictæ, a Willelmo comite Nivern. militibus & burgensibus Clamiciaci.

A Tous ceux qui verront ces présentes lettres, Jehan Martins clerc garde dou scel monseigneur le comte de Nevers en la prevôté de Clamecy, salut. Sachent tuit que nous avons veu & regardé diligemment unes lettres non rasées, non chancelées, non corrompues en aucun leu, mais toutes saines & enterrainnes, scellées dou scel de noble prince homme de bonne mémoire Guillaume comte de Nevers, confectes sur la fondation de la maison-dieu de Bethléem de loz le pont de Clamecy, en ces paroles, qui s'ensuivent :

1147. IN nomine sancte & individue Trinitatis, ego Guillermus Nivernensis comes & milites & burgenses Clamiciaci decrevimus atque constituimus apud Clamiciacum edificare Domum-Dei, videlicet grangiam meam que est ultra Ycaunam in usus pauperum & terram que est ultra Ycaunam, de qua tercias habebam & de alia si inveniri poterit, aut plana, aut nemorosa quantum labori unius charruce sufficiat. Concedo etiam predicte domui Brunonem & uxorem ejus cum tota possessione sua si vero censum vel costumam michi debet, clamo quietum; & si de terra mea unum censum vel costumam habeam, emetur in domo vel dabitur similiter clamo quietum. Vicecomes arpentum prati & jugerum terre quæ est juxta Batonem, & si aliquid emetur in terra sua vel dabitur unam costumam habeat clamat quietum. Stephanus Albus dedit de feodo Foresterii ad necessaria domus; Guido Rufus duodecim denarios censuales quos Odo Acelini reddit; Humbertus de sancto Germano & Simon de Amasiaco quicquid habet in pratis Contiaci & Cave-rupis; Hugo Rustelli arpentum prati in Praëlis, Regnauldus de Aula duodecim denarios & usus in nemore Pulsoli; Guido *Voaigine* duodecim denarios qui sunt in domo & in orcha Radulphi figuli de Armis, Ysambardus *Bardoz* sex denarios; Hugo Fardelli sex denarios; Guido Gaudrici sex denarios; Acelinus sex; Guillelmus *Chacebeuf* minam annone censualem & jugerum terre, & usus in nemoribus suis; Ballavena quatuor denarios, capellanus duos; Odo cambellanus arpentum prati; Gautherus prepositus arpentum prati; Nocherus quatuor denarios, & in nemore de Armis usus in parte

A sua; & Guido *Gouons* similiter, Guiño de Remã usus in nemoribus Luciaci in parte, Gautherus Acelini sex denarios qui sunt in prato quod est *Croyẽ; Barons* pincerna quatuor; Villanus quatuor denarios, Obertus *d'Autrion* jugerum terre & obolum census. Preterea Arduinus molendinarius & Guillermus gener ejus duo jugera terre que in prato sunt redacta. Benedictus carnifex vineam que est in costa Bauduyni, Reimmundus vineam, Gosridus de Soiso quinque denarios, Tebertus duos denarios, Herbertus Rufus & fratres ejus pratum Cave-rupis, Marchedus jugerum terre ad quercum & obolum census, Gautherus *Boicharz* quinque denarios, Stephanus pincerna tres denarios, Guido de Viridario vineam, Hugo Vetule-rane sex denarios, Gautherus nepos sex denarios, uxor Reimmondi duos denarios, Ocenda duos denarios, uxor Doridum unum denarium, uxor Estiam. clamat quietos decem denarios

B census, Bricius Balavena tres denarios. Actum est hoc apud Clamiciacum & confirmatum in presentia domni episcopi Autissiodorensi & in presentia Guillermi comitis Nivernensis, qui apud Carthusam obiit & Guillermi filii ejus, Eugenio papa, Hugone episcopo Autissiodor. Ludovico rege; Guillermo comite, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo septimo. *Et nous Jehan Martins dessusd. faisons assavoir toutes les choses dessusdites à tous ceux à cuy il apartient. En témoin desqueles nous avons scellé ces présentes lettres doudit scel de la prevoté de Clamecy, douquel nous sommes garde. Donné ou jour de Lundi après la fête de S. Lyenard, en l'an de grace mil trois cent & un.*

I I.

C *Litteræ Regnerii episcopi Betleemitani quibus bona ecclesiæ suæ a Willelmo data recenset, eaque sub defensione comitissæ Nivernensis reponit.*

NOS Regnerius Dei gratia Betleemitanus episcopus, 1223.
notum facimus omnibus præsentes litteras inspecturis, quod hec est eleemosina quam Willelmus quondam comes Nivernensis dedit & concessit ecclesie *de Bétléem* apud quam corpus ipsius sepultum est; videlicet burgum qui vocatur burgus Pantonerii qui est ultra aquas Ycane juxta Clamiciacum cum gaanagio territorii quod vocatur territorium de *Cembof*, & cum pertinentiis ejusdem gaanagii, & villam situm sub Cersiaco, quæ vocatur Domus-Dei, cum gaanagiis

Digitized by Google

& vineis, & cum nemore quod vocatur Hasta comitis, & apud Montem-Rupillionem, burgum de ultra pontes, tali conditione quod nos vel ministri nostri aliquem de hominibus comitissæ Nivernensis vel hæredum ipsius in predictis locis non poterimus retinere, nec dicta comitissa, nec heredes ipsius aliquem de hominibus nostris predictorum locorum in terra sua poterunt retinere; preterea concessit idem comes dicte ecclesie quod quidquid provisores dictorum locorum in acensivis suis acquisierint, libere tenebunt & pacifice possidebunt. Nos vero volumus & concedimus quod predicta eleemosina & omnia que possessores dictorum locorum seu provisores vel fratres acquisierint, sint de guarda & defensione comitisse Nivern. & heredum ipsius; ita quod si contentio inter provisores & fratres dictorum locorum orietur, dicta comitissa & heredes ipsius possint ponere custodem suum in domibus & locis supradictis pro bonis ipsarum domorum custodiendis ad utilitatem nostram & ecclesie nostre, quousque contentio sedaretur. Ne autem super premissis aliquod possit contradictionis obstaculum suboriri, presentem paginam fecimus sigilli nostri munimine roborari. Actum apud Druyam, anno Domini M. CC. vicesimo tercio, mense Marcio.


III.

Concordata inter Hugonem episc. Bethleemitanum & Robertum comitem Nivernensem.

1291. DEI & sedis apostolice gratia, nos frater Hugo ecclesie sancte Nativitatis Christi in *Bethleem* episcopus, notum facimus universis quod nos hospitalis & capelle nostre sancte Marie *de Bethleem* juxta pontem Clamiciaci Autissiodorensis diocesis nobis & nostre Bethleemitane ecclesie immediate subjecti futuris dampnis & dispendiis obviare volentes, necnon & conditionem eorum facere meliorem burgum, qui burgus Pantonerii ab incolis loci vulgariter appellatur, in quo quidem burgo tam hospitale quam capella predicta sunt sita, & qui quantum ad id quod dominii & jurisdictionis temporalis habemus in eo ad predicta tum hospitale quam capellam, nec non per hoc ad nos & ad nostram Bethleemitanam ecclesiam noscitur pertinere. De fratrum nostrorum ejusdem Bethleemitane ecclesie consilio & assensu deliberatione multa prehabita prout decet in talibus, consultis nichilominus viris prudentibus & peritis quibus conditio dicti burgi quantum ad utilitatem & fructum qui nobis annis singulis poterat provenire manifestius erat nota. Quidquid in ipso burgo jurisdictionis & dominii temporalis habemus; videlicet homines seu burgenses nostros dicti burgi, decimam & festagia nobis ab ipsis debita, necnon & nundinas quas habebamus ibidem cum omni jure eorum. Item, quicquid juris in burgo de ultra pontes Montis-Rupillionis habemus & habere debemus illustri & magnifico viro domino Roberto primogenito comitis Flandrie, comiti Nivernensi tenore presentium concedimus tradimus & donamus tam ab eodem comite quam ab ejus heredibus & successoribus sine contradictione qualibet in perpetuum possidenda. Proprietatem tamen & dominium tam ipsius hospitalis quam capelle, necnon & domus nostre & domorum & possessionum nostrarum omnium quas in predicto burgo (exceptis predictis quæ prout prædictum est eidem comiti dedimus & concessimus) notum est nos habere. Item, jurisdictionem tam fratrum quam conversorum & eorum qui se & sua nobis dederunt, vel etiam pro tempore sunt daturi, nec non & totius familie nostre quam habemus vel sumus nos & successores nostri per successiones temporis habituri. Item, libertates reliquas universas hospitali & capelle predictis, & per hoc nobis & nostre Bethleemitane ecclesie a ceteris comitibus ejusdem domini comitis predecessoribus dudum datas liberaliter & concessas nobis & ecclesie nostre nostrisque successoribus totaliter & integraliter absque diminutione aliqua retinemus. Bona vero fide & in verbo veritatis eidem comiti suisque successoribus seu heredibus tam pro nobis quam pro nostris successoribus, promittimus & firmamus nos contra donationem & concessionem predictas per nos seu per alium directe vel indirecte in perpetuum non venire. Ad quod tenendum & observandum firmius, omnia bona nostra que in Nivernensi comitatu habemus, ubicumque sint vel fuerint, obligamus. Nos autem predictus Robertus primogenitus comitis Flandrie, Nivernensis comes presente Ludovico primogenito nostro, & ejus ad hoc interveniente assensu & consensu pro nobis & ipso, ceterisque nostris heredibus & successoribus, quos tenore presentium ad infra dicenda quantum possumus strictius obligamus vobis, domine Hugo ecclesie sancte Nativitatis Christi in *Bethleem* episcope, & in vobis successoribus vestris omnibus tam nomine vestro quam ipsorum, & vestre Bethleemitane ecclesie consimili modo bona fide & in verbo veritatis promittimus & firmamus quod pro donatione & concessione predictis vobis & successoribus vestris qui pro tempore fuerint, aut certo vestro vel eorum nuncio, vel mandato viginti libras parvorum Turonensium annui & perpetui redditus per nos vel procuratores nostros in octavis Purificationis beate Mariæ Virginis annis singulis persolvemus, aut apud abbatem & conventum de Virsiliaco in eorum monasterio vestro & Bethleemitane ecclesie nomine cum eamdem pecunie summam exegeritis ab eisdem vobis, vel certo vestro nuncio, vel mandato nomine vestro sine contradictione & diminutione reddendam in prefato termino octabarum Purificationis B. Marie Virginis totaliter & integraliter sine aliquo deffectu deponemus. Si tamen super solutione prædicta in prefato termino a vobis, vel vestro certo nuncio, vel mandato nos procuratores nostros casu aliquo contingente contigerit alibi non requiri, & si in solutione, seu depositione predictis, aliquo tempore essemus deficientes vel casu fortuito negligentes volumus & concedimus, & ad hoc nos heredes & successores nostros qui pro tempore fuerint modo quo superius est expressum, tenore presentium obligamus quod pro singulis diebus quibus in mora, seu dilatione solutionis, vel depositionis faciendæ fuerimus duos solidos parisienses nomine pene vobis & Bethleemitane ecclesie, vel successoribus vestris, nos successores nostri, ac heredes reddere & solvere teneamur. Quam penam de die in diem continuari & nos incurrere seu subire volumus, donec de dicta quantitatis pecunie summa, & quam propter hoc incurrerimus vel subierimus pena vobis & ecclesie vestre, prout superius est expressum, plene sit, & integre satisfactum. Et si per biennium fortuito casu contingat nos heredes aut successores nostros a dictarum viginti librarum annui redditus plena &, prout dictum est, integra solutione cessare volumus nichilominus, & tam pro nobis quam pro successoribus nostris concedimus quod in optione vestra & successorum vestrorum existat, libere vel dictas viginti libras cum integra pena superius nominata exigere a nobis, vel recipere, vel predictum burgum ad vestrum & vestre ecclesiæ Bethleemitane dominium plene & libere, sicut hactenus, vel unquam liberius habuistis, sine contradictione qualibet nostra, aut heredum & successorum nostrorum totaliter & integraliter revocare. In quo casu etiam redditus de annis singulis in quibus cessatum fuerit a solutione seu depositione predictis cum pena, prout est superius nominata, vobis, vel vestris successoribus, nos heredes & successores nostri integre reddere teneamur. Hæc autem omnia prout superius sunt expressa, prout prediximus, bona fide & in verbo veritatis & sub obligatione bonorum nostrorum omnium pro nobis & heredibus nostris & successoribus vobis, ecclesie vestre & successoribus tenere promittimus illibate & in perpetuum

Digitized by Google

obſervare, & caſu aliquo directe vel indirecte, per nos vel per alium, ullo unquam tempore in contrarium non venire. Nos igitur tam frater Hugo prefatus Bethleemitanus epiſcopus quam nos Robertus Nivernenſis comes, ſuper predictis omnibus preſentes litteras fieri fecimus, quas in robur majus evidentiam & teſtimonium prefatorum appenſione noſtrorum muniri A voluimus ſigillorum, & nichilominus ad perpetuam memoriam preſentium cautelam & providentiam futurorum. Actum eſt hoc in palatio caſtri Montis-Noxii, Nivernenſis diocesis, viceſima ſeptima die Aprilis, que tunc fuit feria ſexta poſt feſtum Reſurrectionis Domini, anno ejuſdem milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo.



Digitized by

INSTRUMENTA

AD TOMUM XII

GALLIÆ CHRISTIANÆ

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ

SPECTANTIA,

QUÆ PERTINENT AD METROPOLIM TARENTASIENSEM.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ TARENTASIENSIS.

I.

Rodulphus rex comitatum Tarentasiensem archiepiscopo Amizoni donat.

996. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Rodulphus æterni judicis misericordia rex. Jam in primordio christianæ religionis constituti sunt reges ecclesiarum sollicitudinem curamque pontificum Deo famulantium considerantes, augmentando terrarum donis pontificatus quamplures ad summam duxerunt dignitatem. Nos quidem exempla priorum perpendentes, ac molem nostrorum peccaminum, ne ira districti judicis pavide damnemur, archiepiscopatum Hibernicis * incursionibus penitus depopulatum, Amizo. . . . . . . comitatu donamus hac hujus nostri auctoritate præcepti; hunc autem juste & legaliter esse donatum firmamus, donamus, ut sicut prædictarum malignæ incursionis sæpissime accidit furore, ita nostri juvaminis sublevetur honore. Hoc autem omni consideratione cordis committimus, Dominumque Jesum Christum fixis genibus imploramus, quo his peractis ad cœlestis patriæ valeamus deportari regnum. Ac propter hoc sanctæ Dei ecclesiæ Tarentasiensi integrum conferimus comitatum, quo beatissimorum principis apostolorum interventu non deficiamus æternæ felicitatis beatitudine coloni. Affirmatione namque hujus præcepti atque ad validæ descriptionis institutionem jam dictum comitatum Deo deferimus, ut in omnibus eamdem ipse prædictus archiepiscopatus potestatem habeat regimine suæ ordinationis, suo cunctis temporibus episcopo committere. Quicumque igitur istius nostræ donationis seriem temerario ausu attemptare præsumpserit, omnibus Dei maledictionibus subjaceat, sanctorumque apostolorum nodis & nexibus irretitus anathemate perpetuo damnetur. Et hæc nostra auctoritas firma stabilisque maneat semper. Insuperque sentiat se compositurum centum libras optimi auri, medietatem cameræ nostræ & medietatem prædicto archiepiscopo vel successoribus suis. Verum ut hæc credatis melius, præsens præceptum firmavimus, nostroque sigillo insigniri jussimus. Anselmus regius cancellarius hoc scripsit præceptum anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo sexto, indictione vero decima, regni autem regis Rodulphi tertio. Actum in Agauno feliciter.

* f. Ibericis.

II.

Bozo archipræsul Tarentasiensis prioratum S. Martini unit monasterio Nantuacensi.

1096. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, qualiter ego Boso sanctæ Tarentasiensis ecclesiæ, pastorali fultus regimine, cum viderem mundi figuram præterire, nec michi merita mea sufficere posse ad comparandum statum felicitatis æternæ, cupiens tam animæ meæ quam ecclesiæ meæ consulere, ac bonorum virorum patrociniis providere, cogitavi quomodo Nantuacensi monasterio per Dei gratiam in sacro ordine Cluniacensi magisterio omnino roborato aliquid conferre per quod meum apud ipsum thesaurum in Domino collocarem & fiduciam haberem, quia suis orationibus fratres ibi Domino famulantes mihi subsidium ferre deberent. Erat autem tunc temporis prælatus ejusdem ecclesiæ, seu loci dominus Hilio, sub cujus providentia tam temporalia quam spiritualia commoda eo usque profecerant, ut boni odoris aromata exinde longe lateque redolerent, & post se nominis magni personas ad sacri cultus observantiam traherent. Hic igitur quodam tempore patriam nostram visitans, cum in præsentia nostri constitisset, de ecclesia S. Martini cœpit mecum habere colloquium, & ut eam sancto Petro Nantuacensis monasterii, cui ipse præerat, traderem, postulavit humiliter. Ego autem libentissime ejus annuens petitioni, fultus canonicorum meorum nobiliumque virorum consilio dedi Deo & S. Petro Nantuacensis monasterii, ac monachis ejusdem loci prænominatam ecclesiam S. Martini cum omnibus appenditiis suis & parochianis, videlicet dominum Gontherium & fratres ejus, & eos qui ad ipsos pertinent. Quæ ecclesia sita est in vico qui dicitur Monasterium, quia est sedes archiepiscopatus Tarentasiæ, sed & ecclesiam *de Mascot* similiter dedi. Ut autem hoc donum firmum & stabile perseveret, episcopali auctoritate confirmavi, & præsentes qui aderant, ut testes & laudatores existerent imperavi, atque supradictum priorem laudantibus meis canonicis de his omnibus investivi, ipsamque ecclesiam manibus meis & tradidi, & eum & monachos qui cum illo venerant, ego ipse in eam introduxi, & ut in æternum ipsam habeant coram cunctis qui aderant commendavi. Consuetudines vero subscribere feci, quas ecclesia S. Petri

Digitized by Google

Tarentas. & ecclesia sancti Martini ad invicem sibi facerent; scilicet si archiepiscopus non aderit in præclaris festivitatibus, vel si fuerit aliqua causa præoccupatus, quod non velit aut non possit missam canere, prior S. Martini vice ejus cantabit, si tamen talis fuerit persona quæ honeste facere possit, & ipse jusserit, vel canonici. Monachi habere debent capellanum suum, qui suam septimanam in majore ecclesia faciat, & propterea cibum & potum de communi, sicut unus canonicus, habebit. Si quid eis, videlicet canonicis datum vel oblatum fuerit quod inter se divident, prior S. Martini suam partem accipiet, sicut unus de majoribus canonicis. Si archipræsul in die S. Martini vel aliarum festivitatum venerit ad illorum ecclesiam, prior cum fratribus ei occurrat cum aqua benedicta, candelabris & thuribulo, nullam aliam consuetudinem ab eis exiget. Si archiepiscopus omni archiepiscopatui suo divinum interdixerit officium, ipsi monachi in privatis diebus missam pro defunctis cantabunt, in diebus autem festis, sive dominicis eam quæ ad diem pertinuerit, signumque non sonabunt, neque eam aliquis audiet, nisi tantum familia eorum. Nullum mortuum qui parochianus sit ecclesiæ S. Petri monachi suscipient sine voluntate præsulis & consensu canonicorum, præter præfatum Gonterium & fratres ejus, & qui ad eos pertinent. Si episcopus ire Romam voluerit, ipse pontifex equum & victum & quæcumque fuerint necessaria ad iter agendum ei præbebit. In Natali Domini & in die Resurrectionis, & in sancta die Pentecostes & Natali Apostolorum Petri & Pauli, & in festivitate Omnium Sanctorum, atque in dedicatione ecclesiæ, monachi prædictæ ecclesiæ debent esse ad processionem cum canonicis. Si prædictus locus S. Martini tantum creverit ut possint ibi stare tredecim monachi, & abbas possit constitui quandocumque archiepiscopus & abbas Cluniacensis pari voto & consensu elegerint, ipse præficiatur. Quod si episcopus sine consensu domini abbatis, & dominus abbas sine consilio præsulis aliquem ibi constituerit, ordinatio ipsa non permanebit, eo quod injusta sit. Si quis autem episcopus, vel comes aut vicecomes, sive judex, sive quælibet persona calumniaverit hanc donationem, & a sacro loco de his omnibus aliquid diminuerit vel subtraxerit, benedictione careat, maledictioni subjaceat, & in die judicii non in dextera parte coronandus cum sanctis, sed in sinistra cum diabolo ponatur in æternum damnandus, nisi resipuerit. Signum domini Bossonis archiepiscopi qui hoc donum fecit, & testibus roborari præcepit. Signum Rifferii decani, S. Ebrardi canonici, S. Galmari canonici, S. Amizonis canonici, S. Richardi præpositi. Sigillum Gonterii vicecomitis & fratris Emerici, aliorumque virorum nobilium & clericorum cum priore supradicto. Adfuerunt monachi isti, Berardus Teutonicus monachus, P. monach. Hugo monach. Pontius monach. famuli autem Girardus, Johannes presbyter, Pontius de Cerdone, Johannes Coquus. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo sexto.

III.

Charta fundationis monasterii Stamedei ordinis Cistercii.

1132. ANNO ab Incarnatione Domini M. CXXXII, immensa Dei bonitate procurante, domnus Petrus Tharentasiensis archiepiscopus in archiepiscopatu suo providit locum quemdam qui dicitur Stamedium aptum ad Cisterciensem ordinem instituendum, quem locum dari ab ejus possessoribus sibi petiit, Petro videlicet & Willelmo & Aynardo fratribus de Chabreduno. Deinde vero placuit eidem venerabili archiepiscopo ut convocaret domnum Johannem reverendæ memoriæ abbatem Bonarum-vallium & supradictos fratres cum multis aliis in eodem loco, ubi Petrus cum uxore, & Willelmus cum uxore & filio suo Willelmo, jussu Ainardi fratris sui tunc absentis dederunt Deo & beatæ Mariæ, & Johanni abbati Bonarum-vallium & fratribus ejus inibi Deo servituris pro salute sua & parentum suorum rogantes supradicto archiepiscopo in præsentia omnium qui aderant quidquid possidebant in monte Stamedii, sicut aqua pendet a summitate montium ex utraque parte usque ad rivum per mediam vallem currentem, exceptis certis feudis & mansis in cavannariis quæ ab eis tenebantur. Si quid vero postea cohabitatores loci de eisdem feudis adquirere possent, eodem modo concesserunt tali pacto ut non perderent servitium suum; quod si perderent, pari fratrum cohabitantium calumpniam non inferrent. Hujus doni testes sunt domnus Petrus Tharentasiensis archiepiscopus, domnus Johannes Bonarum-vallium abbas, fr. Johannes post ejusdem loci prior, fr. Amedeus de Alta-ripa, fr. Aldemarus, fr. Petrus, fr. Wilfredus, qui pariter donum susceperunt. Testes sunt quoque Utboldus de Clariaco, Sigrandus de Cabreduno, Julianus presbyter, Pontius clericus & Aynardus frater ejus, & Bertrannus & filius ejus Hugo, & Bona-fides de Turnone, Rolandus de Saxo, Anselmus de Bella-cumba, Willelmus Remestagnus, Hugo quoque de Sestenaio, & multi alii. Et sicut Petrus & Willelmus, quidquid habebant in prædicto monte, dederant; sic Aynardus frater eorum cum filio & uxore sua dedit quidquid ibidem possidebat. Unde testes sunt Garnerius frater ejus & frater Amedeus, & frater Ademarus qui hoc donum ab eo apud Pontem-Vitreum susceperunt.

IV.

Decimæ ab Amedeo comite Tarentasiensi archiepiscopo concessæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris 1139.
& Filii & Spiritus sancti. Ego Amedeus comes & marchio pro redemtione meorum antecessorum, atque pro solvendis contagiis meorum peccaminum Tarentas. ecclesiæ S. Petri Apostolorum principis, atque Petro bonæ memoriæ ibidem existenti archiepiscopo & suis successoribus, decimas quas habeo confluenti, & in parochia S. Sigismundi, & in villa Paludis, devotæ intentione mentis relinquo & concedo. Hujus virpitionis sive dimissionis sunt testes, Aymo Brianzonis, Anselmus Bellæcombæ, Gonterius de Civinis, Guyfredus *Bodgis*, Petrus *Bodgis*, Guillelmus *de Salis*. De canonicis, Guillelmus, David, Guidbertus, Eloardus & alii. Petrus præfatus archiepiscopus largitus est comiti triginta libras Secusiensis monetæ de substantia sua: de curia archiepiscopi sunt testes, frater Aldemarus & frater Petrus, Richardus, Richalmus & alii, anno millesimo centesimo trigesimo nono, indictione 2.ª calend. Martii, Luna 27, fer. quinta.

V.

Fraternitas inter ecclesiam Tarentas. & abbatiam Agaunensem ecclesiarum dono firmata.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Petrus 1140.
Tarentasiensis ecclesiæ archiepiscopus, circumspecta religione ecclesiæ Agaunensis, optimum duxi ut vera fraternitas, & perpetua societas inter nostram & illam esset ecclesiam: & ideo mihi & decano, & aliis canonicis ecclesiæ nostræ placuit quod præfatæ ecclesiæ Agaunensi ecclesiam beati Michaëlis cum ecclesiis Salini, Montagniaci & Fessonis dedimus perpetualiter, dum in canonica, non in monachica perseveraverint regula, alioquin minime. In his retinemus annuum censum octo solidorum, & processiones,

Digitized by Google

videlicet in Purificatione gloriosæ Virginis Mariæ, in A Ramis Palmarum, in Pascha, in Rogationibus, in Ascensione, in Pentecostes, in festo beati Petri, beatæ Mariæ, in cæteris festis, & in aliis sanctis, si necesse fuerit eorum suffragium. Hujus rei testes sunt Matthæus decanus, Guillelmus sacrista, Pontius, Ebrardus cantor, Adalbertus magister, David, Bernardus, Albertus de Ponte, Guibertus de Alta-curia, Nicolaus, Petrus Visus. Hanc chartam ego Matthæus decanus dictavi præcepto domini archiepiscopi, anno ab Incarnat. Domini millesimo centesimo quadragesimo, Innocentio papa Rom. regnante Conrado rege.

V I.

Ex autographo Tarentas.

Eugenius papa III confirmat jura & possessiones canonicorum regularium ecclesiæ S. Petri Tarentasiensis, & statuit ut ibi semper ordo regul. secundum S. Augustini regul. observetur. B

1145. EUGENIUS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Tarentasiensis ecclesiæ tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quoniam sine veræ cultu religionis, nec caritatis unitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi servitium, expedit apostolicæ auctoritati religiosas personas diligere, & earum quieti, auxiliante Domino, providere. Eapropter, dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri Petri Tarentasiensis archiepiscopi precibus inclinati, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prædecessoris nostri C felicis memoriæ papæ Innocentii vestigiis inhærentes, præfatam B. Petri ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub ejusdem apostolorum principis & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus: in primis si quidem statuentes ut ordo canonicus secundum B. Augustini regulam perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur, qualcumque præterea possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum juste & canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. Statuimus etiam ut obeuntibus canonicis quos in ecclesia vestra esse constat, nullus eis nisi D regularem vitam professus canonicus substituatur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & Tarentasiensis archiepiscopi canonica justitia & reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi E aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Eugenius catholicæ sedis episcopus ss. ✠ Ego Conradus Sabinensis episcopus ss. ✠ Ego GG. presbyter cardinalis tituli Callixti ss. ✠ Ego Oddo cardinalis S. Georgii ad velum aureum ss. ✠ Ego Albericus Hostiensis episcopus ss. ✠ Ego Guido diaconus cardinalis SS. Cosmæ & Damiani ss. ✠ Ego Raynerius presbyter cardinalis titulo S. Priscæ ss. ✠ Ego Octavianus diaconus cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano ss. ✠ Ego Guido presbyter cardinalis titulo SS. Laurentii & Damasi ss. ✠ Ego Bernardus presbyter cardinalis titulo S. Clementis ss. ✠ Ego Cinthius diaconus cardinalis SS. Sergii & Bacchi ss.

Datum trans Tiberim per manum Roberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii, IIII cal. Mart. indict. IX, Incarnat. Domin. anno M. CXLV, pontificatus vero domni Eugenii papæ III anno II.

V I I.

Institutionem canonicorum regularium in ecclesia Tarentasiensi laudat Eugenius papa III.

EUGENIUS servus servorum Dei. Venerabili fratri Petro Tarentas. archiepiscopo, ejusque fratribus salutem & apostolicam benedictionem. Officii nostri nos hortatur auctoritas justas preces attendere, & beneplacentem Domini religionem modis omnibus propagare. Proinde institutionem canonici ordinis secundum B. Augustini regulam in ecclesia Tarentasiensi, prædecessoris nostri felicis memoriæ papæ Innocentii concessione factam apostolicæ sedis munimine confirmavimus, statuentes ut obeuntibus canonicis qui ibi sunt, nullus eis nisi regularem vitam professus substituatur. Quotquot autem post eamdem prædecessoris nostri concessionem contra ejusdem institutionis tenorem sunt subrogati, amoveri præcipimus, atque donationes sive alienationes bonorum ipsius ecclesiæ quæ ab Isdraele quondam ejus archiepiscopo post modum factæ sunt, evacuamus, & irritas esse censemus. Et quia Petrus bonæ memoriæ Tarentasiensis archiepiscopus ecclesias S. Mauritii, de Landriaco, de Rastheco & de Peseto, Wiberio & Petro fratri ejus, sive alicui de genere ipsorum sub excommunicatione dare prohibuit; nos sicut a prædecessore nostro piæ recordationis papa Lucio confirmatum est, hoc ratum habentes confirmamus. Datum trans Tyberim IV calend. Martii, indictione octava, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quadragesimo quinto. 1145.

V I I I.

Dimissio facta ab Amedeo comite & marchione eorum omnium quæ solebat ipse & prædecessores sui usurpare mortuo archiepiscopo Tarentas. vel aliqua ecclesiastica persona. *Ex autographo Tarentas.*

AUXILIANTE Domino nostro Jesu Christo, si non ex toto possumus, tamen in quantum humana fragilitas sinit, sanctorum patrum exemplaria subsequamur. Novit quidem vestra caritas quod testante apostolo, *quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt*, unde patres prædicti ecclesiastica munimenta fieri constituerunt, ne res bene gestæ silentio pereant, sed memoriæ traditæ contemporaneorum animos informent, & posterorum eruditio perseveret: sanctorum patrum exemplaria sequentes, remissionem & dimissionem quam domnus Amedeus comes & marchio, & frater ejus Reinaldus laudante Aimone vicecomite fratribusque suis Gonterio, Willenco, Aimerico, cæterisque provinciæ optimatibus laudantibus & confirmantibus, rogatu Petri archiepiscopi Darendasiensis pro suis suorumque excessibus contulerunt, titulare studuimus, ut in præsentibus fides, & in posteris spes, & in utrisque dulcedo caritatis convalescat. Suggerente enim humani generis inimico in provincia ista inenarrabilis rabies percreverat, quod moriente archiepiscopo, vel aliquo ecclesiastico viro, beneficia ecclesiastica, quæ ad utilitatem ecclesiæ, vel in usus successorum reservari debebant, a clientibus, *Circa 1150.*

Digitized by Google

a lenonibus, a tyrannis tyrannice ab ecclesia subtrahebantur, diripiebantur, rapiebantur. Quod ego Petrus episcoporum minimus, qui non sum dignus vocari episcopus, inhumanum & abominabile Deo & hominibus dijudicans, pedibus eorum provolutus destruere conatus sum. Rogatu namque nostro, Spiritu sancto sermonem confirmante, prædicti principes errorem istum destruxerunt, eradicaverunt, & banno suo ne ulterius fiat firmaverunt, & confirmari anathemate jusserunt. Ego vero Amedeus hanc donationem laudantibus præscriptis laudo, & concedo, & affirmo, & privilegium fieri præcipio; & si quis successorum meorum contra hoc scriptum agere voluerit, meo honore privetur, & privilegium ratum remaneat. Si quis hoc scriptum violare præsumpserit, gladio beati Petri feriatur, & sit anathema cum Datan & Abiron, & Core & Juda traditore in inferno inferiori, amen. Jura quidem ecclesiastica tam in prædictis, tam in vicis, tam in plateis, tam in sacerdotibus, tam in rusticis, tam in decimis, tam in nundinis, tam in omnibus locis in arbitrio archiepiscopi dimittimus. Testes Aimo *de Bozosel*, Poncius Lausanensis, Winterius consanguineus ejus, Petrus de . . . . Anselmus de Bellacumba, & multi alii, quorum nomina non sunt scripta in libro hoc. Aimo prior S. Martini, Umbertus decanus, Willelmus sacristinus, Guibertus canonicus, & alii canonici.

IX.

Partitio bonorum ecclesiæ Tarentasiensis inter archiepiscopum & canonicos.

Circa 1170. PETRUS per Dei clementiam Tarentas. diœcesis archiepiscopus, successoribus suis cunctisque fidelibus æternam salutem in Domino. Christianis omnibus per præsentem paginam notum facio, quoniam ex quo cathedram Tarentas. indignus accepi diu mecum multumque cogitavi qualiter in eadem ecclesia juxta morem primitivæ ecclesiæ clerum ordinarem, de qua videlicet scriptum est, quoniam multitudinis credentium erat cor unum & anima una & nullus suum aliquid dicebat, sed erant illis omnia communia, & dividebatur singulis prout cujusque opus erat. Hoc profecto sæpius mecum revolvens, tandem Deo miserante, quod mente conceperam consilio Carthusiensium & episcoporum Sedunensis, Augustensis, Mauriennensis, Bellicensis & abbatum Stamedei, Agaunensis, Abundantiæ, consilio & assensu canonicorum secularium qui tum inibi erant, prout dominus donare dignatus est, opere complevi. Verumtamen ne in posterum dissensio aliqua inter archiepiscop. & canonicos oriri possit, quæ res est animarum perditio, & rerum temporalium exinanitio; ea quæ ad archiepiscopum & canonicos pertinere videntur, consilio supradictorum in hac charta sollicite describere ac distinguere curavi. Ad archiepiscopum igitur quem sub nomine presbyteri regula voluit intelligi pertinet curam gerere omnium, clericos sive laïcos ad religionem venientes recipere, benedicere, professionem eorum sive obedientiam accipere, priorem, sacristam, cantorem, œconomum eligere & ordinare œconomum & alios obedientiales si bene non ministraverint, de officio in quo sunt degradare & alios subrogare, & hæc omnia facere in timore Domini, & ad utilitatem communem, & sine turpis lucri gratia, & consilio canonicorum timentium Dominum. Et hæc quidem de officiis & personis dicta sufficiant. Nunc de possessionibus dicere exordiar: Oblationes & sepulturæ majoris ecclesiæ S. Petri & S. Mariæ de Monasterio canonicorum sunt, decimæ vero ejusdem villæ archiepiscopi sunt, excepta decima terræ canonicorum agrorum scilicet ac vinearum quæ ipsi propriis sumptibus excolunt, & exceptis his quæ ipsi vel antecessores sui ecclesiis religiosorum vel hospitali prædictæ villæ dederunt. Canonicorum quoque est ecclesia

A S. Hyppoliti & de Civinis, & de Feissone & sancti Martini *de Rosnay* & ecclesia de Ponte. Verum quia hæc pauca ad religionem tenendam videbantur, quatenus ordo melius ac sine murmure teneretur, & hospitalitas, quæ maxime decet sanctos, in eadem domo largius observaretur; & ut mihi meisque successoribus cunctis magis devoti & obedientes semper existerent hæc profecto de propria mensa pro salute animæ meæ & antecessorum meorum consilio prædictorum virorum donare commodum duxi, partem viridarii quod est contiguum ecclesiæ, partem nemoris quod descendit super ripam Isaræ partem condominitæ retro vicum & medietatem nemoris de Centrone, ecclesiam quoque de sancta Fide, & triginta solidos, & quadraginta sextaria annonæ quæ habebam in ecclesia
B *de Fest;* nam reliquam partem dederam hospitali de Columna-Jovis, justitiam tamen ac dispositionem ejusdem ecclesiæ, ac personarum quæ ibi fuerint per omnia mihi retinui. Ecclesiam quoque de Landrico & de Pesiaco cum appenditiis suis, & illam de Altavilla, & de Alta-curte, & de villa Gerardi, & ecclesias *de Cors* & *de Naves*, & de Aqua-alba, & de sancto Nicolao, & de Bella-comba, & de sancto Eugendo & de Briançone, & de Puiteio, & de Quegio & de Palude, & de Marthodo, & de Mercurio cum omnibus decimis & appendiciis suis. Hæc sunt quæ de propria mensa largitus sum canonicis jure perpetuo possidenda salvo in omnibus jure episcopali. Debet enim archiepiscopus secundum decreta canonum per singulos annos per se vel alium visitare parrochias, cum paucis tan-
C tum, ne gravet ecclesias; evellere scilicet & destruere quæ mala sunt, ædificare & plantare bona. Sciendum præterea quod si quando archiepiscopus Romam ierit, aut dominum papam procuraverit, aut in regalibus expensis se gravaverit, vel aliqua magna necessitas ingruerit, tam canonici quam omnes capellani eum benigne juvare debent. Hactenus de ecclesiis canonicorum diximus, nam reliquas possessiones huic cartulæ inserere non fuit necesse, sed eas tantum de quibus inter canonicos & episcopos sæpius dissensio oriri solet. Nunc addendum est juxta promissum nostrum de ecclesiis archiepiscopi quarum nomina sunt: ecclesia de S. Mauritio & de Ayma, & de Viletta, & de S. Jacobo, & de Prato, & de Montagniaco & de Bosellis, & de Allodiis cum omnibus decimis & appen-
D diciis suis, ecclesia quoque S. Martini & S. Johannis de Desertis, & ecclesia de Monte-Pontio cum omnibus decimis & appendiciis suis, ecclesia quoque de Cellariis, & de sancto Desiderio, & de sancto Pio, & *de Consiens*, & de Venthone cum omnibus decimis & appendiciis suis; ecclesiæ de Lucia & de Cornillione & *de Sæsarches*, & de sancto Sigismundo & de Giliaco, & de Gimiliaco, & de S. Vitali cum decimis & appendiciis suis; ecclesia quoque de Cleriaco cum omnibus parrochiis & decimis & appendiciis suis. Et ut omnis occasio discordiæ & ignorantiæ tolleretur, si quid decimarum canonici in ecclesiis archiepiscopi habebant, omnino ei reliquerunt, similiter & archiepiscopus canonicis in ecclesiis suis, excepta ecclesia de Monasterio, ut supra dictum est. Et si quando in
E parrochiis eorum archiepiscopus quoquomodo aliquid acquisierit, suam cuique ecclesiæ decimam jure perpetuo habendam & possidendam concessit & dedit. Similiter & canonici archiepiscopo in suis. Hanc autem cartam in capitulo lectam, auditam & ab omnibus confirmatam, ego Petrus Tarentasiensis ecclesiæ, & hujus institutionis minister indignus proprio munivi sigillo, ac domini papæ & episcoporum atque abbatum supradictorum omnes pariter muniendum decrevimus, & ne quolibet aliquando perderetur modo, eamdem sub chyrographo dupliciter conceptam atque divisam unam in . . . . beati Petri, alteram apud Stamedeum servandam communi consilio censuimus. Si quis igitur præsumptor malevolus hanc infringere attemptaverit, vel infregerit, nisi primo vel secundo

Digitized by Google

secundo admonitus resipuerit, & errorem suum correxerit, auctoritate Dei Omnipotentis & apostolorum Petri & Pauli & omnium sanctorum & nostra sit anathema, maranatha. Hanc præsentem cartam lectam & auditam in præsentia domini Jocelani prioris Cartusiens. & conventus ejusdem domus in claustro eorumdem. Amedeus procurator Carthusiensis & Willelmus nepos ipsius qui olim extiterant canonici Tarentasiensis ecclesiæ approbaverunt & eam confessi sunt veram esse. Ego Humbertus præpositus sancti Ægidii Augustæ cartam præsentem sicut prædicti approbo, qui canonicus extiti Tarentas. ecclesiæ & in ea nutritus per triginta annos & amplius, & sigilli mei testimonium apposui.

X.

Bulla Alexandri III qua confirmatur partitio superius memorata.

1171. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Petro Tarentasiensi archiepiscopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. In apostolicæ sedis specula, disponente Domino, constituti fratres nostros episcopos tam vicinos quam longe positos fraterna debemus caritate diligere, & eorum quieti ac tranquillitati salubriter, auxiliante Domino, providere. Hujus itaque rei consideratione venerabilis in Christo frater archiepiscope, tuis justis postulationibus clementer annuimus & præfatam ecclesiam cui, Deo auctore, præsides sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones quæcumque bona eadem ecclesia inpresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Augustensem & Sedunensem episcopatus, Musterium cum omnibus pertinentiis suis, castrum sancti Jacobi & ecclesiam ejusdem loci cum decimis & omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Campagniola cum decimis & omnibus pertinentiis suis, villam de Allodiis & ecclesiam ejus cum decimis & omnibus pertinentiis suis, villam S. Johannis & ecclesiam ejus cum decimis & omnibus pertinentiis suis, villam de Flacheria cum omnibus decimis & pertinentiis suis, villam de Comba cum decimis & pertinentiis suis, villam S. Martini de Desertis cum decimis & omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Monte-Pontio cum decimis & omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Mauritii cum omnibus decimis & pertinentiis suis, ecclesiam de Ayma cum decimis & pertinentiis suis, ecclesiam de Vileta cum decimis & omnibus pertinentiis suis, vallem S. Desiderii & ecclesias ejusdem vallis cum decimis & omnibus pertinentiis suis, partem quam habet in castro *de Conflens* & ecclesiis ejusdem castri cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Venthone cum omnibus pertinentiis suis, quatuor ecclesias de Luciaco cum decimis & pertinentiis suis, ecclesiam de Sæfarchiis cum decimis & omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Clariaco cum omnibus ecclesiis ad ipsam pertinentibus decimis & pertinentiis earum. Statuimus insuper ut præscripta ecclesia nulli unquam archiepiscopo vel ecclesiæ primatiæ jure subesse debeat, sed soli sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ sit, nullo mediante, subjecta sicut hactenus fuisse dinoscitur. Justitias quoque, forum & bonos usus quos in terra Tarentasiensis ecclesiæ tu & prædecessores tui hactenus rationabiliter habuistis, tibi & successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus. Nihilominus etiam feuda & casamenta quæ rationabiliter vel ad manus tuas tenes, aut alii tenent nomine tuo, & præscriptæ ecclesiæ, tibi & successoribus tuis duximus confirmanda sub interminatione anathematis; prohibentes ne quis eorum qui feuda tuo vel ecclesiæ tuæ nomine tenent, bonos usus feudorum vobis subtrahere, aut eadem feuda, vel usus celare seu temeritate qualibet ab eadem ecclesia alienare præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus & commodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi quatenus & ii fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia pacis æternæ inveniant. Amen.

Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Hubaldus Ostiensis episcopus. Ego Bernardus Portuensis & S. Rufinæ episcopus. Ego Johannes presbyter cardinalis titulo S. Johannis & Pauli. Ego Johannes presbyter cardinalis titulo S. Anastasiæ. Ego Willelmus titulo S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis. Ego Boso presbyter cardinalis S. Pudentianæ titulo Pastoris. Ego Petrus presbyter cardinalis titulo S. Laurentii in Damaso. Ego Ardico diac. cardinalis titulo S. Theodori. Ego Cinthius diaconus cardinalis S. Adriani. Ego Hugo diaconus cardinalis S. Eustachii juxta templum Agrippæ. Ego Petrus de Bono diaconus cardinalis S. Mariæ in Ayugo. Datum Tusculani per manum Gratiani sacræ Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii, decimo quinto kalendas Martii, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo septuagesimo primo, pontificatus domini Alexandri papæ III anno decimo tertio.

XI.

Petrus dedicat capellam ad preces Burchardi de Montemorenciaco. Ex Sammarthanis.

EGO Burchardus de Montemorenciaco notum fieri volo tam posteris quam præsentibus, quod 1174.
Matheus de Rossiaco, & Guido de Grodoleto, & uxor ejus Richeldis prædicti Mathei soror, amore Dei & precibus domini Petri venerabilis archiepiscopi Tarentasiensis, pro salute animæ suæ & parentum suorum, ecclesiæ S. Victoris in eleemosynam concesserunt quicquid ecclesia sancti Petri de Nemore ab ipsis vel eorum prædecessoribus ante habuerat, & omnes querelas quas adversus eandem ecclesiam prius moverant, omnino remiserunt. Præterea decem arpennos nemoris inter duos rivulos, & eorundem rivulorum usum prædictæ S. Victoris ecclesiæ in eleemosynam dederunt. Petrus etiam Aculeus, & Galterus *Buse* in omnibus his prædictis consuetudinem griariæ quam habebant, pro salute animæ suæ libere remiserunt. Hanc autem eleemosynam ego & Laureta uxor mea laudavimus, & quidquid juris in prædicta eleemosyna habebamus, ex integro concessimus. Factum est hujus eleemosynæ donum in curia mea apud Montemmorenciacum in præsentia prædicti archiepiscopi die eadem qua ipse capellam meam dedicavit anno ab Incarnat. Domini 1174. Quod ne oblivio deleat aut emergens calumnia contradicat, scripto mandari ac sigillo præfati archiepiscopi & meo feci signari.

Digitized by Google

Testes Rainardus abbas S. Mariæ de Valle, Guillelmus prior ejusdem ecclesiæ, Euvrardus de Barris monachus Claravallensis, Guillelmus capellanus, Aureus abbas S. Martini, Simon capellanus, Guido canonicus S. Martini. Laici, Galterius de Grodoleto, Balduinus de Andiliaco, Guido de Toreta, Henricus *de Maisnil*, Radulfus de Bellafontana, Adam de Chalveri & Radulfus frater ejus, Teobaldus *de Curvenne*, Gerardus cocus, Berengarius, Roardus de Curia.

X I I.

Ex chartario Stamedii.

Carta Petri militis de Civino fratris Guidonis abbatis Stamedii, in qua ipsius Guidonis mater & nepotes nominantur.

1176. NOTUM fieri volumus tam præsentibus quam futuris successoribus nostris quoniam Petrus miles de Civino frater quondam Guidonis abbatis Stamediensis cum matre sua Guia & nepotibus suis Hugone & Willelmo dederunt Deo & domui de Stamedio terram quam habebat apud Planchelinam *& Test*, & inde habuit quingintos solidos Viennensis monetæ. Hoc factum est per manum Siboudi cellerarii & Andreæ fratris quondam bonæ memoriæ P. Tarentasiensis archiepiscopi. Hujus rei testes sunt Emmo & Aimo sacerdotes *de Consfens*, Anselmus miles de Rocatula & Willelmus claviger ejusdem Petri. Hoc laudaverunt Guido de Belloforte, ad cujus dominium prædicta terra pertinebat in manu Petri abbatis, & habuit inde C solidos secusientium. Testes sunt Petrus & Siboudus monachi, Witfredus & Aymo de Sestenaco conversi, Anselmus canonicus de Vivo, Aynardus quoque de Turnone, & Rodulfus de Saxo, & Anselmus filius Chapharoldi de Olgina milites, & multi alii. Hoc laudavit uxor prædicti Guidonis, eo præsente, in manu Siboudi cellerarii. Testes sunt Petrus Ebrardi & Willelmus Gasconi, anno Domini M. CLXXVI.

X I I I.

Carta ex dono Willelmi de Chabreduno tempore Petri abbatis collocanda.

1177. NOTUM sit omnibus tam futuris quam præsentibus quod Willelmus de Chabreduno * in infirmitate sua reddidit se Deo & B. Mariæ in domo Stamediensi, in qua ipse, & pater, & mater, & fratres ipsius sepulti requiescunt, deditque fratribus prædictæ domus pro anima patris & matris suæ, & parentum suorum, pratum Mercuriaci, & corroatam quamdam apud Mercuriacum quæ est super viam. Hoc donum fecit ipse apud Stamedium in manu P. abbatis. Hujus rei testes sunt Sigrandus capellanus Cabreduni, Aymo Sigrandi, Andreas monachus, Hugo monachus, Benedictus monachus, Willelmus, Aymo monachus, Aynardus Sestenayo, anno M. CLXXVII.

* de Chevron.

X I V.

Privilegium concessum Aymoni archiepisc. a Frederico imperatore.

1186. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Ad superni regis gloriam & imperialis coronæ ab eo nobis creditæ temporalem excellentiam animæque remedium potissimum nobis prodesse speramus, si ecclesias Dei & ecclesiasticas personas non solum in jure & honore suo conservamus, verum etiam dispersa recolligendo, fractaque reconsolidando eos in suo robore protectionis nostræ munimine dilatamus quatenus Martha in suo exteriori ministerio necessitati temporalium sufficienti officio, Maria interiori divinorum contemplatione per orationes secu- A rius intenta sincere, perennis misericordiæ specialis religionis suæ suffragio valeant animabus nostris & filiorum prædecessorumque nostrorum aperire. . . . . Quapropter cognoscat tam præsens ætas fidelium imperiique successura posteritas, quod nos attendentes honestatem dilecti & fidelis nostri Aymonis venerabilis Musterii archiepiscopi, religiosam quoque conversationem congregationis ecclesiæ de Musterio, ipsum archiepiscopum & ecclesiam ejus quem de regalibus Tarentasiani archiepiscopatus per imperiale sceptrum investivimus, & personas inibi divinis mancipatas & mancipandas obsequiis, cum omnibus rebus atque possessionibus suis quas nunc habet, vel in posterum, præstante Domino, poterit obtinere foris videlicet, agris, vineis, pratis, pascuis, silvis, planis, B montanis, aquis, aquarumque decursibus, aliisque prædiorum ac possessionum bonis, quæ propriis subtus exprimenda decrevimus vocabulis: videlicet civitatem de Musterio cum omnibus appendiciis suis, castrum sancti Jacobi, castrum de Briançone, & partem quam habet in castro *de Corsfens*, Villetam, vallem de Botellis, vallem de Allodiis, vallem S Johannis, villam de Flacheria, villam de Comba, vallem sancti Desiderii, vallem de Lucia cum omnibus earum attinentiis sub protectione defensionis nostræ suscepimus & hæc omnia eidem archiepiscopo & prænotatæ ecclesiæ successoribusque suis cum omnibus feudis & casamentis quæ in præsentiarum possident vel alii nomine suo tenent, imperiali auctoritate confirmamus: ex abundanti quoque imperialis gratiæ magnificentia concedimus sæpe dictis archiepiscopo & ecclesiæ ut ad C tuitionem atque juvamen suum eis libere liceat in locis idoneis castra construere, destructa reædificare, bona quoque tam rerum quam possessionum suarum, sive per violentiam aliquorum eis ablata, sive per dispendium retroacti temporis omissioni involuta, nullius impediente contradictionis obstaculo in primam liberæ facultatis tutelam recuperare. Quocirca sub obtentu nostræ gratiæ districtis inhibendum mandatis duximus ne aliquis eorum qui feuda Musteriensis ecclesiæ nomine ipsorum tenent, bonos usus feudorum ab eis substrahere, nec aliquatenus minuere, imo nec ipsa feuda & bonos usus eorum dissimulare, vel damnoso silentio supprimere præsumant, nec aliquo prorsus ingenio sive facto tentent alienare a libera possessione D & dominio sæpius dictorum archiepiscopi & ecclesiæ. Ut igitur hæc nostræ protectionis & confirmationis pagina omni ævo rata & inconvulsa permaneat, præsens inde privilegium conscribi jussimus, & nostræ majestatis sigillo aureo communiri statuentes, & auctoritate imperiali sancientes ut nullus dux, neque marchio, neque comes aut vicecomes, nulla potestas aut civitas, nullus consulatus, nulla denique persona humilis vel alta secularis vel ecclesiastica ei præsumat obviare, vel aliquibus calumniarum injuriis seu damnis eam ullomodo vitiare attentet; quod qui fecerit, in ultionem temeritatis suæ componat centum libras auri puri medietatem imperiali fisco, & reliquum injuriam passis. Hujus rei testes sunt Walpertus Augustensis episcopus, Willelmus Astensis, Bonifacius Novariensis E episcopi, Fredericus Argentinensis præpositus, magister. . . . . medicus & capellanus noster, magister Reigubertus capellanus & notarius noster, magister Ricolfus notarius noster, Rodulphus camerarius & alii quamplures. Signum Frederici domini Romanorum imperatoris invictissimi. Et ego Gothofredus imperialis aulæ cancellarius vice Philippi Coloniensis archiepiscopi & Italiæ archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octuagesimo sexto, indictione quarta, regnante Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus trigesimo quarto, imperii vero trigesimo primo. Datum Papiæ sexto idus Maii feliciter. Amen.

Digitized by Google

X V.

Discordiam inter canonicos & Amedeum de Villetta sopit Bernardus archiepiscopus.

1216. BERNARDUS Dei gratia sanctæ Tarentasiensis ecclesiæ dictus archiepiscopus cartæ hujus auditoribus salutem in Domino. Cum gravis discordia esset inter canonicos nostros ex una parte, & prudentem virum Amedeum de Viletta ex altera, pro vinea & terra & toto tenemento de casali sub castro de Chivrone quod præpositus Augustensis tenuerat, & tenet nunc dominus episcopus Maurianensis, data nobis ab utraque parte potestate plena faciendi pacem, prædictam discordiam subscripto modo duximus sopiendam. Nos siquidem de consensu utriusque partis habito consilio cum domina comitissa matre domini comitis, & dilecto nostro Hugone decano Anessiaci & multis aliis prudentibus tenementum totum adjungimus capellaniæ *de Merceres* statuentes ut capellanus ejusdem villæ & qui illi ecclesiæ & capellaniæ prædictæ servierint, & successores sui capellani in perpetuum in pace idem habeant tenementum; ita tamen quod prædictus episcopus, sicut ei donatum est, tenebit & quocunque modo vel quomodocunque ab eo dimittetur directe ad prædictum transiet & perveniet capellanum. Statuimus etiam ut ipse capellanus ex quo præscriptum tenementum apprehenderit & tenuerit singulis annis pro censu duo sextaria frumenti ad mensuram *de Confiens* præstet canonicis memoratis. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo decimo sexto, quinto decimo calend. Januarii apud Musterium in domo nostra, & die præcedenti præscripta plene pertractata fuerunt super Salinum in domo dominæ comitissæ.

X V I.

Willelmus comes Gebennensis hominium præstat Bernardo archiepiscopo pro valle Luciæ.

1220. WILLELMUS comes Gebennensis cartæ hujus auditoribus salutem in Domino. Cum Tarentasiensis ecclesia proponeret totam vallem Luciæ donatam fuisse in sui fundatione beato Jacobo primo Tarentasiensi archiepiscopo & successoribus suis; nos respicientes ad salutem animæ nostræ & prædecessorum nostrorum comitum Gebenn. ut nobis & ipsis remittatur a Domino Omnipotente si in aliquo culpabiles fuimus in detentione prædictæ vallis, dominium ejusdem vallis domino Bernardo Tarentasiensis ecclesiæ archiepiscopo & successoribus ejus guerpimus & donamus: & ipse archiepiscopus nos & hæredes nostros, successores nostros comites Gebenn. de eadem valle nomine feudi retinuit. Ita quod nos hominium fecimus pro hoc feudo & fidelitatem juravimus, salva fidelitate domini Gebennensis episcopi, & hæredes nostri comites Gebenn. humiliter pro eadem valle facient hominium successoribus ejusdem archiepiscopi recognoscendo dominium dictæ vallis semper ad Tarentasiensem ecclesiam pertinere: ita quod moriente comite Gebenn. successor ejus hominium faciet & fidelitatem jurabit domino Tarentas. archiepiscopo, & nomine recognitionis duas magnas truitas. . . . . Præterea dictum est expresse quod nos successores nostri consilium & auxilium & manutenentiam archiepiscopo Tarentasiensis ecclesiæ & hominibus ejusdem ecclesiæ ubicumque poterimus. . . . . Promisimus etiam eidem archiepiscopo super his omnibus quæ in manu propria in dicta valle tenet & tenuit, & super his etiam quæ ibidem acquirere poterit & successores sui, ut ea in pace & quiete semper possideant, manutenentiam nos facturos. Hoc factum tractavit & perfecit, sicut præscriptum est, dominus Amedeus venerabilis Mauriennensis episcopus frater noster. Quod

A ut observetur, idem episcopus frater noster & nos sigillorum nostrorum munimine præsentem cartam duximus roborare & posteris intimare: memoratus vero archiepiscopus idem factum sigilli sui testimonio roboravit. Testes Willelmus prior sanctæ Mariæ de Allione, Nantelmus prior Tarentas. Falco decanus ejusdem ecclesiæ, Johannes decanus Maurianæ, Petrus decanus Aythonis, magister Bernardus decanus Savoïæ, Petrus canonicus de Intermontis capellanus domini episcopi Maurian. Michaël canonicus Tarentas. ecclesiæ capellanus domini Tarentas. archiepiscopi, Petrus nepos ejusdem archiepiscopi canonicus Tarentas. ecclesiæ, Guido capellanus de Confleto, Humbertus de Alavardo, W. *Bonetz*, Petrus *de Aremes*, Albertus *de Bonetz* canonicus Maurian. ecclesiæ, W. *Corlest*,
B & Jacobus *Berars* de S. Johanne, Vuillelmus Bouissonis & Petrus *de Turre*. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo, penultima die Junii apud Aythonem in ecclesia, Honorio summo pontifice, & regnante Frederico Romanorum rege semper augusto.

X V I I.

Concordia inita inter Herluinum & Guillelmum de Beaufort de quibusdam feodis.

AYMARUS Dei gratia Maurianensis episcopus, 1225.
& Berlio abbas Stamedei omnibus præsentis scripti auditoribus æternam in Domino salutem. Noverit vestra immensitas quod nos ad preces & in-
C stantiam reverendi patris Herluini Tarentas. archiepiscopi & Willelmi domini *de Belfort*, querelas quas habebant inter se ad invicem, intuitu Dei Omnipotentis suscepimus damnandas concordia vel justitia mediante; qui ut decreto vel sententiæ nostræ inviolabiliter starent, cautiones juratorias, & obsides infra positos multiplicies nobis præstiterunt, super quo utriusque partis querelas, responsionibus, rationibus & allegationibus auditis & confessionibus in jure factis, præstito de calumnia juramento, & testibus hinc inde productis acceptis & publicatis, sufficientibus dilationibus datis, facta renunciatione super allegationibus, omnibusque rite peractis, habito diligenti tractatu & consilio cum viris discretis & jure peritis decano Sallanchiæ, priore S. Georgii, Giraudo de Aquabella &
D magistro Bernardo decano de Walpill. secundum merita allegationum, confessionum, probationum. In nomine Domini nostri J. C. per definitivam sententiam pronunciamus personas hominum S. Jacobi, Fugonti, Isabel, Bosonis & ejus domus, Alamanni & Tavernerii, & Boni-amici de Ponte, & Morardi *Ynont* & *Gerlaz*, domini *de Belfort* ligios esse, & ipsos eidem adjudicamus, solum modo per sententiam definitivam super præsentatione capellanorum in ecclesiis de Lucia ab impetratione domini *de Belfort* absolvimus dominum archiepiscopum Tarentas. eidem domino *de Belfort* super præsentatione hujusmodi perpetuum silentium imponentes, quod neque confessionibus, neque probationibus, nec modo alio possessionem probavit, neque jus præsentandi. Item definitive per
E sententiam adjudicamus eidem archiepiscopo totam villam S. Maximi & quidquid est inter aquas usque ad nemus, esse de feudo suo, & quod idem archiepiscopus est in possessione albergandi homines qui sunt in villa S. Maximi, & quod similiter in possessione est faciendi. . . . . . . in quibus habet servitium. . . . . . . facientes, eidem archiepiscopo servitium reddant & placitum, & quod idem archiepiscopus. . . . . Item eodem modo cognoscimus per sententiam definitivam quod idem archiepiscopus est in possessione feuda de novo vacantia quibus voluerit albergandi. Hanc autem supra dictam nostram sententiam de præmissis sub pœna sacramenti & obsidum super hoc nobis præstitorum, firmam & irrevocabilem utrique parti districte præcipimus in per-

Digitized by Google

petuum observari. Sunt enim obsides ex parte domini A archiepiscopi Guigo dominus de Briançone, Humbertus *de Alavard*, Gonterius de Civinis, Rubeus de Bosellis, Theobaldus de Salsa, Fecalcus de Bosco, Gunterius *Bovet* milites. Ex parte domini *de Belfort*, Guigo de Briançone, Willencus de Viletta, Aymericus de Avalone, Aymo de Miolano, Humbertus *de Alavard*, Thomas *de Conflens*, Willencus de Briançone, Bernardus de Musteriis milites. Lata est hæc sententia anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto, juxta ecclesiam S. Georgii apud sanctum Vitalem Tarentasiensis diœcesis septimo idus Febr.

XVIII.

Diploma Frederici II imperatoris in gratiam Herluini archiepiscopi Tarentasiensis. B

1226. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem & Siciliæ rex. Cum imperatoriam deceat majestatem merita suorum fidelium diligenter attendere & subjectorum supplicationibus justis adesse, tanto potius ad sacrosanctas ecclesias oculos tenetur reducere pietatis, quanto regis regum. . . . . . . Inde est igitur quod Herluinus venerabilis Musteriensis archiepiscopus fidelis noster per Johannem canonicum ejusdem ecclesiæ fidelem nostrum quoddam privilegium divi augusti quondam patris nostri domini imperatoris Henrici recordationis inclytæ jam dudum eidem ecclesiæ suæ ab ipso patre nostro concessum nostræ celsitudini præsentavit, humiliter supplicans & devote, quatenus privilegium ipsum de verbo ad verbum transcribi, & quæ in ipso continentur eidem ecclesiæ confirmare in perpetuum de nostra gratia dignaremur, cujus privilegii tenor est talis: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus sextus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, rex Siciliæ. Ad superni regis gloriam & imperialis coronæ ab eo nobis creditæ temporalem excellentiam animæque remedium, non solum in jure & honore suo conservamus, verum etiam robore protectionis nostræ munimine dilatamus, quatenus Marthæ sufficienti officio, Mariæ interiori divinorum contemplatione per orationes securius intenti, signum perennis misericordiæ, speciali religionis suæ suffragio valeant animabus nostris & filiorum prædecessorumque nostrorum aperire. Eapropter tam præsens ætas fidelium imperii, quam successiva posteritas cognoscat, quod nos attendentes honestatem dilecti & fidelis nostri Aymonis venerabilis Musteriensis archiepiscopi, religiosam quoque conversationem congregationis ecclesiæ de Musterio, ipsum archiepiscopum & ecclesiam ejus quam serenissimus pater noster Fredericus Romanorum imperator divus augustus de regalibus Tarentasiensis archiepiscopatus per sceptrum imperiale solenniter investivit, & personas inibi divinis mancipatas & mancipandas obsequiis cum omnibus rebus atque possessionibus suis quas nunc habent vel inposterum, præstante Domino, poterunt obtinere, foris, videlicet, agris, vineis, pratis, pascuis, silvis, planis, montanis, aquis, aquarumque decursibus, aliisque prædiorum & possessionum bonis quæ propriis nominibus subter exprimenda decernimus, &c. *ut in privilegio concesso Aimoni a Fredrico I imperatore.* Hujus rei testes sunt Angelus Tarentinus archiepiscopus, Petrus titulo S. Cæciliæ presbyter cardinalis, Otho Novariensis episcopus, Guido Yporegiensis episcopus, Bonifacius marchio, Bernardus senescallus, Henricus Marcellus, Henricus de Lucia, Thomas de Nona, & alii quamplures. Signum domini Henrici Roman. imperat. invictissimi regis Siciliæ. Ego Conradus Ildeciniensis electus imperialis aulæ cancellarius, vice Radulphi Coloniensis archiepiscopi & totius Italiæ archicancellarii recognovi.

Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnat. 1196, indict. decima tertia, regnante domino Henrico sexto imperatore gloriosissimo & rege Siciliæ potentissimo, anno regni ejus vigesimo septimo, imperii vero sexto & regni Siciliæ secundo. Datum apud Taurinum per manus Alberti imperialis aulæ protonotarii, quinto kalend. Augusti. Nos igitur supplicationes prædicti archiepiscopi fidelis nostri benignius admittentes, considerantes quidem ipsius devotionem & fidem quam ad nostram habere dignoscitur majestatem, pro reverentia quoque Dei & nostræ conservatione salutis, ac pro remedio animarum dicti quondam patris & matris nostræ, ac aliorum prædecessorum nostrorum augustorum memoria recolenda, prædictum privilegium de verbo ad verbum sicut superius continetur transcribi jussimus, & ipsum & quæ continentur in ipso jam dicto archiepiscopo & suis successoribus, ac memoratæ Musteriensi ecclesiæ perpetuo confirmamus. De abundantiori quoque gratia celsitudinis nostræ qua Dei ecclesias benigne semper consuevimus intueri, præcipimus firmiter statuentes ut omnia bona tam mobilia quam immobilia decedentium archiepiscoporum per manus officialium suorum fideliter & integre suis successoribus reserventur, ita quod nec comes, nec alius occasione regalium nostra vel alicujus alterius auctoritate ea præsumat invadere, quæ ipsis archiepiscopis in perpetuam eleemosynam concedimus & donamus. Statuentes & præsentis privilegii auctoritate firmiter injungentes, ut nulla omnino persona parva, vel humilis ecclesiastica, vel secularis C præfatum archiepiscopum & successores suos, ac ecclesiam supradictam de supradictis omnibus ausu temerario impedire seu perturbare præsumat: quod qui præsumpserit in suæ temeritatis vindictam, præter præscriptam pœnam quinquaginta librarum auri puri componat, medietatem cameræ nostræ & alteram medietatem passis injuriam. Ut autem hæc nostra confirmatio, concessio & donatio rata semper & illibata permaneat, præsens privilegium fieri in bulla aurea tessera nostræ majestatis impressa jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis & Laudo Reginus archiepiscopi, C. abbas S. Galli Citeñ. Jacobus Taurinensis, M. Imolensis episcopi, dux Saxoniæ, Raynardus dux Spoleti, A. marchio Estensis, W. comes, Gonterius . . . . . . R. *de Ausbourg* comes, S. de Vienna, & alii quam- D plures. Signum domini Frederici II Dei gratia invictissimi Romanorum imperat. semper Augusti, Jerusalem & Siciliæ regis. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnat. 1226, die . . . . mensis Aprilis, indictione decima quarta, Imperante domino Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem ac Siciliæ rege, anno Romani imperii sexto, regni vero Siciliæ vigesimo octavo feliciter. Amen. Datum apud Ravennam, anno, mense & indictione præscriptis.

XIX.

Pactio Herluini archiepiscopi cum suo capitulo de administratione hospitalis Musterii. E

HERLUINUS divina permissione Tarentasiensis ecclesiæ archiepiscopus & ejusdem loci capi- 1245. tulum omnibus presentes literas inspecturis salutem in Domino. Notum sit presentibus & futuris quod cum super ordinatione hospitalis de Musterio & super collatione præbendarum pertinentium ad mensam ejusdem capituli olim quædam emanaverit compositio, ex qua eidem hospitali non erat sufficienter provisum & super dictis præbendis gravamen dicto capitulo immineret, memoratus dominus archiepiscopus & capitulum supradictum saniori ducti consilio, volentes hinc & inde removere gravamen, ita quod prædicto hospitali esset sufficienter provisum, & penes capi-

tulum conferendi præbendas suas facultas libera remaneret, de communi consensu & libera voluntate domini Herluini Tarentasiensis archiepiscopi, Petri prioris, Bernardi decani, Reinardi sacristæ, Petri de Monte-*Obert*, Petri de Bellentro, Johannis Willelmi de Grasiaco, Humberti de Monte-Majori, Petri de Ayma, Guidonis de Civino, Thomæ & Petri de Conflente in eadem ecclesia tunc residentium, pensata communi voluntate, & habito diligenti tractatu, fuit taliter ordinatum & compositum, quod nonobstantibus aliquibus compositionibus quæ olim factæ fuerunt inter Tarentasiæ archiepiscopum & capitulum memoratum super ipso hospitali, dominus archiepiscopus Tarentas. quicumque pro tempore fuerit, possit ad voluntatem suam irrequisito consensu capituli, conferre vel ordinare prædictum hospitale, sicut viderit expedire. Item convenerunt unanimiter & concorditer dictus archiepiscopus & prædictum capitulum, quod præbendas suas possit conferre dictum capitulum requisito consensu domini archiepiscopi, cuicunque voluerit corporaliter, sicut viderit expedire, nonobstantibus aliquibus compositionibus, quæ olim super hoc inter dominum archiepiscopum & capitulum factæ fuerunt, aliis capitulis in ipsis compositionibus contentis in suo robore nihilominus duraturis. Et ut ista compositio sive ordinatio rata & firma permaneat, sigillis domini archiepiscopi & capituli, & de mandato eorumdem præsens charta fuit communiter sigillata. Actum apud Musterium in claustro S. Petri, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, idibus Junii.

X X.

Rodulfus archiepiscopus canonicis regularibus & secularibus ecclesiæ suæ portionem bonorum suorum attribuit.

1258. IN nomine Domini, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, indict. decima quarta, nos Rodulphus Dei gratia Tarentas. archiepiscopus. Notum facimus universis quod cum post multas lites & controversias quas habebant ad invicem regulares & seculares canonici Tarentas. super statu ipsius ecclesiæ, qui fuerat per Innocentium papam de regulari in secularem mutatus, ac postmodum per quosdam inquisitores, seu executores, vel judices ab Alexandro papa deputatos, versa vice de seculari in regularem translatus: post appellationem ad sedem apostolicam a secularibus canonicis emissam, & domino archiepiscopo Ebredunensi commissam, qui de ipsa auctoritate apostolica cognoscebat; dictæ partes in nos prædictum archiepiscopum Tarentas. pro bono pacis & concordiæ compromisissent, & juramento firmassent arbitrium vel ordinationem nostram servare renunciantes nihilominus litteris apostolicis omnibus impetratis & impetrandis, & aliis litterarum beneficiis latarum per qualescunque judices ordinarios sive delegatos, nos prædictus archiepiscopus Tarentas. tam ordinaria, quam arbitraria potestate sic duximus ordinandum, & sub debito præstiti juramenti præcipimus observandum: videlicet quod bona Tarentasiensis capituli, ubicunque essent, dividentur æqualiter in tres partes, & quod ecclesia sancti Petri una cum domibus infra majus portale ante cimiterium adjacentibus & duabus partibus prædictorum bonorum pleno jure regularibus remaneret & successoribus eorumdem: reliqua vero tertia pars bonorum secularibus canonicis pleno jure & suis successoribus remaneret, ita quod in aliqua ecclesia Musteriensis civitatis seculares canonici, qui pro tempore fuerint, perpetuo Domino deservirent secundum quod hoc totum & multa alia in instrumento arbitrii confecto, & per sedem apostolicam confirmato de verbo ad verbum plenius continentur. Ad instantiam ergo & requisitionem canoni-

A corum dictorum, arbitrio, vel ordinatione nostra publicata, ad divisionem bonorum processimus de consensu & voluntate expressa tam regularium quam secularium canonicorum; scilicet quod seculares canonici habeant pro parte sua terras adjacentes ex parte ecclesiæ S. Albani, tam illas quæ fuerunt archiepiscopi, quam quæ fuerunt capituli supradicti, excepta terra quam tenet Willelmus Desiderii. Item habeant vineas *de la Chandana* & ecclesiam S. Mariæ cum censu suo in recompensatione prioratuum, prati Longinqui, & Marthodi, & sacristaniæ & matriculariæ, & omnium oblatorum majoris ecclesiæ; hoc excepto quod seculares debeant reddere quadraginta solidos fortium prædictæ ecclesiæ, qui quadraginta solidi fortium debent poni cum anniversariis in communi. Item habeant
B seculares ecclesiam Altæ-curiæ & quidquid capitulum habebat in illa parrochia, & quidquid habebat capitulum in parrochia Montis-Giroldi, & in parrochia Prati, & quidquid habebat in parrochia de Villeta. Item habeant seculares ecclesiam de Ayma, & quidquid habebat capitulum in illa parrochia, & quidquid habebat in parrochia de Malcoto: Item habeant ecclesiam de Landrea, & quidquid habebat capitulum in parrochia ejusdem, & quidquid habebat in parrochia de Bellentro. Item habeant ecclesiam *de Pesay*, & quidquid habebat capitulum in parrochia ejusdem. Item habeant ecclesiam de Alta-villa, & quidquid habebat capitulum in parrochia ejusdem, & quidquid habebat in parrochia S. Mauritii & in ecclesia ejus, & quidquid habebat in ecclesia de Villa *Rogier*, & ecclesiam sanctæ Fidis,
C & quidquid habebat capitulum in parrochia ejus. Et ut brevius dicatur, seculares canonici habeant omnia illa quæ capitulum sancti Petri solebat habere a civitate Musterii, & supra versus columnam Jovis, & ea quæ sunt de nominatione expressa, exceptis quadraginta solidis quos percipit Willelmus Desiderii in ecclesia sanctæ Fidis, & exceptis illis omnibus quæ pro anniversariis remanserunt in communi. Regulares vero canonici habeant pro partibus suis quidquid capitulum S. Petri habebat in valle de Bosellis, apud Salinum, & a Salino superius cum sexaginta solidis ecclesiæ de Bosellis, qui debentur ex quadam permutatione, quæ cum domino archiepiscopo facta fuit, & cum viginti solidis ecclesiæ sancti Boneti, præter illa quæ dominus archiepiscopus habet apud allodia & apud
D Bellam-villam ex dicta permutatione. Item apud *Mustier* habeant canonici regulares tredecim sextariatas terræ quæ est retro sanctum Martinum, & vineam Combæ, & vineam planam. Item avancheria, item saliceta omnia, item avancheriam de monte *Poncon*, item quartonem vineæ *de Labalma*, item domum & casale quondam Peletæ, item vineas ultra *Duron* cum nemore, & si quid reperiretur aliud apud insulam, quam superius est expressum, debet dividi inter partes, salvo jure diœcesano. Item habeant canonici regulares quidquid dicta ecclesia sancti Petri habet a Malederia inferius, præter viginti unum sextarios avenæ ad mensuram de Musterio quos tenet decanus de S. . . . . . . & præter decimam *de Mercurie*, & decimam de Paludibus quas Jacobus de Alunda
E tenet. Datum Musterii anno quo supra in crastino Decollationis beati Johannis-Baptistæ. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillo nostro & sigillo Tarentasiensis capituli fecimus sigillari, & venerabilis pater episcopus Herfordiensis ad preces & petitionem partium præsentes litteras sigilli sui munimine roboravit. Ego vero B. imperiali auctoritate notarius quæ supra leguntur rogatus scripsi & publicavi, & meum signum apposui.

Digitized by Google

XXI.

Ex autographo Tarentas. *Bulla Alexandri quarti in qua concedit archiepiscopo Tarentas. quosdam proventus ut possit exequi constructionem ecclesiæ & 12 canonicorum fundationem quam susceperat.*

Circa 1259. ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Tarentasiensi salutem & apostolicam benedictionem. Ex tuæ fidei puritate ac integritate devotionis, quam ad nos & Romanam ecclesiam habere te novimus, promereris ut votis tuis, quatinus cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum igitur, sicut in nostra proposuisti præsentia constitutus, quandam ecclesiam in Tarentasiensi civitate de novo construere desideres & dotare, ac duodenarium canonicorum numerum instituere in eadem, tibique ad hoc apostolicæ sedis subventio sit quamplurimum oportuna, nos tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ ut pro fundanda & dotanda dicta ecclesia de usuris, & rapinis & alias male acquisitis, si quibus hominum restitutio fieri debeat omnino sciri & inveniri non possint, necnon de redemptionibus votorum quæ fuerint auctoritate diocesanorum pontificum commutata, Jerosolymitano duntaxat excepto, usque ad summam ducentarum marcarum argenti recipere valeas, si alias super similium receptione non es a nobis hujusinodi gratiam consecutus, auctoritate præsentium indulgemus, ita quod si aliquando de prædictis ducentis marcis dimiseris, aut restitueris, seu dederis illis a quibus eas acceperis, hujusmodi dimissum, restitutum vel datum, nihil ad liberationem eorum prosit, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ decimo cal. Januarii, pontificatus nostri anno quinto.

XXII.

Transactio inter Rodolfum archiepisc. & Aymonem dominum de Briancone.

1267. NOS Guillelmus Gratianopolitanus & Antelmus Maurianensis episcopi, & Johannes de Castellario arbitri, vel arbitratores, seu amicabiles compositores notum facimus universis præsentes inspecturis, quod cum discordia & querimonia verteretur inter venerabilem patrem Rodulphum Dei gratia Tarentasiæ archiepiscopum & suos ratione seu occasione facti, seu negotii dicti domini archiepiscopi ex una parte, & dominum Aymonem de Aqualalancha, dominum Brianconis, & suos similiter ratione & occasione facti, seu negotii domini Brianconis ex altera; super eo quod dictus dominus Tarentasiensis archiepiscopus dicebat sibi apud Brianconem & sociis suis insidias fuisse positas a familiaribus dicti domini Brianconis, & transitum pariter publicum impedierunt, & per eosdem litteras dicti domini archiepiscopi suo sigillo clausas ipsius nuncio violenter fuisse ablatas, & a dicto domino Brianconis ipsius violando secretum apertas, & per eosdem e familiaribus & venatoribus dicti domini archiepiscopi in ejus injuriam quemdam eorum fuisse ablatum, & super eo quod dictus dominus Brianconis quasdam furcas erexerat in terra dicti domini archiepiscopi, ut dicebat, & pedestribus hominibus fecerat determinari juxta civitatem de Musterio, ubi dictus dominus archiepiscopus merum & mixtum imperium asserit se habere; & super eo quod dictus dominus Brianconis per plures annos non solverat

A censum debitum Tarentasiensi ecclesiæ pro feudo de Bosellis. Item super eo quod dictus dominus Brianconis conquerebatur de domino archiepiscopo, quod familiares ejus in civitate de Musterio abstulerant arma violenter castellano de Briancone & aliis servitoribus suis, eos de dicta civitate turpiter expellentes. Item super eo quod dictus dominus archiepiscopus in quadam compositione quam fecerat cum domino de Briancone super castro prædicto, litteras confirmationis apostolicæ sedis convenerat impetrare, & super eo quod dictus dominus archiepiscopus, ut dicebat dominus Brianconis, ipsum infamaverat in curiis illustrium comitum Sabaudiæ & Burgundiæ de insidiis quibusdam quas dicebat fuisse sibi positas versus Brianconem, quod dictus dominus Brianconis B constanter negabat, asserens super hoc inculpabilem extitisse, & super quibusdam aliis actibus, injuriis, violentiis, damnis, datis hinc & inde, ut dicebat, commissis usque in hodiernam diem. Tandem post multas altercationes de prædictis omnibus in nos tanquam arbitros, arbitratores seu amicabiles compositores ambæ partes, juramentis interpositis, & sub pœna mille librarum Viennens. compromiserunt, sicut in publico instrumento inde confecto per manum Bernardi de Alavardo publici notarii plenius continetur. Nos vero, compromisso in nos recepto, habito super prædictis quæstionibus cum partibus diligenti concertatu, ipsas amicabili compositione in hunc modum duximus terminandas. In primis dicimus, definimus & pronunciamus quod dictus dominus Brianconis de C insidiis, quæ apud Brianconem dicto domino archiepiscopo positæ dicebantur, coram ipso cum septima manu nobilium se purgare debeat penitus infra mensem per pronunciationem nostram & illos & castellanum de Briancone, qui de dictis insidiis suspecti fuerant ad dictum dominum archiepiscopum ratione ejus injuriæ misericorditer fore parcendos, vel si maluerint cum quarta manu suorum consimilium se purgandos. Item dicimus & ordinamus quod prædicti dominus Brianconis & dominus archiepiscopus pro posse cum domino comite Sabaudiæ procurabunt, quod per dominum ballivum Sabaudiæ, vel alium de voluntate dicti domini comitis, & dicti domini archiepiscopi & domini Brianconis fiat inquisitio super quæstione furcarum, in cujus districtu D seu dominio sint positæ, & per antiquos patriæ terminetur, evitantes prædictæ partes ne alter de cætero districtum seu jurisdictionem alterius usurpare præsumat contra consuetudinem regionis. Item dicimus & pronunciamus quod ablata hinc & inde ab hominibus utriusque partis utrique restituantur, si exstant, sin minus eorum æstimatio restituatur, receptis juramentis eorum quibus violentia est illata, inspectis personis & rebus amissis. Item dicimus de Aymone de Bosellis & fratribus suis, qui pro se cum domino Brianconis dicuntur habere guerram, quod per dictum dominum archiepiscopum compellantur stare juri, & si noluerint stare juri, ubi degebant secundum usum regionis in terra dicti domini archiepiscopi nullatenus recipientur. Item pronunciamus & dicimus E quod dictus dominus archiepiscopus litteras confirmationis sedis apostolicæ super compositione quadam inita inter partes pro castro Brianconis. . . . . . & quod dicto domino Brianconis omnes injurias, violentias, commissiones feudorum & offensas alias universas, quæ usque in hodiernum diem dictæ seu factæ & commissæ fuerunt, & rancores ex corde benigno vultu remittat, & etiam familiaribus dicti domini Brianconis. Et versa vice idem faciat idem dictus dominus Brianconis dicto domino archiepiscopo & familiaribus suis, quod in continenti in nostra præsentia factum fuit. Item quod prædictus dominus archiepiscopus in prædictæ confirmationis litteris impetrandis magnas expensas fecisse & labores sustinuisse dicitur, volumus & mandamus quod dictus dominus Brianconis præ-

Digitized by Google

dicto domino archiepiscopo quinquaginta libras Bonor. Viennens. det & solvat terminis infra scriptis, scilicet medietatem. . . . . . . retinemus autem in præsenti compositione & pace quod si ab una vel ab altera parte aliqua ambiguitas seu dubietas super commissionibus personarum vel alias crearetur, quod nos possimus reparare, declarare vel exponere, & quod partes reparationi vel declarationi nostræ obedire teneantur & stare secundum formam & potestatem in compromisso a partibus nobis donato. Hanc autem compositionem & pacem utraque pars coram nobis approbat, homologat & acceptat, renuntiando specialiter exceptionibus doli, metus, &c. Actum in ecclesia de Confleto, die Martis post festum beati Michaëlis, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo septimo. In quorum omnium testimonium & firmitatem nos prædicti arbitri seu arbitratores sigilla nostra una cum sigillis dicti domini Rodulphi archiepiscopi & prædicti domini Brianconis, præsentibus litteris duximus apponenda. Et ego Johannes de Castellario, qui sigillum proprium penes me non habeo, sigillo domini Humberti de Confleto usus sum.

Et ego Mauritius *Mauris* notarius ducalis regius Musterii, præsens instrumentum transactionis a proprio originali extraxi, & de verbo ad verbum levavi ad instantiam & requisitionem illustrissimi & reverendissimi DD. archiepiscopi & comitis Tarentasiæ, sacrique Romani imperii principis, penes quem dictum instrumentum remansit. Confleti, die 17 Novembris 1655. *Signé* MAURIS.

XXIII.

Testamentum Rodulphi archiepiscopi.

1270. IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto idus Aprilis, nos Rodulphus filius quondam domini Willelmi Grossi de Valle-digna, dictus archiepiscopus Tarentasiæ sanus mente & corpore, considerantes. . . . . . . idcirco nos prædictus Rodulphus facimus & ordinamus testamentum nostrum per nuncupationem de bonis nostris patrimonialibus. In primis instituimus nobis hæredem dominum Jacobum nepotem nostrum in domo nostra de Castellario, & in portione nostra nobis debita ratione paternæ hæreditatis, & ex concessione nobis facta a domino Willelmo Grossi quondam fratre nostro, excepta vinea de Escharlo quæ vocatur clausum de Curiis, quam donamus & legamus Petro decano Valeriæ & Willelmo fratri suo nepotibus nostris, & exceptis eleemosynis quas fecimus & donavimus donatione inter vivos ecclesiæ S. Mariæ Augustensi, & capellaniæ de Castellario, & volumus & præcipimus quod quomodocumque ipse dominus Petrus decederet, liberis masculis legitimis non extantibus, quod ipse dicta bona restituet Willelmo fratri suo & nepoti nostro, & ipsum Willelmum substituimus in bonis prædictis domino Jacobo supradicto. Et si dictus Willelmus decederet sine liberis legitimis, substituimus sibi Aymonem filium Gothofredi de Castellione primogenitum, qui etsi sine liberis legitimis procedentibus ex matrimonio decederet, substituimus sibi secundo genitum. Item volumus & præcipimus quod Petrus decanus Valeriæ nepos noster tam in vita nostra quam post vitam regat, custodiat & gubernet dictam domum de Castellario cum portione nostra aliarum rerum & possessionum quamdiu sibi placuerit; & volumus quod omnes homines nostri nobiles & ignobiles ratione patrimonii nostri sibi faciant homagium, & fidelitatem præstent quando ipsos requisierit. Item, instituimus hæredem nostrum Willelmum nepotem nostrum in acquisitis nostris de Intramontibus, scilicet in villam cum hominibus de

A Leiserablo, & burgum de burgo Vanerli in partem quam emimus a filiis quondam D. marchionis de Sarro, ita tamen quod Petrus decanus Valeriæ fructus seu usumfructum habeat prædictarum rerum acquisitarum dum sibi placuerit, nisi prædictas res vellemus in manibus nostris tenere. Et quomodocumque dictus Willelmus sine legitimis liberis masculis decederet, substituimus sibi D. Jacobum fratrem suum: & quomodocumque dictus D. Jacobus sine legitimis liberis masculis decederet, substituimus sibi filium Gothofredi de Castellione primogenitum; & si ipse decederet sine legitimis liberis masculis procedentibus ex matrimonio, substituimus fratrem suum secundo genitum. Item, ordinamus, disponimus & legamus de aliis bonis nostris: primo damus & legamus pro anni-
B versario nostro in tempore obitus nostri in perpetuum annis singulis faciendo, ecclesiæ S. Petri quadraginta solidos fort. annuales ex nunc percipiendos, convocatis canonicis secularibus & clericis totius civitatis, quos affectamus & assignamus super acquisitis quæ fecimus in valle Bosellarum, & habuimus ex quacumque causa bannis, justitiis. . . . . . hominum nobis retentis. Item, damus & legamus ecclesiæ prædictæ pro convivio in festo sancti Jacobi apostoli faciendo annis singulis triginta solidos fort. annuales ex nunc percipiendos, quos assignamus & affectamus super acquisitis quæ fecimus a Reymundo *Cusin* de Bosellis apud campos supra Bosellas vel alibi de acquisimento quod fecimus a dicto Reymundo, bannis, justitiis, dominio cum ligietate hominum nobis
C retentis. Item, damus & legamus ecclesiæ supradictæ unam capellam meliorem quam tempore obitus nostri habebimus, scilicet casulam, tunicam, dalmaticam, cappam & duo bacina argentea pulchriora & meliora quæ obitus nostri tempore habebimus. Item, damus & legamus ecclesiæ sanctæ Mariæ meliorem capellam quam habebimus tempore obitus nostri, & unum calicem meliorem & grossiorem quem habemus, & duo bacina argentea quæ habebimus post illa quæ legamus ecclesiæ S. Petri. Item, damus & legamus ecclesiæ S. Petri alium calicem quem habemus. Item, eligimus sepulturam nostram in domo Carthusiensi, si citra mare decedere nos contingat; si autem ultra mare decedamus, volumus & præcipimus quod aliqua pars corporis nostri ad dictam domum Carthusiensem
D apportetur, cui damus & legamus duo bacina argentea meliora quæ habemus post quatuor quæ legamus ecclesiæ S. Mariæ & ecclesiæ S. Petri. Item, damus & legamus eidem domui Carthus. bibliam nostram glossatam, volumus tamen & præcipimus quod usum dictæ bibliæ habeat Petrus decanus Valeriæ nepos noster; item, volumus quod eidem restituatur quidam parvus liber orationum S. Thomæ quem habemus. Item, damus & legamus eidem domui centum libras Viennens. dividendas inter domos ejusdem ordinis per priorem Carthus. quas volumus & præcipimus solvi super mobilibus nostris quæ habebimus tempore obitus nostri. Item, damus & legamus Rodulpho archidiacono Tarentas. usum alterius bibliæ nostræ parvæ, proprietatem vero legamus ecclesiæ S. Mariæ,
E ita quod canonicus qui vellet studere in theologia usum illius habeat, proprietate semper reservata dictæ ecclesiæ S. Mariæ. Item, damus & legamus eidem Rodulpho omnes libros utriusque juris quos habemus & habebimus tempore obitus nostri. . . . . . . Item, damus & legamus omnes libros nostros sermocinales utrique ecclesiæ communiter, scilicet sanctæ Mariæ & sancti Petri, divisio dictorum librorum fiet per archidiaconum & priorem. Item, damus & legamus domui Repausatorii ordinis Carthus. sex sextaria boni vini & puri super vineis quas acquisivimus a Simone *de Tors*, quæ præcipimus ei solvi in vinea nostra tempore vindemiarum. Item volumus & præcipimus quod domus juxta S. Martinum, quæ fuit quondam Andreæ archidiaconi, citius quam poterit,

Digitized by Google

venundetur, & ex denariis inde habitis emantur triginta solidi fort. annuales quos habeant canonici S. Petri pro anniversario domini Andreæ, & permittimus quod triginta solidi de feudo nostro possint emi. Item sexaginta sex libras Viennens. quarum duas partes debent nobis canonici S. Petri, & aliam tertiam partem canonici S. Mariæ, damus & relinquimus ad meliorandum luminare utriusque ecclesiæ in festis diebus secundum quod visum fuerit executoribus nostris pro rata debiti in dictis ecclesiis convertendum. Item, damus & legamus ecclesiæ Sedunensi viginti solidos Mauriannenses annuales pro anniversario nostro singulis annis faciendo in ecclesia prædicta tempore obitus nostri, quos affectamus & assignamus supra terram nostram de Leysereblo. Item, damus & legamus domui Montis-Jovis decem solidos Viennens. annuales pro una pitancia singulis annis facienda tempore obitus nostri, quos affectamus & assignamus super terram nostram de burgo Varnerii. Item, volumus & præcipimus quod pro decima novalium quas percipit capellanus de Castellario in clauso novo de ruina existente in parrochia de Morjactio, fiat compensatio ecclesiæ de Morjactio de bonis nostris patrimonialibus secundum ordinationem decani Valeriæ & archidiaconi Tarentas. vel alterius eorum si commode non possint ambo interesse, ex nunc faciendam. Item, damus eidem ecclesiæ de Morjactio quinque solidos tempore obitus nostri. Item, damus & legamus ecclesiæ de Castellario decem solidos tempore obitus nostri. Item damus & legamus ecclesiæ S. Marcelli quinque solidos annuales ex nunc percipiendos super acquisitis nostris in mandamento S. Jacobi. Item statuimus & ordinamus unam capellaniam in capella nostra apud Musterium, & servitori dictæ capellæ damus & assignamus perpetuo quatuor libras fort. annuales ex nunc percipiendas super grangeriam nostram apud Naves in grangeria de Confleto; & quando contingeret dictam redimi, ex centum libris inde habitis, quatuor libræ fort. ementur per archidiaconum & priorem Tarentas. ad utilitatem dictæ capellæ & servitoris ejus; dictus vero servitor teneatur servire horis canonicis ecclesiæ S. Petri, & servitor dictæ capellæ instituatur per archiepiscopum qui pro tempore fuerit. Item, volumus quod quando archiepiscopus præsens fuerit, ipse servitor habeat præbendam suam in domo domini archiepiscopi. Item, in honore sancti Jacobi confessoris facimus, constituimus & ordinamus unam perpetuam capellaniam in castro S. Jacobi, & servitori ipsius capellæ assignamus, damus & concedimus ex nunc in perpetuum acquisita quæ fecimus a Petro de S. Jacobo in parrochia de Prato, pro vestitu præbendam quam habet in castro cum alia familia nostra. Nolumus tamen quod per hoc ecclesiæ parrochiali de S. Marcello aliquod præjudicium generetur in oblationibus nec aliis. Item, facimus, statuimus & ordinamus unam capellaniam perpetuam in castro S. Desiderii, & damus & concedimus servitori ipsius capellaniæ perpetuo super acquisitis quæ fecimus in valle S. Desiderii sex libras fort. annuales assignandas per executores nostros, si ante per nos non fuerint assignatæ. Item, damus & legamus domui Columnæ-Jovis viginti solidos fort. annuales super acquisimento nostro *d'Espaneys* in parrochia *d'Intro*. Item, volumus & præcipimus quod cuilibet sacerdotum qui interfuerint anniversario nostro in ecclesia S. Petri, dentur quinque solidi fort. & cuilibet clericorum duodecim denarii, & omnibus pauperibus qui interfuerint fiant dona cum pane & caseo: & hæc fiant de mobilibus nostris. Item damus & legamus ex nunc maladeriæ de Musterio decimam ad nos pertinentem vinearum quas modo tenet. Item, damus & legamus hospitali de Musterio unum sextarium salis perpetuo ex nunc super eminagio nostro de Musterio quod alias extitit datum dicto hospitali per antecessores nostros in recompensationem eminagii nostri, si autem inveniatur plus esse datum per antecessores nostros, illud integraliter damus. Item, damus & legamus maladeriæ de Confleto integram decimam in condamina nostra S. Desiderii juxta grangiam nostram quam ex nunc præcipimus sibi solvi. Hæc omnia ultima voluntas nostra quam volumus valere jure testamenti nuncupativi. . . . . . . Executores autem hujus ultimæ voluntatis facimus, constituimus & eligimus Willelmum de Seyssello nunc priorem Villarii benedicti & D. Pontium priorem Tarentas. D. Petrum de Confleto sacristam sancti Petri; item, Petrum decanum Valer. & Rodulphum archidiaconum Tarentas. nepotes nostros, & D. Rodulphum de Monte canonicum sæcularem Tarentasiæ, & volumus quod omnes simul prædicti, si simul commode possint convenire, hanc nostram ordinationem exequantur; si tamen simul non possent aut nollent dictam ordinationem exequi, saltem tres ex illis possent dictam ordinationem exequi, & omnia ad effectum ducere, nonobstante absentia aliorum. Quantum autem ad executionem ordinationis rerum patrimonialium sufficiat præsentia dictorum Petri decani Valeriæ & Rodulphi archidiaconi, si alii non possint commode interesse. S. Rodulphus archiepiscopus, S. Willelmus de Seyssello, S. Rodulphus archidiaconus, S. Petrus decanus Valeriæ, S. Boso parochus de Ayma, S. Raymundus canonicus Tarentas. S. Willelmus Varini canonicus Augustensis, S. Petrus de Thora canonicus Tarentasiensis.

XXIV.

Dimissio proventuum archiepiscopatus Tarentasiensis facta a comite Sabaudiæ in gratiam Petri electi.

NOS * . . . . Sabaudiæ & Burgundiæ comes notum facimus. . . . . . quod cum nos tene- 1271.
remus ad manum nostram res & bona Tarentasiensi ecclesiæ pertinentes, & pertinentia occasione regaliæ, intellecto & cognito quod Tarentasiæ capitulum concorditer venerabilem virum dominum Petrum de . . . . . . elegerunt sibi in archiepiscopum ecclesiæ memoratæ: nos eidem electo volentes facere gratiam specialem, deliberamus eidem electo omnia bona. . . . Datum apud S. Georgium de Esperanchia, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, die Pentecostes.

* Philippus.

XXV.

Donatio Petri archiepiscopi in gratiam Anselmi sacristæ & canonici.

NOVERINT universi præsentes litteras inspecturi 1283.
seu etiam audituri, quod nos Petrus Dei miseratione Tarentas. archiepiscopus, a septem annis elapsis & plus domum nostram de Prato longinquo cum suis pertinentiis, juribus & rationibus, & animalibus seu bestiis quæ tunc temporis in dicta domo erant, dilecto Anselmo canonico & ad præsens sacristæ Tarentasiensi donavimus seu contulimus, quam donationem eidem in beneficium innovamus, ratificamus & confirmamus. Datum in grangia domus illorum de Alpibus subtus saxum Castellionis retro Cluses, anno Domini 1283, pridie idus Julii cum appositione sigilli nostri.

XXVI.

Compromissum inter Aymonem archiepiscopum & Emericum dominum Briançonis.

ANNO Domini millesimo ducentesimo octuage- 1284.
simo quarto, indictione duodecima, octavo idus Augusti, in præsentia testium subscriptorum Cum inter venerabilem patrem dominum Aymonem Dei gratia Tarentas. archiepiscopum ex una parte, & nobilem

Digitized by Google

nobilem virum dominum Emericum de Aquablancha dominum Brianconis ex altera, quæstiones, querimoniæ & demandæ ad invicem verterentur occasione vel causa juris hereditarii quod unus haberet contra reliquum & damnorum, injuriarum & offensarum datarum & illatarum hinc & inde. Tandem super ipsis damnis, injuriis & offensis hinc & inde datis, factis & illatis, seu jure hereditatis, præfatus dominus archiepiscopus nomine suo & ecclesiæ suæ Tarentas. & suorum omnium, & dictus dominus Emericus nomine suo & nomine domini Johannis decani Herfordiæ fratris sui & suorum hominum consiliariorum & canonicorum omnium in nobiles & discretos viros Thomam filium Humberti de Confleto electum per dictum dominum Emericum, & Bertrandum de Chamisco electum per dictum dominum archiepiscopum, & dominum Hugonem de Mascoto militem, & Hugonem de Monte-majori, iis duobus domino Hugone de Mascoto & Hugone de Monte-majori habentibus vim unicæ personæ, electos communiter ab utraque parte tanquam in arbitros, arbitratores & amicabiles compositores se compromiserunt. Quæstionibus vero feudorum quæ possent fieri ex parte domini archiepiscopi cessantibus, durante compromisso & infra scripta treuga, de quibus dicti arbitri vel arbitratores nullam habent potestatem cognoscendi, scilicet salvæ remaneant domino archiepiscopo supradicto. Dantes. . . . . . plenam potestatem ut super præmissis omnibus possint inquirere veritatem. . . . . Hoc etiam actum est quod si dictus dominus archiepiscopus faysinam fecerit de suis feudis dicto cancellario, quod dictus cancellarius possit fructus. . . . . . colligere. . . . . . nonobstante dicta faysina, quæ omnia supradicta prædictæ partes, videlicet dominus archiepiscopus pro se & suis ut supra, & dictus dominus Emericus pro se & suis acceptantes, ratificantes & confirmantes, pro prædictis omnibus sic attendendis, complendis & faciendis, idem dominus Emericus principaliter & ad mandatum suum & requisitionem ipsius domini Emerici, alter dominus Emericus avunculus suus, Thomas de Confleto, Rudetus de Virgulto, quilibet eorum in solidum, Gontherius Roilliardi in quinquaginta libras Viennens. . . . . Item, & ex parte præfati archiepiscopi, dominus Petrus Rubei. . . . . pro domino archiepiscopo, dominus Theobaldus *de Cors*, dominus Petrus de Viridario milites. . . . . Bruyssonis de Musterio quilibet eorum in solidum fidejussores. . . . & jurati super sanctis evangeliis promiserunt. . . . . . Ad hoc interfuerunt vocati dominus Guido Borardi miles, ballivus Sabaudiæ, Benedictus Aillaudi de Secussia, dominus Pontius prior S. Petri Tarentas. dominus Eymericus de Vialleto canonicus ejusdem loci, Martinus de Castellione castellanus salini.

XXVII.

Statuta Aymonis archiepiscopi pro canonicis secularibus Tarentasiæ.

1294. Nos Aymo miseratione divina Tarentas. archiepiscopus, tenore præsentium notum facimus universis præsentibus & futuris, & maxime quorum interest vel intererit, quod cum inter canonicos seculares Tarentas. quædam modo esset dubitatio, utrum præbenda quam ad præsens tenet venerabilis vir dominus Bertrandus archidiaconus Tarentas. dignitati archidiaconatus sit annexa, & an residentia quadrimestris ad quam quilibet canonicus secularis in ecclesia seculari S. Mariæ de Musterio quolibet anno tenetur, si fructus præbendæ suæ velit percipere, habeatur simul per quatuor menses continuos, an per interstitia temporum, videlicet per menses, per quindenas, vel etiam per hebdomadas, an per dies. Item esset dubitatio quæ præbendæ sacerdotales, quæ diaconales, quæ subdiaconales deberent esse, licet de sacerdotalibus aliquid per bonæ memoriæ quondam reverendum patrem Rodulfum Tarentas. archiepiscopum ordinatum esset, quia in collatione ipsarum de ipsis ordinibus per conferentes ipsas præbendas recipientibus nihil factum, seu dictum fuerat & sic illa ordinatio quodam modo in desuetudinem abiisset, & de aliis ordinibus foret totaliter prætermissum. Item dubitatio esset inter nos & dictos canonicos de bonis ecclesiarum vacantium, in quibus jus patronatus ipsi canonici habent, & de custodia eorumdem, utrum ad nos vel ad illos prædicta, ipsis ecclesiis vacantibus, pertinerent. Nos autem dictus archiepiscopus attendentes quod hujusmodi dubietates & observationes frequenter dissensionem pariant, ipsos canonicos ad diem Sabbati post festum S. Martini ad tollendas dubietates, & ne dicta ecclesia debitis servitoribus fraudaretur, publice . . . . . . coram nobis Musterii citari fecimus, ut cum ipsis de eorum consilio & consensu in præmissis & circa præmissa ordinaremus quæ nobis in posterum viderentur observanda. Unde ipsa die canonici ipsius ecclesiæ, qui voluerunt & potuerunt, interfuerunt coram nobis præsentibus, inter quos fuerunt primo dictus dominus archidiaconus nomine suo & nomine procuratorio domini Johannis de . . . . D. Johannes de Campagniaco, D. Hugo Taurini, D. Johannes de Mascoto, Willelmus sapientis de Confleto, Johannes de Landrea, Petrus de Quejio de quorum consilio & consensu in primis statuimus quod præbenda quam nunc tenet præfatus dominus archidiaconus dignitati archidiaconatus, & ipsa dignitas ipsi præbendæ amodo & in perpetuum sint annexæ, ita ut quicumque ipsam dignitatem deinceps habuerit, eo ipso habeat & præbendam. Item, circa ordines annexos ipsis præbendis eodem modo statuimus, ut nonobstante aliqua ordinatione vel statuto, si quod vel aliquando super hæc quæ secutura, per aliquem prædecessorum nostrorum emanaverit, ut præbenda quam nunc tenet D. Johannes de Mascoto, & quam tenet D. Johannes de Vagniaco, & quam tenet D. Johannes de Campagniaco, & quam tenet D. . . . . amodo & in perpetuum sint sacerdotales & ordini sacerdotali annexæ, & ipse ordo ipsis præbendis deinceps sit annexus. Item, statuimus & ordinamus quod præbenda quam modo tenet dictus D. archidiaconus, & quam tenet D. Aimo de Castellione archidiaconus Augustensis, & quam tenet D. Petrus de Thora, ambo Augustensis diœcesis, & quam tenet D. Hugo Taurini amodo & in perpetuum sint diaconales & diaconatus ordini annexæ, & ipse ordo ipsis præbendis sit annexus. Item, ordinamus & statuimus quod præbenda quam nunc tenet Willelmus Sapientis de Confleto, & quam tenet Johannes de Landrea, & quam tenet Petrus de Quejio, & quam tenet Rondetus *Bruisson* amodo & in perpetuum sint subdiaconales & ordini subdiaconatus annexæ, & eodem modo idem ordo ipsis præbendis sit annexus. Et ne dicta ecclesia sanctæ Mariæ hujusmodi servitoribus de cætero careat, ne sint qui sine honore bona ipsius percipiant statuimus etiam & ordinamus quod quicumque amodo recipietur de novo in canonicum secularem Tarentas. in ipsa receptione jurare debeat quod ad ordinem quem præbenda ad quam recipitur, seu quam ab ipsa receptione habebit secundum quod supradictum est, infra annum se faciet promoveri; alioquin non recipiatur in canonicum, vel si forte, quod absit, receptus fuerit, & ipse noluerit facere quod dictum est, interim amittat fructus præbendæ suæ, nec in choro & in capitulo pro canonico habeatur. Nec alicui deinceps aliqua de dictis præbendis conferatur, nisi tali qui possit & velit ad ordinem præbendæ, quæ sibi confertur, annexum infra annum promoveri, prædictis omnibus in suo robore omnimode duraturis. Item, eodem modo quo supra circa quadrimestrem residentiam

statuimus & ordinamus quod, ut alias statutum est, quilibet canonicus secularis qui fructus præbendæ suæ habere voluerit, per quatuor menses in quolibet anno, qui annus amodo incipiat in octava Natalis Domini, & eodem termino finiatur, residentiam personalem in dicta ecclesia faciat, & in ea horis canonicis, prout decet, debeat interesse. Dictos quatuor menses accipimus, sive eos residendo continue, sive per singulos menses, sive per quindenas, sive per hebdomadas ipse resideat & serviat in ecclesia suprascripta, quibus quatuor mensibus sic acceptis & completis per quemlibet canonicum, per ejus residentiam personalem; residuum autem anni, quod quicumque sic teneatur servire continue per idoneum servitorem: quod si negligens, deficiens vel remissus fuerit circa hæc aliquis de canonicis dictæ ecclesiæ, qui nunc sunt & pro tempore fuerint, fructus illius anni in quo residentiam suam non fecerit, ut supradictum est, non percipiat, & si eos perceperit, restituere teneatur; quod si non restituere vellet procurator dictæ ecclesiæ fructus præbendæ illius canonici percipiat ad opus dictæ ecclesiæ, donec dictus canonicus dictos fructus restituerit integre & perfecte, & nihilominus per nos, vel per archiepiscopum qui pro tempore fuerit, corrigatur, vel etiam inde puniatur ad arbitrium cujuslibet archiepiscopi, si ejus negligentia hoc requirat, potestate tamen correctionis quam archidiaconus Tarentas. in dictos canonicos Tarentas. seculares habet, in suo robore duratura, quam per prædicta nolumus diminuere, nec ei in aliquo derogare. Item, de bonis ecclesiarum vacantium & de custodia ipsarum, in quibus dicti canonici jus patronatus & præsentationem habent, statuimus & ordinamus, in quantum tamen possumus & debemus, quod quotiescumque aliqua ipsarum ecclesiarum vacare contigerit, archidiaconus Tarentas. qui nunc est & pro tempore fuerit, bona ipsius ecclesiæ possit & debeat, ubicumque fuerint & a quocumque illicito detenta, requirere & ea cum ipsa ecclesia futuro successori qui licite & canonice habebit ecclesiam, bene & fideliter custodire, & ea ipsi habenti ecclesiam integre restituere, hoc salvo, quod si pro receptione vel requisitione ipsorum bonorum, supra custodia ecclesiæ ipse archidiaconus, bona fide expensas fecerit congruas, de bonis dictæ ecclesiæ, ipsas posset sibi licite retinere, vel si hoc non potuerit aut noluerit, institutus in ea eas sibi restituere teneatur. Ad cujus rei testimonium nos dictus archiepiscopus sigillum nostrum, & nos dicti canonici sigillum commune canonicorum prædictorum præsenti litteræ duximus apponendum. Datum die quo supra anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

XXVIII.

Aimericus de Briancone hominium præstat archiepisc. Tarentasiensi.

1296. ANNO Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, indictione XIV, quinto idus januarii, præsentibus testibus infra scriptis, nobilis vir & prudens dominus Aimericus de Aquablancha, dominus Brianconis cancellarius Herfordiæ constitutus in præsentia reverendi patris domini Aimonis, miseratione divina Tarentasiensis archiepiscopi, sponte propria & ex certa scientia tanquam in judicio coram me notario infra scripto tanquam coram persona publica recognovit eidem domino archiepiscopo recipienti nomine suo & ecclesiæ suæ Tarentas. ac confessus fuit idem dominus Aimericus ultra sua se debere eidem domino archiepiscopo & ecclesiæ suæ Tarentas. fidelitatem, salva fidelitate tantum illustris domini comitis Sabaudiæ pro feudis. . . . . . Brianconis tenet ab ecclesia Tarentas. & incontinenti eidem domino archiepiscopo præsenti & recipienti nomine quo supra, idem dominus Aimericus fecit fidelitatem annualem

A more solito, salva tamen fidelitate domini comitis supradicti, pro feudis & occasione feudorum, quod Albergum Brianconis tenet & consuetus est tenere ab ecclesia Tarentasiensi. Et promisit eidem domino archiepiscopo præsenti stipulanti & recipienti ut supra fidelis esse perpetuo & ecclesiæ Tarentas. & domino archiepiscopo quicumque pro tempore fuerit in ea. Et ex hoc duo publica instrumenta ejusdem tenoris mihi præcepta fieri fuerunt. Actum Musteril in domo archiepiscopi in Leguncorio ante aulam veterem ubi testes ad hoc interfuerunt D. Theobaldus *de Cors* miles, D. Petrus de Viridario miles, Bertrandus de Canusco canonicus Tarentas. . . . . Rudetus filius Hugonis de Monte-majori. . . . . Et ego Jacobus Pollcti de Consleto public. notar. &c.

B

XXIX.

Comes Sabaudiæ recognoscit se recepisse 1040 libras a Bertrando electo Tarentas. ob vacationem dictæ ecclesiæ.

NOVERINT universi præsentem litteram inspecturi vel audituri quod nos Amedeus comes Sabaudiæ 1297.
habuimus & recepimus in bona pecunia munerata mille quadraginta libras Viennens. a Martino de Castellione Burgensi Saffelli castellano nostro in terra Tarentas. tradente & solvente nobis pro venerabili viro D. Bertrando Dei miseratione Tarentas. ecclesiæ electo. . . . impetratione quos & quam habemus & habere debemus
C in bonis dictæ ecclesiæ propter vacationem dictæ ecclesiæ quæ contigit per mortem venerabilis patris in Christo D. Aimonis quondam Tarentas. archiepiscopi, quæ mille & quadraginta libræ continentur in quadam littera sigillata sigillo dicti domini electi, data die hac infra contenta, pro quibus mille quadraginta libris a nobis ut supra dictum est, pro ipso electo receptis & habitis, eidem electo recipienti nomine suo & dictæ ecclesiæ cedimus, concedimus & quittamus quidquid juris & rationis habemus & habere debemus & videmur in dictis bonis occasione sive causa dictæ vacationis ecclesiæ supradictæ, quæ omnia prædicta pro nobis & successoribus nostris promittimus solemniter dicto electo recipienti ut supra nomine suo & dictæ ecclesiæ rata & firma habere in perpetuum, & non contra facere vel venire. In cujus rei testimonium nostrum sigillum
D præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo septimo die Martis in festo S. Georgii.

XXX.

Compositio inter Bertrandum archiepisc. & Hugonem Delphinum de nundinis S. Maximi Vallis-Luciæ.

NOVERINT universi præsentes litteras inspecturi 1318.
seu etiam audituri, quod cum in villa sancti Maximi Vallis-Luciæ Tarentas. diœcesis, illustris vir D. Hugo delphinus dominus Foucigniaci forum & nundinas ordinasset, & venerabilis vir D. Bertrandus Dei gratia Tarentas. archiepiscopus nomine dicti
E archiepiscopatus diceret & proponeret dictum dominum Foucigniaci sine consensu suo non potuisse dictum forum & nundinas in dicto loco ordinasse, cum dicta villa ad dictum archiepiscopum & archiepiscopatum prædictum jure dominii pertineret ut dicebat, asserendo etiam quod ratione dicti dominii omnes obventiones quæ prætextu dictorum fori & nundinarum dictæ villæ possent evenire ad præfatum dominum archiepiscopum & ejus successores qui pro tempore fuerint in dicto archiepiscopatu deberent pertinere. Verum cum dictus dominus Foucigniaci dictum forum & nundinas in dicta Valle-Luciæ extra dictam villam & ejus territorium posset constituere & ordinare, videlicet nulli proventus & obventiones

ipsorum fori & nundinarum ad præfatum D. archiepiscopum & ejus successores prædicti possent pertinere: sed quia situs dictæ villæ convenientior est & magis opportunus & utilior, multis consideratis, potius quam in alio loco & maxime hominibus dictæ vallis: idcirco inter præfatum D. Foucigniaci ex una parte, & nobilem virum D. Johannem Bertrandi condominum de Brussoliis militem, prædicti archiepiscopatus in temporalibus castellanum & rectorem, de voluntate præfati D. archiepiscopi & successorum suorum prædictorum, & dicti domini Foucigniaci. . . . . In hunc modum qui sequitur convenerunt. In primis quod quilibet præfatorum D. archiepiscopi, & D. Foucigniaci & suorum successorum qui pro tempore fuerint percipiant dimidiam partem omnium obventionum communiter, quæ pretextu Laydæ dicti fori & nundinarum evenient vel evenire possent in futurum una cum dimidia parte obventionum ponderis, ulnagii, pannorum, eminagii bladorum, & locationis sive obventionis banchiarum seu sedilium halæ infra scriptæ ubi nundinæ & forum prædictum tenebuntur. Confitendo dictus dominus Foucigniaci dimidiam partem dictorum fori & nundinarum, & omnium obventionum prædictarum quæ ipsum dominum Foucigniaci contingent in præmissis, se tenere & velle tenere in feudum ab eodem sine homagio. Tamen acto & convento inter prædictos quod in dictis foro & nundinis mensuræ sequentur pro parte præfati D. archiepiscopi & successorum suorum prædictorum si voluerint, hominibus suis ibidem habitantibus & morantibus quoad præsens, & posteritatibus eorumdem, & etiam illis quos in futurum venire & habitare contigerit apud S. Maximum in mansis seu hereditatibus quas ibi possident in præsenti homines infra scripti, videlicet: arbergium Rodulphi Marii, arbergium Jacobi Marii, arbergium Marcheti Baptendiæ, arbergium liberorum Ansermi *Borgz*, arbergium Johannis Garcionis & arbergium liberorum Mermeti Borelli; ita tamen quod dictus D. archiepiscopus non habeat aliquod punimentum in dicta valle nisi in hominibus suis prædictis & quod nullæ fiant ibidem præconisationes nisi per dictum dominum Foucigniaci vel per officiarios suos in nundinis & foro, neque signa mensurarum, nisi prout superius continetur, & quod omnia alia bona & jura pertineant ad dictum dominum Foucigniaci exactis superius nominatis. Acto etiam quod dictus D. archiepiscopus homines suos punire possit cum deliquerint, prout ipsorum culpa exegerit puniendos; ita tamen quod quando casus occurreret, quod aliquis hominum dicti D. archiepisc. deberet ultimum supplicium sustinere, quod in eo casu executio fiat delinquentis extra mandamentum Belli-fortis, & quod omne jus & dominium quod habet & habere posset dictus archiepiscopus in dicta valle & ipsius territorio sit semper salvum eidem, nonobstante quod præfatus D. Foucigniaci dimidiam partem omnium obventionum prædictorum fori & nundinarum dictæ villæ percipere debeat, prout superius extitit actum & conventum, salvis & retentis superius declaratis. Nihil innovantes prædictæ partes, nec volentes innovare ratione præmissorum ex eo quod dominus comes Gebenn. tenet & reputatur tenere in dicta valle a præfato domino archiepiscopo & ejus archiepiscopatu prædicto & successoribus suis qui pro tempore fuerint in eodem. Acto etiam inter prædictos & in partem deducto quod dictus dominus archiepisc. suis expensis in dicta villa assignet locum idoneum per se vel per alium, & sufficientem ad faciendam halam prædicto foro & nundinis tenendis ipsam halam prima vice ædificando & construendo suis ipsius sumptibus & expensis, & postmodum communibus expensis dictorum dominorum dicta hala, manu teneatur & reedificetur in futurum. Item acto & convento inter eos quod prædictus archiepiscopus jus quod habet in Valle-Luciæ non possit alicubi

A transferre modo aliquo, sed semper remanere debeat dicto archiepiscopatui; & si alienabat, quod declaratio ista nulla esset & nullum haberet momentum, & dicta alienatio non valeret. Et hæc omnia & singula prædicta promiserunt dictæ partes nominibus quibus supra sibi ad invicem attendere perpetuo & attendi facere ac inviolabiliter observare. Datum cum appositione sigilli præfati D. Foucigniaci in robur & testimonium omnium præmissorum, die Lunæ ante festum B. Martini hiemalis, anno Domini millesimo tercentesimo decimo octavo apud *Marcossai*. Duplum hujusmodi fuit extractum a proprio originali per me notarium subscriptum de Macognino.

XXXI.

B *Transactio inter Amedeum comitem Sabaudiæ & Johannem archiepiscopum de imperio & jurisdictione utriusque.*

IN nomine Domini. Amen. Anno ejusdem millesimo tercentesimo quinquagesimo octavo, indic- 1358.
tione undecima, die vigesima septima mensis Junii, per præsens publicum instrumentum cunctis appareat evidenter præsentibus & futuris, quod cum litis & discordiæ materia verteretur & esset, & major quotidie speraretur inter Rever. in Christo patrem, & Dom. Johannem Tarentas. archiepiscopum seu castellanos, ac ipsius loci curiales ex una parte, necnon illustrem principem Dom. nostrum Amedeum Sabaud. comitem, seu ballivos castellanos, mistrales & cæteros ipsius officiarios ex altera parte super mero & mixto imperio cum omnimoda jurisdictione foriscetarum seu alienigenarum qui non sunt de toto Sabaudiæ comitatu, vel ejus ressortis feudis, vel retro feudis, quando casus exercitus contingeret in ipsos, videlicet in civitate Musterii & sua parrochia castri S. Jacobi, & parrochia sancti Marcelli, parrochia Montis-Giraudi, parrochia de Prato, parrochia de Alta-curia, loco *de Chentron* cum pertinentiis, parr. Allodiarum, parr. S. Johannis de Perreria, parr. S. Johannis de Bellavilla, excepto villagio Villarii-Lulini quod est totum & in solidum dicti D. comitis, parr. *de Naves*, excepto villagio *de Ronchal* quod est totum & in solidum dicti D. comitis, castro Bosellarum, parr. de Bosellis, parr. de Champagniaco, parr. S. Boni, castro Balliæ, parr. D S. Desiderii & parr. *de Tors*. Item, super captione, detentione simul & commissione papyrorum tabellionum seu notariorum quorumcumque decedentium, sicut evenit in castellaniis, parrochiis, locis & terris prædictis. Item, super bastardis, seu spuriis capellanorum, seu personarum ecclesiasticarum quarumcumque natis & nasciturís, & eorum posteris in futurum ex feminis ecclesiæ. Item, super bonis usurariorum civitatis Musterii. Item, super executione sanguinis fienda vel non fienda per gentes ipsius D. comitis in locis prædictis: parte præfati D. comitis asserente pro vero quod in extraneos prædictos, papyris, bastardis, bonis usurariorum & executione sanguinis & fustigationis jus habet, tam de jure principatus sui, quam suæ superioritatis & ex antiqua consuetudine, E quibus usus fuit tam ipse quam sui prædecessores tam longissimo tempore quod hominum memoria de contrario non existit: parte præfati D. archiepiscopi contrarium opponente, sed pro vero dicente sicut asserit, & ejus gentes quod ad ipsum prædictæ ecclesiæ suæ Tarentas. nomine pertinere noscuntur, sunt & esse debent, tam jure imperialium privilegiorum quam ex antiqua consuetudine, quibus etiam usus fuit per castellanos & familiares suos, sicut asserit, toto tempore quod hominum memoria de contrario non existit, licet per usurpationem contra rationem per officiarios ipsius D. comitis in contrarium quandocumque fuerit attentatum. Post multas igitur altercationes & tractatus multimodos habitos, amicabiliter inter partes tandem

Digitized by Google

A suis spontaneis voluntatibus ad tractatum virorum nobilium, videlicet reverendi in Christo patris & Dom. Johannis electi Yporegiensis comitis, dominorum prioris. . . . . . . præceptoris S. Antonii Camberiaci, Ludovici Ravoiriæ D.* Domessini, Humberti bastardi de Sabaudia, D. Altivillarii & Moletarum, Johannis Ravoisii legum doctoris & militis, D. sancti Mauritii cancellarii Sabaudiæ, Jacobi de Claromonte militis Condom. S. Petri de Souciaco, Hugonis Bernardi utriusque juris professoris & militis, simul & Petri Gerbasii thesaurarii supradicti D. comitis, convenientes inter se mutuis voluntatibus super prædictis & infrascriptis . . . . . ad invicem sicut sequitur, transegerunt. In primis quod ad dictum D. archiepiscopum, dictamque Tarentas. ecclesiam
B pertineat & pertinere debeat pleno jure merum & mixtum imperium, omnimoda jurisdictio ipsumque exercitium in omnes homines utriusque sexus, cujuscumque status & conditionis existant, & posteritates ipsorum natas & nascendas delinquentes vel contrahentes, vel quasi sive sint transeuntes, aberrantes vel undecumque sint vel fuerint oriundi, videlicet in Musterio, castris & locis & suprascriptis parrochiis, exceptis dumtaxat hominibus qui essent oriundi de comitatu Sabaudiæ, seu aliis terris quæ ad dictum D. comitem pertinent ratione jurisdictionis ressorti feudi vel retro feudi, qui non essent homines & justitiabiles ipsius D. archiepiscopi & Tarentas. ecclesiæ, in quibus imperium & jurisdictio prout supra, ad dictum D. comitem & successores ipsius perpetuo remaneant vigore & ex
C causa transactionis præsentis: ita tamen quod dictus D. comes seu ejus officiarii præsentes & futuri dictum D. archiepisc. in jurisdictione & imperio prout supra, ipsorumque exercitio aliarum personarum, quæ non essent de terra dicti D. comitis, feudis, retro feudis vel ressorto, nullatenus habeant impedire, sed eos uti permittant sine contradictione quacumque. In homines autem suos ad eum pertineat merum imperium & jurisdictio prout hactenus consuevit. Item, quod quoties notarios mori continget, qui in territoriis suprascriptis suum domicilium & mansionem haberent, licet in alieno loco profecti forte diem clausissent extremum, ad dictos DD. archiepisc. & comitem seu ipsorum officialem & judicem papyrorum, protocolarum seu cedularum commissio debeat æqualiter per-
D tinere, & commodum quod subsequitur exinde inter ipsos æqualibus portionibus dividetur. Est tamen conventum inter partes prædictas, & in transactione præsenti pariter ordinatum, quod, mortuis notariis supradictis, dictus D. archiepisc. seu ejus officiarii possint, & sibi liceat protocollas, cedulas seu notas sic decedentium notariorum propria auctoritate capere, absque eo quod dictus D. comes, seu ejus officiarii de captione vel custodia dictarum protocolarum, cedularum seu notarum se possint vel debeant intromittere quoquomodo, & ea custodire prout justius & utilius expedire viderint, quo usque per dictos officialem & judicem, seu alios constituendos a dictis DD. archiepisc. & comite potestatem habentes facta fuerit commissio de eisdem, & tunc dictus D. ar-
E chiepisc. seu ejus officiarii dicta protocolla, cedulas seu notas ipsi commissario expedire sine contradictione qualibet teneantur. Item, quod spurii seu bastardi presbyterorum, capellanorum, seu quarumcumque personarum ecclesiasticarum, qui sunt nati vel nascentur in posterum ex bonis fœminis & justitiabilibus ipsius ecclesiæ, prædicto D. archiepiscopo Tarentas. ecclesiæ deinceps pertineant & pertinere debeant pleno jure, sintque ipsius D. archiepisc. homines justitiabiles, ac si forent nati de hominibus justitiabilibus ecclesiæ memoratæ, ut in hoc partus ventris conditionem sequatur, & posteritates ipsorum natæ & nascendæ. Item, quod licet delinquentium & contrahentium infra territoria supradicta, illorum videlicet qui sunt de comitatu Sabaudiæ, feudis, retro feudis & ressorto,

* *f. de Amessini, ut in subscriptionibus.*

A punitio & cognitio per modum infra scriptum ad ipsum D. comitem ex causa transactionis præsentis debeat pertinere, excepto Musterio, in quo loco dicto D. archiepiscopo per modum in præsenti transactione contentum jurisdictio reservatur: nihilominus convenerunt dictæ partes, & transegerunt ut supra, quod dictus D. comes, ejus successores vel officiarii non possint, nec sibi liceat facere exercere per se vel per alium, quavis occasione vel causa qualicumque, licet modicum corporis punimentum, seu pœnam sanguinis, fustigationis, incatenationis *, ligationis, vel quamlibet aliam quæ corpus affliget quoquomodo infra parrochias & territoria supradicta; sed ipse dumtaxat D. archiepiscopus & ejus successores, qui pro tempore fuerint, solus & soli, & in solidum deinceps
B & in perpetuum, dictæ pœnæ sanguinis, cujuscumque generis existat, exercitium & executionem infra loca limitesque & confines supradictos & supradicta ubicumque voluerint, habeant, teneant & libere exerceant quandocumque & quotiescumque casus occurrerit, & contigerit evenire in hominibus in quibus ad eum jurisdictio pertinet, ita quod ipse D. comes per se vel alium deinceps de prædictis, vel aliquo prædictorum se nullatenus intromittat, nec archiepiscopis qui fuerint pro tempore, vel aliis qui ecclesiæ prædictæ Tarentas. nomine prædicta facerent vel exercerent, per se vel alium malitias aliquas inferant vel turbationes aut impedimenta quæcumque, prædicta nullatenus in locis prædictis aliqualiter attentando. Item, quia idem D. archiepiscopus gravem querimo-
C niam deferebat super eo quod castellanus Tarentas. pluries in loco Musterii cridas fieri fecerat, seu præcepta pœnalia quæ pœnam sanguinis continebant, pro casibus pro quibus pœna corporalis infligi de jure vel consuetudine non debebat, videlicet pluribus in loco Musterii habitantibus sub pœna pugni, quod aliqua in quibus domino tenebantur apud Salinum recognituri venirent, extitit in præsenti transactione conventum & pariter declaratum ipsas pœnas seu edicta pœnalia vel præcepta non tenuisse, & ob hoc ipsa præcepta pœnalia tanquam facta contra juris ordinem non valere, nec deinceps per D. comitem, castellanum Tarentas. præsentem vel futurum, seu quemvis alium fieri in istis casibus vel similibus debere. Item, quia apud Musterium dicto D. archiepis-
D copo in omnes habitantes omnis jurisdictio pecuniaria pertinet ab antiquo, dicto vero D. comiti pœna sanguinis in illos videlicet qui sunt sui homines, vel oriundi de terra sibi subjecta ratione dominii, feudi, retro feudi pariter & ressorti, & cum casus delicti contingeret commissi vel committendi per illos in quos ad dictum D. comitem pœna sanguinis pertinet, ad dictum vero archiepiscopum pœna pecuniaria secundum modum superius declaratum. . . . . . . An pœna pro delicto commisso corporalis sanguinis vel pecuniaria imponi deberet, posset in dubium revocari, propter quod ipse & ecclesia reciperet in posterum læsionem, dicti DD. archiepiscopus & comes sic ordinaverunt & composuerunt in transactione præsenti, quod quotiescumque utrum pœna sanguinis
E debeat infligi, an pecuniaria vel civilis per partes sine fraude revocabitur in dubium; tunc ipsius D. archiepiscopi judex vocatis partibus & auditis super illo dubio debeat per sententiam declarare, an pœna debeat esse vel non corporalis: in casu vero dubio supradicto dictus D. archiepisc. seu ejus officiarii possint, & eis liceat ipsummet culpatum capere & auctoritate propria tenere carceribus mancipatum, si hoc exigat qualitas delictorum: cognitio tamen prædicta infra tempus congruum debet esse facta: & si forsan pœnam cognoverit corporalem, tunc per ipsius D. archiepiscopi officiarios castellano Tarentas. ipsum sic culpatum de crimine, inter parrochias Musterii & Salini puniendum remittant. In casu vero quo illum inculpatum de crimine, non debere pœnam

* *forte incarcerationis.*

sanguinis sustinere, rite facta cognitione, declarent, A dictus D. comes vel ejus officiarii in ipso se intromittere non debeant ullo modo, sed eum dicti D. archiepiscopi & officiariorum suorum potestati relinquant. Et idem per omnia in homines habitantes apud Salinum dicti D. archiepiscopi, in quibus ad eum pertinet punitio corporalis, debet observari. Item, cum ad D. comitem bona mobilia usurariorum decedentium apud Musterium, illorum videlicet qui sunt homines sui, ratione jurisdictionis, feudi, retro feudi, vel ressorti sibi subjecti pertineant, ut asserit idem comes vigore consuetudinis generalis, & interdum castellani Tarentasiæ, seu alii dicti D. comitis officiarii ipsam consuetudinem in corruptelam damnabiliter convertant, non usurarios abundantes facultatibus usurarios asserendo, ut possint ab eorum hæredibus commode B extorquere, & quod est deterius, domos infra civitatem prædictam ipsius D. archiepiscopi feudales injuriose rumpendo, bona mobilia interdum palam, quandoque clam & latenter importando in dictæ ecclesiæ grave præjudicium & jacturam; conventum est per partes easdem & ad ipsius ecclesiæ & totius populi conservationem concorditer arrestatum quod quotiescumque de prænominatis aliquem mori contigerit, qui revera usurarios exercuerit contractus, & hoc sine fraude foret notorium & publice manifestum, tunc castellanus, vel alius pro ipso sufficiens officiarius dicti D. archiepiscopi, in introitu domus dicti defuncti secum. . . . . & testibus fide dignis debeat evocare, & confecto inventario de bonis ipsius secundum modum consuetudinis, prout C utilitati dicti D. comitis expedire noverit, ordinare. Si vero per defuncti hæredes ipsum fuisse usurarium negatur, & hæc negatio sine calumnia in dubium revocatur, tunc castellanus Tarentasiæ officiarios dicti D. archiepiscopi vocare debeat, ac ipsius officiariis præsentibus, vel continuenter absentibus, domum defuncti intrare, & cum Notario & testibus fide dignis, de bonis inventarium conficere diligenter, & ipso confecto, de stando cognitioni curiæ dicti D. comitis recipere idoneam cautionem; deinde informationes an fuerit usurarius defunctus vel non, fieri faciat & recipi debite quales juri domini noverit convenire, & ipsas remittat judici Tarentasiæ pro dicto D. comite, vel illi qui pro justitia facienda in Tarentasia præsederit, & ipsius judicis sive præsidentis sententia lata rite & legitime observetur. Antea autem quam per modum D supra scriptum per judicem vel alium potestatem habentem fuerit definitiva sententia promulgata castellanus Tarentas. vel alius dicti D. comitis officiarius quicumque de bonis prædictis se non possit vel debeat intromittere quoquomodo ipsa bona vel ipsorum aliqua capiendo, vel aliter quomodo libet distrahendo. In casibus autem qui non sunt in præsenti transactione comprehensi specialiter, dicti domini archiepiscopus & comes jura quæ habent in illis casibus non expressis de jure vel consuetudine sibi specialiter reservarunt, pro quibus idem D. comes confitetur se habuisse & realiter recepisse a dicto D. archiepiscopo solvente suo & dictæ ecclesiæ suæ Tarentas. nominibus, ex causa compositionis & transactionis præsentis per manum Petri Gerbasii thesaurarii sui E videlicet tria millia florenorum boni auri & ponderis Florentiæ, de quibus tribus millibus floren. ipsum D. archiepisc. & dictam suam ecclesiam Tarentas. & ejus successores in ea ipse dictus D. comes spontaneus & de jure suo certificatus, ut asserit, solvit, liberat penitus atque quittat, pactum validum & expressum faciens de ulterius prædicta florenor. quantitate a dicto D. archiepiscopo vel ejus successore in dicta ecclesia aliquid non petendo. Promittens præfatus D. archiepiscopus positis manibus ad pectus prælatorum more sub bonorum suorum & ecclesiæ suæ prædictæ hypotheca, & idem D. comes bona fide & per juramentum suum ad sancta Dei evangelia

A corporaliter præstitum, &c. renuntiantes, &c. Acta sunt hæc apud Camberiacum, videlicet in castro Camberiaci in Tornella juxta cameram mediocrem dicti castri, ubi ad hæc testes vocati fuerunt & Rogati, videlicet venerabiles domini Bertrandus Bertrandi prior Tarentas. Guillelmus præceptor S. Antonii de Camberiaco, Humbertus Bertrandi canonicus Bisuntinensis & Tur. . . . . nobiles viri Ludovicus Ravoyriæ, D. de Ameissini & Belli-montis, Humbertus Bastardus de Sabaudia, D. Altivillarii & Moletarum, Jacobus de Claro-monte, D. S. Helenæ de Lacu, Johannes Ravaysii, D. S. Mauritii cancellarius Sabaudiæ milites, Hugo Bernardi utriusque juris professor & miles, Johannes Chambrerii canonicus Tarentas. Jacobus Marandi jurisperitus, & Petrus Gerbasii de Bellicio B thesaurarius dom. nostri comitis supradicti. Ego vero Bonifac. de Motta Gratianopol. diœcesis, auctoritate imperiali & dicti D. comitis Sabaudiæ notarius publicus his omnibus ante scriptis interfui, & præsens instrumentum rogatus recepi, ipsum signo meo solito signavi, in eo me subscripsi, levarique feci, & in formam publicam redigi per Andream Bellatruchi de Camberiaco notarium publicum coadjutorem meum vigore generalis commissionis per ipsum D. comitem mihi factæ, tradidi que D. archiepiscopo prædicto.

XXXII.

Alia transactio inter Sabaudiæ ducem ex una parte, & archiepiscopum Tarentas. episcopos Maurienn. Bellicensem & Augustensem ex altera, qua componuntur lites eorum mutuæ. C

IN nomine Domini, Amen. Ad perpetuam rei memoriam cunctis præsentibus & futuris notum fiat instrumenti publici præsentis indagine, quod jam dudum vertentibus mutuis petitionibus & querelis inter reverendissimum reverendosque in Christo patres & dominos dom. miseratione divina Johannem de Bertrandis archiepiscopum Tarentas. Aymonem Gerbasii Maurian. Guillelmum Diderii Bellicens. & Ogerium Augustens. episcopos nominibus suis suarumque ecclesiarum & successorum suorum in eisdem ex una parte, & illustrissimum principem dominum nostrum dom. Amedeum ducem Sabaud. Chablasii & Augustæ, principem marchionem in Italia; comitem Pedemon- D tium, & Getrumensis, Valentinensisque & Diensis, dominum civitatis & districtus Niciæ, nomine suo suorum hæredum & successorum ex altera parte, super eo videlicet quod prædicti domini prælati conquerebantur erga præfatum dominum nostrum ducem, quod castellani & ceteri officiarii ipsius dom. nostri ducis curias ecclesiasticas ipsorum DD. prælatorum, seu officialium suorum impedire satagebant laicos recurrentes ad ipsas curias ecclesiasticas pro causis & casibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus, easdem curias ecclesiasticas adire perturbando, & ipsos laicos inde molestando. Item super eo quod dicti castellani & officiarii prædicti D. nostri ducis bona mobilia usurariorum defunctorum, nulla causæ cognitione ecclesiasticorum judicum præcedente, de facto velut con- E fiscata, seu pertinentia prædicto D. nostro duci vigore consuetudinis per ipsos castellanos & officiarios prætensæ, nomine ipsius dom. nostri ducis, & pro eo per inventarium recolligere & levare præsumpserant quod est & præsumitur in magnum ecclesiastice jurisdictionis præjudicium, ad quam dicti DD. prælati criminis & restitutionis usurarum cognitionem de jure prætendunt pertinere, nec non damna passorum ex ipsis usuris quibus earumdem usurarum extortarum foret restitutio facienda, petentes & requirentes præfati DD. prælati suis & prædictis nominibus per prælibatum D. nostrum ducem sibi & suis ecclesiis super præmissis debite provideri prædictos castellanos & officiarios a præmissis attentatis remediis opportunis com- 1432.

Digitized by Google

pescendo. Quibus quidem petitionibus, querelis & requisitionibus dictorum DD. prælatorum per præfatum D. nostrum ducem benigne receptis mansuete auditis & mature consideratis pro parte ipsius D. nostri ducis eisdem DD. prælatis super ipsis responsum est quod idem D. noster dux non credebat, nec credit curias ecclesiasticas dictorum DD. pælatorum in casibus & causis ad forum ecclesiasticum de jure pertinentibus fuisse per dictos castellanos aut officiarios ipsius D. nostri ducis Sabaud. turbatas vel impeditas, nec umquam voluit seu præcepit idem D. noster dux, quod ipsæ curiæ ecclesiasticæ in suis casibus & causis impedirentur, sed potius conservarentur. Verumtamen potuit contingere quod dicti castellani & officiarii jurisdictionem & jura ipsius D. nostri ducis, prout ad eos spectat, conservare, volentes subditos ejusdem D. nostri ducis, a prosecutionibus causarum suarum mere civilium & profanarum, non ad forum ecclesiasticum sed seculare pertinentium, coram judicibus ecclesiasticis de facto inchoatarum debitis remediis revocarunt, & in hoc nulla turbatio, nullumque impedimentum illata fuerunt curiæ ecclesiasticæ; cum jurisdictio ecclesiastica ad ea quæ sunt jurisdictionis sæcularis non debuerit, nec debite potuerit fimbrias suas extendere, nec causas ad forum seculare pertinentes ad eorum forum ecclesiasticum attrahere. Et insuper ex eadem parte dicti D. nostri ducis pro suorum tam spirituali, quam temporali indemnitate subditorum adversus DD. præfatos prælatos & eorum officiales proponebatur hæc querela; videlicet quod ipsi DD. prælati eorumque officiales subditos ejusdem D. ducis ad ecclesiasticas curias pro causis & casibus ad forum ecclesiasticum pertinentibus recurrentes, multimodis in exercitio jurisdictionis ecclesiasticæ gravare & opprimere consueverant, & precipue in promulgatione nimis facili, & repentina sententiarum excommunicationis & interdicti tam personalis, quam localis, hujuscemodi censuris animas simplicium personarum injuste frequenter laqueando, & ipsas sententias interdum contra personas incertas & innominatas indebite proferendo necnon in ipsarum censurarum processibus plures litteras superfluas emittendo ut puta litteras regravatorias principalis personæ excommunicatæ, deinde litteras monitorias & excommunicatorias participantium cum ipsis excommunicatis, & postmodum litteras trium monitionum successivarum contra castellanos & alios officiarios sæculares, ex quarum decursu causæ frustratoriis dilationibus protelantur scripturisque & sigillis ipsarum litterarum litigantes in dictis curiis ecclesiasticis extorsionibus immoderatis opprimuntur, & nihilominus tunc cedunt interdum dicti DD. prælati seu judices ecclesiastici importune petentibus, & decernunt monitiones generales in casibus manifestis seu probabilibus contra jus & in magnum dispendium animarum. Adversus autem secundam petitionem seu querelam dictorum DD. prælatorum, videlicet de bonis usurariorum defunctorum supra factam, ex parte dicti D. nostri ducis, responsum est quod nullus errat, seu facit injuriam, utendo jure suo. Et quia tam præfatus D. noster dux quam ejus incliti progenitores est & fuerunt in consuetudine vetustissima, usuque & possessione *seu quasi* illibata, continuata & præscripta spatio tanti temporis, quod nulla hominum memoria in contrarium existit, levandi, percipiendi & habendi bona mobilia usurariorum defunctorum in detestationem & pœnam criminis usurarum; licitum fuit & est eidem D. nostro duci & suis prædictis prædecessoribus ipsa bona mobilia usurariorum defunctorum levare & percipere in pœnam prædictam, per quam multi revocati fuerunt & revocantur ab exercitio usurariæ pravitatis sine præjudicio jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ nihilominus suas pœnas canonicas in dictos usurarios potest exercere. Ex quibus causis & rationibus asserebatur pro parte dicti D. nostri ducis, ipsum D. nostrum ducem ad petita per dictos DD. prælatos non teneri; quinimo per eosdem DD. prælatos excessus eorum & suorum officialium circa præmissa debere modificationibus opportunis limitari & restringi. Super quibus quidem exceptionibus & querelis ex parte D. nostri ducis in medium propositis, pro parte dictorum DD. prælatorum extitit replicatum, videlicet quod non credunt se, nec eorum officiales errasse in audiendo & admittendo in foris suis ecclesiasticis causas laïcorum sibi spiritualiter subditorum, aut alias submissorum, etiam sæculares & profanas, nec in hoc jurisdictionem temporalem læsisse; tum ex eo quod ipsi DD. prælati sunt judices ordinarii in suis diœcesibus, tum eo quod ipsi sunt & fuerunt, ut dicunt, in consuetudine antiquissima & quasi possessione legitime præscripta, audiendi & admittendi in curiis suis ecclesiasticis omnes causas, criminales & civiles, etiam sæculares & profanas ad eorum auditoria delatas etiam inter laïcos, tum ex eo quod ipsi DD. prælati dicebant & dicunt hujusmodi consuetudinem per jus scriptum approbari; quare petebant & requirebant prius castellanos & alios officiarios dicti D. nostri ducis a prædictis impedimentis curiarum ecclesiasticarum & levatione dictorum bonorum mobilium usurariorum per dictum nobilem D. nostrum ducem compesci. Pro parte vero ipsius D. nostri ducis replicantis dictam consuetudinem per dictos DD. prelatos allegatam, tanquam juri & rationi repugnantem, sæpiusque juste interruptam non valuisse, nec valere in præjudicium jurisdictionis temporalis. Super quibus fuerit prælocuta & tractata quædam compositio, sive transactio sub certis capitulis, clausulis, articulis, modisque & formis in ea contentis, super qua fuit quædam scriptura per providum virum Nicodum Festi consiliarium & secretar. dicti D. nostri ducis facta & recitata de data currente anno 1430, indictione VIII, die 6 Junii, quæ non fuerit sigillata, licet actum esset expresse quod sigillari deberet sigillis dictarum partium, sed super nonnullorum dictæ propositionis, compositionis, sive transactionis articulorum sive capitulorum intellectu, antequam sigillarentur, varia fuerint mota & orta dubia ex quibus, nisi ad meliorem declarationem eorumdem procederetur, possint in posterum inter officiarios dictarum partium contentiones, discordiæ & debata oriri, contra tamen mentem, intentionem & voluntatem ipsarum partium dictorumque suorum officiariorum concordiam & populi quietem. Inde fuit & est tandem ex præmissis secutum quod anno Dom. Nativit. 1432, indict. X, & die 16 mensis Jan. pontificat. SS. in Christo patris & dom. nostri, D. Eugenii divina providentia papæ IV anno primo, in mei notarii publici & testium infra scriptorum præsentia, personaliter propter hoc constitutæ partes supradictæ videlicet præfati DD. archiepiscopus Tarentas. episcopi quoque Maurian. & Bellicens. nec non venerabilis D. Gerardus Blanorii de Flerico, licentiatus in decretis, canonicus Augustensis, ambassiator & procurator, ut sufficienter edocuit, & nomine procuratorio dicti D. episcopi Augustensis, pro quo etiam ad hoc se fortem facit, & de rato habendo promittit, ex una; & memoratus illustrissimus D. noster dux Sabaud. ex altera partibus: quæ siquidem partes statum pacificum & prosperum utriusque status ecclesiastici & secularis, ut dicebant, singulariter affectantes, & ut auferantur de medio omnia odia, omnisque discordiæ fomes & occasio volentesque & desiderantes omnem dubietatem & ambiguitatem dictorum capitulorum seu articulorum auferre, illaque declarare ad concordiam ipsarum partium, suorumque officiariorum utilitatem & populi quietem: materia tamen hujusmodi prius diligenter advisa & visitata, disputataque & discussa etiam cum libris tam per præfatos DD. prælatos & eorum officiarios, quam per consiliarios præfati D. nostri ducis, interveniente amicabili tractatu multorum RR. PP. DD. prælatorum, magistrorum in sacra pagina, & egregiorum doctorum ac licentiatorum utriusque juris, scienter

& sponte, ut dicebant, suis & prædictis nominibus, de & super omnibus & singulis petitionibus, querelis & dubiis supradictis, ad transactionem, declarationem & compositionem de & super præmissis, nova dicta compositione sive transactione per dictum Nicodum Festi, ut supra rejecta, revocata, annullata & irritata, ac pro infecta habita, & quam volunt per præsentem annullari & annullant, pro infectaque haberi & teneri solemni stipulatione hinc inde interveniente, devenerunt sub modis & capitulis infra scriptis. In primis transigendo declaraverunt dictæ partes casus meros in quibus judices ecclesiastici possunt & ad eos spectat & spectare debebit cognoscere & jus dicere in eorum curiis etiam inter meros laïcos: & primo in causis matrimonialibus quando est quæstio de fide & viribus matrimonii. Item, in causis legitimitatis & illegitimitatis natalium, quando in eis incidit dubium de viribus matrimonii parentum. Item, in causis juris patronatus ecclesiarum seu beneficiorum ecclesiasticorum & piorum locorum. Item, in crimine hæresis, sortilegii, sapiente hæresim & simoniam. Item, in crimine adulterii quando agetur ad separationem thori. Item, in causis usurariæ pravitatis, quando est quæstio super jure an contractus de quo constat, sit involutus malitia usurarum, & etiam in punitione ipsius criminis usurarum pœnis juris canonici, quarum infligendarum non est capax jurisdictio sæcularis. Item, in causis decimarum jure divino vel canonico institutarum, quando est quæstio de jure decimandi, secundum tamen dispositionem juris communis. Item, in causis primitiarum, obligationum & funeralium. Item, in causis perjurii, ad cognoscendum an juramentum sit licitum vel illicitum. Item, in causis sacrilegii, quando quæstio vertitur an sit sacrilegium vel non. Item, in causis feudalibus de feudis ab ecclesia moventibus, quando est quæstio de feudis ecclesiæ super proprietate sive petitione inter duos feudatarios dictorum DD. prælatorum transigentium, aut alterius eorumdem, quorum uterque confitetur & recognoscit feudum esse ecclesiæ, & etiam in aliis casibus ubi DD. prælati prædicti essent judices rei conventi in temporalitate sive sæcularitate. Item, in omnibus causis mixtis ubi jurisdictio esset specialiter per judicem sæcularem præventa, cognitio omnimoda & in solidum ad judicem sæcularem spectet, nisi in criminalibus causis, in quibus processus unius curiarum prædictarum non impediat processum alterius. Item, generaliter in omnibus causis & casibus de quibus curia sæcularis non potest reddere jus. Item, declaraverunt dictæ partes casus mixtos inter curiam ecclesiasticam & sæcularem: & primo in causis usurariæ pravitatis quando agitur ad repetitionem usurarum, nec est quæstio inter partes an sit usura quod petitur, vel non. Item, in causis decimarum quando non est quæstio de jure decimandi. Item, in causis dotalibus, in casibus tamen in quibus de jure spectat ecclesiæ cognoscere de eis quando dos petitur, vel repetitur. Item, in causis ultimarum voluntatum secundum quod jus commune disponit & in illis casibus. Item, in omnibus causis & casibus civilibus in quibus reperiretur conventus se submisisse ecclesiasticæ jurisdictioni, exceptis casibus in quibus de jure communi scripto non admittitur seu prohibetur submissio, & admittatur pœnitentia ante litem contestatam in casibus in quibus de jure communi est admittenda. Item, in omnibus causis civilibus in quibus ecclesiastici judicis jurisdictio per reum prorogaretur, videlicet per spontaneam confessionem seu per formalem litis contestationem, exceptis casibus in quibus jure communi scripto non admittitur sed prohibetur prorogatio. Item, in omnibus casibus in quibus procederetur super observatione pacti jurati contra jurantem & non ejus successorem. Item, in causis reconventionum ubi reconventio fieret ante litem contestatam, vel statim & incontinenti post. Item, in communibus mixtis ut perjurii & sacrilegii quando

A non ageretur an juramentum sit licitum vel ne, vel an sacrilegium vel ne, sortilegii quando non sapit hæresim, pacis fractæ, & blasphemiæ Dei & sanctorum. Item, in crimine adulterii, scilicet quoad ecclesiam quando non ageretur ad thori separationem, quod per censuram ecclesiasticam amoveri & compelli possint tales adulteri ut desistant a peccato. Item, in causis viduarum, pupillorum & miserabilium personarum hominumque & rusticarum ecclesiarum, quando procederetur super violentia, injuria vel oppressione, & ut tales deffendantur & protegantur ab oppressionibus illicitis, secundum tamen denunciationem juris communis, cui constari debeat. Item, in omnibus causis & casibus in quibus haberetur recursus ad judicem ecclesiasticum propter negligentiam vel defectum B judicis secularis, videlicet quando talis negligentia vel defectus non suppleretur per superiores judices seculares vel quando ad ipsos non potest haberi aditus vel recursus ad quos gradatim recurri debeat. Item, fuit declaratum inter dictas partes & conventum quod nullus etiam laïcus possit seu debeat impediri per curiam secularem in impetrando a judice ecclesiastico & exequendo contra laïcum citationem etiam causa speciali in ea non expressa: in casibus tamen ad ecclesiasticum forum tam de jure communi quam vigore transactionis præsentis pertinentibus. Item, quod non impediatur curia ecclesiastica per curiam sæcularem in citando & compellendo laïcos in ipsa curia ecclesiastica testimonium veritatis perhibere cum fiet vel exigetur fieri in curia ecclesiastica de aliquo facto, negotio, vel C crimine ad ipsam curiam pertinente, de quibus ibidem ageretur informatio vel inquisitio veritatis. Item, quod si a laïco convento coram judice ecclesiastico per quemcunque petatur manifestatio seu recognitio feudi, vel rei emphiteoticæ aut alterius rei cujus directum dominium ad petentem spectat seu spectare asseritur, & talis conventus petat se ad judicem secularem remitti, judex ecclesiasticus talem remittere non teneatur, & eidem servetur, si petatur recognosci census alias quam ratione directi dominii, exceptis causis recognitionum seu manifestationum de feudis nobilibus pro quibus non debetur tributum seu servitium annuum, in quibus fiet remissio quando per reum petetur. Item, in quacunque actione vel causa reali, personali seu mixta, non tamen cessa, mota vel quæ moveretur in posterum coram ecclesiastico judice contra laïcum per D quemcunque beneficiatum, aut alium in sacro ordine constitutum, vel aliam quamcunque personam ecclesiasticam, seu clericum solutum, qui tamen sit ad divina servienda deputatus, publiceque & manifeste serviat; judex ecclesiasticus hujusmodi remissionem facere ad judicem temporalem, etiamsi petatur, nullatenus teneatur. Idem servetur in actionibus realibus super mobilibus rebus summam decem floren. parvi ponderis non excedentibus, & in actionibus personalibus dictam summam floren. parvi ponderis non excedentibus. In omnibus vero actionibus personalibus prædictam summam excedentibus, si remissio petatur per laïcum fieri a judice ecclesiastico, ipse judex ecclesiasticus causam ipsam & remitti petentem ad judicem E secularem remittere debeat & teneatur cum expensarum condemnatione. Et insuper in cæteris actionibus realibus, personalibus, mixtis & interdictis, si & quando per laïcum remissio a judice ecclesiastico ad secularem fieri petatur, judex ecclesiasticus statim talem causam & petentem ad judicem secularem similiter cum expensorum condemnatione remittere debeat & teneatur, alioquin litem suam faciat & quidquid exinde fiet per eum sit irritum & inane ipso jure. Item, fuit inter dictas partes declaratum & conventum generaliter quod non impediatur introductio ecclesiastica per judices seu officiarios seculares in omnibus aliis causis & casibus, si qui sint de jure communi scripto ad forum ecclesiasticum pertinentes, & pari modo non impediatur curia secularis per dictos DD. prælatos

Digitized by Google

eorumque officiales aut alios judices seu officiales ecclesiasticos in aliis casibus ad forum seculare spectantibus. Postmodum super emanationibus & executionibus litterarum censuræ ecclesiasticæ fuit inter dictas partes transigendo declaratum & conventum ut sequitur. Et primo quod in curia ecclesiastica pro prima contumacia nullus excommunicetur vel interdicatur, sed contumax reputetur & condemnetur in expensis partis actricis, & iterum citetur peremptorie & præcise, & si tum secundo fuerit contumax, excommunicetur; & si hujus modi sententiam excommunicationis sustinuerit per viginti dies, lapsis ipsis viginti diebus per aliam litteram aggravetur idem excommunicatus, & in eadem littera castellanus seu officiarius secularis, ac idem excommunicatus & aggravatus .... moneatur ad compellendum ipsum excommunicatum B redire ecclesiasticæ unitati, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, termino viginti dierum eidem castellano seu officiario seculari in dicta monitione præfixo, infra quem terminum viginti dierum dictæ monitionis, si dictus castellanus seu officiarius secularis monitus eidem monitioni non paruerit; tunc lapso dicto termino decernantur & fiant per judicem ecclesiasticum litteræ aggravatoriæ contra ipsum castellanum seu officiarium cum comminatione de apponendo in loco sui officii interdicto ecclesiastico, si forsan sententiam prædictam excommunicationis sustinuerit per decem dies ex tunc immediate sequentes, nisi idem castellanus vel officiarius legitimam excusationem habeat propter quam dictæ monitioni parere non possit, puta quia prædictus subditus suus non C residet excommunicatus in ejus castellania seu potestate, ut personam ipsius excommunicati apprehendere possit, nec habet idem excommunicatus bona in eadem castellania, quam quidem excusationem facere debeat dictus castellanus seu officiarius quando monebitur, vel saltem ante litteras aggravatorias contra ipsum emanatas, curato seu vicario parrochialis ecclesiæ loci dicti castellani seu officiarii, qui dictas litteras monitorias contra ipsum castellanum seu officiarium exequetur, & tunc dictus curatus seu vicarius hujus modi excusationem castellani seu officiarii moniti in dorso litterarum prædictarum aggravatoriarum loco executionis rescribere teneatur. Quæ si vera fuisse & esse judici ecclesiastico appareant, contra dictum castellanum seu officiarium dictus judex ecclesiasticus ex causa præmissa ulterius non procedat. D Si vero hujus modi excusationem castellani vel officiarii non esse veram dicto judici ecclesiastico constiterit per summariam informationem, parte etiam non vocata factam, aut alio quovis modo, tunc contra ipsum castellanum seu officiarium idem judex ecclesiasticus procedere valeat & debeat etiam usque ad executionem ecclesiastici interdicti inclusive, lapsis tamen prius viginti diebus a fine trium litterarum prædictarum aggravatoriarum contra dictum castellanum seu officiarium emanatarum, computandis. Item, quod non decernatur, nec fiat in curia ecclesiastica monitio præcisa pro promissione jurata per publicum instrumentum vel alias, sed fiat ipsa monitio cum assignatione diei; & si die assignata pars monita non compareat, tunc concedatur & fiat contra E dictum contumacem monitio præcisa ad solvendum ad certum terminum; qui si non pareat dictæ monitioni præcisæ, excommunicetur, deinde aggravetur, & in eadem littera aggravatoria moneatur castellanus seu officiarius, & exinde procedatur ordine supradicto. Item, quod deinceps non concedantur, nec fiant ad cujuscumque instantiam vel requæstam per judices ecclesiasticos monitiones generales, nisi de & super rebus clam substractis vel retentis damnum dantibus, vel offensis occultis quæ probari non possunt. Item, quod per judices ecclesiasticos non decernantur nec proferantur sententiæ excommunicationis vel interdicti contra personas incertas & innominatas, & si

A forsan de facto decernerentur, nullæ sint, nulliusque efficaciæ prædictæ sententiæ, nec etiam contra pupillos; sed teneantur curati seu vicarii ad quos ipsæ litteræ excommunicatoriæ vel interdictoriæ contra dictos pupillos delatæ fuerint exequendæ, referre seu scribere a dorso earumdem litterarum judici ecclesiastico a quo fuerint emanatæ, quod tales sunt pupilli, ut actores prosequantur jura sua contra tutores ipsorum pupillorum, si habeant, & si non habeant tutores, procurent eisdem de tutoribus provideri. Item, quod castellani & alii officiarii præfati D. nostri ducis moniti ut supra per judices ecclesiasticos prompte & diligenter pareant & obediant prædictis monitionibus ecclesiasticis, & omnia & singula capitula prædicta, quantum eorum officia concernunt, inviolabiliter B observent & observare teneantur; & si forsan ex contemptu vel non observantia ipsarum monitionum ecclesiasticarum sententiam excommunicationis incurrerent, & eam per octo dies sustinuerint, pœnam sexaginta solidorum fortium pro qualibet die, qua hujus modi excommunicationis sententiam sustinere præsumpserint, solvant, fisco præfati D. nostri ducis, nulla gratia seu remissione inde fieri speranda applicandam. Circa vero articulum supradictum de bonis usurariorum christianorum defunctorum exstitit inter prædictas partes declaratum & concordatum ut sequitur; videlicet quod de cætero in posterum bona mobilia alicujus decedentis existentia, aut bona habentis de & in civitatibus seu diœcesibus dictorum DD. prælatorum transigentium, prætextu, occasione seu C colore usurariæ pravitatis per castellanos vel alios officiarios ipsius D. nostri ducis aut aliquem eorum non capiantur seu ad manum ejusdem D. nostri ducis ponantur, nec inventarisentur, aut quovis modo hæredes vel successores hujus modi defuncti in illis bonis mobilibus turbentur vel molestentur, nisi idem defunctus tempore suæ vitæ fuerit seu esset usurarius publicus seu manifestus, aut alias de crimine usurarum apud bonos & graves foret publice diffamatus; & tunc videlicet constito de manifesta vel publica diffamatione apud bonos & graves contra ipsum defunctum de & super ipso crimine usurarum occurrente, licitum sit fieri inventarium de bonis mobilibus ipsius defuncti in integrum, ne quid ex ipsis bonis occultari vel substrahi valeat; ipso videlicet modo, quod si officialis D. episcopi ordinarii loci sit in loco domicilii D talis defuncti usurarii, tunc per ipsum officialem aut alium ab eo deputatum, nec non & per castellanum loci seu procuratorem præfati D. nostri ducis communiter, ipsum inventarium, præsentibus tamen tribus probis & honestis viris ejusdem loci una cum publico notario qui inde conficiet publicum instrumentum. . . . . Si vero officialis D. ordinarii loci vel alius per eum subrogatus in prædicto loco non fuerit, tunc hujus modi inventarium fiat per curatum seu vicarium parrochialis ecclesiæ ejusdem loci, & prædictum castellanum seu procuratorem prædicti D. nostri ducis per modum supradictum. Et completo inventario, dicta bona mobilia inventorisata remaneant & reponantur in domo ipsius defuncti sub fideli custodia & periculo hæredum & successorum ipsius defuncti, donec fuerit cognitum per judicem ecclesiasticum ordinarium loci, vocato & E præsente castellano seu procuratore præfati D. nostri ducis in ipsa examinatione & cognitione causæ, an ipse defunctus fuerit usurarius necne: ubi non confiterentur hæredes seu successores ipsius defuncti, sed potius negarent ipsum defunctum fuisse usurarium, videlicet quando est quæstio super jure an contractus de quibus constat sint involuti malitia usurarum; alias autem quando est quæstio super facto, donec fuerit cognitum per judicem ecclesiasticum & judicem secularem D. nostri ducis loci ubi de hoc disceptaretur, & cognitum fuerit quod ipse defunctus fuerit usurarius; vel hoc confitebuntur vel non negabunt dicti

dicti hæredes vel successores: tunc fiat proclamatio publica in loco domicilii dicti defuncti & aliis locis vicinis opportunis per dictos officialem & castellanum; & quicumque prætendens usuras receptas vel extortas ab eo per dictum defunctum usurarium, & illas repetere intendens, veniat & compareat peremptorie & præcise coram officiali seu judice ecclesiastico ordinario loci, nec non castellano seu officiario præfati D. nostri ducis, qui ad hoc deputatus fuerit infra mensem vel alium certum terminum per dictum judicem ecclesiasticum de consensu dictorum castellani seu procuratoris sibi præfigendum, jus suum quod prætendit in hac parte prosecuturus; ultra quem non comparens nullatenus audiatur, & ad satisfaciendum eis a quibus defunctum usuras extorsisse probatum fuerit, primo cedant & distrahantur bona ipsius defuncti usurarii de quibus prædictum castellanum seu procuratorem D. nostri ducis magis expedire videbitur, & de illis fiat restitutio & satisfactio usurarum extortarum repetentibus, videlicet illis a quibus defunctum usuras extorsisse certum fuerit: & de incertis, facta inquisitione per judicem ecclesiasticum, vocato & præsente consentienteque & simul veritatem inquirente dicto castellano seu procuratore præfati D. nostri ducis . . . . per libros rationum defuncti prædicti, vel aliter per instrumenta contractum, aut per testes idoneos seu alias legitime prout inde veritas melius haberi poterit, fiat distributio per dictum officialem seu judicem ecclesiasticum, vocato & præsente castellano seu procuratore dicti D. nostri ducis ad hoc deputato, de dictis bonis defuncti, de quibus, ut præfertur, videbitur eidem castellano & procuratori D. nostri ducis melius expedire in pios usus in patria dicti D. nostri ducis, prout secundum Deum & eorum discretionem melius fieri poterit & debebit. Factis vero & completis restitutione & distributione præmissis, de toto eo quod superetit ex ipsis bonis dicti defuncti, vel si in termino designato nullus comparuerit usurarum repetitor, ex tunc officialis seu judex, vel quicumque officiarius ecclesiasticus de ipsis bonis defuncti nullatenus se debeat nec valeat immiscere, nec dominum impediat in quocumque. De bonis autem mobilibus defunctorum clericorum in sacro ordine videlicet subdiaconatu & supra constitutorum, vel aliorum personarum quarumcumque religiosarum, ecclesiasticarum, seu clericorum solutorum qui sint ad serviendum in divinis deputati, & serviunt publice & manifeste, qui vel quæ dicerentur usuras in vita eorum exercuisse, præfatus D. noster dux aut ejus castellani seu officiarii, occasione seu prætextu usurariæ pravitatis, seu prædictæ consuetudinis, vel alias usuræ ratione, deinceps se nullo modo intromittant, nec ipsa bona ad manus ejusdem D. nostri ducis reponant, sed ipsum casum cognitioni & ordinationi judicum ecclesiasticorum penitus relinquant, nisi quatenus ab ipsis judicibus ecclesiasticis, vel commissariis per eos ad hoc deputatis contingeret eorum auxilium invocari; & nisi ubi hæredes defuncti essent laïci, & fieret repetitio usurarum solutarum per eum qui diceret se usuras hujusmodi persolvisse defuncto, quo casu possit judex secularis, si coram eo repetitio hujusmodi fiat, de hac causa cognoscere secundum determinationem præsentis transactionis. Item, fuit ulterius actum, transactum, concordatum & declaratum quod dictus D. noster dux promittit & jurat pro se & suis hæredibus & successoribus universis, & occasione alicujus statuti, conventionis aut dispositionis alterius cujuscumque facti aut factæ per eum vel ejus prædecessores, seu fiendi aut fiendæ per eum vel ejus successores, vel alios quoscumque, ratione, occasione sive causa, non faciet neque facient aliquid per se vel eorum officiarios, seu gentes directe vel indirecte, tacite vel expresse, quod sit in posterum contra præsentem transactionem, vel per quod ei derogetur, vel in

A aliquo fiat præjudicium. Et si forsan, quod absit, contrarium fieret, illud & illa vult, intendit & decernit D. noster dux ex nunc prout ex tunc, & e converso pro infectis haberi. Et eodem modo faciunt & promittunt prædicti DD. prælati contrahentes. Item, declarando idem D. noster dux protestatur expresse quod non intendit de cætero aliquos alios prælatos admittere adhærere volentes, nec in prædicta transactione & declaratione comprehendi, quinimo de contrario protestatur. Quæ omnia & singula supra & infra in præsenti publico instrumento comprehensa, declarata & conventa inter dictas partes, suis & prædictis nominibus, & eorum quilibet, prout eum tangit, juramentis suis tactis evangeliis sanctis, in manu mei notarii publici infra scripti, more publicæ per-
B sonæ stipulantis & recipientis vice, nomine omnium & singulorum, quorum interest & interesse poterit quomodolibet in futurum, nec non sub expressa obligatione omnium & singulorum bonorum ipsarum partium præsentium & futurorum quorumcumque expresse promiserunt mutuis stipulationibus intervenientibus, rata, grata & perpetuo firma habere, tenere & inviolabiliter observare, nec ex aliqua causa quidquam contra facere, dicere, statuere, præcipere, mandare, nec in contrarium directe vel indirecte, publice vel occulte quomodolibet venire, seu quomodocunque attentare. Renunciantes ipsæ partes . . . . de quibus omnibus & singulis dictæ partes voluerunt, mandaverunt & rogaverunt fieri tot publica instrumenta, quot ipsæ partes habere
C voluerint, & eadem in forma publica per me eumdem notarium infra scriptum sibi expediri sigillis ipsorum dominorum contrahentium, in fidem & majus robur præmissorum sigillanda. Acta, data & propalata fuerunt præmissa in castro Thononi diœcesi. Geben. prædictis anno Domini millesimo quater centesimo trigesimo secundo, indictione decima, & die decima sexta Januarii, præsentibus illustri ipsius D. nostri ducis primogenito Ludovico de Sabaudia comite Gebennensi, nec non reverendo in Christo patre Francisco de Cresco abbate Filiaci, ac etiam spectabilibus, egregiis & nobilibus viris dominis Johanne de Belloforti cancellario Sabaudiæ, Johanne de Monte-Lupello dom. Chontagniæ, Amedeo *de Chalant* dom. Vareti, Henrico de Collomberio dom. de Vufleriis,
D Johanne de Compesio dom. Grusiaci militibus, Urbano Ceriserii, Francisco de Thomatis, Antonio Gallioni, Rodulpho de Tesigniaco judice Gebennensi, Jacobo Orioli judice Bressiæ, Johanne *Odinet* judice Chablasii, legum doctoribus, Roberto de Monte-Vagnardo, Petro de Grolea scutiferis, Petro Carterii ducali procuratore fiscali, & pluribus aliis testibus ad præmissa astantibus. Et ego Guillelmus Bolomerii de Poncino, diœcesi. Lugdunensis publicus imperialis notarius, suprascripti D. nostri ducis Sabaud. secretarius præmissæ transactioni, &c. . . . . Amedeus dux Sabaudiæ, &c. Dilectis consiliis nobiscum & Camberiaci residentibus, præsidentique & magistris computorum nostrorum, etiam thesaurario Sabaudiæ, nec non universis & singulis ballivis, judicibus, pro-
E curatoribus, castellanis, commissariis, cæterisque officiariis, fidelibus nostris & subditis modernis & posteris ubilibet constitutis, ad quos præsentes pervenerint, seu ipsorum vices gerentibus, salutem. Viso instrumento superius descripto transactionis per nos . . . . cum reverendis in Christo patribus archiepiscopo Tarentas. compatre, episcopis Maurianensi, Bellicensi & Augustensi consiliariis nostris carissimis. Procerum & peritorum tam circonspecta deliberatione . . . . sed nolentes, sicut nec licet quæ . . . . & labiis nostris prodierint jurata facere, sed potius, prout nostri præsidii decus deposcit, illibata servare. Vobis & vestrum singulis sub nostræ benevolentiæ obtentu, ballivis vero judicibus & aliis inferioribus sub pœna viginti quinque

librarum fortium per eorum quemlibet, quoties contra fecerit, committenda & nostro fiscali ærario irremissibiliter applicanda, districte committimus & mandamus, quatenus a modo in antea memoratam transactionem in omnibus suis clausulis & capitulis, quoties & quandocumque se casus ingesserint, cum prænominatis DD. prælatis ipsorumque officialibus mutuo practicetis, teneatis & observetis, & inconcusse observare faciatis, quibuscumque exceptionibus rejectis, nihil adversum attentando, in quantum pœnis prædictis vos affligi formidetis: sic etiam in præmissis vos habendo, ut transactio ipsa inter nos & nostros, ipsosque DD. prælatos & suos semper in viridi observantia manens, incommutabili utriusque partium patrocinio prorsus censeri debeat illæsa. Datum Thononii die sexdecima Januarii, anno Domini millesimo quater centes. trigesimo secundo, per dominum, præsentibus, &c. *Signé* *BOLOMIER*.

Johannes de Bertrandis miseratione divina archiepiscopus Tarentas. & comes, Aymo Gerbasii Maurianensis, Guillelmus Diderii Bellicensis & Ogerius Augustens. eadem misericordia episcopi, dilectis nobis in Christo vicariis, officialibus, procuratoribus, aliisque officiariis nostris ac nostrarum curiarum juratis præsentibus & futuris, nec non capitulis, prioribus, conventibus, ecclesiarum parrochialium rectoribus ac vicariis perpetuis, cæterisque beneficiatis, capellanis, tabellionibus & clericis per civitates & diœceses nostras ubilibet constitutis salutem. Cum die datæ præsentium ad laudem Dei, utriusque status ecclesiastici & sæcularis pacificationem, ac populi quietem, inter illustrissimum principem dominum nostrum D. Amedeum Sabaudiæ ducem ex una, & nos partibus ex altera, certa inita, facta & formata fuerit transactio in instrumento supra scripto contenta, quamquidem transactionem pro nobis & successoribus nostris cum juramento illibatam servare promisimus: idcirco vobis ac vestrûm singulis sub nostræ indignationis & viginti quinque librarum fortium pœna per vestrum quemlibet, quoties contra fecerit, committenda, & nobis, prout ad quemlibet nostrûm spectabit, irremissibiliter applicanda, districte præcipimus, &c. *ut in precedenti declaratione*. Datum . . . . per præfatos dominos archiepiscopos Tarentas. episcoposque Maurian. & Bellicens. ibidem personaliter astantes, nec non D. episcopum Augustensem licet absentem, per interpositionem dicti venerab. D. Girardi Blanorii ejus procuratoris peragentis, ejusque sigillum ad hoc deferentis. *Signé* GONTERIUS DE SUBVIA.

Hæc acta visa sunt & recognita anno 1449 a Francisco *de la Flechere* juris utriusque doctore, priore sanctæ Helenæ in diœcesi Augustensi & vicario generali Johannis de Arciis archiepiscopi Tarentas. cardinalis titulo S. Stephani in Monte-cœlio, qui id postulavit litteris datis Musterii in domo archiepiscopali die 7 Januarii, transumptum seu descriptionem ad instrumentum archetypum collatam scribentibus & mittentibus rogatu ejusdem archiepiscopi cardinalis, notariis publicis Petro Rollierii, Johanne Seytoris & Lanceloto de Arceriis: atque etiam confirmata fuit præsens transactio Taurini 24 Octobris 1494 ab Yolande ducissa Sabaudiæ.

XXXIII.

Bulla Sixti IV in gratiam Christophori archiepiscopi.

SIXTUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Christophoro electo Tarentasiensi salutem & apostolicam benedictionem. Exigunt tuæ devotionis merita & grata per te nobis & Romanæ ecclesiæ impensa hactenus obsequia, ut personam tuam singularibus favoribus prosequendo, illam tibi gratiam propensius concedamus per quam te valeas aliis reddere pretiosum. Hinc est quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, discretionique omnia & singula beneficia ecclesiastica, cum cura & sine cura, secularia & quorumcumque ordinum regularia, etiamsi canonicatus & præbendæ, dignitates & personatus, administrationes vel officia fuerint, ad tuam dumtaxat..... tibi soli & ad tuam ac dilectorum filiorum capituli Tarentasiæ conjunctim collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentia, quæcunque, quodcunque & qualiacunque fuerint, quæ usque quoad vixeris, in singulis Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris & Decembris mensibus quomodocunque vacare contigerit, dummodo dispositioni apostolicæ generaliter reservata non fuerint, etiamsi præsentationes, nominationes vel electiones aliorum ad illa, quæ salvæ sint in talibus, precedere consuieverit, cum ipsis, capitulo libere conferendi & de illis etiam providendi proinde ac si a sede apostolica vel ejus legatis expectativæ gratiæ, aut super illis reservationes nullatenus emanassent, vel in posterum emanarent, plenam & liberam auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus facultatem: ita tamen quod alia, quam prælatis & aliis personis in certis mensibus tunc expressis generaliter concessimus, facultate, deinceps tu & capitulum præfatum eisdem collationibus non utamini; irritum quoque decernimus & inane si secus super his a quoque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, undecimo kalendas Januarii, pontificatus nostri anno secundo. Gratis de mandato domini papæ. L. Griffus & H. de Albisis. 1473.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ SEDUNENSIS.

I.

Ex autographo tabularii Agaunensis.

Acta concilii Agaunensis, seu charta fundationis aut potius instaurationis monasterii Agaunensis per Sigismundum regem.

516. IN timore Domini nostri Jesu-Christi cum felicitate. Domino nostro Sigismundo Pio, sub die pridie kal. Maii a LX * episcopis, totque comitibus, habito concilio in Dei nomine Aguani publice, idem rex exorsus est dicere : « Audivi in evangelio Dominum dicentem, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Certus sum ego de vestra sanctitate dominici patres, ut in isto conventu adjutor sit nobis Omnipotens Deus. Tunc sanctus Maximus urbis Genevensis episcopus ait : Quoniam nihil est quod ex ipso non agatur, petendum nobis est, ut adminiculo ejus adjuti viam veritatis gradiamur, ut ad æterna gaudia pervenire mereamur. Tunc Rex ait : ad hoc enim vos adunavi, ut mærentem me consolemini, & quid agam, vel respuam, addiscatis. Responderunt episcopi: Honor tuus est, ô Rex, judicium diligere, & facere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Quibus Rex dixit : Jam abjeci omnem ambiguitatem, & abstersit Deus a me omnem perfidiam Arianorum, adeptus sum fidem Catholicam, servus sum Jesu-Christi, instruite me quomodo ei placeam, cujus me profiteor amicum : jam præfatus strenuus prædicator Maximus dixit: Audi Sanctissimum Regem, ô Rex, dicentem ; Accedite ad eum & illuminamini, & vultus vestri non erubescent ; & alibi: Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. Et Dominus in evangelio: venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: ad hanc ergo rationem compunctus Rex ait : Dic ergo alme pater, valde delector in tuis sermocinationibus; tunc sanctissimus ille ait : Quamvis indigni nostrum officium est ad annunciandum, sed tuum est ad implendum ; sit ergo eloquium nostrum sale conditum, ut audiant mansueti & lætentur, & non ut vituperetur ministerium nostrum, sermones nostri Deo adjuvante & divina authoritate salutem tuam præferant : dilige eos qui recto sunt corde, & ambula simpliciter coram Domino, in omni bonitate, justitia, & veritate, te ipsum castum custodi, & noli communicare peccatis alienis, ut cum beato David securus dicas ; Odivi congregationem malignam, & innocentes, & recti adhæserunt mihi, hoc enim faciens teipsum salvum facies, & eos qui te audient ; nobis opportunum est, ut tu juste vivas propter illud quod propheta ait ; Qualis fuerit doctor civitatis, tales & habitatores civitatum. » Hæc & iis similia beato Maximo dicente, Rex & omnis populus qui cum eo erant suspirantes, & Deo gratias agentes, quia talem haberent instructorem, qui omnem hæsitantiam auferret a cordibus eorum. Tunc sanctus Theodorus episcopus Sedunensis ait : « Instantia cordis mei est, ut proferam sermonem vestris salubribus consiliis, quid agendum sit de beatorum martyrum Thebæorum corporibus, id est Mauritii cum suis commilitonibus, qui pro Deo a Maximiano perempti sunt & inhumati jacent ; nescio qui sit homo, qui prævaleat secundum merita eorum singulis fabricare ecclesias. Tunc omnes episcopi dixerunt : de cruore eorum locus iste sacer est & electus, illi exules fuerunt a patria, vitam mundi contemnentes, caduca respuentes, consanguinitatem proximi non recogitantes, juventuti non parcentes, pro Christi amore mortui sunt, & per Christum sanctificati sunt. Tunc Rex ob devotionem plenissimam lacrimabili voce prorumpit : Utinam impietas mea mihi impe-

* forte IX.

A dimentum non fecisset, ut cum illis fuissem & occubuissem, & socius fierem gaudio eorum, sed nunc auxiliante Deo videte quomodo honorifice accipiant sepulturam ; inito consilio, ad Regem dixerunt : Visum est nobis bonum esse, ut hi tantum quorum nomina comperta sunt, id est Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris, infra ambitum basilicæ quam clementia Regis ad hoc opus ornare jussit, reliqua vero corpora congerantur in tutissimo loco atque aptissimo, in uno condantur loco & sub eximia custodia sanctissimi custodes deputentur, ne forte quod absit, falsato ex eis furentur, & constituatur officium psallendi die nocteque indesinenter. » Una cum Rege omnibus placuit, & B virum sanctissimum in omnibus operibus bonis comprobatum, in ipso loco Hymnemondum constituerunt abbatem, qui & accersitus a venerabilibus episcopis, una cum sanctissimis viris, S. Acivo, S. Ambrosio, S. Proto & sanctis viris, qui ad hoc opus suscipiendum de monasterio Gravensi venerant. Hæc episcopi inter se agitantes cum præclaro Rege Sigismundo, quam monachis regulæ institutionem imponere deberent, quia propter illud institutum psallentium, quod ibidem Deo protegente amodo in perpetuum sit conservandum, non potest, ut cætera monasteria, exercere opera. Sanctus Victorius urbis Gratianopolitanæ episcopus ait : « Dixit *Salomon* ubi plurima sunt C consilia, maxima est salus, ad hoc venimus, ut prolatis ex divina scriptura sententiis, devotio legis suppleatur seriusque roboretur ; tandem quid utilius invenire possumus ? Favere est, non silere, ut subito queant subire, & ne versuti judices videamur, de quibus Deus in evangelio ait : Alligant enim onera gravia & importabilia, & ponunt ea in humeros hominum, digito autem suo ea nolunt movere. Ecce enim jamdictus noster Rex Sigismundus, monasterium Agaunense largitatis operibus ditavit ; conveniens itaque est, ut juxta quod dictus pater Hymnemondus abbas perfectissimam vitam gerit, posteri ejus imitentur, & exemplum sanctitatis ejus in corde meditentur, & in opere exerceant. Recte mihi videtur ut secundum D plenissimam devotionem domini Regis, & psallendi institutionibus, fiant quinque normæ, id est Gravensis, Insulana, Jurensis, & Lirinensis, & cæteræ ; ut succedentes sibi in officiis canonicis, id est nocturnis matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespertina, in hanc die nocteque indesinenter domino famulentur. His vero dictis omnes episcopi consenserunt. Quibus Rex ait : Jam enim de psallendi officio, desiderio meo satisfactum est, quid vobis videtur, de munificentia monasterii, & exhortatione doctrinæ, vel qualiter ipsi monachi vivere debeant ; jam enim supra dictum est, ut quia sicut cætera monasteria propter institutum psallentium non queant opera exercere, quam regulæ institutionem debeant sortiri diligenter examinetur, ut E ex nostra authoritate sit munitum, & firmitate manus nostræ roboratum, atque sub vinculo anathematis obligatum. » Ad hanc interrogationem Viventiolus urbis Lugdunensis episcopus, una cum aliis episcopis dixit : « Optime vobis videtur, ut munificentiam ad Regem habeant, exhortationem & doctrinam habeant ad sedem apostolicam ; jam quia scimus comprobatam habere disciplinam, & sanctam conversationem, sanctum Hymnemondum quem præesse constituimus monasterio huic, & posteri ejus ipsum sequantur, ad omne opus implendum, tamen sub brevitate instituimus, ut omnes obediant ei, & sine præceptis illius nihil agatur, & quidquid a prioribus ordinatum fuerit, juniores sine murmuratione expleant, & per singulas normas decani constituantur digni, ut abbas diviso pondere, de providentia eorum sit securus : de vestimentis vero

Digitized by Google

» scimus quia locus iste aëris intemperie intemperatus
» est; propterea tam ad induendum, quam in lectis,
» in abbatis sit consideratione; similiter de cibo & potu,
» unum habeant dormitorium, unum refectorium, unum
» locum ad calefaciendum. De disciplina vero, de gra-
» vioribus culpis secundum canones judicentur, de mi-
» noribus autem ut abbas judicaverit, & fratres consense-
» rint, melius est enim cum amico flagellari, quam
» cum adversario in interitum præcipitari. Jejunium ut
» cætera monasteria agant, & die noctuque in oratio-
» nibus vacent, & semper meditentur, & egredi de mo-
» nasterio sine permissione Prioris nullus presumat. Pla-
» cuit nobis ut & ipse abbas qui nunc est, & qui futuri
» sunt, sint instructi ex necessitate, tam de veteri Testa-
» mento quam de novo, & alii ædificentur, & per
» capitalia scribantur, ut posteri teneant. Hæc instituta
» sunt propter eum qui dilexit nos, & tradidit semetipsum
» pro nobis in odorem suavitatis; videat ne quis sit qui
» violare hæc audeat, & iram Omnipotentis Dei incur-
» rat: Et si tempus advenerit, quod Deus avertat,
» quod divulsione aut disceptatione contra hæc agere
» tentaverit, tunc abbas prædicti monasterii concursio-
» nem ad sedem apostolicam habeat, quasi lumen potens
» illuminans, & inde ad causam suam revertatur, & probet
» quod omnium potentior est sapientia, & ideo ut Deo
» auxiliante monachi de exhortatione sancta confortati,
» inconcussa stabilitate permaneant indivisa charitate;
» & sicut nunc est gloriosissimi regis devotio suppleta,
» & omnium consensus sit in perpetuum conservatus
atque roboratus.» Propterea ego Sigismundus gratia Dei Rex Burgundionum, Christo auspice consideravi una cum supradictis LX episcopis, comitibus, de jam dicto monasterio quod vocatur Agaunum, quod nunc Domino adjuvante infra Regnum nostrum Burgundionum construximus, & venerab. virum Hymnemondum ibidem constituimus abbatem, ubi tanta & talia sacra corpora Thebæorum martyrum qui pro Christo eorum sanguinem non dubitaverunt fundere, ad luminaria vel stipendia monachorum, quid agere debeo nisi sicut Dominus noster Jesus-Christus loquitur dicens: « Beati misericordes, quoniam ipsi misericor-
» diam consequentur, & date eleemosynam, & omnia
» munda sunt vobis, & quicumque reliquerit domos
» aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet,
& vitam æternam possidebit.» Ideo ego pertractans verba redemptoris nostri, eidem monasterio pro animæ meæ salute de rebus meis dono, donatumque in perpetuum esse volo, hoc est in pagis vel territoriis, Lugdunensi, Viennensi, Gratianopolitano, & Augusta, Cameraria, & pago Genevensi, Valdensi, & fine Aventicensi, & Lausanensi, & Visontiensi, curtes sic nuncupatas, Briogia, Olona, Cacusa, Rubregio, Staties, Communiaco, Mariniaco, Muratto, una cum appendiciis earum, & in Vallense pago, & in valle Augustana, quæ est a finibus Italiæ, alias curtes, Sidrio, Bernona, Leuca, Bromusio duodecimo paterno. In civitate Augusta turrem unam quæ respicit ad occidentem, & Levira, Lagona, Gizorolis, & Morga cum omni integritate & appendiciis & adjacentiis earum, in terris, domibus, ædificiis, mancipiis, libertis, plebeiis, accolis, vineis, silvis, olivetis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus & incursibus, mobilibus & immobilibus, seu decimis, exquisitum totum ad integrum quidquid ad ipsas villas aspicere videtur, ad locum præfati monasterii de S. Mauritio donamus tradimus atque indulgemus, ea enim ratione, ut ab hac die ipsas res superius intimatas, prædicta Casa-Dei, vel Rectores ejus in luminaribus ipsius ecclesiæ, vel ad stipendium ibidem decertantium monachorum habeant & possideant, vel quidquid exinde facere elegerint, libero perfruantur arbitrio. Propterea hanc donationem nostram fieri jussimus, per quam omnino jubemus, ut nullus de fidelibus nostris, non de judiciaria potestate prædictam Casam-Dei vel beatorum martyrum & Rectores ejus, & monachos ibidem consistentes inquietare, nec calumniam generare præsumant, sed sub firmitatis nostræ..... studium Dei propitient, nostris & futuris temporibus, sicut diximus pro mercedis augmento in luminaribus ipsius ecclesiæ, vel ad monachorum ipsorum stipendia perficiat in augmentis, qualiter ipsius congregationem beatorum martyrum melius delectet, pro nobis Dei misericordiam attentius exorare. Et ut hæc donatio vel authoritas firmior habeatur, & pro tempore conservetur, & per manus nostras signaculum omni tempore obtineat firmitatem. Maximus urbis Genevensis episcopus subscripsit. Victor urbis Gratianopolitanæ episcopus subsc. Viventiolus urbis Lugdunensis episcopus subscrip. Umbdemarus comes signavit, Fremodus comes. Signum Gundeulfus comes, Benedictus comes, Agano, Bonifacius, Theudemodus, Fredeboldus comes subscrip. Data sub die Idus Maii in virorum cœtu prope Agauno monasterio feliciter.

I I.

Litteræ Adriani I in gratiam Althæi abbatis.

In nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu- *Circa*
Christi, Adrianus humillimus omnium servorum *780.*
Dei, & in sancta sede Romana totius orbis magistra, non meritis propriis, sed intercessione beatorum Apostolorum principis Petri, ab omnipotente Deo in Apostolatus arce electus. Quia Dominus noster oves proprias, quas suo sancto ac pretioso Sanguine acquisivit, beato Petro pascendas commisit, constat nimirum cunctos Dei cultores ipsius subjici tuitioni, cujus nos ubique non diffidimus protegi patrocinio. Quapropter satis convenienter omnibus Christianis oportet ad sanctam matrem ecclesiam & apostolicam sedem præbere concursum, taliter ut & devotio conditoris convenienter fortisse videatur effectum, & piæ constructionis oraculi in privilegiis largiendis minime denegetur auxilium. Igitur quia postulavit a nobis Carolus excellentissimus rex Francorum quatenus monasterium sanctorum Agaunensium in Regno Burgundiæ super fluvium Rodanum, quod in honorem B. Mauritii & aliorum martyrum, Sigismundus bonæ memoriæ rex contruxisse dignoscitur, in quo Alteus abbas præesse videtur privilegio cum sedis apostolicæ infulis decoretur, & sub sancta, cui Deo auctore præsidemus, ecclesia constitutum præteritorum regit ordinem, gloriosi videlicet regis Sigismundi, ac cæterorum regum, post ipsius statuta & privilegia, iterum præsulatus honore consentientes confirmaremus, ut nullatenus ullo deinceps tempore irrumpantur, & conjacentes terras in Francorum finibus, scilicet in Senoniensi comitatu sub privilegii autoritate colligamus abbatiam monasterii ubi Jonna & Jenna conveniunt cum suis omnibus pertinentiis & adjacentiis: & Talsiniacum cum integris appendiciis & saltem redditionibus in comitatu Pontico supra Quantiæ flumen, Brumam cum omni sua integritate seu appendiciis. Verunum ubi stat ecclesia in honore B. Michaëlis ibique salinum producitur, & Novionum cum ecclesia in honore almi Mauritii, nemus ceterasque terras ad eamdem subjacentes & pertinentes curtes, & in episcopatu Eduensi sive Augustodunensi castellum de Sinemuro sicut clauditur Armensona flumine cum supposita ecclesia in honore S. Mauritii dedicata, cum decimis & parrochiis, cum villis his nominibus: Karaniaco, Sanciaco, Lamatuaco, Tarnico, cum molaribus, molendinis, aquis, aquarum decursibus, silvis, pascuis, & omnibus redditionibus eidem castello, vel villis prædictis pertinentibus. Propterea piis desideriis filii nostri regis Francorum assensum accommodantes, ac Agaunensis monasterii congregationi Dei mandatis inhærenti, sedisque apostolicæ regulam servanti, per hujus præceptionis nostræ auctoritatem id quod expościmur effectu mancipamus. Et ideo nulli cujuslibet ecclesiæ sacerdoti

Digitized by Google

in præfato monasterio quodlibet sui prioratus pontificium nisi fratrum invitatione permittimus habendum. Nec etiam illi, qui civitatem Valesiam nunc habere dignoscitur, vel fuerit postea acquisiturus, liceat quamlibet ditionem nisi sub prædicta conditione, seu potestatem extendere. Hac auctoritate quidem præter sedem apostolicam prohibemus per hujus decreti paginam interdicendo omnibus, & omnino cujuslibet ecclesiæ præsulibus, vel cujuscumque honoris dignitate prædictis sub anathematis Vinculo, ne in prænominato monasterio quodlibet exerceant dominium, nec sacros ordines, nec sacrarum missarum solemnia celebrent sine voluntate abbatis & fratrum ibi Domino famulantium. Quicunque vero hujus seriem nostræ institutionis ausus fuerit evertere, vel ipsarum scripturarum sanctiones, quæ a regibus institutæ sunt, & præfato monasterio sub privilegio indultæ, quolibet modo, vel tempore tentaverit violare, anathematis damnationi subjaceat.

Adrianus, domino auctore in hac serie privilegii ob amorem Dei & sanctorum martyrum honorem a me facta relegens subscripsi, ac episcopos quosdam nostri præsulatus præsentes annotare jussi.

Maurus peccator episcopus jussus a domino papa subscripsi. Aurelius, &c. Agnellus, &c. Sabaudus, &c. Hillarion, &c. Johannes, &c. Benedictus, &c. Leo, &c. Anastasius, &c. Anatus, &c. Benedictus, &c. Laurentius, &c.

Ego Stephanus Capuanus cancellarius Romani pallatii jussus a domino papa annotavi.

III.

Litteræ Eugenii II in gratiam cœnobii Agaunensis.

Circa 824. IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi, Eugenius humillimus omnium servorum Dei & in sancta sede Romana totius orbis magistra non meritis propriis, sed intercessione beatorum apostolorum principis Petri, ab Omnipotente Deo in apostolatus arce electus. Quia Dominus noster oves proprias, quas suo sancto ac pretioso Sanguine acquisivit, beato Petro pascendas commisit, constat nimirum cunctos Dei cultores ipsius subjici tuitioni, cujus nos ubique non diffidimus protegi patrocinio. Quapropter satis convenienter omnibus christianis oportet ad sanctam matrem ecclesiam & apostolicam sedem præbere concursum, taliter ut & devotio conditoris convenienter fortisse videatur effectum, & piæ constructionis oraculi in privilegiis largiendis minime denegetur auxilium. Igitur quia postulavit a nobis Ludovicus pronomine pius excellentissimus rex Francorum quatenus monasterium sanctorum Agaunensium in regno Burgundiæ super fluvium Rodanum, quod in honorem beati Mauritii & aliorum martyrum Sigismundus bonæ memoriæ rex construxisse dignoscitur, in quo Adalongus Sedunensis episcopus sub nomine abbatis canonicorum regulam regere videtur, privilegio cum sedis apostolicæ infulis decoretur, & sub sancta, cui, Deo auctore, præsidemus ecclesia, constitutum præteritorum regit ordinem, gloriosi videlicet regis Sigismundi, ac cæterorum regum, post ipsius statuta & privilegia, iterum præsulatus honore consentientes confirmemus, ut nullatenus ullo deinceps tempore irrumpantur, sed sicut ante nostri prædecessores ejusdem loci monachos, ita nos canonicos quos, propulsis monachis nefanda & miserabili sorde pollutis, in eodem loco gloriosissimus rex ordinaverat, auctoritate sedis apostolicæ decoremus: ut neque super illos prælatus aliquis sine eorum communi consilio, vel electione mittatur, neque ex communibus ecclesiæ rebus præter dispositionem eorum quidquam pertractetur: nec alicujus prælati violentia grassantis in illorum propriorum bonorum direptionem exerceatur: sed omnia privilegii auctoritate eorum decretis ordinentur & subjiciantur. Et

A morte anticipati fratris propria vel debita bona confratrum aut parentum dispositione secundum adhuc viventis votum distribuantur: ne sæculari pravitate rubigo ecclesiasticæ rapinæ ex hoc recolent . . . . . æruginet, vel vocem lætitiæ ulla perturbationis caligine offuscet sub anathematis vinculo colligamus. Et in partibus Burgundiæ quamdam curtem videlicet Arcum nomine situm in Lingonensi territorio cum ecclesiis & decimis, silvis, aquis, pascuis, cunctisque pertinentiis ejusdem ecclesiæ fratribus habendam concedimus. Præterea piis desideriis Francorum regis aures accommodantes ejusdem monasterii congregationi Dei mandatis inhærenti sedisque apostolicæ regulam servanti per hujus præceptionis auctoritatem id quod expostcimur effectu mancipamus. Et ideo omnem
B cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio, vel in ecclesiis in ejus curtibus sitis, & ejus eleemosynis, constructis & ordinatis, nullum sui prioratus pontificium permittimus habiturum. Neque illum qui civitatem Sedunensem nunc habere dignoscitur vel fuerit in posterum acquisiturus quamlibet ditionem seu potestatem extendere, præter sedem apostolicam prohibemus. Ita ut nisi ab eo qui tunc præfuerit ecclesiæ, vel a fratribus fuerit invitatus, nec ad missarum ibidem celebranda solemnia quispiam præsumat accedere, vel suam in ibidem dominationem incipiat exercere, nec ulla conciliabula prætendere aut quaslibet partes eleemosynarum quæ ad sanctum monasterium a fidelibus collatæ fuerint sua in parte exigere. Neque decimas quæ illic a jam dicto S. Sigismundo
C sunt concessæ attentet auferre, eo quod subjectioni apostolici privilegii consistunt inconcussa. Constituimus enim per hujus decreti nostri paginam, atque interdicimus omnibus omnino cujuslibet ecclesiæ præsulibus, vel cujuscumque honoris dignitate prædictis, sub anathematis vinculo, ne aliquis hujus nostræ institutionis paginam vel donaria & libertatis honores & sanctiones quæ a prædicto rege Ludovico & aliis regibus constitutæ sunt, & præfato monasterio sub privilegiis indultæ, violare præsumat.

Eugenius Deo auctore in hac serie privilegii ob amorem Dei & sanctorum martyrum honorem a me facta relegens subscripsi, ac episcopos nostri præsulatus subtus adnotare jussi.

D Crescentius peccator jussus a domino papa subscripsi.
Bonifacius peccator jussus a domino papa subscripsi.
Hieronymus peccator jussus a domino papa subscripsi.
Petrus peccator jussus a domino papa subscripsi.

IV.

Conradus rex Burgundiæ Transjuranæ prædium ab Agauno pendens cum altero commutat.

CHUONRADUS Dei gratia pius rex. Notum esse 983. volumus sanctæ Dei ecclesiæ, regnique hujus fidelibus, quod quidam miles nomine Richardus petiit quamdam terram de abbatia S. Mauritii sub commutationis auctoritate sibi dari; hoc est mansum unum
E in condamina quod Thedeardus laborabat, & unum ennaticum in vilinado: cujus petitioni assensimus, & mansum atque ennaticum cum omnibus suis adjacentiis & pertinentiis illi commutavimus, pro quibus supradictis ad partem S. Mauritii accepimus a dicto Richardo villam unam quæ vocatur Magelisis de suo conquisito cum omnibus pertinentiis & pertinendis. Hæc vero omnia supradicta per consensum filii nostri Burchardi archiepiscopi ipsius abbatiæ præpositi & communi canonicorum laude commutavimus, hac ratione, quod accepit Richardus hæreditario jure ipsi vel cui dederit, aut habere permiserit, teneant & faciant, & illorum quidquid decreverit animo de sua commutatione scilicet a nobis recepta, contra quam vice fruentibus. Burchardus archiepiscopus & Agau-

Digitized by Google

nensis præpositus hanc commutationem firmavit. Amizo Sedunensis episcopus & ipsius loci canonicus firmavit. Abel presbyter & canonicus firmavit. Tentaldus diaconus firmavit. Amizo presbyter & canonicus firmavit. Bono presbyter firmavit. Witcherus presbyter & canonicus firmavit. Salvardus presbyter & canonicus firmavit. Reginaldus presbyter & canonicus firmavit. Laudo diaconus firmavit. Raco diac. firmavit. Winimarus presbyter & canonicus firmavit. Anselmus diaconus & almi Mauritii sociorumque ejus cancellarius hanc commutationem complevit & dedit anno Incarnat. Dominicæ DCCCCLXXXIII, regni vero serenissimi regis Chuonradi XLVI. Acta VIII kalendas Octobris hic in Agauno.

V.

Rodulphus rex confirmat bona abbatiæ Agaunensis.

993 IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Rodulfus rex serenissimus. Regni nostri augere credimus monumentum si concessionis nostræ munificentia sacris sanctæ ecclesiæ ædibus aliquid concedimus, atque ecclesiasticam indigentiam nostræ opis propensius fugamus auxilio, plurimum nobis ad æternam beatitudinem regnique nostri stabilitatem prodesse confidimus, & id commodum procul dubio credimus. Omnium itaque fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum celsitudo comperiat quoniam venerabilis archiepiscopus Lugdunensis Burchardus qui est Agaunensis abbatiæ præpositus nostrum adiens prospectum rogavit suppliciter ut pro anima serenissimi patris nostri regis Chuonradi sicut idem distribuerat Pultiacum villam canonicis in eadem abbatia Deo famulantibus per præceptum concederemus, quod, hymno dicto, jussimus annotare, & in jam dicta villa quæ dare potuimus juste & legaliter cum suis omnibus appendititiis regia & præceptali auctoritate S. Mauritio suæque legioni & canonicis æternaliter distributa corroborando confirmavimus. Ut autem nemo futuris temporibus immutare possit ullo modo, hoc præceptum erga ipsam ecclesiam & canonicos pro divinæ remunerationis amore & animæ patris nostri redemtione mere quidem fieri collegimus. Insuper etiam ut æternam sibi vigoris firmitatem defendat, & a cœtu sanctæ ecclesiæ Dei inviolabiliter conservetur, hoc donativum summæ pietatis gratia per actum hunc præceptalem fieri præcepimus, scripturam & manu propria corroboravimus, hoc etiam addentes ut quicumque inviolabiliter observare studuerit, benedictionem & gratiam consequi mereatur; si quis autem in pejus mutare tentaverit, divinum incurrat periculum in die judicii, & a Christo alienus habeatur. Cum signo serenissimi regis. Anselmus regis cancellarius, anno Domini DCCCCLXXXXIII, regni vero domini regis primo. Acta in Siaco pridie cal. Aprilis feliciter.

VI.

Diploma ejusdem regis.

Ex schedis clariss. viri domini de la Vallette.

1017. IN nomine Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Rodulphus Dei gratia Burgundionum rex. Quicumque in hoc seculo divitiarum vivens affluit ubertate, diligentia debet providere ne his nimium intentus amittat ditissimum florem æternæ dignitatis, & gloriam patriæ cœlestis. Quamvis Christus dicat camelum facilius posse foramen acus penetrare, quam divitem in regnum cœlorum intrare; non tamen diffidendum nobis est de immensa ipsius pietate, quia qui dat escam invocantibus se corvorum pullis, non denegabit veniam sperantibus in se famulis: neque enim est sibi exiguum vel vile propter quod dignatus est humanitatem sumere aut vult deserere quod redemit suo pretiosissimo Sanguine, ut illuc nos traheret A unde venerat liberare. Ille itaque nobis peccatoribus medicamina salutis est largitus, cum non solum de propriis vel bene adeptis, verum etiam de mammona iniquitatis amicos doceret nos facere, qui reciperent nos in æterna beatitudine.

Nos siquidem his & aliis instructi monitis, si petitionibus fidelium nostrorum aurem serenitatis nostræ accommodaverimus procul dubio promptiores & fideliores ad nostrum efficimus famulatum; idque non tantum animæ, verum etiam regni nostri statui valde prodesse non ambigimus. Quapropter omnium nostrorum tam præsentium quam futurorum noverit industria fidelium quod quidam fideles nostri, videlicet conjux nostra Hermengardis regina, Bertholdus quoque & Rodulfus comites, & Robertus, necnon B Hugo episcopus Sedunensis, & Henricus Lausannensis, atque Hugo Genevensis, & Burchardus Lugdunensis, Anselmus Augustensis, ac Pandulfus cum ceteris fratribus supplices nostram aggressi sunt clementiam, quatenus saluti nostræ, & eorum petitionibus ecclesiæ Agaunensi in salo miserrimæ desolationis jam pene naufraganti subveniremus. Quorum petitionibus benigne annuentes donamus, imo ab antecessoribus data reddimus tam ecclesiæ Agaunensi, quam fratribus ibi Deo & S. Mauritio famulantibus, de victu & vestitu proclamantibus, ad mensam eorum in refectorio phiscos Sigiciacum, Lulliacum, Communiacum, dimidium Pulliacum, Auronum, potestatem Vuadengis & Bedolosci, & in Vivesio placitum cum omni reddibitione census hominum, Lustriacum, C Vonvregium, Olonum, Nilliam, Nares cum omnibus appenditiis eorum & oblata altaris ejusdem ecclesiæ, & dimidium burgum ipsius loci & ibidem furnum cum molendinis & duas partes thelonei salis & alpes S. Mauritii, totiusque caput Laci-vallis, ea videlicet ratione, ut omni tempore nostri præcepti auctoritate ipsi & successores eorum quiete habeant, teneant & inde in refectorio vivant, & quidquid utile sibi in commune bonum decreverint libere faciant; si quis vero (quod minime credimus) eos molestaverit, non valeat vendicare quod appetit, sed sit culpabilis, & persolvat quinquaginta libras optimi auri, medietatem ipsi ecclesiæ & medietatem regis cameræ. Verum ut hoc credatur certius præsens præceptum propria manu firmavimus, & sigillo nostro signari, & prædictorum episcoporum anathemate D muniri præcepimus. Amizo cancellarius ad vicem domini Anselmi archicancellarii hoc scripsit præceptum, anno Dominicæ Incarnationis millesimo * XIIII, regni vero regis Rodulfi XXIIII, die Sabbati, XVI kal. Maii, luna XVIII, indictione prima. Actum in Agauno feliciter.

VII.

Privilegium Leonis IX papæ Agaunensibus canonicis tributum.

IN timore Dei æterni & Salvatoris nostri Jesu Christi. Leo humillimus servus servorum Dei, & 1049. in apostolici culminis arce non meritis propriis, sed E ætherei clavigeri aliorumque apostolorum principis Petri divina opitulante gratia sublimatus. Dominus noster Jesus Christus, ut a primi parentis piaculi cautione humanum genus liberaret, de cœlis ad terras descendit, & proprio suo cruore redemtum B. Petro pascendum commisit, quod ministerium successionis serie, ad nos usque quamvis indignos pervenit. Quapropter opportet omnes christianos ad sanctam matrem ecclesiam & apostolicam sedem concurrere; eo modo ut conditor effectum devotionis consequatur, & piæ constructionis oraculi in privilegiis largiendis non denegetur auxilium, cunctisque universalis ecclesiæ

* Ut chronologia cum astronomia congruat legendum: *Anno 1017, XV cal. Martii, indictione 15.*

filiis notum esse volumus, quia dum in illius partibus orbis naufragantem ecclesiam relevando Gallias tenderemus, ad eum locum, cui Agaunum nomen est, pervenimus, quem pretiosi martyres Mauritius & ejus commilitones suo sanguine perfuderunt, ubi triduo commorati quanquam patrociniis sanctum divitem locum apostolicis privilegiis decoratum, omni tamen thesauro & beneficiorum plenitudine destitutum, prout potuimus, consolavimus, eorumdemque martyrum festa celebravimus. Ibi etiam adstantibus nobis Petro archidiacono nostro, & episcopis Allinardo Lugdunensi, & Hugone Vesontiensi, & Frederico Genevensi, & Aymone Sedunensi, qui nunc eidem præest ecclesiæ, relata est nobis, præmissis reliquis, luctuosa miseriarum sarcina illius loci canonicis illata, privilegii tamen auctoritate ante prohibita, quod non liceret canonicis in fine vitæ propria bona distribuere, neque viventibus de ecclesiasticis rebus præter prælati sui voluntatem quidquam ordinare. Nos autem hujus inauditum facinus prædictis episcopis & maxime eidem episcopo Aymoni videlicet illis prælato, ut imperatori Henrico nobis apud Coloniam obviaturo intimarent præcepimus, quatenus ejus consilio & juvamine sedaremus ruinam tantæ violentiæ, quorum non solum tunc sed multoties audita lacrymabili querimonia miseratus prædictus piissimus ille imperator Henricus postulavit a nobis ut idem monasterium Agaunensium, in quo ipse Aymo sub canonicorum regula abbas esse dignoscitur, privilegio cum sedis apostolicæ infulis decoraremus, & sub sancta cui, Deo authore, præsidemus ecclesia constitutum præteritorum regum ordinem gloriosissimi videlicet regis Sigismundi ac aliorum regum post statuta & privilegia ejusdem monasterii nostri quoque pontificatus honore cohonoraremus, ut nullo tempore corrumperentur, ut neque super illos canonicos prælatus aliquis sine communi eorum consilio vel electione mittatur, neque ex communibus ecclesiæ rebus post congruam eorum dispositionem quidquam tractetur, nec licet prælibati violentia in eorum diripienda propria vel communia bona temere præsumendo prævaleat, sed omnia privilegii auctoritate eorum decretis ordinentur. Et si forte eorum aliquis præoccupatus fuerit morte frater, si defuerint parentes, ita ejus bona ecclesiæ, familiæ & pauperibus distribuant, ut noverint oportere, & ne prælatus aliquis potestatem aliquam inibi exercendo, vocem lætitiæ eorum perturbet, sub anathematis vinculo colligamus, & in episcopatu Lausannensi quamdam curtem nomine Auronum quondam eis sublatam violentia prælatorum restituimus cum ecclesiis & reliquis appenditiis, ut ad mensam fratrum semper deserviat. Propterea piis fratrum precibus aures accommodantes & prædicti monasterii congregationi divinis mandatis inhærenti, sedisque apostolicæ regulam servanti per hujus præceptionis nostræ auctoritatem id quod exposcunt effectu mancipamus. Ideo cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio, vel in ecclesiis, in ejus curtibus sitis nullum pontificium prioratus permittimus habiturum, sed & illum, qui civitatem Sedunum pro nomine Vallesiam habuerit, quamlibet ditionem seu potestatem vindicare in ea præter auctoritatem sedis apostolicæ prohibemus. Ita ut nisi a prælato ecclesiæ vel a fratribus invitatus, nec missarum ibidem celebranda mysteria quispiam præsumat accedere, vel suam dominationem exercere, nec ulla conciliabula prætendere, nec eleemosynis S. Mauritio collatis participare, neque decimas illic a S. Sigismundo vel ab aliis collatas quispiam tentet auferre, eo quod sub tuitione apostolici privilegii consistunt, & inconcusse cuncta secundum conditoris ejus desideria permanere cunctis temporibus constituimus per hujus decreti nostri paginam, atque interdicimus omnibus cujuslibet ecclesiæ præsulibus, vel cujuscumque dignitatis honore præditis sub anathematis vinculo constringimus quicumque hujus seriem institutionis subverterit, vel ipsarum scripturarum sanctiones de denariis ac libertatis honore, quæ a regibus vel aliis fidelibus constitutæ sunt, & præfato monasterio sub privilegiis indultæ quolibet modo vel tempore voluerit corrumpere.

Leo Deo auctore in hac serie privilegii ob amorem Dei & sanctorum martyrum honorem a me facta relegens subscripsi, ac episcopos hos subtus annotare jussi.

Petrus peccator jussus a domino papa subscripsi.
Gregorius peccator jussus a domino papa subscripsi.
Hugo peccator jussus a domino papa subscripsi.
Hermanus peccator jussus a domino papa subscripsi.

VIII.

Carta Wilenci Sedunensis episcopi de ecclesia de Alta-Petra, cui multa confert. *Ex autographo Clun.*

Ego Wilencus Dei disponente clementia Sedunensis episcopus ecclesiæ beati Petri de Alta-Petra dono quicquid de rebus ecclesiæ in proprio possidebam vel alii de me tenebant; reddo & in perpetuum canonicis in commune habendum concedo servos & ancillas quos extra Jurenses partes habeo, præter ea Raynaldulum filium Hugonis monachi dono. S. Stephani archidiaconi & cantoris, S. Pontii prioris, S. Alcherii, S. Odonis, S. Bernardi canonicorum, S. Dodonis presbyteri, S. Ubini, S. Roberti Brunis. Prædicta dona ego Wido Viennensium archiepiscopus & apostolica auctoritate Bisuntinæ sedis vicarius confirmo. Et quicunque hæc infringere præsumpserit, auctoritate BB. apostolorum Petri & Pauli omniumque sanctorum & sanctarum Dei vinculo anathematis subjaceat. Acta sunt hæc anno millesimo centesimo septimo Incarnationis Domini, indictione quinta decima. 1107.

IX.

Institutio canonicorum regularium in monasterio Agaunensi.

Amedeus Dei gratia comes & marchio, omnibus fidelibus notum facio quod ad instantiam charissimi fratris nostri domini Renaldi præpositi ecclesiæ S. Mauritii & martyrum sociorum loci Agaunensis in comitatu nostro, de consilio Reverendi patris domini Hugonis episcopi Gratianopolitani reformantis statum ipsius ecclesiæ, quam miserabiliter desolatam comperimus cessantibus etiam divinis officiis, unde tacti dolore cordis intrinsecus, ordinamus & statuimus de consensu secularium canonicorum, qui nunc sunt, ut illi in regulares canonicos de cætero commutentur, & Deo devote deserviant; & ut omnes possessiones male alienatæ ab ecclesia, sine alicujus contradictione ad eam devolvantur. Quod si quis velit ausu temerario contravenire, pœnam damni sui, scilicet sexaginta librarum potestati persolvet, & terram male possessam ecclesiæ in pace dimittet, prout & nos dimittimus, & omnia ablata restitui mandamus. Ut autem hæc institutio regularium canonicorum inviolabiliter permaneat, apostolicum rogamus, ut ipsam confirmare dignetur. Sign. Amedei comitis, signum Hugonis episcopi, signum Raynaldi præpositi, signum Hermeniardi. Datum Agauni, anno M. CXXVIII, III kal. Aprilis. 1128.

X.

Honorius II papa ratam habet hanc institutionem.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Agaunensis ecclesiæ B. Mauritii martyris salutem & apostolicam benedictionem. Apostolica doctrina & sanctorum veneranda nos adhortatur authoritas ut si Deo vere placere volumus, religiose

Digitized by Google

vivere studeamus. Quis enim Deo absque puritate religionis placere potuit, vel quis ad contemplationem deitatis nisi pudico & mundo corde ascendit? Nos igitur qui in B. Petri cathedra residemus, licet indigni, commissa nobis a Deo administratione suæ ecclesiæ & religionem statuere & stabilitatem sedis apostolicæ volumus robore communire. Placet ergo nobis, quod per inspirationem divinam in ecclesia vestra canonicos regulares statuere, & vobis obeuntibus semper religiosos subrogare unanimiter, quemadmodum ex litterarum vestrarum inspectione cognovimus, decrevistis. Pia vero desideria vestra & rationabile propositum laudantes, ut canonici regulares ibi de cætero deservientes Deo, & ut canonicus ordo futuris ibi temporibus irrefragabiliter conservetur, præcipimus ac authoritate B. Petri ac nostra firmamus. Statuimus enim ut postquam regularium virorum in præfata ecclesia sufficiens numerus fuerit, constituatur abbas ibi religiosus & sapiens, qui scientia & moribus sacro noscat digne præesse collegio, invocata divina gratia eligatur. Datum Laterani VII idus Novembris.

X I.

Usus mitræ & annuli tributus à Cælestino papa Willelmo abbati S. Mauritii Agaunensis.

1196. CELESTINUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Willelmo abbati S. Mauritii Agaunensis salutem & apostolicam benedictionem. Cum monasterium S. Mauritii S. Romanæ ecclesiæ subsit & sub tuitione S. Petri existat, dignum credimus & conveniens rationi ut per sedem apostolicam specialis privilegii prærogativa lætetur, ut & libertas cognoscatur ex munere, & dignitas pateat ex ornatu. Eapropter dilecte in Domino fili devotionem ecclesiæ tuæ, quam circa Romanam ecclesiam semper exhibuit, attendentes, considerantes etiam religionis constantiam, quam te multorum testimonio didicimus obtinere, tibi & successoribus tuis de benignitate apostolicæ sedis usum mitræ & annuli duximus concedendum, quibus infra ecclesiam tuam ad missarum solemnia in festivis diebus utaris. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hæc præsumpserit, iram Dei Omnipotentis, & indignationem SS. Petri & Pauli apostolorum noverit se incursurum. Datum Laterani VIII idus Aprilis, Pontificatus nostri quinto, Domini M. CLXXXXVI.

X I I.

Willelmus comes Pontivi confert in perpetuam eleemosynam tredecim libras canonicis S. Mauritii.

1210. EGO Willelmus comes Pontivi & Monsterioli notum facio omnibus tam futuris quam præsentibus, quod ego ob remedium animæ meæ, patris & matris meæ, & Alaydis uxoris meæ, & Mariæ filiæ meæ, & prædecessorum meorum contuli in perpetuam eleemosynam canonicis S. Mauritii *de Chablais* tredecim libras Parisiensium ad Guihalam meam in Abbatis-villa, quisquis eam tenuerit, annuatim accipiendas in nundinis Trecarum mense Julio constitutis ad emendas viginti ulnas scarlatæ ad ulnam *de Provins* ad facienda caputia, quæ prædicti canonici in signum martyrii beatorum martyrum Mauritii sociorumque ejus jure ordinis & consuetudinis in ecclesia gestare rubea dignoscuntur. Concessi etiam canonicis præfati loci octo solidos censuales in Abbatis-villa annuatim accipiendos a Firmino *de Stuarpon* burgense meo, & ab hæredibus ejus de quatuor stallis carnificum, quæ prædictus Firminus de me tenebat. Hoc etiam sciendum est quod quidquid prædicti canonici tam in caputiis quam in aliis rebus in comitatu meo reclamabant, quantum ad me & hæredes meos pertinet, in pace remittunt; & ut hæc firma & inconcussa permaneant, præsens scriptum sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo, mense Martio.

Hæc & sequentia per ordinem temporum instrumenta, ad ecclesiam Sedunensem pertinentia, eruta a nobis sunt ex recentiori codice MS. in-fol. olim Colbertino nunc Regio notato n.° 114, quem nobiscum pro sua humanitate benigne communicavit doctissimus abbas D. Sallier *Regiæ bibliothecæ subpræfectus meritissimus.*

X I I I.

Guillelmus rex Romanorum episc. Sedunensi dat in feodum quædam prædia in diœcesi Lausannensi.

WILLELMUS Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, dilecto principi suo venerabili episcopo Sedunensi gratiam suam & omne bonum. Tunc jocundius * regia celsitudo fidelibus suis applaudit, & ipsis liberius munificentiæ manus aperit gratiosas cum ipsorum fides & devotio per operum comitivam evidentius se ostendunt & vigent clarius in eisdem. Cum igitur sicut audivimus per exhibitionem operum tuæ devotionis & fidei pietatem ostentans ecclesiæ Romanæ, ac regiæ dignitati rebelles hactenus expugnaveris, & in posterum expugnare intendas, nos volentes tibi & rebellibus ipsis potestate nobis tradita pro meritis respondere, imo tibi & ecclesiæ tuæ accersere quod per industriam tuam ablatum est, vel auferri contingat eisdem ut alii exemplo ducti consimili ad obsequium nostrum & inimicorum offensionem facilius inducantur quæcumque de possessionibus & bonis quæ a persecutoribus ecclesiæ, ac rebellibus nostris F. quondam imperatori, & C. filio ejus damnabiliter adhærentibus in castris, terris & villis de Brogundellâ & de Guald Lausanensis diœcesis detinentur es adeptus vel in posterum poteris adipisci, dummodo terræ illæ non spectent ad ecclesiam Lausanensem in temporalibus, nec jus aliquod in eis pertineat ad aliquem in devotione nostra ac ecclesiæ sistentem tibi ex parte ecclesiæ tuæ auctoritate regia titulo feudali conferimus & concedimus, ac præsentis scripti patrocinio confirmamus; ita tamen quod tu & successores tui nobis & successoribus nostris catholicis debitum pro his fidelitatis obsequium impendatis. 1249.

* jucundius

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem regiam se noverit incursurum. Datum in castris apud *Engellein* anno Domini 1249, XI kalend. Martii, indict. VII, regni nostri anno I.

X I V.

Litteræ Giroldi abbatis Agaunensis quibus dat reliquias martyrum Thebæorum S. Ludovico Francorum regi reponendas in ecclesia quam pius ille rex ædificare disponebat in urbe Silvanectensi.

Ex Sammarthanis.

UNIVERSIS Christi fidelibus G. miseratione divina humilis abbas B. Mauritii Agaunensis, totusque ejus loci conventus salutem. Divina providentia disponente, venerandam sanctorum Agaunensium martyrum legionem in regno Franciæ specialiter honorari cupidus excell. rex Francorum Ludovicus, & devotionem suam quam ad præcipuam ipsorum Christi martyrum venerationem gerebat implere, petiit a nobis humiliter & instanter de sacra legione prædicta sibi 1261.

sibi corpora pretiosa transmitti, quatenus tot & tantæ reliquiæ, quæ quasi lucernæ Christi sub modio videlicet in monasterii nostri modicitate latebant, in diversis ecclesiis regni sui super candelabrum positæ, & ad divini nominis gloriam exaltatæ, Gallicani populi devotionem amplius excitarent. Nos autem piis ejus petitionibus annuentes, plura de thesauro ecclesiæ nostræ sanctorum martyrum corpora regis devotioni exhibuimus, & ad ipsum regem nos abbas cum quibusdam ex fratribus nostris ea personaliter duximus una cum solemnibus ejus nuntiis deferenda. Qui tantas tamque venerandas reliquias religiosa veneratione pertractans, eas, assumpta secum prælatorum ac secularium nobilium ac popularium personarum venerabili comitativa processionaliter deportatas, in Silvanectensem intulit civitatem, & ibidem ad perpetuam susceptarum reliquiarum honorificentiam, ecclesiam seu capellam juxta regale palatium ædificare disponens, in eadem plura de prædictis sanctorum corporibus, cæteris in diversas ecclesias & monasteria, regni sui ad amplioris honoris cumulum distributis, honorifice collocare proposuerit, certum canonicorum nostrorum numerum statuendo, qui Deo & præclaris ejus martyribus ibidem perpetuo famulentur. Verum ne super ipsorum institutionem posset aliquatenus eos inter & Silvanectensem ecclesiam quæstionis materia suboriri, de regis assensu super his cum venerabili patre R. Silvanectensi episcopo diligenter tractavimus, & amicabiliter convenimus in hunc modum. Canonici ordinis nostri quos dominus rex positurus est in ecclesia vel capella constituenda ad honorem Dei & B. Mariæ & sanctorum martyrum Mauricii & sociorum ejus, usum Parisiensis ecclesiæ quem capellani capellæ ipsius domini regis Parisius observant in divinis officiis observabunt. Actum anno Domini M. CCLXI, die Dominica post festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis.

X V.

Donatio regaliæ factæ ecclesiæ & episcopo Sedunensi per Henricum VI imperatorem, seu potius ejusdem recognitio.

1330. IN nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejusdem M. CCCXXX, indict. XIII, die VIII mensis Januarii, Seduni in camera superiori domus episcopalis Sedunensis in præsentia nostra, notariorum publicorum & testium subscriptorum reverendus in Christo pater ac dominus dominus Aymo Dei & apostolicæ sedis gratia Sedunensis episcopus exhibuit & legi publice fecit quamdam literam sanam & integram non cancellatam, non abolitam, non abrasam, sed omni suspicione carentem, sigillo pendente inclytæ recordationis domini Henrici VI Romanorum regis semper Augusti ut apparebat prima facie cum infra scripto signo ipsius sigillatam, cujus tenor verbo tenus sequitur in hunc modum:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus VI divina favente clementia rex Romanorum semper augustus. De regalis celsitudinis æquitate procedit ut sacro fideles imperio & devoti digna meritorum remuneratione donentur & rebelles seu contumaces condigna ultionis puniantur severitate. Notum igitur facimus universis imperii nostri fidelibus tam præsentibus quam futuris quod cum Humbertus quondam Sabaudiæ comes, manifestus hostis imperii propter suorum multitudinem excessuum, & præcipue quod allodia & bona episcopo & episcopio ecclesiæ sancti Johannis in Thaurino ex antiqua fidelium donatione collata violenter abstulerat, & ad frequentem serenissimi patris nostri Frederici Romanorum imperatoris & semper augusti admonitionem & nostram incorrigibilis & contumax existeret; tandem plurimis edictis & etiam peremptoriis citatus contumaciter absens venire contempsit: nos universa allodia & feuda quæ ipse infra confines Rom. imperii possidebat observato omnimode ordine judiciario, & per justam principum imperii sententiam, & parium suorum abjudicamus, & eum secundum justitiam condemnatum, perpetuo imperii banno subjecimus, in qua condemnatione diem clausit extremum, post cujus mortem cum filius ejus Thomas ex multa majestatis nostræ miseratione in gratiam imperii & nostram rediret ex ipsius consensu & bona voluntate, & communicato principum imperii consilio Sedun. episcopatum ad manum imperii retinuimus specialiter, cujus ecclesiæ episcopi ante tempora illa de manu comitum Sabaudiæ per aliquod tempus recipiebant regalia, sub hac ergo forma episcopatum illum imperio specialiter retinuimus ut ecclesia Sedun. & ejusdem ecclesiæ episcopi ad coronam imperii jure perpetuò specialiter pertineant, ac de manu imperii regalia recipiant, ad cujus rei certiorem evidentiam Willelmum episcopum, qui tempore illo Sedun. ecclesiæ præsidebat, de regalibus investivimus qui investituram regalium Sedun. episcopatus de manu nostra recepit, eamque omnes ejus successores de manu imperii sunt recepturi. Ad ampliorem quoque Sedun. ecclesiæ dignitatem & exaltationem imperiali simul & regali edicto statuimus ut nullus de cætero Sedun. episcopus investituram regalium non nisi de manu imperii recipiat, & a corona imperii nunquam alienetur. Jura etiam & libertatem Sedun. ecclesiæ manu tenere & defensare satagentes, & alienata cupientes revocare universa bona ipsius tam mobilia quam immobilia quæ nunc possidet vel imposterum poterit possidere, & legitime adipisci sub nostram & imperii sacri protectionem suscepimus, statuentes ut nulla persona secularis vel ecclesiastica hanc nostram constitutionem audeat violare, vel ei ausu temerario contraire. Quod si quis attentare presumpserit, in suæ temeritatis pœnam sexaginta libras auri pro pœna componat medietatem fisco regali, reliquam partem passis injuriam. Ut hæc igitur imperpetuum rata permaneant & inconvulsa, præsentem inde paginam conscribi & impressione sigilli nostri jussimus communiri.

Hujus testes sunt rei Bonifacius Novariensis episcopus, Valbertus Augustensis episcopus, Rambertus Mauriennensis episc. Johannes imperialis aulæ cancellarius, Bonifacius Marchio Montis-ferrati, Albertus dux *de Terke*, Willelmus comes de Masco & Albertus comes *de Dasberg*, Gibertus comes de Werda, Eningo comes *de Limigen*, Rudolphus *Rabretest*, *Volve*, & frater ejus Henricus, Ulricus *de Ursélingen*, Henricus Testa marescallus, Humfridus *de Valkensten*, Drushardus de Zelo *de Berge*, & alii quamplures.

Signum domini Henrici VI Romanorum regis invictissimi. Et ego Johannes imperialis aulæ cancellarius vice Conradi Mogunt. Sedis archiepiscopi & Germaniæ archicancellarii recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis M. CLXXXVIIII, indictione VII.

Regnante domino Henrico sexto gloriosissimo Romanorum rege & semper augusto, anno regni ejus decimo nono. Datum apud Basileam nonis Maii feliciter. Amen.

Quæ siquidem littera, sic ut præmittitur, exhibita & perlecta præfatus dominus Sedunens. episcopus petiit a nobis subscriptis notariis ipsam litteram in publicam formam redigi, & signis nostris signari ad majorem roboris firmitatem præsentibus venerabilibus & discretis viris dominis Thoma cantore Sedunensi, Ebalo sacrista Sedun. Johanne de Viena canonico Sedun. Jacobo *de Billens* officiali Sedun. ac multis aliis fide dignis, vocatis ad hæc testibus & rogatis. Et ego Johannes Cononis de Orba Lausan. diœcesis clericus imperiali auctoritate notarius publicus præsens exhibitioni & lectioni litteræ prædictæ interfui una cum dictis testibus & notariis infrascriptis, dictamque litteram in hanc publicam formam redegi, propria manu scripsi & meo signo sueto de mandato reverendi

domini Sedun. episcopi supradicti signavi anno, indict. die & loco suprascriptis.

Ego vero Johannes de Prato clericus auctoritate sacri imperialis palatii publicus notarius exhibitioni & lectioni litteræ prædictæ præsens fui una cum dictis testibus & notariis suprascriptis, & huic transcripto ex vero originali sumpto subscripsi, ipsumque meo sueto signo rogatus signavi in testimonium præmissorum. Datum & actum ut supra.

XVI.

Capitulum Sedunense ab imperatore Carolo IV curat firmari jus constituendi notarios & cancellarios in toto comitatu & diœcesi Sedunensi.

1365. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter. Amen. Carolus IV divina favente clementia Romanorum imperator semper Augustus & Boemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam, & si de innata imperialis mansuetudinis benigna clementia in singulis nobis subjectorum commodis nostra *delcantur* [a], serenitas sanctarum tamen ecclesiarum commodis & quieti, ac ipsarum procurandis honoribus ad laudem Dei & nostræ salutis augmentum sicut ex assumptæ imperialis dignitatis tenemur officio sinceriori semper affectu dignamur intendere ut his quos divina providentia suo deputare curavit ministerio sub felici nostro regimine animi tranquillitate tanto sincerius famulentur altissimo, quanto gratioribus se viderint nostræ protectionis specialis præsidiis communitos: sane pro parte honorabilium decani & capituli Sedun. ecclesiæ nostrorum & imperii sacri devotorum dilectorum oblata nostræ majestati petitio continebat quod cum ipsi & ecclesia Sedun. ex largiflua donatione duorum Romanorum imperatorum, atque regum & potissime Caroli magni nostrorum prædecessorum, qui dictam Sedunensem ecclesiam multiplicibus *imperialis douariis* [b] dotarunt, & singulari largitione comitatus Vallesii totiusque dominii temporalis ipsius comitatus ampliarunt S. Theodulo pro tunc Sedun. episcopo, & suis in perpetuum successoribus in ecclesia Sedunensi contradendo, & ab antiquo fuerint, & sint in usu & pacifica possessione ponendi, instituendi & ordinandi cancellarios qui per totam civitatem & diœcesim Sedunensem facultatem, potestatem & authoritatem habeant dictandi, conficiendi quoslibet contractus perpetuos seu temporales super emtionibus, venditionibus, locationibus, donationibus, inter vivos vel mortis causa permutationibus, dotium assignationibus, seu propter nuptias donationibus, resignationibus, quittationibus, ac quibuslibet aliis spectantibus & pertinentibus ad contrahentium seu decedentium necessitates, desideria vel commoda quodque fructus & utilitates & emolumenta de hujusmodi cancellaria provenientia antiquitus deputata sint, & de præsenti cedant ad quotidianas distributiones chori ecclesiæ supradictæ; quatenus ipsis & eorum successoribus capituli Sedunens. ecclesiæ dignaremur de dono singularis favoris & gratiæ supradictæ, sicut prænarrata sunt & conscripta una cum ordinatione quadam seu approbatione per spectabilem Petrum comitem de *Alberg* [c] nostrum & imperii sacri pro-tunc generalem vicarium in patria Vallesii factam, traditam & suo sigillo proprio sigillatam, approbare de novo, concedere & gratiosius confirmare, quarum litterarum tenor sequitur per omnia in hæc verba.

1355. Petrus comes & dominus *de Arberg* & in patria Vallesii Sedun. diœcesis pro serenissimo domino Carolo imperatore Romanorum semper augusto, vicarius & capitaneus generalis, universis & singulis communitatibus & singularibus personis dictæ patriæ salutem & sinceram in Domino charitatem. Cum leges humanæ catholicorum imperatorum prohibeant ea quæ sunt juris dominii & ecclesiarum humanis nexibus alligari, nos attendentes laudabilem consuetudinem dictæ patriæ ab antiquo servatam, prout in protocolis registrorum & litteris authenticis & scripturis publicis informati vidimus introductam quod super contractibus perpetuis & ultimis voluntatibus de rebus bonis, seu juribus in dicta patria consistentibus non possint infra terminos regaliæ ipsius patriæ ecclesiæ Sedunensis, nec debeant levari, seu fieri instrumenta cum signis seu notis notariorum quæ appellantur cartæ de nomine & si fiant, quod nulla debet fides in judicio vel extra eisdem adhiberi, sed quod super his per juratos cancellariæ civitatis & parrochiarum Sedunensis diœcesis, per capitulum Sedunense ad quod pertinent cancellariæ prædictæ & custodia registrorum eorumdem deputatos seu constitutos, more solito leventur & fiant cartæ *sive* [d] notis notariorum quibus tanquam publicis instrumentis fides plenaria adhibeatur; ita quod sic levatæ nisi contradictionem habeant infra quadraginta dies a die notitiæ computandos postea impugnari non possint nisi per aliam cartam cancellariæ derogantem eisdem vel per solutionem aut quittationem, seu falsitatem compositas & probatas quarum cartarum registra ad perpetuam rei memoriam & conservationem jurium personarum dictæ patriæ, ecclesiarum & communitatum per dictum capitulum conserventur, & obventiones seu emolumenta dictarum cartarum pro sustinendo cultu divini officii in ecclesia Sedun. sunt quotidianis honoribus distributionibus applicatæ, unde nos prædictam consuetudinem laudabilem reputantes ac devotissimam intentionem dicti domini nostri domini imperatoris, in cujus voto consistere cognovimus omnia quæ ad laudem Dei & augmentum cultus divini ubique specialiter in ecclesia Sedun. cujus patronus est, pertinent augmentare & confovere quantum possumus, affectantes prædictam consuetudinem ejusque observantiam & contenta in eisdem ut supra autoritate qua supra fungimur approbamus, inhibentes omnibus notariis publicis præsentibus & futuris, quia per generalem auctoritatem conficiendi instrumenta publica eis concessam non præjudicatur consuetudini dictæ patriæ specialiter quæ in facto consistit levare sive facere publica instrumenta cum notis super contractibus perpetuis & ultimis voluntatibus contra consuetudinem prælibatam in præjudicium cancellariæ seu jurium capituli prædictorum, decernentes irritum & inane si & a quoquam fuerit contrafactum, nullamque fidem adhibendam instrumentis contra prædicta levatis in judicio vel extra, notarios quoque contra præmissa facientes teneri & compellendos fore ad satisfactionem faciendam capitulo de injuriis & damnis datis, sive obventionibus subtractis eidem capitulo & cancellariæ propter hoc taxandis arbitrio judicis competentis. In horum testimonium præsentes litteras patentes datas apud *Granges* sub sigillo nostro pendenti anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, indictione octava, die VI mensis Julii. Nos igitur consideratione Omnipotentis Dei ad honorem gloriosæ genitricis ejusdem, necnon ad laudem sancti Theoduli prædictæ Sedun. ecclesiæ præsulis magnifici & simili respectu habito ad præclaræ devotionis insignia, quibus ipsi decanus, capitulum & singulares personæ Sedunensis ecclesiæ, pro nostra serenitate & pro conservatione felicissimi status reipublicæ suis devotis orationibus & bonis operibus interpellare jugiter non desistunt, præsertim cum dicta supplicatio de fonte rationis emanat & juste petentibus non sit denegandus assensus, supradicta omnia & singula, eo modo & forma quibus exprimitur superius & ordinationem præfati Petri comitis de *Arberg*, prout rite & rationabiliter processerunt, & usum, ut præmittitur, habuerunt in omnibus suis sententiis, particulis & clausulis deliberato animo non per errorem aut improvide, sed de nostra certa scientia & imperialis potestatis plenitudine ratificamus, approbamus, innovamus & tenore præsentium confirmamus omnibus & singulis inhibentes cujuscumque

[a] teneatur.

[b] imp. donariis.

[c] Arberg.

[d] sine.

Digitized by Google

ſtatus & conditionis exiſtant, etiamſi pontificali præfulgeant auctoritate & dignitate, ne inſtrumenta publica notariorum ſeu litteras alias faciant vel fieri præcipiant, in præjudicium decani & capituli prædictorum, & ex dono uberioris gratiæ prædictis decano & capitulo Sedunenſis eccleſiæ favorabiliter concedimus præſenti imperiali edicto, ſtatuentes ut nullus hominum cujuſcumque conditionis ſive ſtatus, præſumat dictos decanum & capitulum, aut perſonas ſingulares ipſius capituli, aut homines, ſervitores & familiares eorumdem in ſuis perſonis, bonis, rebus, redditibus, juribus, juriſdictionibus, habitationibus, caſtris, & territoriis quovis auſu temerario offendere, moleſtare, ſeu perturbare, nec quemcumque capere vel detinere neque ſaiſinas facere, ipſos homines burgenſes recipere vel ad angarias ſeu per angarias conſtringere ſub pœna noſtræ indignationis & imperii ſacri, & ſub pœna centum librarum Maurienenſium quarum medietatem ærario ſeu fiſco imperialis cameræ, reſiduam vero partem uſibus fabricæ ipſius Sedunenſis eccleſiæ applicandam ſtatuimus toties quoties fuerit contrafactum quomodolibet vel præſumtum, noſtris imperii ſacri & aliorum juribus ſemper ſalvis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc ratificationis noſtræ approbationis, innovationis & confirmationis paginam infringere, aut ei quovis auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, gravem noſtræ indignationis offenſam & pœnam, ut præmittitur toties quoties contrafactum fuerit, ſe noverit irremiſſibiliter incurſurum.

Signum sereniſſimi principis & domini domini Caroli quarti Romanorum imperatoris invictiſſimi & glorioſiſſimi Boemiæ regis. Teſtes hujus rei ſunt venerabiles Bertoldus *Eyſtiten* [a] imperialis aulæ cancellarius, Marguardus [b] Auguſtenſis. Theodoricus Vermand. [c] Aymo Lauſanenſis. Lambertus Spiren. eccleſiarum antiſtites, Rupertus junior comes Palat. Rheni ſacri imperii archidapifer & Bavariæ dux, plures comites & alii barones & nobiles noſtri imperii ſacri fideles. Datum Lauſannæ anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, indictione tertia, XI calendas Julii, regnorum noſtrorum anno decimo nono, imperii vero undecimo.

[a] *al.* Eyſterten.
[b] *al* Marcuardus.
[c] *al.* Wormatienſis.

XVII.

Capitulum Sedunenſe ſuſcipitur ſub protectione & tuitione Caroli IV imperatoris.

1365. CAROLUS quartus divina favente clementia Romanorum imperator ſemper auguſtus & Boemiæ rex. Notum facimus tenore præſentium univerſis quod ad noſtræ majeſtatis præſentiam pro parte Hon. decani & capituli eccleſiæ Sedun. devotorum noſtrorum dilectorum deductum extitit, ac propoſitum querulose qualiter ipſi in perſonis, caſtris, territoriis, rebus, bonis & hominibus eorumdem per nonnullos vicinos pacis & tranquillitatis æmulos multifariis injuriis, perturbationibus ac moleſtiis indebite prægraventur, noſtræque celſitudini obinde devota ac humili inſtantia ſupplicatum, quatenus de innata nobis benignitate & clementia ipſos cum caſtris, territoriis, rebus, bonis, & hominibus eorum univerſis in noſtram ac imperii ſacri protectionem, ſalvigardiam, tuitionem ac defenſionem ſpecialem recipere gratioſius dignaremur. Nos igitur habito reſpectu ad ſinceræ devotionis affectum quo claræ recordationis divi Romanorum imperatores & reges predeceſſores noſtri prædictam Sedun. eccleſiam pro zelo ſunt fervide proſecuti, atque eamdem multiformibus gratiis decorarunt atque honoribus, volentes eorum prædeceſſorum noſtrorum piis inhærere veſtigiis, ac eamdem eccleſiam dono uberioris gratiæ inſignire; & ut ab omni perturbatione quieti liberius regi regum valeant famulari, prædictos decanum, capitulum, ac omnes & ſingulas ejuſdem

A eccleſiæ perſonas cum caſtris, territoriis, rebus, bonis & hominibus eorumdem univerſis & ſingulis animo deliberato, non per errorem aut improvide, ſed de certa ſcientia noſtra in noſtram & ſacri imperii perpetuam protectionem, ſalvigardiam, tuitionem atque defenſionem recepimus, ac tenore præſentium aſſumimus & recipimus ſpecialem ut noſtræ ac imperii ſacri protectionis dextera ſuffulti, ac adjutorio conſolati contra hoſtiles incurſus valeant imperiali præſidio reſpirare, mandantes, ac firmiter injungentes univerſis ac ſingulis principibus eccleſiaſticis & ſecularibus ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, militibus, clientibus, officiatis, civitatibus & locorum communitatibus, villis & terris noſtris, & imperii fidelibus dilectis, quatenus præfatos decanum, capitulum &
B perſonas ejuſdem eccleſiæ Sedun. cum caſtris, rebus & bonis ipſorum prænarratis non moleſtent, aliquatenus gravent de cætero ſeu perturbent, ſed eos noſtra defenſione munitos in ſuis juribus & honoribus manu teneant fideliter & conſervent, ſicut gravem noſtram & ſacri imperii indignationem cupierint evitare præſentium ſub noſtræ imperialis majeſtatis ſigillo teſtimonio litterarum. Datum Lauſan. anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto, indictione tertia, XII cal. Julii, regnorum noſtrorum anno decimo nono, imperii vero undecimo.

XVIII.

C
Emptio caſtri Majoriæ ubi degit epiſcopus, una cum Majoria & juribus quæ habet Seduni & juxta Rhodanum a ponte Ride uſque ad pontem Sirenſem.

IN nomine Domini. Amen. Anno ejuſdem milleſimo 1373.
trecenteſimo ſeptuageſimo tertio, indict. undecima, die quindecima menſis Januarii apud Setam in caſtro Sete videlicet in camera reverendi in chriſto patris domini domini Guichardi Tavelli Dei gratia epiſcopi Sedun. coram me notario publico, & teſtibus infraſcriptis, propter hoc ſpecialiter & perſonaliter conſtituti præfatus dominus Guichardus epiſcopus Sedun. ex una parte, & vir nobilis & potens Bartholetus de Greſiaco major Sedunenſis & condominus Baccii ex altera, dictus nobilis Bartholetus non vi, non
D dolo inductus, ſed ſciens, prudens & ſpontaneus, & de jure ſuo ad plenum bene certificatus, ut aſſerebat, pro ſe ſuiſque hæredibus & ſucceſſoribus ſingulis & univerſis vendidit, & titulo puræ, perpetuæ & irrevocabilis donationis dedit, tradidit & conceſſit, prout firmius & ſolennius eſſe & intelligi poteſt, præfato domino Guichardo epiſcopo Sedunenſi præſenti, ementi, ſtipulanti & recipienti nomine ſuo & ſicut ordinare voluerit in futurum, ea quæ inferius declarantur cum ſuis juribus, pertinentiis & dependentiis omnibus & ſingulis univerſis.

Primo quamdam domum fortem quæ publice vocatur domus Majoriæ Sedun. ſitam apud Sedunum deſuper & ſubtus caſtrum *de Turbillion*, una cum ſuis juribus, pertinentiis & appenditiis, introitibus & exitibus univerſis ipſi domino pertinentibus quoquomodo.

E Item, Majoriam Sedun. & officium Majoriæ una cum dominio & juriſdictione mero mixto imperio ad ipſam Majoriam pertinentibus.

Item, linguas boum & lumbos porcorum dicto majori pertinentes.

Item, generale omnia univerſa & ſingula bona, res, poſſeſſiones, nomina & jura, ac etiam actiones reales & perſonales *Prætorſ.* & civiles, mixtas, utiles & directas quæ & quas dictus nobilis Bartholetus venditor habet, habebat, ſeu habere poterat & debebat, ſi quæ competunt & competere poterant & debebant in præterito tempore præſenti & futuro titulo ſucceſſionis paternæ vel maternæ, ſeu titulo dictæ Majoriæ, ſive ex quacumque alia cauſa, vel jure, vel ratione,

Digitized by Google

vel occasione quibuscunque, videlicet a ponte de Ridda superius & ab utraque parte Rhodani hinc & inde in plano vel in monte alte & basse usque ad pontem *de Sirroz*, sive sint domus, grangiæ, vineæ, prata, terræ, viridaria, arbores fructiferæ vel infructiferæ, census, redditus, homagia, servitia, talliæ, decimæ & jurisdictiones, mixta mera imperia & placita, sive quæcunque alia bona tam corporalia quam incorporalia, exceptis retentis seu . . . . . . temporis præteriti, quæ omnia prædicta vendita confitetur dictus venditor esse & fuisse de feudo homagii ligii dicti domini episcopi & mensæ episcopalis Sedunensis ad habendum, tenendum & possidendum, & quidquid præfato emtori deinceps placuerit faciendum pretio quinque centum floren. boni auri & boni ponderis, quod pretium dictus nobilis Bartholetus venditor nomine suo & hæredum & successorum suorum ad instantiam & interrogationem præfati domini episcopi emtoris stipulantis & recipientis confessus fuit, & in veritate publice tanquam in judicio recognovit se habuisse & integre recepisse ab eodem emtore, & de quo pretio coram me notario & testibus infrascriptis tam in bonis florenis auri boni & ponderis sibi numeratis & traditis, quam alia moneta & redditibus, hominibus, talliis, serviciis & rebus aliis sibi redditis & traditis extitit plenarie satisfactum, & pro centum solidis Maurien. census seu redditus annualis capitulo Sedun. annis singulis persolvendis, vel quinquaginta libras Mauriennenses, semel & Guillelmo majori Montheoli unum modium vini supra decima de Chaudrus annuatim.

Item, fuit actum & per pactum expresse conventum inter dictas partes quod si Petrus dominus *de Lion* gener dicti venditoris seu Agneleta ejus uxor dicti nobilis Bartholeti haberent super prædictis venditis in assignatione, sive alia causa, plus de quater viginti floren. auri boni & ponderis, semel quod illud plus dictus nobilis Bartholetus venditor & sui quod ascenderet ultra dictos quater viginti florenos auri teneatur reficere, solvere, restituere & complere dictis conjugibus, & præfatum dominum episcopum Guichardum emtorem & suos de pluri penitus indemnem observare, & dictus emtor teneatur solvere, dare, restituere, complere dictis conjugibus vel suis quaterviginti floren. auri boni & ponderis, semel si reperiretur dictum nobilem Bartholetum eos assignasse vel obligasse super prædictis venditis seu altera earumdem.

Item, fuit actum & per pactum expresse conventum inter partes dictas quod dictus nobilis Bartholetus venditor & sui teneantur & debeant ex tunc in antea perpetuo singulis annis solvere viginti solidos Maurien. redditus dictis conjugibus e suis quos asserit se dictis conjugibus assignasse seu assecurasse super dictis venditis, seu altera earumdem, aut dictis conjugibus, vel suis assecurare, seu facere idonee respondere & solvere nomine suo in *Chablasso* [a] dictumque emtorem & successores suos de dictis viginti solidis Maur. reddit. ex nunc in antea perpetuo penitus indemnem observare, & de omnibus & singulis aliis obligationibus, & assignationibus sibi conjugibus factis ultra quaterviginti florenos auri vel alteri quoquomodo debet & debeat dictus nobilis venditor & sui onus portare penitus, & nihil penitus dictus emtor, exceptis manutenentiis, rerum per dictum venditorem nobili Bartholeto venditarum seu in feudo traditarum Perreto *Rubein Denas* quam *manuten.* [b] ipsarum rerum dictus emtor & sui debet & debeat perpetuo penitus portare pactum, expresse faciens dictus venditor pro se & suis de ulterius super præmissis aliquid non petendo; si vero prædicta vendita plus valent, vel in futurum valenda sunt, pretio supradicto illud plus dictus nobilis Bartholetus venditor nomine quo supradicto emtori, nomine quo supra stipulanti & recipienti dedit, donavit & concessit donatione pura, perpetua atque irrevocabili quæ dicitur inter vivos causa ingratitudinis sive insinuatione nullo tempore revocanda, devestiens dictus nobilis Bartholetus venditor nomine quo supra, de prædictis venditis præfatum dominum episcopum nomine quo supra stipulantem & recipientem investiendo de eisdem per traditionem unius baculi manualis, prout firmius & solennius esse potest.

a Chablasio.

b manutenen.

Constituens dictus venditor nobilis Bartholetus nomine quo supra se possidere, & quasi prædicta vendita precario nomine præfati domini episcopi emtoris, & pro ipso donec ipse emtor per se vel per alium prædictorum venditorum possessionem adeptus fuerit corporalem, cujus apprehendendæ & sibi & suis deinceps perpetuo retinendæ dat eidem emtori & suis successoribus plenam & liberam potestatem, promittens idem nobilis Bartholetus venditor nomine quo supra per stipulationem solemnem, per juramentum suum supra sancta Dei evangelia corporaliter præstitum per eumdem & sub obligatione omnium bonorum suorum mobilium & immobilium, præsentium & futurorum supradicta vendita dicto emtori & successoribus suis ab omnibus & contra omnes sub modis & formis prædictis in judicio vel extra manu tenere, defendere & salvare suis propriis sumtibus & expensis non expectata . . . . . . seu dominatione aliqua, & se contra prædicta, vel aliqua de prædictis per se vel per alium in judicio, vel extra aliqua arte, vel industria in perpetuum non venire, nec alicui contravenire volenti in aliquo contravenire, sed omnia universa & singula supra & infrascripta, rata, grata & firma perpetuo habere, tenere, attendere & inviolabiliter observare. Renuntians in hoc facto dictus nobilis Bartholetus venditor nomine quo supra scienter in præmissis & per pactum juramentum quo supra vallatum omni exceptioni doli, mali, metus, vis, erroris & in factum sive causa actioni . . . . deceptioni & læsioni, exceptioni dictæ venditionis ut præmittitur non factæ omnique juri . . . . occasione minoris pretii venditionem reprobat & rescindit exceptioni dicti pretii non numerati, non habiti & non recepti speique numerationis, habitationis & receptionis futuræ juridicenti confessionem extra judicium vel coram non suo judice factam non valere petitioni & oblationi libelli copiæ & impugnationi præsentis instrumenti, & ejus notæ, & omni alii juri canonico consuetud. & civili præscripto & non scripto, per quod contra prædicta posset in aliquo se tueri & juridicenti generalem renunciationem non valere, nisi præcesserit specialis & fuit factum quod de præmissis fiat hoc præsens publicum instrumentum ad opus præfati emtoris & successorum suorum quod corrigi & meliorari possit semel vel pluries ad consilium peritorum, sed tamen substantia non mutata etiam postquam dictum instrumentum quomodolibet in judicio porrectum fuerit vel ostensum. Testes ad hoc fuerunt vocati & rogati, videlicet magister Michaël de Contamina medicus, Boletus de Bacco, Domicellus & Johannes Salenus de Bacco. Et ego Petrus . . . . . . Sedunensis diœcesis sacri imperii notarius publicus præmissis interfui & scripsi, signoque meo signavi rogatus a partibus in testimonium veritatis.

X I X.

Contractus inter episcopum Sedunensem & baillivum Vallesiæ patriæ de mercede annuatim percipienda.

IN nomine Domini, amen. Cunctis præsentis ins- 1422.
trumenti paginam visuris pariter & audituris notum fiat atque manifestum quod cum reverendissimus in Christo pater & dominus dominus Andreas miseratione divina archiepiscopus Coloss. administrator perpetuus ecclesiæ Sedunensis, comes & præfectus Vallesii intenderet facere, constituere, ordinare, creare suum baillivum patriæ Vallesii honorabilem virum

Joannem *Hemgarter de Bul* parochiæ *de Conches*, ne imposterum inter ipsos discordia orietur, ad infrascripta devenerunt pacta & conventiones, imprimis idem Joannes debet esse baillivus patriæ Vallesiæ per unum annum integrum incipiendum in festo sancti Joannis-Baptistæ proxime futuro, & plus vel minus prout eidem domino administratori placuerit, & dum dictus Joannes benefecerit & pro ejus salario & provisione tam pro se quam pro familia sua ac pro omnibus aliis quæ petere posset dictus baillivus de jure vel consuetudine tam pro se quam pro ejus familia, ratione salarii, victus & vestitus, quam quibuscumque aliis debitis & dare consuetis per episcopos Sedun. baillivis pro tempore constitutis, dominus administrator sibi dare teneatur centum & quinquaginta floren. pro uno anno & nihil plus omni mense secundum ratam contingentem, excepto hoc quod cum obedien. . . . . . . habuerit in tota patria Vallesii, tunc post quindecim dies immediate sequentes de dicto salario sibi solvere teneatur viginti florenos, & tunc ante duos menses idem baillivus ad rationem sui salarii nihil debet petere nisi post duos menses, quolibet mense ratam sibi contingentem. Item ex dono de gratia speciali, dominus promittit eidem baillivo quinque florenos sibi dandos pro uno curru vini quamprimum sibi provisum sit de obedientia in tota patria Vallesii. Item, eodem tempore sibi dare promittit tres floren. vel unum modium siliginis similiter ex dono. Item, eodem tempore quatuor currus fœni in campo sicco per dictum baillivum ducendos pro equis suis quo voluerit, similiter ex dono. Item, promittit eidem baillivo triginta florenos sibi dandos infra proximum festum sancti Michaëlis pro uno equo, similiter ex dono: quæ omnia supradicta sibi danda tam pro suo salario quam ex dono de gratia dominus sibi potest si voluerit deputare in patria Vallesii super suis redditibus vel super frelberiis & bannis commissis, excepta parochia *de Conches*, & dictus baillivus tenetur acceptare exceptis viginti florenis sibi dandis die quindecima postquam sibi facta fuerit obedientia per totam patriam Vallesii.

Item, cum baillivus transierit ad consilia communitatum Vallesiæ vel ad conservandas nundinas vel ad captivandum aliquos criminosos si voluerit, idem baillivus dominus sibi adjungere teneatur duos familiares pro fortificando ipsum ad expensas dicti baillivi, tamen dominus de gratia speciali sibi dare promittit sex florenos solvendos in sex terminis, videlicet qualibet vice unum cum dicti familiares iverint secum quousque dicti sex floreni sibi sint soluti.

Item, si contigerit quod idem baillivus faceret fieri exsecutionem corporalem aliquorum criminosorum expensæ fiendæ fient de bonis illius contra quem fit exsecutio, si sint; si vero non sint dominus expensas facere teneatur de bannis & frelberiis & clamis ac computo de eisdem faciendo observetur modus infrascriptus.

Primo, quod idem baillivus pro se habeat omnes parvas clamas fiendas in manibus suis, item de aliis clamis, bannis & frelberiis usque ad sexaginta solid. inclusive, de quibus ipse baillivus realem & effectualem fecerit exsecutionem dominus archiepiscopus prædictus percipiat duas partes, & baillivus tertiam partem per manus ejusdem domini.

Item, de clamis, frelberiis & bannis a sexaginta solidis supra commissis & perpetratis tempore sui officii, de quibus ipse fecerit realem & effectualem exsecutionem, dominus archiepiscopus sibi dare teneatur quintam partem & quatuor partes pro se retinere in causis pecuniariis; sed si in dictis clamis, bannis & frelberiis, ratione criminum, maleficiorum & excessuum devolvantur & confiscentur bona immobilia de quibus ipse baillivus realem & effectualem fecerit exsecutionem & libere posuerit ad manus ejusdem domini archiepiscopi, dominus septem partes percipiat, & baillivus octavam.

Item, de omnibus clamis, frelberiis & bannis qui occurrunt tempore sui officii, dictus baillivus debet facere duo inventoria, unum pro domino, aliud pro semetipso, item de clamis, frelberiis & bannis non commissis tempore sui officii, & dominus sibi commiserit exsecutionem eorumdem, dictus baillivus teneatur facere, & pro ejus labore debet habere decimam partem, residuum vero dominus. Item, de justitia & exsecutione debitorum ejusdem domini archiepiscopi & ejus mensæ episcopalis Sedunensis in quibus erit requisitus, dominus baillivus teneatur liberaliter facere exsecutionem absque mercede.

Item, quod dictus baillivus absque licentia domini non possit imponere banna, frelberias vel pœnas, item quod dominus possit facere gratiam de prædictis, quando sibi placuerit.

Item, quod idem baillivus facere teneatur computum de prædictis frelberiis & bannis de tribus mensibus ad tres menses, de quibus omnibus prædictis dictus baillivus remansit contentus & promisit nunquam aliquid petere vel requirere prætextu cujuscumque juris vel consuetudinis, nec pro se neque pro ejus familia, aliqua ratione vel causa. Acta sunt Seduni in curia episcopali antiqua, anno Nativitatis Domini millesimo quatercentesimo vigesimo secundo, indictione XV, die vero 17 mensis Junii, præsentibus viris, venerabilibus & discretis dominis Jacobo de Cresco in legibus licentiato, officiali Sedun. Henrico *Fry* rectore altaris sancti Stephani in ecclesia Sedun. capellano domini archiepiscopi prædicti, magistro Huguto *Richardi* juris perito, Nicolao *Albi* de Glisa castellano *de Herens*, civibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et ego Henricus *Bode* clericus Osnabrugensis, publicus auctoritate imperiali notarius quia præmissis omnibus præsens interfui, ideo hoc præsens instrumentum publicum propria manu mea scriptum inde accepi, scripsi & subscripsi, signoque & nomine meis solitis & consuetis signavi rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium præmissorum.

XX.

Concordatum habitum Brigæ per quod patriotæ fatentur episcopum esse dominum suum in temporalibus & spiritualibus.

IN nomine Domini. Amen. Anno Domini ejusdem millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, 1437.
indictione quindecima, die vero Decollationis sancti Johannis Baptistæ in Augusto Brigæ in prato hæredum quondam Petri *Villicain*, in præsentia nostrorum notariorum publicorum & testium subscriptorum fuerunt specialiter & personaliter constituti reverendus in Christo pater & dominus dominus Guillelmus de Rarognia, Dei gratia episcopus Sedunens. comes & præfectus Vallesii, per sedem apostolicam deputatus ex una parte, nobilesque & discreti viri Petermandus de Chiurone vicedominus Sedunensis, Antonius *Kunen* baillivus patriæ Vallesii cæterique majores castellani, officiarii necnon ambassiatores & nuncii omnium communitatum patriæ Vallesii a Morgia Contegii superius pro infrascriptis, specialiter & aliis agendis ad præsentem diætam generalis concilii in magno numero in unum congregati ex altera. Ibidem prælibatus Dominus noster Sedunens. exhibuit & præsentavit prædictis vicedomino baillivo & aliis ambassiatoribus & nunciis prædictæ patriæ Vallesii bullas & litteras apostolicas sanctissimi in Christo patris & domini domini Eugenii Dei providentia papæ quarti, sigillis plumbeis cordulis Canapi, ut moris est, bullas papales muniri directas per dictum sanctissimum dominum dominum nostrum papam, eidem Domino nostro Sedun. venerabili capitulo civibusque Sedun. populoque & communitati patriæ Vallesii, vassallisque

Digitized by Google

ejusdem ecclesiæ Sedun. necnon serenissimo domino imperatori Romanorum super & de provisione & collatione prædictæ ecclesiæ & episcopatus Sedun. facta per præfatum sanctissimum dominum nostrum papam eidem Reverendo domino nostro Sedun. petens & requirens ipse dominus noster Sedun. sibi per præfatum vicedominum baillivum cæterosque ambassiatores & nuncios dictæ patriæ Vallesii fieri obedientiam & submissionem debitam & condignam tanquam episcopo Sedunensi dominoque ipsorum in spiritualibus & temporalibus secundum earumdem bullarum apostolicarum tenorem & continentiam, quiquidem vicedominus baillivus cæterique officiarii & ambassiatores ac transmissi ex parte & nomine omnium communitatum & desenorum patriæ Vallesii prædictæ, receptis eisdem bullis & litteris apostolicis reverentia & honore quibus decuit earumdemque intellecto tenore, habito in eodem instanti, per ipsos maturo consilio & bona deliberatione volentes quantum in eis est prædicto sanctissimo domino nostro P P. sedique apostolicæ suisque mandatis atque litteris uti veri catholici efficaciter obedire, cupientesque & lætantes eumdem dominum nostrum Sedunens. in dicta ecclesiæ & episcopatus dominatione sublimari ipsum supradictum dominum Guillelmum in dictæ ecclesiæ episcopum & præsulem dominumque ipsorum spiritualem & temporalem gratanter sumserunt, acceperunt & acceptaverunt, assumuntque & accipiunt nomine & vice patriæ Vallesii omniumque communitatum ejusdem tanquam ad hoc transmissi & plenam ut asserebant in hac causa potestatem habentes, & hoc vigore electionis nuper factæ per venerabile capitulum Sedunense prædictum concurrente in hoc concilio & voluntate earumdem communitatum, necnon vigore prædictæ papalis & apostolicæ provisionis eidem domino nostro Sedun. factæ per prænominatum sanctissimum nostrum papam ejusque bullas & litteras apostolicas una cum universis donationibus, prærogativis, privilegiis, jurisdictionibus, bonis, juribus, emolumentis cæterisque ejusdem dominationis tributis oneribus & honoribus spiritualibus & temporalibus, ad ipsam ecclesiam & mensam episcopalem Sedunensem præfecturamque & comitatum patriæ Vallesii quomodolibet pertinentibus sicut & quemadmodum per sanctum Carolum imperatorem reperitur dotatam & collocatam fuisse eamdem ecclesiam & patriam S. Theodulo tunc episcopo Sedun. offerentes se præfati vicedominus baillivus & cæteri transmissi & nuncii per communitates Vallesii nomine prædictæ patriæ eidem domino nostro Sedunensi in spiritualibus & temporalibus obedire & servire, eumque in protectione & libertate ecclesiæ, patriæ ac justitiæ ministrandæ statusque patriæ pacifice conservandi, fortem facere omniaque alia facere quæ subditi eorum domino spirituali & temporali semotis omni dolo & fraude obligantur; de quibus dictus dominus noster Sedun. præcepit fieri per nos subscriptos notarios, unum vel plura instrumenta ad dictamen sapientium testesque apponi qui sic vocantur. Frater Johannes Pacis ordinis heremitarum S. Augustini de Friburgo honorabilibusque & discretis viris Anselmo curato *de Narres*, domino Georgio Holes curato de Aragno, Alberto *Waffin* curato de Simplono, Henrico *Tegesten* clerico Blivæ notario & pluribus aliis fide dignis.

Ego namque *Gaspard Curten* de Briga publicus authoritate imperiali notarius qui præmissis omnibus una cum antedictis testibus hoc instrumentum publicum cum notario subscripto recepi, & per alium notarium fideliter scriptum signavi signo & nomine mihi consuetis rogatus in testimonium præmissorum.

Et ego Petermandus de Platea de Sirro authoritate imperiali publicus notarius, qui præmissis omnibus una cum dictis testibus præsens fui & hoc præsens publicum instrumentum cum præscripto notario recepi & per alium fidelem notarium scriptum signavi signo & nomine meis mihi consuetis in A testimonium veritatis omnium præmissorum, *Gaspard Curten* & Petermandus de Platea notarii.

XXI.

Electio Henrici Esperlini in episcopum Sedunensem. *Ex archiv. capit. Sedun.*

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis Christi fidelibus fiat manifestum, quod cum mortuo & sepulto reverendo in Christo patre & domino domino Guillelmo de Rarognia, Dei & apostolicæ sedis gratia episcopo Sedunensi, præfecto & comite Valesii, viri venerabiles & circumspecti domini Anselmus *de Fusanay* decanus Valeriæ in ecclesia Sedun. Rodolfus B *Koeffe* sacrista, Jacobus *Andrueti* cantor, Antonius *de Courches*, Girardus *Mileti*, Jacobus in Campo, Martinus episcopi, Georgius *Multoris*, Simon *Biacerman*, Joannes *de Leifeire*, Joannes Accariæ, Petrus *Regis*, Franciscus de Originibus, Waltherus de Supersaxo, Bartholomæus *Kalbermater*, Joannes *Echa*, omnes presbyteri ac Sedunenses canonici in futurum pastorem seu episcopum Sedun. nominassent & elegissent virum venerabilem & circumspectum dominum Henricum *Esperlini* decanum Sedunensem ac eidem supplicassent tam diebus vicesima secunda quam vicesima tertia mensis Januarii anni currentis, tam in ecclesia cathedrali B. Mariæ virginis Sedunensis inferioris, quam ecclesia B. Catharinæ superioris, ut consensum electioni hujusmodi præbere illamque approbare & C ratificare vellet, eisque primo dixerit quod infra tempus juris responderet & successive tam præfatis dominis electoribus quam civibus Sedunensibus patriotis, seu hominibus patriæ Valesii de omni parte patriæ Valesii congregatis, pro hujusmodi adhæsione iterum instantibus, habito cum suis consilio, responderit ut ante omnia ipsi cives, patriotæ seu communitates annullarent & revocarent nonnulla capitula ante castrum *de Narres* patriæ Valesii Sedun. diœcesis, anno Domini millesimo quatercentesimo quadragesimo sexto, die vicesima octava mensis Jan. per ipsos contra libertatem ecclesiæ Sedunensis facta, & ipsis revocatis publice & de revocatione publico stipulato instrumento, ad perpetuam rei memoriam, eisdem responderet; alias nullo modo electioni hujusmodi adhærere esse dispositum, respondissentque ipsi domino electo præfati D patriotæ quod hoc facere pro tunc a suis desenis non habebant in mandatis, & ita ex ipsorum patriotarum tunc astantium deliberatione quilibet ad suum locum rediisset posituras in desenorum suorum deliberatione quæ ut supra per præfatum dominum electum postulata erant, ut omnia in decreto electionis & processu hujusmodi super inde confecto apertius legitur contineri. Tandem anno a Nativitate ejusdem millesimo quatercentesimo quinquagesimo primo, indictione decima quarta cum eodem anno sumta, die vero septima mensis Februarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Nicolai divina providentia papæ quinti anno quarto, Seduni in castro Valleriæ & in navi dictæ ecclesiæ B. Catharinæ, hora nona, in mei notarii publici testiumque E infra scriptorum ad hæc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, iterum personaliter comparuerunt coram supradictis dominis Henrico electo & electoribus, præfati cives Sedunenses & patriotæ Valesii in numero ter centum vel circa ex parte civitatis Sedun. patriæ Valesii suorumque desenorum propter factum subscriptum transmissi, qui domino electo per organum nobilis viri Martini *Churen* capitanei seu baillivi Valesii responderunt, quod patria Valesii aliqua olim fecerat capitula populo seu reipublicæ utilia & honesta, ex quibus ecclesia Sedunensis nullo modo læsa fuerat, sic supplicarunt ut illa præsertim confirmaret, & si quæ alia erant quæ contra libertatem ecclesiæ Sedun. facerent, illa in promptu revocare & annullare 1451.

Digitized by Google

se offerebant; ad quæ illico respondit ipse dominus electus, hoc facere potestatem non habere, verum talia ad dominum nostrum papam spectare, inde rursus ante omnia hujusmodi capitula omnia & singula revocari per ipsos & annullari petiit. Postque exhibitis ipsis patriotis & de verbo ad verbum perlectis & clare expositis legendis gloriosissimorum Dei confessorum, sanctorum Theoduli & Caroli magni imperatoris, necnon largitionis littera serenissimi principis & domini domini Caroli quarti divina favente clementia Romanorum imperatoris, cujus sigillum filis sericeis, nigris & croceis erat appensum, & cera virginea constructum ab anteriore parte, in medio figura imperialis habens diadema in capite & sceptrum in manu dextra, duæ autem aquilæ, una a dextris intermedio scuto cum figura aquilea, alia a sinistris figura leonina, in cujus circumstantia scripta erant hæc verba: *Carolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus & Boemiæ rex.* In posteriori vero parte ipsius sigilli parvum erat sigillum cera rubea, albæ virgineæ impressa, cujus figura erat aquila, in cujus circumstantia erat scriptum, *justa judicate filii hominum:* quibus primo ex legenda S. Theoduli inter cætera talis continetur clausula, *Valesiam præfecturam, quæ in nostra diœcesi sita est, sanctæ Mariæ Sedunensi gratanter donate, & ipsam cum Deo Deumque cum ipsa propitios habete, semper importunum & ecclesiasticæ libertatis quieti contrarium est, ut seculari exactione vexentur qui altaris & ministerii Dei officiis addicti, internorum curam gerere debent; cujus petitioni imperator protinus annuens eumdem comitatum episcopo venerabili Theodulo suisque successoribus perpetua stabilitate subnixa contradidit.* In legenda vero S. Caroli talis describitur clausula: *Idem gratiosi beneficii per meritum hominis a Deo accepti non immemor, præfecturam Vallensem cum omni districtu & jure quod sibi attinebat S. Mariæ Sedunensi libere contradidit perpetualiter possidendam, ut ecclesiæ Sedunensis episcopus gladium ancipitem seu bis acutum, spiritualem scilicet & materialem, habeat in manibus ad divini nominis gloriam & honorem:* & ex littera Caroli quarti continetur, quomodo inter cætera cancellariam Sedunensis ecclesiæ pie donavit, cujus fructus in quotidianas distributiones dividi debent. Quapropter habito inter ipsos cives & patriotas secreto & particulari colloquio per organum supradicti nobilis Martini *Churen* baillivi seu capitanei Valesii nominibus suis & suorum desenorum ab ipsis potestatem seu plenum mandatum ad hæc habentium, matura inter ipsos, ut dixerunt, deliberatione præhabita, omnia & singula illa capitula die qua supra per ipsos ut præfertur condita pure & libere coram ipso domino electo & electoribus revocaverunt & annullaverunt, & ecclesiam Sedunensem ipsiusque ministros reduxerunt & reductos esse voluerunt in libertates, dominia & franchisias suas solitas & consuetas, & alias per S. Carolum imperatorem pie S. Theodulo concessas, nihil prorsus excipiendo vel diminuendo: de qua quidem revocatione & annullatione ac reductione omnibusque & singulis præmisso, sicut præmittitur, modo, dictis responsis & gestis ipse dominus electus ac discretus vir dominus Johannes *Hekar* canonicus Sedunensis procurator eoque nomine venerabilis capituli Sedunensis ad perpetuam rei memoriam ad opus ipsorum & quorum interest vel interesse potest, in futurum publicum sibi fieri postulavit instrumentum unum & plura, si & quot forent necessaria. Acta fuerunt hæc anno, indictione, die, mense, pontificatu & ubi quibus supra, præsentibus ibidem venerabilibus ac discretis viris dominis Johanne Pavieti, Stephano *de la Lex* presbyteris & in ecclesia Sedunensi intitulatis, honestisque viris Mathia Gebelini, Laurentio Groli civibus Sedunensibus, pluribusque aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

A Et ego Johannes Jaquoti de dominico Benigno Bisuntinensis diœcesis clericus, in ecclesia Sedunensi intitulatus, publicus imperiali auctoritate notarius, & mensæ episcopalis Sedunensis juratus, quia præmissis omnibus & singulis, dum sicut præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens fui, eaque sic fieri audivi & vidi, ideo præsens publicum instrumentum manu propria scriptum inde recepi pro signo & nomine meis solitis & consuetis signavi rogatus & requisitus in fidem, robur & testimonium omnium & singulorum præmissorum. Johannes Jaquoti notarius stipulator.

XXII.

B *Electio domini Walterii de Supersaxo episcopi Sedunensis.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Noverint universi quod anno a Nativitate Domini 1457, indict. V; die vero 20 mensis Decemb. hora prima, pontificatus SS. in Christo patris & domini nostri domini Calixti divina providentia papæ tertii anno tertio in nostrorum notariorum publicorum testiumque infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum & rogatorum, præsentia viri venerabiles & circumspecti DD. Anselmus *de Fausonay* decanus Valleriæ in ecclesia Sedun. Rodulfus Coeffi sacrista, Antonius *de Conches* cantor, Jacobus in Curiis, Petrus Cochardi, Georgius *Multoris,* Simon *Bridman,* Johannes de Leicerio, Johannes Acariæ, Petrus Regis, Andreas *de Silinon*, Johannes *Echard,* Thomas Tessuloti, Petrus de Mota, Johannes Jacobi, Johannes Stephani, Leonardus præpositi, Antonius Parvi, &c. præsbyteri & Sedunenses canonici personaliter constituti ad sonum campanæ capitularis in choro ecclesiæ B. Mariæ Sedunensis, loco videlicet capitulari capitulariter congregati, propter infrascripta animadvertentes asseruerunt quod bonæ memoriæ reverendo in Christo patre & domino Henrico *Esperlin* Dei & apostolicæ sedis gratia episcopo Sedunensi, præfecto Vallesii & comite, die decima quinta mensis Decembris, hora horologii octava proxime præterita, sicut Deo placuit, viam universæ carnis ingresso ipsiusque corpore reverenter in ecclesia Valleriæ ut decuit ecclesiasticæ tradito sepulturæ, & quod propter vacationem diuturnam ecclesiæ pastoris solatiis destitutæ, gravia in spiritualibus & temporalibus sæpissime patiuntur dispendia, inde sacri canonum conditores provida deliberatione censuerunt ut ultra tres menses vacare non debeant ecclesiæ cathedrales, &c. ad tractandum de futuri pastoris ecclesiæ Sedunens. electione fienda, diem prædictam vicesimam hujus mensis acceptaverunt & concluserunt acceptandam hora prima, &c. qua die vicesima capitulariter in Choro ecclesiæ beatæ Catharinæ castri Valleriæ congregati & existentes decreverunt processionaliter accedere & accesserunt ad ecclesiam B. Mariæ Sedunensis inferioris, in qua de more solito & ab antiquo electiones pontificum quoties locus vacationis contingit per capitulum fieri consueverunt, missaque de Spiritu sancto per venerabilem virum dominum Johannem de Leicerio prædictum ad majus altare dictæ ecclesiæ solemniter celebrata, &c. servatisque servandis præfatus dominus Anselmus decanus primam vocem in capitulo se dicens habere, de voluntate & consensu omnium coeligentium requisivit cæteros fratres concanonicos si scirent aliquos absentes, &c. quibus omnibus præmissis præfati domini singulariter singuli ibidem adstantes & capitulantes, nullo alio tractatu interveniente, subito & repente sancti Spiritus gratia invocata, &c. nullo penitus discrepante de ætate litterarum scientia, vita ac morum honestate venerabilis viri domini Walteri de Supersaxo canonici Sedunens. ad plenum ut dixerunt informati, ipsum

Digitized by Google

quamvis absentem elegerunt in suum pastorem & futurum episcopum nominaverunt, postquam hymnum *Te Deum laudamus, &c.* sæpedicti domini canonici hujusmodi electionem suam per fidelem internuncium alta & intelligibili voce solemniter, ut moris est, clero & populo ibidem in multitudine copiosa astantibus in lingua Gallicana & Germana publicari fecerunt & publicaverunt, &c. Porro quia ipse dominus Walterus ipsorum electus in hujusmodi electione præsens non aderat, sed in villa *de Aragnon* Sedun. diœcesis ut tunc dicebant personalem moram trahebat, ex ipsorum capitulari definitione venerabiles viros dominos Petrum Cochardi in decretis licentiatum, & Johannem *Ékard* præfatos canonicos ad ipsum direxerunt, eisdem committentes ut ipsorum electionem de ipso præmissio sic ut præmittitur modo factam sibi præsentarent, intimarent, ac ut eidem adhæreret in nomine domini atque consentiret, ipsum exhortarentur, requirerent & debite interpellarent, qui ut constat ex fida ipsorum relatione patriotarum multitudine concomitati hæc exsequentes, ab ipso responsum acceperunt quod huc ad Sedunum venire de consilio fratrum concanonicorum nobilium civium Sedunensium patriotarum Vallesii ac sui & aliorum præsens communicare, & dante domino ad petita maturius deliberare & respondere disponebat. Tandem die vicesima quarta sequente mensis & anni prædictorum, in civitate Sedunensi, in choro ecclesiæ S. Theoduli, hora prima, ipse dominus Walterus electus omnes & singuli præfati domini canonici electores ac nobiles cives Sedunenses & de omni parte patriæ Vallesii ac diœcesis Sedunensis homines personaliter propter infrascripta ipsorum more ut asseruerunt congregati usque ad numerum mille hominum & ultra debita instantia dominum electum exhortati sunt & requisierunt ut ipsorum electioni adhærere suumque consensum præbere vellet, qui post multas excusationes tandem cum nonnullis particulari participato consilio in locum suum reversus, divinæ ut asseruit nolens resistere voluntati, sed Deo Omnipotenti, B. Mariæ Virgini, S. Theodulo, B. Catharinæ totique supernorum curiæ gratias humiliter reddidit, & publicæ electioni de se factæ per viam S. Spiritus signo crucis se præmuniendo adhæsit, consensum suum præbuit pariter & assensum; quo consensu sic præstito, Deo omnipotenti & toti curiæ cœlesti, ac eidem domino Waltero electo, laudes & gratias reddiderunt ipsi domini electores, clerus necnon nobiles cives Sedunenses & alii patriotæ & diœcesani tunc adstantes, & in signum lætitiæ omnes campanas solemniter pulsari fecerunt, & decantantes hymnum *Te Deum laudamus,* ad ecclesiam B. Mariæ cum clero & toto populo reversi processionaliter, juxta ipsorum consuetudinem & ecclesiæ Sedunensis super magnum altare ipsum posuerunt & intronizaverunt, hymnoque finito, versiculo & oratione per ipsum decantatis, gratias Deo præfati domini electores clerus & populus referentes, sic ab eadem ecclesia ad propria redeuntes recesserunt.

De quibus omnibus & singulis præfatus dominus Anselmus vice sua & aliorum dominorum concanonicorum, ac etiam cleri & populi ibidem adstantium petiit, & cum qua potuit instantia requisivit sibi & omnibus habere volentibus de præmissis publicum fieri instrumentum unum & plura, &c.

XXIII.

Privilegia concessa a Carolo magno ecclesiæ & episcopo Sedunensi, per officialem Sedunensem visa & recognita.

1477. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Legislatoris provida censuit auctoritas ut documenta de quorum consumtione vel perditione timetur, & quibus eodem

A tempore diversis locis & partibus opus est experiri per transcriptum publicum instrumentum seu exemplar quod *vidimus* vulgariter nuncupatur judicis censura serventur ut rei gestæ memoria pateat, & ipsa veritatis essentia certioris probationis inspectione valida ubique incunctanter lucescat. Pateat igitur evidenter universis & singulis tam præsentibus quam futuris, præsens transsumtum seu *vidimus* exemplar, & publicum instrumentum visuris, lecturis pariter & audituris, quod nos Leonhardus Præpositi canonicus & officialis Sedun. sedentes pro tribunali ad jura reddendum & causas audiendum in curia nostra causarum teneri solita & consueta, notum facimus & veridice attestamur quod præsentato coram nobis in judicio per venerabilem virum dominum Bartholomæum *Kalbermatter* B canonicum, sacristam & custodem librorum insignis ecclesiæ cathedralis Sedun. quodam magno authentico libro pergameno, in quo inter alias apostolorum aliorumque sanctorum legendas vita & legenda beati Caroli magni imperatoris & confessoris, ac ejusdem ecclesiæ Sedun. *dicatoris* describitur & authentica in tota diœcesi Sedun. habetur, fuimus pro parte discreti viri Johannis Jordani de Briga notarii castellani S. Mauricii Agaunensis, procuratoris, & eo nomine reverendi in Christo patris & domini nostri domini Waltherii Suprasaxo Dei & apostolicæ sedis gratia episcopi Sedun. præfecti & comitis Vallesii, de cujus procurationis mandato quo ad hunc actum nobis legitime constitit debita cum instantia requisiti quatenus pro juribus ecclesiæ Sedunensis restaurandis & reintegrandis nonnullas clausulas substantiales ex dicto C libro authentico, & ex vita sive legenda B. Caroli magni imperatoris prædicti extrahere, copiare, transsumere, transcribere, collationare & in authenticam & publicam formam redigere, & per notarios publicos subscriptos extrahi, copiari, transsumi, transcribi, collationari & in authenticam & publicam formam redigi faceremus, nostramque auctoritatem & judiciale decretum hujusmodi transsumto interponere vellemus & dignaremur, quarum clausularum tenores sequuntur, & est talis :

« Incipit vita B. Caroli magni imperatoris & confessoris. Die hodierna, veneranda orthodoxi Caroli magni imperatoris ac nostræ ecclesiæ dicatoris memoria convenienter nos aliqua de tot & tantis ejusdem gestis insignia velut ex horto deliciarum & universi D generis aromatum excerpta Christi fidelibus enarrare, item alias ejus gravi culpa quam licet abominandam a se commissam confiteri erubuerit, se tamen medullius doluit commisisse B. Theodulo Sedunensi episcopo; propter hoc ad ipsius Caroli petitionem, divinam misericordiam imploranti, divinitus detecta & per pœnitentiam salutarem venia subsecuta, idem gratiosi beneficii per meritum hominis a Deo accepti non immemor præfecturam seu comitatum Vallensem cum omni districtu & jure quo sibi attinebat sanctæ Mariæ Sedunensi, libere contradidit perpetualiter possidendum ut ecclesiæ Sedunensis episcopus gladium ancipitem seu bis acutum, spiritualem scilicet & materialem, habeat in manibus ad divini nominis gloriam & honorem : denique gloriosissimæ memoriæ E Carolus primus ex Francorum rege Romanus imperator, Romanæ sedis excultor præcipuus & patronus ecclesiis, viduis, orphanis, pauperibus oppressis, justissimus propulsator omni proximo necessitatem patienti, promptissimus sublevator cœnobiorum & pauperum consolator, eleemosynarum munificus largitor liberalis, hospitalitatis hilarissimus frequentator, Christi fidelium in manu gentilium captivorum interdum in victualibus procurator, interdum a vinculis redemtor & extractor orthodoxæ fidei ampliator, murus domus Israël inexpugnabilis, ascendentibus ex adverso hæreticæ pestis fidelissimus extirpator, clericorum venerator, liberalium artium diligens indagator, earumdem doctorum amplissimus exaltator, divinæ paginæ

Digitized by Google

paginæ fervens perscrutator, legum imperialium declarator, suppletor & corrector, canonum observator, author canonisationis corporum sanctorum nostrorum Felicis & Regaliæ & Exuperitii, & eorumdem ecclesiæ præsentis fundator & ditator, post multa mirifica & sua magnifica gesta testamento legaliter instituto Ludovico filio substituto distributione thesaurorum ordinata tribus annis antequam decederet, tandem Aquisgrani febribus correptus innumeris prodigiis fere per triennium continuum mortem suam pronosticantibus anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quarto decimo, anno vero regni ejus in Francia quadragesimo sexto, & Italia tricesimo nono, imperii autem quarto decimo, v calend. Februarii, hora diei tertia, anno ætatis suæ septuagesimo secundo, indictione VII, communione Dominici corporis & sanguinis percepta decantando versiculum, *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, in Domino obdormivit ».

Unde nos officialis antedictus petitioni hujusmodi, juri & rationi consonæ de juris benignitate favorabiliter annuentes consideratis in hac parte considerandis vidimus, tenuimus, legimus, palpavimus & diligenter inspeximus, ac per notarios publicos subscriptos & curiæ nostræ juratos, coram nobis & in nostri præsentia de verbo ad verbum videri, perlegi, teneri, palpari & diligenter inspici fecimus præinsertas clausulas substantiales, quas comperimus una cum notariis & testibus subscriptis fore & esse sanas & integras, non abrasas, non cancellatas, non vitiatas, non abolitas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus suspicione & vitio carentes per fideles notarios & curiæ nostræ juratos infrascriptos extrahi, copiari, exemplari, transcribi, transsumi & in publicam & authenticam formam redigi collationemque præsentis transsumti ad prætactam vitam sive legendam Carolinam fieri fecimus & mandavimus diligentem, per quam hoc præsens publicum transsumtum cum originali vita sive legenda Carolina prætacta omnino concordare invenimus, substantia facti in aliquo non mutata; ac ideo decrevimus & per præsentes decernimus transsumto hujusmodi standum esse in judiciis & extra, illique plenariam ac talem & tantam fidem adhibendam fore qualem & quantam originali legendæ fides adhiberetur, si in medio produceretur, nostram auctoritatem interponentes pariter & judiciale decretum. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes transsumti literas exinde fieri, & per notarios publicos subscriptos signari & subscribi ac sigilli officialatus curiæ nostræ fecimus appensione communiri. Datum & actum quoad hujusmodi visionem Seduni in antiqua curia mensæ episcopalis Sedun. die 15 mensis Januarii, anno a Nativitate Domini sumto millesimo quatercentesimo septuagesimo septimo, præsentibus ibidem discretis viris Johanne Quarri, Petro Valdini, Michaële de Simplono & Johanne Jullieti notariis publicis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et me Johanne Depictu, dicto *Betoy* de Borieta, Novariensis diœcesis siveque & Sedun. residen. atque imperiali auctoritate notario publico & curiæ officialatus Sedun. jurato cum præmissis omnibus & singulis, dum sic fierent & agerentur, ut præmittitur, una cum prædictis testibus & discreto viro Johanne de Prenseriis notario publico subscripto, dictarum clausularum vitæ B. Caroli magni imperatoris ut supra insertarum præsentationi, visioni, receptioni, palpationi, collationi, decreti interpositioni præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, ideo præsens publicum instrumentum seu *vidimus* transsumti manu alterius scribæ fideliter scriptum rogatus recepi, in hancque publicam formam redigi feci, meque in eo subscripsi atque signavi fideliter & tradidi in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum.

Et me itaque Johanne de Prenseriis de Savisia cive & incola civitatis Sedun. publico imperiali auctoritate notario, præfatique domini officialis & ejus curiæ coram eo ad hujusmodi actum scriba, qui præmentionati libri judicialiter factæ productioni, exhibitioni, præsentationi & præfati domini officialis receptioni, palpationi atque præinsertæ vitæ B. Caroli imperatoris visioni præsentisque transsumpti & *vidimus* concessioni, decreto ac collationi sic ut præmittitur factis præsens interfui, eaque sicut decernunt fieri, vidi & audivi una cum discreto viro Johanne de Pictu notario & jurisc. præscripto, indeque hoc præsens publicum instrumentum hujusmodi transsumti seu *vidimus* sic nuncupat. rogatus, de mandato præfati domini officialis recepi una cum prædicto notario, & per alium fidelem notarium fideliter scribi feci meque subscripsi diligenti prius cum vero originali hujusmodi transsumti facta collatione signoque & nomine meis solitis signavi una cum præfati domini officialis & ejus curiæ appensione fideliter & tradidi in robur fidem & veritatis testimonium omnium & singulorum præmissorum.

XXIV.

Instrumentum simile præcedenti continens legendam S. Theoduli visum & recognitum per eumdem officialem.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Legislatoris provida censuit authoritas, &c. . . . . . « In natalibus S. Theoduli episcopi. Temporibus igitur Caroli magni in Burgundionum terra Theodulus conversatus est ubi in tanta conversatione morum inter provinciales illos excrevit ut non solum juxta positorum, sed etiam longe manentium civium in se provocaret affectum; ita ut omnes quasi patrem haberent in quo statum totius perfectionis viderent in tantum excrevisse, unde contingit ut Sedun. ecclesiæ præsule defuncto B. Theodulus eidem regendæ præficeretur ut qui in propria domo bene & ordinate ante disposuerat, cæterorum ignorantiam doceret quod in suo postmodum honeste tractaret. Postquam autem episcopale culmen adeptus est, puro homini præter naturam nihil relaxabat, sed semper eidem ita voluit imperare ut imaginis Dei similitudinem non auderet arroganter vitiare, in omni devotionis suæ opere id agere satagebat ut misericordiæ & veritatis obventionem taliter præferret in publicum ne aliqua occasione contrariæ partis inimici justitiæ & pacis corrumperet osculum; unde factum est ut relatione famosa currente prædicti domini piissimi Caroli notitiam habere cœpisset, atque inter cætera quæ idem dilectus dominus ab eodem facienda cognovit, cuidam generali concilio ab eodem rogatus interfuisse narratur, ubi, sicut in posterum rei probavit eventus, quantæ dignitatis vir iste fuerit & præsentes qui tunc aderant agnoverunt, & futuris memoriæ mandandum reliquerunt; inter alia quæ ab ecclesiasticis viris in eodem concilio necessaria inventa sunt, memoratus princeps, sicut dictum est, judex in principio accusator est sui, episcopos omnes secreta silentii allocutione reverenter aggressus est, & cujusdam capitalis criminis prævaricationem se incurrisse lacrymabiliter professus est. Grande, inquit, me peccatum commisisse profiteor, quod quia nomine ipso valde vituperandum est in facti sui immanitate omnimodis est exsecrandum, nunc ergo orationum vestrarum solatia adhibete & pœnitentiæ meæ fructum vobis acquirite, ita ut unusquisque vestrum in suæ ecclesiæ domum revertens missarum oblationes pro me Deo offerat, & ut absolutionis meæ spem ad altiora vel etiam certiora producat, quantas aut quales impræsentiarum nominatim edicat, cui satisfactioni tam pii principis pro Deo annuentes nonnulli etiam im- 1477.

Digitized by Google

A » peratoriæ severitatis lege coacti, triginta aut viginti aut decem missas se facturos promiserunt; tunc S. Theodulus, sicut semper solebat, conscientiæ suæ temperamento, humilitatis reverentiam imponens, tantum unius missæ oblationem se pro eo supplicaturum promisit: istius promissionis voce accepta Augustus, & omnes qui aderant vehementer admirati sunt indignatione pro ignorantia: hoc enim promisisse credentes.... firmata tamen stipulatione sui promissi statim ad propria fuere reversi: vir autem domini Sedunum veniens die nocteque lacrymis & orationibus insistendo divinæ miserationis auxilium pro lapsu quem ignorabat incessanter supplicare curabat. supervenit statuta dies qua missarum oblationem devotus fidejussor explevit, & ecce angelica revelatione quid aut quantum Augustus deliquerit, per ordinem agnovit, B & etiam insuper in suæ dignitatis obtinuit opere ut alienæ præsumptionis delictum absolvere potuisset, ut impleretur quod dicitur: oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec appropinquet non consolabitur & non discedit donec aspiciat altissimus. Peracto deinde tempore Christianæ fidei obsides quos prædiximus convenerunt omnes, quod promiserunt regiæ expectationis audientiæ retulerunt: his auditis imperator digna gratiarum actione omnibus satisfecit, & quidquid sibi postea observandum fuisset, inquisivit.

» Quem S. Theodulus secreta altercatione semotum ducens consolatus est, dicens domine semper Auguste Omnipotenti Deo gratias age, talia & tanta ab angelo audivi, in quibus te peccasse cognovi, emenda hæc C omnino dimissa sunt: spontanea enim professione pœnitentiam quæsisti, idcirco indulgentiæ locum invenire meruisti. Quo responso Augustus lætus efficitur, & egregii antistitis benivolentiam regiis donationibus & muneribus remunerari volens, maximum ei opportunitatis & familiaritatis locum inter amicos concessit & in omnibus suæ voluntatis effectibus se obtemperaturum promisit; cui episcopus ait Vallensium præfecturam quæ in nostra diœcesi est S. Mariæ Sedunensi gratanter donate, & ipsam cum Deo Deumque cum ipsa propitios habere, semper importunum & ecclesiasticæ libertatis quieti omnino contrarium est, ut seculari exactione vexentur qui altaris & ministeriorum Dei officiis addicti internorum curam gerere debent; sed ut sæpe contingit inter plebeios, quod spirituale est aliquando minus perpenditur, qui eccle- D siasticus est si bicipitem gladium portat in manu carnali non quidem occidendo, sed terrendo, incidit in spiritualitatem quasi & blandiendo unguentum curationis imponit. De talibus profecto psalmista exponit, dicens, exultationes Dei in gutture eorum & gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis.

» Cujus petitioni imperator protinus annuens eumdem comitatum episcopo venerabili Theodulo suisque successoribus perpetua stabilitate subnixa contradidit, &, sicut dictum est, multi requirunt faciem principis, a domino egredietur judicium singulorum, multi qui aderant se multa percepturos opinati sunt, hic quia in domino confisus est judicium ejus sublatum E est; interea vir domini regiæ magnificentiæ donatione percepta domum reversus tanta, ut prædiximus, auctoritate vivendi usus est ut divinæ pietatis augmentum in illo tempore in tantum percipere meruisset, quo non solum puræ conscientiæ frueretur arbitrio, sed etiam faciendorum signorum non modico dignus haberetur imperio ».

Igitur nos officialis, &c. *ut in præcedenti.*

XXV.

Recognitio transactionis inter Amedeum Sabaudiæ principem, & Bonifacium episcopum Vallesiæ pro regalia ecclesiæ Sedunensis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. 1481. Legislatoris provida censuit auctoritas ut documenta de quorum consumtione vel perditione timetur, & de quibus in diversis locis & partibus eodem tempore opus est experiri per publicum transsumti instrumentum, sive exemplar quod *vidimus* vulgariter nuncupatur juris censura serventur ut rei gestæ memoria pateat, & ipsa veritatis essentia certioris probationis inspectione vallata ubicumque incunctanter elucescat. Pateat igitur evidenter universis & singulis tam præsentibus quam futuris, hoc præsens transsumti instrumentum, seu *vidimus* & exemplar visuris, lecturis, pariter & audituris, quod nos Leonardus Præpositi in utroque jure baccalaureus, canonicus & officialis Sedun. notum facimus & veridice attestamur quod nos ad debitam instantiam & requisitionem discreti viri Jacobi Bosoni clerici notarii publici, procuratoris & procuratorio nomine reverendi in Christo patris & domini nostri domini Walterii de Supersaxo Dei & apostolicæ sedis gratia episcopi Sedun. præfecti & comitis Vallesii, de cujus procurationis mandato quo ad hunc actum legitime nobis constitit & constat coassumtis nobiscum notariis publicis & testibus subscriptis ad castrum majoriæ solitæ habitationis præfati reverendi domini domini nostri Sedunensis episcopi in civitate Sedun. personaliter accessimus, archiviumque secretorum ecclesiæ Sedun. publicum jurium, privilegiorum & scripturarum ecclesiam Sedun. & patriam Vallesii concernentium quod est in eodem castro aperiri, & ejusdem archivii nonnulla jura ecclesiæ Sedun. & patriæ Vallesii opportuna quærere, & claves ejusdem archivii nobis communicari requisivimus per præfatum dominum Sedun. episcopum, qui etiam ipsas claves per discretum virum Petrum Dñars notarium & secretarium præfati domini episcopi, ac de mandato ejusdem nobis præsentavit; & archivio aperto, intravimus, & visitando litteras & informationes inibi servatas, inter alia invenimus aliquod antiquum recordamentum transactionis factæ & initæ inter nobilem baronem Amedeum comitem Sabaudiæ & venerandum dominum Bonifacium episcopum Sedunensem & diœcesanos Sedun. non rasum, non vitiatum, nec in aliqua sui parte suspectum; quod recordamentum dictus Jacobus Bosoni procurator, ut supra, requisivit per notarios subscriptos exemplari, transsumi atque in publicam & authenticam formam redigi faceremus, nostram quoque auctoritatem & judiciale decretum hujusmodi transsumto interponere dignaremur; in quo quidem recordamento clausulas reperimus contineri, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis:

Hæc est recordatio concordiæ factæ inter nobilem baronem Amedeum comitem Sabaudiæ, & venerandum dominum Bonifacium episcopum Sedun. & diœcesanos Sedun. 1.° Super eo quod dictus nobilis & potens baro Amedeus comes Sabaudiæ petebat a dicto domino episcopo & diocesanis suis regaliam totius patriæ Vallesii, quam regaliam dicebat dictus nobilis comes se emisse olim ab episcopo Landrico laudatione capituli Sedun. super qua petitione responsum fuit per dictum dominum Bonifacium & per nobilem virum Petrum de Turre tamquam procuratorem diocesanorum Sedun. 1.° Quod dicta venditio non valebat rationibus quæ sequuntur, pro eo quod dicta regalia non erat propria dicti domini episcopi Landrici nisi usufructu ad vitam suam.

Item, pro eo quod dicta regalia data fuit per

S. Carolum magnum imperatorem S. Theodulo, ad opus ecclesiæ Sedun. & inde cognitionem coram imperatore petiit.

Item, non valet petitio nec venditio facta per dictum dominum episcopum pro eo quod dicta regalia non est propria dicti domini Landrici episcopi, quodque habent ibi plures domini diocesani Sedun. partem & proprie per manus imperatoris. Iterum non valet dicta venditio dictæ regaliæ pro eo quod dictus nobilis & potens comes dictam regaliam nunquam tenuit, neque in partem, neque in possessionem unquam fuit.

Item, non valet dicta venditio si reperiatur per dictum episcopum Landricum pro eo quod contradicta fuit per diocesanos Vallesii, quam contradictionem dictus comes non fuit prosecutus.

Item, non valet dicta venditio facta per ipsum Landricum episcopum, pro eo quod diocesani atque ipsius capitulum tenent ipsam in feudum ab imperatore & pro servitio, videlicet pro tribus vasis *veyeres* cum uno muleto albo ferrato argento in quatuor pedibus.

Item, non valet dicta donatio pro eo quod venditio erat per simoniam, & ergo non valet dicta donatio.

Item, non valet dicta donatio si reperiretur fuisse factam nisi tantum ad vitam ipsius episcopi. Super quibus omnibus prædictis petiit dictus nobilis vir Petrus de Turre nomine suo & totius diocesanorum terræ Vallesii generaliter & specialiter cognitionem coram imperatore a quo se tenet dicta regalia. Super quibus omnibus prædictis, mediantibus amicis communibus, ab utraque parte positis, videlicet dictus nobilis & potens Amedeus comes Sabaudiæ, primo in episcopum Lausanen. in nobilem & potentem Ludovicum Sabaudiæ, in abbatem S. Mauricii, & in nobilem militem dominum Ebalum Augustens. & in nobilem militem Willelmum de Pontecio, in dominum *de Cez*, in nobilem Rodulfum *de Monmayont*, in nobilem dominum Cononem *de Chiſtones*, in nobilem dominum Jacobum *de Montez*, & in plures alios; & dictus dominus episcopus & diocesani totius terræ Vallesii, in dominum sacristam *Delinch*, in Antonium Woldi, in dominum Evalum Woldi, in nobilem & potentem virum Petrum de Turre, in dominum Jacobum de Avinisio, in dominum Johannem Uboldi, in dominum Villini senescallum Sedun. in Rodulfum de Olono, in dominum Raynaldum de Martiginiaco, in dominum Petrum *de Morestel*, in Theodulum de Sirro, in dominum Hulricum de Sirro, in Godfredum de Morgia, in Willelmum de Sirro, in Johannem de Cruce, in Willelmum *de Herens* cives Sedunenses, in dominum Boso de Leucha, & in plures alios qui arbitri pronuntiaverunt sic, videlicet quod omnibus propositis ab utraque parte inter cætera ut sequitur. . . . . .

Item, actum fuit inter ipsos comitem & episcopum quod regalia dicti episcopi tendit usque in summo Montis-Jovis, in tota terra Vallesii & usque ad aquam frigidam versus Villam-novam, in quo consensit dictus comes, & sic usus fuit dictus episcopus tanto tempore quod non est memoria contrarii & prædecessorum eorum. Quæ omnia supradicta promiserunt tam dictus comes quam dictus episcopus pro se & suis successoribus in contrarium de cætero non venire, nec aliquo modo volenti contrarium in aliquo consentire.

Quæ omnia acta fuerunt in S. Mauricio Agaunen. in viridario abbatis S. Mauricii, præsentibus subscriptis notariis & pluribus aliis fide dignis; inde præceperunt dictus comes Juliano clerico de sancto Mauricio, & dictus episcopus cum diocesanis suis magistro Johanni *Flamant* clerico instrumenta . . . . sigilla dictarum partium.

Nos igitur Leonardus officialis præfatus, attendentes requisitionem hujusmodi fore justam & rationi

A consonam per fideles notarios publicos & curiæ nostræ juratos subscriptos hujusmodi litteras ex archiviis prædictis exemplari, transsumi, transcribi atque in hanc publicam & authenticam formam redigi, collationemque diligentem præsentis transsumti ad prætactas litteras fecimus fieri & mandavimus, per quam ipsum transsumtum cum originalibus litteris omnino concordare invenimus, ac ideo nobis sedentibus pro tribunali ad jura reddenda & causas audiendas in auditorio nostro causarum teneri solito & consueto decrevimus, & per præsentes decernimus transsumto hujusmodi standum esse in judiciis & extra, illique plenariam ac talem & tantam fidem adhibendam fore, qualem & quantam originalibus litteris si in medio producerentur, nostram quoque auctoritatem interponendo &

B judiciale decretum; in quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum has præsentes transsumti litteras exinde fieri, & per notarios publicos subscriptos, & curiæ nostræ juratos signari & subscribi, ac sigilli officialatus curiæ nostræ fecimus appensione communiri. Datum & actum ubi supra, anno a Nativitate Domini sumto millesimo quatercentesimo octuagesimo primo, indictione decima quarta, die vero nona mensis Augusti, præsentibus ibidem honorabilibus viris D. Johanne de Crista canonico Sedun. Johanne *Blatter* pincerna & Antonio . . . . . . familiaribus præfati domini episcopi testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et me Johanne de Prenseriis de Savista cive & incola Sedunensis, &c.

C Me itaque Petro Waldini cive Sedunensi, auctoritate reverendi in Christo patris & domini nostri Walterii Sedun. episcopi, præfecti & comitis Vallesii, notario publico & ipsius curiæ jurato, qui repertioni & extractioni dictarum litterarum ab archiviis prædictis exemplariique & transsumti suprascripti, collationi, authenticationi & publicationi judiciali pariter & decreto per præfatum dominum officialem, ut præmittitur, factis interfui, atque ipsum exemplar manu discreti viri Johannis de Prenseriis scriptum cum dictis originalibus litteris, una cum dicto Johanne de Prenseriis notario supradicto contuli, & ea sic fieri vidi & audivi, meque subscripsi, signoque & nomine meis solitis signavi fideliter in robur veritatis & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

D

XXVI.

Transactio inter episcopum Sedunensem & septem Desenos patriæ Vallesii super patria inferiori.

NOS Judocus de Silino Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Sedunensis & Gratianopolit. 1483. princepsque præfectus & comes Vallesii, atque nos universitas omnium communitatum septem Desenorum terræ Vallesii a Morgia Contegii superius harum serie & pro perpetua rei memoria notum fieri voluimus universis tam præsentibus quam futuris, quod sicut placuit altissimo his proxime lapsis annis ad opus ecclesiæ Sedunensis recuperata exstitit terra illa

E quam domus Sabaudiæ multo tempore occupavit, videlicet a pertica Montis-Jovis S. Bernardi citra & a sancto Mauricio Agaunensi inclusive sursum, unde nos prædictæ communitates petebamus recompensam propter nostros infinitos labores & expensas in recuperatione illius terræ passos & sustentos per prælibatum dominum nostrum Sedun. nobis fieri. Nos autem episcopus memoratus volentes ipsos patriotas nostros dono gratuito prosequi, & ipsos remunerare ac reddere magis inclinatos pro futura ejusdem terræ manutenentia, quemadmodum per easdem communitates fieri minime diffidimus ut bonos & fideles ecclesiæ nostræ subditos, unde nos partes supradictæ amicabili arresto ita convenimus, & unanimiter conclusimus ut ecce. Primo quod nos episcopus memoratus cum

Digitized by Google

consensu venerabilis capituli nostri Sedunensis ecclesiæ bonis moti respectibus annuimus & volumus pro nobis & nostris successoribus episcopis Sedunensibus canonice intrantibus, quod supradictæ communitates septem Desenorum terræ nostræ Vallesii habeant & percipere debeant abinceps perpetuo de & ex recuperatura ut puta usagiorum, servitiorum, reddituum, talliarum & aliorum tributorum annualium in terra, ut præmittitur, noviter recuperata, scilicet quilibet Disenorum prædictorum ducentos florenos monetæ cursibilis a Morgia inferius computando quemlibet florenum ad valorem duodecim grossorum, & grossum æstimando pro novem denariis monetæ Vallesii a Morgia superius annualiter recuperandos & percipiendos ad festum S. Martini hiemalis, & ex tunc usque ad festum Purificationis Virginis Mariæ indemniter apud recuperatorem nostrum prædictorum servitiorum pro tempore existentem quietos absque alio onere, uno tamen salvo si in futurum acciderit, quod nos & nostri successores cum consensu patriotarum nostrorum vellemus disponere pro defensione supradictæ recuperatæ terræ aliquam structuram vel munitionem collusrinarum sive pulverum & aliarum rerum, quo casu teneantur & debeant ipsi patriotæ apponere duas partes expensarum & nos tertiam. Nos etiam patriotæ supradicti eamdem terram promittimus, sicut tenemur ex fidelitate posse tenus defendere quemadmodum incumbit nobis, ut fidelibus ecclesiæ Sedun. & pariter non liceat nobis communitatibus supradictis vel alicui earumdem quidquam supradictorum ducentum florenorum pro quolibet Deseno cedere, alienare vel quovisinodo in proprietatem manumittere quibuscumque singularibus personis, aut communitatibus a Morgia contegii inferius vel superius, sed quod debeant perpetuo remanere universitati nostræ in genere omni cautela cessante. Et proinde nos patriotæ supradicti quittamus prælibato reverendo domino nostro Sedun. episcopo & suis successoribus prædictis ad opus Sedun. ecclesiæ omnes actiones & petitiones quas habere intendebamus vel potuimus in terra & juribus ut sursum recuperatis, nec debemus ipsum in aliqua sua jurisdictione aut regimine impedire ibidem, isto proviso quod nobis episcopo supradicto aut successoribus nostris non liceat, nec debeamus quidquam de jurisdictionibus aut proprietate in eadem recuperata terra alicui alienare, nec infeudare perpetuo, debemus quoque nos episcopus memoratus nostrique successores officiarios in eadem supradicta recuperata terra ponere qui sint de patria a Morgia contegii superius; subditos etiam nostros ejusdem terræ a Morgia inferius non onerare per tallias extraordinarias, nisi dummodo etiam contingeret illas fieri a Morgia superius.

Item, nos episcopus supradictus pro nobis & successoribus nostris in episcopatu solutionis onus faciendæ sculteto concilio & Burgen. Friburgi in *Vifllandt*, de summa principali atque censibus ipsis pertinentibus super castellaniis Contegii & Sallionis in nos assumsimus; nos autem communitates memoratæ in subsidium hujusmodi solutionis fiendæ quittamus & cedimus eidem domino totum interesse nostrum in omnibus remanentiis reddituum, usagiorum, talliarum atque tributorum annualium in terra prædicta debitorum de tempore præterito & in futurum usque ad festum S. Martini proxime futurum inclusive, nec non in compositionem octavæ partis bonorum mobilium quæ adhuc restant solvenda, & de quibus Johannes Jordani recuperator eorumdem habebit sibi reverendo domino reddere rationem, & pariter istam compositionem quam illi de S. Brancherio nec non *de Bagnies* promiserunt nobis ad tollendum ignis incendium habitationum suarum.

In quorum omnium fidem atque robur nos prælibati episcopus nec non capitulum & communitates septem Desenorum sigilla nostra duximus appendenda litteris præsentibus una cum subscriptione manuali notariorum infra nominatorum. Datum Seduni in castro Majoriæ, die ultima mensis Febr. sub anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quater centesimo octuagesimo tertio, in concilio generali patriotarum terræ Vallesii. Petrus *de Riedmatten* notarius, Johannes *Jordan* notarius.

Laus capituli.

Postmodum vero nos Bartholomæus *Kalbermatter* sacrista jurisperitus, Andreas *de Silinon* cantor, Petrus Gottshardi in decretis licentiatus, Johannes Aconiæ, Johannes Echardi, Leonardus Præpositi in decretis baccalaureus officialis, Stephanus *de la Lex*, Claudius Brunerii in utroque jure licentiatus, Johannes Morandi, Nicolaus Supersaxo, Johannes de Berterinis, Clemens de Madiis, Dionysius *Follion*, Johannes de Crista, Fridericus Passerii, Petrus Bartolomæi canonici ecclesiæ cathedralis Sedun. sono campanæ capitulariter congregati, capitulantes & capitulum facientes pro absentibus fratribus canonicis Sedun. fortes facientes visis hujus literæ continentia ac tenore de verbo ad verbum, & considerata re de qua in eadem agitur utilitati ecclesiæ reique publicæ deservire aliisque bonis moti respectibus omnia & singula contenta in hac littera supra descripta, pro nobis & nostris in ipso capitulo successoribus præsentium tenore laudamus, approbamus & ratificamus, salvis semper juribus capituli Sedun. prædicti, in quibus in hac parte nullatenus intendimus derogare, quin imo illibate conservare. In quorum testimonium nostrum quoque impendendum duximus sigillum. Actum in castro nostro Valleriæ, die quinta mensis Aprilis, anno Domini millesimo quater centesimo octuagesimo tertio.

Henricus Werra canonicus & cancellarius Sedun.

XXVII.

Confirmatio Carolinæ per Carolum V imperatorem.

IN nomine Domini, amen. Anno partus virginalis, 1535.
ejusdem Domini 1535, indictione VIII, cum anno eodem sumta & die 3 mensis Septemb. nos Johannes *Grand* utriusque juris doctor Sedun. ac Lausan. ecclesiarum cathedralium canonicus, sanctæque sedis apostolicæ protonotarius officialis & locum tenens generalis in spiritualibus & temporalibus reverendissimi in Christo patris & domini nostri domini Adriani *de Riedmatten* Dei & apostolicæ sedis gratia episcopi Sedunensis præfecti & comitis Vallesii, notum facimus per præsentes quibus expedit universis & singulis, quod die præsenti coram nobis Seduni pro tribunali ad jura reddendum & causas audiendum sedentibus comparuit, & personaliter constitutus fuit egregius vir Johannes filius spectabilis viri Johannis *Zentriegnen* alias baillivi patriæ Vallesii, procurator fiscalis in patria superiori Vallesii . . . . . Sedunensis diœcesis, exhibens ad perpetuam rei memoriam & conservationem jurium & privilegiorum mensæ episcopalis atque totius diœcesis & patriæ Vallesii, per gloriosissimum Carolum imperatorem magnum B. Theodulo Sedun. episcopo & suis successoribus canonice in dicto Sedun. episcopatu ac diœcesi succedentibus concessorum, videlicet quamdam dictorum privilegiorum & jurium confirmationem, approbationem & ratificationem decretam & indultam per gloriosissimum Carolum V divina favente clementia Romanorum imperatorem electum semper augustum cum suis aliis sequentibus titulis laude dignis, reverendissimo in Christo patri & domino nostro domino Matthæo *Schiner* divina favente clementia tituli S. Potentianæ presbytero cardinali Sedun. episcopo præfectoque & comiti Vallesii, suisque successoribus,

&c. in se continentem, prout inferius describitur sequens instrumentum, cujus tenor & substantialis effectus est talis, sigilloque præfati domini Caroli V imperatoris semper augusti sigillat & munit, cera rubea intermedia, albaque virginea undique munit, cordula aurea & sericea pendente, ut ecce :

Carolus V, divina favente clementia, electus Romanorum imperator semper augustus, &c. ad futuram rei memoriam. Grandis veniæ & maximi meriti apud Omnipotentem Deum qui est Rex regum, & Dominus dominantium, existimamus nobis fore atque magnam gloriam apud mortales & omnes posteros consecuturos nos, si animum & studia nostra ad ea quæ sunt ad conservationem & augmentum cultus divini & dignitatis status ecclesiastici applicaverimus, & quæ malignitate temporum & perversorum hominum fraude ecclesiis & personis in ea dignitate fulgentibus indigne erepta sunt, restituamus, & ex abundantia gratiæ nostræ illa adaugeamus & suppressa atque penitus sublata facinorosorum hominum protervia ad veri Dei cultum & debitam subjectionem superiorum & dominorum eis a majestate divina prædestinatorum reduxerimus, & tanto libentius ad id animum intendimus, quanto id pro piaculi dilatione & gratia remissionis criminis a divina clementia impetrata a progenitoribus divæ memoriæ & prædecessoribus Romanis imperatoribus concessa & elargita fuerint, quo nec auferri nec in alios usus converti a quopiam sine gravi crimine & maxima divinæ majestatis offensa possunt. Cum igitur nobis expositum fuerit quod recolendæ memoriæ Carolus magnus primus nostræ gentis imperator & prædecessor noster ex humana fragilitate aliquo gravi occulto crimine divinam majestatem offendisset, & licet corde compunctus & tristis facinoris perpetrati pœnitentiam ageret, id tamen ob verecundiæ motum cuipiam sacerdoti ex instituto christiano fateri vereretur, nec nisi fasso veniam & gratiæ statum præstari sciebat, & ut desiderio misericordiæ Dei & humana verecundia animus ejus cruciabatur & æstuabat: itaque adscitis undequaque sanctis sacerdotibus & viris Deo acceptis, in tanta animi sui perplexitate eorum intercessionibus ab Omnipotenti Deo auxilium & gratiam implorabat; eo tunc temporis præerat Sedunensi ecclesiæ gloriosæ Virginis Mariæ, cui dicata est meritis & sanctorum Mauritii & sociorum legionis Thebæorum & plurimorum aliorum sanctorum martyrum ibidem passorum & requiescentium sanguine insigni S. Theodulus ex nostra provincia Burgundiæ ortus abstinentia, vitæ sanctimonia, & omni virtutum genere insignis & valde Deo acceptus, hic jejuniis & continuis orationibus insistens, dum pro ea re divinæ majestati sacrificium offerret, miraculose ab angelo, oblato sibi libello, ut ibidem sanctorum patrum vulgata legenda testatur, & qualitatem criminis, & ejus remissionem, & suis intercessionibus & meritis misericordiæ & gratiæ divinæ eidem imperatori restitutionem didicit. Volens igitur pius princeps & christianissimus imperator tanti beneficii a Deo accepti munus, & S. Theoduli intercessiones pro eo factas, & merita omni animi sui gratitudine recognoscere, sancto episcopo Theodulo & successoribus suis universam diœcesim ecclesiæ ipsius cum omnibus attinentiis & pertinentiis ejus sub titulo Vallesii præfecti & comitis, quæ tunc apud eumdem Carolum dignitas erat, libere donavit & concessit cum omnimoda jurisdictione mero & mixto imperio, & gladii potestate, & ante eumdem episcopum delatione cum venationibus & piscationibus & aliis juribus supremo principi pertinentibus; statuendo perpetuo edicto ut nullus unquam huic concessioni & donationi se opponere aut contravenire audeat, imo eam defendere, & in suo robore conservare nomine suo & successorum suorum debeant Romani imperatores. Nihilominus cum ipsa præfectura Vallesii comitatus ac Sedunensis diœcesis intra Alpes sita, &

A variis montibus septa & circumvallata, existat rudis & incondita, & asperitati loci non absimilis, frequenter ipsis episcopis eorum præfectis & comitibus rebellis & proterva fuit natio illa, & in bona ecclesiæ & personas episcoporum manus violentas injecerunt, persequendo & occidendo eos, & ipsi ditionem ecclesiæ pessumdederunt & aliis præbuerunt occasionem nedum rapiendi & distrahendi bona & jurisdictionem, sed & scripturas & privilegia hujusmodi donationis S. imperatoris Caroli magni & aliorum prædecessorum nostrorum, quo fit ut hujusmodi dominium & jurisdictio nullo alio documento, nisi sola possessione propter ea quæ ab iis usurpata sunt, probari possit. Nos autem ad superius narrata respectum habentes, necnon ob singularem devotionem & zelum quem

B ad divinæ majestatis servitium ecclesiarum conservationem & incrementum habemus, accedentibus ad hoc singularibus virtutibus & maximis meritis reverendi in Christo patris domini Matthæi tituli S. Potentianæ sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, Sedunensis ecclesiæ episcopi, atque illius patriæ præfecti & comitis, principis consiliarii, & amici nostri carissimi quem in magnis & arduis rebus pacis & belli nostris, & sacri Romani imperii clarissimæ memoriæ Maximiliano imperatori avo & prædecessori nostro, & cum maximo & aperto discrimine vitæ suæ amittendo, & bona temporalia & expulsionem, ac exilium ab eadem patria sustinens, & multa alia innumerabilia, incommoda & calamitates perpessus est ..... & adhuc pro nobis & dignitate imperii nostri sustinet sollicitis studiis continue die noctuque nobis assis-

C tendo, egregio & cum maximo commodo & incremento status & dignitatis nostræ impendit & consilio, & adeo quod tantæ excellentiæ viro plus desiderare non possemus; volentes igitur hujusmodi merita sua in aliqua parte recognoscere motu proprio, & ex certa scientia nostra ac animo deliberato accedentibus ad hæc, consilio & assensu reverendissimorum & illustrium aliorum principum & consiliariorum nostrorum supradictam donationem præfati Caroli magni sancti imperatoris ratificamus, laudamus & approbamus in omnibus & singulis quæ ex longæva possessione, usu vel consuetudine constat fuisse data, vel per aliquod munimentum & scripturam authenticam comperiri poterunt; & ad majorem roboris firmitatem reverendissimo domino cardinali principi

D & ecclesiæ suæ Sedunensi ac successoribus ejus de novo præfatæ diœcesis dominium temporale sub titulo præfecti Vallesii & comitis principis donamus, concedimus & elargimur cum omnimoda jurisdictione, mero & mixto imperio, & omni alia potestate, & plena jurisdictione quam habuerunt omnes principes & domini sub Romano imperio existentes de jure vel consuetudine; statuentes hoc nostro perpetuo edicto ipsum cardinalem & successores ejus fore & esse principes, præfectos & comites Vallesii cum omnimoda potestate etiamque delatione gladii, ac jurisdictionem ablatam a quoque & aliis quibuscunque usurpatam & violenter possessam restituimus & reintegramus, & quoslibet illicitos detentores ab eisdem dominiis removentes & irritantes & annullantes, si

E secus a quopiam scienter vel ignoranter fuerit in contrarium attentatum; reservata tamen nobis superioritate quæ in consimilibus nobis & sacro Romano imperio reservari solet. Nulli ergo omnino hominum hanc nostræ confirmationis, approbationis, ratificationis, voluntatis ac gratiæ paginam infringere liceat, aut ei quovis ausu temerario contravenire. Si quis autem id attentare præsumserit, indignationem nostram & sacri imperii gravissimam, ac pœnam centum marcharum auri puri, pro medietate fisco nostro imperiali, pro reliqua vero parte injuriam passorum usibus applicandam se noverit toties quoties contrafactum fuerit, irremissibiliter incursurum harum testimonio litterarum sigilli nostri appensione roboratarum.

Digitized by Google

Datum in civitate nostra imperiali Wormatiæ, die ultima mensis Februarii anno Domini 1521, regnorum nostrorum Romani secundo, cæterorum vero omnium quinto. Ad mandatum domini imperatoris proprium. Albertus cardinalis Moguntinus archicancellarius subscripsit.

Quod quidem præinsertum confirmationis, approbationis, donationis & ratificationis instrumentum, sic ut præmittitur, nobis exhibitum recepimus, tenuimus, palpavimus, vidimus & legimus sanum & integrum, & in nulla sui parte corruptum, vitiatum neque suspectum, sed omni prorsus vitio & suspicione carens, petens propterea & requirens præfatus dominus procurator fiscalis instans per nos hoc præsens exemplar transcriptum atque litteras de *vidimus* sic nuncupatas sibi decerni & confici, atque auctoritatem nostram interponi. Nos igitur officialis & locum tenens præfatus, requisitioni jam dicti procuratoris fiscalis supplicantis & instantis ut prædictum est, libenter ut tenemur annuentes, & veritati testimonium perhibere cupientes eidem instanti & supplicanti, hoc præsens publicum instrumentum, transsumtum & *vidimus* sicut præmittitur, nuncupatum per notarium nostrum subsignatum confici, & in hanc authenticam formam redigi jussimus & fieri decrevimus sub nostri soliti sigilli appensione quo in talibus utimur; cui quidem transsumto transcripto & *vidimus* sic nuncupato, tantam fidem & roboris firmitatem in omni judicio & extra adhibendam fore per præsentes decrevimus, quanta dicto suo originali præinserto adhiberetur & adhiberi posset, auctoritatem nostram super hoc per præsentes interponendo pariter & decretum. Acta fuerunt hæc Seduni in nostro causarum auditorio, die & anno quibus supra, præsentibus ibidem nobilibus & egregiis viris Johanne de Platea, Francisco de Berterinis, Petro Friganti, Henrico Nauseti civibus Sedun. Mauritio Glasseri not. de Grova, Nicolao de Vico & aliis pluribus ad præmissa adstantibus vocatis pariter & rogatis.

XXVIII.

Confirmatio fœderum inter Sabaudiæ Ducem & episcopum Sedunensem, baillivum & patriotas.

1590. IN nomine Dei Omnipotentis, amen. Cum inter illustrissimos & inclytos retro principes Sabaudiæ Chablesii & Augustæ duces felicis recordationis & RR. in Christo patres episcopos comites tunc temporis & magnates, & potentes dominos baillivos universitatem & oratores septem desenorum Vallesii, videlicet civitatis & desen. Sedun. Sirri, Leucæ, Karogniæ, Vespiæ, Brigæ & Conchæ, jam a multis annis & successive secutis temporibus intercesserint fœdera mutua & inter cætera quæ fuerunt inita & transacta per Serenissimos & suis temporibus duces Sabaudiæ Carolum II ejus nominis anno domini 1528 prima die Maii, & Emmanuelem Philibertum 4 Martii an. 1569, ubi constat fide instrumentorum receptorum primo per egregios Johannem Bellinum, Nicolaum *Furer* & Laurentium de Berterinis, secundo per nobiles & eruditos de Villa & *Moyensel*, ad quæ singula omnia referantur, quæ hic desiderari possunt quatenus opus sit. Quibus fœderibus ac conventionibus usus probavit maxime consultum fuisse bono & utilitati incolarum utriusque dominii, dum etiam quieti & securi quæ ad commodum reipublicæ pertinent curant & observant, mutuis datis & acceptis officiis, inter vicinos facili coemptione, usu & negotio omnium rerum quæ ad vitam existimantur necessariæ, omnibus negotiis bona fide gestis, junctis denique dextris & amicitiis, pace a Deo data feliciter huc usque usi sunt, quæ res cum summo Deo pergrata sit inter cætera testamenti sui præcepta, tum vero ipsis principibus Sabaudiæ & patriæ Vallesii semper gloriæ & honori fuit, atque etiam fructui, cum junctæ copiæ & vires & communia consilia belli & pacis ab omni hoste tuta dominia possint & minimo stipendio servare: itaque serenissimus Carolus Emmanuel qui in ducatibus Sabaudiæ, Chablesii, Augustæ & Gebenn. Pedemontio & aliis provinciis fœlicissime regnat, aut suo nomine magnifici & illustres viri Hieronymus *de Lamber* baro Terviali & Carolus *de Rochette* præses in supremo Sabaudiæ senatu, uterque ab intimis consiliis ipsius serenissimi ducis cum potestate inferius descripta & inserta, & reverendissimus dominus Hildebrandus a *Riedmatten* episcopus & comes Vallesii necnon magnifici nobiles & præstantes viri Antonius *Magenchet* baillivus & seriatim inferius nominati oratores deseni Sedunenses Petermandus de Platea signifer, Antonius de Torrente questor, Bartholomæus Supersaxo consul, Nicolaus *Welphins* pridem castellanus civitatis Sedunensis; deseni Sirri Franciscus de Platea signifer, Petrus *Pot* castellanus vice-domini, Jacobus de Chatone & Thomas sapientis vicecastellanus Avinisii; Deseni Leucæ Petrus *Avi*, Balbus major & olim gubernator Monteoli, Bartholomæus *Allet* signifer pridem præfectus militum; Deseni Karogniæ Theodulus *Kalbermatter* modernus major, Johannes *Rotti* signifer, Georgius ad sepem major Morgiæ, Michaël *Owlig* pridem gubernator Monteoli; Deseni Vespiæ Johannes *Jualben* alias baillivus, Johannes de Pratis castellanus, Petrus Niggellis pridem castellanus, Johannes *Lengen* major in *Chanson*; Deseni Brigæ Nicolaus *Owlig* castellanus, Antonius *Stokalper* capitaneus, Georgius Valsenus, Adrianus *Stokalper* pridem castellanus; Deseni *Conches*, Matthæus *Schiner* alias baillivus, Johannes Hertus major, Nicolaus *Biderobosten* prius gubernator S. Mauritii Agaun. Martinus *Jost* aliquando major, inito consilio nomine totius reipublicæ Vallesii, ut moris est, & in consuetudinibus antiquis volentes amplecti ea omnia quæ ad pacem sunt, uti decet christianos principes & potestates his maxime temporibus, quibus injuriæ & bello patent omnia & subditos ab externis damnis vindicare, item & retinere jura antiquæ benevolentiæ unionum & fœderum, & ea in posteros transmittere, habito plurium dierum tractatu. . . . . Tandem super omnibus his rebus quæ sequuntur felicibus auspiciis tractatum & conclusum est inter partes ut sequitur. Primum visis supradictis instrumentis & actibus unionum & fœderum annorum 1528 & 1569, lectis & integris intellectis capitulis ibi contentis rebusque de quibus agitur, dicti DD. *de Lambert* & *de Rochette* legati serenissimi Sabaudiæ ducis, item & reverend. dominus episcopus & comes, baillivus & oratores septem Desenorum jam nominati & nomine totius universitatis & reipublicæ Vallesii communi omnium consensu habuerunt & habent ratas dictas uniones & tractatus supradictorum fœderum, easque laudaverunt, approbaverunt & confirmarunt, laudant approbant & confirmant secundum ipsorum formam & tenorem; promittuntque pro se & suis successoribus in posterum curaturos ut ea omnia & singula bona fide & sine cujusquam fraude vel injuria inviolabiliter observentur, & hujus mutui initi fœderis gratia & illius antiquæ necessitudinis quæ cum illustrissima & clarissima Sabaudiæ familia fuit, ut se gratos magis atque magis exhibeant, jam dicto serenissimo duci ipsi illustrissimus dominus episcopus comes, magnifici & potentes baillivus & oratores septem Desenorum cedunt, dant & remittunt dictis illustribus Sabaudiæ legatis mediam partem reliquiarum corporis D. Mauritii martyris Sabaudiæ patroni, una cum ense quæ ad hæc usque tempora reposita jacent in æde & oppido S. Mauritii Agaunensis: ut hæc recte & secure fiant cura mandata uni aut pluribus ex magnificis dominis baillivis aut oratoribus quos reverendissimus episcopus & consilium nominaverint. Item & ipsi domini legati Sabaudiæ pro libera voluntate dicti serenissimi ducis, mutuo invicem relato amore & officio benevolentiæ,

dant & cedunt perpetue & irrevocabiliter pro dicto serenissimo D. duce Carolo Emmanuele & suis successoribus supradictis, magnificis & potentibus baillivo oratoribus & patriotis Vallesii nomine totius reipublicæ ejusdem, videlicet omnes fructus & proventus Vallis Illiaci eorum ditionis quicumque sint, sine alicujus juris & actionis aut proprietatis retentione, olim dicti fructus annexi & dependentes a prioratu Ripalliæ in ducatu Chablesii, una cum titulis, documentis, recognitionibus & juribus quibuscumque quæ pollicentur intra sex menses proxime sequentes transmittere; idque bona fide & pro majori robore promittunt ratificationem a S. sede apostolica & super hoc, si ita fieri placet, litteras opportunas & necessarias mittere; denique quando istis mutuis fœderibus & amicitiis pacifice & quiete uti licet, quod fœlix faustumque sit, pollicentur & promittunt dicti domini *de Lambert* & *de Rochette* legati, & eo nomine se daturos & exsoluturos dictis dominis Vallesii summam bis mille aureorum, trium tamen librarum ducalium pro quolibet die solutionis his adjectis, videlicet hinc ad medium mensis Augusti proxime venturi, mille & ab eo termino in annum proxime sequentem anno revoluto, alia mille in loco & villa Aquiani propriis præfati illustrissimi D. ducis & suorum sumptibus & expensis; & quoniam de omnibus suprascriptis ita conventum est ulterius, ista omnia & singula ratificari placet & approbari hinc inde maxime per serenissimum ducem & etiam per cameram computorum dicti D. serenissimi ducis, quæ præfati illustris & præstantissimi domini legati indilate curabunt fieri & in perpetuam rei memoriam rogati sunt infrascripti notarii hujusmodi acta & transacta conscribere, & utrique parti litteras concedere sub sigillorum prælibati reverendissimi DD. Sedun. episcopi, præfecti & comitis, atque præfati magnifici domini baillivi appensione accedente præfati serenissimi ducis ejusque cameræ computorum in talibus solita approbatione & confirmatione. Acta, lecta & recitata sunt Seduni in arce majoriæ, die 16 mensis Decembris, stylo veteri, anno 1590.

XXIX.

Electio Adriani de Riedmatten *in episcopum Sedunensem.*

1604. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Noverint omnes & singuli quod anno a Nativitate Domini post Verbum incarnatum sexcentesimo quarto supra millesimum, indictione secunda, die vero decima septima mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri Clementis, divina providentia hujus nominis papæ octavi, pontificatus sui anno decimo tertio, sub signatorum notariorum testiumque ordinaria & irrefragibili atque condigna subsignatione per viam S. Spiritus in unum convenerunt & congregati sunt reverendi & venerabiles domini Adrianus a *Riedmatten* decanus Sedun. Franciscus *de Rou* decanus Valleriæ, Petrus *Branscheu* sacrista, Petrus Romuini cantor, Petrus Majoris, Jacobus *Schundeydens*, Bartholomæus Venetus, Johannes Siberus, Paulus *Waltique*, Petrus *de Grilly*, Georgius Dayerus, Theodulus Bullicius, Johannes Sartorius, Mauritius *Salamolardus*, Martinus Grangeratus, Claudius Gopperus, Guillelmus Quintinus, Petrus Filii, Claudius Boëcius atque Franciscus Luyettus, omnes presbyteri & canonici Sedunenses, personaliter pro more majorum suorum & capitulariter in choro & inde in sacristia beatissimæ Mariæ Virginis ecclesiæ cathedralis Sedunensis propter infrascripta constituti & congregati, cum pietate humanæ naturæ condolentes, & animo mœsto revolventes, quod cum reverendus in Christo pater ac dominus Hildebrandus a *Riedmatten* Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Sedun. præfectus & comes Vallesii, sacri Romani imperii princeps, die Sabbato quarto mensis Decembris beatæ Virginis & martyris Barbaræ infra secundam & tertiam pomeridianam horologii horam jam proxime præteritam, sicut Deo placuit, viam universæ carnis ingressus, ipsius corpus reverenter prout antistitem & prælatum in eadem ecclesia cathedrali Sedun. ante magnum altare beatæ Virginis Mariæ ut decuit ecclesiasticæ sepulturæ & ordinariæ traditum sit. Ne vero ob vacationem diuturnam ecclesia pastoris solatiis destitueretur, & eadem gravia in spiritualibus & secularibus pateretur dispendia prout recte sacri canones juraque canonica perhibent & disponunt, quod ultra tres menses ecclesiæ cathedrales vacare non debeant, ne ex defectu pastorum præficiendorum gregem dominicum lupus rapax invadat, aut ecclesia viduata in suis facultatibus in gravia incidat cum jactura discrimina. Ad tractandum igitur de futuri pastoris electione fienda diem præmemoratum decimum septimum hujus mensis acceptaverunt & concluserunt acceptandum subrogatis aliis diebus, casu quo dicta die ad concordiam non pervenirent secundum Dei voluntatem & juris canonici consiliique Tridentini dispositionem, præmissa tamen prius per generalem . . . . venerabilis capituli Sedun. ad quemlibet canonicorum & personali & per litteras assignatione. Ex itaque collegiali canonicorum Valleriana ecclesia illaque superiori ad cathedralem B. Mariæ Virginis inferiorem ecclesiam, in qua de more solito & ab antiquo electiones antistitum & præsulum quoties locus vacationis contingit per capitulum fieri consueverunt contendentes, missaque de Spiritu sancto pro more ad majus altare dictæ ecclesiæ solenniter decantata, in sacristiam omnes canonici qui supra assignati soli & una ingressi sese receperunt, & ad electionem novi pastoris pie se disponentes, tum reverenter, tum decenter ad sincerum electionis officium rite & ordine processerunt, nec non & gementes ut propitius Deus hodie afflictam ecclesiam suam per viscera misericordiæ suæ redimere dignaretur, divinam gratiam invocare cœperunt, simulque ut omnes in optimo statu gratiæ dispositi quantum humana fragilitas sinit, & ab omnibus censuris & interdictis ecclesiasticis immunes ut essent commoniti, ne electionis munus in qualificatum minus & in inofficiosum incideret humiliter præcogitare & pie præmonere intenderunt; quo facto, ex ipsa sacristia omnes qui præmissi viginti canonici numero simul egressi, ac ante præfinitum majus altare humiliter prostrati, hymno *Veni Creator Spiritus* solenni voce decantato, & orationibus ordinariis præmissis iterum in ipsissimam sacristiam tanquam scrutinium soli cum N. secretario alias cancellario dicto ingressi, collectis singulis vocibus capitularibus junctisque suffragiis, servatis de jure servandis, capitulariter capitulantes, repetita S. Spiritus singulari invocatione, quo & inspiratos iri se persuasi & confidentes uno ore & vocis organo de ætate, litterarum scientia, vitæ ante actæ admodum inculpatæ & morum honestate reverendi viri ac domini Adriani *de Riedmatten* canonici & decani Sedun. vicarii in spiritualibus & temporalibus prædefuncti piæ memoriæ episcopi nostri Sedun. in novissimis tantum temporibus electi, ad plenum ut dixerunt informati & vere confisi, ipsum nullo contradicente elegerunt, simulque in ipsorum pastorem futurum episcopum & prælatum pariterque principem nominaverunt, quam quidem juxta canonica privilegia sic factam & interventam canonicam electionem designatis duobus ex sacristia præmemorata reverentioribus canonicis clero & populo reipublicæ septem Desenorum in magno numero congregatis & conscriptis intelligibili, alta & viva voce absque interprete solenniter, ut moris est, servatis servandis personaverunt & publicaverunt, sic eam quam diximus electionem modo ut præmittitur viva voce & loquela insinuatam & interpretatam omnis

clerus & totius reipublicæ congregatio, imo totus comitiorum conventus cum adstantibus Deo imprimis gratiâs & laudes referentes absque reluctatione, sive oppositionis discrepantia aliaque divisione invalescente laudaverunt, ratificaverunt, & in quantum ipsis fuit, licuit & expedivit ovantes approbaverunt. Et ut ipsissimam tandem electionem electus ipse acceptaret, & eidem subscribendo adhæreret, suumque consensum præbere vellet, requisitus & exhortatus est, qui cum suorum amicorum & confidentiorum parentum cordato consilio & judicio reverenter, tamen humanas revolvens fragilitates ac sortes communicans istius modi electionis negotium & officium; tandem multis interpositis excusationibus in locum suum, & ad se reversus divinæque, ut asseruit, nolens resistere voluntati, sed Deo præpotenti & beatissimæ Virgini Mariæ, sanctis Theodulo, Mauritio cum sociis suis ac Catharinæ, generalibus & communibus patriæ patronis & antistitibus, totique cœlitum & supernorum curiæ gratias agens & humiliter se recommendans: denique canonicæ electioni de se per viam Spiritus sancti factæ aversa facie a populo, sed ad orientem versus magnum altare directa signo crucis se præmuniendo adhæsit, & consensum suum præbuit, dicendo: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, &c. Tandem peroravit, &c.

X X X.

Quatuor dignitates capituli Sedunensis renunciant Carolinæ.

1613. C IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis, amen. Cum sub universo cœli ambitu nihil stabile sit nec fixum, sed omnia vicissitudini sint obnoxia, ne vero hominum negotia seu contractus in oblivionem caderent, præpotens Deus præstantissimam artem rem quamlibet scripto mandandi in lucem protulerit ut hominum societas & vitæ inter ipsos communio retineretur; itaque nos quatuor dignitates antiquissimi capituli Sedun. dominus Petrus *Brancheu* decanus Sedun. ac procurator generalis ejusdem, Bartholomæus Venetus decanus Valleriæ, Jacobus *Schundeydens* sacrista, ac dominus Petrus Bonivini cantor pro nobis ac nostris consortibus ac fratribus spiritualibus pro veteri more ad eligendum novum episcopum congregati pro omnibus in futurum successoribus manifeste & aperte libera & spontanea voluntate D nostris juribus bene attentis, nulla vi nec machinatione ad hæc inducti asserimus atque attestamur harum litterarum serie quod prætensam Carolinam quæ a Carolo magno primo ejusdem fundatore ecclesiæ Sedunensis debuit impertita esse sancto Theodulo tunc episcopo, deinceps Hugoni tunc quoque episcopo per regem Rodulfum anno 999, ut etiam Matthæo *Schiner* cardinali & episcopo per imperatorem Carolum V anno 1521 ultima Februarii, cum omnibus aliis scriptis, instrumentis, litteris, sigillis, pactis & cautionibus, quæ apud nos in capitulo hic in patria vel extra esse possent, cum appenditiis & adjunctis quibuscumque absolute repudiamus, revocamus, annullamus ac tradimus sine aliqua glossa & E exceptione, promittentes eadem erga inclytam patriam ac successores abhinc in perpetuum nunquam magis producendi vel nos tuendi ut qui istarum serie firmiter testamur patriam Vallesii ut puta septem Desenos liberum populum dominii democratici, qui suis ipsorum armis adepti auxilio divino & fortitudine majorum suorum libertatem in eam se vindicarunt, in qua Deus optimus maximus ipsos conservare dignetur, qua in re pro virili nostra ardentibus in Deum precibus & ad sanctos & reliquias quæ nobis ab ipso traditæ sunt adstare volumus ut nostris patronis patribus ac secularibus præpositis qui nobis etiam amicitia juncti, ac eorum compatriotæ sumus; volumus vice versa ut Carolina hujus patriæ regalibus, libertatibus, consuetudinibus, statutis, ordinationibus,

A dominiis & altis imperiis usque huc nihil præjudicet, & in signum cancellationis, abolitionis atque traditionis ejusdem, quæ tamen hactenus nullo fuit in pretio, magnificus dominus baillivus pro tempore existens ut temporalis judex, quasi suum dominum ac supremum magistratum repræsentans eligendo episcopo gladium ad manus tradet, ac claves castri majoriæ ut qui vacante sede præsederit; veruntamen pro antiqua & recepta consuetudine baillivi juramentum accipietur a reverendo, & impositione gladii confirmabitur ut abolitos Carolinæ titulos & septem Desenis incorporative traditos adjuncta submissione pro eo quanti apud nos est, & dignitas & honor noster sic ubi jam vel in futurum similes Carolinæ tituli possent inveniri eisdem patriotis ultro ad manus B tradendi. Sic in veritatis testimonium has litteras, quarum numero octo sunt erectæ, cuilibet Deseno una, octava vero in cancellariam generalem patriæ reponenda, sigillo capituli nostri munitas tradimus, ut etiam pro majore confirmatione præmissorum promisimus hæc octo instrumenta curaturos nos per novum electum episcopum sigillari ut in futurum inclyta patria Vallesii sufficienter sit assecurata. Datum Seduni in ecclesia cathedrali divæ Virginis ipso die fiendæ electionis quæ fuit 15 Oct. an. 1613, præsentibus magnifico Matthæo *Schiner* baillivo & omnibus septem Desenorum oratoribus ad hoc deputatis.

X X X I.

Gravamina capituli Sedunensis.

CORAM vobis reverendissimo domino, magnifico 1613.
baillivo & oratoribus comparet generale capitu- 1614.
lum Sedunense querulose exponens quod in novissima electione episcopi varii & insoliti articuli sint fabricati nimis præcipitanter ac inconsiderate per aliquos ex suis vi, dolo & metu ad hæc inductos & coactos tali quali modo approbati, & sigillo ejusdem venerabilis capituli illicite & invalide & imprudenter muniti, quibus articulis pro tempore coacti præter rem nostram & ecclesiæ libertatem assensimus ne ex ulcere nervus rumperetur; sed cum lex divina & jus humanum aperte tam oratorum patriæ præsumtionem quam reverendissimum & nostram conniventiam arguant, ergo rationem reddemus revocationis & annul- D lationis eorumdem ex sequentibus articulis quos in medium producemus.

1.° Statutum patriæ titulo de fide instrumentorum continet quod pars allegans deceptionem ultra tertium justi pretii contractus rescindatur. Item, si instrumentum esset conscriptum in detrimentum salutis æternæ & in damnationem animæ vergens, eliditur contractus; cum ergo V. C. & ecclesia Sedun. per hujusmodi novos articulos gravissime in suis juribus sit oppressa, & non solum pro tertia parte, sed etiam multo plus decepta sit, imo cum talis conscriptus actus vergat in detrimentum salutis nostræ & solennis juramenti per nos prius præstiti, bono jure rescindi & annullari potest & debet.

2.° Actus contrahentium accedente etiam jura- E mento & promissione ad quos pars metu & gravi timore inducitur non ligant, videlicet si timor talis sit qui in virum constantem cadere possit, tali autem metu per horrendas fulminum minas aliquos ex venerabili capitulo dominos inductos esse constat, dum variis multisque argumentis & illis & toti capitulo minabantur primo jacturam bonorum temporalium & expensis omnes incursas per patriotas quæ se ad 500 coronatos extenderent per V. C. persolvendas fore, & adhuc de incurrendis protestabantur, nisi eorum compositis articulis subscribere vellent; secundo minabantur periculum corporis & vitæ, dicentes:

O che questo passera, o che si spargera sangue.

Il faut que cela soit, ou il en coûtera du sang.

His

His minis auditis verebamur ne adversarii aliqui catholicæ religionis falso venerabile capitulum accusarent, & populo instillarent quasi patriotis eorum jura & libertates eripere & violare præsumeremus, quod tamen nunquam nobis in mentem venit; & sic populo commoto capitulum in discrimen vitæ eorum & in perditionem libertatum immergeretur, quod quorumdam assessorum prolatis verbis satis apparebat, dum dicerent quando communitates Sedunum venerint portæ civitatis non claudentur ad eorum ingressum, sed eis apertæ manebunt, quid autem capitulo & castro Valleriæ futurum sit ipsi considerent. Tertio, eorum minæ nos terrebant ne ecclesia & tota patria Vallesiæ in deteriorem statum redigerentur; dicebant enim aperte, cum jam sit electus baillivus qui in castro Majoriæ tamquam judex summus & supremus præsideat, & gladium temporalem habeat, non opus esse ut modo episcopus eligatur; eam enim electionem differri posse usque post festum Omnium Sanctorum, ex quibus verebamur ne interim pejora fabricarentur, & nullum catholicum episcopum habere, vellent, tum etiam quod eo tempore montes patriæ nivibus occlusi essent ut fautorum ecclesiæ catholicæ ope destituti essemus. Ex his probatur timorem minarum nos induxisse, ideoque pacta invalida & nos ab observatione talium articulorum & eorumdem promissione relevatos cum juramenta metu extorta & involuntaria non ligent, &c.

3.° Statuta patriæ titulo de spoliatione donationis vel possessionis, aperte docent neminem incognito jure spoliandum, neque etiam spoliatum teneri litigare. Si hæc lex in minimis & levissimis rebus locum habet, cur non in majoribus & gravissimis observanda est! Defuncto enim reverendissimo domino Adriano episcopo, venerabile capitulum ipso die sepulturæ Octobris die septimo hæredibus injunxit & commisit ut omnia & singula jura ac mobilia in castro Majoriæ existentia inclusa observarent, donec eadem, præsente capitulo, discernerentur quæ aut ad hæredes aut ad mensam episcopalem pertinerent, qui tamen hæc præter omnem spem nostram qua astutia & cupiditate inducti facile subintelligitur minime observarunt, sed die noctuque pro eorum libito ex castro detulerunt inconsulto capitulo tam titulos, jura, libros atque instrumenta alia. Postea patriotæ propria auctoritate claves castri Majoriæ apprehendendo jura, titulos atque instrumenta adhuc ibidem in castro Majoriæ reperta mensæ episcopali & capitulo pertinentia inde detulerunt invitis, semperque renitentibus tribus tantum vel quatuor canonicis, reliquis omnibus absentibus, & insuper hæredes dicti episcopi defuncti juramentaliter compulerunt ut omnia & quæcumque jura quæ dictus episcopus in manibus habebat illis exhiberent. Sic itaque castrum & sedes episcopalis pro eorum libito spoliata fuerunt nullo juris civilis aut canonici, vel etiam statuti patriæ ordine observato. Petit ideo V. C. episcopo restitui sua authentica & antiquissima jura quæ hactenus semper tempore pacis & belli, tanquam ad ecclesiam Sedunensem pertinentia in potestate episcopi fuerunt.

4.° Statuta quoque patriæ declarant quod possessor alicujus rei, cum certo temporis spatio possederit eam, præscribit, & sic præscriptio locum habet: hujusmodi autem jura mensæ episcopalis perpetuo in potestate episcopi pro tempore vel venerabilis capituli conservata permanserunt, & ideo non debebant ipsis ex manibus substrahi incognito jure, nec ipse etiam dominus episcopus potestatem habet sine licentia superioris sui, & sine laude venerabilis capituli hoc attentare, nec etiam præsentes oratores talem a communitatibus omnium septem Desenorum potestatem habuisse produxerunt, aut de eadem fidem fecerunt.

5.° Ad confutandam quorumdam falso introductam suspicionem quasi Carolus magnus imperator ejusque in imperio successores S. Theodulo patrono & episcopo Sedun. ejusque successoribus non contulerint jura, privilegia, regalia comitatum & præfecturam ecclesiæ Sedun. perpetua stabilitate permanendam, & inde ad alios non transferendam pro horum verificatione V. C. producit jura quæ adhuc divina sic disponente gratia in Valleria castri Majoriæ huc usque conservata fuerunt.

Ex antiquissima ac perpetuo hactenus observata legenda S. Caroli magni imperatoris & B. Theoduli episcopi Sedun. tenore antiquissimorum scriptorum librorum in Valleria existentium clare patet comitatum, præfecturam ipsumque gladium collatum fuisse a summo illo monarcha Carolo magno B. Theodulo episcopo Sedunensi ejusque in perpetuum successoribus, quæ donatio privilegiorum successive per imperatores Romanos confirmata & corroborata est ut infra patebit.

Anno Domini 999.

Rodulfus Romanorum imperator confirmavit talem donationem per prædecessores suos in regno factam, videlicet Hugoni Sedun. episcopo, uti ex juribus venerabilis capituli Sedun. per transsumtum olim claret quod in castro Majoriæ usque ad hæc tempora, cum talis spoliatio episcopum jure suo privavit, extabat.

Anno Domini 1189.

Henricus sextus imperator semper augustus confirmavit donationem episcopo Sedun. Willelmo & expresse de regalia Vallesii dictum episcopum investivit, a quo omnes etiam in dicto episcopatu successores investituram regaliæ obtinere voluit: hujusmodi instrumentum ex castro episcopali modo ablatum restituatur episcopo, nam capitulum copiam in Valleria repertam vobis patriotis descriptam offert ut cognoscatis quid æquum & justum sit.

Anno Domini 1365.

Carolus IV Romanorum imperator talem donationem privilegiorum confirmavit episcopo Sedun. nimirum Guichardo Tavelli, qui eo tempore antistitem egit, hoc instrumento hodie ablato ex arce episcopali episcopus Sedunensis rursus est investiendus: capitulum quoque ab eodem Carolo IV jura confirmata habet anno 1365, quorum copiam vobis hic descriptam & legendam præsentamus.

Anno Domini 1437.

Guillelmus de Karognia tertius filius nobilis Egidii & Isabellæ *de Silinon* episcopus electus, cui omnium Desenorum nuncii in *Narres* magno numero congregati obedientiam præstiterunt, & prædicta jura & privilegia per Carolum magnum sancto Theodulo episcopo Sedunensi collata approbaverunt, & eumdem dominum episcopum in iisdem fortem facere promiserunt, ut constat ex juribus capituli, cujus obedientiæ per patriotas præstitæ copiam vobis communicamus.

Anno Domini 1446.

Patriotæ certa quædam statuta concluserunt quæ per dictum episcopum ad eorum petitionem fuerunt approbata vita sua tantum durante absque præjudicio ecclesiæ & sui honoris; idem episcopus post quatuor annos Romam perrexit, & redeundo moritur in Pallantia jurisdictionis Mediolanensis, sepeliturque in Valleria anno Domini 1451. Hæc omnibus nota sunt, alias venerabile capitulum de his fidem facere potest.

Anno Domini 1451.

22 Januarii Henricus *Esperlin* decanus Sedun. eligitur in episcopum Sedunensem qui episcopatum noluit suscipere, nisi prius gesta per prædecessorem suum Guillelmum revocarentur; tandem eodem anno septima die Februarii patriotæ in magno numero con-

gregati circa 300 viri petitioni dicti episcopi subscripserunt, & omnia prædicta jura ecclesiæ ab imperatoribus tradita ratificarunt & approbarunt.

Anno Domini 1521.

Carolus V imperator hujusmodi privilegia & jura confirmavit Matthæo Schinero cardinali episcopo Sedunensi; quod instrumentum etiam hodie nobis invitis est ablatum. Deus videt & judicet.

Item episcopus Sedunensis ut princeps sacri imperii ad diætas generales ab Heraldo vocatur, & ut comes & præfectus Vallesiæ ad subsidia imperatori tradenda in occasione belli cogitur. Item gladius in insigniis & ante latus. Item vicedomini.

Capitulum actum talem merito repudiat cum blandis subinde verbis per baillivum prolatis, dum omnibus istis articulis nec episcopo nec capitulo quicquam derogari polliceretur; cum tamen in omnibus quatuordecim articulis de contrario constet & aperte convincatur, & præcipue de gladio baillivo tradito tamquam supremum magistratum repræsentanti, & homagia contra statuta patriæ tollenda, & ecclesiæ bona alienata esse ratificanda.

Capitulum graviter defraudatum est eo quod cancellarius ac stipulator horum articulorum gesta & acta publice ipsis ea non perlegerit, nec eos de dolo quo pars adversa utebatur admonuerit, cum tenore juris & statutorum patriæ hæc in rebus minimi valoris requirantur notarii, stipulata in scriptis redigant, & ea partibus contrahentibus perlegant in præsentia testium, & promittere faciant sub pœna nullitatis, &c.

In hoc tamen gravi & hactenus inaudito negotio quales testes notarius adhibuit, nisi omnes partiales & quibus in utilitatem cedebat.

Visis & consideratis omnibus præmissis rescindantur articuli.

Restitutio facienda tenore juris canonici.

XXXII.

Epistola episcopi Sedunensis ad pagos Helvetiorum catholicos de controversiis cum patriotis.

1618. *MAGNIFIQUES Seigneurs, très-chers alliés & confederez, nous ne doutons point que vous n'ayez déjà bien amplement esté instruits par vos deputés de ce qui nous est arrivé par nos sujets, & de ce qui cependant s'est passé touchant l'alliance & protection de Sa Majesté Très-chrétienne, laquelle nous avons été contraints de renoncer; c'est pourquoy nous n'avons voulu faire un plus ample discours de cela, mais seulement vous donner à entendre par peu de paroles de quelle façon nous avons esté contraints de faire ladite renonciation, non seulement par la lettre par nous écrite à M.^r l'ambassadeur Miron, mais aussi leur promettre de bouche de ne plus faire & commercer telles & semblables choses sans leur sçû & bon consentement, comme souverains du pays, & n'ay voulu aussi obmettre de vous informer de la cause qui nous a meu à le faire, sçavoir que* inter duo mala minus eligendum; *car premièrement ils nous ont refusé toute l'obéissance qui nous a esté neantmoins auparavant bien peu observée tant aux choses spirituelles que temporelles; secondement ils ne vouloient plus traiter aucune affaire avec nous ni par conseil ni par effet, & non plus comparoistre aux journées par nous assignées; tiercement ils nous vouloient oster la judicature du haut & bas Valais, & la mettre entre les mains du baillif du pays; ils vouloient en outre assembler un grand nombre de paysans pour nous par leur tumulte chasser hors du pays, & encore que nous ayons bien considéré que toutes ces choses ne procéderoient pas selon leur fantaisie & pratique, nous avons neantmoins craint que les affaires pourroient venir si avant que de nous oster la judicature tout entièrement au grand préjudice de toute l'église; nous avons au reste aussi bien & mûrement considéré*

A *que par la menée des paysans, ainsi qu'on leur avoit déjà fait accroire, qu'on les vouloit mettre entre les mains de princes étrangers, on nous pourroit surprendre à l'improviste, forcer notre sauvegarde & prendre tout ce que nous avons de reste, ainsi que les sieurs baillif Kalbermatter & le sécretaire Zuber nous ont ces jours passés assez donné à entendre ce qu'ils avoient encore envie de faire, venant nous trouver les larmes à l'œil, mais larmes de crocodiles plustost que d'hommes, & disant qu'il se faisoit une pratique & menée étrange & qu'elle seroit à plaindre, nous conseillants tous deux de consentir, pour éviter un plus grand mal, à la susdite renonciation, & faisoient de grands sermens qu'au cas que nous ne le voulions pas, qu'ils protesteroient devant tout le monde n'avoir esté cause du mal qui arriveroit. N'est-ce pas-là un bon conseil & avis! En somme, nous*
B *sommes contraints comme Simon par les Juifs* ut tolleret crucem. *Si grande estoit leur hardiesse, insolence & opiniâtreté que nous n'avions pas seulement une heure de temps pour considérer un peu mûrement ces affaires étranges; mais on le pourra bien voir aux affaires mêmes de quelle façon nous nous soyons opposés: quelques chanoines faisoient bien leur devoir, mais les autres nous souhaitoient je ne sçais quoy d'avoir commencé un tel jeu; en somme il nous falloit encore avaller cette pillule; ils ne font cela à autre fin sinon pour nous opprimer & après notre oppression mettre la religion en une entière combustion & ruine, cela est le vrai but où ils tendent, ne pensans à autre chose qu'à cela, & encore que quelques-uns sous prétexte disent être fort bons catholiques & vouloir mourir sur cela, & être le nombre de beaucoup plus grand des catholiques que celuy des pro-*
C *testans; mais comment cela peut-il estre! estant les principaux conducteurs de cette menée & pratique tous bons calvinistes & Zuingliens, & la plusport des charlatans qui ne s'en soucient pas qu'il arrive du bien ou du mal & ne mettent cette affaire en aucune considération pourvû qu'ils règnent & après l'oppression de la religion catholique ils emplissent leurs bourses des biens de l'église. De cecy le baillif de St Maurice, nommé Stokalper, a ces jours passés montré un fort bel exemple, disant que premièrement ils avoient la Caroline, pour le second qu'ils étoient maintenant souverains, & tiercement qu'on n'attendoit rien sinon la mort de l'évêque & qu'on feroit après de belles affaires, & doit celui-ci être fort bon catholique & homme de belle espérance. Que ferons-nous donc en ces affaires si étranges! que commencerons-nous & à qui nous*
D *fierons-nous! quels moyens & remedes devons-nous chercher & où nous retirer! si nous disons quelque chose qui soit contre leur gré & volonté, & que pour cette cause M.^r l'ambassadeur ou bien vous soyez informés, il est encore bien mal fait; mais on verra arriver cet hyver bien d'autres choses, estimant qu'ils nous mettront entierement entre les mains des paysans & qu'ils entreprendront beaucoup de choses à nous préjudiciables, ce que nous avons bien senti entre autres choses lorsque nous députâmes devers eux à cause de l'Abscheidt de ceux de Viege & Lieuge, nous voulans iceux contraindre à leur rendre leurdit Abscheidt, & sont encore résolus de ne nous laisser aucun droit audit disain de Viege jusqu'à ce que nous ayons consenti à leur volonté. C'est pourquoy il ne nous ont pas voulu permettre l'année passée de faire les confirmations & visitations en leurdit disain,* quid possum facere ulterius; *la plus grande*
E *faute est que nous ne sommes assistés & secourus de personne, il nous faut combattre tout seul & tout le monde est contre nous, il n'y a personne qui nous assiste & nous donne son conseil & avis, nous demeurons tout seul parmy eux comme l'agneau entre les loups, & faut que tout ce qu'ils font soit exécuté, & faut en passer par-là; témoins la Caroline qu'ils nous ont non seulement ôtée, mais cinquante ou soixante articles très-néceſsaires: en somme nous sommes tous fins seuls parmy eux & avec cela tout le monde se tait & est chacun étonné ne se trouvant personne qui ose ou veuille dire le moindre mot. Au reste on informe très-mal les communes & paysans, & encore qu'on les veuille bien informer, ils font semblant de ne le point entendre & estre très-marris de cette procédure, ne considérant pas que cela*

Digitized by Google

tournera un jour à leur entière ruine & perte. Quant aux chanoines, ils ne prennent cette affaire aucunement à cœur, chacun d'eux veut être évêque, & pense qu'alors tout iroit mieux qu'il ne fait ; nous n'oserions nous servir du conseil des RR. PP. Capucins & moins encore des Jésuites, car on les menace incontinant de les tuer & leur deffend-on ville & pays, en faisant accroire aux paysans iceux estre cause de tout le mal & inconvénient. On estoit pour cette cause en volonté de soulever, mais le sieur baillif Kalbermatter les doit avoir empesché & dit qu'il n'estoit pas encore temps & qu'on demeure encore en repos : l'invention de les chasser du pays estoit, sçavoir qu'on devoit donner toutes les offices avec leurs profits à ceux de Sion, où lesdits pères faisoient leur résidence, affin qu'en considérant leur perte ils les chassent aussi. C'est pourquoy que ferons-nous encore de rechef, n'étant en ce pays rien autre chose que rébellion, désobéissance, tromperie, méchanceté, malice, insolence, hérésie, flatterie, volerie & oppression de l'église & du service de Dieu, n'estant rien à espérer que quelque grand malheur! Et quelle peine, dépense & incommodité avez-vous déjà, très-chers alliés, employées! combien de fois vous vous estes déjà assemblés pour chercher quelque moyen & expédient pour remédier à ces affaires si étranges! combien de fois avez-vous envoyé vos députés devers eux & leur avez non seulement écrit mais dit de bouche, & ce encore dernièrement en cette votre spectable légation, où vous avez bien vu quels gens nous avons, & ce que nous avons à espérer de l'issue de cette affaire! Le révérendissime Nonce apostolique combien de fois a-t-il voulu par ses exhortations & admonitions faire l'introduction des pères Jésuites & Capucins, pour prêcher & enseigner les enfans aux écoles, & encore sa majesté T. C. avec sa protection! Tout cecy neantmoins n'a pu rien opérer & on a veu ce qui s'en est ensuivi : nodus gordius ; *qui le desnouera! Nous ne savons la cause de tout ce mal, si ce n'est le chapitre, qui nous donne fort peu d'assistance en cette affaire, ou le pays, qui ne peut & ne veut reconnoistre les bienfaits & miséricorde de Dieu, ou bien nos grands péchés commis envers Dieu. Nous ne pouvons sçavoir quand on se veut servir & aider de la procédure du droit. Ils crient, ils menacent & pensent qu'on ne doive pas seulement faire mention au premier an de notre élection, pour l'observation des articles dressés ; nous leurs avons, ensemble le chapitre, présenté ce droit en pleine assemblée, & les recherches qu'ils nous laissent & donnent pour le moins les abscheidts par écrit, sçachants nos protestations demeurer toujours en arrière. Vous ne sçauriez croire avec quelle cérémonie ils nous répondirent à cela, sçavoir qu'encore qu'ils accepteroient le droit à soy présenté, que l'affaire devoit neantmoins estre vuidée au pays, & le baillif ou quelque autre officier estre le juge & arbitre ; & qu'encore qu'on donnât quelque sentence, qu'il n'arriveroit neantmoins rien de bon de cela, ains toutes inimitiés & désordres. En quel état se sont-ils dernièrement présentés à cause de l'alliance qu'ils ont renouvellé avec les Grisons! n'ont-ils pas poursuivis & mis leurs délibérations & intentions en œuvre! Cette affaire certes ne peut bonnement estre accommodée, car encore qu'on veuille procéder par voie amiable, il nous faudroit neantmoins avoir le pair ; d'où on peut facilement voir l'état en lequel les affaires sont à présent, & ne pouvons faire autre chose sinon les recommander à Dieu, vous priants amiablement, très-chers alliés & confédérés, de vouloir recevoir cette lettre, écrite certes avec un cœur affligé, ensemble les narrations contenues en icelle de bonne part, & bien & meurement considérer nos plaintes & griefs, les faire sçavoir aussi aux autres six cantons nos très-chers alliés & confédérés, n'ayant après Dieu autre secours à espérer que d'eux, vous priant aussi de nous mander après leur bon & sage conseil & avis, & de ne point faire grand bruit de cecy jusqu'à ce que cette affaire soit bien considérée & qu'on ayt pris une entière résolution de tout cecy, estant à craindre, si on faisoit quelque bruit, qu'il n'arrivât encore quelque plus grand mal ; nous sommes au reste tout prêts à suivre & nous soûmettre à votre sage & prudent conseil & avis ; pour notre personne, nous sommes délibérés d'écrire à*

A *la première occasion à toutes les communes & disains, & nous excuser par ce moyen des faussetés qu'on nous a mis sus, comme si nous voulions mettre, par le moyen de cette alliance & protection, le pays en hazard & danger, & les informer des persuasions données au commun peuple, & leur déclarer notre bonne volonté & affection, comme nous faisons tout pour le bien & utilité du pays, & de ce que les conducteurs de cette menée ont envie de faire. Nous sommes avec cela délibérés d'assigner à la première occasion une journée générale, & là leur montrer toutes les faussetés & impostures & calomnies qu'on nous avoit mis sus, & leur présenter & mettre devant les yeux le grand danger en lequel la religion catholique se trouve maintenant, & demander que les édits faits à cet effet soient mis en exécution, pour la satisfaction de notre charge, & sçavoir des*
B *cinq disains d'en haut s'ils sont délibérés de tenir leur promesse qu'ils ont faite, sçavoir que toutes fois & quantes ils seront recherchés pour la défense de la religion catholique, ils nous assisteroient avec toutes leurs forces, mais que touchant les affaires des calvinistes ils n'en vouloient rien promettre, & que nous devions avoir patience ; finallement nous sommes, Dieu aidant, en volonté de faire au printemps prochain l'entière & finale conclusion & demande, ne faisant pas bon traitter telles & semblables dangereuses affaires en hyver, sçavoir si les clauses préjudiciables qu'on a mis en notre élection, comme aussi depuis, pourroient estre menées en leur droit & vrai chemin, & nous préparer de tout ce qui pourra servir de résistance pour telles affaires, espérants que vous aurez tout contentement de cecy, ayant, par la grace de Dieu, employé tout ce qui nous a esté*
C *possible à bien disposer ces affaires & espérant de recevoir quelque fruit ; mais au cas que cela n'arrive, on pourra prendre quelqu'autre résolution, & pour autant que ce qui s'est passé en ce pays à cause de ladite rénonciation n'a esté encore manifesté & divulgué, & qu'on pense icy que personne ne le sçache que ceux du pays, nous trouverions fort bon que vous, nos chers alliés, comme aussi M.r l'ambassadeur, écriviez une lettre à nos paysans comme vous auriez entendu cette protection & alliance, donner beaucoup d'affaires au pays, ce que vous ne pouviez croire, pour autant qu'ils avoient promis à vos députés qu'ils se contenteroient d'un . . . de sa majesté & qu'ils ne parleroient plus de cette affaire, & leur demandiez la raison de leur bruit & mécontentement, affin de vous éclaircir entièrement de cette affaire. Quant aux pensions & personnes confidentes*
D *pour les distribuer, nous trouvons fort à propos de ne les pas encore délivrer, mais de faire le semblant de n'avoir point d'argent, & ne s'arrêter à ces paroles, sçavoir qu'on trouvera assez d'autre sel & pension touchant le trafic & commerce qui a esté cessé entre les Milanois & Vallesiens. On a prié M.r l'ambassadeur de vouloir aussi aider, ainsi qu'il doit avoir fait nagueres, ayant écrit pour cet effet à l'ambassadeur d'Espagne : il n'y a point de danger neantmoins de laisser un peu croître les dents à ces gens icy, ayant pensé que pour avoir fait cesser le trafic & commerce ils feroient courre après eux le roy d'Espagne & les Milanois pour le ravoir ; mais vous pouvez bien juger le bon conseil que ces gens suivent. Comment ont-ils méprisé votre spectable légation que vous leur aviez envoyée l'année passée pour l'accommodement de ce dit trafic, disant qu'ils estoient assez savans & habiles pour s'accorder avec les Milanois!*
E *Considérez un peu le traitement qu'on a fait à ceux du pays d'Undeevalden, & sera bon d'en parler à l'ambassadeur d'Espagne. Quant à l'introduction au pays des pères Capucins, on fera tout ce qu'il sera possible pour la mettre en effet, & sçait-on déjà quelque moyen de le faire & principalement par le moyen du sieur baillif Kalbermatter, lequel s'il veut pourra fort avancer cette affaire ; & s'il vous plaisoit de rechercher en tout son amitié, l'altesse de Savoye pourroit écrire un petit mot au sieur Kalbermatter & les lui recommander ; nous croyons que les bienfaits qu'il a reçus de sadite altesse l'obligeroient à ce faire : d'en parler à M.r l'ambassadeur Miron, il n'est pas temps ni à propos : Voilà, très-chers alliés, notre opinion sur cette affaire, laquelle nous soûmettons à votre sage conseil & avis, vous*

Digitized by Google

priants de vouloir aider à mettre cette affaire en son bon chemin, & demander aussi l'avis dudit seigneur ambassadeur: quoy attendans, nous prions Dieu de vous avoir en sa sainte & digne garde.

HILDEBRAND, évêque dudit lieu.

De Sion, en notre château épiscopal, le 22 juillet 1618.

XXXIII.

Respondent episcopus & capitulum Sedunense Helvetiis qui generalia comitia tam pagorum catholicorum quam Vallesianorum pro placandis turbis Badæ convocaverant.

1618. *MAGNIFIQUES Seigneurs, très-chers alliés & confédérés, après avoir entendu par celle qu'il vous a plû nous écrire du 24 septembre les causes pour lesquelles vous avez trouvé bon & à propos qu'on assignât une assemblée générale de tous les cantons & de leurs alliés à Baden, & vous ayant plû nous, aussi-bien que les sept disains du pays de Vallais, convoquer à icelle, pour s'excuser & purger sur l'avis que vous avez eu, sçavoir qu'ils avoient esté en volonté & estoient encore d'opprimer l'évesché de Sion, ensemble notre vraye religion catholique au pays; nous n'avons sur cette votre assignation voulu obmettre d'assigner en toute diligence une assemblée de tous les disains dudit Vallais, pour consulter ensemble de ce qu'on devoit faire, afin de comparoistre bien instruits avec les autres cantons à ladite journée de Baden. Vous devez donc sçavoir, magnifiques seigneurs, que si-tôt que les députés des sept disains ont entendus & remarqués par votre lettre que ce bruit d'oppression de l'évesché de Sion & de la religion catholique n'estoit provenu d'autre part que de ces differends qui étoient devant cinq ans, à cause de quelques articles du temps de notre prédécesseur entre eux & le louable chapitre .... ils sont tombés sur nous, qui à la vérité disions qu'ils ne tendoient qu'à l'oppression dudit chapitre & de toute l'église, & voyans qu'ils ne pouvoient bonnement révoquer & corriger lesdits differends, ils se sont grandement excusés, & ont donné à entendre qu'ils n'estoient aucunement deliberés & n'avoient jamais esté de nous oster, ni au chapitre, aucunes immunités & privilèges, & au contraire, suivant l'exemple de leurs louables ancêtres, de nous non seulement maintenir, mais aussi ledit louable chapitre, ensemble tout le clergé, en leurs droits & privilèges, comme aussi les laisser jouir de tous les profits qu'ils pouvoient tirer d'iceux, & ce sans aucun empêchement, ainsi qu'ils avoient accoûtumé de faire de toute ancienneté; disans en outre que s'il avoit auxdits articles esté fait aucune innovation, qu'ils feroient une telle correction & révocation que nous, ensemble ledit chapitre aurions toute satisfaction & contentement, affin qu'il ne soit jamais dit que chose quelconque ait esté entreprise pour opprimer ledit évesché & la religion catholique, nous offrans aussi toute assistance, secours & conseil pour la conservation & augmentation d'icelle. Nous ayant donc ouïs leurs amples excuses & vû leur bonne volonté & intention qu'ils ont fait semblant d'y avoir envers nous, nous n'avons jugés nécessaire d'envoyer de notre part des députés pour faire un plus grand bruit & ample discours, mais avons trouvé bon & à propos de vous donner à entendre & éclaireir succinctement lesquels articles & griefs doivent estre révoqués & corrigés au cas que, suivant leurs promesses, l'évesché, ensemble la religion catholique doivent estre garantis de toute oppression; espérans que vous nous donnerez toute assistance & conseil pour abolir ces dangereuses innovations & mauvaises volontés, & affin que nous puissions jouir de la tant desirable paix, ainsi que nous ne cherchons autre chose que pour le bien & le repos de notre chère patrie.*

Et premièrement nous demandons que les lettres de la Caroline, à nous ostée, ne doivent aucunement préjudicier à nos titres, privilèges & immunités, desquelles on a eu A *accoûtumé de jouir devant cent ans, & que tout ce que le pays nous a osté nous soit sans délai restitué.*

En outre que toutes les places d'honneur soient cédées & laissées au louable chapitre, qu'il a eu accoûtumé d'avoir devant les officiers séculiers, ainsi que cela est clair & notoire à tout le monde.

Que les fiefs nobles, comme aussi les autres, soient de rechef reconnus, affin que par ce moyen il ne soit rien innové au préjudice de la table épiscopale; que les écrits & lettres ostées tant pour finesse qu'autrement de la chancellerie épiscopale soient restituées & remises en leurs places accoûtumées, & principalement les titres du préfet & comte.

Que le révérendissime chapitre, comme représentant l'église de Sion à laquelle la principauté est incorporée, donne doresenavant, comme de toute ancienneté, aux princes B *& prélats élûs, l'épée à la main, comme aussi les clefs, comme une marque de souveraineté.*

Item, *qu'en considération de la susdite incorporation, le vicaire général comme ayant obtenu, tant aux choses spirituelles que temporelles; toute puissance absolue,* sede vacante præsideat.

Item, *pour autant que les héritages des ecclésiastiques appartiennent de droit à la table épiscopale, & qu'on nous a privé des héritages de ceux qui estoient natifs du pays, que cela soit révoqué, ou pour le moins constitué à une certaine rente annuelle.*

Item, *que les articles proposés en l'année 1565, durant la vie de l'évêque Hildebrand, de très-heureuse mémoire, nous soient montrés & donnés à lire, car nous ne les avons jamais vûs, ni sçûs ce qu'ils comprennent en* C *soy, affin qu'ils puissent, selon la raison, estre confirmés & permis.*

Que les confiscations des biens & amendes qui se font publiquement devant les assemblées générales nous soient entièrement & sans diminution des deux parties adjugées, ainsi qu'il a esté fait de toute ancienneté suivant nos droits & privilèges.

En outre, pour autant que l'onzième article comprend en soy que toutes les sentences données par le baillif & conseil, mises dedans l'abscheidt, ne peuvent estre controllées & réfutées par l'évesque; mais cela estant, qu'est-ce qu'il arriveroit non seulement à nous & à toute l'église, mais au pauvre peuple! Nous leurs pouvons neantmoins bien accorder cet article, pourvû qu'ils procédent avec toute raison & ne préposent l'injuste à la justice, & qu'ils ne D *fassent chose quelconque contre la religion catholique, ains tout pour le bien & conservation de la paix commune, ne nous diminuent aucun de nos privilèges par leurs procédures, & ne fassent doresenavant avec nous comme ils ont fait jusques icy, sans considération quelconque de nos protestations, & n'usent comme princes souverains, &c.*

Item, *qu'aucune exception ne soit doresenavant faite touchant les assignations des assemblées générales, ains doit l'évesque assigner toutes les assemblées au temps & lieux accoûtumés, tant pour les affaires de guerre que pour d'autres, ainsi qu'il a toûjours esté fait.*

Item, *que les adjournemens & choses civiles se doivent traitter devant la justice de l'évesque, tant au haut qu'au bas pays de Vallais, suivant le droit du pays.*

Item, *que le baillif du gouvernement de Monthey doit prendre le serment accoûtumé de nous, ainsi qu'il a esté fait* E *jusqu'icy, & devons en outre recevoir sans aucune contradiction & empeschement les amandes ecclésiastiques, comme aussi tous les profits & utilités des autres seigneurs, suivant le droit que nous avons, affin que rien ne soit aliéné, mais demeurent tous sur un même prince. Et pour autant que quelques-uns font grand bruit, comme s'ils avoient tout gagné pour nous avoir osté les lettres de la Caroline, comme aussi quelques sentences nagueres annullées, ainsi qu'il sera dit cy-après, mais comme cela est arrivé si on ne le sçait, on le donnera encore à entendre; nous voudrions volontiers sçavoir si toutes les jurisdictions & administrations d'office,* servatis periculis, *tant au haut qu'au bas pays de Vallais, ne procedent de notre cour de Sion & ne se font en notre nom; si chacun officier ne nous doit rendre compte sur son*

serment de sa charge, affin que notre cour soit entretenue suivant les anciennes coûtumes, & si nous devons estre privés de supermineralibus, *que nos prédécesseurs ont reçu & fait battre de la monnoie. Quant aux affaires de religion & conscience, pour autant & que déjà souventes fois il a esté pour la conservation d'icelle ordonné que rien ne soit attenté ou entrepris contre nos bons édits, soit par conseil ou effet, nous demandons que l'article contraire à cela soit révoqué & osté, parce que notre jurisdiction ecclésiastique est fort diminuée, & qu'on ajoûte selon le temps & occasion, & selon que les affaires iront.*

Et pour autant que nos bons édits raisonnables ont esté en quelques endroits opprimés, & qu'on a mis en effet contre toute raison au lieu de ceux-cy d'autres, nous les voulons avoir exhortés de se déporter doresenavant de telles & semblables façons de faire, & les annuller comme il convient aux bons chrétiens de faire; demandans en outre que les curés peuvent tels & semblables édits lire publiquement sans contradiction quelconque, & qu'ils n'en soient détournés par menaces.

Item, *pour autant qu'il a esté éclairci que ceux de la religion ne doivent estre employés en aucun conseil ni assemblée, nous demandons que cet article soit mis en effet, affin que pour la diversité des opinions on ne soit toûjours en inimitié les uns contre les autres.*

Et pour autant qu'à cause de la nouvelle religion il arrive tous les jours beaucoup d'incommodités & malheurs au pays, & que cela est la vraie source de toutes inimitiés & desordres, ainsi que depuis peu d'années en çà nos paysans, pour empêcher telles innovations, ont esté contraints de prendre les armes, nous voudrions pour empêcher telles & semblables brouilleries, qu'on observât mieux doresenavant les bons remèdes & ordonnances qui ont esté faites & acceptées avec le commun consentement, & qu'on ne les outrepassât point, & que pour l'exécution de toue cecy on nous assistât mieux qu'on ne fait, là ou au contraire on fait semblant de ne rien savoir, comme de ne rien empêcher, & laissent aussi croistre toutes sortes d'innovations au pays à l'oppression de notre vraie ancienne religion catholique, ainsi que beaucoup pour exécuter cela ont esté envoyés aux écoles defendues, les autres pour recevoir la cène, quelques-uns pour se marier, & finalement faire baptiser leurs enfans auxdits lieux, comme aussi beaucoup de tels & semblables actes qu'ils ont commis. Or à cause que quelques-uns pourroient dire & alléguer pourquoi l'évêque de Vallais ne fait tout cecy entendre aux communes, estants encore beaucoup de bonnes gens-là, & ne demande-t-il leurs secours & assistance, a-t-il jamais fait cela? Nous avons fait plusieurs réponses sur cela, & ce sans aucun profit, ainsi que l'amiable prière & recherche de nos très-chers alliés n'a non seulement rien pû profiter, mais aussi ni celle de sa sainteté, ni de sa majesté de France, mais les a davantage plus incités & rendus plus obstinés en leur intention.

En un lieu les choses sont dissimulées, en l'autre on ne les entend pas, quelques-uns ne se veulent mêler de cecy, les autres croient que cela ne serviroit de rien & se mocquent de tout cecy, & sont fort aises de ce qu'ils peuvent ainsi traitter sans empeschement quelconque leur évesque, & que tout leur procède selon leur volonté & fantaisie, qu'ils peuvent persuader le commun peuple & l'irriter contre leur prélat, & le decrier & calomnier; & ainsi nous faut-il demeurer sans assistance & secours, & encore que nous en veuillons faire quelque punition ou réprimande, ils se mocquent de nous. On montre la porte au fiscal & le renvoie-t-on avec injure. Voyans que nous n'avons aucun support ni aide, c'est pourquoi nous n'avons pas été sans cause contraints de solliciter auprès de sa majesté Très-Chrétienne l'alliance & protection pour la défense de notre religion & évesché; mais tout ceci n'a pû avoir aucun lieu, encore que ladite alliance n'ayt tendu qu'à la conservation de la religion, bien & repos public, & non pas à l'oppression du commun peuple, ainsi que quelques-uns lui ont fait accroire, & nous ont par ce moyen décrié, ainsi qu'on a pû voir par la lettre écrite à nous & au pays par M.r l'ambassadeur Miron. Neantmoins contre tout cecy nous avons esté contraints de revoquer & renoncer à ladite alliance & faire des lettres de ne plus faire aucunes alliances nouvelles sans le sçû & bon consentement de ceux du pays, comme souverains, où il se trouve neantmoins tout le contraire, ayant les évesques mes prédécesseurs fait de leur propre mouvement ces alliances étrangères, notamment avec la maison de Milan, ainsi qu'a fait & traitté feu Walterus avec ladite maison; mais que le pays de Vallais soit entré en alliance avec les rois de France, cela a esté fait avec le consentement des prelats, & encore que cela ne fût pas esté fait, il ne se faudroit pas étonner, pour autant qu'eux-mêmes outrepassent & rompent leurs édits, en ce qu'ils ont naguères renouvellé l'alliance avec les Grisons, encore que du consentement de tous il ayt été dit & conclu de ne traiter alliance quelconque sans le sçû & bon consentement des trois États; savoir, de l'Évêque, du Chapitre & du pays; ils ont néanmoins, sans considération quelconque & sans aucunement avoir égard aux députés des sept Cantons catholiques leurs Alliés, qui, pour cet effet, ont été envoyés, passé outre: il nous a fallu néanmoins renoncer à l'alliance & protection royale, si nous avons voulu vivre en paix & conserver notre évêché, ne nous ayant servi aucunes lettres ni brevets de Sa Majesté, aussi leur allié & protecteur, n'ayant eu aucune considération que cela étant, elle n'entreprendroit rien qui puisse préjudicier audit pays. Nous nous pourrions plaindre plus amplement, en ce qu'on apporte beaucoup de libelles & traités contre la religion catholique au pays, les vendant & remplissant ainsi ledit pays, & eussions volontiers vû que le traité apporté & envoyé des Grisons en Vallais fût demeuré dehors, ne servant de rien qu'à irriter beaucoup contre notre religion & les détourner d'icelle: que si nous voulons empêcher cela par notre autorité, il n'arrive autre chose que séditions & désordres parmi le commun peuple, sous prétexte de la liberté. En outre, il n'est pas besoin de faire mention combien ils usurpent sur notre Jurisdiction ecclésiastique, en défendant de l'exercer dedans le pays contre le droit & loi de tout le monde.

Tout le monde sçait de quelle façon cette année Dominica Quadragesimæ, *le bon & dévotieux peuple étant assemblé dans l'église de Sion pour ouïr la parole de Dieu, a été non seulement sur grosses peines commandé de sortir, mais aussi, en présence de leur Prince & Pasteur, outrageusement chassé hors de l'église.*

Item, *de quelle façon on nous a reçu l'année passée le jour de Saint-Jean à Leuge, lorsque selon la coûtume ancienne du pays, nous avons voulu faire la visitation en la paroisse & faire-la confirmation, où nous avons été contraints, en une sédition populaire, sortir de-là avec notre grande honte & ignominie, & en danger de notre vie, sans avoir pû exécuter chose quelconque, à cause que nous leur avons refusé de signer une attestation, & vouloient, sous prétexte de la liberté, que nous cassions les arrêts donnés à cause de la religion, comme aussi d'autres articles mis dedans l'abscheidt, afin de pouvoir librement & sans empêchement exercer la nouvelle religion, & pour nous chasser d'un labyrinthe à l'autre, ne se contentant pas de la confirmation de leurs privilèges, ainsi que nos ancêtres ont fait, mais nous veulent contraindre, par leurs mauvaises procédures, de leur permettre des choses que nous ne pouvons faire sans grand scandal de tout le monde & la damnation de notre ame. Si telles & semblables procédures sont justes & bonnes, on ne doit espérer aucun droit humain; mais le doit-on aller chercher auprès des hommes les plus éloignés du monde.*

Item, *il est aussi notoire à tout le monde, comme il nous faut supporter & voir le Moine pendu au gibet de Leuge, sans aucunement être dégradé, encore qu'il nous ait fallu supporter tous les frais & despenses. On sçait comme on nous a traités à cause du baptistaire de* Sequano, *& comment ils se sont comportés en notre endroit, ce que j'obmets à présent. Il reste néanmoins encore un point dont nous ne pouvons assez nous étonner; sçavoir, que si-tôt que nous faisons quelque mention des lettres de la Caroline,*

Digitized by Google

quelques-uns le prennent tellement à cœur, qu'ils font croire au commun peuple & lui persuadent, comme si on vouloit opprimer le pays, & par ce moyen l'assujétir totalement, encore qu'iceux sçachent & connoissent bien que nous n'avons aucunement en volonté de le faire, & que cela n'a jamais été encore entrepris par nos prédécesseurs; & ainsi nous nous étonnons grandement de ce qu'on nous appelle néanmoins Prince & qu'on nous laisse nos prééminences & titres d'honneur, d'où s'ensuit le pouvoir d'assigner les assemblées & qu'on endure que nos vice-domini *demeurent au pays.*

Item, *qu'on nous laisse les jurisdictions qui procèdent immédiatement de la table épiscopale, les élections de nos Officiers qui reçoivent le serment de nous de vouloir fidelement exercer leurs charges & défendre avec tout leur pouvoir l'église de Sion & procurer toûjours le bien, honneur & utilité d'icelle.*

Item, *les* mineralia, *& qu'on permette de porter l'espée devant nous & beaucoup d'autres & semblables jurisdictions, qui ne sont autre chose que les Carolines, d'où procède la principauté, laquelle nous avons possédée jusques ici sans avoir été controllée. Si nous avons donc encore les susdites jurisdictions & privilèges, lesquels nous possédons & exerçons, & que si on nous voudroit les diminuer, il nous faudroit déposséder entièrement, nous ne pouvons, en façon quelconque, comprendre cecy, de nous avoir ôté les lettres & nous laisser néanmoins labourer la terre & recueillir le fruit qu'elle porte; d'où vient que nous nous étonnons encore plus fort que le pays retire lesdites lettres & titres à soi, & les méprise néanmoins tellement comme si c'étoit une chose controuvée, & mettent en doute si lesdits titres ont été donnés par les Empereurs romains à S. Théodule ou non, & ce* contra omnia evidentissima testimonia.

Toutesfois il ne se faut pas tant étonner de ce qu'ils nous les ont ôtés & à quelle fin ils l'ont fait, car ce qui arriveroit à nos successeurs, je le donne à juger, & diroit-on veteres migrate Coloni *au grand dommage certes du pauvre peuple, ainsi que nous avons vûs depuis cinq ans en çà, les effets, tant ouvertement que secrettement, car ils ne se contenteroient pas de nous avoir privé d'iceux titres, d'où vient qu'ils ne se veulent plus contenter au pays d'un Chef, mais en veulent avoir deux, nous entendons par cecy le Baillif, pour faire deux parties, qui néanmoins comme dit est, reçoit le serment de l'évêque & fait & doit faire sa charge en son nom, suivant nos droits & privilèges, & ainsi veulent introduire beaucoup de tels & semblables mauvais schismes; mais que quelques-uns veulent dire & proposer, qu'à cause des batailles gagnées par les évêques mes prédécesseurs & le pays contre les ducs de Savoie, toutes les choses dites cy-dessus doivent être ôtées* hora non est: *& nous eût-on bien été aussi d'autres jurisdictions, mais nous répondons sur cela que le pays n'a jamais eu ni gaigné aucune bataille contre l'évêque, mais contre l'ennemi, en défendant le siége épiscopal, & se gardant d'une plus grande subjection qu'ils n'étoient sous le manteau de l'évêque; outre cela; qu'après lesdites batailles gagnées & reprises du bas Vallais, que les ducs de Savoie avoient usurpé, ledit pays a été fort bien récompensé pour leurs services & dépenses faites, ayant les droits & jurisdictions nonobstant demeurées à l'évêque, suivant les conventions faites: d'où vous pouvez juger très-chers Alliés & Confédérés en quel estat l'ancien évêché ait été anciennement, & comment il est à présent troublé par des innovations, que quelques esprits séditieux veulent introduire, & de quelle façon son autorité a été diminuée, à l'oppression & grand préjudice de notre vraie religion catholique.*

Voilà l'éclaircissement que j'ai jugé à propos de faire, priant sur cela très-affectueusement tous nos bons amis, anciens alliés, combourgeois & frères de tous les cantons, avec leurs alliés, qui assisteront à cette assemblée, de nous vouloir avoir, quoique indigne & incapable de l'évêché, ensemble icelui avec ses jurisdictions, privilèges & immunités, en favorable recommandation, & disposer en sorte vos conseils & compatriotes, qu'ils ôtent toutes mauvaises opinions qu'on leur a fait accroire, & qu'ils se souviennent du serment par lequel ils se sont obligés envers l'évêché de Sion, & ne prendre en mauvaise part de ce que nous cherchons tous moyens pour défendre & maintenir nosdits privilèges, immunités & prééminences possédées depuis neuf cents ans par les évêques nos prédécesseurs, & nous aider à les conserver, comme de toute ancienneté on a eu accoûtumé de faire, qui ne tendent qu'à la gloire de Dieu, conservation de notre vraie religion, & bien & repos de notre patrie, priant Dieu sur cela de vous donner sa sainte benédiction, afin que tout ce qu'on traitera en ladite assemblée tourne à son honneur, bien & prospérité de votre chère patrie, & afin que nous puissions vivre en cette vallée de misères en bonne paix & repos, & après cette misérable vie, obtenir tous ensemble l'éternelle joie.

XXXIV.

Oratio Nuncii apostolici habita coram comitiis generalibus urbis Sedun. 20 Maii 1627.

ILLUSTRES ET POTENTES DOMINI.

NEMO vestrum mirabitur quod sanctissimus dominus noster Urbanus divina providentia papa VIII, mihi gratiosissime mandaverit ut ad vos nulla interposita mora venirem cadenti patriæ vestræ manum suppositurus, si recordabimini quid in similibus necessitatibus vestris alii summi pontifices semper Vallesianæ tranquillitatis zelantissimi effecerint, inter quos mihi instar omnium sit præclarum facinus sanctæ memoriæ Leonis X qui anno 1520 cum Vallesia vestra iisdem fere tumultibus quibus hodie agitatur, vexaretur, ad vos nuncium extraordinarium expresse ablegavit RR. dominum Bartholomæum Arnolphinum protonotarium apostolicum qui res vestras ad quietiorem statum redigi curaret, quod cum effectum fuisset non minus singulari ipsius studio quam faventibus animis & manibus honorabilissimorum patrum atque avorum vestrorum qui integram obedientiam ipsi præstiterunt, & se in protectionem dicti SS. pontificis & S. sedis apostolicæ tradiderunt, & humiliter commendarunt eidem domino Arnolphino Romam ab eodem summo pontifice revocato, dicti vestri patres & avi solenniter contra ipsius discessum protestati fuerunt, ac nullo modo permittere voluerunt ut nisi melius stabilita pace atque concordia Romam reverteretur. Cum igitur SS. dominus noster non minore zelo & sollicitudine in vos & solidum patriæ vestræ bonum feratur quam idem Leo papa X, imo ardentius quam quivis alius, cupiat ut res vestræ semper in melius progrediantur, maxime cum valeat ex hujusmodi dissentionibus multum periculi imo & detrimenti imminere religioni catholicæ, sanctitas sua omnino voluit & jussit ut ad vos hac de causa venirem, certo sibi persuadens in vos illustres & potentes dominos æque derivasse hæreditates dictorum vestrorum patrum & avorum, atque reverentiam & obedientiam quam ipsi tunc temporis & alias semper exhibuerunt S. sedi apostolicæ, ita ut vestros animos vestraque corda coram me ejusdem sanctitatis suæ indigno nuncio apostolico effusuri, atque etiam monita consilia votaque mea audituri & exauditturi fitis. Qua in re utinam possim aliquid de me ipso spondere quod virtutem, merita ac fortunam ejusdem domini Arnolphini si non æquare, saltem imitari possim; sic enim fieret & facillime sperare possem ut & mea opera & vestro zelo præsentes hi tumultus sedari queant, & inter dominum episcopum ac venerabile capitulum vestrum & vos ipsos integra firmari pax stabilirique possit, quod cum ipse præstare satago idipsum me impetraturum spero, accedente divina gratia atque auctoritate, prudentia ac interpositione illustrissimi domini Mironii suæ 1627.

christianissimæ majestatis oratoris, ac hic præsentium dominorum legatorum, dominorum cantonum catholicorum qui communibus studiis ac votis hoc ipsum quod ego contendo a vobis exigunt, videlicet ut velitis audire & sequi quæ sunt ad bonam & firmam pacem inter vos ex una, & dominum episcopum, necnon & venerabile capitulum ex alia parte conciliandam stabiliendamque.

Hoc præmisso brevi exordio debeo jam illustres ac potentes domini vobis annunciare quæ sanctissimus dominus noster jussit ut vobis in hoc rerum vestrarum turbulentissimo statu, paterno affectu ac pontificia sollicitudine nomine sanctitatis suæ integriter exponerem.

Primo itaque sanctissimus dominus noster vos gratiose salutat, apostolicam suam benedictionem vobis impertitur, ad omnes gratias & favores, honores ac beneficia, quibus patria vestra vosque ipsi ab apostolica sede decorari ac ditari cupiatis, uti clementissimus pater, sanctitas sua paratissimam sese exhibet, prout & illustrissimus dominus cardinalis Barberinus dominus meus gratiosissimus, ac illustrissimæ reipublicæ Helvetiæ catholicæ vobis confederatæ protector, vobis amorem & patrocinium suum libentissime defert.

Secundo quando quidem, ut scitis, sanctitas sua admonuit vestrum illustr. dominum episcopum ut permaneat in vocatione in qua vocatus fuit, & sic ut episcopatum hunc minime deponat, quod & vos una cum dominis cantonibus catholicis plurimum optastis, necnon & summo studio excellentissimus dominus comes *de Béthune* apud sanctitatem suam pro rege christianissimo legatus residens ad id ex literis supradicti domini Mironii permotus expetiit; & ego humillime eidem sanctitati suæ hac de re ipsa supplicavi, certo sperabat sanctitas sua ut vos ipsi tanta gratia allecti nihil essetis tentaturi vel contra dominum episcopum, vel contra jura tam spiritualia quam temporalia episcopatus.

Verum cum totum contrarium evenerit in conventu post hæc a vobis ante duos menses Leucæ habito, ex quo præter alia quæ dicuntur per vos in eo statuta & arrestata contra immunitatem ac jurisdictionem ecclesiasticam, contra dignitatem & auctoritatem domini episcopi, ac contra jura episcopatus & venerabilis capituli, prodiit decretum illud quo patres societatis e patria exire jussi fuerunt, summa animi amaritudine ex his affectus fuit SS. dominus noster, nisi sanctitatem suam recreasset aliud decretum pium & sanctum quod in eo conventu emisistis de expellendis e Vallesia omnibus qui a religione catholica, apostolica, Romana aberrant; ut pote qui constanter velitis, ut impia cujusvis sectæ hæreticæ dogmata & exercitia a vestra cara patria exulent perpetuo, ex quo SS. decreto sperat sanctitas sua indignationem divinam, quam ex aliis supradictis decretis in vos ipsos provocastis, a vobis avertendam, decreta hæc per vos fore revocanda, ac patres in patriam iterum restituendos. Et quidem quod ad prædicta decreta attinet, cum nullam illorum certam notitiam habeam, scitis enim quod ea mihi nec aliis communicaveritis, non possum de eisdem aliud vobis dicere, nisi quod publice affirmetur multa in eis contineri quæ & sacris canonibus & omni æquitati repugnant. Quod, cum vos domini negetis, operæ pretium existimarem, si eadem decreta non solum mihi, sed & domino oratori Mironio atque dominis deputatis cantonum catholicorum examinanda proponeretis, ut si æqua & justa sint, uti vos esse dicitis, debitam laudem atque commendationem non solum apud nos ipsos, sed quod magis vobis optandum est, apud principes & superiores nostros reportetis; si vero in aliquibus contra & præter intentionem vestram jura ecclesiæ & æquitatem lædunt, & de hoc moniti eadem vel corrigere, vel in totum revocare valeatis, tum & jus suum unicuique tribuatis, quod justitiæ præceptum est, ut conscientias vestras ab omni culpa & reatu expurgetis.

Quod vero spectat ad peculiare illud decretum de patribus societatis e Vallesia expellendis, id vobis affirmare possum ex eo viscera paternæ sanctissimi D. N. in vos caritatis plurimum commota fuisse, non quidem primo & principaliter intuitu patrum in quos, cum viri fortes ac servi Domini Dei sint, nulla quantumvis gravissima potest cadere injuria, sicuti nec sol a quibusvis sagittis in illum ejectis vulnerari potest, sed potissimum propter vos ipsos & propter filios vestros atque successores, ac propter totam denique patriam vestram. Cogitat enim sanctitas sua gratiose quid sua intersit tales haberi hujusce vineæ Domini custodes, cultores ac directores: cogitat eadem sanctitas sua quid de vobis dominis Vallesianis ipsius dilectis filiis dicere aut opinari poterunt ii principes, respublicæ & alii potentatus qui audient per vos expulsos fuisse patres, qui in hac vestra patria tantum sudaverunt & allserunt ut in utram disciplinam christiano catholicam a viginti & ultra annis vos ipsos erudirent, & juventutem vestram in pietate & disciplinis instituerent, ut animas vestras ad veram devotionem & ad sacramentorum frequentiam fervide excitarent, & ut concionando, confessiones audiendo & cathecisando, & quæcumque alia spiritualia exercitia ministrando hæreses quas inimicus homo in agro Vallesiano superseminaverat, tamquam zizania in fasciculos colligerent atque ejicerent, ac religionem catholicam veluti optimum semen ab omnibus erroribus atque impiis libertatibus expurgarent & propagarent, prout Domini Dei inexhausta favente gratia, atque eorumdem patrum opera & studio factum fuisse cum vos ipsi pluries agnoveritis & confessi fueritis, maxime autem in publico solenni conventu Friburgi anno 1623 inter vos & dominos cantones catholicos pro renovatione mutui inter vos fœderis habito, ut recessus ille evidentissime testatur qui jam audiunt eosdem patres a vobis tam inopinato, & nulla contra ipsorum opera & doctrinam dicta causa fuisse e Vallesia emissos. Quid suspicari possunt, nisi quod vel vos odium pro gratia ipsis reddatis, vel quod iidem patres aliquid contra vos atque patriam vestram attentaverint; & nihilominus cum ex litteris ea de re per vos ad meipsum datis luculentissime probetur, & vestra in dictos patres constans amicitia & bona laudabilisque ipsorum inter vos conversatio, nihil aliud ex hac expulsione suspicandum remaneret, nisi quod aliqui in hac vestra patria vel exterorum astu & impulsu, vel proprio marte ejusdem religionis catholicæ hostes curaverint sub nescio quibus frivolis prætextibus ac rationibus tam bonos operarios ac magistros ab eodem agro ejici ut paulatim in patriam hanc vestram hæresibus quæ in circuitu vestro sunt liberior pateat accessus. Quæ suspicio cum locum apud me habere non possit, attenta seria illa protestatione quam constantissime emisistis, ut velitis unicam solam religionem catholicam in patria vestra perpetuo conservare, quam protestationem reipsa comprobatis, cum singulis diebus e patria expellantur ii qui in ovile catholicum ingredi nolunt, qua in re vos summopere laudo; & ut fervide in hoc proposito permaneatis, & omnes tales ad unum expellatis vehementissime vos rogo & obtestor; de dicto decreto expulsivo patrum societatis, nihil aliud mihi imaginari possum quam quod id ex impetu aliquo populari factum fuerit, atque eo facilius spero futurum ut re melius apud vos perpensa consilium de revocandis patribus patria vestra jam suscipiat, ad quod & vos summopere hortatur ac monet sua sanctitas, præsertim cum nulla rationabilis causa appareat cur dicti patres expelli debuerint.

Nam quod ipsi censeantur authores, consultores, seu etiam conscii resignationis a domino vestro episcopo attentatæ, prout audio ab aliquibus fuisse suspicatum, in hoc fidem meam vobis obstringo me

Digitized by Google

patris Marii opera hac in re potissimum usum fuisse ut dominum episcopum a concilio resignandi episcopatus diverterem & revocarem, prout studio dicti patris Marii semel atque iterum factum est. Quod vero dicitur patres nunquam fuisse receptos & admissos in Vallesiam facile cessabit si consideretis, illustres domini, ipsos fuisse hic per viginti annos continuos, quod tacitum saltem & expresso æquivalentem probat ejusdem patriæ vestræ consensum.

Præterea nonne domini Sedunenses expresse permiserunt patribus ut in hac civitate fixum collegium haberent sub certis iisdem propositis conditionibus quæ mox a sancta sede apostolica atque a reverendo eorum patre generali approbatæ fuerunt! Nonne domini Sedun. anno 1622 mense Novembri, me tunc hic existente & dictos dominos rogante, decreverunt etiam scholas quas vocatis triviales hujus civitatis dictis patribus tradere! Nonne domini Sirrenses illis dederunt hospitium Ventonæ, ubi per multos annos scholas publicas habuerunt! Nonne domini Brigenses eosdem patres expressissime & pactis secum initis in ipsorum Desenum ad docendum & ad curam illorum animarum exercendam advocarunt acceptaruntque! Quæ cum ita sint ac nulla tergiversatione celari negarique possint, vos domini mei potentes iterum etiam atque etiam rogatos volo ne diutius e Vallesia patres societatis exclusos esse velitis prout exigit necessitas patriæ vestræ, quæ etsi plures habeat jam bonos sacerdotes & ecclesiasticæ militiæ mancipatos sub eorumdem patrum disciplina edoctos, auderem tamen affirmare eam ex his non habere tot ac tales, quot & quos exigit eadem patria vestra; & quando numerus pro nunc sufficeret, nonne debetis etiam futuris temporibus providere! Non semper vivent qui modo vivunt, atque ipsis deficientibus ut alii possint substitui idonei, debetis habere solertes directores qui quasi in seminario bonæ pietatis ac doctrinæ colant & erudiant viros probos qui regimini animarum substitui atque præesse valeant. In quo munere obeundo quid maxime possint patres societatis, vos ipsi experti estis; quod & eo magis facere debetis, ne alii principes ac respublicæ scandalum tam magnum, atque exemplum tam malum a vobis accipiant ex ipsorum mero puroque motu & absque causa ab ecclesiasticis superioribus approbata dimittendi a suis ditionibus viros religiosos, probos, pios, utiles, necessarios, per sanctam sedem approbatos & missos, uti erant patres Jesuitæ hic.

Tertio vos admonet sanctitas sua ut jura ecclesiæ ac venerabilis capituli Sedun. commendata habeatis, ita ut non solum ea quæ jam possident sarta & illæsa esse velitis, sed & quæ bono justoque titulo sibi debentur restitui curetis, quod cum sanctuarium Dei merito dici haberique debeat hæreditas, per seculares possidendum minime est, sed divinorum dispensatoribus mysteriorum libere relinquendum aut restituendum, præsertim cum in eos qui vel minimum quid bonorum aut jurium hujusmodi ecclesiasticorum usurpant aut detinent gravissimæ pœnæ ac censuræ ecclesiasticæ, quæ animas æternis cruciatibus devovent, statutæ sint ac fulminatæ.

Quarto denique mihi jubet sanctissimus dominus noster ut majori quo possum affectu vobis commendem personam vestri illustrissimi domini episcopi Sedun. quem Dominus Deus pastorem hujus ecclesiæ præesse voluit, in quem sua sanctitas non agnoscit cur tanta per vos excitetur tempestas, & quare ab eo affectus animique vestri ita abalienati sint. Et verum quod superioribus mensibus idem dominus episcopus in eam venit cogitationem ut episcopatui cederet, quodque hanc ipsius cogitationem eidem sanctissimo domino nostro communicavit, sed cum sanctitas sua ipsi mandaverit ut maneret in vocatione in qua vocatus est, cur ei succensendum est! Quod concupivit dominus episcopus facere, hoc optavit non aliam

A ob causam quam ob varias quas patitur difficultates in ferendo tam gravi onere etiam angelicis humeris formidando. Quod si credidisset hoc suum propositum vobis dominis patriotis adeo ingratum futurum, certo scio quod illud nunquam induisset, prout scio ipsum plurimum dolere quod cum hoc facere tentaverit, vos inde commotos & quasi ad iracundiam provocatos fuisse.

At dicitis dominum episcopum per hanc viam voluisse extraneos ac potentiores in episcopatum intrudere & sic jura patriæ infringere, patriamque ipsam perturbare; sed credite mihi qui hoc vobis in verbo prælati affirmo dominum episcopum neminem sanctissimo Domino nostro nominasse cui de episcopatu provideri optasset; & si aliud vobis dictum aut scriptum sit, quando etiam id dixisset aut scripsisset ipsemet dominus episcopus, id nullo modo concordaret
B cum ipsamet resignatione domini episcopi, quæ fuit pura & simplex non in favorem alicujus, quisquis ille sit, nec sub aliqua conditione. Sed additis resignationem hanc factam aliomodo & via quam de more patriæ & ex privilegiis capituli Sedun. ad quod electio episcopi spectat nimium ejusdem patriæ & capituli juribus præjudicasse, atque adeo dominum episcopum qui illam in manibus sanctissimi fecit pessime meritum esse de capitulo & de vobis ipsis. At debitis domini mei in hoc considerare quod cum nullus episcopus possit suum deponere episcopatum nisi consulto atque consentiente summo pontifice, nihil perperam egit dominus episcopus vester cum hoc sanctissimo domino
C nostro humillime significavit, & licet videatur voluisse plene in manibus sanctitatis suæ resignare, ita ut ab ea sibi dandus esset successor, attamen de ejusdem sanctitatis suæ prudentia ac æquitate ita vobis persuadere debetis, ut quando resignationem admittendam censuisset, electionem tamen successoris liberam reliquisset venerabili capitulo, prout in similibus casibus sanctitatem suam fecisse mihi constat, & præsertim cum capitulo Constantiensi, dum prædefunctus dominus episcopus paulo ante mortem ipsius designare episcopum vel coadjutorem cum futura successione sibi dari optasset, ac a sanctitate sua humillime petiisset.

Cum ergo propositum domini episcopi de resignando episcopatu non habuerit effectum, nullumque exinde detrimentum passa sit ecclesia Sedun. nec pa-
D tria vestra, imo ex hac occasione vobis licuerit agnoscere quanta benevolentia, caritate & clementia in vota supplicationesque feratur sanctissimus dominus noster qui ut vobis & bono patriæ vestræ faveret dictam resignationem non admisit, rogo vos, domini mei, atque obtestor vehementissime, exuite jam aliquando tandem omnes umbras & suspiciones in dominum episcopum conceptas, deponite diffidentiam, quæ a caritate ipsius vos separat, reconciliate vos eidem sincero ac perfecto corde, vobis enim polliceor, ipsum jam invenietis atque experiemini semper benignum patrem sedulum pastorem & optimum patriotam, si & vos eidem exhibebitis gratos filios, oves vocem ipsius audientes, & in conservatione ac restitutione jurium episcopatus & capituli sedulos ac diligentes; quod si
E mutuo sincero affectu feceritis, concordiam, qua parvæ res crescunt, iterum inter vos conciliabitis atque cogitationes eorum qui ex hisce divisionibus vestris commodum in præjudicium etiam nostræ sanctissimæ religionis sibi aucupari student, ad quod attentissime vobis invigilandum est, confundetis atque dissipabitis. Si vero in hisce contentionibus atque animorum dissensionibus perseveraveritis, quid inde boni & patri & religioni poterit evenire! utinam ne inter vos contendentes tertius gaudeat! ab alienis periculis quæ vidistis atque tractastis discite quam laudabile jucundum atque utile consilium sit ut membra & caput unius reipublicæ inter se ita cohæreant, ut hujus & illorum una sit mens & intentio atque voluntas. Quod si aliquis vestrum

Digitized by Google

vestrum sentiat se a dicto domino episcopo læsum vel gravatum eo quod aliquid attentaverit vel contra jura & consuetudines vestras laudabiles & æquas pacemque ac tranquillitatem patriæ, quod nullomodo de tam zelanti prælato mihi persuadere possum, vel etiam contra quamcunque particularem personam, idem dominus episcopus plurimum cupit & rogat vos ut unusquisque vestrum gravamina quæ in ipsum habet mihi proponat, quod & ego a vobis peto, ut si quid corrigendum retractandumque sit pro justitia servanda & pro firmiori quiete inter vos componenda corrigatur retracteturque.

Reliquum est, illustres & potentes domini, ut vobis gratias agam prout maximas quas possum ago, pro eo quod me ad vos venientem tam benigne gratiose ac honorifice susceperitis, cujus favoris sicuti memoria a me nunquam excidet, ita studium operamque meam ubicumque usui vobis esse poterunt exhibeo, atque ut illis libere ac confidentissime utamini vos omnes & singulos etiam atque etiam rogo. Interim omnia sanctissimo domino nostro humillime significabo ut intelligat qua reverentia, quantoque obsequio a dominis Vallesianis recipiantur ministri suæ sanctitatis, quæ sine dubio lætissimis hæc accipiet auribus, & paternum ipsius affectum vobis in dies magis declarabit. Seduni, 20 Maii 1627.

XXXV.

Respondent baillivus & deputati Vallesiæ orationi nuncii apostolici.

1627. *Le baillif & messieurs les députés du pays de Vallais, assemblés en ce lieu de Sion, remercient bien humblement ledit seigneur Légat apostolique de la sainte bénédiction apostolique à nous départie benignement au nom de notre très-saint Père, comme aussi de ses affectueuses & paternelles graces & recommandations, & sommes grandement obligés au révérendissime & illustrissime prince & seigneur Cardinal Barberin, pour l'offre de ses amiables salutations, dont nous le remercions de tout notre cœur, étant fort réjouis de ce que sadite sainteté a eu ce louable pays en telle recommandation, que d'avoir envoyé en icelui un prince & seigneur de telle & si éminente qualité, duquel nous n'avons à espèrer que tout bien & repos, à cause de sa très-grande prudence & de son esprit paisible dont le ciel l'a orné & decoré.*

Lesdits sieurs députés donnent à entendre, en toute révérence, qu'ils sont très-marris de ce que le révérendissime évêque de Sion est tombé en haine & mauvaise grace de tout l'état du pays, tant des petits que des grands, à cause de toutes sortes d'innovations que dès le commencement de son élection & règne il a fait, contre la liberté du pays, ce que néanmoins les princes & prélats de très-heureuse mémoire n'ont jamais entrepris de faire, ou néanmoins ledit pays n'avoit tant rien souhaitté & desiré que la pauvre brebis eût pû vivre en bonne concorde, repos & union avec son pasteur; mais ledit Révérendissime ne s'est jamais voulu maintenir ni contenir dans les limites de sa vocation, ains a enfreint & transgressé tous les traités d'accommodement qui ont été faits entre les uns & les autres, & qui plus est, a mis en mauvaise réputation & bruit le pays, tant envers les ecclésiastiques que séculiers, ainsi que nous avons pû conjecturer par le commencement de la proposition de votre révérendissime paternité, à sçavoir, qu'elle étoit informée qu'on avoit fait des loix contre l'évêque & ses jurisdictions.

Là-dessus, on répond que lesdits sieurs députés ont souventes fois desiré de sçavoir dudit seigneur évêque en quoi ils auroient failli envers & contre lui, & cela, encore dernièrement en présence de messieurs les députés des sept louables Cantons catholiques, afin que ce louable pays se pût justifier de telles imputations, mais nous n'avons pû entendre aucunes raisons de ces plaintes; de sorte qu'il devroit avoir omis de nous accuser, & nous nous tenons pour justifiés pour telles & semblables imputations.

A *Et pour ce que votre révérendissime paternité se plaint du licenciement des pères Jésuites hors de ce pays, & partant desire & demande leur rétablissement & réintégration, pour plusieurs raisons alléguées, nous ne pouvons celer à votre révérendissime paternité que nous avons, avec notre très-grand déplaisir & regret, été contraints de venir à telles extrémités, auxquelles ledit seigneur évêque nous a jetés à cause de son régne imprudent & précipitant, en nous décriant avec plusieurs peuples, & mettant en dissension & défiance les uns avec les autres en ce pays même, durant laquelle nous avons néanmoins toûjours mis en considération deux choses; la premiere, la conservation de la vraie religion catholique & romaine, & de purger notre pays & bannir dehors icelui ceux qui avoient fait profession d'une autre; ainsi que de notre propre mouvement, sans l'instance de notre évêque, avons à Leuge,* B *par une loi perpétuelle & landosriden, fait un serment à Dieu & à ses saints Anges, de n'endurer en tout notre pays aucune autre que la susdite catholique romaine, & de purger notre pays de toute autre, encore que notredit seigneur évêque ait proferé que nous n'ayons eu le pouvoir de le faire: la seconde chose est de nous vouloir tenir à nos anciennes alliances & de nous opposer aux nouvelles; lesquelles, depuis quelque temps & années, notredit seigneur évêque nous a voulu persuader, & qui n'eussent apporté autre chose qu'un changement.*

Nous nous sommes trouvés souventes fois fort étonnés des bouillantes & inconsidérées opinions de notredit seigneur évêque, en ce qu'il a osé publiquement faire publier par les paroisses des sept Disains, ces aigres édits répugnans C *à nos us & coûtumes & libertés bien acquises; & qui pis est, d'inviter & animer le commun patriote innocent contre son magistrat naturel, lesquels, s'ils n'eussent été d'un naturel plus doux & paisible que celui dudit seigneur évêque, il eût pû ensuivre une grande effusion de sang par tout le pays. Un tel père de la paix avons-nous, & un tel pasteur ont les brebis. Il a fait aussi entendre aux Communes, par ses lettres séditieuses, qu'il y avoit quelques patriotes particuliers qui leur vouloient ôter leur liberté & la conserver à eux contre toute raison, ainsi qu'on peut témoigner par ses propres écrits. Nous avons une loi du pays très ancienne, par laquelle celui qui suscite quelque émotion & sédition, soit ecclésiastique ou séculier, doit mourir & perdre la vie; mais on peut voir par les choses susdites comme ledit seigneur l'a observé. Nous nous* D *plaignons à Dieu, à sa sainteté & à tout le monde de cette mauvaise procédure, qu'ils en fassent justice, afin que nous n'en soyons contraints de la entreprendre contre lui.*

Il est aussi cause que beaucoup de gens de bien ont pris à grande haine les pères Jésuites, pour avoir été ici au temps du règne d'un tel évêque remuant, croyant qu'ils en pouvoient être la cause, ce que néanmoins les plus sages & advisés ne veulent croire, & jugent bien qu'ils sont trop prudents & discrets pour approuver un règne si violent, qui a causé plustôt une altération des patriotes les uns contre les autres, que l'augmentation du service de Dieu: & ayant craint une émotion générale, nous avons licencié avec respect lesdits Pères, pour les garantir de toute violence. Mais après que les États du pays ont déclaré réciproquement les uns aux autres E *l'amour & le devoir qu'ils avoient envers leur chère patrie, & considéré le danger auquel ledit sieur évêque les précipitoit & qu'il les vouloit porter à des troubles, ils se sont réunis ensemble & ont remis à part & supprimé en un autre Conseil du pays toutes émotions dangereuses. Cependant lequel lesdits pères sont sortis sans se vouloir arrêter davantage en ce pays ni permettre qu'aucun en fît pour eux plus d'instance pour une plus longue demeure, & ce départ s'est fait plustôt que nous n'avions espéré nous-mêmes, ni pour aucune mauvaise intention que nous avions contre eux, ainsi que nous avons témoigné à Sa Sainteté, à votre révérendissime paternité, à son excellence M. l'ambassadeur Miron & à Messieurs des sept Cantons catholiques, nos chers alliés & confédérés, avec déclaration que leurs instructions, mœurs & vie, a été grande-*

Digitized by Google

ment utile & profitable, & serions grandement marris si nous eussions pour cela dégouté Sa Sainteté, étant fort desireux de lui prêter toute fidelle obéïssance & service, & disposés d'écouter en très-grande révérence son doux & paternel commandement pour ce qui regarde l'augmentation de l'honneur de Dieu, priant bien humblement votre révérendissime paternité d'en vouloir assurer Sadite Sainteté & de nous vouloir conserver en sa paternelle grace, comme ses plus dévots & obéïssans enfans & serviteurs, & de ne donner foi aux calomnies qui nous sont imposées pour nous désunir, & par ce moyen envahir notre état & nous réduire d'une liberté sous le joug d'une perpétuelle, honteuse & misérable subjection, ce que nous ne pouvons endurer: ains déclarons que nous emploirons & espandrons plustôt nos vies, sang & honneur & bien, & invoquerons nos amis, alliés & confédérés, & tout ce que Dieu nous a donné, en nous assurant que iceux ne nous manqueront pas & que nos voisins, lesquels nous n'avons jamais offensés, ne se mettront en campagne pour soûtenir l'ambition, légereté & cupidité insatiable, comme aussi la bouillante & inconsidérée affection de notre prélat, lequel nous avons élevé & mis sur pied, & auquel nous aovns porté plus d'honneur & de respect qu'à aucun de ses prédécesseurs, soit aux affaires spirituelles ou temporelles.

Si ledit seigneur évêque eût de tout son cœur desiré la demeure desdits pères Jésuites en ce pays, comme il a fait entendre après leur départ, de bouche, & se couvre maintenant d'un sac mouillé, il eût dû tenir une autre prudence. On a encore bonne souvenance que si lui & le chapitre eussent voulu leur accorder leurs revenus accoutumés de l'école triviale, qu'ils fussent été établis en ce pays; de sorte qu'on doit plustôt attribuer leur départ audit seigneur évêque qu'au pays.

Ledit seigneur évêque n'ignore point comme nos bons ancêtres se sont accordés ensemblement, de ne recevoir aucun religieux étranger au pays, & ce, à l'instigation des ecclésiastiques de ce temps-là, afin qu'ils eussent des prébandes plus grosses, pour laquelle cause, qui étoit ignorée par lesdits pères, il les a mis en haine du peuple, en leur donnant en cette ville de Sion, contre la volonté & sçû des bourgeois, l'église de S. Pierre, leur ancienne paroisse, & si leur établissement lui eût été agréable, il les eût dû sans doute recommander au pays & ne rien faire sans son consentement, voir le prier de consentir la demeure de ces bons pères, nonobstant la loi susdite, comme ceux qui augmentent la religion catholique, mais il a eu plus d'égard à son intérêt particulier que de leur procurer une paisible demeure, auquel effet il a attaqué la loi susdite, pour les mettre en mauvaise grace du peuple.

Quant à ce que votre révérendissime paternité a parlé pour le regard d'un séminaire en ce pays pour avoir des gens doctes, cela ne tient qu'audit seigneur évêque, qui s'attribue tous les bénéfices vacans, par le moyen desquels ce conseil salutaire pourroit être mis en effet.

Sur le point par lequel votre révérendissime paternité nous recommande les droits qui appartiennent justement à l'église, nous espérons d'en être innocens, d'autant que notredit seigneur évêque ne sait dire lui-même en quoi lui soit fait tort pour ce regard.

A *Ayant plu aussi à icelle de nous recommander la personne de notredit seigneur évêque, d'excuser la résignation de son évêché & de nous exhorter à une bonne paix & accommodement amiable, afin qu'un troisième ne se prévale peut-être de nos dissensions.*

Nous répondons là-dessus que nous remercions affectueusement votre révérendissime paternité de ses paternels avis; mais d'autant que notre révérendissime évêque a montré une si grande persécution envers ses bons compatriotes, oublié son devoir, inobservé ses promesses, renversé les anciennes lois, fait des nouvelles, opprimé le peuple, &, ce qui pis est, a envoyé dehors le pays secretement & de nuit les papiers & écrits les plus importans de l'évêché, lesquels le pays a rattrapé sur les terres étrangères & remis au château épiscopal; pour lequel fait il

B *est* de ipso facto *déchû de l'évêché, ayant ci-après mis icelui au desçeu de ceux du pays, sous la protection de la couronne de France, laquelle il a puis après révoqué & promis de ne plus rien innover à l'avenir, ce que néanmois il n'a observé: ains, au contraire menacé sa patrie des forces étrangères & résigné finalement ledit évêché entre les mains de Sa Sainteté; & si notre saint Père, comme amateur de paix, n'eût eu plus de soin pour le repos de notre patrie que lui, elle fût non seulement tombée en de grandes incommodités, mais aussi les états circonvoisins s'en fussent ressentis, & d'autant que nous voyons qu'il ne se reconnoît pas soi-même, accuse & méprise sa chère patrie, laquelle néanmoins n'a méprisé la petitesse de son esprit, sans que cela lui soit reproché, ayant aussi*

C *enfreint ses promesses, & n'a jamais assisté au conseil du pays sans disputes & contestations; ce que les louables prélats ses predécesseurs n'ont jamais fait; ains assisté toûjours avec une très-grande concorde. Nous ne pouvons plus vivre avec ce prelat; car comme pourrions-nous le maintenir sous les loix de notre pays, puisqu'il ose dire qu'il est le pape en ce pays, & que ni lui ni M. le Légat n'ont rien à lui commander. Comme est-il possible que le pays puisse aimer un pasteur qui veut dévorer ses brebis, honorer celui qui les veut comme un peuple esclave assujétir, & qui, au lieu de soûtenir leur innocence, les calomnie lui-même. C'est pourquoi le louable pays supplie très-humblement, par l'intercession de votre révérendissime paternité, Sa Sainteté de vouloir bénignement, pour éviter un plus grand inconvénient & émotion, &*

D *pour le bien du repos & conservation de notre vraie religion catholique, afin qu'icelle ne soit peut-être troublée, démettre ledit seigneur évêque de sa charge & de nous mettre en repos, car autrement nous serions occasionnés de songer nous-mêmes après des moyens pour conserver notre chère patrie en bonne paix & union & la préserver d'un schisme, à quoi Dieu le tout-puissant, par l'intercession de la glorieuse Vierge Marie, donne sa sainte grace & bénédiction, amen.*

Sur cela nous demeurons de votre révérendissime paternité, très-affectionnés serviteurs, à laquelle nous présentons, en toute humilité, nos plaintes véritables. Fait à Sion, en notre Conseil général du pays de Vallais, le 22 mai 1627.

Le Baillif & Conseil du pays de Vallais.



INSTRUMENTA ECCLESIÆ AUGUSTENSIS.

I.

Anselmus episcopus Augustensis diversis ecclesiis dona tribuit.

923. LICET unicuique homini benefacere, si est sui juris, suæque potestatis dum in præsenti seculo libero viget arbitrio. Quapropter ego Anselmus, largiente divina providentia episcopus Augustensis ecclesiæ & comes . . . . notum esse volumus omnibus sub Christo principe militantibus, quod anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi nongentesimo vigesimo tertio in mense undecimo pro amore Dei & remedio animæ meæ, & animarum B parentum meorum, & item pro remedio animæ D. regis Rodulphi, dono donatumque esse in perpetuum volo ecclesiæ S. Mariæ & S. Johannis, sanctique Ursi ad communem victum suorum canonicorum, prædicto rege Rodulpho laudante, & omni sua auctoritate corroborante, hoc est quasdam terras quæ sunt in valle Augustana sitæ: hoc est *Funil* & in Morado, & in Arpulia & quidquid ad ipsam terram hodie pertinet: ita ut canonici S. Mariæ & S. Johannis duas partes habeant, sancti vero Ursi tertiam, in montibus & in planis, cultum & incultum cum exitibus & perviis, & aquarum cursibus. Sin autem post hunc diem ullus homo est, aut erit ullo tempore qui donationem istam C infringere, aut inquietare vel removere aliquo ingenio voluerit non valeat vindicare quod repetit; sed insuper sit omnino culpabilis & impleturus dupla bona melioratis rebus in consimilibus locis, & in auro octo libras prædictis canonicis persolvat. Et donatio ista omni tempore sit firma & stabilis valeat permanere cum stipulatione pro omni firmitate subnixa. Actum in Augusta civitate in loco publico ante ecclesiam S. Mariæ, residente ibi prædicto rege Rodulpho, & laudante & firmante. Signum domini Anselmi episcopi & comitis qui donationem istam fecit, & firmare rogavit. Signum testium, Gotcelini baronis, Lanberti Vulgrini, Racelmi. Bovo & Bernardus fidem faciunt de charta Guarendi. Hanc chartam fecit dominus Anselmus episco- D pus, qui & com s, per manum advocati sui Goteberti, quem advocatum Rodulphus episcopo Anselmo dedit ad hanc chartam faciendam, ut omni consuetudine legali roboraret. Ego Rezo levita Jubente glorioso episcopo Anselmo & eodem comite hanc chartam ante præsentiam prædicti regis Rodulphi scripsi feliciter. Amen.

II.

Giso episcopus statuit pretium, quod mercatores solvere debent introeuntes in urbem Augustam.

Circa 960. CUM iniquitatis filios ad nihilum sacram fidem deducentes, ecclesiasque subvertentes & Catholi- E cam normam pro nihilo reputantes præsens non cessat parere dies, vigilandum sane dicitur pastoribus ut sic res ecclesiæ viventes constituant, ne illis ab hoc sæculo discedentibus, rapaces lupi, qui nunquam satiantur rapacitate, ad usum suum detrahere non valeant: qua rapacitate captus Adalbertus comes istius civitatis filius Berengarii regis voluit ecclesiam nostram minorare de quadam parte telonarii quod pertinet ad portam S. Ursi, dicens quod telonarium quod exibat de venditis equis, *preignor* magis pertinebat ad suum comitatum & . . . . quam ad episcopatum sanctæ Mariæ & sancti Johannis. Quapropter ego Giso ejusdem ecclesiæ episcopus commotus paratis meis testibus cum juramento secundum decreta judicum convici eum; quorum testium hæc sunt nomina, Ginfredus

A Grauso & Redebertus. Unde timens ne aliquo Dei inimico in posterum mihi & meis successoribus eveniret, decrevi litteris notare ad memoriam succedentium, omne telonarium quod ad illam portam pertinet: hoc est de loricis duodecim denarios, de unoquoque equo, quatuor; de saumata ensium duos enses; de saumata aramenti unum; de plumbi quatuor, de stamni sex, de ferri quatuor, de ære sex, de accipitre duo, de simia, quamvis sit ridiculosum animal duodecim, de venditione pretii viginti solidorum quatuor denarios; de quinque solidis . . . . . . de duobus unum obolum, de duodecim scutellis unam, de quindecim bacinis unum, de duodecim ciphis unum, sive sint marerini, sive de quocunque ligno sint; de duodecim lanceis unam, de scutis, de frenis, de calcaribus, de sellis, secundum pretium venditionis quam supra dixi; de mercatoribus de quacunque parte venientibus, si cum equo vel asino portam istam intraverint causa emendi vel vendendi, pro uno quoque denarium unum; de sale quantum necesse est ad curiam episcopi. Cujus descriptionis fuerunt isti affirmatores, Affredus præpositus, Savinus atque Desiderius, aliique quam plurimi. Laïci isti, Odbertus, Renippus, Luitfus, Richardus, Vuido, Giso, Elmericus, Lisardus, Ubertus, omnes fideles sanctæ Dei ecclesiæ. Valeant in Christo.

III.

Canonici Augustenses ecclesiam sancti Eusebii priori sancti Joannis Gebennensis donant.

NOS per Dei gratiam canonici ecclesiæ matris sanctæ Mariæ, præsidente nobis Arnulpho episcopo & concedente, donamus omnes & unanimes concedimus ecclesiam sancti Eusebii Petro priori sancti Johannis Gebennensis suisque fratribus omnibus, qui & impræsentiarum & in posterum ecclesiæ prædictæ sancti Johannis monastice servierint. Ipse vero suique posteri pro obedientia præfatæ ecclesiæ singulis annis reddituri sunt in vigilia Omnium Sanctorum duos sextarios tritici & duos vini, & eminam, & pisces grossos ad sufficientiam refectorii; si vero pisces grossi reperiri non poterunt, pro illis quinquagenta palatæ recipiendæ, vel ducentum ferratæ recipiendæ & persolvendæ sunt. Huic autem scripto subscripsimus. Ego B. præpositus, ego B. archidiaconus, ego Guillelmus *de Palude*, &c. Circa 1150.


IV.

Aymo de Chalant *Vercellensis & antea August. episcopus anniversarium & alia quædam fundat in ecclesia August.*

NOS Aimo miseratione divina episcopus Vercellensis & comes, universis & singulis quorum nosse interest, præsentes litteras, seu instrumentum publicum inspecturis, salutem in eo sine quo non est salus. Cum nos ob reverentiam Dei & beatæ Mariæ Virginis & ecclesiæ Augustanæ, cui licet inutilis & indignus præfuimus episcopus & quam matrem nostram merito reputamus, in cujus honore est ipsa ecclesia dedicata, & in nostrorum remissionem peccaminum, & pro remedio animarum patris & matris, & quondam D. Petri electi Lugdunensis fratris nostri, & prædecessorum nostrorum, ipsi ecclesiæ Augustanæ decem libras Viennens. dederimus in redditibus annuatim, in eo usu & secundum quod duxerimus ordinandum: quas decem libras vir nobilis D. Ebaldus frater noster eidem ecclesiæ nostro nomine super 1296.

Digitized by Google

certis terris & possessionibus & redditibus assignavit; de qua assignatione & affectamento, & de quibus decem libris venerabiles viri Henricus præpositus & capitulum August. sunt contenti, prout per suas litteras nobis intimarunt sigillo capituli sigillatas, quarum tenor talis est: Reverendo in Christo patri ac domino suo speciali, D. Aimoni divina providentia episcopo Vercellensi & comiti, sui Henricus præpositus & capitulum August. omnimodam reverentiam & desiderium ad omnia sibi grata. Piam paternitatem vestram volumus non latere, quod nobilis vir D. Ebaldus frater vester nobis ad vestram instantiam decem libras monetæ August. super bonas possessiones per chartam August. assignavit, de qua assignatione contenti sumus, dominationem vestram benigne rogantes quatenus per dilectum nostrum canonicum D. Johannem *de la Planta* latorem præsentium nobis per litteras vestras patentes scribatis super hac assignatione ordinationem vestram & intentionem, si placet. Valeat paternitas vestra per tempora longiora. Datum tertio calendas Martii, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto. Nos de dictis decem libris ordinamus fieri unum refectorium de solidis septuaginta, quod volumus fieri annis singulis in die festo Purificationis B. Mariæ, & solidos triginta quinque distribuendos pro vigiliis nostris ipsa die, post vesperas prout moris est, in ipsa ecclesia August. solemniter celebrandis, in vita nostra die obitus quondam prædicti D. Petri Lugdun. electi Fratris nostri faciendo, & post decessum nostrum in die nostri obitus perpetuo celebrando. Residuum autem prædictarum decem librarum, scilicet solidos quinquaginta vel circa, qui remanent, concedimus in augmentum capellaniæ quam fundavit idem D. Petrus frater noster ad altare sancti Michaëlis in dicta ecclesia August. & volumus quod quicumque fuerit pro tempore præbendatus dicti altaris, dictas decem libras in integrum recipiat, & teneatur dictum refectorium, vigilias & anniversarium seu missas facere & fieri facere, sicut est superius ordinatum. Actum & datum in castro Verrucæ, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, die quinta mensis Martii.



SUPPLEMENTUM INSTRUMENTIS
ECCLESIÆ SEDUNENSIS.

MONITUM.

JAM a longo tempore typis impressa erant universa ad ecclesiam Sedunensem spectantia instrumenta, quæ nobis colligere licitum fuit, cum nova nobisque hactenus incognita redux ex itinere in Helvetiam & Vallesiam nobiscum pro sua humanitate benigniter communicavit clarissimus ac doctissimus D. D. baro de Zurlauben *castrorum regiorum præfectus, regiæ humaniorum litterarum ac inscriptionum Academiæ socius honorarius, &c.... quæ ipse forulorum omnium & archivorum scrutator & indagator sagacissimus, atque in veterum codicum notitia ac scripturarum lectione peritissimus propria manu exscripsit aut exscribi curavit, præsentibus ubique & convenientiam cum autographo attestantibus Notariis duobus. Ea igitur in supplementi modum edenda duximus, ut pote quæ lucem non modicam historiæ tum ecclesiæ Sedunensis, tum celeberrimi Agaunensis monasterii allatura confidimus: rati insuper non fore ingratam eruditis hujusmodi congeriem simul & genealogis qui stemma & genus eorum nobilium quærunt aut describunt, quorum majores Vallesiam, Sabaudiam & Helvetiam illustrarunt. Leguntur porro universa hæc instrumenta in Tomo 1.° genealogiæ diplomaticæ liberorum baronum* de la Tour-Châtillon-Zurlauben, *cod. ms. in-fol. unde transcripta fuere, ac perutilibus intelligentiæ locorum, temporum, nominumque gentilitiorum assequendæ observationibus ab eodem clarissimo barone illustrata.*

I.

Amedeus comes Sabaudiæ & Mathildis comitissa uxor ejus & Humbertus eorum filius reddunt præposituram Agaunensis ecclesiæ Fratribus ibidem Deo famulantibus.

1143. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum fieri volumus omnibus Christi fidelibus tam posteris quam præsentibus, quod Amedeus (a) comes & marchio, & Maiez (b) comitissa uxor ejus & Humbertus (c) eorum filius concesserunt & in integrum reddiderunt præposituram Agaunensis ecclesiæ sancti Mauricii ad communitatem Fratrum ibidem Deo & beatis Martyribus famulantium, sicut antea præpositi sæcularium canonicorum ad panem ecclesiæ habuerant, retento receptu suo, & justis consuetudinibus quæ ad comitatum pertinent. Propter hoc humiliter petierunt, ut ipsi & comes Humbertus (d) pater comitis Amedei, a peccatis quæ super hac re contraxerant, absolverentur, & anniversarius dies prædicti Humberti in Agaunensi martyrologio scriberetur, & annualiter celebraretur. Comes vero Amedeus laudavit in sacrata manu Ayraldi Maurianensis episcopi se prædictam præposituræ redditionem bona fide, & absque malo ingenio facere & conservare, & contra omnes homines manutenere. Hujus rei testes sunt venerabilis episcopus Maurianensis Ayradus, atque Turumbertus Petrus *de Seilon* (e), Willielmus *de Maisin*, Amedeus de Camera (f), Reymundus de Tore (g). Actum est hoc in Mau-

A riana in loco qui vocatur *Sanctus-Julius*, anno M. CXLIII. kal. Aprilis luna XIIII. Compositor namque existit Hugo Agaunensis ecclesiæ præpositus.

(a) Amedeus III comes Sabaudiæ, & marchio Italiæ, rexit ab anno 1103, usque ad suam mortem 1149.

(b) Id est *Mahaut* seu Mathildis, filia Guigonis comitis Albonensis & Viennensis.

(c) Humbertus III comes Sabaudiæ, dictus *Sanctus*, successit patri Amedeo III.

(d) Humbertus II comes Sabaudiæ, pater Amedei III, obierat 18 Octobris 1103.

(e) Vulgo *Saillon*, *Schellon*, nobilis inferioris Vallesiæ.

(f) Vulgo *la Chambre*, inter præcipuos nobiles Sabaudiæ.

(g) Seu de Turre, inter præcipuos nobiles Vallesiæ.

II.

Compositio pacis inter Rodulphum abbatem & Agaunensem ecclesiam ex una, & Guillelmum de Turre ex altera parte, arbitro Lodoico episcopo Sedunensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. L. 1157.
per Dei patientiam Sedunensis episcopus, fidelibus Christi præsentibus & posteris in perpetuum. B Quia sæpius ex oblivione plurima novimus incommoda pervenisse: dum ea quæ memoriter retinere volumus, mente excidunt, & more fluentis aquæ animo dilabuntur, utile duximus aliquid eorum quæ per manum nostram facta sunt, quæque posterorum paci proficere credimus literarum memoriæ commendare. Cum itaque, quæ inter Agaunensem ecclesiam & Guillelmum de Turre (h) & prædecessores ejus longis retro temporibus diu duraverat discordia, calumniam, sicut communi utriusque partis assensu terminavimus, scripturæ testimonio præsentium atque futurorum notitiæ relinquimus. Cum igitur multas & intolerabiles a prædicto Guillelmo, venerabilis jam dictæ ecclesiæ C abbas Rodulphus pertulisset injurias, pluribusque inter se placitis & altercationibus decertassent, tandem in hoc pariter convenerunt ut promitterent & in manu nostra obsides darent, se sine retractatione facturos, quod ego & illi quos ex utraque parte mecum ad hoc dicendum assumerent, per concordiam diceremus. Statuta itaque die Agaunum in curia supradicti abbatis veniens, auditis utriusque rationibus, & assumptis mecum tribus ex utraque parte viris sapientibus, concordiam quæ supra nos

(h) Liberi barones de Turre, arcem Castellionis in superiori Vallesia & amplissimas ditiones in inferiori Vallesia & in Helvetia tunc possidebant.

poſita erat, utriſque quod ſuum erat reddentes quanto rectius potuimus, dicere curavimus. Diximus itaque de juſtitia, quod quando abbati placuerit ire Olonum ([a]) & Vuvrerium ([b]), & juſtitiam ſuam ibidem facere, faciat quaſi dominus, & ſicut fecerit, teneat, & quantum condonaverit, condonetur, & Guillelmus habeat inde quod ſui juris eſt: quando vero abbas defuerit, Guillelmus quaſi vicedominus juſtitiam faciat, & bona fide abbati & eccleſiæ, quod ſuum eſt, reddat, & ipſe quod ſui juris eſt ibi habeat. Quærimonia fuit de paſcuis Oloni & Vuvrerii, quia dabantur ad cenſum ſine conſilio abbatis; diximus quod non darentur ſine conſilio ejus, & ipſe abbas haberet in eis dominium ſuum, & Guillelmus jus ſuum. De feminis viduis fuit queremonia, quod non ſinebat eas maritari, diximus quod non fieret amplius. Querimonia fuit de illis qui moriebantur ſine hærede, quia Guillelmus accipiebat terras eorum, & eccleſia ſervitium ſuum amittebat, diximus quod non fieret ulterius, & jus remaneret eccleſiæ aut conſilio abbatis talis in ea poneretur, qui ſervitium ſuum eccleſiæ redderet. De grangia & de fronteriis Contaminarum ([c]), diximus quod in pace remanerent eccleſiæ. De vinea quam dedit in eleemoſynam eccleſiæ & canonicis Petrus de Maceriis, diximus quod remaneat eccleſiæ donec ipſi eccleſiæ pecunia redderetur quæ ſuper vineam ipſam jacebat. De cenſu quem Guillelmus debebat eccleſiæ, diximus quod de eo quod retinuerat, pacem haberet & in poſterum cenſum redderet. De decimis quas Guillelmus accipiebat in terra abbatis, diximus quod abbas non cogeret eum eas dimittere niſi per juſtitiam ſanctæ eccleſiæ. De canoniis quas Guillelmus & homines ejus poſſidebant, diximus quod in pace redderent eccleſiæ & abbati. De illis quæ Giroldus Garnerii prædictæ eccleſiæ in eleemoſynam dedit, diximus quod in pace remanerent eccleſiæ, & ſi aliquis ex hominibus Guillelmi aliquid ſui juris ibi reclamaret, in curia abbatis veniret, & ſecundum cognitionem curiæ, quod ſuum eſſet, acciperet. Queſtus eſt Garnerius de Villiaco ([d]), quod abbas auferebat ei allodium ſuum, diximus quod ipſe Garnerius in curiam abbatis veniret, & ſi ipſa curia recognoſceret quod allodium illius eſſet, in pace haberet. De prato *de Veltres*, quod Guillelmus eccleſiæ auferebat, de quo eccleſiæ erant tres partes, & quarta Guillelmo, diximus quod ſicut de eo placitaverunt prædeceſſores eccleſiæ & prædeceſſores Guillelmi, ita remaneret & ita teneretur. De vinea de Vertris ([e]), diximus quod in pace remaneret eccleſiæ & abbati. Diximus quod Guillelmus probaret ſuum feudum per veram probationem ſacramenti ſcilicet ferventis ([f]) ferri per homines loci. Diximus quod de hoc quod eccleſia & abbas poſſent probare probatione veriſimilis ſacramenti videlicet ferventis ferri, quod calumniam & querimoniam erga Guillelmum & anteceſſores ejus habuerunt, in pace remaneat abbati & eccleſiæ, quia nequaquam injuſta videtur eſſe talis eccleſiæ tam longa & tam perſeverans calumnia. De placito, diximus quod amodo & deinceps ſecundum conſuetudinem feudi, abbati & eccleſiæ redderetur. De gravaminibus quæ abbas & eccleſia propter placita Guillelmi habuerant, diximus quod ad miſericor-
A diam abbatis firmaret, & ipſe abbas quantum nos diceremus ab ipſo Guillelmo acciperet. De Querimonia Reymondi Frumenti, diximus quod Guillelmus in curia veniret abbatis & in ea ſecundum cognitionem curiæ prædicto Reymundo quod juſtum eſt, faceret. Hoc diximus ad pacem & concordiam utriuſque partis, laudantibus abbate & canonicis ejus, & Guillelmo & Amedeo ([g]) decano fratre ejus, & amicis eorum, multis aliis audientibus & videntibus, & ut hoc ſcriberetur, & ſigilli noſtri impreſſione roboraretur, rogantibus. Nonis Aprilis feria V, anno ab Incarnatione Domini M. CLVII, epacta XXVII, currente indictione IIII.

B

III.

Tranſactio inter Hubertum comitem & marchionem ex una, & abbatem S. Mauritii ex altera parte, mediante Petro archiepiſcopo Tarentaſienſi.

FIDELIBUS omnibus per præſentem chartam 1177.
notificamus, quoniam Humbertus ([h]) comes & Marchio impignoravit eccleſiæ ſancti Mauritii omnia quæ habebat, & calumniabatur in poteſtate *de Bagnes* & *Ocliez* ([i]) a ponte videlicet ſancti Brancherii ([k]) omnia prorſus pro mille ſolidis Mauriſienſis monetæ, tali videlicet pacto, ut cum redemerit mille ſolidos integre eidem Valentiæ cujus nunc ſunt nihil computans eorum quæ fratres in gageria noſtra acceperint. Verum ne diſcordia inter eccleſiam & comitem aliquando, quod
C abſit, oriri poſſit, dictum eſt ut cum redimere potuerit, diſcernatur quid pro regali & comitatu comes ibidem deinceps habere debeat, & hæc diſcretio fiet tum ſecundum chartam, quæ inde extat, facta, tum ſecundum relationem veridicorum hominum, & ſecundum quod eccleſia poſſidebat in pace tempore patris ſui: & ut hoc firmius teneretur, comes in manu domini Petri Tarentaſienſis archieſpiſcopi, hæc omnia ſe obſervaturum ad utilitatem eccleſiæ, dans fidem ſuam laudavit, hoc etiam dominus Aimo de Fauciniaco in fide ſua laudavit, comes etiam de ſuis baronibus quoſdam obſides dedit. Ita ut ſi qua dicta ſunt, quod dominus avertat, eccleſiæ minime tenerentur apud ſanctum Mauritium, vel ubicunque abbati viſum
D fuerit, obſides convenirent, & niſi aut damno reſtituto ſeu juſſu, vel permiſſione abbatis exinde nullatenus ſe moverent.

Obſides autem ſunt iſti, Vido de Alingio, Tiebaudus de Villeta, Willielmus de Turre, Enquirodus A viano & Arluinus frater ejus, & Falco de S. Mauritio & Aimo filius domini *de Sailun*. Dixit etiam archiepiſcopus rogatu ipſius comitis, quoniam ſi prædictus comes in gageria damnum aliquod inferret, & admonitus emendare negligeret, excommunicatus eſſet, ſimiliter obſides ſi perjuraverint. Præterea dictum eſt, ut omni prorſus alio gravamine remoto, comes receptum & venationes Auloni ([l]) & Vurerii ([m]) ſicut antea interim accipiet, donec fratres eum ſupra recepto & venationibus caritative
E appellent, & ipſe eis benigne reſpondeat, & ſecundum ea quæ tunc abbas vel fratres dixerint, & ſecundum ea quæ patrem illius feciſſe oſtenderint, bona fide terminari faciat, ſervato in omnibus timore Domini, & ſalute animæ ſuæ & anteceſſorum ſuorum. Supradictis adjiciendum, quæ comes etiam promiſit,

([a]) Alias *Aulonum*, hodie *Olon*, *Ollon* vel *Oulon*, ingens pagus ditionis Bernenſium diſtat una leuca a pago *Aigle* in præfectura *Aigle*.

([b]) Hodie *Vuarres* ſeu *Vouvry*, parochia & pagus præfecturæ *Monthey* in inferiori Valleſia.

([c]) Forſan *Condey* alias *Gundis* in inferiori Valleſia.

([d]) Hodie *Villy*, pagus parochiæ *Ollon* in præfectura *Aigle* apud Bernates.

([e]) Forſan *Vetro*, in inferiori Valleſia: hujus pagi parochiæ collationem tenet abbatia Agaunenſis.

([f]) Uſus probationis ferri candentis adhuc invaleſcebat ſeculo XII.

([g]) Qui frater Guillelmi de Turre erat decanus capituli Sedunenſis.

([h]) Humbertus ſcilicet comes Sabaudiæ & Maurienne, marchio Italiæ, cognominatus *Sanctus*, qui deceſſit 1188 die 4 Martii. Pater ejus Amedeus comes Sabaudiæ obierat 1 Aprilis 1149.

([i]) Forſan *Martinach* al. *Martigny*, olim *Octodurum* in inferiori Valleſia, vel *Vaux d'Aux*.

([k]) *Saint-Brancher*, pagus inferioris Valleſiæ, tangit limites Sabaudiæ.

([l]) *Olon*, ingens pagus præfecturæ *Aigle* in ditione Bernenſi.

([m]) Hodie *Vouvry*.

quod quidquid in prædictis villis, sui male abstulerant, restitueret, & deinde firmam pacem in omnibus teneri faceret. Dictum est etiam ut placitum quod a Wuillelmo de Turre propter feudum ecclesiæ, acceperat, & quod supererat de gageria quadam, quam alia vice acceperant, unde abbas conquerebatur, redderet, & pascua villæ sancti Mauritii sicut tempore patris sui, tenuerat, ecclesia in pace possideret. Conquestus est etiam abbas de casalibus hominum canonicorum villæ sancti Mauritii extra stratam ipsius villæ positis, in quibus comes justitiam se habere dicebat, de quibus dictum est, ut in recordatione Burgensium S. Mauritii poneretur, & sicut ipsi bona fide recordarentur, ita teneretur. Hæc omnia fecit abbas & ecclesia pro amicitia comitis perfectius habenda, quam idem comes ei promisit, & rebus ecclesiæ semper tuendis & defendendis. Porro facta sunt hæc omnia in præsentia domini Petri Tarentasiensis archiepiscopi, comite promittente ut hæc omnia ad utilitatem ecclesiæ observaret. Horum omnium supra scriptorum testes fuerunt prædicti obsides & multi alii.

Anno ab Incarnatione Domini M. CLXXVII, luna XI, epacta quarta, feria V in vigilia sancti Bartholomæi, sub hiis testibus Amelmo episcopo Bellicen. Amedeo *de Nangié*, Chamberto *de Morestel*, Petro de Cletis militibus, illustris comes Gebennensis fecit homagium ligium in manu Borcardi abbatis S. Mauritii, recognovitque eidem castrum *de Chaumont*, castrum de Rupe, medietatem altæ villæ, & cætera. Hoc duplum & originale idem sunt.

Bataillard, Notarius. Odet, Notarius.

IV.

Compositio jurium Sedunensis civitatis inter Cononem episcopum Sedunensem & Williermum de Turre, mediante A. Tarentasiensi archiepiscopo facta.

1181. QUONIAM antiquitas temporum rerum parit oblivionem, memoriæ præsentium & posterorum in hac charta relinquimus, quod cum episcopus Sedunensis & Williermus de Turre, diu spiritu Malitiæ, discordiam inter eos seminante, inimici sibi invicem fuerunt, divino Spiritu, qui ubi vult spirat admoniti, ita per manum domini A. Tarentasiensis archiepiscopi qui ad hoc maxime desudavit, pluribus viris præsentibus firmissime & concorditer transegerunt. Primo hominibus hujus civitatis communiter concordantibus, dictum est quod omnes in hac vendentes & ementes civitate sua episcopo debent per XL dies tam securitate data, credere.... idem etiam talliam annuatim & auxilium urgente necessitate, diligenti tamen adhibita moderatione... Secundo dictum est quod episcopus supra omnes homines prædictæ civitatis bannum suum & exercitium, & justitiam & auxilium urgente necessitate generaliter cum dicta moderatione habeat. Tertio dictum est quod commandati & adventici generaliter & proprie sunt episcopi: si vero episcopus adventicos sibi retinere noluerit, licet civibus, episcopi jure salvo, retinere eos, episcopus Petrum janitorem, Mauritium cocum, natos Uldrici manducatoris, Wullelmum *Mugner* libere possideat & Petrum *Dsachandulins* quiete habeat. Bosondum & alios homines quos dominus Willelmus de Turre possidet & prædecessores ejus in pace possederunt, jure salvo episcopi, in pace Willelmus possideat. Si vero homines episcopi feudum domini Willelmi habeant, vel e converso, consuetudinem debitam illi cujus est feudum faciant, vel feudum relinquant. Si dominus Willelmus, vel quicunque sit hujus civitatis aliquam

A erga hominem suum querelam habuerit, domino Willelmo & singulis dominis suis per curiam suam satisfaciant; sed si ipsi voluerint injuste hominibus incurrere & inde clamor ad episcopum venerit, justitia illa per manum episcopi exhibeatur. Pascua generaliter in pace episcopus possideat. De illis quæ dominus Willelmus exsolvisse dicitur in campo sicco ad domini A. Tarentasiensis preces & eorum qui in hac scripta compositione fuerunt. De quibus dominum Willelmum gratis, & quasi de novo libere infeudavit episcopus; & feudum Anselmi *de Chatelon*, quod ipse episcopo reliquerat gratis & ad prædictas preces domino Willelmo salvo feudi jure donavit & concessit; si canonici tamen vel alii de terra dicti Anselmi contra Willelmum agere voluerint

B per manum episcopi Willelmus eis de jure respondeat de gageriis sicut dominus A. archiepiscopus cum illis qui secum in compositione fuerunt disposuerat, firmiter teneatur. Præterea si dominus Willelmus de aliquo homine episcopi conquestus fuerit vel aliquid ab eo exegerit, episcopus justitiæ plenitudinem ei exhiberi faciat. Si aliqua parva quæstio inter episcopum & Willelmum de cætero fuerit orta, juxta arbitrium & per manum curiarum terminetur, si vero magna per manum casatorum componatur, sed si per manus prædictorum componi non poterit, illis nullo modo offendentibus se interim, consilium & curia domini archiepiscopi loco & tempore opportunis expectaretur, & sicut ipse inde disponeret ab utroque firmiter teneretur.

C Dictumque est quod dominus Willelmus pro ipsius utilitate tanquam illius major fideliter & firmiter laboret, & episcopus versa vice commodum domini Willelmi nullatenus diligenter quærere prætermittat. Prædicta concorditer recordati sunt data fide sua in manu episcopi Cononis, Galiens decanus, Clarembardus, Joannes, Hubodus, Martinus, Rodulfus, Petrus *Filioz*, Giroldus *Gondoz*.

V.

Willelmus de Turre qui bellum acre gesserat contra Cononem episcopum Sedunensem, dedit postea pœnitens pro illatis damnis ecclesiæ Sedunensi

D *quosdam redditus in terra sua* Comblola *tempore Willelmi episcopi Sedunensis.*

SICUT qui in præsenti vita seminans in benedictionibus incorporalis gloriæ præmium indeficiens accipiet cum Christo regnaturus in æternum, ita qui errata sua pœnitendo, & satisfaciendo non correxerit, procul dubio pœnis deputabitur æternis, æternaliter cum damnatis cruciandus. Ego igitur Willelmus de Turre, de excessibus meis valde pœnitens de terribili judicio in extremo examine metuens, sciens quod ante Dei vultum nihil unquam transit inultum, matri meæ Sedunensi ecclesiæ pro damnis & gravaminibus quæ sibi dum guerra esset inter me & Sedunensem episcopum *Ab anno 1189 ad annum 1192.*

E Cononem injuste intuli, hujusmodi facio restaurationem. Itaque annuente Guillelma uxore mea, & infantibus meis Aymone & Willelmo pro anima mea & patris & matris & omnium prædecessorum meorum, & etiam pro anima Petri filii qui mecum de prædicta guerra graviter peccavit, dono præfatæ ecclesiæ Sedunensi per singulos annos, redditus in perpetuum possidendos XL videlicet solidos in terra quæ dicitur *Comblola*, tali adjecta conditione quod si contigerit XL solidos ad terminum non reddi, ipsam terram & homines in perpetuum tenere valeat ecclesia, donec ad integrum sibi restituatur. Hoc factum est in præsentia Ven. viri episcopi Sedun. Willelmi, & Seguni decani & totius capituli, hujus etiam testes doni sunt decani

Digitized by Google

Siguinus, Bartholomæus, Willelmus facrifta, Cla- A
rembardus, Turumbertus de Novilla, Anfelmus de
Bluingnoeli, Joannes, Huboldus, Emerardus.

V I.

Willelmus abbas & canonici fancti Mauritii daut fub quodam cenfu Willelmo de Griuns, *terram* de Griuns *olim datam ecclefiæ fancti Mauritii à Petro* de Griuns.

1189. OMNIBUS Chrifti fidelibus per præfens chi-
rographum innotefcat, quomodo Willelmus
abbas & canonici fancti Mauritii dederunt Willelmo
de Griuns & hæredibus fuis pro viginti folidis cen- B
fualibus Maurifienfis monetæ, terram *de Griuns* (a),
quæ fuit Petri *de Griuns*, quam idem Petrus ecclefiæ
S. Mauritii dederat in eleemofynam, & jam dictus
Willelmus debebat præfatæ ecclefiæ de terra fua
de Griuns duos folidos cenfuales, & fic funt viginti
duo folidi, & fi ifti XXII folidi annuatim a feftivitate
Omnium fanctorum ufque ad feftum S. Andreæ
foluti non fuerint, fequenti die duplicabuntur; fi
vero aliquis prædictum Willelmum *de Griuns* vel
hæredes fuos fuper memorata terra *de Griuns* in
caufam trahere voluerit, abbas & fratres Agaunenfis
ecclefiæ eis juftam guarentiam in curia & in placito
exhibebunt. Factum eft hoc in capitulo Sedunenfi
in præfentia Willelmi tunc Sedunenfis epifcopi,
& ut ratum & inconvulfum permaneat præfens inde
chirographum factum eft, figillo epifcopi Willelmi C
& figillo capituli Sedunenfis roboratum. Teftes
funt Seiguinus decanus, Willelmus facrifta, Aimo
de Turre, Aimo *de Sallion*, Umbertus *de Conteil*,
Remaldus *Doitiez*, Falco *de Oluns*, Turumbertus
de Novilla, & multi alii. Ego Aimo memorati
epifcopi capellanus vice Willelmi cancellarii,
hanc fcripfi chartam anno ab Incarnatione Domini
M. CLXXXIX, Frederico (b) imperatore feliciter
regnante.

V I I.

Donatio facta Agaunenfi monafterio, fub epifcopo Sedunenfi Willielmo de Sallione.

1205. IN nomine Patris & individuæ Trinitatis. Notum D
fit omnibus in Chrifto fidelibus, quod ego Veta
Delbruel cum filiis meis videlicet Anfelmo, Guidone,
Agaunenfi monafterio dedi & in perpetuum finavi
duo prata, unum fcilicet apud *Anchères*, aliud quod
dicitur *Delbelocier*, & modium vini cenfuale in vinea
quæ jacet en la Vileta. Hæc autem donatio facta
eft pro remedio animarum noftrarum, & pro filio
meo Wuillelmo qui in fratrem & canonicum ejufdem
ecclefiæ receptus fuit, & ut hoc ratum & firmum
in perpetuum habeatur, ego Veta & filii mei
prædicti Anfelmus, Guido hanc chartam fieri
rogavimus & in ea teftes fubfcribi, qui huic fina-
tioni præfentes affuerunt, Wuillelmus Sedunenfis
epifcopus, Aymo Sedunen. cantor, Aymo *de Orone*,
Petrus Vicinus Agaunenfes canonici, Aymo de E
Turre, Willielmus de Turre. Ego autem Willielmus
vice Willielmi cancellarii hanc chartam fcripfi anno
ab Incarnatione Domini M. CCV, quam aliquis
infirmare præfumens, maledictionem Dei omni-
potentis incurrat, & XL libras Maurifienfis monetæ
cum obolo aureo perfolvat regiæ poteftati. Actum
publice, Willielmo de Sallione epifcopante, Phi-
lippo (c) rege regnante.

(a) *Grion* vel *Gryon*, pagus *Mandamenti* Bex in præfectura *Aigle*, ad fluviolum *Grionne*, in ditione Bernenfium. Hujus pagi inferior juridictio adhuc pertinet Agaunenfi abbati.

(b) Nempe dicto *Barbaroffa* feu *Ænobarbo*.

(c) Philippo Sueviæ duce, Romanorum rege.

V I I I.

Aymo de Turre obligat ecclefiæ fancti Mauritii Agaunenfis vicedominatum in Bagnes *pro mille folidis Maurifienfibus, tefte Landrico epifcopo Sedunenfi.*

TAM præfentes noverint, quam futuri, quod 1206.
domnus Aymo de Turre obligavit ecclefiæ
S. Mauritii Agaunenfis pro mille folidis Maurifienfibus, vicedominatum quem habet in *Bagnes* (d) & placita, & Bannos, & Tallias, & generaliter quidquid ipfe habet & quocunque titulo, a ponte fancti Brancherii (e) ufque ad ultimum finem *de Bagnes*, ubicunque illud fit, exceptis feudis militum quæ habet ibi quatuor, & excepta venatione. Donavit etiam pro anima fua dictæ ecclefiæ fructus quos ipfa percipiet de gageria ifta, ne videlicet ecclefia poffit inquietari a jam dicto Aymone vel ab ejus hæredibus, occafione fructuum perceptorum. Dedit etiam fidejuffores & obftagios in manu Aymonis tunc temporis abbatis Agaunenfis pro ifta gageria, & promiferunt eam deffendere pro poffe fuo, & fi quis aliquid forifecerit in ea, quod ipfi manebunt in obftagiis in villa S. Mauritii Agaunenfis quoufque fuerit dicto abbati & ecclefiæ plenarie fatisfactum. Hæc funt nomina eorum qui hujus rei fidejuffores funt & obftagii, primo ipfe domnus Aymo de Turre, Bofo & Petrus domni *de Sellon* (f), Falco miles de Olono, Willielmus de Grione. Teftes funt hujus rei dominus L. epifcopus Sedunenfis, qui ad preces dicti Aymonis de Turre, figillum fuum appofuit chartæ, Dictus abbas, Thomas prior Agaunenfis, Willelmus facrifta, Aymo *de Orone* & Rolandus canonici, frater Lambertus, Jacobus de Aneyfiaco, Wido Carterii (g), Bofo capellanus de Bex, & multi alii. Actum eft hoc anno Incarnationis Domini M. CCVI, in Quadragefima dominica, qua cantatur *Reminifcere*, approbante & volente fupradicta uxore dicti Aymonis de Turre, domina *de Moreftel* (h).

I X.

Donatio facta Agaunenfi monafterio a domino Aimone de Turre ejufque filiis Petro & Chalberto

NOTUM fit omnibus tam natis quam nafcituris, 1211.
quod donnus Aimo de Turre, laudantibus filiis fuis Petro & Chalberto, pro remedio animæ fuæ & decefforum fuorum, dedit Wullielmo facriftæ, atque facriftaniæ S. Mauritii in perpetuum, fex folidos & octo nummos cenfuales in tallia Ouloni (i) quæ fit circa feftum Omnium fanctorum, & tres folidos in cafale Dolcofter de Oulum cenfuales, pro remedio animæ primæ uxoris fuæ filiæ domni Giroldi domini *de Bay* (k), & habuit dictus Aimo de bonis facriftaniæ fex libras Maurifienfes hujus G. utriufque helemofinæ, & fex libras quas præfatus Aymo a Wuillelmo facrifta fufceperat. Teftes funt hii idem Wuillelmus facrifta, Uldricus facerdos de

(d) *Bagnes*, *Banea vallis*, germanice *Banienthal*, ingens & fertilis vallis ad limites Sabaudiæ, in inferiori Vallefia fita, multis pagis inclyta, adhuc regitur ab abbate Agaunenfi.

(e) *Saint-Brancher*, pagus inferioris Vallefiæ, in valle *Entremont*, in Caftellania Martinach.

(f) Nobiles de *Saillon*, *Sallion*, alia *Schallon* vel *Schellon*, in Inferiori Vallefia, quorum arcis rudera cernuntur in pago *Saillon* ad dextram Rhodani fluminis.

(g) Nobile ftemma *Quartery* adhuc floret Agauni.

(h) Prænobilis gens *de Moreftel*, *Moreftelium* in baronia Turris-Pini apud Delphinates diu tenuit; de ea plura agunt fcriptores rerum Viennenfium & Delphinatus.

(i) *Ollon*, populofus pagus præfecturæ *Aigle* apud Bernates, finitimus Vallefiæ inferioris.

(k) Id eft *Bex*, pagus populofus Bernenfis præfecturæ *Aigle*, non procul Agauno.

Oulono,

Digitized by Google

Oulono, Thorencus capellanus *de Paleysuel*, Boso miles de Sallium, Falco miles de Oumlono, Petrus miles de sancto Martino, Petrus ministralis de Oulono, Reymundus & Bonus Joannes frater ejus *de Vilar*, & multi alii. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini M. CCXI, in platea publica Ouloni sub nuce, ut autem hoc inviolabiliter observetur, rogatu utriusque partis, huic chartulæ appositum est sigillum Landrici Sedunensis episcopi.

Adhuc superest sigillum Landrici episcopi Sedunensis.

X.

Fragmentum chartæ cujusdam qua recognoscit Boso vicecomes Augustensis se recepisse a Landrico episcopo Sedunensi feudum quod jacet apud sanctum Petrum de Clages.

1218. NOTUM, &c. quod Boso vicecomes Augustensis (a) a Landrico Sedunense episcopo receperit feudum suum, quod jacet apud sanctum Petrum *de Clages* inter duas aquas, quarum una vocatur *Medensum*, altera *Asensi*; sunt autem de feudo quædam possessiones in loco prædicto jacentes & jacent sancti Petri *de Clages*, ratione istius feudi debet vicecomes Augustensis Sedunensi episcopo hominium citra montes, salva fidelitate comitis (b), &c. &c.

Recordatum est hoc apud Sedunum a discretis viris in palatio episcopi coram testibus qui sic vocantur, Aymo decanus, Jacobus *de Grallie*, Raymundus, Willelmus Ottonis, Boso de Sirro canonicus Sedunensis, Aymo, Rodulfus, Petrus miles *de Turre*, Bonifacius, Reymundus milites. Ego Willelmus vice Willelmi cantoris, hoc cyrographum scripsi anno Domini M. CCXVIII, Frederico (c) regnante, Landrico episcopante.

X I.

Compositio pacis inter Landricum episcopum Sedunensem ex una, & Petrum & Willelmum & Rodulphum de Turre, milites, ex altera parte.

1219. ANNO ab Incarnatione Domini 1219 mense Januario, præsentibus istis quorum nomina sequuntur, Rodulphus (d) major & W. de Aragnum, Manegoldus & Waltherus fratres *de Mulimbach*, Lombardus & Valtherus majores *de Narres*, Valtherus & Joannes de Vespia, Amedeus de Raronia, Anselmus & Anselmus *de Chastelan*, Willelmus Riferius, W *de la Choudannaz*, Uldricus de Sirro, Willelmus *de Ventonnaz*, Rodulphus *de Mojonet*, milites (e), Jocelmus tunc vicedominus, omnes querelæ quæ erant & fiebant inter dominum Landricum episcopum Sedunensem, & Petrum & W. & Rodulphum, milites de Turre, coram Aymone de Leuca & Willelmo de Ventonna decanis, & Henrico de Raronia judicibus & arbitris super hoc a partibus constitutis, sic sopitæ & pacificatæ fuerunt, quædam per sententiam, quædam per arbitrium, quædam per recordationem. Recordatum fuit quod dominus Petrus de Turre debet habere in feudum ab episcopo ecclesiæ & est de feudo *Bay*, (f) verum sub pretextu sive ratione advocatiæ idem Petrus nullam exactionem, nullum gravamen,

(a) du Val d'Aoust.
(b) Scilicet comitis Sabaudiæ.
(c) Id est Friderico II.
(d) Arx nobilium *de Aragno* erat in valle superioris Vallesiæ, dicta *Agerona vallis*, germanice *Agerenthal*, quæ illis pertinebat cum omni dominio.
(e) Prædicti milites erant nobiles Vallesiæ.
(f) *Bex*, pagus Bernensium in præfectura *Aigle*; forsan legendum *Baz*.

A nullum onus potest exigere, vel inferre ecclesiæ vel hominibus vel rebus ipsius, sed major reverentia est ei exhibenda quam multis aliis. Item idem Petrus, si, quod absit, guerra sit inter episcopum & comitem (g), debet mittere milites in auxilium episcopi, si mavult esse cum comite. Item Petrus debet ferre in prælio vexillum episcopi, si episcopus vult. Item recordatum fuit quod stratæ & conducta sunt episcopi, sed remansit in quæstione utrum idem P. debeat esse nuntius episcopi ad facienda conducta. Item recordatum fuit de tribus casamentis quæ petebat idem Petrus in valle *de Anivier*, quæ sunt ligia episcopi, quia quidam prædecessor suus acquisivit ab illo cujus erant. De Feudo *de Vuvriez* (h) ita sententiatum fuit quod standum quod ante quæsierant inter eumdem Pe-
B trum & episcopum, episcopus assignat ei XXXV solidos apud Sirrum (i) annuatim persolvendos, & per hoc pacem habeat episcopus de illo feudo cum dicto Petro & cum W. de Turre, qui illud idem petebant, & per hoc idem feudum *de Vuvrier* remanet episcopo in allevio, & XXXVI solidi erunt de feudo episcopi. Item dictum fuit de redemptione Joannis *de la Sangi*, quod episcopus debet inde habere quantum dabit sibi recordatio villæ. De querelis domini Willelmi de Turre W. *de Chalez* remanet Ligius episcopo, vivente patre, postea quod ratio dictaverit inter episcopum & dominum Willelmum de Turre fiat. Item dictum fuit de eo quod dominus Willemus de Turre interfecit domi-
C num Willelmum de Ventona (k) qui erat homo & Vasallus episcopi. Item de eo quod percussit Hispanum in villa ista quod in pendenti remaneant ista duo, si idem Willelmus potest tamen serviat episcopo, quod super hoc non moveat quæstionem sibi, & si non fecerit, quod episcopus voluerit de his duobus faciat sibi rationem in curia sua. Item dictum & recordatum fuit quod in terra ista non debet fieri aliquod, qualeq. sacramentum inter homines episcopi, quod tangat ipsum, vel homines suos, nisi per eundem episcopum.

X I I.

Thomas I Sabaudiæ comes, & Aymo Agaunensis
D *abbas, designant limites mutui dominii in valle* Bagnes.

NOTUM sit omnibus hanc cartam lecturis vel audituris, quod cum discordia vertatur inter 1219.
dominum Thomam comitem Sabaudiæ, & dominum Aymonem Agaun. abbatem *de Bagnes* (l), facta est talis concordia inter eos, præsentibus & consentientibus Amedeo (m) & Humberto (n) filiis ejusdem comitis, videlicet quod ex quo idem comes est inter montem Jovis & *Brest*, dominus est vallis *de Bagnes*, & venationes quæ capiuntur in terra *de Bagnes* & Aventicii qui vulgo appellantur *Habitant* qui sunt a ponte sancti Pancratii usque ad finem vallis ejusdem, & nigra nemora in altis montibus, & banni & justitiæ & franariæ & milites
E & ministri, & pascua ad utilitatem hominum ejusdem vallis servanda, & discursus magnæ aquæ sunt comitis; ex quo vero ipse comes a prædictis recedit terminis, abbas est dominus ejusdem vallis, & ministri & universa prædicta sunt abbatis: collecta

(g) Sabaudiæ.
(h) Hodie *Vouvries* seu *Vouvry*.
(i) Hodie *Siders* seu *Syders*, gallice *Sierre*, pagus & caput secundi *Dezeni* Reipubl. Vallesianorum.
(k) Illi nobiles erant domini pagi *Fanten* seu *Vetton*, non procul Sirro, in superiori Vallesia, ad fluviolum *Ventonam*. Illic adhuc superest turris in qua inclusum est archivum *Dezeni* Sirrensis.
(l) Vallis *de Bagne* in inferiori Vallesia, adhuc juris est abbatiæ Agaunensis.
(m) Patri suo successit.
(n) Occisus est an. 1233 in Hungaria contra infideles dimicans.

Digitized by Google

quoque de Maio antiquo jure, & collecta autumni pro tabula aurea quam comes Amedeus ([a]) detulit ultra mare, & excusati scilicet Humbertus grossus & Uldricus *de Chabloz* & Vibertus *Piuduar* & casale donni Nicolai & Wigerius clericus & casale Bosonis *Viviant*, & tenementa eorum proprie sunt semper abbatis, tam præsente quam absente comite. Habet etiam ibidem comes equitationes & manopera ad castrum *de Chillon* ([b]), & viginti septem solidos pro carnagio, & duodecim modios de blado, sive sit præsens sive absens, item neque comes neque abbas potest facere exactionem sive auxilium pro aliquo casu accidente, neque præsens neque absens, super homines *de Bagnes*, nisi fiat communi consilio tam comitis quam abbatis, & tunc quod ibi accipietur inter abbatem & comitem communiter dividetur. Recordatum fuit hoc primo apud *Bagnes*, ubi Amedeus & Humbertus filii comitis præsentes fuerunt, & laudaverunt, postea completum fuit apud Villam-francam ([c]), in præsentia domini Landrici episcopi Sedunensis. Testes sunt hujus facti, Petrus Prior, Jacobus prior de Sine-muro, Humbertus & Turumbertus canonici sancti Mauritii, Aymo & Wuillelmus *de Turre*, Nantelmus *Miolan*, Petrus *de Maysin*,, Amedeus *de Sayssims*, Andreas *de Cuins*, Giroldus & Willelmus *de Alio*, Jacobus & Martinus *de Bagnes* milites, Giroldus *de Bagnes*, Ginfredus Marescalcus, Uldricus de sancto Pancratio, Rodulphus Salterus, Willelmus *Quaten*, & multi alii. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo nono-decimo, quarto nonas Julii. Ad majorem hujus rei firmitatem factæ sunt super hoc duæ cartæ cum chyrographo, quibus cartis consilio communi tam comitis quam abbatis apposita fuerunt sigilla domini Landrici episcopi Sedunensis, domini Thomæ comitis Sabaudiæ, domini Aymonis abbatis Agaun. & capituli.

XIII.

Fragmentum transactionis inter Landricum episcopum Sedunensem, & Thomam comitem Sabaudiæ.

1221. IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Notum sit omnibus præsentibus & futuris, quod tempore Landrici Sedunensis talis transactio facta est inter ecclesiam Sedunensem ex una parte, & dominum Thomam ([d]) comitem Sabaudiæ ex altera, super querimoniis quæ vertebantur inter ipsos.

Ex parte episcopi juraverunt capitulum Sedunense, Boso decanus, Willielmus decanus, Jacobus *de Grillié*, Aymo de Leuca, Raymondus *de Contai*, canonici Sedunenses, Rodulfus & Hugo milites de Martigniaco, Rodulfus *de Mojonel*, Rodulfus & Aymo de Turre, Amedeus de Raronia, Ro. major *de Aragnon*, &c. &c.

Ex parte comitis Sabaudiæ, Aymo filius ejus, Ro. *de Contey*, Odo Porta sancti Ursi, Marcus *de Bart*. P. *de Turre*, Chalbertus W. *de Dent*. Aymo de sancto Paulo, Willelmus de Autavilla, Martinus *de Bagnes*, Uldricus Castellanus *de Chillon*, W. Giroldus & Guido de Alio, milites. Factum est hoc anno Domini M. CCXXI, Frederico ([e]) regnante, Landrico episcopante.

([a]) Amedeus III in bellum sacrum profecturus, hanc tabulam auream 66 marcharum ab Agaunensi monasterio obtinuerat. De illa agit *le Blanc*, hist. Sabaud. tom. 1, p. 118.

([b]) *Chillon*, vel *Chillion*, arx Bernensium ad lacum Lemanum inter *Vivis* & *Montreux* versus Vallesiam.

([c]) *Villefranche*, urbs & arx comitatus Niciensis ad mare mediterran.

([d]) Thomas I comes Sabaudiæ, qui obiit 1233.

([e]) Id est Frederico II.

XIV.

Acquisitio feudi in parochia de Leuca & in territorio de Monte Ordeo, cum consensu domini Petri de Turre, facta a Landrico episcopo Sedunensi.

LANDRICUS permissione divina Sedunensis ecclesiæ minister humilis, universis ad quos 1227.
præsens scriptum pervenerit, salutem in vero Salvatore. Universitati vestræ notum facimus quod cum nos acquisivissemus a domino *Bellon de Bay*, ([f]) & ab unico filio ejus Aymone, de consensu domini Petri de Turre, feudum quod habebat a nobis in Vallesio, quod jacet pro majori parte in parochia de Leuca ([g]) & in territorio de Monte Ordeo ([h]), accidit quod cum pars feudi illius spectaret ad filium Willelmi *de Bay* defuncti, cujus tutor erat Giroldus dictus *Corbos*, qui habebat matrem suam in uxorem, & ab eodem haberet eandem partem in feudum Cinfredus *de Bay* & dominus Rodulfus *de Conteis* ([i]), pro eadem parte debet hominium ligium pro dicto Cinfredo, & duodecim libras & septem solidos de placito. Tandem nos iterum acquisivimus prædictam partem illam a prædictis Giroldo & Cinfredo. Ita quod dominus Rodulfus *de Conteis*, pro eadem parte nostri feudi debuit nobis nullo medio facere hominium ligium, sicut etiam dicto Cinfredo tenebatur, verum cum jam dictus Rodulfus homo ligius esset comitis Sabaudiæ, & unicum haberet filium, & ideo usagium feudi non posset nobis facere, sic convenimus amicabiliter inter nos & ipsum, fecit nobis hominium, & promisit fidelitatem contra omnes homines de mundo, excepta fidelitate comitis, & servire tanquam homo ligius præter comitem, & nos similiter versa vice promisimus eidem Rodulpho, quod nos ipsum & res suas tam istud feudum quam alia juvaremus & defenderemus contra omnes, & per nos & coram nobis rationem faciendo, & si forte idem Rodulfus duos vel plures haberet hæredes, primus ligietatem faceret comiti, secundus nobis. Idem nobis dictum fuit de filio suo, si plures haberet hæredes, &c. &c. &c.

Actum fuit hoc de consensu capituli nostri, & de consensu utriusque partis. Factum fuit inde chirographum cujus utrique parti fecimus apponi sigillum nostrum, & capituli & ejusdem Rodulfi, & testes apponi, quorum hæc sunt nomina, B. & W. decani, R. sacrista, Aymo cantor, Jordanus, Raymondus, canonici Sedunenses; R. major de Aragnum, R. de Monetto, P. de Saxo, Raynaldus *de Sasson*, milites, P. Saltherus, Ay. *de Lyon*, Ro. *de Chaney*. Factum est hoc chirographum anno ab Incarnatione Domini 1227, Landrico episcopante, Friderico ([k]) imperante. Præterea Rodulfus & hæredes ejus tenentur, juramento interposito, deffendere villam Sedunensem contra omnes, sicut prædecessores sui tenebantur. Ego Willelmus, vice Aymonis cancellarii & cantoris, hoc chirographum scripsi.

([f]) Hodie *Bex*, populosus pagus præfecturæ *Aigle*, in ditione Bernensium, distat Agauno semi-hora itineris.

([g]) Hodie *Leuk*. vel *Leug*, caput tertii *Dezeni* reipublicæ Vallesianorum in superiori Vallesia. Thermæ Lieucenses sunt celeberrimæ.

([h]) Alias *Montorsum*, germanice *Gerstenberg*, arx hujus nominis, sita inter Sedunum & montem *Sanetsch*, fuit anno 1416 a Vallesianis diruta.

([i]) Latine *Contegium*, gallice *Contey* vel *Gontey*, germanice *Gundis*, olim oppidulum & arx, nunc pagus inferioris Valleliæ, una leuca infra Sedunum, in præfectura sancti Mauritii.

([k]) Friderico II.

X V.

Compositio inter Nantelmum abbatem Agaunensem & Martinum, Joannem & Uldricum de Bagnes.

1232. SCIANT omnes qui scire voluerint, quod cum discordia verteretur inter dominum Nantelmum abbatem & conventum sancti Mauritii, ex una parte, & domnum Martinum militem *de Bagnes* (a), & Joannem & Uldricum filios ejus, ex altera, super quibusdam casamentis quæ dominus abbas & conventus exigebant ab ipsis, mediantibus prudentibus viris, talis pax inter eos intervenit. Dictus Martinus miles & filii ejus dederunt domino abbati & conventui quatuor modios bladi, duos ex ipsis tenetur reddere Bonus filius ministralis *de Lurtier*, in festo beati Martini, unus est siliginis & alter ordei. Petrus *de Respiner* tenetur tradere unum modium siliginis. Hos quatuor modios bladi, juraverunt prædictus Martinus miles & filii ejus super altare *en Bagnes* abbati & conventui manutenere in pace. Præterea pro prædicta injuria quam remittebant eis Dominus abbas & conventus, receperunt dicti Martinus miles & filii ejus in feudum a domino abbate alpes *de Lavasse* cum omnibus appenditiis, quæ ipsæ erant ipsius Martini & filiorum ejus, & in ipso feudo posuerunt duodecim denarios de servitio & duos solidos de placito. Et ex isto feudo reddidit præfatus Martinus miles Uldricum filium suum, voluntate prædicti Joannis fratris ejus, hominem ligium domino abbati, salva fidelitate unius domini. Sæpe dictus vero Martinus miles & filii ejus feudum quod tenent a dicto abbate sancti Mauritii, videlicet feudum quod fuit ...., posuerunt in manu ipsius domini abbatis, si non manutenerent supradictos quatuor modios bladi ecclesiæ sancti Mauritii, quousque in integrum haberet censum suum. Huic compositioni interfuerunt multi, videlicet domnus Petrus *de Ayma* canonicus Tarentasiensis, & Petrus Capellanus *de Bagnes*, & magister Aymo filius, & donnus Rodulfus, & donnus Aymo de Turre, & donnus Jacobus ministralis *de Bagnes & Jocerant*, & multi alii. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini M.° CCXXX.° secundo. Ad majorem hujus rei firmitatem appositum est huic scripto sigillum capituli Agaunensis.

X V I.

Nantelmus abbas Agaunensis testis venditionis quorumdam bonorum factæ a Petro Domicello de Albignon.

1233. SCIANT præsentem cartam inspecturi, quod Petrus Domicellus *de Albignon* (b) donavit & vendidit quodquod habebat tam in plano quam in monte, a loco qui dicitur *Choiz* (c) usque *au Coul* & usque ad Rhodanum, tam in pratis quam in campis & in hominibus, consanguineo suo Rodulfo *de Albignon* pro septuaginta libris & viginti solidis bonorum Maurisiensium absque aliqua retentione: & hanc venditionem dominus Aymo *de Lugrins* (d) laudavit, & domina Petronilla uxor quondam domini Giroldi *de Albignon*. Hoc totum factum est in præsentia multorum qui ad hoc fuerunt vocati & rogati, scilicet dominus Nantelmus abbas, Petrus *Depampignié*, Joannes Sacrista, Nicolaus *de Comugnié*, Rodulfus, canonici Agaunenses; R. Capellanus de sancto Sigismundo, Amaldricus miles de Olono, Guido de Ponte-Vitreo, Boso major *de Montey*, Joannes de Turre, Willelmus *Quartery*, Petrus *Quartery*, Humbertus Caritas, Remundus de Macello, Henricus *Liapensa*, Willelmus *Pitet-Vilans*, & multi alii; laudavit etiam dictam venditionem *Alyz* filia domini Aymonis *de Lugrins*, uxor domini Petri Domicelli *de Albignon*, sub hiis testibus domino Willelmo *de Illens* canonico Agaunensi, Petro capellano *de Lugrins*, domino Aymone *de Lugrins*, Willelmo filio ministralis *de Lugrins*, Borcardo, Willelmo fratre ejusdem Borcardi, Reymundo diacono, Petro clerico & Petro Psalterio. Actum est hoc anno gratiæ M. CCXXXIII. Ad majorem hujus rei firmitatem appositum est huic scripto sigillum capituli Agaunensis.

(a) Hæc vallis inferioris Vallesiæ, suos olim habebat nobiles ejusdem nominis.
(b) Nobilis Sabaudiæ.
(c) *Choix*, pagus præfecturæ *Monthey* in inferiori Vallesia.
(d) Dominus pagi *Lugrin* in Chablatio, non procul a lacu Genevensi.

X V I I.

Tractatus pacis inter Landricum episcopum Sedunensem, & Aymonem filium comitis Sabaudiæ juxta Morgiam.

NOVERINT universi præsentes litteras inspecturi, quod discordiæ quæ vertebantur 1233. inter venerabilem patrem Landricum episcopum & ecclesiam Sedunensem ex una parte, & nobilem virum Aymonem (e) filium comitis Sabaudiæ ex altera, per manum Ven. viri Willelmi Dei gratia procuratoris ecclesiæ Valent. sopita est in hunc modum: Aymo recognovit quod castrum de Monte-ordeo (f) est in territorio & in proprietate ecclesiæ Sedunensis. Sed quia Aymo illud bastiverat, propter reverentiam & honorem ipsius ecclesiæ debet illud destruere; si vero ecclesia probaverit per duos testes quod pons de la Racina ab utraque parte sit in territorio ecclesiæ Sedunensis, Aymo debet illum destruere, castrum vero de Seya (g) in pace remaneat libere & absolute ecclesiæ Sedunensi. Item querelam quam faciebat Aymo domino episcopo Sedunensi de mercatoribus Lombardis quos ceperant servientes ipsius Aymonis, guerpivit & remisit episcopo & ecclesiæ Sedunensi. Item querelam quam faciebant homines *de Chamoson* (h) de rebus ibi amissis, remisit idem episcopus & finavit Aymoni & suis pro se & pro hominibus ejusdem loci, promittens quod faciet remitti ab eisdem hominibus. Damna vero per guerram facta partibus ad invicem sunt remissa, itaque de cætero quæstio nullatenus possit moveri, pro pace autem prædicta ad invicem tenenda fecerunt partes sibi in casuram nomine pœnæ XX libras Maurisienses in redditibus annuis quæ debent assignari ad arbitrium Jacobi *de Grillie* & castellani *de Chillon* (i), ita quod si altera pars contra prædictam pacem veniret & requisita penes cognitionem factam ab arbitris communiter electis secundum quod in antiquis pactis continetur infra XL dies nollet emendare, illas XX libras in redditibus annuis amitteret & parti alteri cederent. Insuper sæpe dictus Aymo, & P. (k) præpositus Augustensis promiserunt quod pacem istam a fratribus suis facerent approbari, quod si facere nollet aliquis ipsorum, & super hoc ecclesiam molestaret,

(e) Hic dominus Chablasii, Chillonii, &c. quartus filius Thomæ I comitis Sabaudiæ, obiit cælebs 1242.
(f) Gallice *Montorge*, olim castrum episcopatus Sedunensis situm in excelsa rupe inter Sedunum & montem Sanetsch.
(g) Alias *Seven* & *Sita*, olim celebre castrum situm in excelsa rupe inter Sedunum & montem Sanetsch.
(h) Alias *Chamossei*, pagus parochiæ & majoratus *Ardon* in inferiori Vallesia.
(i) Arx ad lacum Lemanum in ditione Bernensium versus Vallesiam.
(k) Præpositus ecclesiæ cathedralis Augustensis.

Digitized by Google

ipse Aymo promisit quod super hoc ecclesiam A defensaret. Actum est etiam inter partes, quod antiqua pacta habita inter comitatum (a) & ecclesiam, illæsa serventur inter ipsum & ecclesiam & Aymonem. Hoc autem servare & tenere juravit sæpe dictus Aymo, juraverunt etiam Petrus præpositus Augustensis, castellani *de Chillon*, & *de Sallion* (b), & ex parte episcopi in animam ipsius vicedominus juravit, & major Seduni, Petrus de Turre, dominus Amedeus de Raronia, major *de Aragnon*, & castellanus de Martigniaco, quod bona fide tractabunt & laborabunt ut pax ista, sicut dictum est, inviolabiliter observetur. Promiserunt etiam dominus episcopus & Aymo, quod si mutarent castellanos prædictos, jurare facerent substitutos quando requisiti essent, sicuti alii B juraverunt. Hæc autem omnia supradicta facta sunt de voluntate & consensu capituli Sedunensis: & ut rata permaneant in futurum, sigillis prædictorum episcopi & capituli Sedunensis, Willelmi procuratoris ecclesiæ Valent. & Aymonis munita sunt & signata. Actum juxta Morgiam (c), anno Domini M. CCXXXIII, XV kal. Junii.

XVIII.

Compositio inter monasterium sancti Mauritii & communitatem sancti Mauritii, sub sigillo Bosonis Sedunensis episcopi.

1238. NOTUM sit omnibus præsentem paginam C inspecturis, quod cum inter monasterium sancti Mauritii ex una parte, & communitatem ejus loci ex altera, super duodecim modiis frumenti annuatim solvendis, quorum quatuor sunt hospitalis, & octo ejusdem monasterii, controversia verteretur; tandem mediantibus bonis viris, tali modo fuit sopita, quod prædicta communitas sancti Mauritii a festo sancti Martini usque ad principium Quadragesimæ præmissos duodecim modios frumenti receptibilis, annuatim reddere teneatur, & si ante præfatum terminum, solutionem ejusdem frumenti facere vellet dicta communitas, prædictum monasterium acceptare teneatur: si vero usque ad prælibatum terminum, scilicet principium Quadragesimæ, solutionem non plene contingeret fieri, D ex tunc jam dictum monasterium præfatum frumentum bona fide emere debet, ita quod dicta communitas omne damnum & omne gravamen, si quod eidem monasterio inde contingeret, resarcire teneatur, ad dictum videlicet & assertionem duorum vel trium canonicorum qui hoc dicent super ordinem suum, quos prædicta communitas duxerit nominandos; si vero ad damnum vel gravamen eidem monasterio restituendum præfata communitas se difficilem exhiberet, abbas & conventus ejusdem monasterii, decem obsides quos dicta communitas eidem monasterio obligavit ad hoc fideliter observandum, videlicet ad damnum & gravamen restituendum, & solutionem frumenti plenarie faciendam inducere debet, & commonere ut a castro *de Chillon* (d) usque ad pontem S. Mauritii, in quamcunque E villam placuerit eisdem obsidibus & commorari voluerint ostagium debeant & omnes insimul observare. Si vero aliquis eorum decem obsidum interim de vitæ medio tolleretur, ad electionem abbatis & conventus idem decimus debet restitui, si autem idem obses electus hoc forsitan recusaret vel adimplere nollet, residui novem obsides super hoc requisiti tandiu ostagium observare tenentur, quousque decimus ad voluntatem abbatis & conventus restituatur. Si vero contingeret quod dicta communitas præmissos duodecim modios frumenti vellet eidem monasterio stabilire vel assignare infra quatuor parrochias, videlicet sancti Mauritii, *de Bex*, *de Ollon* & *de Collombey*, hoc libere facere possit, ita quod primus qui unum modium eidem acquirere non posset, hunc autem modium unum eidem monasterio acquirere vellet dicta communitas sine contradictione recipere debet. Si vero, quod absit, in dicta acquisitione vel assignatione forsitan discertarent, monasterium & communitas duos arbitros morigeratos eligere debent, monasterium unum pro se, & communitas alium infra terminos de Chablasio & de Villa-nova: si vero illi duo arbitri forsitan non possent inter se concordare bona fide, & in periculum animarum tertium virum morigeratum concorditer eligere debent. Si vero in eligendo tertio forsitan discordarent, tunc sorte contentis videlicet taxillis vel alia sorte competenti dirimatur, & illa sententiæ assignatione teneatur in quam omnes tres illorum voluerint concordare. Actum est hoc in abbatia Agaunensi, in platea juxta fontem, anno Domini M. CCXXXVIII, præsentibus in præmissis P. priore, H. subpriore, & P. *de Pampignié*, & in sigillo Joanne *de Accter*, B. capellano sancti Sigismundi, & Nicolao sacerdote de Novilla, & Jacobo *Oborniaz* sacerdote, & Martino *Castellan de Chillion*, & B. majore *de Monthey*, & Joanne de Turre & fratribus suis P. & Francisco & Clod. & Petro & Colomb. Et ut hoc ratum & firmum valeat in perpetuum haberi ad preces utriusque partis sigillo Ven. patris nostri B. (a) nunc Dei gratia Sedunensis electi & illustris viri Aymonis domini de Chablasio ..... confirmatum est præsens scriptum atque roboratum. Isti enim fuerunt obsides electi ab abbate & conventu, Joannes .... Jacobus de Vico, Clarus, Aymo de Portis, Jollencus de Laveto, Petrus Bisa, Henricus Liapensus, Giroldus *de Bagnes*, Michaël filius ejus, Anselmus de Fonte, quibus & aliis quam istis decedentibus succedunt in ostagio memorato, se dicta tota communitas compromisit bona fide ipsos super hujusmodi ostagio servaturam indemnes.

XIX.

Donatio a Mauritio Salterio facta ecclesiæ Agaunensi, sub abbate Nantelmo.

NOVERINT universi præsens scriptum inspecturi, quod Mauritius frater Jacobi Salterii 1240.
dedit in feudum Rodulpho fratri suo totam hæreditatem suam, quæ ad ipsum pertinebat jure hæreditario, videlicet vineam *de Ciez* & vineam *de Vignéez*, & duas partes Cellarii, insuper & quidquid juris habebat in psalteria, & omnia alia quæ sibi contingebant vel contingere poterant & possent per mortem matris eorum jure successionis; & etiam quidquid acquisierat a sorore sua Anselisa, & a viro ejus Jacobo de portione dictæ sororis suæ, pro tredecim libris Maurisiensibus de acquisitione datis & solutis, & pro duodecim denariis de placito, & quatuor denariis de servitio annuali in festo Omnium Sanctorum, quod placitum & quod servitium dedit dictus Mauritius in eleemosynam ecclesiæ sancti Mauritii ad opus luminarii: hujus rei testes sunt dominus Nantelmus abbas, Nicolaus de Comuniaco, Petrus de S. Sigismundo, Hugo *de Rufié* canonici, Rodulfus capellanus sancti Sigismundi, Mauritius *Bochy*, Stephanus de Turre. Actum est hoc anno Domini M.° CC.° quadragesimo, mense Augusti. Ad preces utriusque

(a) Videlicet Sabaudiæ.
(b) Arx, pagus & dominium in inferiori Vallesia.
(c) Alias *Morsf*, *Morsa*, *Morsia* & *Morge*, fluviolus qui jungitur Rhodano; & dividit Vallesiam superiorem ab inferiori.
(d) Arx ad lacum Genevensem, in ditione Bernensi.

(a) Scilicet Bosonis.

partis appositum huic scripto sigillum capituli Agaunensis.

XX.

Nantelmus abbas Agaunensis, testis chartæ venditionis a Petro de Charpignié *milite factæ.*

1240. NOTUM, &c. quod Rodulfus & Petrus, filii quondam domini Petri militis *de Charpignié*, dederunt, & vendiderunt sine aliqua retentione, Petro *Quartery* totum feudum & quidquid tenebat dictus pater eorum de domino Rodulfo de Turre apud *Authans*, pro quatuor libris Maurisiensibus datis & solutis. Hujus rei testes sunt dominus Nantelmus abbas, P. prior, Nicolaus cantor Agaunensis, Rod. *de Arbignon*, W. *Quartery*, W. de Novilla, Joannes *Pellipari*, Uldricus *de Vilar*, Rod. *de Vilard*, Mauritius *Bothe*, Petrus *Bisat*, Uldricus *Dedes*. Actum est hoc anno Domini M. CCXL, mense Decembris. Ad preces utriusque partis, appositum est huic scripto sigillum capituli Aguani.

XXI.

Nantelmus abbas Agaunensis, testis chartæ qua vendidit domino Bosoni majori de Monthay *Anselmus de Fonte condeminam.*

1247. NOTUM, &c. quod Anselmus de Fonte, laudante Thoma filio suo, vendidit sine aliqua retentione domino Bosoni majori *de Monthay* ([a]) & ejus hæredibus, condeminam domini episcopi Sedunensis, sitam inter villam *de Massongier* ([b]), & aquam quæ vocatur *Aloygno*, pro XXIV libris bonorum Maurisiensium datis & solutis. Inde sunt testes dominus Nantelmus abbas, Jacobus *Bothe*, canonici Agaunenses, dominus Guido de Pontevitreo, & Rodulphus *de Albignon*, milites, & Nicolaus cantor Agaunensis qui hanc cartam scripsit, &c. Actum in præsentia domini Joannis de Turre tunc castellani *de Monthey*, anno Domini M. CCXLVII, IV kal. Februarii.

XXII.

Charta Aymonis militis de Turre, cruce signati, in gratiam Agaunensis monasterii, tempore Nantelmi abbatis.

1249. IN nomine Domini, amen. Soliditatis robur habere meretur, quod scripturæ testimonio roboratur. Ea propter noscant omnes præsentem paginam inspecturi, quod ego Aymo miles de Turre, cruce signatus, cupiens sepulchrum Domini visitare, & pro terrenis cœlestia vindicare, quia ad sumptus itineris peragendos propria facultas sufficere non videbatur, quidquid in territorio de Olono ([c]), tam cultum quam non cultum, tam in montibus quam in planis, proventus videlicet & redditus, sive quidquid aliud quocunque titulo a domo sancti Mauritii possidere dignoscor, domino Nantelmo abbati sancti Mauritii & ejusdem loci conventui ad quos jus proprietatis spectare censetur, pro quinquaginta libris Maurisiensibus obligare decrevi; confitens præmissam pecuniæ quantitatem ab eisdem domino abbate & fratribus plenius recepisse, adjiciens quod si forte humanitas mihi contingat & sine hærede legitimo filio videlicet de matrimonio & legitima uxore nato decedam, triginta libras Maurisienses præmissarum quinqua-

A ginta librarum in eodem mutuo non computatas pro remedio animæ meæ, & ut omnium orationum & bonorum quæ in Agaunensi monasterio jugiter fiunt, particeps fieri merear, Deo necnon & sanctis Martyribus & ejusdem loci servitoribus divinæ pietatis intuitu dono, lego, pariter & concedo. Hoc retento quod ministralis qui pro tempore fuerit, quinque solidos Maurisienses ecclesiæ de Olono pro ministratione unius lampadis de collecta sive tallia solvere teneatur. Præterea quia summum animæ remedium fore dignoscitur, de cœlestibus cogitare & sedem quietis & lucis sibi perpetim præparare, quidquid apud villam quæ dicitur *Ottans* ([d]), possidere dignoscor, prælibato monasterio sancti Mauritii & ejusdem loci servitoribus pro anniver-

B sario meo annis singulis celebrando, dono, pariter & concedo, usufructu in vita mea retento. Hac pactione adjecta quod si quisquam de proximioribus meis, jure propinquitatis, præmissa *de Ottans* retinere voluerit, solutis viginti quinque libris Maurisiensibus pro anniversario meo, prout superius dictum est, annis singulis celebrando, retinendi habeat facultatem. Et ut hoc ratum & illibatum permaneat in futurum præsens hoc chirographum inde feci fieri & tam sigilli venerabilis patris domini H. ([e]) Sedunensis episcopi quam mei munimine roborari. Ad hoc interfuerunt testes dominus Nicolaus *de Tore*, dominus Aymo de sancto Paulo, dominus Joannes de Musagio, dominus Ludovicus, dominus Joannes *Quartery*,

C dominus Petrus de sancto Gingulpho, Aymo de Communiaco, Amedeus de Festerna, Petrus de Monduno, Mauritius de sancto Mauritio, canonici Agaunenses, magister Joannes *de Acon*, & dominus R. *de Albignon* miles. Actum est hoc anno Domini M. CCXLVIIII, die Mercurii post octavas Pentecostes.

XXIII.

Petrus de Pontevitreo, miles, habet in feudum ab ecclesia Agaunensi, locum Chieses, *hæc charta agit de Nantelmo olim abbate Agaunensi.*

NOVERINT universi præsentem paginam inspecturi, quod nobilis vir dominus Petrus 1258.

D miles filius domini Guigonis de Pontevitreo ([f]), recognovit se tenere & habere in feudum ab ecclesia sancti Mauritii Agaunensis, locum qui dicitur *Chieses*, cum hominibus ibidem existentibus, homagiis, terris, pratis, possessionibus, usagiis, servitiis, clamis, bannis & exchetis juribus corporalibus & incorporalibus, & aliis pertinentiis, ubicunque sint, a castro *de Montey* ([g]) usque ad montem *de Coud*, & in parochia *de Trois-Torrens* ([h]), diœcesis Sedunensis, quæ omnia domino Nantelmo tunc abbati sancti Mauritii Agaunensis & conventui ejusdem loci pignori obligavit, de consensu & voluntate expressa domini Guigonis patris sui & dominæ Agnetis uxoris suæ, pro octoginta & decem libris bonorum Maurisiensium, quas recepit

E dictus dominus Petrus ab eodem domino N. abbate & conventu prædicto in pecunia numerata. Promisit autem sæpe dictus dominus P. præstito corporali juramento super sancta Dei evangelia, præmissam gageriam abbati & conventui supradictis deffendere in pace ab omnibus & guarentire, nec etiam in rebus prædictis aliquid accipere vel usurpare per

([a]) Prænobilis *de Monthey* adhuc vicedominatum episcopatus Sedunensis possidet.
([b]) *Massonger*, pagellus & parochia inter Agaunum & *Monthey*
([c]) *Ollon*, pagus numerosus præfecturæ *Aigle* apud Bernates, finitimus Vallesiæ inferioris,

([d]) Forsan *Antagne*, pagus finitimus Ollonii apud Bernates.
([e]) Nempe Henrici baronis de Raronia, tunc temporis episcopi Sedunensis.
([f]) *Pontverre*, nobilissima gens Sabaudiæ.
([g]) Castrum *de Montey* in inferiori Vallesia.
([h]) *Trois-Torrens*, pagus, ecclesia & parochia inferioris Vallesiæ, in præfectura *Montey*.

Digitized by Google

se vel per alium sine voluntate ecclesiæ supradictæ, quandiu ecclesia tenebit gageriam memoratam; & si forte, quod absit, aliquid accipere vel accipi faceret, totum restituet ad diem & voluntatem dictorum abbatis & conventus. Volens & concedens dictus dominus P. quod abbas & conventus præscripti rebus omnibus supradictis utantur, fruantur, teneant, possideant & habeant ad suæ libitum voluntatis, quousque dictam gageriam dictus dominus P. vel sui redimere valeant & habere, & interim ab omni usagio quo tenetur supradictæ ecclesiæ ratione feodi supradicti penitus sit immunis, & ad hæc omnia & singula attendenda & firmiter observanda se dictus Petrus & omnia bona sua ubicunque sint sita, præmissis abbati & conventui pro se & suis successoribus recipientibus per solemnem stipulationem obligavit, & etiam per præsentes litteras obligat. Insuper si in his omnibus totaliter observandis, dictus dominus Petrus deficeret vel in aliquibus prædictorum, dedit bonos obsides & redditores in manu prædicti abbatis recipientis pro se & ecclesia supradicta dominum Guigonem de Pontevitreo, dominum Giroldum de Turre, dominum Petrum *de Saillon*, milites, Petrum *Bonet* Burgensem sancti Mauritii, qui omnes se obligaverunt, juraverunt, unusquisque in solidum supra sancta Dei evangelia se redditores esse & tenere obstagia apud sanctum Mauritium, donec ipse dominus Petrus omnia & singula supradicta attendat integre & servet, sicut superius est expressum; quos omnes redditores & obsides, tam dominus Petrus quam dominus Guigo promiserunt servare indemnes. Renuntiavit autem ipse dominus P. de Pontevitreo in hoc facto & ex certa scientia exceptioni non numeratæ pecuniæ non solutæ, doli & in factum mandato sibi non facto, omni beneficio restitutionis in integrum, omni privilegio fori litteris impertitis vel impetrandis, juridicenti generalem renuntiationem non valere, omnibus rationibus juris & facti quæ possunt excogitari, ut per eas posset dicta gageria irritari; in cujus rei testimonium, tam abbas quam conventus prædicti, necnon & ipse dominus Petrus de Pontevitreo, sigilla sua una cum sigillis domini Giroldi de Turre, domini Guigonis de Pontevitreo, & domini Petri *de Saillon* & Petri *Bonnet* duxerunt præsentibus litteris apponenda. Actum est hoc anno Domini M. CCLVIII, in festo sancti Michaëlis archangeli.

XXIV.

Bertholdus domicellus de Nares *vendit Giroldo abbati & conventui sancti Mauritii Agaunensis, quidquid habebat in parochia* de Bay.

1263. NOTUM sit omnibus Christi fidelibus, quod ego Bertholdus Domicellus filius quondam domini Manegoldi *de Nares* (a), militis, de consensu & voluntate expressa Agnetis uxoris meæ, non vi, non dolo circumventus, vendidi spontaneus & concessi in perpetuum, pro centum & quadraginta libris Maurisiensibus, domino Giroldo venerabili abbati & conventui sancti Mauritii Agaunensis, quidquid habebam vel habere poteram seu debebam in parochia *de Bay* (b), scilicet in loco qui dicitur *Grions* (c), in plano & in monte, tam in hominibus quam homagiis, talliis, terris, pratis, pascuis, aquis, nemoribus & aliis rebus quæ sunt de feudo ecclesiæ memoratæ, & Exchoytam etiam quæ mihi post decessum dominæ Willelmæ aviæ meæ, ibidem

(a) Seu *Naters*, pagus superioris Vallesiæ.
(b) *Bex* pagus Bernatum finitimus Vallesiæ inferioris.
(c) *Grion*, pagus cujus abbas Agaunensis adhuc tenet inferiorem jurisdictionem, in præfectura *Aigle* apud Bernates.

A jure hereditario competere videtur, nihil mihi juris vel dominii retinendo in omnibus supradictis, promittens, juramento interposito, prædicta omnia prædictæ ecclesiæ deffendere & firmiter garentire contra quascunque personnas quæ possent ibidem jure hereditario aliquid querelare, & ad hæc omnia tenenda obligo omnia bona mea, mobilia & immobilia, ubicunque sint, de consensu & laudatione reverendi patris Henrici (d), Dei gratia episcopi Sedunensis, renuntiando certa scientia in hoc facto omni juri & exceptioni seu cavillationi mihi competentibus, per quæ posset dicta venditio retractari, vel quæ possent officere ecclesiæ memoratæ. Inde rogavi cartam fieri & testes apponi, qui sic vocantur, Gotefredus rector ecclesiæ *de Nares*, B Petrus & Mario fratres milites *de Nares*, & Matthæus capellanus *de Nares*, qui hanc cartam levavit vice Normandi cantoris & cancellarii Sedunensis, vice cujus ego Petrus juratus super hoc eam scripsi, cui si quis contraire præsumpserit, maledictionem Dei incurrat, & LX libras cum obolo aureo regiæ potestati persolvat. Actum apud *Nares*, anno Domini M. CCLXIII, XVI kal. Augusti, imperio vacante (e), Henrico episcopante. Hanc autem venditionem cum carta evicit totaliter coram nobis Normando cantore prædicto, cognitione & judicio curiæ nostræ, Aymo de Castillione (f), Domicellus frater domini Giroldi de Turre a prædictis abbate & conventu pro supradicto pretio, ratione autinentiæ consanguinitatis uxoris suæ Isabellæ, quorum C abbatis & conventus ad diem coram nobis supra facto hujus cartæ eisdem assignatum procuratores noluerunt fidejubere & alia facere quæ de consuetudine terræ facienda erant, sed contumaciter recesserunt. Hoc factum fuit coram testibus infra scriptis, scilicet Nicolao de Grimisolio, Rodulpho de Leuca, canonicis Sedunensibus, Anselmo de Turre, Domicello & Willelmo de Cliva, anno Domini M. CCLXIII, kal. Septembris, Imperio vacante, Henrico episcopante.

XXV.

Homagium præstitum abbati Agaunensi ab Aymone de Châtillon, *milite, de quibusdam terris sitis apud* D Grion, *salva tamen fidelitate episcopi Sedunensis.*

NOVERINT universi præsens scriptum inspecturi, quod discordia quæ quondam vertebatur inter dominum G. (g) venerabilem abbatem & conventum ecclesiæ sancti Mauritii Agaunensis ex una parte, & dominum Aymonem *de Châtillon* militem ex altera, super quibusdam terris, pratis, pascuis, nemoribus, hominibus, possessionibus & rebus aliis quæ idem dominus Aymo acquisierat apud *Grion* a Bertholdo *de Nares*, Domicello, præfatis domino abbati & conventu contradicentibus & invitis, tandem per prudentes viros in hunc modum pacificata fuit & sopita, quod idem Aymo miles recognovit spontaneus & confessus E fuit in præsentia plurimorum, omnia illa quæ apud *Grion* acquisierat a prædicto Bertholdo Domicello in mobilibus & in immobilibus, esse de feudo & dominio ejusdem ecclesiæ Agaunensis, & inde fecit hominium in manu domini abbatis supradicti, salva fidelitate domini episcopi Sedunensis, qui dominus abbas solo hominio sit contentus quousque idem miles plures heredes habeat, qui eidem abbati vel successori suo duo homagia facere teneantur, 1265.

(d) Scilicet Henrici baronis de Raronia.
(e) Vallesia erat antiquitus subjecta Cæsaribus Germaniæ.
(f) Hic Sator lineæ baronum de Turre, dictæ *de Castillione*, germanice *Gestelen* vel *Gestelenburg*, & gallice *de Châtillon*, cujus posteri cognominati fuere *Zur-Lauben*.
(g) Giroldum.

unum pro fidelitate Isabellæ uxoris ejusdem militis, aliud pro acquisitione supradicta, salva semper fidelitate domini episcopi supradicti. Dedit autem idem miles & concessit pro bono pacis & concordia supradicta, & pro anniversario suo & Isabellæ conjugis suæ supradictæ, eidem ecclesiæ Agaunensi & ejus servitoribus, quadraginta solidos Maurisienses censuales, quos assertavit & assignavit percipiendos annuatim sine quæstione, supra prædictam acquisitionem *de Grion*, pro qua acquisitione eadem discordia vertebatur; quorum quadraginta solidorum viginti solidi eidem ecclesiæ in festivitate Omnium Sanctorum annis singulis solventur, de cætero dum viverit idem miles, post cujus decessum alii viginti solidi eodem termino persolvantur. Quos quadraginta solidos annuales idem miles vel heredes ejus pro viginti-quinque libris Maurisiensibus, cum sibi placuerit rehabere valeant & quitare. Verumtamen si præfatus miles vel successores invadiare, vendere seu alienare aliquatenus voluerint eamdem acquisitionem *de Grion* supra scriptam, ipsam præ cunctis habere debeat ecclesia Agaunensis, si placeret domino abbati & conventui ejusdem ecclesiæ sæpe dictis, salva tamen alterius ratione. Ad hanc autem concordiam & pacis compositionem fuerunt testes vocati & rogati dominus Joannes de Turre miles, Jacobus Salterus, Rod. dictus *Mouton* Clericus, & Antonius *de Viegy* domicellus. Qui abbas & conventus sæpe dicti sæpe dicto militi præsentem litteram tradiderunt, suis sigillis sigillatam in testimonium omnium præmissorum, promittentes contra hujusmodi pacem deinceps non contravenire. Datum Agauni, anno Domini M. CCLXV, mense Junii.

XXVI.

Sententia lata in gratiam abbatis Agaunensis, de successione Uldrici Rufi de sancto Trisone.

1266. IN nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti Amen. Cum olim quæstio verteretur coram discreto viro magistro Arnaldo *Garsyé*; & coram viro provido magistro Petro de Solerio, judicibus successive in terra Gebennensis & Chablasii, pro illustri viro domino Petro comite Sabaudiæ, inter religiosos viros abbatem & conventum sancti Mauritii Agaunensis ex parte una, & Amphelisiam relictam Uldrici Rufi de sancto Trisone (a) ex altera, super eo quod prædicti abbas & conventus petebant coram judicibus memoratis Amphelisiæ supradictæ, quod albergamentum dicti Uldrici defuncti, quod ipsa tenebat & possidebat, eisdem reddat & dimittat tanquam suum, exceptis duobus feudis, scilicet feudum quod dicitur *Albanet*, & feudum de la Chaynea, in quibus duobus feudis dictus Uldricus contulit & concessit eidem ecclesiæ quidquid juris in eis habebat sibi usufructu ad vitam suam concesso ab eadem ecclesia, pro eo quod prædictum albergamentum erat & esse debebat de feudo ecclesiæ Agaunensis, & quod dictus Uldricus in vita sua propria contulit & concessit dictæ ecclesiæ per decessum suum dictum albergamentum sibi ad vitam suam usufructu retento, ad quod probandum dictus abbas & conventus se astrinxerunt. E contra vero dicta Amphelisa & dominus Hugo Grandis-Montis castellanus *de Chillon* (b), se in contrarium opponentes, dixerint quod dictus Uldricus prædictum albergamentum tenebat a domino comite Sabaudiæ, & inde homo ipsius ligius existebat, & ipsum albergamentum

A prædicto comiti in ultima dispositione sua contulerat & concesserat, donatione pura & irrevocabili inter vivos & usumfructum dictæ Amphelisæ retinendo. Tandem dicti abbas & conventus conquesti fuerunt domino comiti supradicto de domino Hugone Grandis-Montis castellano Chillonis, qui prædictum albergamentum quod erat de ipsorum feudo, & dictus Uldricus pro eo erat homo ligius ecclesiæ Agaunensis per Amphelisam prædictam & per Jaquetum fratrem ejusdem Amphelisæ detineri suæ potentiæ juribus faciebat in ipsorum abbatis & conventus enorme præjudicium & gravamen. Qui dominus comes mandavit per suas patentes litteras utrique judici prædictorum, ut ad inquisitionem supra prædicto feudo simpliciter & de B plano procedant judiciali strepitu prætermisso. Qui judices sedentes tenore mandati domini comitis ad receptionem testium processerunt. Nos siquidem magister Remondus prædictis judicibus in officio succedentes prædicti tenore mandati a domino comite recepto super inquisitionem feudi supradictis testibus hinc & inde productis, partibus coram nobis vocatis, publicavimus ac diligenter in dicta causa processimus secundum retroacta, diem ad diffiniendum de consensu partium assignantes; ad quem diem dictus dominus abbas & conventus pro se comparuerunt, & dicta Amphelisa pro se, pro dicto domino comite nemine opponente, licet dictus dominus Hugo castellanus Chillonis citatus foret legitime pro domino comite C ad diffinitivam sententiam audiendam, & nos processimus in hunc modum. Visis & auditis rationibus, allegationibus utriusque partis, causæ motivis diligenter inspectis, habito & requisito plurimorum peritorum consilio Deum & diem judicii habendo præ oculis sacrosanctis evangeliis præsentibus, diffinitivam proferendo sententiam, dicimus intentionem dictorum abbatis & conventus sufficienter esse probatam. Quare dicto domino Hugoni castellano Chillonis & aliis quibuscunque castellanis, mistralibus & famulis domini comitis præcipimus ne dictum abbatem & conventum sancti Mauritii Agaunensis super prædicto albergamento audeant de cætero molestare, necnon illustri viro domino Petro comiti Sabaudiæ ac ejus D hæredibus super eodem albergamento perpetuum silentium duximus imponendum, salvo jure cujuscunque prædictos abbatem & conventum in possessionem dicti albergamenti corporaliter inducendi. Ad hoc interfuerunt testes vocati & rogati dominus Jacobus *de Voustens*, dominus Joannes de Lausanna, dominus Henricus *de Bagnes*, Jacobus *de Aent*, Amedeus *de Mussignié*, Willelmus de Comesio, Remondus de Sancto-Foris, canonici Agaunenses; dominus Petrus de Ponte-Vitreo, dominus Aymo de Castillione, dominus Petrus de Collumberio, dominus Jacobus *de Monthey*, dominus Petrus *de Martigni*, milites; magister P. *Jollens*, magister R. Normandus, Jacobus Psalterius de sancto Mauritio, Petrus *Quartery*, E Petrus *Bovey*, Petrus *Vichard*, Mauritius *Bochi*, & alii plures canonici & burgenses sancti Mauritii Agaunensis. Datum & actum juxta fontem sancti Mauritii, die veneris post festum beati Mauritii, anno Domini M. CCLXVI, in cujus rei certitudinem & testimonium veritatis, nos prædictus Remundus judex, sigillum curiæ illustris viri domini Petri comitis Sabaudiæ præsenti paginæ duximus apponendum.

(a) Pagus in præfectura Bernensi *Aigle*, ad latus dextrum Rhodani & ad fines Vallesiæ, ubi adhuc cernuntur rudera arcis e nigro marmore conflatæ.
(b) *Chillon*, arx comitatus Vaudi sub ditione Bernensium.

Digitized by Google

XXVII.

Sententia arbitralis lata a Giroldo abbate sancti Mauricii Agaunensis, de juribus domini Joannis de Turre in quemdam hominem suum in pago Montagniet, *valle* Bagnes, *habitantem.*

1267. NOS Gedeon de Aquabella, judex in Chablasio, Gebennensi & Intermonteo (a), pro illustri domino Amedeo (b) comite Sabaudiæ, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod sicut nobis constat per declarationem Petri *de Pratorey de Bagnes*, clerici jurati curiæ dicti domini comitis, cui quantum ad levandum & conficiendum litteras sigillo dictæ curiæ sigillandas prædictus dominus comes plenam & liberam tribuit potestatem ac speciale mandatum, eidem super hiis plenam fidem adhibentes, in sua præsentia propter hoc specialiter constituti Antonius de Turre quondam domini Joannis de sancto Mauritio militis, ex una parte, & Joannes Paratus, filius quondam Paratii *de Montagniet* (c) parochiæ *de Bagnes*, ex altera; cum contentio & discordia verteretur inter dictas partes super eo quod dictus Antonius tenebat & ad se retornaverat hæreditatem, res & bona Joannis Panatii prædicti, quæ quidem res & bona, & hæreditatem cum fructibus inde perceptis petebat dictus Joannes a dicto Antonio sibi reddi & restitui. A dicto Antonio super hiis dicente & respondente quod hæreditatem, res & bona tenebat & ad se retornaverat propter defectum usagiatoris quod non habebat seu habere poterat, ut feudum requirit & facere tenetur, verum etiam propter longam moram quam dictus Joannes fecerat extra patriam, nec de vita sua sperabat. Tandem post multas petitiones & allegationes hinc inde propositas per venerabiles viros religiosos & discretos, videlicet per dominum Franciscum priorem de San-Mauris, fratrem dicti Antonii, dominum G. de Collomberio, canonicum & sacristam S. Mauritii Agaunensis, dominum P. de Fossato, curatum *de Bagnes*, & Joannem *de Lydes*, in quibus se compromiserunt unanimiter dictæ partes, tanquam in arbitros seu amicabiles compositores, juramento suo ad sancta Dei evangelia corporaliter præstito, quidquid jure & concordia dixerint, ordinaverint seu promulgaverint super prædictis attendere & fideliter observare, dicta discordia sopita est in hunc modum, videlicet quod dictus Antonius, filius dicti domini Joannis de sancto Mauritio militis, reddat & restituat dicto Joanni hæreditatem suam, res suas & bona sua prædicta, ubique & quocunque sint seu etiam reperiri poterunt, & quocunque nomine censeantur pro talibus usagiis, servitiis & droituris a dicto Joanne, dicto Antonio & heredibus suis reddendis ac etiam faciendis quæ in quodam instrumento cancellariæ Seduni super hoc confecto plenius continentur, cujus tenor talis est:

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod cum discordia verteretur inter dominam Margaretam relictam domini Joannis de Turre, & heredes suos ex una parte, & Joannem dictum Panatium ex altera, super mutuis petitionibus, tandem per venerabilem virum Giroldum abbatem S. Mauritii Agaunensis, dominum P. curatum *de Bagnes*, Willelmum Domicellum ejusdem loci mistralem, & Jacobum *de Lydes*, in quibus unanimiter compromiserunt tanquam in arbitros & amicabiles compositores corporali juramento promittentes

A quidquid dicerent & concordarent jure vel concordia attenderent & fideliter observarent, sopita extitit in hunc modum, videlicet quod dictus Joannes Panatius homo ligius esset prædictæ dominæ Margaretæ & heredum suorum, & quod annuatim dictus Joannes Panatius & heredes sui dominæ Margaretæ & heredibus suis præfatis reddant quinque solidos, & quatuor denarios Maurisienses, & quatuor ficheletos & duas partes unius quartanæ, medietatem siliginis & medietatem ordei, & tres solidos & quatuor denarios placiti, omni alia tallia, exactione, adjutorio cessante, præterea si *clama* fieret coram domina Margareta & herede suo ab aliquo de dicto Joanne Panatio & heredibus suis, & secundum bonum, pacem,
B usum vel juris ordinem convinceretur juxta *clamam*, teneatur solvere dictæ dominæ Margaretæ & heredibus suis secundum delicti quantitatem; item dicimus & ordinamus nos arbitri prædicti, quod si dicta domina Margareta & heredes sui a dictis Joanne Panatio & heredibus suis usagium suum non possent habere, prædictos Joannem & heredes suos vadiare debere & ipsa vadia retinere debent, donec ab ipsis de dicto usagio contigerit & esset plenarie satisfactum, si vero contigerit dictam dominam & heredes suos guerram habere, dictus Joannes & heredes sui dictam dominam & heredes suos in terra tenentur propriis sumptibus adjuvare, si vero extra vellent ipsos ducere, tenentur eisdem necessaria manutenere. Item si dictus Joannes vel heredes sui, dictam dominam vel heredes suos in
C rebus propriis offenderent vel ipsos indebite molestarent, in præsentia sua sive in curia debent ipsos convenire, & de hoc quod evincerentur in curia sua satisfactionem facere, ipsos vadiare debent & vadia retinere prout superius est expressum: inde rogavit pars utraque cartam fieri & testes apponi, qui sic vocantur, venerabilis vir Giroldus abbas S. Mauritii Agaunensis, dominus Petrus curatus *de Bagnes*, Willelmus Domicellus Jacobus *de Lydes*, arbitri prædicti, & Joannes de sancto Brancherio clericus qui hanc cartam levavit vice Normandis cantoris & cancellarii Seduni, vice cujus ego Aymo *Delentz* juratus super hoc eam scripsi, cui si quis contraire præsumpserit, maledictionem Dei incurrat & LX libras cum obolo aureo regiæ
D potestati persolvat. Actum apud Vologium (d) anno Domini M. CCLXVII, XII kal. Martii, imperio vacante, Henrico episcopante. Ordinaverunt etiam & promulgaverunt dicti arbitri quod dictus Joannes Panaterius dicto Antonio pro bono pacis & nomine intragii det, solvat XXX solidos Maurisienses, quos confessus est se dictus Antonius a dicto Joanne Panaterio habuisse in bona pecunia numerata. Præterea dictum est quod dictus Joannes debet morari infra limites infra scriptos, videlicet a montibus Montis-Jovis (e) usque ad lacum Lausannensem (f) & usque Leucam (g); & si forte, quod absit, dictus Joannes Panaterius extra limites prænominatos per tres annos continuos moratus fuerit, quod ad patriam seu limites præ-
E dictos reversus seu moratus non fuerit, possit & valeat dictus Anthonius sua propria auctoritate, elapso dicto termino seu præfixo, hereditatem, res & bona dicti Joannis capere & tenere tanquam rem suam propriam; item quod ubique moretur infra limites prædictos, semper homo ligius dicti Anthonii & heredum suorum, & usagia solvere

(a) *Entremont*, vallis fertilissima inferioris Vallesiæ, comprehendens pagos *Bouvernier*, *Saint-Branchier*, &c.

(b) Amedeus V, comes Sabaudiæ, rexit ab anno 1285, usque ad suam mortem 1323.

(c) *Montagnier*, pagus situs in valle *Bagnes*. non procul Agauno,

(d) Hodie *Vollege*, pagus & parochia in valle *Bagnes* quæ Agaunensi abbatiæ paret in Vallesia inferiori.

(e) *Mons-Jovis*, hodie præpositura S. Bernardi, *le grand Saint-Bernard*, aliter *Montjoux*.

(f) Quæ pars & lacus Genevensis seu Lemanni, nominata propter vicinam urbem Lausannam.

(g) *Leuca*, hodie *Leuk* seu *Leux*, tertius dezenus superioris Vallesiæ, cujus caput pagus ejusdem nominis,

&

& reddère teneatur eisdem modis & conditionibus supra in instrumento contentis; item quod filii dicti Joannis Panaterii, quos de uxore sua legitima procrearet & haberet ubique sint infra limites prædictos, dicti Antonii sint homines modis & conditionibus supra scriptis; si vero sine herede legitimo ipsum Joannem decedere contigerit, medietas bonorum mobilium remaneat dicto Anthonio & heredibus suis, & de alia medietate possit disponere dictus Joannes ad suam voluntatem. Dixerunt autem dicti arbitri quod dictus Joannes Panaterius donet & concedat dicto Antonio quoddam casale situm in cista *de Montagniet*, subtus grangiam dicti Joannis Panaterii, in quo possit dictus Anthonius domum ædificare & continere, tali conditione apposita quod si dictus Joannes in dicto casali prius domum ædificaverit quam Anthonius prædictus, pro non dato habeat & dicto Joanni remaneat pacifice & quiete: ad hoc fuerunt testes vocati P. de Portu-Bacii domicellus, W. *de Lubyer*, Aymonetus de Rida & Mauritius *de Umbiez*; in cujus rei testimonium nos prædictus judex, ad preces dictarum partium nobis per dictum P. *de Pratorey* oblatas, sigillum curiæ dicti domini comitis duximus præsentibus apponendum. Actum apud *Bagnes* (a), XI kal. Maii, anno Domini M. CC. nonagesimo sexto.

XXVIII.

Petrus de Turre miles recognoscit se tenere in feudum a monasterio sancti Mauricii Agaunensis omnia quæ habet in tota valle de Bagnes, *ultra pontem sancti Brancherii.*

1269. NOVERINT universi præsentem litteram inspecturi, quod ego Petrus de Turre miles confiteor omnia illa quæ teneo, vel habere debeo in tota valle *de Bagnes*, in monte & in plano ultra pontem *de Saint-Branchez* (b), fore specialiter de feudo ecclesiæ sancti Mauritii Agaunensis, quæ omnia tam in hominibus quam in terris, possessionibus, decimis, redditibus, talliis, servitiis, usagiis, excheitis & universis aliis quibuscunque, de consensu & voluntate uxoris ac filii mei, eidem ecclesiæ Agaunensi, titulo pignoris seu gageriæ, alligavi pro triginta aureis bonorum stellingorum novorum, legalium & electorum ad numerum & pro quindecim libris bonorum Maurisiensium, mihi ab eadem ecclesia traditis & integre persolutis. Promittens igitur domino abbati & conventui ejusdem ecclesiæ, bona fide per stipulationem solemnem & ad sancta Dei evangelia, pro me & heredibus meis, præstito corporali juramento in prædictis rebus & possessionibus hujusmodi, durante gageria, nihil omnino petere palam vel secreto, nihil accipere per me vel per alium, vel accipi facere quoquo modo absque licentia speciali prædictæ ecclesiæ Agaunensis; immo prædicto domino abbati & conventui vel mandato eorumdem, prædictam gageriam feudalem manutenebo, & defendam fideliter contra omnes pacifice & quiete. Ita quod licet eadem ecclesia accipere non debeat in hominibus ejusdem gageriæ pro tallia, nisi tantummodo novem libras Maurisienses annuales, tamen in aliis rebus ac possessionibus supradictis suam faciet voluntatem durante obligatione, nullo prohibente, quæ gageria non potest redimi quin prius fructus unius totius anni percipiant præfati abbas & conventus, ex tunc ego & heredes mei eandem gageriam redimere valeamus a Nativitate usque ad Resurrectionem Domini singulis annis & non ultra. Adnotandum insuper quod ego vel heredes mei eandem gageriam redimere tenebimur intra sex septimanas, quandocunque ab eadem ecclesia fuerimus requisiti super hoc. Promittens eamdem ecclesiam indemnem penitus observare super omnibus damnis & gravaminibus, & de perditis quæ sibi evenirent occasione prædictæ pecuniæ ad terminum non solutæ, super quibus damnis & gravaminibus cedere tenebimur simplici nuntio ejusdem ecclesiæ sine probationibus seu juramento, & ad hæc omnia supradicta firmiter accedenda & inviolabiliter observanda obligo me redditorem, debitorem & obsidem principalem, promittens tenere ostagia apud villam S. Mauritii propriis sumptibus ad requisitionem religiosorum prædictorum: quæ ostagia ultra tres septimanas tenere non valebo, quoniam eidem ecclesiæ Agaunensi quantitatem prædictæ pecuniæ & gravamina inde habita restituam plenarie & persolvam, & nos Nantelmus *de Ayent*, P. vicedominus de Martiniaco, Wuifredus *de Beyz*, J. *de Montey*, milites, Ansermus *de Sallon* domicellus & Aymo *le Douz*, *Esslivenan* de Seduno, obligamus nos unumquemque in solidum in manu prædicti domini abbatis & conventus, fidejussores, redditores & obsides eodem modo & tenore quo præfatus dominus P. miles se astrinxit. In cujus rei testimonium nos Nantelmus *de Ayent* & J. *de Montey* milites, sigilla nostra apposuimus huic scripto, una cum sigillo prædicti domini P. militis principalis in hoc facto, & quod nos Wifredus & Petrus de Martiniaco milites, Ansermus & Aymo supradicti sigilla non habemus, sigillis prædictorum trium militum usi sumus in hac parte. Datum anno Domini M. CCLXIX, feria quinta ante festum beati Andreæ apostoli.

XXIX.

Charta scripta ad præceptum G. abbatis Agaunensis, qua Willelmus de Turre de Viviaco miles, emit a Petro de Martigniaco milite quandam vineam suam in territorio de Chapuneres.

NOS Petrus de Martigniaco miles, & ego Willelmus filius ejus, & ego Isabella uxor dicti Willelmi, notum facimus universis præsentem chartam inspecturis, quod nos considerata utilitate nostra, vendidimus & nomine puræ venditionis tradidimus domino Willelmo de Turre de Viviaco (c) militi, & suis heredibus, in perpetuum, tres petias vineæ sitas in territorio *de Chapuneres*, quarum una jacet juxta vineam Alberti Grassi, aliæ vero duæ inter vineam Humberti filii quondam Jaquetæ ex una parte, & vineam relictæ Mysardi ex altera, & medietatem cujusdam domus sitam infra recettum de Turre. Item partem nostram quatuor posarum terræ quæ sitæ sunt in plano de Turre, & omnia alia quæ habebamus & habere debebamus quacunque ratione in valle *de Blunay* (d) & in parochia Portus-Vallesii (e), quæ omnia sunt & erant de feudo ipsius domini Willelmi, pro XXXI libris & V solidis Lausanensibus, quas nos habuimus & recepimus a dicto domino Willelmo milite, in bona pecunia numerata. Devestivimus autem nos de prædictis & ipsum dominum Willelmum investivimus corporaliter de eisdem, cedentes eidem domino Willelmo & suis heredibus omnes actiones 1272.

(a) Pagus *Bagnes* seu *Banien* fuit anno 1545 a diluvio aquarum totaliter absorptus.

(b) Hodie *Saint-Brancher*, parochia inferioris Vallesiæ, in valle *Entremont*, in castellania *Martinach*.

(c) Hodie *Vevay* vel *Vevey*, & germanice *Vivis*, elegans oppidum Bernensium non procul a lacu Lemano in pago Vaudi.

(d) Forsan *Blunay* seu *Blonai*, dynastia baronum illius nominis, hodie in præfectura *Vevay* seu *Vivis* apud Bernenses, non procul Lausanna.

(e) Hodie *Port-Vallay* seu *Provalley*, vel *Prevallay*, parochia inferioris Vallesiæ, distas dimidia leuca itineris a lacu Lemano.

& jura nobis competentia occasione rerum prædictarum. Promittentes insuper per juramentum supra sancta Dei evangelia a nobis præstitum dictam venditionem & traditionem nos inviolabiliter servaturos in perpetuum, & per nos vel per alium in judicio vel extra judicium non venturos. Renuntiamus autem in hoc facto per juramentum præstitum exceptioni non numeratæ pecuniæ, venditioni non factæ, minoris pretii subsidio, & omni beneficio restitutionis in integrum, & omni juris auxilio canonici & civilis. Ad hoc interfuerunt testes convocati & rogati, dominus Amedeus & dominus Jacobus *de Atat*, canonici Agaunenses, magister Petrus *Jollens* & plures alii, & ego dominus Petrus eleemosinarius S. Mauritii, qui hanc chartam scripsi ad præceptum domini G. abbatis Agaun. nomine ecclesiæ Agauni; cui si quis contraire præsumpserit, maledictionem Dei omnipotentis incurrat, & decem libras Maurisienses regiæ potestati persolvat. Actum est hoc in vigilia beati Joannis-Baptistæ, anno Domini M. CCLXXII, in cujus rei testimonium appositum est huic chartæ sigillum capituli Agaunensis.

XXX.

Jacobus de Sallions *domicellus Giroldo abbati sancti Mauritii Agaunensis vendit quidquid habebat feudorum in territorio* de Grions.

1274. NOVERINT universi præsentem chartam inspecturi, quod Jacobus domicellus filius quondam domini Petri *de Sallions* ([a]) militis, de consensu & expressa voluntate Agnetis uxoris suæ filiæ domini Joannis de Collomberio militis, non vi, non dolo, non metu ductæ, non coactæ, non circumventæ, vendidit & tradidit, nomine puræ & perpetuæ venditionis, domino Giroldo abbati S. Mauritii Agaunensis Sedunensis diœcesis & ejusdem loci conventui, vel cuicunque dare, vendere seu alienare voluerint perpetue possidendum pacifice & quiete pro sexaginta libris bonorum Maurisiensium eidem Jacobo plenarie traditis & solutis, omnem portionem hereditatis quæ eidem Agneti competebat jure hereditario ex parte matris dominæ Agnetis, & generaliter omnia quæcunque ad eundem Jacobum, nomine dictæ Agnetis uxoris suæ, spectabant vel spectare poterant seu debebant in dominio & in villa & in territorio *de Grions* ([b]), tam in hominibus, fidelitatibus, feudatariis, pratis, campis, nemoribus, dominiis, pascuis, servitiis, usagiis cum juribus aliis universis & singulis quibuscunque nominibus censeantur, & specialiter homines infra scriptos & subsequentia casamenta, videlicet Giroldum de subtus *Grion*, item Bosonem Fabrum, item albergamentum novelli, item albergamentum *ou Brignon*, item albergamentum *au Bysat*, item albergamentum Raynaudi de Furno, item albergamentum Petri *ou Tetuz*, item albergamentum Henoldi, item albergamentum *Vilbor*, cum eorum pertinentiis & appendentiis, in quibus hominibus & albergamentis prædictis dictus Jacobus, nomine uxoris suæ, faciebat talliam pro libito voluntatis. Item vendidit præfatis abbati & conventui Michaëlem mistralem *de Grion* qui ad talliam prout cæteri non tenetur, sed debet tantummodo tres solidos censuales, item octavam partem de Arpeigio percipiendo in alpe de Taveynona, & septem solidos Maurisienses censuales super libras quas debent solvere Willelmus *Libenotz* & confratres sui; item decem-novem solidos Maurisienses quos debet dominus Aymo de Castillione miles, pro quibus prænominati abbas & conventus tenentur solvere Isabellæ sanctimoniali sorori dictæ Agnetis, vel abbatissæ de Friburgo, quæ pro tempore fuerit, viginti solidos Maurisienses annuatim, retinuit autem idem Jacobus omnem excheytam quæ sibi & præfatæ Agneti uxori suæ ratione successionis posset modo aliquo pervenire in loco superius nominato; quas quidem sexaginta libras prædictus Jacobus confessus fuit se in bona pecunia recepisse & in utilitatem suam & uxoris suæ totaliter esse conversas. Promiserunt autem præfati Jacobus & Agnes ejusdem uxor, ad sancta dei evangelia præstitis corporalibus juramentis, contra prædictam venditionem vel aliquod de prædictis per se vel per alios in posterum non venturos, non contravenire volenti aliquatenus consentire, sed eandem ratam, firmam & stabilem inviolabiliter observare. Promisit etiam prædictus Jacobus, pro se & heredibus suis universa & singula supradicta prænominatis abbati & conventui, & eorum successoribus, contra quascunque personas quæ supradictis possent contraire, vel eosdem in aliquo jure hereditario molestare, propriis stipendiis & missionibus fideliter guarentire. Qui idem Jacobus, laudatione dictæ Agnetis uxoris suæ & domini Joannis de Columberio militis, qui prædicta omnia habebat in feodum ab ecclesia S. Mauritii Agaunensis de prædictis omnibus spontaneus se devestivit, & religiosum virum dominum Giroldum abbatem præfati loci nomine suo & ecclesiæ suæ recipientem investivit, eundem in corporalem possessionem prout melius potuit inducendo. Præterea sciendum est quod cum omnia prædicta essent de hereditate aviæ dictæ Agnetis uxoris dicti Jacobi, idem Jacobus, laudatione Willelmi & Aymonis fratrum suorum & matris eorumdem præfatæ Agneti uxori suæ & heredibus ejus nomine recompensationis seu permutationis, assignavit quidquid juris & rationis habebat seu habere debebat in villa de Layha *de Ormont*, tam in hominibus quam juribus aliis præmissis quæ idem Jacobus ibidem habebat seu possidebat jure hereditario pro legitima portionis patris in quodam publico instrumento de recompensatione prædicta confecto sigillo capituli sancti Mauritii...... Renuntiaverunt autem expresse & ex certa scientia in hoc facto prænominati Jacobus & Agnes sub vi præstiti juramenti omni exceptioni non numeratæ pecuniæ, non traditæ, non solutæ, doli, mali, & in factum, & beneficio jurisconsulti Velleiani, constitutioni divi Adriani .... de fundo dotali, & omni beneficio sive auxilio juris tam canonici quam civilis, per quæ posset dicta venditio in toto vel in parte rescindi vel etiam irritari, & juridicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis. Actum in abbatia S. Mauritii, anno Domini M. CCLXXIV, mense Decembri .... post festum beati Nicolai .... coram testibus infra scriptis, videlicet domino Jacobo *de Ayent* cantore & cancellario S. Mauritii Agaunensis, domino Radulpho penitentiario, domino Joanne de Lausanna subsacrista, Joanne *de Sallions*, Petro de Collumberio canonicis dicti loci, domino Petro amito *de Bagnes*, domino Joanne de Collumberio milite, patre prædictæ Agnetis, Rodulpho de Collumberio domicello, Petro mistrale *de Saivanz*, & pluribus aliis. Nos vero Petrus ([c]) divina miseratione Sedunensis electus ad preces & instantiam præmissorum virorum abbatis & conventus & prædicti Jacobi *de Sallions*, sigillum

([a]) Nobiles hujus nominis erant domini arcis *Sallion*, cujus rudera supersunt in pago *Saillon* seu *Sallion*, germanice *Schallon* vel *Schellon*, in præfectura sancti Mauritii, in Vallesia inferiori.

([b]) Hodie *Grion* vel *Gryon*, pagus mandamenti *Bex*, in præfectura Bernensi *Algia*.

([c]) Nempe Petrus *de Heres* seu *Orons*, qui fuit episcopus Sedunensis ab anno 1274 usque ad an. 1282.

nostrum una cum sigillis capituli S. Mauritii & domini Joannis de Collumberio militis supradicti, præsenti cartæ duximus apponendum in testimonium præmissorum.

XXXI.

Aymo de Castillione miles vendit quidquid habebat dominii in territorio de Grions, *salvis juribus abbatis sancti Mauricii Agaunensis.*

1276. NOS Guido Bovardi miles castellanus Chillionis (a) & Wuillelmus de Conegio (b) canonicus Agaunensis, notum facimus universis præsentes literas inspecturis, quod in nostra præsentia constitutis domino Aymone de Castillione milite & domina Isabella uxore sua, dictus dominus Aymo vendidit & laude dictæ dominæ Isabellæ uxoris suæ & liberorum suorum Henrici, Leonardæ & Antoniæ, considerata utilitate sua pro negotiis suis promovendis & debitis persolvendis vendidit & nomine puræ & perfectæ venditionis tradidit & concessit in perpetuum Wuillermo *Morgeyns* de Viviaco (c) & heredibus suis quidquid ipse & uxor sua prædicta habent vel habere debent in territorio *de Grions* (d), in hominibus, redditibus, jurisdictionibus, aquis, terris, pascuis, possessionibus, successionibus & echeitis, & rebus aliis quibuscunque a villa quæ dicitur *Possiz-Superius*, in loco & territorio supradicto quacunque ratione pretio quingentarum librarum & viginti solidorum Maurisiensium quas dictus dominus Aymo confessus est habuisse & recepisse in bona pecunia numerata & de quibus jam dominus Aymo se tenet pro pagato, & pro decem libris Maurisiensibus reddendis annuatim dictæ dominæ Isabellæ, quandiu ipsa vixerit, & post mortem ipsius dominæ dictus Wuillelmus a solutione dictarum decem librarum absolutus remaneat penitus atque quietus. Devestivit autem se dictus dominus Aymo de prædictis & dictum Wuillelmum de mandato & laude dictæ dominæ Isabellæ investivit, & in possessionem vel quasi corporalem induxit animo transferendi dominium in eum. Promittentes dictus dominus Aymo & uxor sua prædicta per juramentum super sancta Dei evangelia corporaliter præstitum prædictas venditionem, devestituram & investituram inviolabiliter servaturos, & contra per se vel per alium in judicio vel extra judicium non venturos, immo si aliquis dictum Wuillelmum vel ejus heredes in totum vel in partem super prædictis rebus molestaret, promittit dictus dominus Aymo sub virtute præstiti juramenti per stipulationem solemnem & etiam sub expressa obligatione bonorum suorum omnium ipsos deffendere, & ad judicium pro ipsis respondere, & facere & præstare quicquid in causa evictionis debet fieri & præstari, salvis usagiis, quæ pro prædictis rebus debentur domino abbati sancti Mauritii Agaunensis. Permittit etiam dictus dominus Aymo & prædicta uxor sua quod nos dictus castellanus Chillionis vel castellani Chillionis qui pro tempore fuerint, manuteneamus & deffendamus dicto Wuillelmo possessionem & investituram rerum prædictarum; renuntiantes ex certa scientia juramento præstito, exceptioni non numeratæ pecuniæ, venditioni non factæ, doli, metus, & in factum minoris pretii subsidio & A omnibus aliis rationibus juris & facti quæ ipsis possent prodesse ad veniendum contra prædicta vel aliquid de prædictis, & juridicenti generalem renuntiationem non valere: ad hoc fuerunt testes vocati & rogati, Thomas *Alby* de Viviaco, Petrus filius quondam Joannis de Viviaco, Wuillermus Ferrandi domicellus & Wuillermus scriptor noster; in quorum omnium prædictorum testimonium sigilla nostra una cum sigillo dicti domini Aymonis præsentibus duximus apponenda. Actum & datum apud *Sales* (e), die sabbati prima Februarii, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto.

XXXII.

B *Willelmus* Morgens *vendit Petro abbati S. Mauritii Agaunensis res omnes & homines* de Grion *quos emerat a domino Aymone de Castillione milite.*

NOS Joannes Alavardo judex in Chablasio pro domino comite Sabaudiæ & Burgundiæ, & 1276.
Guido Bovardi Castellanus Chillionis, notum facimus universis præsentem litteram inspecturis, quod in nostra præsentia constitutis Willelmo *Morgens* burgense de Veviaco (f) ex una parte, & religiosis viris domino Petro abbate S. Mauritii Agaunensis & conventus dicti ex altera. Dictus Willelmus *Morgens* sua sponte & ex certa scientia, ut dicebat, vendidit & titulo venditionis concessit C dictis abbati & conventui res omnes & homines *de Grion* quos ipse emerat a domino Aymone de Castillione milite, de consensu Isabellæ uxoris suæ, sicut continetur in littera emptionis facta de prædictis rebus per dictum Willelmum *Morgens* a dicto domino Aymone pretio quingentarum librarum & viginti solidorum Maurisientium, quod pretium confitetur dictus Willelmus *Morgens* a prædictis abbate & conventu se habuisse & integre recepisse, renuntians exceptioni non numeratæ, non receptæ pecuniæ & doli in factum & sine causa exceptioni, actioni & conditioni, quas res constituit se possidere dictus Willelmus venditor nomine dictorum emptorum quousque corporalem apprehendant possessionem, quam apprehendere possint sua ipsa D autoritate quandocumque sibi placuerit; promisit & dictus venditor pro stipulatione omnium expensarum, & damnorum restitutione ad sancta Dei evangelia corporaliter præstito juramento prædictis abbati & conventui præsentem venditionem perpetuo inviolabiliter observare. Renuntians legi dicenti quod si venditor decipiatur ultra dimidium justi pretii petere possit quod rescindatur venditio, aut justum pretium suppleatur & cum dictus Willelmus *Morgens* emerit a prædicto domino Aymone de Castillione & ejus uxore, ut dicebant, res prædictas sub forma & conditione quod dictus dominus Aymo & ejus uxor, vel alter eorum vel heredes eorum possint ipsas retinere & rehabere E usque ad quindecim annos proximos pretio supradicto. Item quod dictus Willelmus *Morgens* non possit facere ut debeat aliquid per quod dicta reemptio vel rehabitio impediri posset. Item quod dictus Willelmus *Morgens* prædictæ uxori dicti domini Aymonis, donec vixerit dare debeat decem libras Maurisientes singulis annis prout hæc in littera dictæ venditionis superius nominatæ plenius continentur. Actum est etiam & conventum inter dictum *Morgens* & prædictos abbatem & conventum, quod dicti abbas & conventus ad easdem conditiones & conventiones teneantur prædicto domino Aymoni

(a) Arx valida Bernensium ad lacum Lemanum seu Genevensem, non procul a Vallesia inferiori.

(b) Vulgo *Gundis & Conthey*, inferioris Vallesiæ pagus in præfectura sancti Mauritii. Hujus pagi dominium pertinuit nobilibus de Turre Castellionis.

(c) Hodie *Vevay*, elegans oppidum Bernensium in comitatu Vaudi.

(d) Hodie *Grion* vel *Gryon*, pagus Bernensium in præfectura *Aigle*.

(e) Forsan *Salez Sala*, vel *S. Sale*, qui pagus situs in parochia & mandamento *Ollon* apud Bernates in præfectura *Aigle*. Hujus pagi interior jurisdictio pertinet abbatiæ S. Mauritii Agaunensis.

(f) *Vevai* elegans oppidum in comitatu Vaudi non procul à lacu Genevensi.

Digitized by Google

& ejus uxori & eorum heredibus, sicut dictus Willielmus & ejus heredes tenebantur, & dictum Willielmum deffendere & guarentire promiserunt contra dictum dominum Aymonem & uxorem ejus, & heredes eorum, si contingeret prædictum Willielmum vel ejus heredes ab ipsis domino Aymone vel ejus uxore, vel eorum heredibus molestari; propterea cum dictus Willielmus *Morgens* se obligasset ad pœnam quinquaginta librarum erga dictum dominum Aymonem & ejus uxorem, si contingeret in casu reemptionis & rehabitionis rerum prædictarum non restitui, instrumenta quæcunque habebat de prædicta emptione & conventionibus habitis inter ipsos sicut dicebant prædicti Willielmus *Morgens* & abbas & conventus, promiserunt prædicti abbas & conventus prædicto Willielmo *Morgens*, quod restituerent prædicto domino Aymoni & ejus uxori, & eorum heredibus quascunque reemerint res prædictas, instrumentum venditionis factæ per dictum Aymonem dicto Willielmo *Morgens*, & alia instrumenta facta de conventionibus habitis inter ipsos: quod si non facerent promiserunt dictum Willielmum *Morgens* & heredes ejus servare indemnes de dicta pœna. Testes interfuerunt vocati & rogati dominus Willielmus *de Bagnes* miles, Petrus & Nicolaus ejusdem loci sacerdotes, Guido Bovardi castellanus Chillionis, Renaldus de Morgine milites, Berthodus de sancto Brancherio, & multi alii; in cujus rei testimonium nos prædicti judex & castellanus ad preces & instantiam dictarum partium præsentem litteram tradidimus sigillo curiæ dicti domini comitis sigillatam. Actum apud sanctum Mauritium Agaunensem, die martis ante festum apostolorum Philippi & Jacobi, anno Domini M. CCLXXVI.

XXXIII.

Sententia de discordiis inter Petrum abbatem sancti Mauritii Agaunensem & dominum Aymonem de Castillione militem a judice Chablasii lata.

1277. NOVERINT universi præsentes litteras inspecturi, quod cum discordia verteretur inter religiosos viros dominum Petrum abbatem sancti Mauritii Agaunensis & conventum ejusdem loci, ex una parte, & dominum Aymonem de Castillione militem nomine suo & uxoris suæ, suorumque heredum ex altera, super eo videlicet quod dictus dominus Aymo dicebat & proponebat nomine quo supra, Petrum dictum *Corteom de la Possy Dessoures*, Anselmum & alios fratres ejus cum albergamentis eorum, necnon Joannem & Aymonem *des Oches* fratres & liberos Willelmi *de Octus* fratris quondam prædictorum Joannis & Aymonis & albergamenta sive tenementa eorumdem, item quædam usagia bladi quæ dicuntur *Libochaff*, & trossas feni cum curvatis, super hominibus *de Grions* & subtus *Grions* ad se pertinere nomine dotis uxoris suæ, quod negabat pars adversa, dicens prædicta pertinere ad dictum monasterium jure emptionis, & se habere multas alias legitimas deffensiones. Tandem mediantibus probis viris ad talem venerunt transactionem, concordiam atque pacem, quod dictus dominus Aymo nomine quo supra, ut dicebat, solvit, quittavit penitus & guerpivit prædicto domino abbati recipienti nomine suo & dicti monasterii prædictos Petrum *Corteom*, Anselmum & alios fratres ejus, necnon & Joannem & Aymonem *des Oches* fratres & liberos Willelmi *des Oches* cum heredibus, tenementis & albergamentis eorumdem & quidquid juris directuræ, actionis & rationis ipse & uxor sua & heredes eorum habebant, seu habere poterant vel debebant nunc vel in futurum ex quacunque causa vel ratione tam calvacatæ quam alterius cujusque rationis. Item quidquid habebant, vel sibi competebat seu competere videbatur nunc vel in futurum in boschagio, trossis & usagiis supradictis pro septem libris bonorum Mauritiensium de quibus eidem militi nomine suo, uxoris suæ & heredum suorum fecerunt gratum suum, & de quibus coram nobis se tenuit pro soluto, renuntiando exceptioni non numeratæ pecuniæ contradicens solutæ, doli in factum & sine causa exceptioni, actioni & conditioni. Hanc autem transactionem, concordiam atque pacem prædictæ partes laudaverunt, acceptaverunt, ratificaverunt & emologaverunt, & promisit dictus dominus Aymo nomine quo supra contra prædicta per se vel per alium in posterum non venire in judicio vel extra, sed prædicta eidem monasterio manutenere, deffendere & legitime guarentire, & facere & præstare quidquid in causa evictionis debet fieri vel præstari, & promisit per stipulationem solemnem & per juramentum ad sancta Dei evangelia præstitum corporaliter. Renuntiavit autem in hoc facto dictus miles omni juris & consuetudinis auxilio & beneficio scripti vel non scripti seu consuetudinarii per quæ possit venire contra prædicta vel aliquid de prædictis, & juri dicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis, beneficio restitutionis in integrum, & omni privilegio impetrato vel impetrando. Omnia vero & singula supra scripta coram nobis Guillelmo Juvino judice in Chablasio pro domino Philiberto Sabaudiæ & Burgundiæ comite, Antonia filia dicti domini Aymonis & dominæ Isabellæ uxoris suæ laudavit, ratificavit & confirmavit & juravit ad sancta Dei evangelia inviolabiliter observare & contra non venire, renuntiando omnibus exceptionibus supradictis & beneficio minoris ætatis. Item domina Isabella uxor dicti domini Aymonis omnia prædicta ratificavit & laudavit prout signis exprimere potuit. Nos autem prædictus judex in testimonium præmissorum ad preces & instantiam dictorum domini abbatis & domini Aymonis & Antoniæ filiæ suæ, præsentem litteram sigillo curiæ domini comitis tradidimus sigillatam. Datum apud S. Mauritium, Dominica in Septuagesima, anno Domini M. CCLXXVII.

XXXIV.

Testamentum Aymonis de Turre militis in favorem abbatiæ S. Mauritii Agaunensis.

NOS Anselmus de Coquino judex in Chablesio & Valesio pro domino Philippo Sabaudiæ & Burgundiæ comite, notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod in nostra præsentia constitutis domino Petro de Novilla canonico S. Mauritii Agaunensis, procuratore abbatis & capituli dicti monasterii, nomine procuratorio eorumdem ex una parte, & Anselmo *de Sassons* domicello curatore Petri filii quondam inclitæ recordationis viri domini Aymonis de Turre militis nomine curatorio ejusdem, & Joanne *de Ayent* filio quondam domini Anselmi *de Ayent* militis ex altera, quod dictus Anselmus nomine quo supra ad petitionem dicti procuratoris instantis ut ipse acceptaret & assignaret abbatiæ S. Mauritii illa duo modia siliginis quæ sibi legavit dictus dominus Aymo in sua ultima voluntate seu testamento, præcepit dicto Joanni *de Ayent* ut ipse ex nunc in perpetuum solvat singulis annis dictæ abbatiæ dicta duo modia siliginis ad mensuram Sedunensem de blado quod debebat dicto domino Aymoni quod emit idem dominus Aymo a domino Willermo *de Ayent* curato *des Granges*, qui Joannes ad præceptum seu mandatum dicti Anselmi, coram 1277.

Digitized by Google

nobis per stipulationem solemnem promittit pro se & heredibus suis solvere & reddere in perpetuum annis singulis dicta duo modia siliginis in festo beati Martini hiemalis prædictæ abbatiæ vel mandato ipsius. Item confitetur & recognoscit dictus Joannes spontaneus & ex certa scientia se debere dictæ abbatiæ seu monasterio decem & octo fichilinos siliginis ad dictam mensuram quos acquisiverunt abbas & capitulum dicti monasterii a dicto domino Willelmo curato, promittens dicto canonico stipulanti ad opus dictæ abbatiæ solvere & reddere dictos decem & octo fichilinos siliginis dictæ abbatiæ vel mandato ejusdem singulis annis in perpetuum termino memorato una cum duobus modiis siliginis supradictis, in cujus rei testimonium ad preces prædictorum sigillum curiæ nostræ præsentibus duximus apponendum. Datum anno Domini M. CCLXX septimo, die martis ante festum beatæ Mariæ-Magdalenæ apud Contegium.

XXXV.

Sententia lata in favorem Girardi abbatis sancti Mauritii Agaunensis contra Petrum de Morestello militem vicedominum de Bagnes *de prædicto vicedominatu.*

Circa annum 1288. ANNO domini . . . . . . octavo sumpto millesimo in Paschate, die lunæ post festum beati Gregorii, videlicet XIV die Martii, viro religioso domino Girardo abbate S. Mauritii Agaunensis nomine suo & conventus ejusdem comparente coram nobis petro de Thora decano ecclesiæ Sedunensis, Jacobo de Villanova canonico ejusdem loci, Petro de Novilla, Petro de Collumberio canonicis S. Mauritii Agaunensis, Aymone de Castillione milite, Willielmo dicto de Plantata de Martigniaco domicello, Jacobo Saltero S. Mauritii & Petro clerico dicto *Soltem* ejusdem loci positis pro curia ex parte prædictorum domini abbatis & conventus super causa quæ inter ipsos dictum abbatem & conventum ex una parte, & nobilem virum dominum Petrum de Morestello militem vicedominum *de Bagnes* vertitur seu ita speratur ex altera. Dictus dominus abbas nomine quo supra dicta die coram nobis proposuit in jure continetur dictum dominum Petrum militem . . . . . quod cum dictus dominus Petrus miles quoddam illicitum fecerit juramentum cum quibusdam dictorum domini abbatis & conventus hominibus, & cum aliis qui non sunt homines eorumdem cum sit homo ligius . . . . prædictorum domini abbatis & conventus, & dictum vicedominatum ab eisdem teneat, petebat a nobis dictus dominus abbas nomine quo supra ut nos post finem compelleremus dictum dominum Petrum militem ut . . . . præstitum juramentum tanquam illicitum renuntiaret, nec illud ausu temerario observare conaretur. Petebat etiam dictus dominus abbas nomine quo supra a nobis, ut nos per sententiam condemnaremus dictum militem in una libra auri persolvenda prædictis domino abbati & conventui propter illicitum præstitum juramentum per militem ante dictum. Cumque dictus dominus Petrus miles ad primam, secundam & tertiam, ac quartam de gratia sibi assignatam citationem ad instantiam prædictorum domini abbatis & conventus secundum consuetudinem patriæ coram curia ipsorum non comparuerit dicta die nec etiam aliquem miserit responsalem, domino abbate prædicto nomine suo & dicti conventus personaliter comparente & quantum debuit expectante. Nos attendentes quia ut obedientia prodesset humilibus, sic contemptus contumacibus non obesset. Idcirco nos dictos dominum abbatem & conventum in possessionem posuimus de toto A feudo quod tenet ab eisdem dictus dominus Pe . us miles secundum consuetudinem patriæ propter contumaciam ejusdem domini Petri militis, & ut idem miles affectus tædio in curia prædictorum domini abbatis & conventus super petitione eorumdem veniat responsurus. Ad hoc interfuerunt testes dominus Willielmus *de Bagnes* miles, Petrus de Portu-Bacii clericus, Willielmus major Montheoli, Antonius de Turre domicellus, Giroldus filius Antonii de Villa-nova, Seguinus *de Bagnes*, Jacobus de Vilario, Silvester de Laveto, Blanchus de Villiaco, Joannes Fabri de S. Mauritio clericus notarius & juratus curiæ illustris viri domini comitis Sabaudiæ, & plures alii; in cujus rei testimonium nos supra nominati pro curia, sigilla nostra præsentibus litteris B duximus apponenda. Datum & actum in claustro inferiori monasterii S. Mauritii Agaunensis, ante cameram bassam dicti domini abbatis, anno & die quibus supra.

XXXVI.

Franciscus Condominus de Sassens *domicellus, & Beatrix soror ejus reddunt homagium Giraldo abbati Agaunensi pro omnibus suis feudis in valle* Bagnes *sitis.*

NOTUM sit omnibus Christi fidelibus quod Franciscus Condominus *de Sassens* (a) domicellus, & beatrix soror ejus motu proprio & sua spontanea voluntate acceperunt in feudum a vene- 1289.
C rabili viro domino Giraldo abbate sancti Mauritii Agaunensis quidquid dicti Franciscus & beatrix soror ejus tenent & possident in tota valle *de Bagnes* (b) & specialiter apud *Montagnié* (c), tam in hominibus, terris, talliis, censibus, usagiis, dominio, jurisdictione, mero & mixto imperio, aquarum decursibus, quam rebus aliis universis, & pro uno obolo aureo in mutatione vassalli seu tenentis, quæ omnia dicti Franciscus & soror ejus, ut asserunt, tenebant in purum allodium, item dictus Franciscus nomine suo & dictæ sororis ejus fecit homagium dicto domino abbati, salvis tribus dominis pro se & successoribus suis. Item solverunt, remiserunt, quittaverunt dicti Franciscus & Beatrix nomine quo supra dicto domino abbati præsenti, recipienti D & stipulanti nomine suo & dictæ abbatiæ suæ duplex ferrum equi & quinque solidos placiti, & totum dominium quæ dicta abbatia debebat ipsis Francisco & sorori suæ, pro rebus quas tenebat ab eis apud Cleybi & omnia pro quindecim libris & decem solidis Maurisiensibus, quas idem dominus abbas nomine suo & dictæ abbatiæ suæ tradidit & persolvit prædictis Francisco & sorori suæ, scilicet quatuordecim libras Maurisienses pro ingressu homagii & triginta solidos Maurisienses pro emptione usagiorum de Cleybi. Ad hoc fuerunt testes vocati & rogati dominus Willielmus *de Bagnes* miles, domnus Willielmus de Romano monasterio canonicus Montis-Jovis, domnus Petrus de Collumberio sacrista, domnus Petrus de Fraciis, domnus E Henricus *de Bagnes* canonici S. Mauritii Agaunensis, Antonius de Turre, Giroldus frater ejus Mauritius *de Verbier*, Willielmus *de Luttiez*, Petrus de Ponte & plures alii, & domnus Petrus de Fossato curatus *de Bagnes* qui juratus super hoc, hanc cartam levavit vice capituli Sedunensis cancellariam tenentis, vice cujus ego Joannes *Aillioz* juratus super hoc eam scripsi, cui si quis contraire præsumpserit maledictionem Dei incurrat, & sexaginta

(a) Arx nobilium *de Sassen* vel *Saxon*, in inferiori Vallesia, anno 1475 diruta, sita erat in pago *Schaschen* seu *Sassen*, in præfectura Agaunensi sancti Mauritii.
(b) *Bagnes*, germanice *Banienthal*, ingens & fertilis vallis Vallesiæ inferioris ad limites Sabaudiæ.
(c) Pagus in valle *Bagnes*.

Digitized by Google

libras cum obolo aureo regiæ potestati persolvat. A Actum apud *Bagnes* in crastino Circumcisionis Domini, anno Domini M. CCLXXXIX, Rodulpho (a) regnante & sede (b) Sedunensi vacante.

XXXVII.

Girodus seu Giroldus de Turre, nepos Aymonis de Turre militis, confitetur se tenere dominium Olon *in feudum ab abbate Agaunensi.*

Circa annum 1290. NOVERINT universi præsens scriptum inspecturi quod Girodus de Turre posuit in pignore seu in gageria abbati & conventui Agaunensis ecclesiæ coram testibus ad hoc vocatis & rogatis, totum illud feudum quod habet & habere B dinoscitur de domo S. Mauritii, in dominio suo, & possidet nomine suo apud Olonum (c) in plano, in montibus sive in alpibus pro XX libris Maurensibus, & totum illud feudum quod dominus Aymo de Turre patruus suus obtinere dinoscitur ab eo apud Olonum & apud Elerablu in quocunque loco præmissum feudum tam in rebus cultis quam incultis præfatus Aymo dinoscitur obtinere, & hoc de consensu & spontanea voluntate tam ipsius Aymonis quam uxoris suæ dominæ Isabellæ & nepotis sui Petri, qui præfatus Aymo totum hoc procuravit & fideliter usque ad opus perfectionis .... pro LX videlicet quinque libris Maurensibus, quæ omnia supradicta titulo pignoris obligata, memoratus abbas nomine domus S. Mauritii tenuit C & fine conditione qualibet retinebit quousque supradictum debitum integraliter sit solutum, fructibus in sortem nullatenus computatis, cum beneficium istud a jure domino feudi plenissime concedatur, & dictus Girodus de Turre omnia supradicta nomine feudi a domo S. Mauritii immediate censeatur & simpliciter possidere. Propterea sub eadem pecuniæ quantitate jam dictus Aymo miles de Turre obligavit eidem abbati nomine domus S. Mauritii, quidquid tam in rebus cultis quam incultis apud *Amagnoch* & apud *Ottans* dinoscitur obtinere, quæ omnia in præmissis locis contenta præfatus miles ad excludendam omnem ambiguitatem & omnem controversiam in posterum sopiendam nomine feudi coram testibus subscriptis a domo S. Mauritii D percepit .... servitium imponendo, confitentur se totam præmissam pecuniæ quantitatem, scilicet .... lib. ... se integraliter recepisse a dicto abbate S. Mauritii, omni exceptioni non numeratæ pecuniæ renuntiantes, & omnia se fideliter servaturum memoratus Girodus per fidei religionem spopondit & de prima gageria scilicet de feudo quod tenebit in dominio suo, obsides dedit videlicet dominum Petrum militem de Ollono, Ludovicum *de Ayent*, Petrum de Martigniaco quemlibet de toto; de secunda gageria scilicet de feudo domini Aymonis dedit obsides dominum Giroldum militem de Langis de XX libris, dominum Willelmum militem *de bey* de X libris, dominum Amoldicum *de Olons* de X libris, dominum Wiffredum *de Montmeillan* E castellanum de Sesterna de XX, dominum Petrum militem *de Olons* de toto. Hujus rei testes sunt dominus Petrus prior, Jacobus prior S. Michaëlis in Tarentasia, Nicolaus cantor, Joannes sacrista, Giroldus procurator canonici Agaunenses, Rodulphus capellanus sancti Sigismondi, Amedeus capellanus, Aymo clericus de ecclesia Sedunensi, D. G. dominus W. fratres milites de Langis, W. miles *de Lay*, dominus Arnoldicus & dominus Petrus fratres milites *de Olons*, Wiffredus *de Montmeillan* castellanus de Sesterna, Cono *de Alien*, W. vicedominus de Collomberio & multi alii. De concessione dominæ Isabellæ uxoris dicti Aymonis fuerunt testes Jacobus cantor Sedunensis, W. *Clan* canonicus ... Hugo canonicus sancti Mauritii, Joannes de Turre, Joannes Visous, Willelmus *Corbey* de Leuca, Jacobus frater, W. cognomine Armingis, & multi alii. De concessione vero Petri nepotis dicti Aymonis fuerunt testes Ven. pater B. (d) Sedunensis episcopus, dominus Joannes abbas (e) Abundantiæ, Jocelinus miles vicedominus Sedunensis, Henricus miles *de Aragnon* & multi alii.

XXXVIII.

Petrus de Turre dominus Castellionis in Vallesia accipit in feudum a Girardo abbate Agaunensis monasterii varia bona inferioris Vallesiæ.

IN nomine Domini amen. Nos Girardus Dei gratia abbas monasterii sancti Mauritii Agaunensis Sedunensis diœcesis, totusque ejusdem loci conventus, notum facimus universis præsentem paginam inspecturis vel etiam audituris, quod nos considerantes loca *de Serz*, *de Arpiliy*, *de Orgevauz* & *de Culant* ad nos & monasterium nostrum spectantia, videlicet a fonte *de Raspanères* usque ad aquam *de Chaul de Grion*, inferius item a dicto fonte *de Raspanères* usque *à la Duez de Perches* Item à dicta *Duez de Perches* usque ad aquam *de Champ-Lossiam* descendendo inferius, item a dicto fonte *de Raspanères* usque ad aquam *de Cham-Lossiam*. Item a dicta *Duez de Perches* usque ad *Champ-Lossiam*, & quidquid habemus vel ad nos & monasterium nostrum spectat in prædictis locis tam in longitudine usus quam in latitudine prædictorum locorum nobis & monasterio nostro olim fuisse & ad præsens esse minus utilia & modicum fructuosa, & quod si dicta loca habitarentur & redigi contingeret ad culturam, nobis & monasterio nostro magna utilitas proveniret, attendentes præterea quod eadem loca per virum nobilem Petrum de Turre domicellum dominum Castillionis in Vallesia per se & homines suos quos habet vicinos inibi & propinquos congruentius quam per alium possint ædificari, inhabitari, coli & redigi ad culturam, & per hæc nostra & monasterii nostri utilitas non modica in futurum potest verisimiliter procurari. Habitis super hoc inter nos in capitulo & etiam extra capitulum pluribus diligentibus tractatibus, considerata in hac parte nostra & monasterii nostri utilitate non modicum profutura. Jam præfata loca cum districtu, jurisdictione, dominio, alpibus, pascuis & nemoribus cum suis juribus & pertinentiis universis, jam dicto Petro domicello ejusque heredibus & successoribus legitimis in perpetuum ad rectum feudum unanimiter & concorditer sub modis, pactis, conditionibus, clausulis & articulis inferius adnotatis tenore præsentium prout melius possumus, concedimus & donamus, salvo tamen usu quem homines nostri *de Grions* in monte qui dicitur *Chistellions* habere noscuntur in pascuis & nemoribus pro quibus dicti homines nobis consueverunt facere duodecim denarios Maurisienses censuales quos de cætero facient dicto Petro & suis heredibus annuatim. Modi autem, pacta, conditiones, clausulæ & articuli sunt isti. In primis quod idem Petrus, heredes seu successores sui legitimi nobis prædicto abbati & successoribus nostris, teneantur facere unam fidelitatem seu 1291.

(a) Nempe Rodulpho I, rege Romanorum, satore Augustæ gentis Austriacæ, qui obiit 16 Julii 1291.

(b) Vacabat tunc episcopalis sedes morte Petri *de Orons* seu *de Herens*, cui tandem successor substitutus anno 1290 Bonifacius *de Challand*.

(c) *Ollon*, ingens pagus præfecturæ Bernensis *Agla*.

(d) Nempe Bonifacius *de Challand*, episcopus Sedunensis qui rexit ab anno 1290 usque 1303.

(e) Celebris abbatia Sabaudiæ, cujus abbates recenset *Besson*.

Digitized by Google

homagium melius salvis tribus fidelitatibus seu homagiis quas & quæ facit seu in quibus tenetur ipse & heredes sui, ut asserit, viris illustribus domino Ludovico ([a]) de Sabaudia, domino comiti Sabaudiæ & reverendo patri domino episcopo & ecclesiæ Sedunensi, & si contingeret dictum Petrum & heredes seu descendentes ab eo plures habere heredes qui dividerent hereditatem paternam, ille de prædictis heredibus qui tenet prædicta loca, teneatur facere homagium supradictum, & solvere unum obolum aureum de placito in mutatione tam abbatis quam vassalli. Item si contingeret ibi fieri castrum seu domum de fortia, ille qui prædicta loca tenet nobis prædicto abbati in nostro primo adventu & cuilibet successorum nostrorum in suo primo adventu similiter dictum castrum seu dictam domum de fortia cum clavibus ipsius reddere teneatur & ipsum abbatem recipere honorifice, & de una procuratione per unam diem & noctem secundum ejusdem abbatis decentiam providere, postquam diem & noctem in crastinum idem abbas dictum castrum seu dictam domum de fortia eidem Petro vel heredibus prædictis cum clavibus prædictis restituere teneatur. Item si contingeret nos vel aliquem de successoribus nostris pro facto seu prætextu monasterii guerram habere contra aliquem vel aliquos, idem Petrus seu heres qui tenet prædicta loca, teneatur reddere dictum castrum seu dictam domum de fortia nobis & successoribus nostris, & conventui si vacante ecclesia guerram haberet, ita quod de dicto castro seu dicta domo nos & sucessores nostri, & de hominibus habitantibus in dictis locis possemus nos juvare contra inimicos nostros durante guerra prædicta & nihilominus homines prædicti guerram pro monasterio nostro facere teneantur, finita vero guerra, nos & successores nostri qui pro tempore fuerint, dictum castrum sive dictam domum eidem Petro vel ejus heredi prædicto reddere & restituere teneamur. Item quod idem Petrus vel heredes prædicti, & homines ibi habitantes teneantur construere unam ecclesiam in loco convenienti in aliquo de prædictis locis & ædificare propriis sumptibus cui ecclesiæ teneantur assignare pro dote ipsius in locis competentibus prope ecclesiam sexaginta jugera terræ inter prata & terram redactam in cultum, in quibus vero sexaginta jugeribus, nullus nisi sacerdos rector ipsius ecclesiæ decimam percipere valeat vel habere, & quod ipsam teneat liberam ab omni onere & etiam servitute, retento nobis & successoribus nostris jure patronatus in ipsam, & dictus Petrus teneatur procurare erga reverendum patrem dominum episcopum Sedunensem quod ipse concedat quod ibi fiat ecclesia memorata. Item quod homines ibi habitantes possent absque licentia alicui facere eleemosynas de bonis mobilibus vel immobilibus eidem ecclesiæ secundum quod eis placuerit in perpetuum vel ad tempus. Item quod idem Petrus vel hæredes prædicti non possint nec debeant ad habitandum ibi vel in guarda sua recipere aliquem de hominibus nostris & monasterii nostri, vel hominibus feudorum nostrorum absque licentia nostra vel nostrorum successorum. Item quod nos & monasterium nostrum in perpetuum habeamus & possimus percipere singulis annis in festo beati Martini hiemalis unum caponem & unam cuppam avenæ ad mensuram de sancto Mauritio in quolibet foco locorum superius jam dictorum. Item quod nos & successores nostri tam ratione terragii quam decimæ possimus percipere cum effectu in prædictis locis singulis annis de omnibus granis, seminibus & leguminibus quocunque censeantur nomine sextam partem. Item quod nos & successores nostri in omnibus & singulis bannis sexaginta solidorum & supra & in omnibus & singulis excheris tam bonorum mobilium quam immobilium absque fraude & diminutione aliqua tertiam partem habeamus in futurum & percipiamus, quæ omnia & singula supradicta in prædictis rebus nobis & successoribus nostris in signum dominii retinemus. Item quod dictus Petrus vel heredes prædicti requisiti per nos vel successores nostros seu per nostrum certum nuntium vel abbatis qui pro tempore fuerit non compellent prædictos homines ad solvendum usagia vel retenta nobis superius declarata: nos vel abbas qui pro tempore fuerit per nos seu per nostrum certum nuntium possimus authoritate propria homines prædictos absque impedimento dicti Petri vel heredum suorum pro solvendis & recuperandis dictis usagiis & retentis nominatis superius pignorare. Item quod nullus in præfatis locis habeat vel teneat aliquas possessiones nisi habeat ibi domicilium in quo habitet saltem in aliqua parte anni seu propriam mansionem. Item quod si præfati homines vel eorum aliquis per eumdem Petrum vel heredes ejus seu heredem vel ipsorum nuntium contra justitiam in aliquo gravarentur, dicti homines sic gravati, vel quicunque alius inibi sic gravatus, possint ad nos seu ad abbatem qui pro tempore fuerit libere appellare & appellationem prosequi, cujus appellationis cognitionem, deffinitionem & executionem prout qualitas negotii requisierit nobis & nostris successoribus totaliter reservamus. Et idem Petrus & heredes ejus dictæ appellationi seu appellationibus deferre teneantur donec de . . . appellationis per nos vel successores nostros discussum fuerit, & etiam diffinitum. Idem vero Petrus & ejus heredes prædictam diffinitionem executioni mandare teneantur, prout a nobis vel successoribus nostris receperint in mandatis. Quæ universa prædicta & singula eidem Petro & suis heredibus in feudum per nos concessa modis & conditionibus superius adnotatis, nos prædicti abbas & conventus remota omni fraude jam præfato Petro & suis heredibus legitimis promittimus contra omnes salvo jure alterius in perpetuum garentire. Et ego Petrus de Turre domicellus universa prædicta & singula approbo, ratifico, pro me meisque heredibus confirmo. Promittens bona fide pro me & meis heredibus supradictis præfatis domino abbati, conventui & monasterio ea attendere, observare fideliter & effectualiter facere observari. Ad hoc fuerunt testes vocati & rogati dominus Petrus de Thora decanus Sedunensis, dominus Jacobus *de Mar* miles, magister Hugo *Vichardi* de sancto Mauritio clericus, Jacobus *Debora* domicellus, & Joannes *Fabri* de sancto Mauritio notarius. In quorum omnium testimonium & roboris firmitatem, nos prædicti abbas & conventus sigilla nostra, & ego præfatus Petrus sigillum meum proprium, & nos Wuillelmus officialis curiæ Sedunensis sigillum ipsius curiæ, & nos Petrus Balistarii judex in Chablesio & Gebennesio pro illustri viro domino Amedeo ([b]) comite Sabaudiæ, sigillum curiæ dicti domini comitis in præmissis locis ad requisitionem ipsarum partium præsenti paginæ duximus apponenda. Datum & actum in capitulo dicti monasterii Agaunensis VII idus Martii, anno Domini M. CC nonagesimo primo sumpto millesimo in Paschate.

Appendent quinque sigilla, primum officialis, alterum abbatis, tertium capituli Agaunensis, quartum domini Petri de Turre, necnon quintum curiæ comitis Sabaudiæ.

([a]) Ludovicus Sabaudiæ baro Vaudi.

([b]) Amedeus V comes Sabaudiæ ab anno 1285, quo successit Philippo fratri usque ad suam mortem 1307.

Digitized by Google

XXXIX.

Jaqueminus de Turre sancti Brancherii quandam alpem donat Girardo abbati Agaunensi pro remedio animæ suæ.

1291. ANNO Domini M. CC nonagesimo primo, sumpta Incarnatione, in Nativitate Domini, indictione IIII.ª idibus Aprilis, apud sanctum Brancherium (a) supra ecclesiam coram me notario & testibus infra scriptis, Jaqueminus de Turre sancti Brancherii, non vi, non dolo, non metu inductus nec coactus, nec circonventus, sed spontaneus & ex certa scientia, ut asserit, & consensu, laude & voluntate expressa Joannis de Turre patris sui, Jonodo suo filio legitimo absente, dedit, vendidit in perpetuum & concessit prout melius & firmius intelligi potest Girardo abbati & conventui monasterii sancti Mauritii Agaunensis & cuicunque alienare voluerint, quandam alpem, quæ vocatur alpis nova *de Planars*, cum pascuis & appendentiis ipsius alpis. Quam alpem confessus fuit & recognovit esse de feudo monasterii supradicti pretio decem librarum bonorum Maurisiensium de quibus se tenuit dictus venditor integre pro soluto de quatuor libris & tredecim solidis & residuum pretii supradicti, scilicet alias quinque libras & septem solidos dedit & concessit in eleemosynam pro remedio animæ suæ, ipsis abbati & conventui supradictis. Promittens per juramentum suum supra sancta Dei evangelia corporaliter præstitum, præfatus venditor pro se & suis heredibus, quod ipse contra hujusmodi venditionem seu donationem per se vel per alium aliquatenus in futurum, non veniet, nec alicui contravenire volenti ullatenus consentiet, immo ipsam venditionem seu donationem in judicio & extra suis propriis sumptibus ipsis abbati & conventui prædictis, manutenebit & deffendet in perpetuum contra omnes. Renuntiando si quidem in hoc facto ex certa scientia & per prædictum præstitum juramentum omni exceptioni ingratitudinis & exceptioni non numeratæ pecuniæ, non traditæ, non solutæ, spei futuræ numerationis, beneficio restitutionis in integrum, omni exceptioni, doli, mali, metus in factum & sine causa, actioni & conditioni, deceptioni & læsioni, omnique aliæ exceptioni & exceptioni minoris pretii, & omni juri canonico & civili scripto & non scripto seu consuetudinario per quod posset venire contra prædicta vel aliquid de prædictis, & juri dicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis, universaque & singula supra scripta confirmaverunt prædicti Jaqueminus & Joannes pater ejus, per juramenta sua supra sancta Dei evangelia corporaliter præstita, attendere fideliter & complere, & inviolabiliter observare. Ad hoc fuerunt testes vocati & rogati dominus Wlielmus de Romano monasterio, dominus Brunus rector ecclesiæ de sancto Brancherio canonici Montis-Jovis, Joannes *de Lyddes*, Wliermus *Rochot de Onziez*, Petrus *de Porte de Bagnes*.

Et ego Wlelmus Seguini *de Bagnes* publicus notarius sacri Imperialis palatii rogatus hanc cartam recepi propria manu scripsi, & signo meo tradidi signatam.

(a) *S. Brancher*, pagus & parochia inferioris vallis, in valle *Entremont*, & in præfectura Martigniacensi.

XL.

Charta compositionis inter Jacobum abbatem Agaunensem & Henricum domicellum filium nobilis viri domini Aymonis de Castillione militis de territorio de Grion.

IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem M. CC nonagesimo V, indictione VIII, XVIII kal. 1295. Septembris in refectorio monasterii sancti Mauritii Agaunensis, in præsentia mei notarii & testium subscriptorum, propter hoc specialiter constitutis Henrico domicello filio nobilis viri domini Aymonis de Castillione militis ex una parte, & religioso viro domino Jacobo Dei gratia abbate dicti monasterii sancti Mauritii Agaunensis vice & nomine dicti monasterii ex altera. Dominus Henricus sciens, prudens, spontaneus non coactus, non vi, non dolo inductus, non ab aliquo, ut asserit, circumventus, dixit & asseruit quod dictus dominus Aymo miles pater ejus, de consensu & expressa voluntate dominæ Isabellæ uxoris ejusdem domini Aymonis & matris dicti Henrici, & de consensu Antoniæ filiæ dictorum conjugum, pro se & heredibus suis vendidit ex causa puræ & perpetuæ venditionis, & tradidit Wuillelmo *Morgens* de Viviaco (b) recipienti pro se & heredibus suis ac successoribus, quidquid dictus Aymo & dicta domina Isabella uxor sua habebant vel habere debebant in territorio & infra territorium *de Grions* (c), in hominibus, redditibus, jurisdictionibus, pascuis, aquis, terris, possessionibus, successionibus & rebus aliis quibuscunque, pro pretio quingentarum librarum & viginti solidorum Maurisiensium, quod dicti venditores habuerunt, ut dictus Henricus asserit, in bona pecunia numerata. Item quod dictus Wuillelmus *Morgens* omnia & supradicta vendidit & ex causa puræ & perpetuæ venditionis tradidit pro se & suis bonæ memoriæ domino Petro abbati dicti monasterii Agaunensis & conventui dicti loci recipientibus nomine monasterii memorati, pro pretio superius nominato quod habuit & recepit dictus Wuillelmus, ut asserit dominus Henricus, Pretereaque dictus dominus Aymo memoratam venditionem francam, dictis abbati & conventui per dictum Wuillelmum *Morgens* eisdem abbati & conventui laudavit, approbavit & confirmavit, quittavit & etiam omnia prædicta, & fecit pactum expressum de aliquid in prædictis ulterius non petendo, & quod inde dictus dominus Aymo habuit a prædictis religiosis centum solidos Maurisienses in bona pecunia numerata. Deinde quod dictus dominus Aymo nomine suo & dictæ uxoris suæ dictis religiosis ex causa perpetuæ transactionis solvit, quittavit penitus & guerpivit pro se & heredibus ac successoribus Petrum dictum *Morion de la Possy de Sores*, Anspinum & alios fratres ejus cum albergamentis eorum, Joannem & Aymonem *des Oches* fratres liberos Wuillelmi *des Oches* fratris quondam dictorum Joannis & Aymonis, cum albergamentis & tenementis, item quædam usagia bladi quæ *Boschagos* vulgariter appellantur soussas feni & curvatas quas dictus dominus Aymo & ejus uxor in hominibus *de Grions* & subtus *Grion* habebant & habere debebant, pro septem libris Maurisiensibus quas ex causa dictæ transactionis a dictis religiosis memoratis miles habuit & recepit in bona pecunia numerata, & quod omnia & singula supra scripta laudaverat dictus miles, & juraverat super sancta Dei evangelia corporaliter

(b) Vulgo *Vevay* seu *Vivey*, elegans Bernensium oppidum in pago Vaudi non procul a lacu Genevensi.
(c) *Grion*, pagus Bernensium in mandamento *Bex*, in præfectura *Aigle*, in regione Vaudi.

contra

contra prædicta vel aliquod de prædictis in perpetuum non venire. Quare dictus Henricus attendens omnia & singula supradicta quoad dictum monasterium fore rite & legitime celebrata, prædictas venditiones, quictationes, confessiones & transactiones, & omnia & singula bona & jura superius declarata pro se & heredibus ac successoribus suis eidem domino Jacobo abbati præsenti & recipienti nomine quo supra, laudat, approbat, ratificat & confirmat & nihilominus vendit, & ex causa puræ & perpetuæ venditionis tradit, cedit & concedit pro se & heredibus ac successoribus suis dicto domino abbati recipienti nomine quo supra omnia & singula supradicta, & hoc pro pretio triginta librarum Maurisiensium quas dictus Henricus confessus fuit se habuisse & recepisse a prædicto domino abbate nomine quo supra in bona pecunia numerata. Devestiens se dictus Henricus & quasi de omnibus & singulis supradictis de omni jure, dominio, proprietate, possessione, & quasi sibi competenti in prædictis vel aliquod prædictorum, & dictum dominum abbatem recipientem nomine quo supra investit & in corporalem possessionem inducit, vel quasi per traditionem præsentium litterarum, & insuper promittit dicto domino abbati nomine quo supra solemniter stipulanti quod per se vel per alium in judicio vel extra de jure, vel de facto, verbo, facto vel opere non veniet in futurum, non consentiet alicui contravenire volenti, sed quod omnia & singula supradicta in judicio vel extra manutenebit & defendet de jure & de facto, ab omnibus & etiam contra omnes, & nihilominus faciet & præstabit quicquam in causa evictionis debet fieri & præstari, & si forte jus & dominium quod habet vel habere debet dictus Henricus in prædictis bonis, rebus & juribus valent ultra dictas triginta libras, totum illud donat, cedit & concedit pro remedio animæ suæ & antecessorum suorum monasterio memorato; omnia autem & singula supra scripta & infra scripta promittit idem Henricus pro se & heredibus ac successoribus suis, sub obligatione omnium bonorum suorum præsentium & futurorum, & per juramentum suum super sancta Dei evangelia corporaliter præstitum, attendere & inviolabiliter observare, & in contrarium in aliquo non venire, asserens se dictus Henricus per prædictum sacramentum fore a dicto patre suo legitime mancipatum & esse extra paternam potestatem. Renuntians idem Henricus omni exceptioni doli, mali, metus & in factum actioni, conditioni sine causa & injusta causa petitioni & oblationi libelli, litis contestationi judiciis de tempore quadrimestri & viginti dierum copiæ præsentis instrumenti, exceptioni dictæ pecuniæ non habitæ, non receptæ, juribus dicentibus deceptum in contractu ultra dimidiam justi pretii agere posse ad rescindendum contractum vel quod sibi justum pretium suppleatur, beneficio minoris ætatis & omni auxilio, & beneficio juris canonici & civilis scripti & non scripti, seu consuetudinarii, quibus mediantibus posset venire contra prædicta vel aliquid de prædictis, & juri dicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis. Testes ad hoc vocati fuerunt & rogati dominus Mauritius curatus ecclesiæ sancti Sigismundi de S. Mauritio Agaunensi, dominus Joannes de Illeris, Perronetus *Quarteri* de sancto Mauritio, Julianus de eodem loco clericus, & plures alii.

Ego Joannes *Fabri* de S. Mauritio Agaunensi Sedunensis diœcesis authoritate sacri Imperialis palatii publicus notarius prædictis interfui, & ea in formam publicam redegi scripsique rogatus a partibus, & signo meo consueto signavi in testimonium veritatis.

Ad majorem autem præmissorum cautelam & firmitatem vir venerabilis & discretus dominus Gedeon de Aquabella judex in Chablasio & Gebennensi pro illustri viro domino Amedeo comite Sabaudiæ, facta sibi fida relatione de præmissis per me dictum Joannem *Fabri* notarium, ad preces & requisitionem prædictarum partium per me sibi oblatas, sigillum curiæ dicti domini comitis una cum signo meo prædicto apposuit huic publico instrumento.

Pendet sigillum cruce Sabaudica signatum.

XLI.

Homagium præstitum a Girodo de Turre domicello de sancto Mauritio, Jacobo de Ayent *abbati monasterii sancti Mauritii Agaunensis ob omnia bona feodalia quæ tenebat in territorio de Olono.*

NOS Petrus *Silvestri* judex in Chablasio & Gebenesio pro illustri viro domino Amedeo (a) comite Sabaudiæ, notum facimus universis præsentes literas inspecturis, quod sicut nobis constat per relationem Jaqueti *Reymundini* jurati dicti domini comitis, in ejus præsentia propter hoc specialiter constitutis Girodo de Turre domicello de sancto Mauritio ex una parte, & viro religioso domino Jacobo *de Ayent* abbate monasterii sancti Mauritii Agaunensis ex altera. Dictus Girodus sciens, prudens & spontaneus ad instantiam & requisitionem dicti domini abbatis recognovit se tenere a dicto domino abbate, nomine dicti monasterii, in rectum feudum omnia bona & possessiones vel quas dictus Girodus tenet in toto districtu seu territorio de Olono (b), excepto quodam prato quod dicitur pratum *Luconeu & les Meygnos*, pro quibus quidem rebus dictus Girodus fecit homagium dicto domino abbati nomine quo supra, & se hominem dicti monasterii recognovit, quo homagio & recognitione factis dictus dominus abbas investituram dedit dicti feudi eidem Girodo, dictas possessiones feudales manutenere & defendere contra omnes tanquam dominus feudi, jure dicti monasterii & alterius semper salvo; dictus vero Girodus vice versa promisit eidem domino abbati nomine quo supra contra dictam recognitionem & fidelitatem, & omnia & singula supra scripta perpetuo non venire per se vel per alium in judicio sive extra, nec alicui contravenire volenti ullatenus consentire, & hoc promisit per juramentum suum tactis evangeliis sacrosanctis. Renuntians dictus Girodus per juramentum suum prædictum exceptioni doli, mali, metus in factum omni actioni, conditioni, læsioni, deceptioni, omni juri & auxilio per quod posset contra prædicta venire vel aliquid de prædictis, & juri dicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis. Testes ad præmissa fuerunt vocati & rogati Reymondus de sancto Germano canonicus dicti monasterii, Willelmodus *de Ayent* nepos dicti domini abbatis. Et ego Jaquetus prædictus omnia præmissa scripsi per manum Willermi *Fabri* jurati curiæ prædictæ, ad hoc per D. B. *Delamar* judicem in Chablasio coadjutoris dati; in cujus rei testimonium nos Bartholomæus *Delamar* judex præfatus in Chablasio & Gebenesio pro dicto domino comite Sabaudiæ, sigillum curiæ prædictæ ad preces dictarum partium nobis per dictum Jaquetum oblatas præsentibus duximus apponendum. Datum apud sanctum Mauritium in 1312.

(a) Scilicet Amedeus seu Aymo comes Sabaudiæ cognominatus *Magnus*, qui rexit ab anno 1285 usque ad 1323.

(b) Hodie *Ollon* vel *Oulon*, pagus ingens una leuca distat pago *Aigle* apud Bernates in mandamento *Aigle*, ad limites inferioris Vallesiæ.

Digitized by Google

monasterio dicti loci, die sabbati ante festum B. Thomæ apostoli, anno domini M. CCCXII.

XLII.

Homagium præstitum a Willelmo domino de Pontevitreo (Pontverre) *Willelmo) abbati sancti Mauritii Agaunensis.*

1314. IN nomine Domini, amen. Anno a Nativitate ejusdem M. CCCXIIII, indictione XIII, die XIII mensis Novembris apud sanctum Mauritium Agaunensem in monasterio dicti loci, in mei infra scripti notarii & testium subscriptorum præsentia propter hoc specialiter constitutis, reverendo patre domino V. Dei gratia abbate dicti monasterii ex una parte, & viro nobili domino W. de Pontevitreo milite ex altera. Præfatus miles proposuit quod ipse nomine suo & heredum domini Vichardi de Ponte-vitreo fratis sui, mulieris quondam, ac aliorum consortum suorum tenebat ab ipso domino abbate & monasterio suo unum feudum alias pluries tam per ipsum dominum Willelmum quam ejus prædecessores specialiter designatum, factum super dictis designationibus, aliquando sigillatis literis, aliquando publicis instrumentis quibus erat fides omnimoda adhibenda, volens ipsum feudum præ designatum haberi sicut in ipsis litteris & instrumentis publicis continetur, & melius si posset melius reperiri, & pro dicto feudo debebat idem dominus Willielmus nominibus quibus supra, ut asseruit, & confessus est abbati dicti monasterii homagium ligium & fidelitatem, una fidelitate debita domino comiti Sabaudiæ tamen salva specialiter & excepta, quare supplicavit dictus miles nominibus quibus supra præfato domino abbati quatenus investituram dicti feudi daret & dare vellet, reciprociter nomine suo & aliorum consortum suorum, ut dicta investitura recepta, faceret & præstaret eidem domino abbati fidelitatem & homagium quod debebat. Sæpe dictus V. dominus abbas considerans & attendens quod investitura feudi debet præcedere fidelitatem, & ideo dictum militem a contentis in dicta supplicatione non debere repelli, protestando expresse quod in agendis, salvum sit jus suum & dicti sui monasterii, & alterius cujuscunque personæ, cui præstationi dictus miles consensit, ipsum militem præsentem, petentem, instantem, requirentem & recipientem nominibus supra de dicto feudo, per traditionem unius baculi prout moris est investivit, quo facto dictus miles junctis manibus infra manus præfati domini abbatis fecit homagium & fidelitatem nominibus quibus supra pro dicto feudo, fidelitate prædicto domino comiti debita duntaxat excepta. Promittens & pollicens dictus miles ipsi domino abbati recipienti pro se & dicto monasterio suo fidelitatem in omnibus capitulis in nova & veteri constitutione contentis, promisitque sæpe dictus miles ipsi domino abbati stipulanti & recipienti, ut supra per juramentum suum ad sancta Dei evangelia corporaliter præstitum dictum feudum ad requisitionem ipsius domini abbatis & cujuslibet ex successoribus suis manifestare, designare & consignare integre & veraciter juxta manifestationes, designationes & consignationes per ipsum militem & prædecessores suos factas, &c. vel secundum quod, secundum rei veritatem melius & plenius poterit informari. Promisit etiam dictus miles pro se & suis per stipulationem solemnem & juramentum suum ut supra nunquam contra præmissa vel aliquid ex eis per se vel per alium facere vel venire, sed ea rata, grata & firma habere & tenere perpetue & inviolabiliter observare. Renuntians in hoc facto miles prædictus exceptioni doli, mali, metus, & A in factum actioni, conditioni sine causa, omni deceptioni, læsioni & gravaminæ jurique dicenti confessionem factam extra judicium vel coram non suo judice non valere, & omni alii auxilio & juri per quod posset venire contra præmissa vel aliquod ex eis, & specialiter juri dicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis. Testes ad hoc fuerunt vocati & rogati viri nobiles Joannes (a) de Turre dominus Castellionis in Valesio, dominus Joannes de Vilario miles, Joannes Bonevardi & Joannes Silvester burgenses Camberiaci, & Nicodus de Porta Barii domicellus.

Et ego Jaquemetus Raymondini de S. Mauritio Agaunensi Sedunensis diœcesis clericus authoritate Imperiali publicus notarius præmissis interfui eaque B scripsi & in formam publicam redegi, signoque meo consueto signavi rogatus ad hoc in testimonium veritatis.

Ad majorem autem & roboris firmitatem omnium præmissorum nos Joannes de Montangio judex in Chablasio & Gebennesio pro illustri viro domino Aymone (b) comite Sabaudiæ, sigillum curiæ ipsius domini comitis ad requisitionem dicti domini abbatis, nobis per dictum notarium publicum & juratum curiæ prædictæ fideliter oblatam huic præsenti publico instrumento duximus apponendum.

Pendet sigillum crucem offerens.

XLIII.

C *Charta Bartholomæi abbatis sancti Mauritii Agaunensis, qua jura nobilis mulieris Jaquetæ de Turre de Olono variis in terris feodalibus explicantur.*

IN nomine Domini, amen. Anno a Nativitate ejusdem M. CCC decimo nono, indictione secunda, penultima die mensis Februarii, in domo sancti Mauritii de Olono, in mei infra scripti notarii & testium subscriptorum præsentia propter hoc specialiter constitutis, reverendo in Christo patre domino Bartholomæo Dei gratia abbate sancti Mauritii Agaunensis nomine suo & dicti monasterii sui ex una parte, & nobili muliere Jaqueta de Turre de Olono, Jaqueto ejus filio & Nicoleta uxore dicti Jaqueti ex altera, cum D discordia verteretur inter dictas partes super eo quod dicti mater, filius & uxor dicebant & proponebant contra dictum dominum abbatem, quod idem dominus abbas minus juste reducere volebat ad manum suam contra eorum jura res & homines in villa & parochia de Olono quæ spectabant ad dictam Jaquetam jure dominii nomine vel quasi ex successione paterna, & nichilominus erant obligata & ypothecata eidem Nicoletæ specialiter & expresse pro tribus centum libris Lausanensibus pro dote & nomine dotis suæ prout in quibusdam literis super hæc confectis dicebat plenius contineri, & ipsorum bonorum possessionem ex causa dictæ obligationis habebat, quorum bonorum aliqua dictus dominus abbas per ejus potentiam apprehen- E derat. Quare petebant prædicti mater, filius & uxor, illa bona, quæ occupabat dictus dominus abbas, sibi reddi, deliberari & permitti, de cætero omnia prædicta possidere vel quasi pacifice & quiete, & quod ipsos in posterum de supradictis non inquietet vel perturbet. Dicto domino abbate in contrarium asserente & dicente petita fieri non debere, sed se legitime possidere vel quasi, &c. &c. &c. Tandem dictæ partes sanari (c) usæ consilio super omnibus 1319.

(a) Nempe Joannes filius Petri, nobilis vir seu baro de Turre dominus Castellionis seu *Chatillon* vel *Gestelen* in superiori Vallesia, frater Aymonis de Turre episcopi Sedunensis.

(b) Dictus *Magnus*, qui regere cœperat anno 1285, & obiit 1323.

(c) *Forte* salubri.

Digitized by Google

& singulis præmissis venerunt ad pacem, transactionem & finem firmam, validam & perpetuam in modum inferius declaratum, videlicet quod prædicti mater & filius scientes, prudentes & spontanei, de laude, voluntate & consensu dictæ Nicoletæ certificatæ de jure suo confessi fuerunt & publice recognoverunt ad instantiam & requisitionem dicti domini abbatis omnia & singula quæ prædicti mater & filius conjunctim vel divisim habent, tenent vel possident per se vel per alium in villa & parochia de Olono, homines tailliabiles, censitos, discretos, liberos, emphiteoticos, feuda, emphiteoz, albergamenta, tallias, redditus, census, servitia, meneydas, placita, ameniam, chaponiam, perceptionem, lingas & alia usagia quæcunque, vineas, prata, domus, campos, nemora, aquas, aquarum decursus, venationes & alia quæcunque bona & jura ex nunc in antea esse & debere esse in futurum de recto feudo dicti monasterii, & se tenere ad rectum feudum a monasterio supradicto, & ita de novo receperunt & recognoverunt pro prædictis rebus feudalibus se debere de cætero domino abbati qui pro tempore fuerit in monasterio homagium & fidelitatem, salvo homagio domini comitis supradicti, cui unus florenus aureus de placito in mutatione vassalli debetur, quod quidem homagium & fidelitatem idem Jaquetus statim de voluntate & consensu dictarum matris & uxoris suarum fecit & promisit dicto domino abbati recipienti nomine dicti monasterii in omnibus capitulis in antiqua constitutione de nova contentis. Acto expresse inter dictas partes in dicta transactione, quod si contigerit aliquando quod bona & res quæ & quas Willelmus de Albignione domicellus acquisivit a dictis matre, filio & uxore, vel ipsarum aliquid ad dictos matrem & filium & heredes vel successores, seu ipsorum alterutrum aliquo titulo pervenire, eaque pervenerint, reputentur & sint efficaciter in futurum de dicto feudo homagii seu placito memorato. Item prædicti mater & filius de laude prædictæ uxoris confessi fuerunt se debere & esse reos debendi causa præsentis transactionis eidem domino abbati & cui pro tempore fuerit ad opus dicti monasterii sexaginta solidos Maurisienses annui redditus seu census solvendos annis singulis infra Nativitatem Domini, quos quidem sexaginta solidos annui redditus seu census prædicti mater & filius de laude prædictæ uxoris quilibet promiserunt per stipulationem solemnem & per juramenta sua, &c. dare & solvere integraliter eidem domino abbati & successoribus annis singulis infra terminum memoratum, & nihilominus se facturos & curaturos, quod homines Lyeciri, *de Vilar* & *de Orney* se constituant debitores dicti annui redditus seu census. Et dictus dominus abbas qui pro tempore fuerit possit & valeat dictos homines pro dicto annuo reddito seu censu, sua propria authoritate facere pignorari. Actum tamen fuit & est in pactum expressum deductum quod prædicti mater, filius & uxor heredes eorum vel ipsorum alterutri ac assignati possint & valeant quandocunque voluerint & poterunt dictos sexaginta solidos annui redditus seu census reemere pro triginta libris Maurisiensibus totum pro toto, vel partem pro parte seu ratam pro rata videlicet viginti solidos per decem libras vel decem solidos per centum solidos, & non minus juxta quantitatem dicti annui redditus seu census & pretii prælibati, & solvendo vel præsentando dictas triginta libras in toto vel in parte, a necessitate solvendi & præstandi dictum annuum redditum seu censum si totum pretium solutum fuerit, vel pars ipsius pro rata solutionis totaliter liberari. Versa vice idem dominus abbas nomine quo supra pro recognitione feudi, homagii, censu & placito

A prædictis sciens, prudens & spontaneus remisit, solvit penitus & quittavit ex causa transactionis præsentis prædictis matri, filio & uxori, & cuilibet pro se omnes exchutam, commissionem, rapturam, obligationem, jus, actionem quod & quæ habebat seu habere poterat, ex quacunque causa seu titulo a retroactis temporibus usque ad confectionem præsentium in dictis rebus & bonis præmissis & causis prædictis de aliis quibuscunque, & specialiter eidem Jaqueto quinquaginta libras Maurisienses, in quibus dictus Jaquetus eidem domino abbati, ut asserebat dictus dominus abbas, fuerat condemnatus, & specialiter solvit & quittavit ex emptione per eundem de dictis rebus & bonis facta, ut superius est expressum si quid foret. Item quittavit, B remisit & solvit idem dominus abbas ut supra dictas viginti quinque libras quæ pro dicta emptione dicebat solvisse, quittavit etiam & remisit duodecim libras & decem solidos Maurisienses pro expensis factis in causa agitata inter ipsum dominum abbatem & dictum Jaquetum coram viro discreto domino Bellione *Delamar* judice in Chablasio ex parte dicti comitis Sabaudiæ. Item voluit expresse & consensit dictus dominus abbas nomine suo & nomine conventus prædicti monasterii ex causa & vi præsentis transactionis quod dicta Nicoleta, heredes aut assignati sui habeant jus pignorum obligationis & ypothecæ ante omne salarium in omnibus rebus & bonis prædictis usque ad quantitatem ducentûm & quinquaginta librarum Lau- C sanensium & ipsum jus pignoris, obligationis & ypothecæ. Idem dominus abbas quo supra nomine confirmavit & voluit sibi salarium fore in futurum, videlicet quod si forte soluto matrimonio inter dictos Jaquetum & Nicoletam, vel aliō quocunque casu, seu etiam in casu in quo repetita dote competeret dictam Nicoletam repudiando usumfructum dictorum bonorum Jaqueti & matris suæ prædictæ, vellet esse contenta dotis suæ & vellet habere dictam pecuniæ quantitatem, si dictum monasterium, abbas & conventus, vel aliquis ipsorum per dictam Nicoletam requisiti infra competentem terminum nollet, aut non posset solvere dictas ducentas & quinquaginta libras Lausanenses, ex tunc in antea dicta Nicoleta possit dicta bona D vel partem eorum vendere, alienare, obligare & ypothecare alteri cuivis personnæ non prohibitæ usque ad quantitatem dotis suæ & pecuniæ prædictæ, absque laude abbatis & conventus prædictorum; & si forte in prædicto casu, dicta Nicoleta vellet tenere dicta bona, hoc possit licite facere, &c. &c.

Testes ad præmissa fuerunt vocati & rogati Aymo de Castello, Jaquemodus Gayodi de Viviaco clericus, Giroldus mistralis, Jaquetus dictus *Deffraz* de Olono, Roletus *de Bar*, Jaquemetus Bartholomæi de Sicusya & plures alii.

Et ego Roletus Chta De sancto Mauritio Agaunensi clericus Sedunensis diœcesis authoritate imperiali publicus notarius una cum testibus supra E scriptis ad præmissa præsens fui, ea scripsi & in formam publicam redegi rogatus signisque meis consuetis signavi in testimonium veritatis.

Ad meliorem autem roboris firmitatem omnium præmissorum, nos Johannes de Monthogio judex in Chablasio & Gebennesio pro illustri viro domino comite Sabaudiæ ad præsentiam & requisitionem dicti Jaqueti . . . . : . sigillum curiæ dicti domini comitis una cum signis supra scripti notarii & jurati curiæ dicti domini comitis, sigillum prædictæ curiæ duximus præsenti publico instrumento apponendum. Actum Oloni die Lunæ XX die mensis Novembris, anno Domini M. CCCXIX.

Pendet sigillum cruce Sabaudiæ munitum.

A

X L I V.

Compositio inter abbatiam Agaunensem S. Mauritii & nobiles de Collumberio.

1322. IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem M. CCCXXII, indictione V, die Dominica prima, die intrante mense Augusti apud Contegium (a) in castro viri nobilis Joannis de Turre (b) domini Castillionis in Valesio, in præsentia mei notarii & testium subscriptorum, propter hoc specialiter constitutis Petro de Collumberio domicello & Guillelmo ejus filio ex una parte, & me infra scripto notario tanquam publica persona vice nomine & ad opus religiosi viri domini Thomæ sacristæ monasterii sancti Mauritii Agaunensis & B omnium quorum interest seu interesse poterit in futurum ex altera. Cum per quandam concordiam nuper factam inter dictum dominum sacristam & dominum Petrum, ordinatum fuerit quod dictus Petrus etiam posseriam & assignationem debeat facere pro solutione octo solidorum & quatuor denariorum Maurisiensium eidem domino sacristæ in futurum facienda, & in quibus octo solidis & quatuor denariis idem Petrus nomine uxoris suæ quondam filiæ domini Jacobi *de Mar* militis tenetur annuatim tanquam homines dicti Jacobi nomine quorum supra solvendis anno quolibet infra festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, sacristæ sancti C Mauritii, qui pro tempore fuerit, ex causa cujusdam donationis olim factæ per dictum militem ecclesiæ seu monasterio prædicto ad opus sacristaniæ dicti monasterii prout prædicta omnia in litteris super donationem prædictam confectis plenius continentur. Dictus vero Petrus volens attendere quod promisit ex sua certa scientia, de laude, consensu & voluntate expressis dicti Willelmi filii sui majoris sexdecim annis in ætate & ultra obligavit & ypothecavit specialiter & expresse pro dicta solutione dictæ quantitatis pecuniæ in futurum facienda quolibet anno termino prædicto dicto domino sacristæ qui nunc est & pro tempore fuerit, videlicet pratum suum quod vocatur pratum *de la Lancy* situm juxta viam publicam per quam itur..... versus *Sallion* (c), una cum octo fichilinis siliginis D & quatuor denariis servitii & duodecim denariis Maurisiensibus placiti quos debet Petrus de Chillione qui tenet dictum pratum quolibet anno eidem Petro pro prato prædicto, volens & concedens dictus Petrus & etiam dictus Guillelmus filius ejus, quod dictus dominus sacrista & ille qui pro tempore fuerit, habeat plenum & liberum recursum tam super directo dominio dicti prati quam super usagiis supradictis, usque ad plenam & integram solutionem dictæ quantitatis pecuniæ faciendam ut superius continetur. Promittens dictus Petrus & filius per stipulationes solemnes & per juramenta sua ad sancta Dei evangelia corporaliter præstita in manu mei dicti notarii stipulantis & recipientis vice nomine & ad opus cujus supra contra dictam E obligationem & ypothecam per se vel per alium in judicio vel extra in posterum non venire, non alicui contravenire volenti in aliquo consentire, sed omnia & singula præmissa firmiter attendere & inviolabiliter observare, & dictam pecuniæ quantitatem satisfacere seu solvi facere dicto domino sacristæ ut supra in pace & sine lite in futurum.

Renuntians in hoc facto dictus Petrus & filius stipulationibus & juramentis quibus supra omni exceptioni & auxilio utriusque juris canonici & civilis, per quod vel quorum alterum facere possent contra prædicta vel aliquid de prædictis, & juri dicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis. Testes ad hoc fuerunt vocati & rogati dominus Joannes Petrus de Vertro, Willelmus *Gissla*, Petrus *Butet*, Perrodus *Media* clericus.

Et ego Jaquetus Vichardi de sancto Mauritio Sedunensis diœcesis authoritate sacri imperialis palatii publicus notarius prædictis omnibus interfui, ea scripsi & signo meo signavi rogatus in testimonium veritatis.

(a) Germanice *Gundis*, gallice *Contey* seu *Gontey*, pagus inferioris Vallesiæ, cujus oppiduli dominium olim pertinebat Turrianæ domui.

(b) Erat hic baro frater Aymonis de Turre episcopi Sedunensis.

(c) Alias *Sallon*, pagus & parochia inferioris Vallesiæ, in præfectura S. Mauritii, illic supersunt rudera Castri *Saillon*.

X L V.

Eduardus comes Sabaudiæ de vicedominatu de Olono cum Bartholomæo abbate S. Mauritii Agaunensis pactum init.

NOS Eduardus comes Sabaudiæ, notum facimus 1328.
universis præsentes literas inspecturis, quod nos ad instantiam & requisitionem dilecti consiliarii nostri domini Bartholomæi abbatis sancti Mauritii Agaunensis & hominum communitatis villæ & parochiæ de Olono seu majoris partis ipsius, eisdem promisimus, & adhuc promittimus bona fide, & per pactum expressum pro nobis & successoribus nostris, quod nos nullo unquam tempore jura, dreyturas & dominia, quæ & quas habemus vel habere videmur in vicedominatu de Olono, aut ratione seu occasione ipsius cedemus, relinquemus, donabimus, permutabimus, seu aliquo genere alienationis transferemus in toto vel in parte cuivis personæ, seu in quamvis personam, sine ipsius domini abbatis & majoris partis dictæ communitatis, expressis conscientia & consensu, quod nos & successores nostri ipsa jura nostra dicti vicedominatus prout nunc sunt seu reperirentur esse integra & illæsa faciemus perpetuo conservare, & pro hiis confitemur & recognoscimus, nos a prædictis domino abbate & hominibus villæ & parochiæ de Olono habuisse & recepisse quadraginta libras bonorum Maurisiensium in pecunia numerata per manus dilectorum fidelium & familiarium nostrorum domini Galeysii de Balma domini de Valussino balivi nostri Chablasii & Gebennensis & Guillelmi de Castillione, ad contributionem quarum faciendam homines dictæ communitatis omnes & singulos compelli volumus & mandamus per illum qui præsidebit in vicedominatu prædicto. In quorum omnium robur & testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum apud Camberiacum die decima octava mensis Januarii, anno a Nativitate Domini millesimo CCC^mo vicesimo octavo.

X L V I.

Aymo de Turre episcopus Sedunensis transactionem statuit inter Ulricum parochum de Esche *& Petrum & Heinricum fratres* de Scharnachtal *de quibusdam decimis novalium.*

NOS Aymo de Turre, Dei gratia Sedunensis 1328.
episcopus, notum facimus universis quod cum quæstio verteretur inter dilectos nostros dominum Ulricum curatum *de Esche*, nomine suo & ecclesiæ suæ, ex parte una, Petrum & Heinricum fratres *de Scharnachtal*, parochiæ *de Esche*, ex altera, super decimis novalium territoriorum *de Usen Riedli & de Rudlon, & de Oja*, sitorum infra limites ecclesiæ prædictæ. Tandem dictæ partes in nos superdicta discordia compromiserunt, promittentes sub pœna centum librarum albæ monetæ, stipulata solemniter hinc & inde attendere, firmiter & servare perpetuo quicquid per nos super præmissis esset jure,

Digitized by Google

voluntate seu concordia, ordinatum & actum. Nos autem episcopus prædictus, inquisitis & inspectis, quæ super his inquirenda fuere, dictas partes ad concordiam & transactionem reduximus & reducimus in hunc modum. Quod nos ducimus, volumus & pronunciamus, quod dicti fratres & nunc statim reducant & restituant seu ponant curatum prædictum, nomine ecclesiæ suæ prædictæ, in possessionem vel quasi juris percipiendi decimas supradictas, nec de cætero turbent seu molestent, per se vel alium in aliquo dictum curatum seu ecclesiam suam super decimis supradictis. Item quod facta restitutione prædicta dictus curatus concedat nobis fructus decimarum prædictarum, per sex annos proximos & continuos, & non ultra, per nos per idem tempus fratribus dimittendos, & per eosdem fratres percipiendos pacifice per tempus prædictum duntaxat. Qua pronuntiatione facta dictus curatus ipsam quantum in eo est, ratificans & approbans, concessit nomine quo supra nobis per dictos sex annos, fructus dictarum decimarum dimittendos per nos eisdem fratribus, juxta nostram ordinationem prædictam dimittendos, unde nos sub pœna prædicta centum librarum, dictis fratribus mandamus & præcipimus, quod ipsi dictam restitutionem faciant dicto curato, prout & quando per Otthonem *Guttvern* de Berno, quem ad hoc mandatum nostrum facimus, fuerint super hoc requisiti; in quorum omnium robur & testimonium nos præfatus episcopus, dicto curato tradidimus præsentes litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum Seduni, secunda die mensis Augusti, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo octavo.

XLVII.

Charta qua Aimo de Turre episcopus Sedunensis permutat prioratum vallis Illiacæ, nunc Valdillies, *cum prioratu Gerundæ a monasterio Abundantiæ dependente.*

IN nomine Domini, amen. Anno a Nativitate
1331. ejusdem millesimo CCC tricesimo primo, indictione decima quarta, decima quinta die mensis Januarii in ecclesia Valeriæ Sedunensi in præsentia nostrorum notariorum & testium subscriptorum, propter infra scripta specialiter constituti reverendus in Christo pater dominus Aymo Dei & Apostolicæ sedis gratia episcopus Sedunensis nomine suo & ecclesiæ suæ Sedunensis ex una parte, & religiosus vir & discretus dominus Nicolaus Albi de Aquiano canonicus Abundantiæ Gebennensis diœcesis procurator & nomine procuratorio venerabilium & religiosorum virorum domini Joannis Dei gratia abbatis monasterii de Abundantia, & totius ejusdem monasterii conventus ad infra scripta constitutus specialiter, & nomine procuratorio quo supra ex altera. Cum idem dominus episcopus considerans quod bonæ rei danti consultum, & præsentis vice debetur subsidium, & æternæ remunerationis dinoscitur expectare premium, volens divini Numinis cultum peramplius ampliari ecclesiam parochialem seu prioratum de Gerunda (a) Sedunensis diœcesis, volens sub monachorum Carthusiensium regula gubernari, de dicto prioratu seu ecclesia de Gerunda quoad jura spiritualia ad eumdem prioratum quoquo modo pertinentia permutationem affectans fieri ad ecclesiam, & jura ecclesiæ *de Ylliés* (b) Sedunensis diœcesis, jura scilicet spiritualia cum spiritualibus permutando, cujus ecclesiæ *de Illiés* de jure &

A antiqua consuetudine institutio, destitutio & ordinatio ad eundem dominum episcopum dinoscitur pertinere, requisiisset dictos dominum abbatem & ejus conventum ad quorum institutionem, dispositionem, provisionem & ordinationem dicta ecclesia seu dictus prioratus de Gerunda immediate suo jure ex antiqua consuetudine pertinere dinoscitur, ut dictæ permutationi faciendæ de spiritualibus ad spiritualia & de ecclesia ad ecclesiam suum vellent præstare assensum ac eorum nomine de eorum conventu personæ idoneæ committere faciendi dictam permutationem & perficiendi prout melius & decentius ad laudem Dei & utriusque partis possit adimpleri, & etiam ordinari. Qui dominus B abbas & conventus prædicti, tam laudabile votum dicti domini episcopi in quantum in eis est, volentes adimplere etiam intuitu religionis augmentandæ, dicto domino Nicolao eorum canonico & procuratori plenam & liberam dederunt potestatem & speciale mandatum per suas patentes litteras sigillis tam dicti domini abbatis quam conventus prædicti, sigillatas eorum vice & nomine dictam permutationem faciendi & complendi eo modo & forma quibus melius fieri posset de jure. Considerantes & asserentes dicti dominus abbas & conventus, dictam permutationem eis & eorum monasterio fore utilem ex causis in litteris eorum sigillis sigillatis, contentis pariter & expressis. Qui dictus dominus Nicolaus vice & nomine prædictorum domini abbatis & conventus & virtute dicti mandati & C procuratorii sibi facti realiter & perpetue permutavit & nomine permutationis dedit & tradidit ac concessit dicto domino episcopo, dictam ecclesiam seu prioratum de Gerunda ad ecclesiam *de Ylliés* prædictam, & omnia & singula jura spiritualia ad dictum prioratum seu ecclesiam de Gerunda pertinentia, ad jura omnia & singula dictæ ecclesiæ *de Ylliés* ad ipsam ecclesiam pertinentia, sive sint hinc & inde decimæ, primitiæ, oblationes & obventiones ratione funerum vel anniversariorum vel alia ex quacunque causa ad spiritualitatem pertinentia. Et vice versa dictus dominus episcopus dictam ecclesiam *de Ylliés* & omnia & singula jura spiritualia superius expressa permutavit nomine suo, & ecclesiæ suæ Sedunensis, & nomine permutationis dedit, concessit & tradidit D dicto procuratori recipienti vice & nomine prædictorum dicti domini abbatis & conventus monasterii supradicti. Itaque ex nunc in antea dicta ecclesia *de Illiés* sit regularis sicut fuit hactenus prædicta ecclesia seu prioratus de Gerunda. Devestiens se dominus episcopus prædictus de dicta ecclesia *de Illiés* & de omnibus & singulis juribus spiritualibus prædictis, & de ipsis dictum procuratorem nomine quo supra recipientem per traditionem unius libri præsentialiter investivit, vel quasi, retenta eidem domino episcopo subjectione in dicta ecclesia *de Ylliés* quam prius habebat in ecclesia seu prioratu de Gerunda, actoque anno bissextili quando visitat episcopus Sedunensis percipiat prior *de Ylliés* qui pro tempore fuerit pro exoneratione procurationis domini episcopi illud E quod decimatores & alii qui tenentur ad [illegible]atam in parochia *de Ylliés* solvere consueverunt nuntiis synodalibus dicti domini episcopi ratione dictæ patæ. Item quod decanus Valeriæ eandem subjectionem habeat in dicta ecclesia *de Ylliés* quam antea habebat antequam præsens permutatio esset facta. Dans & concedens dictus dominus episcopus dicto procuratori nomine quo supra recipienti plenam & liberam potestatem ex nunc in antea possessionem vel quasi prædictorum apprehendendi, intrandi, possidendi vel quasi & de ipsis providendi personæ suæ religionis prout sibi vel domino abbati & conventui Abundantiæ videbitur expedire. Et

(a) Amœnus locus in colle positus versus meridiem in Dezeno Sideriano seu Sirrano superioris Vallesiæ, nunc seminarium clericorum Sedunensis episcopatus.

(b) *Ylliés* seu Illiacæ vallis prioratus vulgo Montheolensis, nunc *Valdilliés*,

Digitized by Google

versa vice idem procurator nomine quo supra de dicta ecclesia seu de dicto prioratu de Gerunda cum juribus spiritualibus prædictis realiter & perpetualiter, ut supra, se devestivit, & dictum dominum episcopum recipientem vice & nomine suo & ecclesiæ suæ Sedunensis investivit. Itaque de prædicta ecclesia *de Ylliés* dictus procurator nomine quo supra vel dominus abbas & conventus Abundantiæ possint & debeant providere personæ religionis suæ prout eis videbitur expedire ad laudem Dei & cultum divinum pariter augmentandum: acto etiam ex provisione dicti domini episcopi & ut divinus cultus augmentetur in ecclesia prædicta *de Ylliés* quod religiosi, abbas & conventus Abundantiæ in ipsa ecclesia *de Ylliés* ex nunc in antea habeant & instituant priorem sicut in prioratu de Gerunda antea habebant & instituebant, qui sub regulari habitu ibidem una cum uno socio domino valeat famulari. Concedens expresse idem dominus episcopus, quod abbas & conventus & prior prædicti, qui pro tempore fuerint, eisdem gaudeant privilegiis, statutis & consuetudinibus laudabilibus in ecclesia *de Ylliés* prædicta quibus gaudebant in prioratu de Gerunda prædicto, maxime quod bona decedentis Prioris spectent ad successorem priorem qui per dominum abbatem & conventum monasterii Abundantiæ in dicta ecclesia seu in dicto prioratu *de Illiés* fuerit institutus. Actum est etiam quod in solutione personatuum, prioratuum dictarum ecclesiarum permutatarum, rector cujuslibet ecclesiæ supportet de cetero onus quod alter antea consueverat supportare, scilicet ecclesia *de Ylliés* solvat domino abbati Abundantiæ sexaginta solidos Maurisienses & duas libras piperis pitanciario Abundantiæ, & ecclesia de Gerunda domino episcopo vel cujus interest vel intererit quindecim solidos Maurisienses vel illud quod antea debebat vel reperiretur debere. Hanc autem permutationem dictus dominus episcopus nomine quo supra & per fidem suam episcopalem, & idem procurator nomine quo supra per juramentum suum præstitum in manus dictorum domini abbatis & conventus & omnia ac singula supradicta prout in singulis capitulis continetur promiserunt sibi ad invicem stipulatione solemni interveniente perpetue & realiter attendere, rata & firma habere pro se & successoribus suis & contra per se vel per alium in judicio vel extra in perpetuum non venire, litem non movere, & nullum privilegium impetrare per quod prædicta vel aliquid prædictorum possint infringi de jure vel de facto cassari, vel etiam annullari in toto vel in parte ex quacunque causa vel modo aliquo seu colore quæsito & contravenire volenti promiserunt, ut supra, nullatenus consentire verbo vel facto seu alio quocunque modo. Renuntiaverunt expresse & ex certa scientia dictæ partes scilicet dictus dominus episcopus per suam fidem episcopalem & dictus procurator per juramentum suum prædictum omni exceptioni doli, mali, metus in factum & exceptioni sine causa aut ex injusta causa aut causa præmissa non secuta omni privilegio etiam apostolico impetrato sive etiam impetrando, omni læsioni, deceptioni, circonventioni, beneficio restitutionis in integrum pro ecclesiis introducto & omni juri canonico & civili seu consuetudinario & statuto per quæ contra prædicta possent venire, contradicere, vel reclamare de facto vel de jure ratione personarum contrahentium, rerum super quibus contrahitur, vel solemnitatis obmissæ in contractu permutationis prædictæ. Quæ omnia & singula supradicta lecta, & exposita prout superius continentur in capitulo Sedunensi more solito ad sonum campanæ convocato sive congregato tractatu etiam diligenti legitime habito supra prædictis præsentibus in dicto capitulo & capitulum facientibus domino Girardo decano Valeriæ, dominis Ebalo sacrista, Francisco de Yporrigia, Nicolao *de Clarens*, Willelmo fratre ejus, Martino de Castillione, Anselmo de Augusta, Joanne de Druna & Petro de Claromonte canonicis Sedunensibus prædictis consenserunt, & ea laudaverunt, approbaverunt, ratificaverunt & emologaverunt, ut capitulum Sedunense. Actoque ut de prædictis fiant quinque publica instrumenta ejusdem tenoris quæ possint corrigi, refigi & dictari semel vel pluries quotienscunque opus fuerit ad consilium peritorum, substantia non mutata, quorum dictus dominus episcopus habeat unum, dictum capitulum aliud, abbas & conventus Abundantiæ aliud, religiosi Cartusienses de Gerunda alterum, & prior *de Ylliés* qui pro tempore fuerit reliquum. Ad hoc fuerunt testes vocati & rogati dominus Joannes prior S. Marii Lausanensis, dominus Petrus *Mormant* curatus *de Arey gnon*, dominus Nicolaus *de Chouson* capellanus, dominus Martinus curatus de Villa, dominus Joannes Alechera capellanus, & Hugo rector hospitalis de Vico prati clericus & plures alii. Datum ut supra.

Et ego Mathæus *Murigié* de Somplono Sedunensis diœcesis clericus authoritate imperiali publicus notarius prædictæ permutationi & omnibus aliis & singulis in præsenti instrumento contentis præsens interfui, hoc præsens publicum instrumentum una cum notario infra scripto recepi, manu propria scripsi, & in formam publicam redegi, signoque meo solito signavi in testimonium veritatis rogatus.

Et ego Joannes de Ylletis Sedunensis diœcesis clericus imperiali authoritate publicus notarius prædictis omnibus præsens interfui una cum notario & testibus supra scriptis, me subscripsi, & signo meo una cum signo supra scripti notarii signavi consueto rogatus in testimonium omnium præmissorum.

Ad majorem autem roboris firmitatem & testium omnium & singulorum supra scriptorum dictus dominus episcopus & capitulum Sedunense una cum signis notariorum prædictorum sigilla sua præsenti instrumento duxerunt apponenda.

Ad majorem autem roboris firmitatem & testium omnium & singulorum supra scriptorum dictus dominus Joannes abbas Abundantiæ & conventus ejusdem monasterii sigilla sua præsentibus duxerunt apponenda & apposuerunt anno quo supra, die nona mensis Martii, ipsis, more solito, in suo capitulo Abundantiæ propter hæc congregatis in præsentia mei Mathei notarii publici supra scripti.

XLVIII.

Charta fundationis Carthusiæ Gerundæ ab Aymone de Turre Sedunensi episcopo.

IN nomine Domini, amen. Anno a Nativitate 1331.
ejusdem millesimo trecentesimo tricesimo primo, indictione quarta decima, decima nona die mensis Januarii, in ecclesia de Gerunda (a), in præsentia mei notarii publici & testium subscriptorum ad hæc specialiter vocatorum & rogatorum, constitui reverendus in Christo pater dominus Aymo (b) Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Sedunensis Perrodus de Turre (c) domicellus dominus Castillionis, & Joannes domicellus dominus de Anivisio (d), considerantes quod summa est ratio quæ

(a) Prioratus in Deseno Sirrano superioris Vallesiæ olim dependens ab abbatia Abundantiæ.

(b) E stemmate liberorum baronum de Turre-Castellionis.

(c) Petrus liber baro de Turre dominus Castellionis in superiori Vallesia.

(d) Aliter de Annivisio; nobiles hujus nominis in Sabaudia & Vallesia celebres.

pro religione facit cum plus apud Deum juvetur christianus orationibus religiosorum quam aliis suis sudoribus vel laboribus, ut attestantur canonicæ sanctiones, idcirco idem dominus episcopus Sedunensis, Perrodus & Joannes domicelli attendentes, considerantes, & affectantes quod Dei auxilio salubriter adimplere piam & devotam intentionem quorumdam prædecessorum suorum, & etiam quorumdam progenitorum suorum jam dudum proponentium ad divini cultus augmentum fundare & dotare in diœcesi Sedunensi & in terra ecclesiæ Sedunensis, unum monasterium & conventum monachorum Cartusianorum, quorum pia devotio adhuc propter eorum mortis preventionem adimpleta non fuit, considerantes etiam quod sanctæ orationes dictorum religiosorum sibi & subditis suis ac prædecessoribus spiritualibus & ecclesiasticis, parentibus & consanguineis & amicis proficere poterunt jam præteritis, præsentibus & futuris, ac etiam pacem, tranquillitatem, prosperitatem corporum & animarum removendo scandala apud altissimum poterunt impetrare, propositum prædecessorum suorum prædictorum, solum Deum habentes præ oculis adimpleri cupientes, de consensu expresso capituli Sedunensis dedit & concessit idem dominus episcopus in perpetuum donatione pura, perfecta & irrevocabili inter vivos, & vacuam possessionem tradidit per præsentes ordini Cartusiensi ecclesiam & prioratum de Gerunda suæ diœcesis & in dotem dicti monasterii concessit totam cristam ejusdem loci cum omnibus juribus & pertinentiis temporalibus & spiritualibus quæ habebat in ecclesia & loco prædictis de Gerunda una cum possessionibus, redditibus, censibus, nemoribus, servitiis, homagiis, bonis & rebus aliis quæ inferius declarantur, scilicet clausum situm apud *Chietru* ([a]) superiorem cum vineis contiguis, & grangiam adjacentem cum clauso ab alio latere suo contiguo latiori & connexo cum agris & vineis ibi adjacentibus, ac agris circa clausum jacentibus. Item totum albergamentum & casamentum cum campo & virgulto sibi adjacentibus & jacent apud Leucam ([b]) supra stratam publicam qua itur a Leuca versus pontem Rhodani & intra terram quondam Nicolai *Ingri* quam idem Petrus emit ab ipso Nicolao *Ingri* & terram Willelmi *Baccoyer* ex una parte, & terram hospitalis de Leuca ex altera, quas prædictus dominus episcopus emit ab heredibus quondam Petri *de Deyliets* pro quadraginta libris bonorum Maurisiensium inde solutis prout in quadam charta plenius continetur. Item unum frustum terræ situm apud Leucam sub orto Roleti de Novilla sub casalibus quondam Petri *Foytier* & heredum Aymonis *Vincent*. Item vineam heredum Joannis Marthis inter terram communitatis de Leuca ex una parte, & terram prædicti feudi ex altera, quam dictus dominus episcopus præfatus emit a prædictis heredibus pro triginta libris Maurisiensibus solutis prout in prædicta charta inde confecta plenius continetur, acto tamen & in pactum deducto, quod dominus episcopus qui nunc est aut qui pro tempore fuerit, dictas res & possessiones quondam Petri de Daylleto dicto monasterio datas possit rehabere ad opus mensæ episcopalis, quandocunque sibi videbitur expedire pro decem libris bonorum Maurisiensium redditthe quas teneatur episcopus qui rehabere dicta voluerit alibi eisdem assignare infra episcopatum Sedunensem, qua assignatione facta eisdem religiosis possit episcopus qui pro tempore fuerit dictas res quondam Petri de Daylleto apprehendere sua authoritate, nullo

A alio super hoc expectato mandato superioris vel cujusque personæ. Item concessit in dotem monasterio prædicto res quæ fuerunt Joannis Spithini prout inferius declarantur, videlicet unum pratum acquisitum per plures particulares cum casalibus & casamentis supra sitis quod pratum est ad duodecim sestorum, & situm est ultra Saltenam ([c]) versus Elisam in terram Joannis de Inferno & Joannis de Ranfie ex una parte, & terram quondam Valteri Barbitonsi & terram quondam Anselmi de Scala ex parte altera, per subtus terram Willelmi *de Laquenesse* & aquæductum qui dicitur *Vor* & supra stratam publicam tendentem versus Vespiam ([d]), & terram Joannis Bernardi & terram Mathildæ Sainburxini, & terram filiorum Rumaui, & est B sciendum quod de membris jacentibus in isto prato debentur usagia quæ sequuntur, primo quatuordecim denarii qui debentur in tallia domini episcopi ratione mansus, item sex denarii servitii Francesiæ Roderij. Item duo modia siliginis censualia Fragolo Curtl quæ antea debebantur quodam Joanni de Susta. E converso habet dictus Joannes Spithini duo modia siliginis censualia, quæ sibi debent hi qui sequuntur, videlicet Joannes Bernardi unum modium & filii *Siling* dimidium modium & Petrus *Abenoz* quatuor fichillinos siliginis, Petrus *Hudé* unum fichillinum & filii Heyno Wizzo unum fichillinum. Item est de bonis dicti Joannis Spithini quidam ager .... situs prope Elisam inter terram filiorum quondam Martini Sacristæ de Elisa & C terram quondam Willelmi *de Broz* ex una parte, & terram Willelmi de Vico & terram Jacobi *Guis* quondam Joannis *Siling* ex altera, subtus terram Henrici *Simpilete* & superius terram quondam Willelmi *de Broz*. Et est sciendum quod debentur sex fichillini siliginis alio anno, vel tres fichillini siliginis annuatim heredibus Rudini *de Zubin*. Item est de bonis Spithini quoddam Glaretum, quod vulgariter dicitur *Gesleyne*, situm citra pontem Rhodani a latere de Elisa inter Alineyna ex una parte & terram Petri *Siling* ex altera, quæ jacet deserta & tecta lapidibus propter inundationem aquæ quæ dicitur *Saltena*. Actum inde debentur tres denarii servitii illis de Mosetto, & de omnibus prædictis debentur Agnetæ uxori prædicti Joannis Spithini D triginta solidi bonorum Maurisiensium annuatim ad vitam suam tantum. Item est de bonis Joannis Spithini prædicti, quoddam Glaretum quod dicitur *Gesleyne* situm inter aquam Saltenæ ex una parte & terram Willelmi *Bremo* ex altera, de quo debentur duo denarii eleemosynæ ecclesiæ *de Nares* ([e]), & jacet dicta terra deserta & tecta lapidibus propter inundationem aquæ prædictæ. Item illa quæ venerunt in portionem dicto Joanni Spithini per commissum seu echeytam quondam Henrici Spithini patris sui primo quidem ager unius & dimidii inguentis campi situs *am Ranjie* inter *Borte* ex una parte & viam qua itur versus *Holz* ex altera, subtus terram Gomeri *de Holz* & supra campum quondam Valteri Barbitonsi *de Mond*, & de illo E agro debentur quinque fichillini siliginis marl Stephani *de Loubz*, & tres fichillini census hospitali Hyerosolimitano ([f]). Item duo frusta prati quorum primum situm est subtus Brigam inter stratam publicam tendentem versus *Narres* ex una parte

([a]) Forsan dictum olim *ad Carceres*, nunc *Chietres*.

([b]) *Leuk*, *Leug* vel *Leugg*, tertium dezenum superioris Vallesiæ, limites tangit Baroniæ, Sitti & Frutingiæ. Pagus *Leuk* Thermis celeberrimus.

([c]) *Saltana*, vulgo *Saltinen*, torrens maxime periculosus, monte Simplono seu *Simplen* oritur, dezenum Briganum percurrit, & in Rhodanum praeceps datur prope *Brigame*.

([d]) *Vispia*, germanice *Visp* vel *Fischbach*, gallice *Vische*, amœnus pagus superioris Vallesiæ, caput dezeni, inter fluvios Rhodanum & Vispam.

([e]) *Narera*, *Natricium*, *Naria*, germanice *Naters*, pagus dezeni Brigiani in superiori Vallesia ad dextrum latus Rhodani infra Morellum.

([f]) Commendataria ordinis Melitensis, quæ erat in pago *Salges* seu *Salgesch* in deseno Leuccensi de qua agit Stumphius, chronic. Helvetic.

Digitized by Google

& terram Nicolai *Gospost* ex altera, subtus terram dicti Nicolai *Gospost* & supra terram Berthæ Bremii, Henrici *Simpile*, Valteri Barbitonsi & Joannis dicti *de la Wortine*, & est illud pratum ad quatuor sestororum prati, secundum frustum situm est inter terram Joannis Bernardi quam habet in feudum de hospitali de Briga ex una parte, & terram *Machel de Steyburguini* ex altera, subtus viam qua itur *Usbiroton* & supra Rhodanum, & est istud pratum ad tria sestororia, & est sciendum quod prædicta duo frusta prati dicuntur esse de antiquo feodo, si non debent aliqua usagia vel contribuere in placito quum accidit cum aliis antiquis feodis de quibus Joannes *Pontmally* est anterior & responsor in manibus domini episcopi Sedunensis de Sectorio prout dicitur duorum denariorum. Item ea quæ Salomea relicta Henrici quondam Spithini habet pro usu suo ad vitam suam, videlicet unum frustum terræ tam prati quam campi circa octo sestororum quod frustum terræ situm est *Usbirotene* inter viam tendentem *Usbirotene* ex una parte & terram Petri de Castillione superiori & terram dicti *Blumo* ex altera, subtus terram dicti *Blumo Birotene* & supra terram Joannis Ruffi filii quondam Anselmi *de Cichotz*, & de isto frusto terræ debentur hospitali Hyerosolimitano tres solidi Maurisienses & quatuor denarii servitii, & sex solidi & octo denarii placiti, & unus denarius pro aquæductu tendente in dictum pratum. Item sciendum est quod prædictum frustum terræ dicitur esse de antiquo feudo & debet contribuere in placito cum accidit cum aliis antiquis feodis de quibus Joannes *Pontmally* est anterior & responsor in manibus domini episcopi prædicti prout superius est expressum. Item eadem Salomea relicta quondam Henrici Spithini habet ad vitam suam pro usufructu suo medietatem casalium, Casamentorum & domorum sitorum in villa de Briga (*) inter stratam publicam tendentem prope *Brigon* ex una parte, & terram Joannis in inferno & Perrodi de la Scala ex altera, suprà domum quondam Georgii *de Luchin* & terram Joannis de Inferno, & subtus domum Petri *Sillin* & Perrodi de la Scala, & de alia medietate dictorum casalium, casamentorum & pro indiviso domorum debet eadem Salomea domino episcopo nomine dicti Joannis Spithini viginti solidos Maurisienses census & solvere usagia quæ tota casalia debent, videlicet tres solidos vel circa ad talliam domini episcopi; prædicta casalia sunt de mansu & iste census solvitur domino episcopo usque ad beneplacitum suum, & quando eidem domino episcopo vel ejus assignatis placuerit potest sibi facere dividi dicta casalia & domos & casamenta per medium & assumere medietatem ad se & inde facere voluntatem suam solvendo medietatem usagiorum prædictorum, qua medietate assumpta per eum vel per mandatum ejus dicta Salomea est quitata & absoluta de dicto censu, & alia medietas dictorum casalium, casamentorum & domorum debet remanere dictæ Salomeæ ad vitam suam pro usufructu suo solventi medietatem usagiorum prædictorum. Item sciendum est quod cum donatio facta esset eidem Salomeæ tanquam benemeritæ per Henricum Spithini maritum ejus de tertia parte bonorum suorum dimissa & concessa sunt ei duo frusta agrorum pro satisfactione illius donationis ad vitam suam & non ultra, quorum unum situm est super Brigam .... super viam qua itur apud Trinam & subtus terram Willelmi de Urtte & Bastardi de Gubreynio inter terram Joannis Burweho ex una parte & terram Joannis in Inferno ex altera, qui ager accipit novem fichillinos seminis altero anno seminandus, & de illo agro debentur ecclesiæ *de Narres* quatuor denarii eleemosynæ:

(*) *Brig.* pagus & caput deceni sexti superioris Vallesiæ.

A secundum frustum situm est supra viam qua itur apud Trinam & supra cristam quæ dicitur *Hohalto*, quæ *Hohalto* concludit dictum frustum agri, qui ager accipit quinque fichillinos seminis & est seminandus altero anno, & pro istis duobus frustis agrorum est dicta Salomea contenta domino episcopo de donatione sibi facta per maritum suum prædictum, quæ duo frusta, ipsa mortua, debent devolvi domino episcopo Sedunensi prædicto, ad opus unius conventus monachorum Carthusiensis ordinis in dicto loco de Gerunda faciendi & constituendi, ex tamen prædicta nihil juris, dominii vel subjectionis sibi seu successoribus suis retinendo infra cristam prædictam excepto mero imperio quod sibi retinet & suis successoribus perpetue &
B ecclesiæ suæ Sedunensi in crista de Gerunda & loco prædicto si ad dictum conventum pleno jure pertineat & pertinere debeat in temporalibus & spiritualibus, excepto dicto mero imperio sicut ad rectorem vel priorem dictæ ecclesiæ de Gerunda, & ad ipsum nomine ecclesiæ Sedunensis antea pertinebant. Concedens etiam eidem ordini & monasterio speciali privilegio exemptionis quod omnes servitores & familiares continui conventus prædicti ab omnibus talliis communitatum, subventionibus, angariis & perangariis & exactionibus quibuscunque sine præjudicio dominorum suorum quibus feoda tenerent vel alias servitutes deberent, sint immunes & quod ipse dominus episcopus vel successores sui decanus Sedunensis seu alius qui-
C cunque pro ipso, vel dicto decano in dictis loco & ecclesia de Gerunda & personis dicti ordinis quæ in dicto conventu habitabunt vel morabuntur ut superius est expressum, nullam visitationem, procurationem, correctionem vel subjectionem de cætero aliqualiter habeant, sed ab omnibus & singulis prædictis ex nunc in perpetuum sint liberi, immunes & exempti. Item statuit & ordinavit quod nulla mulier sub pœna banni intret seu intrare attemptet terminos dicti monasterii a capella sancti Felicis. Item quod nullus venator vel aucupex pro bestiis sive avibus capiendis infra dictos terminos sub pœna banni incedat. Item quod omnes confugientes infra dictos terminos sint salvi & securi in vita & in membris, & a nullo justiciario vel
D alio quocunque ibidem capiantur & detineantur pro aliquo maleficio vel delicto commisso, exceptis hæreticis, latronibus publicis, depopulatoribus agrorum, & hostibus publicis terræ Vallesii, & ecclesiæ Sedunensis & aliis quibus de jure communi immunitas ecclesiarum minime suffragatur. Item concessit quod prior & conventus dicti ordinis possint in dicto loco de Gerunda in suo ordine recipere in monachos vel in conversos quoscunque clericos vel laïcos liberos vel servos cujuscunque status vel conditionis existant, & quidquid dederint dicti recepti prædicto conventui sani vel infirmi possint dicti prior & conventus libere recipere salvo jure alterius, contradictione cujuscunque non obstante & exceptis bonis & rebus de feodo ecclesiæ homagii ligii vel alterius cujuscunque per-
E sonæ. Item quod dicti prior & conventus possint habere & tenere secum in servitio suo quoscunque familiares undecunque sint, qui sint securi ab omni violentia, inquietate quandiu erunt in servitio eorumdem. Item quod infra terminos conventus prædicti nulla persona cujuscunque nobilitatis vel conditionis existat, faciat aliquam violentiam in persona vel rebus quibuscunque dicti monasterii, nec etiam intret dictos terminos cum armis offensibilibus invito priore dicti loci. Item quod de possessionibus eis datis vel in posterum dandis non teneantur alicui dare decimas nisi ante hujus ordinationem dictæ decimæ essent alterius personæ quam prioris vel rectoris ecclesiæ de Gerunda. Item

Item quod a civitate Sedunensi usque ad Leucam non fiat aliud monasterium de novo seu domus alterius religionis in præjudicium eorumdem. Concessit etiam dictis religiosis quod dictum monasterium fiat ad laudem Dei & beatissimæ Virginis Mariæ, ac beati Joannis-Baptistæ & omnium Sanctorum, ita quod dictum monasterium in rebus & personis gaudeat plene & libere ex nunc & in perpetuum, exemptionibus, immunitatibus, privilegiis & consuetudinibus laudabilibus quibus gaudent aliæ domus Carthusienses, quæ omnia & singula ordinata fuerunt statuta & concessa in præsentia religiosorum virorum fratris prioris domus *dou Repousoirie* (ᵃ) dicti ordinis & fratris Ebalii Hubodi monachorum Carthusiensium nuntiorum & procuratorum prioris majoris & conventus Carthusiensis constitutorum ad recipiendam ecclesiam prædictam de Gerunda cum juribus & pertinentiis suis universis, & ad recipiendam dotationem prædictam ad opus dicti monasterii & ordinis prædicti, & ad faciendum, stipulandum & ordinandum, statuendum & perficiendum omnia & singula quæ dictum negotium exigit & requirit, qui procuratores omnia & singula supradicta acceptantes nomine quo supra promiserunt dicto domino episcopo ibidem conventum sui ordinis, ut supra est expressum ibidem construere & se facturos & curaturos quod omnia & singula supradicta major prior (ᵇ) sui ordinis & conventus approbabunt, ratificabunt & facient observari. Dictus autem dominus episcopus volens quod illi qui in dicto conventu persistent, & voluerint domino famulari in suo officio cum tranquillitate & pace, plena securitate gaudeant & deffendantur ac tueantur ab incursibus malignorum dictos monachos & familiares eorum bona, res, & possessiones eorumdem & eosdem recepit & dictum monasterium pro se & successoribus suis in protectionem suam & ecclesiæ Sedunensis, & promisit dictis procuratoribus stipulantibus & recipientibus vice & nomine dicti ordinis omnia & singula prædicta sibi concessa eisdem manutenere, & deffendere contra omnes in judicio & extra, & eisdem attendere firmiter & complere omnia & singula quæ superius exprimuntur. Post hæc nobilis vir & potens Perrodus de Turre domicellus dominus Castellionis in Vallesio nepos prædicti domini episcopi considerans laudabile votum ipsius domini episcopi & propositum suum volens esse particeps compromissus & condotator una cum dicto domino episcopo.... dicti monasterii, sciens, prudens, non vi, non dolo inductus, sed spontaneus & ex certa scientia & pro remedio animæ suæ, & prædecessorum suorum, ut ipse & sui sint & esse valeant in perpetuum participes & consortes orationum & cæterorum operum misericordiæ quæ fient in dicto monasterio de Gerunda, ut ipsis religiosam vitam eligentibus congrua sustentatio assignetur, donatione pura irrevocabili inter vivos & in præsentia dicti domini episcopi & mei notarii ac testium subscriptorum dedit, concessit & tradidit dicto monasterio de Gerunda & conventui dicti ordinis decimam *de Chalez* quam tenebat a Felicia relicta Bosonis *de Chalez* quæ percipitur apud *Chalez*. Dictus autem Joannes de Anivesio volens esse particeps modo & forma prædictis, prædicti monasterii & bonorum quæ fient in eodem, ut superius est expressum, & esse compromissus ejusdem una cum domino episcopo & Perrodo de Turre prædictis in augmentum dotis dicti monasterii dedit, concessit & tradidit monasterio & conventui de Gerunda prædictis & dictis procuratoribus recipientibus vice & nomine dicti monasterii res & bona quæ inferius

(ᵃ) Vide *Besson* in descriptione Carthusiæ *Repousoir*.
(ᵇ) Id est generalis totius ordinis Carthusiensis.

A continentur eo modo & forma quibus prædictus Perrodus de Turre domicellus donavit dicto monasterio res superius nominatas cum aliis ibidem contentis videlicet centum solidos Maurisienses annui redditus quos assignavit percipiendos per dictum monasterium videlicet quatuor libras & decem solidos Maurisienses super redditu quatuor librarum & decem solidorum Maurisiensium in quibus eidem tenebatur major *de Areygnon* (ᶜ). Item alios decem solidos assignavit percipiendos super talliam domini episcopi Sedunensis, quæ fit annuatim apud Sirro (ᵈ) prout constat per instrumenta inde confecta. Devestientes se dicti Perrodus de Turre & Joannes dominus de Anivesio domicellus de prædictis rebus & bonis & dictos B procuratores stipulantes & recipientes nomine quo supra per traditionem cujusdam baculi præsentialiter investierunt constituentes se nomine eorum & dicti monasterii possidere vel quasi prædicta, donec possessionem vel quasi earum rerum apprehenderint corporalem quam intrandi, adipiscendi & possidendi, dederunt eis plenariam potestatem nullo super hoc expectato mandato judicis vel alterius cujuscunque personæ, promiseruntque iidem Perrodus & Joannes dictis procuratoribus stipulantibus ut supra ipsas res donatas manutenere & deffendere contra omnes ac etiam debrigare suis sumptibus pariter & expensis, dictumque monasterium, res & bona, personas, monachos & familiares manutenere & deffendere toto posse & eis præbere consilium, C auxilium & favorem pro tutione ipsorum & bonorum ad dictum monasterium pertinentium in futurum præsentibus venerabilibus viris dominis Girardo decano Valeriæ, in ecclesia Sedunensi, Ebalo sacrista, Martino canonico ejusdem ecclesiæ, nobili viro domino Geofredo *de Yolens* Augustensis diœcesis milite. Viris discretis dominis Petro *Mormant* curato *de Areygnon*, Columbo curato sancti Theodoli de Sirro, Francisco curato *de Leytron*, Nicolao *de Chouson* capellano & pluribus aliis fide dignis testibus ad hoc vocatis specialiter & rogatis, datum ut supra.

Et ego Mattheus *Murigié* de Somplono (ᵉ) Sedunensis diœcesis clericus publicus imperiali authoritate notarius, prædictis omnibus & singulis D una cum prænominatis testibus præsens interfui, hoc præsens publicum instrumentum propria manu scripsi & in formam publicam redegi, signoque meo solito signavi in testimonium omnium præmissorum rogatus.

POST hæc autem anno & indictione quibus supra kal. Februarii in præsentia mei notarii publici & testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, congregato capitulo Sedunensi in ecclesia Valeriæ ad sonum campanæ prout moris est, ibidem præsentibus canonicis infra scriptis & capitulum facientibus, scilicet dominis Gerardo decano Valeriæ, Ebalo sacrista, Thoma cantore, Joanne Boveti, Petro Falconis, Nicolao *de Clarens*, E Joanne de Dronna, Francisco de Yporrigia, Martino de Castillione in Valesio, Anselmo de Castillione in Augusta, Christophoro Mediolanensis diœcesis, Peroneto de Claromonte & Jacobo Bochardi canonicis Sedunensibus capitulum ibi

(ᶜ) Nobiles *ab Aragno* seu *Arna*, olim dominabantur in valle *Agerenthal*, seu *Agerana valle*, in dezeno Gombsiano superioris Vallesiæ.

(ᵈ) *Sirrum*, gallice *Sierre*, germanice *Syders*, pagus & secundum dezenum Reip. Vallef. In superiori Vallesia, non procul Sirro *Gerunda*, olim Carthusia de qua agit hæc charta.

(ᵉ) *Simpel-Berg*, latine *mons Sempronius* vel *Scipionis*, gallice *Mont-Simplon*, italice *Sempiano*, *Sampvano*, *Sempronio*, mons dezeni Brigiani in superiori Vallesia, qui suum dat nomen pago *Simpelen*, sito ad fluviolum *Sabanar*.

facientibus, diligenti tractatu habito pluries super prædictis in capitulo prædicto omnibus & singulis dictum capitulum attendens ut asserebat evidenterque videns per fundationem & constitutionem dicti monasterii conventus & ordinis in dicto loco de Gerunda, quod divinus cultus quam plurimum augmentabatur in futurum, fundationem & dotationem & omnes donationes prædictas & omnia & singula donata, concessa & ordinata per dictum dominum episcopum super præmissis, laudavit, approbavit, ratificavit & emologavit, & expresse eisdem consensit. Acto tamen & in pactum deducto, quod aliquis hostis aut rebellis contra ecclesiam Sedunensem non recipiatur aut in futurum tueatur in loco prædicto de Gerunda, nec etiam edificium aut fortalitium in perpetuum fieri per aliquem permittatur ibidem per quod fieri possit præjudicium, aut damnum inferri ecclesiæ Sedunensi aut ejus subditis in futurum, acto etiam & in pactum deducto cum dictis procuratoribus, quod dictus locus de Gerunda non alienetur aut permutetur, aut sub quocunque titulo transferatur in aliquem sine consensu expresso episcopi qui pro tempore fuerit & capituli Sedunensis, quæ omnia & singula dicti procuratores dicti monasterii nomine ejusdem & dicti ordinis attendere & servare promiserunt dictis domino episcopo & capitulo Sedunensi, approbaveruntque & ratificaverunt omnia & singula supradicta prout superius exprimuntur, præsentibus domino Petro *Morman* curato *de Areygnon*, domino Columbo curato sancti Theoduli de Sirro, Joanne *Grasembor*, Joanne *de Retringue*, dominis Perrodo *de Monrestel*, Willelmo de Grimisua domicellis & pluribus aliis fide dignis testibus ad hæc vocatis specialiter & rogatis. Datum ut supra in secunda data.

Et ego Mattheus *Murigié* de Somplono Sedunensis diœcesis clericus, imperiali authoritate notarius prædictis omnibus & singulis una cum prænominatis testibus præsens interfui, hoc præsens publicum instrumentum propria manu scripsi & in formam publicam redegi, signoque meo solito signavi in testimonium veritatis rogatus.

Ad majorem firmitatem & robur omnium præmissorum dictus dominus episcopus & dictum capitulum Sedunense, sigilla sua præsenti publico instrumento duxerunt apponenda.

XLIX.

Compositio inter Aymonem comitem Sabaudiæ & Bartholomæum abbatem Agaunensis monasterii de vicedominatu de Ollono.

1332. IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo trigesimo secundo, indictione quindecima, die prima mensis Decembris, in præsentia mei notarii & testium subscriptorum, propter hoc personaliter constituti vir illustris & magnificus dominus Aymo (a) comes Sabaudiæ ex una parte, & vir venerabilis ac pater reverendus dominus Bartholomæus abbas sancti Mauritii Agaunensis nomine suo & conventus sui ex altera. Prædictæ partes, considerata utilitate sua, ut asserunt, evidenti, fecerunt & faciunt permutationes & excambia quæ sequuntur, videlicet quod prædictus dominus abbas nomine suo & conventus sui prædicti dat & concedit eidem domino comiti & in ipsum transfert omne jus & superioritatem, merum & mixtum imperium & jurisdictionem omnimodam quæ sibi & monasterio ac abbatiæ S. Mauritii Agaunensis competunt & possunt & debent competere quoquo modo in vicedominatu de Ollono (b), juribus & consuetudinibus ipsius vicedominatus in quibuscunque consistant & quocunque nomine censeantur & specialiter medietatem pro indiviso ipsius vicedominatus, quæ medietas ad ipsum dominum abbatem & monasterium prædictum spectat & pertinet ex causa acquisiti facti de toto ipso vicedominatu per inclytæ recordationis virum dominum Eduardum (c) dudum comitem Sabaudiæ & per dominum abbatem prædictum: ita tamen quod dictus dominus comes & successores sui comites Sabaudiæ teneantur, & tenere debeant totum vicedominatum prædictum in feudum a monasterio supradicto sub homagio prædicto domino abbati & suis successoribus per dictum dominum comitem faciendo, quod quidem homagium fecit incontinenti dictus dominus comes eidem domino abbati pro se & suo monasterio stipulanti. Item tenebitur dominus comes Sabaudiæ qui pro tempore fuerit solvere monasterio supradicto aut abbati qui pro tempore in dicto monasterio præsidebit centum solidos Maurisienses de placito in mutatione vassalli, & dictus dominus comes qui de dicto placito respondebit, habebit jus levandi & sibi retinendi totum placitum debitum a consortibus & divisoribus feudi pro quo debetur placitum, de quo vicedominus de Ollono avantarius esse debet.

Et vice versa prædictus dominus comes ex causa permutationis & excambii prædictorum dedit & dat prædicto domino abbati stipulanti nomine quo supra septem libras Maurisienses annui redditus percipiendas & habendas per ipsum dominum abbatem & successores suos in monasterio supradicto de & super recepto, quod idem dominus comes annuatim percipit in parochia Orseriarum (d), & si forte casu aliquo ipsæ septem libræ annuatim per dictum dominum abbatem non possint percipi vel haberi, tunc dictus dominus comes ipsas supplere alibi teneatur. Item dedit & solvit dictus dominus comes prædicto domino abbati nomine quo supra quater viginti libras Maurisienses in pecunia numerata, quas idem dominus abbas dudum solverat pro medietate pretii dicti vicedominatus acquisiti ut supra per dictos dominos comitem Eduardum & abbatem, & de ipsis quater viginti libris Maurisiensibus se tenet dictus dominus abbas nomine quo supra integre pro contento. Item actum fuit in limine contractus excambii seu permutationis præsentis quod prædictus dominus abbas & successores sui in futurum possint & eis liceat per se vel per alium recuperare & levare census tallias, redditus & usagia quæcunque prædicto monasterio debita & debenda per quascunque personnas cujuscunque conditionis sint infra parrochiam de Ollono & etiam feuda & emphiteoses pro quibus prædicta debentur & fructus eorum saisire, levare & recuperare, & de ipsis gaudere, nulla licentia alterius superioris super hoc requisita. Ita etiam quod hujusmodi recuperatio talliarum, redditeuum & usagiorum consuetorum debitorum eidem monasterio in vicedominatu prædicto debeant omnibus aliis debitis anteferri.

Item declaratur ex pacto & in contractu præsenti quod eidem monasterio remaneat in futurum jurisdictio quam dictum monasterium habebat ante

(a) Aymo comes Sabaudiæ cognominatus *Pacificus*, rexit ab anno 1329 usque ad suam mortem 1343.

(b) Pagus *Ollon* distat una leuca a pago *Aigle*, multosque pagos in suo comprehendit mandamento, ut *Panex*, *S. Tryphon*, *Hambur*, *les Fondemens*, &c.

(c) Eduardus comes Sabaudiæ cognominatus *Liberalis*, rexit ab anno 1323 usque ad suam mortem 1329, cui successit frater natu minor præfatus Aymo.

(d) *Orsiere*, ingens pagus numerosaque parochia vallis *Entremont*, in præfectura S. Mauritii in Vallesia inferiori, cujus pagi parochum nominat præpositura Montis-Jovis.

Digitized by Google

præsentem contractum apud locum *de Salaz* (ᵃ), videlicet in albergamentis *de Salaz de Rutie*, de fontibus & de molendinis & in possessionibus eorum dicti loci *de Salaz*. Et est sciendum quod dicta jurisdictio reperta est talis esse, videlicet quod dicto monasterio pertinent in hominibus albergatorum prædictorum utriusque sexus & posteritate eorumdem, jurisdictio omnimoda, excepta pœna sanguinis & corporis punimento de omnibus delictis ipsorum hominum albergatorum prædictorum commissis & committendis infra territorium *de Salaz*, videlicet infra omnes res, possessiones quæ ab eodem monasterio mediate vel immediate quomodolibet possidentur. Item actum est & hoc promisit dictus dominus abbas nomine quo supra, quod omnes litteras & instrumenta quas & quæ idem dominus abbas & conventus habent & reperire poterunt bona fide utiles & necessarias pro vicedominatu prædicto & juribus ejusdem bene & fideliter observabunt ad opus utriusque partis, in quantum quamlibet partem tangit, ita quod de ipsis in necessitate possit utraque partium se juvare & nihilominus copiam ipsarum litterarum & instrumentorum in formam publicam fieri facient quoties eidem domino comiti placitum fuerit & per ipsum nunc ejus nuntium super hoc fuerint requisiti. Item actum est & pro perpetuo declaratur quod in omni casu pro quo bona mobilia alicujus hominis dictæ abbatiæ in parrochia prædicta ratione dicti vicedominatus debebunt ipsi domino comiti & suis successoribus confiscari intelligantur illa mobilia quæ tempore illius confiscationis in domo hujusmodi hominis poterunt reperiri una cum fructibus pendentibus illius anni confiscationis prædictæ videlicet a nativitate Domini in annum in albergamento ipsius talis hominis, salvis semper & prius levandis usagiis debitis per eundem talem hominem abbatiæ supradictæ. Item actum est quod medietas omnium bonorum usque ad diem præsentem concordatorum & condemnatorum tam per vicedominum de Ollono quam per alium quemcunque in dicto vicedominatu ad dictum dominum abbatem debeat pervenire, ita tamen quod si aliqua condemnatione hujusmodi fuerit per aliquem appellatum ipsa appellatio expensis communibus ipsorum dominorum comitis & abbatis persolvatur, & emolumentum inde proveniens inter ipsos communiter dividatur.

Item actum est & hæc concessit dictus dominus comes ex certa sua scientia quod dictus dominus abbas & successores sui possint & eis liceat carcerem facere in domo sua *de Salaz* pro omnibus hominibus dicti monasterii, in quibus merum & mixtum imperium pertinet eidem monasterio, & ipsos homines ibidem carceri mancipare & quandiu sibi placuerit detinere pro omnibus casibus pro quibus debebunt merito detineri, executionem autem pœnæ corporalis infigendæ exsequi debeant in locis aliis sibi hactenus propter hoc usitatis.

Item declaratur quod quandocunque per dictum dominum comitem vel nuntios suos mandatæ vel indictæ fuerint calvacatæ, & ordinata fuerit electio clientium sub certo numero mittendorum, quod vicedominus Olloni qui ibidem pro tempore possidebit, hominibus prædictæ abbatiæ onus & numerum dictorum clientium imponat, habito respectu ad numerum focorum parrochiarum de Alio & de Batio (ᵇ), ita quod in hoc casu pro hominibus dictæ abbatiæ bona fide & sine fraude æqualitas observetur. Item actum est quod

A quicunque dominus vicedominus in vicedominatu prædicto per dictum dominum comitem & successores suos fuerit ordinatus jurare teneatur in prima creatione sua ad requisitionem abbatis qui pro tempore fuerit in monasterio prædicto jura dicti monasterii integriter observare.

Promittentes ipsæ partes prædictæ nominibus quibus supra pro se & heredibus ac successoribus suis puræ parti præsenti & solemniter stipulanti, videlicet dictus dominus comes per juramentum suum, & dictus dominus abbas sub voto religionis suæ prædicta omnia & singula rata, grata & firma habere perpetue & tenere, attendere & complere, & in contrarium non facere vel venire, renuntiantes in hoc facto per præstita juramenta omni B exceptioni doli mali, metus, actioni in factum, conditioni sine causa vel ex injusta causa & exceptioni conventionum & promissionum prædictarum ut prædictum est non factarum, & dictæ pecuniæ non numeratæ, spei futuræ numerationis & omni juri canonico & civili per quod venire possint contra aliqua de prædictis, jurique dicenti generalem renuntiationem non valere nisi in quantum præcesserit specialis, volentes quod super prædictis fiant duo publica instrumenta ejusdem substantiæ pro qualibet parte unum, & quod sigillentur sigillis dictorum dominorum comitis, & abbatis & conventus ad majorem roboris firmitatem. Actum apud Gebennam in domo Nicoleti Picolerii ubi ad hæc testes vocati & rogati fuerunt C viri nobiles dominus Petrus de Salliono miles, Antonius de Claromonte, Guillelmus de Castillione domicelli & plures alii.

Et ego Stephanus *de Vendorens* notarius publicus authoritate imperiali præmissis omnibus una cum dictis testibus præsens fui, hanc cartam rogatus recepi & scripsi, signisque meis consuetis signavi. Datum per copiam, facta collatione cum originali de verbo ad verbum per me subsignatum notarium, Petrus *Rosset* notarius. Deprompta est præsens copia ab una alia copia ut prædictum est designata per nos notarios subsignatos nihil addito neque remoto sed ut præmittitur facta, in quorum fidem nos his subsignavimus Andreas Faber Notarius, Petrus Charleti junior notarius. Hanc & D præscriptam copiam ab aliis binis jam præcedentibus copiis ut apparet signatis oriundam & per notarios subsignatos fideliter collatam eandem suis aliis copiis conformem esse reperimus testificante nostro manuali testimonio.

Antonius Greyloz notarius. Angelinus Odetus notarius.

L.

Charta Bartholomæi abbatis sancti Mauritii Agaunensis de juribus præfatæ abbatiæ in valle de Joria & dominio de Ollono.

E IN nomine Domini, amen. anno ejusdem 1345.
M. CCCXLV, indictione XIII, die XXV mensis Januarii, apud sanctum Mauritium Agaunensem infra abbatiam dicti loci in claustro superiori, coram me publico notario, & testibus infra scriptis propter infra scripta specialiter constitutis venerabili in Christo patre Bartholomæo Dei gratia abbate monasterii dicti loci una cum ejus conventu, videlicet dominis Johanne *Deherdes* priore, Thoma sacrista, Nicolao de Villa-nova, Petro *de Lides*, Guardo de Lustrico, Joanne de Villa-nova, Amedeo de sancto Paulo, Roberto de sancto Apro, canonicis dicti monasterii facientibus & repræsentantibus conventum, nomine suo & dicti monasterii ex una parte, & viro nobili Guidone *Thomé*

(ᵃ) *Salaz* vel *Sala*, pagus parochiæ & mandamenti *Ollon*, in præfectura Bernensi *Aigle*, cujus pagi inferior jurisdictio pertinet abbatiæ Agaunensi. Fuerat quoque olim monasterium in pago *Salaz*.
(ᵇ) Alias *Baccium*, hodie *Bex*, pagus ingens præfecturæ *Aigle* apud Bernates, dimidia hora distat Agauno.

Digitized by Google

condomino sancti Triphonis (a) nomine suo & Joannis fratris sui condomini sancti Triphonis ex altera. Cum lis, quæstio & controversia verteretur inter dictas partes nominibus quibus supra, eo videlicet quod præfatus dominus abbas & conventus nomine quo supra dicebant & proponebant contra dictum Guidonem & ejus fratrem prædictum, quod ipsi fratres tenent & possident plures homines, loca, res & bona in valle de Joria parrochiæ *de Ormont* (b) qui vel quæ olim fuerunt dominorum dictorum de Sallione & de albergamento dicto de Sallione (c), & adhuc homines de Sallione appellantur. Item quod plures homines, loca, res & bona in parrochia de Olono qui & quæ fuerunt domini Joannis de Turre militis, & adhuc de parrochia de Olono homines de Turre appellantur, quæ prædicta omnia fuerunt quondam de bonis & in terris domini Guillermi de Ponte-vitreo (d) militis, & postmodum Bonifacii de Castillione (e) nepotis dicti domini Guillermi, qui prædicti homines, loca, res & bona de Sallione & de Turre appellata sunt, & ab antiquo fuerunt de feudo & directo dominio prædictorum dominorum abbatis & conventus & monasterii prædicti, prout asserebant abbas & conventus supradicti, & quod olim prædictus dominus Guillelmus de Ponte-vitreo dictos homines de Sallione, loca res & bona ipsorum, & dominus Aymo de Turre miles quondam dictos homines de Turre & alia bona quæ habebant in parrochia de Olono recognoverunt esse de feudo & directo dominio monasterii antedicti, unde cum Bonifacius de Castillione dudum dominus sancti Triphonis & dictorum hominum prædictos homines de Turre & de Sallione appellatos loca, res & bona, & jurisdictionem eorumdem alienavit & transtulit in dictos fratres ex causa venditionis sine consensu prædictorum dominorum abbatis & conventus petierunt & petunt dicti domini abbas & conventus dicto Guidoni nomine quo supra prædictos homines, loca, res & bona sæpe dicta sibi & dicto monasterio reddi & restitui tanquam appetitas vel commissas ratione alienationis & venditionis prædictæ factæ in dictos fratres absque consensu ipsorum abbatis & conventus . . . .
testes ad prædicta fuerunt vocati & rogati dominus Petrus de Sallione miles, Guillelmus Fabri, Thomas Alexodi de sancto Mauritio jurisperitus, Joannes de Rupe de Olono domicellus, Bartholomæus *Thomé* turumbardus, dominus Joannes *Chaubiers* capellanus, & Mermetus *de Lides* canonicus professus monasterii antedicti, de quibus præceperunt dictæ partes de præmissis fieri duo publica instrumenta, videlicet unum pro qualibet partium prædictarum. Et ego Joannes *Gressi* de S. Mauritio Agaunensi Sedunensis diœcesis authoritate imperiali notarius publicus, &c.

L I.

Homagium præstitum Bartholomæo abbati sancti Mauricii Agaunensis a Willielmo Vichardi de S. Mauritio ob prædia de Olono.

1350. IN nomine Domini, amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo, indictione sexta, die sexta mensis Julii, apud sanctum Mauritium Agaunensem, ante domum quæ fuit Jaquemeti Raymondini quondam, fuit constitutus propter infra scripta, coram me notario & testibus infra scriptis Willielmus Vichardi de S. Mauritio

A ex una parte, & etiam ego dictus notarius infra scriptus tanquam persona publica stipulans & recipiens vice nomine & ad opus reverendi patris domini Bartholomæi Dei gratia abbatis & religiosorum fratrum & conventus monasterii S. Mauritii prædicti & successorum suorum ex altera. Idem Willielmus ad instantiam mei notarii stipulantis, &c. confessus fuit & in veritate tanquam in judicio recognovit ea omnia quæ in parochia de Olono per concessionem dictorum dominorum abbatis & conventus tenet & tenebit de bonis Jaquerii de Turre de Olono quondam, se tenere ab eisdem domino abbate & conventu in feudum ligium nobile & antiquum sub uno homagio ligio salvo & excepto duntaxat domino comite Sabaudiæ (f),
B licet eidem se assecurat ad homagium non teneri, & ideo confessus fuit fecisse dictum homagium eidem domino abbati cum solemnitatibus opportunis promisisse quod & nunc esse promittit juramento suo tactis evangeliis sacrosanctis se dum vixerit eisdem dominis & successoribus suis fideliter existere & erga eos facere fidelitatem, omnia quæ in forma fidelitatis nova & vetera continentur, salvo semper domino comite supradicto, & fuit actum nunc & esse in concessione prædicta, ut dicit quod decem novem libris Maurisiensibus petitis per officiarios Chillionis (g) ad quas dandas dicto domino comiti dicebat idem Jaquetus fuisse in diversis particulis congravatus honestatem Willielmus debeat supportare, & quod de sex libris Maurisiensibus quas
C ex forma cæterorum instrumentorum, idem dominus abbas percipere consuevit annuatim a quibusdam hominibus & feudatariis dicti quondam Jaquerii, sint eisdem domino abbati & conventui jura sua secundum dictorum instrumentorum seriem reservata, ita tamen quod ea quæ per ipsa instrumenta pro dicto quondam Jaquerio reservata fuerant, sint eidem Wuillelmo specialiter reservata una cum reacheto duorum annorum sibi noviter per eosdem dominos concesso de sexaginta solidis, quo mediante debito sex librarum ut in inde dicta littera continet, promisit etiam dictus Guillelmus per dictum suum juramentum contra prædicta in posterum non venire & ea quatenus sua interest inviolabiliter observare, & renuntians eodem juramento omnibus
D juribus tam canonicis quam civilibus per quæ venire posset contra aliqua de prædictis. Testes ad præmissa fuerunt vocati & rogati Maueugonus de Montegavello, Perrodus *Albi* & Jaquemetus *Quartery* clericus.

Et ego Joannes Benedicti de Douvena Gratianopolis diœcesis authoritate imperiali publicus notarius hiis præmissis omnibus una cum dictis testibus interfui, præsensque publicum instrumentum rogatus manu mea scripsi, & signo meo signavi.

L I I.

Charta Bartholomæi abbatis sancti Mauritii Agaunensis de dominio de Olono.

E IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem M. CCCLII, indictione V, die decima mensis Septembris apud Olonum in domo Jaqueti de Turre de Olono (h), in præsentia mei notarii & testium infra scriptorum propter hoc specialiter constitutis R.do in Christo patre domino Bartholomæo abbate monasterii sancti Mauritii Agaunensis nomine suo & dicti sui monasterii ex una parte, & Jaqueto prædicto ex alia, dictus Jaquetus ex 1352.

(a) Pagus *S. Tryphon* in parochia *Ollon*, in præfectura Bernensi *Aigle*, ad limites inferioris Vallesiæ.
(b) *Ormont*, vallis ingens præfecturæ *Aigle* in ditione Bernensium.
(c) *Sallion*, pagus inferioris Vallesiæ.
(d) Nobiles *Ponverre* in Sabaudia.
(e) E stemmate nobili *Châtillon*, qui ramus Turrianæ domus apud Vallesianos.

(f) Tunc Sabaudiæ comes erat Amedeus VI cognominatus *Viridis*, rexit ab anno 1343 usque ad suam mortem 1383.
(g) *Chillon*, arx ad lacum Lemanum seu Genevensem, in Vaudo Bernensi, ad fines inferioris Vallesiæ.
(h) Nobilis gens Turriana plurima jura dominii olim exercebat in pago *Ollon* seu *Olon*, qui distat una leuca a pago *Aigle*, in cantone Bernensi.

sua certa scientia, ad instantiam dicti domini abbatis confessus fuit se tenere in feudum omnia bona quæ habet in parrochia de Olono a monasterio prædicto, & se esse hominem dicti monasterii pro dictis bonis, videns idem Jaquetus se non posse ulterius tenere res prædictas tanquam eidem monasterio commissas propter usagia inde debita non soluta omnia & singula bona sua prædicta tanquam commissa eidem tradidit & deliberavit, & de ipsis bonis se totaliter devestivit & dictum dominum abbatem nomine quo supra totaliter investivit, ut ex nunc idem dominus abbas dicta bona teneat & possideat tanquam propria ipsius monasterii sibi prout & debuit expedita de quibus idem dominus abbas præcepit per me notarium infra scriptum sibi fieri publicum instrumentum ad dictamen sapientum. Testes ad hoc fuerunt vocati & rogati videlicet Hugonetus Bartholomæi, Perrodus *de Arbignion*, Humbertus *de Sallion*, Jaquemetus *Quartery*, clericus, & Joannes *Anbagnes*, & ego Reymondus sutoris de S. Mauritio Agaunensi clericus authoritate imperiali notarius publicus præmissis omnibus interfui eaque scripsi, signoque meo signavi rogatus.

L I I I.

Charta Joannis abbatis Agaunensis de vicedominatu de Bagnes.

1375. IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem M. CCCLXXV, indictione XIII, XXIX mensis Maii in viridario domus confratriæ Sancti Spiritus *de Bagnes* ([a]) vocato... in mei notarii publici & testium subscriptorum præsentia pro parte Nantermodi Beruti *de Valchiesery* & quorum interest & poterit in futurum interesse, fuit exhibitum & computatum viro discreto Peroneto *Seguin* notario tanquam locum tenenti nunc vicedomini *de Bagnes*, quod mandatum fuit emanatum a reverendo in Christo patre ac domino domino Joanne Dei gratia abbate monasterii sancti Mauritii Agaunensis, quod mandatum dictus Peronetus reverenter recepit prout decet, cujus tenor sequitur & est talis. *Joannes Dei gratia abbas monasterii sancti Mauritii Agaunensis*, dilecto locum tenenti nostro in vicedominatu *de Bagnes*, salutem. Cum Joannes de Turre de Collumberio domicellus condominus *de Montagnier*, asserens se cognoscere debere de delictis perpetratis per Nantermodum Beruti, &c.

Testes ad prædicta fuerunt vocati & rogati Jordanus *de Monthey*, Perrodus filius Joannodi *de Pratonayé*, & Joannes Reymundi *de Brussey* parrochiæ *de Bagnes*, & plures alii.

Et ego Franciscus *Moneyn de Bagnes* clericus diœcesis Sedunensis authoritate imperiali notarius publicus hiis præmissis omnibus interfui cum dictis testibus, rogatus recepi fideliterque scripsi dum sic fierent & agerentur, & in hanc formam publicam redegi propria mea manu, signoque meo solito signavi in testimonium veritatis præmissorum.

L I V.

Eduardus episcopus Sedunensis recipit tanquam subditos suos defensores castri Castillionis quod diu obsessum fuerat a Vallesianis, quodque hactenus juris fuerat domini Antonii de Turre.

1376. NOS Eduardus ([b]) Dei & Apostolicæ sedis gratia episcopus Sedunensis, comes & præfectus Vallesii, notum facimus universis præsentes

A litteras inspecturis, quod cum castrum Castillionis ([c]) domini Anthonii de Turre obsessum fuerit per longum temporis spatium per communitates terræ & patriæ nostræ Vallesii, nobilesque homines & subditi dicti loci Castillionis laudabili eorum portamento adeo deffenderunt viriliter dictum castrum quod nil seu parum lucrari potuerunt communitates antedictæ, quod cum & timuissemus propter futura pericula quod si dictæ communitates dictum castrum cepissent & illud diruissent nobis & ecclesiæ nostræ Sedunensi nasci potuisset tota destructio dicti episcopatus & ecclesiæ nostræ Sedunensis propterea que ad evitandum tale periculum, acquisivimus dictum castrum, pertinentias & mandamentum dicti castri perpetuo titulo emptionis.

B Hinc est quod nos attendentes audaciam laudabilem & firmam fidem & legalitatem dictorum nobilium hominum & subditorum dicti loci & castri Castellionis, quorum deffensione dictum castrum deffenderunt & custodierunt huc usque, ut apparet, ipsis materiam dare cupientes, quod eo modo, quo erga dictum dominum de Turre se habuerunt fideliter, apud nos & ecclesiam nostram Sedunensem, in dicti castri Castillionis deffensionem & custodiam perpetuo se habere debeant..... ipsos omnes universos & singulos de Castillione ad nostrum amorem & gratiam appellamus, ipsis omnibus & singulis remittentes perpetuo quidquid mali fecerunt vel dixerunt usque nunc contra ecclesiam Sedunensem & patriam.... & ut erga nos & dictam

C nostram Sedunensem ecclesiam toto & vero corde esse debeant obedientes & fideles volumus & eis & cuilibet ipsorum tenore præsentium concedimus, quod de domibus, grangiis, vineis, terris, pratis, curtibus, servitiis, redditibus, talliis & censibus, & quibusque aliis bonis & rebus ipsorum mobilibus & immobilibus a die præsenti ut in antea uti, frui, gaudere ac possidere possint & debeant ita pacifice & quiete quo unquam usi fuerunt in tempore dicti domini de Turre, ita tamen quod ad fidelitatem & ad alia ad quæ adstricti erant erga dictum dominum de Turre, nobis & successoribus nostris in episcopatu prædicto facere & præstare teneantur. Insuper volentes & concedentes eisdem quod si aliquis ipsorum a dicto loco Castillionis vellet

D recedere aut nollet manere, quod nihilominus omnia sua bona mobilia & immobilia vendere, dare, ammodiare vel accensare possint & de eis facere & gaudere pro suæ libitu voluntatis & absque eo, quod ad solutionem aliquorum laudemiorum & rendarum vel cuique in..... teneantur ipsis omnibus & singulis nobilibus hominibus & subditis. Promittentes quod hinc ad unum mensem proximum procurabimus quod dictæ omnes communitates nostræ Vallesii ad eorum amicitiam appellabunt, & si qui contra eos pro lapso tempore malam habuerunt voluntatem, quod illam remittent eisdem, mandantes & præcipientes expresse castellano nostro Castellionis præsenti & futuro, aliisque omnibus & singulis officiariis nostris totius terræ

E nostræ Vallesii, quatenus a modo antea dictos nobiles & subditos nostros de Castillione eorum successores & heredes favorabiliter pertractent, eos & singulos ipsorum per terram, loca, passus & districtus nostros, ire, redire, morari, negotiari & transire permittant tanquam nostros & dictæ nostræ ecclesiæ vere obedientes & fideles, & eos & bona, res & familiam ipsorum tueantur & custodiant in omnibus & deffendant, & præterea vicarius perpetuus capellæ ([d]) de Castellione dicti domini de Turre

([a]) Qui pagus, olim caput vallis *de Bagnes*, fuit anno 1545 miserabiliter absorptus ab aquis.

([b]) Filius Philippi Sabaudiæ, principis Achaiæ, ex episcopo Bellicensi creatus episcopus Sedunensis tum archiepiscopus Tarentasiensis.

([c]) Vulgo *Gestelenburg*, cujus arcis rudera supersunt prope ecclesiam parrochialem inferioris Castillionis in superiori Vallesia, non procul Raronia, fuit diruta diuturno bello Turriano a Vallesianis Turrianæ domus hostibus.

([d]) Hujus capellæ a baronibus de Turre fundatæ, & nunc in parochiam conversæ parochus titulo *Prioris* gaudet.

Digitized by Google

omnes reddirus, fructus & census sibi assignatos pro dicta capella habere, percipere, levare, & sibi salvos facere possit & debeat prout & quemadmodum per dominum de Turre super hoc extitit ordinatum, itaque in dicta capella servire debeat dictus vicarius perpetuus modo consueto. Datum die XIIII mensis Augusti, anno Domini M. CCCLXXVI, cum appositione sigilli nostri ac signeti Mermeti *Longet* notarii publici & clerici nostri in testimonium præmissorum Mermetus. Et ego dominus Rodulfus de Albo-castro curatus in Frutingio (a) vidi quasdam litteras continentes omnia verba præscripta sigillatas sigillo domini episcopi Sedunensis præscripti, sanas & integras, non rasas, non cancellatas, sed omni suspicione carentes, & litteras prænominatas cum præsentibus litteris examinavi, & collationem habui & diligenter inspexi quæ unius tenoris sunt; in cujus rei testimonium sigillum meum duxi apponendum. Datum in Frutingio die undecima mensis Octobris, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto.

L V.

Carta seu Vidimus *officialis Sedunensis qua recognoscit venditionem castri Castillionis olim dominorum de Turre factam ab Amedeo Sabaudiæ comite Eduardo Sedunensi episcopo pro quadraginta mille florenis auri boni.*

1377. IN nomine Domini, amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis appareat evidenter, quod anno Domini currente millesimo tercentesimo septuagesimo septimo, indictione quindecima cum eodem anno sumpta, die decima nona mensis Februarii, nos officialis curiæ Sedunensis pro tribunali sedentes in curia episcopali Sedunensi, vidimus, palpavimus & tenuimus una cum notariis infra scriptis, instrumentum infra scriptum sanum & integrum, non abolitum, nec abrasum, nec cancellatum, nec aliqua sui parte vitiatum, omnique suspicione carens, prout prima facie apparebat . . . . . cujus tenor instrumenti sequitur in hæc verba:

1376. ANno Domini millesimo tercentesimo septuagesimo sexto, indictione decima quarta, die mercurii nona mensis Julii, per hoc præsens publicum instrumentum cunctis appareat evidenter quod in præsentia nostrorum notariorum infra scriptorum, videlicet Petri Vicini & Mermeti Rongeti clericorum notariorum publicorum, constitutis personaliter Illustri magnifico principe & domino domino Amedeo (b) comite Sabaudiæ ex parte una, & venerabili & circonspecto viro Hugone Peregrini thesaurario *Lychel-Felden* legum doctore nuntio apostolico, & Aymone *de Pojone* domicello procuratoribus & procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Eduardi (c) Dei & apostolicæ sedis gratia episcopi Sedunensis, de procuratorio suo facientibus per quoddam publicum instrumentum factum manu dicti Mermeti Rongeti anno præsenti, die secunda mensis hujus Julii inferius de verbo ad verbum descriptum ex altera. Dictæ partes super infra scriptis pluribus tractatibus habitis, quos per præsentem venditionem & arrestum esse volunt nullius penitus firmitatis, sive forent per modum venditionis sive per modum memorialis vel arresti apparerent finaliter de præsenti concorditer unanimi voluntate & consensu,

(a) *Frutingen*, pagus arce celebris, caput vallis Frutingianæ, olim cum tota valle parebat baronibus de Turre Castellionis.

(b) Qui obiit 2 Martii 1383, ætatis 50.

(c) Filius principis Achaiæ, e domo Sabaudica, qui ipsemet expulsus fuerat a Vallesianis anno 1376.

A omnibus aliis præcedentibus omnino cassatis & penitus annullatis, dictus dominus comes scienter & sponte, non vi, non dolo metuve coactus, neque ab aliquo, ut asserit, circunventus vel deceptus vendit & titulo puræ & perfectæ venditionis dat, tradit, cedit & concedit pro se & heredibus & successoribus quibuscunque præfatis procuratoribus procuratorio nomine quo supra cum dicto domino comite specialiter tractantibus, præsentibus, ementibus & recipientibus, nobis dictis notariis stipulantibus & recipientibus more publicarum personarum vice nomine & ad opus præfati domini episcopi & episcopatus sui Sedunensis, omniumque aliorum quorum interest & in futurum poterit interesse, castrum Castillionis (d) in Vallesio Vallerii B *de Lych* (e) una cum mandamento, pertinentiis & appendentiis ipsorum, nihil penitus in ipsis retinens jurisdictionis seu superioritatis feudi, seu alicujus alterius ressorti, pretio quadraginta millium florenorum auri boni ponderis Allemaniæ. Item & vendit dominus comes perpetue pro se, heredibus & successoribus suis universis dictis procuratoribus ementibus & recipientibus nomine quo supra, ac nobis notariis stipulantibus vice nomine & ad opus dicti domini episcopi & episcopatus Sedunensis quidquid dominus Antonius de Turre (f) & dominus Joannes de Turre ejus frater habent & habere debent a loco seu aqua Raspilliæ usque ad aquam Morgiæ (g), Contegii (h), sive sint homines, redditus, census, jurisdictiones & quæcunque C aliæ res & bona quævis sint pretio sex millium florenorum auri & ponderis prædictorum. Et pro omnibus & singulis sicut præmittitur per dictum dominum comitem venditis, idem dominus comes promisit se assecurare ac portare bonam & firmam guarentiam contra quascunque personas, videlicet dicto domino episcopo & successoribus suis in ecclesia & episcopatu Sedunensi. Et super hoc præfati procuratores procuratorio nomine quo supra solvere promittunt pretia supradicta in animam dicti domini episcopi constituentes, tactis Dei evangeliis sacrosanctis, & sub obligatione inferius declarata, dicto domino comiti Sabaudiæ seu ejus certo nuncio vel mandato per terminos infra scriptos. Primo videlicet duodecim millia & quingentos D florenos veteres auri boni & ponderis Allamaniæ prædictorum in festo Purificationis beatæ Mariæ Virginis proximo, seu in moneta equivalente pro floreno & duodecim millia & quingentos florenos veteres auri & ponderis Allamaniæ prædictorum modo prædicto, in festo beati Martini hyemalis proxime sequenti & inde in unum annum continuum & revolutum duodecim millia & quingentos florenos veteres auri & ponderis Allamaniæ prædictorum modo prædicto & subsequenti anno & termino revoluto, octo millia & quingentos florenos veteres auri & ponderis prædictorum usque ad plenariam solutionem & quantitatem florenorum prædictorum seu de moneta equivalente pro floreno modo superius declarato, ita quod fiant & recipiantur in terminis dictis, solutiones dictorum E florenorum videlicet apud sanctum Mauritium Agaunensem. Item pro securitate vero solutionum prædictarum in dictis terminis fiendarum, & quorumlibet terminorum prædictorum dicto domino

(d) Vulgo *Gestelenburg*, gallice *Chatillon*, in superiori Vallesia in pago *Gestilen* non procul Raronia.

(e) Prælonga vallis *Lætschen*, ad fluviolum Lonsam in deseno Raroniæ, quæ olim parebat baronibus de Turre-Castellionis.

(f) E prænobili stemmate baronum de Turre-Castillionis *de la Tour-Châtillon*, quos *Guichenon* derivat e domo Turris-Pini apud Delphinates.

(g) *Morge*, *Morsa*, fluviolus Vallesiæ qui dividit superiorem partem Valletiæ ab inferiori.

(h) *Contegium*, hodie *Gundis*, & gallice *Conthey*, olim arx & oppidum Turrianæ prænobilis gentis, nunc pagus in Valletia inferiori.

Digitized by Google

comiti, procuratores procuratorio nomine quo supra de præsenti ponunt & constituunt castellanos in castris de Martigniaco (a), de Seta (b) & de Monte-Ordeo (c), videlicet Aymonem *de Poypone* & Philippum ejus fratrem domicellos, & Mermetum Rongeti clericum ac dicti domini comitis secretarium, videlicet illos duos ex illis quos maluerit dictus episcopus sub tali forma quod ipsi, statim habita possessione dicti castri Castillionis per dictum dominum episcopum Sedunensem, prædicta castra teneant nomine dicti domini comitis, & de emolumentis respondeant dicto domino episcopo, sic tamen quod si dictus dominus episcopus deficiat in solutione aliquorum dictorum terminorum, prædicta castra expedire debeant dicto domino comiti vel cui mandaret, & quod tunc ipse dominus comes ponat & ponere possit in ipsis castris quos voluerit castellanos, & casu quo dictus dominus comes vellet quod prædicti Aymo, Philippus & Mermetus seu duo ipsorum remanerent Castellani, ex tunc ipso domino comiti respondeant de emolumentis dictorum castrorum, quæ pro dictis obligant dicti procuratores procuratorio nomine quo supra usque ad plenam satisfactionem prætentionum, & præmissa jurent facere & tenere dicti castellani dicto domino comiti, ac consimiliter facere & jurare debeant quod si contingat seu continget dictum dominum episcopum differre in solutione aliquorum terminorum & quantitatum dictorum terminorum nihilominus dicti procuratores procuratorio nomine quo supra se adstringunt, volunt, consentiunt quod in proximo festo beati Martini dictus dominus episcopus debeat infallibiliter intimare dicto domino comiti utrum in dicto festo Purificationis beatæ Mariæ proximo de dictorum florenorum quantitate primi termini dicto domino comiti fiet solutio, vel non, ita quod si revera diceret, se solvere non posse dictam primam solutionem, vel recusaret aut nollet dicere se posse vel non posse solvere in dicto festo Purificationis beatæ Mariæ, tunc non obstantibus præmissis quæ in suo robore manere debeant, dictus dominus comes ejus authoritate sine licentia alicujus majoris vel minoris personæ, compellere possit, & sibi liceat dictum dominum episcopum & ejus subditos episcopatus Sedunensis, per modum & formam sibi magis expedientem & omni alio modo & forma quibus melius & fortius posset & vellet ad dictam solutionem recuperandam & habendam, sic quod ad expensas & damna quæ & quas ex hujusmodi compulsione & recuperationis causa faceret vel faciet, & quæ cum suo proprio juramento idem dominus comes diceret vel dicet se fecisse ultra primam dictam solutionem ipsi domino comiti, teneatur dominus episcopus antedictus . . . dictaque castra Martigniaci, Setæ & Montis-Ordei teneat & fructus suos faciat proprio nomine idem dominus comes, absque eo quod ipsi fructus in deductionem computentur donec de damnis & expensis cum principali solutione debiti seu termini sit plenarie & integre satisfactus. Insuper volunt dictæ partes videlicet dicti procuratores nomine quo supra in animam dicti domini episcopi Sedunensis promittendo, & ad hoc ipsum dominum episcopum obligando, quod in secunda & tertia & quarta solutionibus sæpius declaratis, videlicet singulis annis in festo beati Michaëlis, dictus dominus episcopus debebit infallibiliter intimare

A vel dicere dicto domino comiti utrum solvere poterit vel ne, in dicto subsequenti festo solutionem dicti termini, sæpius declarati, itaque si diceret solvere non posse vel recusaret, aut nollet dicere se posse vel non posse solvere solutionem dicti termini festi beati Martini, tunc pro singulari termino dictus dominus comes sua propria authoritate alicujus minoris vel majoris licentia minime requisita vel obtenta ut supra, compellere possit & sibi liceat, dictum dominum episcopum & suos subditos episcopatus Sedunensis modo, forma, conditione & sub ejusdem similibus obligationibus & expensarum ac damnorum subventionibus quibus supra & castra fortalitiaque prædicta remaneant & sint ex hoc obligata, ac castellani jurent & pro-
B mittant sub juramentis & obligationibus quibus supra. Item volentes & consentientes pacto expresso ac promittentes expresse dictæ partes, videlicet procuratores procuratorio nomine quo supra, quod si quævis instrumenta, memorialia scripta vel non scripta, seu pacta vel arresta alias facta de & super prædictis vel aliquo prædictorum, & quæ modo aliquo ea concernere possent ante diem præsentem reperirentur aut reperiantur quoqnomodo, quod ea omnia præterque die præsenti coram nobis dictis notariis in præsentia testium infra scriptorum arrestantur cassa sint & nullius penitus firmitatis. Insuper promiserunt dictæ partes, inter se invicem dicti procuratores procuratorio nomine quo supra, videlicet quod dominus Sabaudiæ comes instru-
C menta venditionum factarum seu faciendarum de prædictis dicto domino comiti per dominos Antonium de Turre & Joannem de Turre ejus fratrem de consensu nobilis dominæ uxoris dicti domini Antonii reddet & realiter expediet idem dominus comes dicto domino episcopo Sedunensi hinc ad terminum primæ solutionis quæ fiet dicto domino comiti, quodque omnia instrumenta, literasque tangentes & tangentia castrum Castillionis & terras superius venditas, quæ ipsi domino comiti reddita fuerint per dictos dominos Antonium & Joannem ejus fratrem reddet similiter & expediet dicto domino Sedunensi episcopo prout supra. Item acto præterea & ex pacto convento inter dictas partes dicti procuratores procuratorio nomine quo
D supra promittunt scilicet quod dictus dominus episcopus Sedunensis præmissis consentiet & per capitulum suum faciet consentire, ac procurabit idem dominus episcopus cum effectu, quod ea sanctissimus dominus noster papa confirmabit hinc ad festum proximum sancti Michaëlis. Promiserunt igitur dictæ partes per juramenta sua, dicti procuratores in animam dicti domini episcopi Sedunensis Dei evangeliis tactis sacrosanctis nobis dictis notariis stipulantibus prout supra, & obligatione quoad dictum dominum comitem omnium bonorum suorum, & quoad dictos procuratores sub obligatione omnium bonorum dicti domini episcopi & episcopatus Sedun. suorum mobilium & immobilium præsentium & futurorum, præmissa omnia universa & singula supra & infra scripta, prout quælibet pars pro parte
E sua obligat, promisit, convenit & arrestavit alteri parti attendere, complere & firmiter perpetuo observare & non contravenire per se vel per alium in judicio vel extra publice vel occulte, & contravenire volenti, quod absit, nullatenus consentire. Renuntiantes siquidem dictæ partes nomine quo supra in hoc facto ex eorum certis scientiis, ac vigore juramentorum & obligationum prædictorum, non sic prout supra rite sive legitime factorum, sine causa vel ex injusta causa, petitioni, obligationi, libellis litis, contestationi copiæ præsentis instrumenti seu ejus notæ rei minoris pretio, vel minus dimidiæ partis justi pretii venditæ, subsidio, omni læsioni, circumventioni, gravamini, fraudi &

(a) *Martegni*, *Martigny*, latine *Martigniacum*, germanice *Martinach*, in Vallesia inferiori, pagus cujus pars *Civitas*, & pars *Burgum* appellatur, olim apud Romanus *Octodurus*, primæva sedes Sedunensium episcoporum.

(b) Alias *Seon*, arx in ruinis jacet inter Sedunum & montem *Sanctsch*.

(c) Alias *Montorsum*, olim arx in prærupta rupe inter Sedunum & montem *Sanctsch*.

erroris omni remedio, omni juri scripto & non scripto, consuetudini, privilegio & statuto per quæ vel altera dictarum partium veniret contra præmissa, aut venire posset & in aliquo se tueri, omni juri canonico & civili, specialiter juridicenti generalem renuntiationem non valere nisi præcesserit specialis. Acta sunt hæc apud Thaurinum (ᵃ) intra parvam conditam turrim existentem juxta magnam cameram castri *de Chen*, præsentibus viris nobilibus dominis Joanne de Grolea, domino Hyacintho Girardo *d'Estre* legum doctore cancellario Sabaudiæ, domino *de Bannes* militibus, Humberto de Balma, Petro *Herbajy*, thesaurario Sabaudiæ domino Castrinovi, & aliis pluribus præsentibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, & in quorum præsentia præcepit dominus comes mihi Mermeto Rongeti clerico notario publico, dictique procuratores procuratorio nomine dicti domini episcopi Sedunensis ad opus ecclesiæ Sedunensis & episcopatus, a me dicto Mermeto Rongeti notario publico requisierunt sibi dari & fieri publicum instrumentum. Tenor vero procuratorii dictorum domini Hugonis nuncii apostolici & Aymonis *de Poypone* ad præmissa peragenda nomine dicti domini episcopi Sedunensis est talis: Anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, indictione quatuordecima, die secunda mensis Julii per hoc præsens publicum instrumentum cunctis appareat quod in præsentia mei notarii infra scripti & testium subscriptorum constitutus R.dus in Christo pater & dominus dominus Eduardus de Sabaudia, Dei gratia episcopus Sedunensis comes & præfectus Vallesii, sciens & spontaneus, facit, constituit & ordinat procuratores suos generales & nuncios speciales, videlicet virum venerabilem dominum Hugonem Peregrini legum doctorem thesaurarium ecclesiæ *Lyche & Exeden* (ᵇ) nuncium apostolicum, & Aymonem *de Poypone* domicellum præsentes, & quemlibet eorum in solidum specialiter ad emendum, & emptionis titulo recipiendum ad opus ipsius domini episcopi & episcopatus Sedunensis ab illustri & magnifico principe & domino domino Amedeo comite Sabaudiæ, castrum Castillionis in Vallesio cum valle *de Lych*, mandamento, jurisdictione, pertinentiis & appendentiis dicti castri & quidquid domini Antonius de Turre & Joannes ejus frater habent & habere possent ab aqua Morgiæ de Contegio superius in Vallesio, certo pretio conveniendo super hoc & arrestando cum dicto domino comite Sabaudiæ & ipsum pretium solvi promittendo & ad certos terminos dicto domino comiti Sabaudiæ prout arrestaverint cum eodem, & pretio prædicto dicto domino comiti Sabaudiæ solvendo terminis statutis castra & omnia bona episcopatus Sedunensis ipso domino comiti Sabaudiæ obligando & impignorando in animam dicti constituentis, jurandum, promittendum, obligandum, hypotecandum, quæ ipsemet constituens liceret, explicaret, faceret, arrestaret, promitteret, obligaret & hypothecaret si præsens & personaliter interesset. Promittens idem constituens per juramentum suum, tactis Dei evangeliis sacrosanctis, mihi notario subscripto stipulanti & recipienti more publicæ personæ vice nomine & ad opus quorum interest vel poterit interesse, & sub obligatione omnium bonorum dicti sui episcopatus mobilium & immobilium præsentium & futurorum, se ratum, gratum & firmum perpetuo habiturum, quidquid de & super prædictis per dictos suos procuratores vel alterum ipsorum emptum, arrestatum, conventum, dictum, obligatum, promissum & hypothecatum fuerit quomodolibet sive gestum, ipsosque procuratores suos & quemlibet eorum omni onere relevare, & per ipsos judicium sisti, ac judicatum solvere cum suis clausulis universis, seque fidejussorem constituens in manibus dicti mei notarii prædictis procuratoribus suis & quolibet ipsorum sub juramento & obligatione quibus supra hæc omnia vult idem constituens ad opus omnium quorum interest vel interesse poterit in futurum, fieri manifesta. Acta sunt hæc Seduni in domo Majoriæ præsentibus domino Henrico de Blanchis de Vellaie canonico & officiali, Philippo & Bertheto *de Poypone* domicellis, & Johanne Cantii de sancto Remberto clerico pro testibus ad hæc vocatis & rogatis. Et ego Mermetus Rongeti clericus civis Bellicensis imperiali authoritate publicus notarius, illustrisque domini comitis Sabaudiæ secretarius & juratus præmissis omnibus & singulis superius descriptis, & dum, ut supra continetur, sic acta fuerunt anno, indictione, diebus, locis & coram testibus superius nominatis præsens fui, & ipsa omnia tam de mandato dicti domini episcopi Sedunensis, quam de voluntate & requesta partium prædictarum in formam publicam recepi hincque me subscripsi & signum meum solitum apposui in rei veritatis & testimonium omnium præmissorum.

(ᵃ) *Turin*, caput Pedemontani ducatus.

(ᵇ) Legendum *(Lychel-Feuder)* ut initio hujus cartæ.

L V I.

Concordia inter Wilhelmum episcopum Sedunensem & Guitschardum de Rarognia ejus patrem, necnon patriotas Vallesii super bonis dominorum de Turre, & regimine patriæ.

IN nomine Domini, amen. Anno ab Incarnatione 1415.
ejusdem millesimo quatercentesimo quindecimo, indictione octava, die decima mensis Junii infra castrum Seiæ (ᶜ) in præsentia nostrorum notariorum publicorum subsignatorum proper infra scripta peragenda personaliter & specialiter constituti fuerunt reverendus in Christo pater & dominus dominus Wilhelmus de Rarognia Dei gratia episcopus Sedunensis, comes & præfectus Vallesii, & egregius & potens vir Guitschardus de Rarognia (ᵈ) dominus Annivisii ejusdem domini episcopi pater ex una parte, & communitates patriæ Vallesii ab aqua Morgiæ (ᵉ), Contegii (ᶠ) superius pro majori parte congregati cum tota eorum armigera potestate existentes ex altera parte. Cum quæstio & discordia fuerit inter dictas partes de & super regimine, & gubernamento seu gubernatione.... personæ prælibati domini episcopi, & castrorum suorum custodia & conservatione in futurum fienda, & etiam pro honore suo & totius patriæ Vallesii tales pactiones & conventiones habuerunt per modum ut inferius declaratur.

Imprimis quia dictæ, &c. item etiam quod, &c. item quod præfatus, &c. item quod dictæ communitates & patriotæ Vallesii pure & libere habeant & habere debeant, & apprehendere eorum propria voluntate omnia & singula bona existentia in tota patria Vallesii ab aqua Morgiæ Contegii superius, de quibus erant tenentes & possidentes domini de Turre, tempore & die eorum expulsionis exclusis pretiis a dicto tempore citra quæcunque sint existentia tam in monte quam in plano ad dictos dominos pertinentes & pertinentia quovis

(ᶜ) Vulgo *Seon*, arx nunc diruta inter Sedunum & montem *Sanetsch* in superiori Vallesia.

(ᵈ) Hic baro in fastis Vallesiæ celeberrimus erat dominus Annivisii vulgo vallis *Einfisch* vel *Eyfisch*, in deseno Sirrano, quæ vallis per septem fere leucas porrigitur multis pollens pagis.

(ᵉ) *Morse* vel *Morsé*, fluviolus qui dividit superiorem Vallesiam ab inferiori, ortus ex monte *Sanetsch*.

(ᶠ) *Gondis* seu *Gontes*, olim arx & oppidum baronum de Turre-Castillionis.

titulo,

Digitized by Google

titulo, vel causa per dictas communitates, dum præfatus dominus episcopus fuerit episcopus Sedunensis, & non ultra habenda salvis eidem domino episcopo in eisdem homagio & fidelitate mensæ suæ episcopali, prout & quemadmodum dicti domini de Turre dicto domino episcopo & mensæ episcopali erant astricti & obligati, una etiam cum aliis bonis commissis & devolutis, quæ bona devoluta & commissa, si aliquod jus præfato domino episcopo pertineat in eisdem... jus præfatus dominus episcopus dum fuerit episcopus de speciali gratia & pro conservatione patriæ Vallesii nunc & de præsenti dat & remittit communitatibus memoratis, &c.

Promittentes partes prædictæ, &c. ad quæ fuerunt testes vocati & specialiter rogati videlicet vir religiosus dominus Petrus *Thuringen* prior prioratus *de Lens* (a), dominus Hendricus Arnoldi rector altaris sancti Michaëlis de Leuca, vir nobilis, &c. & plures alii fide digni. Ita est per nos Joannem de Lapide, Joannem de Giysa subnominatos & Joannem Barberii civem Sedunensem publicos notarios notatum, receptum & ingrossatum anno, die & coram testibus prædictis, &c.

L V I I.

Homagium præstitum Johanni Sostionis abbati Agaunensis monasterii a Martino de Turre domicello de terris feodalibus dominii de Olono.

1424. IN nomine Domini, amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis præsentes inspecturis fiat manifestum quod anno Nativitatis ejusdem Domini millesimo quatercentesimo vigesimo quarto, indictione secunda, die jovis sexta mensis Julii ante horam vesperam, apud sanctum Mauritium Agaunensem in domo habitationis Martini de Turre domicelli, in mei notarii publici testiumque subscriptorum præsentia personaliter constitutis reverendo in Christo patre, & domino domino Johanne Sostionis abbate venerabilis monasterii dicti loci sancti Mauritii ex parte una, & jam dicto Martino de Turre ex parte altera. Præfatus dominus abbas inter cætera inter ipsas partes dicta & loquuta, dixit & exposuit prædicto Martino præsenti, audienti & intelligenti prout ex ejus loquela & responsionibus suis apparebat, quod ipse Martinus tenet totas res eidem domino abbati & dicto suo monasterio astrictas ad homagium nobile nondum præstitum seu desservitum per eundem Martinum, quare præfatus dominus abbas ipsum Martinum requisivit, quatenus dictum homagium sibi reddat, ut tenetur, ac recognoscat res pro quibus ipsum debet ut conveniet rationi, ad quæ prædicta per eundem dominum abbatem dicta & proposita sæpe dictus Martinus respondit se tenere a præfato domino abbate & ejus dicto monasterio hoc quod ipse Martinus habet in parochia Oloni, & se ipsum Martinum fore paratum eidem domino abbati dictum homagium reddere & recognoscere ea quæ tenet ab eodem die martis proxima si ipse dominus abbas tunc fuerit in hac villa sancti Mauritii. De quibus præmissis idem dominus abbas petiit a me subscripto notario sibi fieri publicum instrumentum præsentibus domino Nantermeto *Malecarius* sacerdote, nobili Francisco Sostionis, Joanne Tavelli filio Perrodi Tavelli quondam, Henrico de Passu, Petro Truchardi & pluribus aliis testibus ad hæc vocatis & rogatis, &c.

Ego vero Mermetus de Stabulo Sedunensis diœcesis clericus, imperiali authoritate notarius

(a) *Lens* seu *Leins*, pagus & parochia in deseno Sirrano ad limites deseni Sedunensis in superiori Vallesia. Hujus autem pagi parochus fert titulum *prioris*.

A publicus & curiæ illustrissimi principis domini nostri domini Amedei Sabaudiæ (b) ducis juratus præmissis interfui indeque præsens instrumentum rogatus recepi, & aliis occupatus negotiis authoritate præfati domini nostri scribi feci per Ludovicum de Biena notarium publicum, manu propria subscripsi & signo meo consueto signavi in testimonium veritatis.

L V I I I.

Litteræ (c) castellani & totius communitatis deseni de Briga ad Henricum Esperlini, episcopum Sedunensem.

REVERENDE (d) in Christo pater & domine 1453.
B domine noster metuendissime humillima ac subjecta recommendatione præmissa noverit vestra reverenda paternitas nos cum magna displicentia intellexisse quod facta paternitatis vestre ita prolixe procedunt de quo non modicum amiramur licet multis respectibus non habeamus causam amirandi, quia bene intelleximus quod aliqui de vestro capitulo se ad invicem improperant de prodicione cause vestre & nostre, & primo intelliximus quod quidam novus canonicus vester dixit publice in conspectu vestre reverende paternitatis & dominorum de capitulo ac aliquorum civium civitatis Sedunensis, dixit *domino Johanni de Lesero* (e) quod ipse erat proditor domini sui & totius patriæ Vallesii in materia episcopatus, & dum ipse dominus Johannes
C de Leserio dicta verba intellexit dementitus est ipsum canonicum novum etiam coram reverenda paternitate vestra se submittendo carceribus vestris supplicando vestre reverende paternitati quod ambo duo retinerentur donec & quousque ista essent purgata per ipsos & quod dictus dominus Johannes de Leserio non fuit per paternitatem vestram in sua justa petitione exauditus, de quo etiam multum sumus amirati, attento quod justa petentibus non est denegandus assensus & maxime quod ibi agebatur de prodicione vobis & toti patrie vestre facta, & post hoc intelleximus ob quam causam illud obmisisti, aliter fuissemus male contenti de justicia vestra, attenta intitulatione tante prodicionis: sed quia fuit nobis dictum quod illud
D obmisisti ob reverentiam sancti domini nostri pape, cujus servitorem novus ille canonicus se asseruit, & ne forte illud impediret factum nostrum & vestrum sumus satis bene contenti quod pro tunc illud obmisisti facere. Nunc autem de novo intelleximus fide digna relatione quod iterum duo domini de capitulo se verbo tenus invaserunt improperando, unus alteri predictam prodicionem, quorum neuter se asserit servitorem domini nostri pape, per quos factum vestrum & nostrum aliqualiter possit impedire propter servicium alicujus scilicet papæ vel dominorum cardinalium, quibus visis & attentis vestre reverende paternitati requirimus & consulimus quod illos duos dominos personaliter carceribus vestris mancipetis & mancipare faciatis,
E donec & quousque ipsi fecerint purgationem suam si quam facere velint vel possint, & si aliquis ipsorum fuerit repertus culpabilis in prædicta proditione, quod ipse sit punitus sicut malus

(b) Amedeus VIII comes Sabaudiæ qui primus dux Sabaudiæ & postea summus pontifex a concilio Basileensi creatus sub nomine Felicis V.

(c) Originales hæ litteræ papyraceæ adsunt in comitatu Waudi apud Bernates, in scriniis castri *l'Isle* cujus dynasta est dominus baro *de Chandieu*, marescallus castrorum in exercitibus regis Christianissimi. Exemplar illud nobis transmisit cum notis beatus fidelis Antonius Zur-Lauben liber baro de Thurre & Gestelenburg, marescallus castrorum in iisdem exercitibus.

(d) Anno 1453 episcopus Sedunensis erat *Henricus liber baro Aesperlin de Rarronia*, obiit 15 Decembris 1457.

(e) Johannes *de Leyserio*, decanus capituli Sedunensis an. 1477 vivebat, *Leu, dict. hist. de la Suisse, en Allemand, t. XVII, p. 227.*

proditor domini sui & patrie, puniri debet & h .... manifeste ad illum finem quod tota patria sentiat vestram bonam justam ..... t talium punicionem certificantes vestr ..... paternitati reverende quod si culpabilis per vos non fuerit penitus quod... obis imputa .... quod m .... sitis causa retardacionis facti vestri & nostri .... olum volis facere justiciam de illis de patria & non de aliis attenta max ..... ratio vestra tantum tenuit ..... dhuc hodierna die tenetur qui est patriota quem nullus ita manifeste inculpavit sicut isti duo domini se ... os .... istud videtur nobis pro meliori quod isti duo domini ..... talia locuti quia per ista verba cessabit suspicio ..... a contra inculpabilesque magna fuit in patria contra aliquos de capitulo qui anno preterito dederunt fugam in tanta adversitate vestra & patrie, quia nobis videtur quod tales erant consentientes quod aliquis intrasset quam paternitas vestra que per ipsos fuit electa nec dubitet paternitas vestra reverenda quod si non obmitteretur propter reverentiam vestre paternitatis quod adhuc hodierna die expellerentur ex castro Vallerie (a) ac etiam extra patriam, & si de istis non fuerit per nos facta justicia multi ex ipsis dominis erunt in periculo variis respectibus quibus bonum erit obviare per justiciam in qua rogamus paternitatem vestram reverendam taliter vos habeatis quam causam habeamus contentari & hoc ad obviandum periculis prenarratis, & si in aministratione justicie indigeatis de nobis in generali vel speciali semper reperietis nos prumtos & paratos nulla alia de præsenti scribentes preter quod Deus omnipotens custodiat nobis personam vestram feliciter & longeve, &c. Datum Brige (b) die XIX mensis Septembris, anno Domini M.° IIII° LIII°.

Ejusdem paternitatis vestre reverende fideles subditi ac servitores Castellanus & tota communitas dezeni de Briga.

Et dorso hujus chartæ scriptum est:

Reverendissimo domino domino H. Esperlini electo & confirmato ecclesie Sedunensis presecto & comiti Vallesii dignissimo domino ac patri metuendissimo detur.

L I X.

Sententia (c) *lata a Jodoco* de Sillinon *episcopo Sedunensi, & Johanne Ballistarii præposito ecclesiæ civitatis Bernæ, inter nobilem virum Jacobum* de Prex *& nobilem ac potentem Guillelmum Tavelli dominum Grangiarum.*

1490. Nos Jodocus *de Sillinon* (d), Dei & apostolice sedis gratia episcopus Sedunensis præfectus & comes Vallesii, necnon Johannes *Ballistarii* (e) prepositus ecclesie opidi Berni omnibus universis & singulis presentes lecturis, audituris & inspecturis harum serie significamus, quod motis & exortis

A inter nobilem virum Jacobum *de Prex* (f) agentem nomine conjunctorio nobilis Andree ejus uxoris legitime filie nobilis & potentis viri Jacobi *Tavelli* (g) quondam actorem & petentem hinc; & nobilem ac potentem Guillelmum *Tavelli* dominum Grangiarum (h) ipsius nobilis Andree primum cognatum reum & deffendentem inde. Quibus quidem questionibus & differenciis majoribus que in futurum .... inter eos oriri & moveri dubitantes super eo potissime quod ipse nobilis Jacobus *de Prex* nomine conjunctorio predicto petebat & instanter requirebat per eumdem nobilem Guillelmum *Tavelli* ejus primum cognatum sibi deliberari & expediri omnia universa & singula bona mobilia & immobilia que spectabant & pertinebant, & die sui obitus reliquit B nobilis & potens Ludovicus *Tavelli* quondam ipsius nobilis Andree ex utroque parente legitimus frater tanquam sibi nobilis Andree veluti viro & unice heredis ipsius quondam nobilis Ludovici ejus fratris successa & execucta ut dicebat & proponebat, contra quam peticionem præfatus nobilis Guillelmus reus respondendo negabat narrata parte dicti rei fore vera & prepetita dicebat minime fieri debere nec ad ea teneri attentis testamentis & constitucionibus dudum per ipsarum partium predecessores factis, conditis & ordinatis. De quibus per publica instrumenta pergamenea realiter & in effectu coram nobis in specie & per modum prompte fidei memoratus nobilis Guillelmus reus inibi & .... fidem faciebat, demum ipse partes C suis & predictis nominibus post plures responsiones & replicationes hinc indeque parte partis utriusque factas, dictas, propositas & allegatas cupientes majoribus missionibus expensis molestacionibus & fatigacionibus parcere & ad bonam pacem veramque tranquillitatem super præmissis eorum controversiis devenire, pretactas eorum questiones & differencias ipse partes & potissime dictus nobilis Jacobus *de Prex* nomine dicte nobilis Andree sue uxoris absentis pro qua in hoc actu se fortem facit & de laudari faciendo promittit tociens quotiens requisitus fuerit gratis & sponte se submiserunt nostris pronunciacionibus, arbitracionibus & declaracionibus, promiseruntque suis & predictis nominibus pro se & suis heredibus, & causam D hujus modi ab eis in futurum habituris juramentis suis sanctis Dei evangeliis corporaliter tactis & sub suorum quorumcumque bonorum ypotheca obligacione habere, tenere & observare, ratum, gratum, firmum & validum cum omnibus juris & facti renunciacionibus & omni appellacione postposita omne id & quidquid per nos super premissis eorum questionibus & differenciis arbitratum, declaratum & pronunciatum fuerit, cujus quidem submissionis pretextu nos episcopus & prepositus prelibati auditis dictis partibus & consideratis peticionibus & responsionibus, allegacionibus & replicationibus hinc inde factis. Tum etiam primo viso & considerato testamento per nobilem & potentem Eduardum *Tavelli* condito per quod E inter cetera cavetur contineri quod sibi instituit, substituit & succedere voluit in quibuscumque suis bonis, videlicet Guichardum fratrem suum & subsequentes liberos suos masculos ipsius ejusdem Guichardi a suo proprio corpore procreatos &

(a) *Castrum Vallerie*, alias *Valeria*, castrum in uno ex montibus duobus qui civitati Sedunensi dominantur, in ipsa civitate situm.

(b) *Brig*, vel *Bryg*, communitas quæ sextum inter septem *desenos* seu partes reipublicæ Vallesianorum constat, cujusque caput, elegantissimus pagus *Brig*, prope Rhodanum & pagos *Naters* & *Glis*, in superiori Vallesia.

(c) Originalis hæc pergamenea charta servatur in comitatu Waudi, in archivo castri *l'Isle* cujus dominus est perillustris *baro de Chandieu*, marescallus castrorum in exercitibus regis Christianissimi. Exemplar autem cum sequentibus notis transmisit nobis beatus fidelis Antonius liber baro Zur-Lauben de Thurre & Gestelenburg, marescallus castrorum in iisdem exercitibus.

(d) *Jodocus de Sillinon*, alias *de Silenen*, fuit episcopus Sedunensis ab anno 1482 usque ad 1496.

(e) *Johannes Ballistarii*, præpositus capituli sancti Vincentii in civitate *Bernæ* quæ inter XIII *cantones* Helvetiæ alter numero & potentissimus habetur.

(f) Nobilis prosapia *de Prex* vigebat in comitatu Waudi, possidebat dynastiam seu dominium *de Prez*, situm in præfectura *Jaun*, alias *Bellegarda*, in ditione reipublicæ Friburgensis. Possidebat quoque dynastiam *Corsery*, &c.

(g) *Tavelli*, alias *de Tavell*, unum e nobilibus stemmatibus civitatis Bernensis, & comitatus Waudi.

(h) *Dominium Grangiarum*, gallice *Granges*, germanice *Gradetz*, pagus & parochia Vallesiæ superioris, ad dextrum latus Rhodani, in *deseno Syders*, una & media hora viæ intra *Syders*, olim oppidulum cum tribus castris quæ anno 1375 destructa fuerunt. Illud oppidulum habebat ejusdem nobiles nominis, qui etiam vocabantur *Tavelli*.

superstentos; visisque & secundario consideratis testamentis & constitucionibus dudum per predecessores ipsarum partium factis per que legimus contineri quod voluerunt & ordinaverunt quod semper masculi liberi supervivenies & de ipsorum recta linea procedentes esse deberent veri heredes & successores quorumcumque suorum bonorum que die ipsorum obitus reliquerint & quod ipsorum filie semper cum dote ipsis constituenda expellari* possent & deberent. Tertio considerato testamento nobilis & potentis Jacobi *Tavelli* predicti ipsius nobilis Andree patris per quod dicte nobili Andree ejus filie pro sua dote & quorumcumque bonorum rata & portione ordinavit octo centum florenos parvi ponderis monete Sabaudie semel, & illis mediantibus voluit ipsam esse tacitam & contentam. Quarto considerata quictancia per ipsam nobilem Andream de laude dicti sui mariti facta. Quinto considerato contractu matrimonii inter ipsos nobiles Jacobum & Andream conjuges celebrati, & postremo viso & considerato testamento dicti nobilis Ludovici quondam ipsius nobilis Andree fratris qui dictum nobilem Guillelmum suum constituit & nominavit heredem universalem & singularem, pluribusque aliis consideratis & attentis que per continencias dictorum instrumentorum, ut premittitur per dictum nobilem Guillelmum nobis exhibitorum contineri legimus, visisque videndis & consideratis considerandis que circa premissa consideranda & videnda fuerunt & sunt, per hanc nostram pronunciationem, quam in hiis scriptis ferimus, arbitramur, declaramus & pronunciamus dicte nobili Andree nullum jus, actionem, racionem & proprietatem in bonis quibuscumque per dictum nobilem Ludovicum & suos parentes ultra dotem sibi nobili Andree in ipso matrimonii contractu constitutam spectare seu pertinere, sed illa quecumque bona premissarum consideracionum pretextu dicto nobili Guillelmo reo legitime de jure spectare & pertinere nichillominus citra tamen derogacionem pretactorum instrumentorum, testamentorum & constitucionum quibus nullatenus per nostram presentem pronunciationem & declarationem derogare volumus neque intendimus, sed in suis vi & valore hujusmodi nostra pronunciatione non obstante permanere debere volumus & pronunciamus quod prefatus nobilis Guillelmus reus nostri contemplacione eciam amore consanguinitatis inter ipsos existentis, ut etiam ipsa nobilis Andrea per se nec aliam interpositam personam ex nunc in antea dictum nobilem Guillelmum nec suos heredes quoscumque in aliquibus expensis nullathenus premissorum occasione fatigare presumat neque molestare prout tamen acthenus fecit, sed ipsum & suos predictos pacifficum & quictum dimittere debeat, & teneatur dicte nobili Andree ejus prime cognate dare & solvere ultra dotem in pretacto matrimonii contractu constitutam & ultra centum florenos monete predicte per predictum nobilem Ludovicum in suo testamento augmentatos & ordinatos videlicet ducentum florenos monete prenarrate solvendos infra octo annos proxime futuros, videlicet de proximo festo futuro sancti Martini yemalis in unum annum viginti quinque florenos monete sepe dicte, & sic omni anno in quolibet dicto festo sancti Martini, anno tamen prius semper revoluto viginti quinque florenos usque ad complementum sollucionis dicte summe ducentum florenorum.

* *Forte expelli* nempe e domo paterna aut exheredari.

De qua quidem nostra hujusmodi pronunciatione & declaratione sicuti premittitur facta, illi inherendo & ipsam approbando ipse ambe partes quilibet pro suo interesse & ad sui opus suis & jam dictis nominibus instanter & in continenti post illius promulgationem pecierunt & requisierunt litteras dari & concedi quas ipsarum partium, cuilibet penes notarium subsignatum harum sub tenore & sub sigillorum nostrorum appensione in fidem, robur & testimonium veritatis duximus concedendas. Presentibus viro venerabili & egregio Johanne *Manes* (a), utriusque juris doctore canonico Sedunensi, ac honesto viro Alexandro *de Triono* apothecario incolis Sedunensibus pro testibus ad premissa vocatis. Acta fuerunt hec Seduni in castro Majorie (b), die vicesima tertia mensis Octobris, anno Domini millesimo quatercentesimo nonagesimo.

L X.

Litteræ (c) *oratorum Helvetiæ congregatorum Lucernæ die 18 Novembris 1510, ad summum pontificem Julium II, in quibus de Matheo* Schinner *Sedunensi episcopo.*

DOMINI confederati (d) magne lige superioris Alamanie, divo Julio (e) secundo dominici gregis pastori pientissimo Romanæque basilicæ pontifici optimo maximoque S. D. plurimam. Venit ad nos superioribus diebus, summe presulum, observandissimus Vallesiensis (f) episcopus vestre sanctitatis orator atque legatus expostulans exhibitionem peditum secundum tenorem confœderationis inter vestram sanctitatem atque dominos confœderatos magne lige superioris Alamanie. Nos in hac parte veluti obedientes inclinati ad promissa exequenda vestrisque optatis obtemperare milites summe vestre paternitati, uti nobis convenit, exposuimus, atque ita jam fere e patrio solo castra metati. Interea littere nobis a Cesarea majestate misse sequentium tenorem continentes, quemadmodum vestra sanctitas nostros milites vestre beatitudini exhibitos in auxilium, atque subsidium Venetorum (g) contra charissimum Francorum regem mittere proposuerit, & si permanserimus in hoc proposito opus erit sue Cesaree majestati regi Francorum ob confœderationem inter eos initam auxilio atque presidio esse: imo si quid vestra gens contra regem Francorum conari intendat, nulli dubium quin sibi auxilio atque consilio esse presto sit, atque omni potentia virtute sibi astare profitetur, quid autem mali, summe sacerdos, oriri possit, nobis opus erit premeditari, cum nostrum patrie solum inter Cesaream majestatem & Francorum regem situm, & propterea ut hostilibus seditionibus circumdaremur timendum est. Nobis autem videtur confœderationem nostram non sic initam, si nostri pedites, qui ad serviendum vestre sanctitati missi sunt, contra regem Francie in subsidium Venetis sub nomine, ac si vestra sanctitas ad defensionem sacrosancte ecclesie uti intenderet, mitterentur. Potest tamen vestra beatitudo bene premeditari.. si ita res se haberet, secundum tenorem confœderationis vestre sanctitati pedites minime obligaremur mittendos... nihilominus tamen vestre voluntati studere in animo habuimus, & sic nostros 1510.

(a) *Manes*, forsan *Magni*. Petrus *Magni* erat canonicus capituli Sedunensis anno 1501 cum Mathæo Schinner qui postea episcopus Sedunensis & cardinalis. [*Leu, dict. historiq. de la Suisse, t. XVII, p. 228, germanice*].

(b) *Castrum Majorie*, alias *Majoria*, Seduni situm ad pedes montis in quo eminet arx *Tourbillon*.

(c) Ms. Dupuy, vol. 399, Bibliotheca regia legitur dorso: *Double des lettres, que les Ambassadeurs des Ligues congrégées à Lucerne dernièrement écrivirent au Pape.*

(d) Talis titulus datur tredecim cantonibus Helvetiæ, sitis in superiori Germania seu *Alamannia*.

(e) Julius II, qui dedit Helveticis cantonibus titulum *defensorum ecclesiæ*.

(f) Mattheus *Schinner*, ille celeberrimus cardinalis episcopus Sedunensis, summi pontificis legatus a latere ad Helvetios, Gallorum infensissimus inimicus, de quo plurima Guichardinus, Jovius & alii.

(g) *Veneta Respublica* tunc fœderata cum summo pontifice, adversus Ludovicum XII regem Galliarum.

Digitized by Google

pedites vestre sanctitati direximus eis committentes, neque contra regem Francorum, neque aliquem alium arma moturos, terras, populosque eorum invasuros prohibuimus. Potest insuper vestra sanctitas in animo precogitare si nostra gens contra Francorum regem arma movere molitetur, nihil aliud oriri nisi maxima inquietudo, ipsiusque sanguinis effusio. Speramus tamen vestram clementiam nullatenus illius voluntatis bella incitaturam, quod item nos facturos animo duximus. Dominus noster gratiosus episcopus Sedunensis talia nobis non proposuit, imo blandis verbis in nostros animos induxit nostros pedites tantummodo vestre pietati subministrare prostatus apostolici defensione. Et si vestra clementia in suo proposito perseverare arbitraretur, opere precium erit nostros pedites revocare, atque pro nostro solo patrie deffendendo ipsos uti necessitas postulabit. Postremo, summe presulum, vestre amplitudini offerimus omnem operam nostram in omnibus optatis libentissime paratam, eique ad serviendum sumus semper inclinati; bene valeat vestra sanctitas. Datum Lucerne (a), in nostra generali congregatione habita decimo quarto calendarum Decembris, anno nostre redemptionis M. DX, sigillateque sunt littere sigillo fidorum atque carissimorum confœderatorum nostrorum Lucernensium sub nomine omnium dominorum de magna Liga.

Sanctitatis vestre obedientissimi filii, oratores magne Lige Helvetiorum in Lucerna congregati.

A tergo,

Sanctissimo in Christo patri ac domino nostro D. Julio divina providentia pape secundo sacrosancte Romane & universalis ecclesie summo pontifici, domino patri ac confœderato nostro clementissimo.

L X I.

Littera (b) Mathei cardinalis Sedunensis, legati de latere, ad Guillelmum marchionem Montisferrati, data Papiæ 22 Junii.

1512. MATHEUS (c) cardinalis Sedunensis Germanie ac Lombardie, &c. legatus de latere illustrissimo & excellentissimo domino Guillelmo marchioni Montisferrati (d) sacri Romani imperii principi vicarioque perpetuo ac sanctissimi domini nostri & sanctissime lige (e) amico & devoto salutem & in commissis fidem & diligentiam. Cum nos pro sanctissima liga cum isto felici exercitu pro recuperatione ducatus Mediolani & omnium dominiorum per Gallos in Italia detentorum ac pro liberatione totius Italie a manibus Gallorum hostium & inimicorum sanctissime Ligue venisse contigerit, omni opere & studio conamur usque ad illorum internecionem persequi & circa hanc salubrem & sanctam expeditionem illorum opera uti qui prefate sanctissime Ligue grati & accepti sunt. Considerantes ergo quanta sit fides & devotio illustrissime dominationis vestre erga sanctissimam Ligam ac sanctissimum dominum nostrum, ac quanta sit ejus auctoritas in illis partibus, confisi de fide & prudentia illustrissime dominationis vestre illam nomine prefate sanctissime Ligue & sanctissimi domini nostri, & ex auctoritate nobis ab illa concessa, qua in hac parte fungimur, hortamur ad quanto citius fieri poterit sua vi & virtute paratis copiis requirendum omnes civitates, terras & loca cetera feudalia & retro feudalia, ditioni Francorum regis quomodocunque mediate vel immediate submissas, subjectas & subjecta in Lombardia & tota Italia.... accedere velitis easque & ea requirere ut ad devotionem sanctissimi domini nostri ac sanctissime Lige se dedere velint & debeant a quibus sciant se bene tractari & amplecti ac diligi, & uti fideles & vasallos honorari & teneri. Itaque de bono in melius continuatione laudabili se tractatos sentient per hasce nostras patentes constituentes & decernentes vos prefatum dominum marchionem in iis peragendis & exequendis sanctissime Lige & nostrum locum tenentem generalem, concedentesque & committentes vobis pro iis omnibus agendis & adimplendis omnimodas vices nostras ac vos nostro loco ponimus. Quod si aliter presumpserint & in variam obstinationem mediantes inania perseverare voluerint, volumus & sic ut supra liberam & amplam potestatem & autoritatem predicte dominationi vestre cum omnimoda potestate concedimus & impertimur cum dictis suis copiis militum & aliis per eum parandis ante dictas civitates & oppida, & loca ut supra capiendi quoquo modo & quavis arte & jure belli vi capiendi & ad vestram & sanctissime Lige devotionem reducendi. Fatentes nos ex auctoritate nobis concessa & omni meliore modo quo possumus gratum, firmum & stabile quidquid per prefatam illustrissimam dominationem vestram actum, gestum & factum fuerit, & jam factum ratificantes & approbantes, mandantes omnibus & singulis civitatibus, terris & locis, arcium prefectis & castellanis, & feudatariis ac vassallis subditis quovis modo ut supra, & adherentibus eorumque hominibus & particularibus personis quacumque auctoritate etiam suprema presulgentibus quatenus prefate excellentie vestre pareant & obediant pariter & assistant omni semota contradictione & excusatione, provideantque de rebus necessariis & ad bellum opportunis, sub penis quibuscumque & confiscationis bonorum & rebellionis per vos infligendis & exequendis ita & eo modo ut ea omnia in iis peragendis possitis & valeatis exercere & facere que nos possumus. Datum Papie, die 22 Junii, anno millesimo quingentesimo duodeno.

Guillelmus marchio Montisferrati sacri Romani imperii princeps vicariusque perpetuus ac santissime Lige & reverendissimi ac illustrissimi Mathei cardinalis Sedunensis legati a latere locum tenens generalis, &c.

EX auctoritate & facultate nobis attributa per prefatam sanctissimam Ligam & prefatum reverendissimum dominum legatum advocandi & interpellandi omnes & singulos tam nobiles quam oppidanos, & alios cujusvis gradus, conditionis & qualitatis existant, ad quos nos accedere vel nuntios & arrendatarios nostros transmittere contigerit, vel veniant ad nos ad prestandum nobis fidelitatem & obedientiam nomine & vice prefate sanctissime Lige & non valentes ubicumque interesse & cetera, ne ipsi nobiles & oppidani longo itinere & graviori impensa graventur, confidentes plurimum de summa fide longa rerum experientia sanctissimi in Christo patris domini Andree de Novellis

(a) *Lucerna*, civitas & tertius tredecim pagorum Helvetiorum, ad lacum ejusdem nominis, maximus & primus omnium Catholicorum cantonum, residentia nuncii curiæ Romanæ & oratoris Hispaniarum celebris.

(b) Inter manuscripta regiæ Bibliothecæ, Dupuy, vol. 399, legitur dorso: *Commission du cardinal de Syon, capitaine des Suisses.*

(c) Scilicet *Mathæus Schinner*, ille celeberrimus cardinalis sacræ Romanæ ecclesiæ, & episcopus Sedunensis, de quo Franciscus I rex Galliarum dicebat, *plus sibi unius viri eloquentiam quam totius gentis Helvetiæ licet fortissimæ exercitus armatos obfuisse.* (*Bertii, comment. rer. German. lib. III, pag. 665, Amstelodami 1616, in-4°. fig.*)

(d) *Guillelmus, marchio Montisferrati*, scilicet *Guillaume VI Paléologue, marquis de Montferrat*, qui obiit 1518, ætatis XXX annor. maritus Annæ quæ erat filia Renati ducis *d'Alençon* & Margarithæ *de Lorraine*.

(e) *Liga*, id est, *la sainte Ligue*, sacra Liga seu confœderatio, cujus caput erat summus pontifex Julius II.

Novellis (a) episcopi Albensis comitis & consiliarii nostri dilectissimi eundem dominum episcopum tenore presentium litterarum constituimus & deputamus commissarium & locum tenentem nostrum, & cum eadem auctoritate & potestate qua nos fungimur vocandi & citandi ad se omnes & singulos nobiles & oppidanos, ac alios cujusvis gradus & conditionis qui sibi videbuntur ad prestandum sibi ac in manibus suis nomine nostro ac locum tenentis prefate sanctissime Lige fidelitatem & obedientiam, & alia faciendi que in premissis fuerint opportuna & que per ipsum dominum episcopum injungi, committi & mandari contigerit, necnon & cum potestate & auctoritate ac facultate agendi & compellendi eos qui recusaverint ad eum premissa ex causa accedere sub pena confiscationis bonorum suorum & feudalium, & rebellionis, ac demum ea omnia faciendi que nos ipsi facere possumus, committentes tibi omnimodas vices nostras pro premissis omnibus & singulis exequendis; in quorum testimonium presentes nostras fieri jussimus & sigilli nostri impressione muniri. Datum Asti (b), die ultima Junii, anno millesimo quingentesimo duodecimo. *Maymorius.*


Andreas de Novellis, Dei & Apostolice sedis gratia episcopus Albensis & comes, & in hac parte illustrissimi principis & reverendissimi domini domini Guillelmi marchionis Montisferrati sacri Romani imperii principis vicariique perpetui sanctissime Lige, ac reverendissimi & illustrissimi domini domini Mathei cardinalis Sedunensis legati de latere in Germania, Lombardia generalis locum tenens.

UNIVERSIS & singulis prefatis marchionibus, comitibus, nobilibus, vasalis, feudatariis, adherentibus, arcium prefectis, & castellanis consiliarisque subditis, & oppidanis quorumvis locorum

A & terrarum aliarum feudalium & retrofeudalium, ac ditioni & dominio Francorum regis quomodocumque mediate & immediate in Lombardia & tota Italia submissorum & subjectorum, salutem. Est mandatum nobis imo verius preceptoriis.... reverendissimorum & illustrissimorum dominorum cardinalis, lige, & marchionis firmiter obedire, & per copiam litterarum potestatis & facultatis prefati illustrissimi domini domini marchionis Montisferrati ac commissarii, ac locum tenentis nomine mittimus presentibus annexam, ut de eis eorumque tenoribus ignorantiam pretendere non valeatis, vosque omnes & singulos ante dictos earum vi & tenore monemus & rogamus, vobisque nihilominus injungimus,
B precipimus, & mandamus sub penis amissionis feudi & confiscationis bonorum vestrorum omnium & feudalium, & rebellionis..... infra tres dies post actum executionis & intimationis vobis ut in ipsis locis publice & per publica edicta seu publicas proclamationes factas compareatis & comparere debeatis personaliter coram nobis tanquam commissario & locum tenente, ut supra, in hac civitate Albe in palatio nostro episcopali cum quibusdam juribus vestris negotium tangentibus ibique ad devotionem sanctissimi domini nostri pape & sanctissime Lige vos transferatis & extendatis, in quibus omne bonum tractamentum omnemque amorem & benivolentiam potuerunt majora in majoribus nostris a nobis recipiendo nomine prefati illustrissimi
C domini domini marchionis & locum tenentis sanctissime lige, omniaque alia prestandi subeundique in capitulis antique & nove fidelitatis continentur, convocationemque in contumaciam & rebellionem universorum premissorum non obtemperantium & obsequentium ad ipsas feudorum & aliorum universorum bonorum .... penarumque declarationem nullaque juris remedia magis congua opportuna .... justa medietate committendo insuper & injungendo vobis omnibus & singulis quatenus presentium latori nuntio & Tubicini deputato idoneo & sufficienti expedire provideatis. Datum Albe in palatio episcopali, die secunda Julii, anno millesimo quingentesimo duodecimo. *Stephanus Insulla.*

(a) *Andreas de Novellis, episcopus Albensis*, vide *Italiam sacram Ughelli*, in serie episcoporum *Albensium.*

(b) *Asti, latine Asta Pompeia*, pulchra & antiqua civitas Italiæ, in Montisferratu, cum arce, & episcopatu qui suffraganeus est archiepiscopi Mediolanensis. Est illa caput comitatus *Astesani*, ad fluvium *Tanaro.*



Digitized by Google

INDEX GENERALIS.

A

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DELBRUEL

F

Digitized by Google

G

Digitized by Google

GUARNOVILLARE,

H

Digitized by Google

J

K

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Mons

Digitized by Google

N

O

Digitized by Google

P

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Sancto-

Digitized by Google

T

Digitized by Google

Digitized by Google



INDEX

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM.

A

Digitized by Google

F

G

Digitized by Google


OPPORTUNUS

Digitized by Google

Digitized by Google

V

W



INDEX DECANORUM AC PRÆPOSITORUM.

A

B

C

Digitized by Google

Digitized by Google

ROFFIGNAC

Digitized by Google

INDEX ABBATUM ET PRIORUM, ABBATISSARUM ET PRIORISSARUM.

A

B

Digitized by Google

BLON

Digitized by Google

ELISABETHA

F

Digitized by Google

G

Digitized by Google

H.

HELOYSA

Digitized by Google

L

M

N

Digitized by Google

Rochefoucaud

Digitized by Google

T.


V

Digitized by Google

W

Y

Z



INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM AD ALIOS TOMOS PERTINENTIUM.

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

NANNETENSES.

Digitized by Google



DECANI ET PRÆPOSITI AD ALIOS TOMOS SPECTANTES.



Digitized by Google

ABBATES, ABBATISSÆ ET PRIORES
AD ALIOS TOMOS PERTINENTES.

D

E

F

G

Digitized by Google

H


I

L

M

Digitized by Google

V




Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google



Digitized by Google